PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

ALMA COLLEGE
208.1
LIBRARY
M588
Alma, California

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXLII.

S. BRUNO HERBIPOLENSIS EPISCOPUS, S. ODILO ABBAS CLUNIACENSIS, BERNO ABBAS AUGIENSIS, GREGORIUS VI, CLEMENS II, ROMANI PONTIFICES, RODULPHUS GLABER, WIPPO PRESBYTER, ETC.

TOMUS UNICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE

1853

7982

SÆCULUM XI.

S. BRUNONIS

HERBIPOLENSIS EPISCOPI,

S. ODILONIS ABBATIS CLUNIACENSIS,

BERNONIS AUGIENSIS ABBATIS.

OPERA OMNIA,

NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTA, AD EDITIONES MELIORIS NOTÆ RECOGNITA, ORDINATE DISPOSITA, AUCTA ET EMENDATA.

ACCEDUNT

GREGORII VI, CLEMENTIS II,

ROMANORUM PONTIFICUM,

EPISTOLÆ ET DIPLOMATA;

RODULFI GLABRI, WIPPONIS PRESBYTERI,

OPUSCULA HISTORICA.

Intermiscentur

GUIDONIS DE CASTELLIONE REMENSIS ARCHIEPISCOPI, OLIVÆ AUSONENSIS, VASONIS LEODIENSIS, GERARDI I CAMERACENSIS, HUGONIS LINGONENSIS, HALINARDI LUGDUNENSIS, JORDANI LEMOVICENSIS, EPISCOPORUM; SEIFRIDI ABBATIS TEGERNSEENSIS, ODORANNI MONACHI S. PETRI VIVI, HELGAUDI FLORIACENSIS MONACHI, ANSELMI MONACHI S. REMIGII REMENSIS,

SCRIPTA VEL SCRIPTORUM FRAGMENTA QUÆ SUPERSUNT.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

ALMA COLLEGE
208.1
LIBRARY
M688
Alma, California

TOMUS UNICUS.

Ungeschieden

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE

1853

7992

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXLII CONTINENTUR.

SANCTUS BRUNO HERBIPOLENSIS EPISCOPUS.

Expositio in psalmos, *col.* 50. — Commentarius in Cantica, *col.* 530. — Commentarius in Orationem Dominicam, Symbolum apostolorum et fidem Athanasii, *col.* 562.

GREGORIUS VI PAPA.

Epistolæ et diplomata, *col.* 574.

CLEMENS II PAPA.

Epistolæ et diplomata, *col.* 578.

OLIVA AUSONENSIS SIVE VICENSIS EPISCOPUS

Sermo in natali S. Narcissi episcopi, *col.* 591. — De conversione beatæ Afræ, *col.* 594. — Epistolæ, *col.* 599.

RODULFUS GLABER CLUNIACENSIS MONACHUS.

Historiarum libri quinque, *col.* 611. — Vita S. Guillelmi abbatis Divionensis, *col.* 698.

SEIFRIDUS ABBAS TEGERNSEENSIS.

Epistolæ, *col.* 719.

VASO LEODIENSIS EPISCOPUS.

Epistolæ, *col.* 763. — Charta, *col.* 765.

ODORANNUS MONACHUS S. PETRI VIVI.

Chronicon, *col.* 769. — Historia translationis SS. Saviniani, Potentiani et sociorum, *col.* 777. — Opuscula XIII, *col.* 799. — Hymnus in S. Savinianum sociosque ejus, *col.* 826. — Epitaphia Senonensia, *col.* 830.

S. ODILO ABBAS CLUNIACENSIS V

Epistolæ, *col.* 939. — Vita B. Maioli abbatis, *col.* 943. — Hymni IV in vigilia B. Maioli, *col.* 962. — Vita Adalheidæ imperatricis, *col.* 963. — Miracula ejusdem, *col.* 983. — S. Odilonis sermones, *col.* 991. — S. Odilonis Credulitas, *col.* 1035. — Carmina sacra et preces, *col.* 1035.

BERNO ABBAS AUGIÆ DIVITIS.

De officiis ecclesiasticis, *col.* 1055. — De celebratione Adventus Domini, *col.* 1079. De jejunio Quatuor Temporum, *col.* 1087. — Opuscula de musica, *col.* 1097. — Epistolæ, *col.* 1136. — Vita S. Meginradi, *col* 1176. — Vita S. Udalrici, *col.* 1183. — Carmina, *col.* 1203.

WIPPO PRESBYTER, CONRADI SALICI ET HENRICI III IMPP. SACELLANUS.

Vita Conradi Salici, *col.* 1217. — Panegyricus Henrici III, *col.* 1249. — Proverbia, *col.* 1259.

HELGAUDUS FLORIACENCIS MONACHUS.

Vita Roberti regis, *col.* 1267.

GERARDUS I CAMERACENSIS EPISCOPUS.

Acta synodi Atrebatensis in Manichæos, *col.* 1269. — Epistolæ, *col.* 1313.

HUGO LINGONENSIS EPISCOPUS.

De corpore et sanguine Domini, *col.* 1325.

HALINARDUS LUGDUNENSIS EPISCOPUS.

Epistolæ, *col.* 1345.

JORDANUS LEMOVICENSIS EPISCOPUS.

Epistola ad Benedictum VIII, *col.* 1349. — Diplomata duo, *col.* 1351. — Acta concilii Lemovicensis II, *col.* 1353.

GUIDO DE CASTELLIONE REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Diplomata, *col.* 1405.

ANSELMUS MONACHUS S. REMIGII REMENSIS.

Historia dedicationis ecclesiæ S. Remigii Remensis, *col.* 1415.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

ANNO DOMINI MXLV.

SANCTUS BRUNO

HERBIPOLENSIS EPISCOPUS.

SANCTI BRUNONIS OPERA.

POST REYSERI ET COCHLEI CURAS

RECENSUIT

HENRICUS DENZINGER,

IN UNIVERSITATE HERBIPOLENSI THEOLOGIÆ PROFESSOR.

PROLEGOMENA.

I. *De S. Brunonis Vita et rebus gestis.*

1. S. Bruno (*Brun*) Herbipolensis s. Wirzeburgensis episcopus, ex illustri ducum Saxoniæ, Franconiæ et Carinthiæ prosapia, quæ Ottones et Francos Cæsares germinavit, ortus est, patre Conrado I, Carinthiæ duce et matre Mathilde, Hermanni II ducis Alamannorum, filia. Consanguineos habuit Gregorium V, summum pontificem et imperatores Conradum II et Henricum III. Quæ genealogia ut uno intuitu pateat, integrum arborem subjicimus.

Ludolphus, dux Saxoniæ, † 864.
|
Otto illustris, dux Saxoniæ. † 912.
|
Henricus I, imperator 919—936
|
Otto I, imperator, 936—973
|
Luitgardis

Conradus, comes Franco † 803,
uxor Glismuda.

Conradus I, imp. 912—918 — Werner, comes in Rothenburg Franconiæ.

Conradus sapiens, Lotharingiæ et Franconiæ dux, † 955.

Otto, dux Carinthiæ.

1. Henricus, Franconiæ dux † 989
|
Conradus II, imp. 1024—1039
|
Henricus III, imp. 1039—1056.

2. Bruno, postea Gregor. pp. V. † 999

3. Conradus I dux Carinthiæ † 1012 uxor : Mathildis, filia Hermanni II ducis Alem.
— *S. BRUNO*, ep. Herbipolen. 1034—1045
— Conradus II junior Carinthiæ et Francon. dux, † 1039

4. Guilelmus ep. argentor. † 1048

Brunonem nostrum filium fuisse Conradi I ex Mathilde, ex iis patet, quæ Hermannus Contractus ad a. 1034 de ejus genere tradit (1), eum *filium* fuisse *ex Mathilde Cuonradi ducis*, si conferas cum iis quæ ad a. 1024 de juniore Conrado prodit (2), eum item *filium* fuisse *Cuonradi ducis ex Mathilde*. Ex quo recte conclusit P. Æmilianus Wssermann (3), Brunonem nostrum et Conradum II, Carinthiæ ducem, ejusdem patris ac matris filios fuisse. Hinc patet quantopere errent ii (4), qui Conradum II patrem

(1) Ed. Ussermann I, p. 206.
(2) Ibid., p. 201.
(3) Episcopatus Wirceburgensis. Typis Sanblasianis, 1794, t. I, p. 47. Cf. Hubner Genealogiphe Tabellen. Leipzig, 1744, tab. 27.
(4) Bruschius, Fries in chronicis Wirceb., Hieron, Megiserus in Annalibus Carinthiæ.

Brunonis faciunt, quod et ex eo capite falsum esse apparet, quod Conradus iste anno 1039 *immatura morte*, ut aiunt annales Hildesienses (5) defunctus sit, Bruno vero jam canus a. 1045 diem supremum obierit. Patet porro falsissimum esse, Brunonem ex comitibus de Quernfurt fuisse oriundum (6), vel matrem habuisse Mathildem de Quernfurt, filiam Gebhardi de Quernfurt et Sophiæ de Mansfeld, ut alii (7) autumarunt. Fabula ista licet a multis et gravibus auctoribus tradatur, nullis tamen antiquitatis monumentis nititur, imo tabulis Quernfurtensium genealogicis (8) refutatur et exinde ortum traxit; quod Brunonem nostrum quidam cum S. Brunone, episcopo et martyre atque Borussiæ apostolo a. 1009 pro fide interfecto, qui revera comes de Quernfurt fuit, confuderint, alii vero, licet utrumque distinguerent, fama illa Brunonem Herbipolensem ex eadem Quernfurtensium stirpe fuisse, decepti, genealogiam composuerint, quæ omni caret fundamento.

Ex eadem sancti nostri genealogia verosimile fit admodum, eum nomen Brunonis a patruo Brunone, qui postea Gregorius papa V fuit, sortitum fuisse.

2. Quid ante episcopatum gesserit Bruno, memoria prorsus intercidit, nisi quod eum præpositum VII summi templi Goslariensis fuisse, ex monachi Hamerslebiensis narratione de basilica Goslariensi ejusque præpositis (9) discamus.

3. Cum Conradus II imperator a. 1034 Quadragesimæ tempore Wirzeburgi comitia celebraret (10) patruelem suum Brunonem, consentiente unanimiter clero (11) in Meginhardi defuncti locum, ecclesiæ Herbipolensi præponi curavit et in ejus gratiam iisdem in comitiis sedis privilegia amplissime confirmavit (12). Bruno vero in die Paschæ (13) quæ tunc 14 Aprilis fuit S. Burchardi locum, episcopus XIX, occupavit; porro feria quinta post Pascha Meinungæ homagium suscepisse (14) et a Gebhardo IV comite de Henneberg, mareschalli munere pro more fungente introductum fuisse (15), memoriæ traditum est.

Non desunt, qui anno 1033 (16) episcopum factum dicant, diversumque diem incœpti episcopatus tradant (17).

Verum probatissimi quique auctores (18) in annum 1034 consentiunt. Cumque certum sit, Brunonem 27 Maii 1045 diem supremum obiisse, porro eum annos 11, mensem 1, dies 14 in cathedra Herbipolensi sedisse, dubitari nequit, eum a. 1034 episcopatu potitum fuisse, cum tantidem temporis a 14 Aprilis 1034 ad 27 Maii 1045 usque defluxerit.

3*. Bruno, in episcopum promotus, vere se *a Deo datum*, ut eum Annales Hildesienses (19) vocant, ostendit: « Vir erat, ut ait Trithemius (20), per omnia Deo et hominibus acceptus, justus, doctus et christianæ legis cultor et propagator integerrimus. » Episcopus factus, pergit idem abbas Spanheimensis « in omni sanctitate et justitia omni tempore diligentissime studuit et omne bonum quod verbo docuit, prius opere demonstravit. »

Eluxit vero præsertim inter sanctissimi viri virtutes eximius quidam cultus divini zelus. Hinc elaboratum magno labore opus, cui præludimus, in Psalmos, quod S. Kiliano offerens ecclesiæ suæ cathedrali donavit; huic vel consecrata maxima solemnitate vel extructa atque ornata summa liberalitate templa.

Anno Christi 1034, 7 sept. Bruno sacellum S. Benedicti monasterii in Schwarzach a Wolfgero abbate extructum consecravit (21).

Anno 1036, 8 kal. Jun. dedicationi ecclesiæ Bustorfianæ apud Paderbornam Bruno a Meinwerko episcopo adscitus una cum S. Bardone Moguntino et Herimanno Coloniensi archiepiscopis interfuit,

(5) Ap. Pertz V, p. 105.

(6) Ita aliqui ap. Fries.

(7) Ita Bruschius, Elias Reusnerus in auctario operis genealogici Βασιλικῶν, p. 45, et ex iis Henschenius in Actis SS. ad diem 17 Maii, et Pagius, Crit. Baronii ad a. 1045 n. 2, aliique, Trithemius Saxonem facit.

(8) Cf. Hübner op. cit., t. II, tab. 334.

(9) Ap. Leibnitz, Scriptt. rerum Brunsvicensium t. II, p. 507.

(10) Monum. anonym. ap. Ludewig Scriptt. rerum Wirceburgen. in notis ad Frisii Chron,

(11) Bruschius.

(12) Monum. vetus ap. Baum in prædicatione habita in jubilæo Brunoniano anni 1745.

(13) Herm. Contractus ad a. 1034.

(14) Mon. vet. ap. Ludewig l. c.

(15) Spangenberg, Chron. Hennebergen., f. 74 cf. f. 81.

(16) Bruschius, duo chonographi ap. Gropp. Coll. novissima Scriptt. rerum Wirceb. I, 819, 823 duo monum. vett. ap. Ludewig l. c.

(17) Fries 11 Martii episcopatu potitum, monum. ap. Lud. 26 Aprilis 1033 fer. 5 post Pascha Meinungæ fuisse contendunt.

(18) Herm. Contr. Ann. Hildesien. ap. Pertz V, 99. Ann. Augustani, ibid. V, 125. Bernoldi Chron ibid. VII, 425, Chron. Wirceb. Baluzianum ibid. II, 244 mortem prædecessoris, de qua eadem habetur dissensio in diem 21 Martii 1034 reponit. Denique duo monumenta habentur omni exceptione superiora et sunt actus consecrationis ecclesiæ S. Burchardi Herbipoli factæ a. 1042, in quo eadem consecratio dicebatur anno VIII consecrationis Brunonis perracta (ap. Gropp. Chron. Wirzeb., t. II, 206) et actus consecrationis cryptæ ecclesiæ cathedralis, quæ celebrata est die 21 ab obitu Brunonis et dicitur facta anno XI consecrationis ejusdem.

(19) Pertz, V, 169.

(20) Annalium, t. I, p. 169.

(21) Monum. anonym. ap. Ludewig Scriptt. Wirceb., p. 467. Bruschius, Centuria monasteriorum, f. 145. Chronicon Schwarzacense ap. Ludewig Scriptt. rerum Germ., t. II, p. 16, quod ejusmodi factum in VI Id. Sept. 1038 reponit. In ecclesia Schwarzacensi, modo a Vandalis destructa, habebatur olim lapis, in quo episcopus astans S. Petro sedenti ecclesiam offerebat, in sculptis infra verbis hujusmodi: « Bruno episcopus † S. Petrus apostolus. » Hæc ex exceptis habeo Fabricii cujusdam, qui sæculo elapso plurima ad historiam nostram pertinentia magna diligentia congessit, quæ in bibliotheca Universitatis asservantur.

quorum adhibito consilio se ecclesiam cum canonicorum collegio extruxisse in diplomate donationis testatus S. Meinwerkus, Paderbornensis episcopus (22).

Eodem anno 1036 die 15 Aug. curiam quamdam in Paderbornensi episcopatu sitam Sunrgk nomine quam ex paterna hæreditate, facta cum fratre partitione (23), possidebat, quæ, teste Frisio, 200 marcas argenti (24) ferebat Deo et S. Kiliano obtulit, hoc est ecclesiæ suæ cathedrali quæ tunc S. Kiliani vocabatur, donavit; duplexque præterea tributum ex eadem villa singulis annis ecclesiæ ejusque clero solvendum procuravit. Cujus donationis diploma authenticum prolegomenis nostris integrum subdidimus. Quæ ut magis firmarentur, Bruno nedum in festo S. Johannis Baptistæ post sermonem ad populum habitum, id se facturum publice edixit, ut si quid a quoquam objici posset, libere proferendi tempus haberet; sed Moguntiam etiam proficiscens subsistentes ibidem Conradum II imperatorem et episcopos S. Bardonem Maguntinum et Rothonem Paderbornensem, ut Herbipoli festum Virginis Assumptæ secum celebrarent et donationi ut testes assisterent, invitaverat (25). Imo et tabulæ æreæ insculptam in ecclesia Sunvyk affigi curavit. Ea tamen prædia postmodum ad episcopos Paderbornenses cesserunt, jamque sæculo XVI ineunte apud Herbipolenses, amplius non erant (26).

Die Pentecostes anni 1042 ecclesiam S. Burchardi Herbipolitanam a Willemutho, ejusdem monasterii abbate, 1033 incœptam et modo feliciter ad fastigium perductam in honorem S. Trinitatis, S. Crucis, Mariæ Deiparæ, S. Andreæ apostoli, S. Burchardi et S. Remigii dedicavit, assistentibus Suidgero, Bambergensi episcopo, qui postea Clemens II summus pontifex fuit, Heriberto Eichstettensi, Severo Pragensi, Cadalo Citizensi, et Ehrenfrido Bullanensi (27).

Eodem anno 1042, die S. Burchardo sacra, quæ est 14 Oct. a Gozonanno, Eichstettensi episcopo, invitatus, astitit dedicationi ecclesiæ S. Walburgis. Cumque episcopus iste tertio post die præmatura morte, abreptus fuisset, Brunoni sepeliendi officium obtigit (28).

Plurimas denique ecclesias et scholas in propria diocesi vel extruxit vel redditibus dotavit (29).

Maximam vero sanctissimi præsulis solertiam ipsa cathedralis ecclesia sibi vindicavit, quam male structam et vetustate ruinosam a. 1042 (30) a fundamentis erigere instituit, totumque patrimonium in extruendam ornandamque impendit (31) anno denique 1043 presbyterium et subjacentem cryptam absolvit (32). Unde in parte apsidis exteriori adhuc videtur insculptum ejus monogramma, de quo plura postea dicemus. Non id tamen assecutus est piissimus præsul, ut ecclesiam, quam restitui curaverat, ipse Deo consecraret. Antequam iter in Hungariam, quod ultimum fiat, aggrederetur, jam cryptæ dedicationem paraverat; verumtamen morte præreptus alteri opus perficiendum reliquit, qui fuit S. Bardo, dictus Chrysostomus, archiepiscopus Moguntinus. Die igitur 15 Junii 1045, quæ vigesima prima post Brunonis obitum fuit, consecrata est (33).

(22) Schaten Annales Paderbornenses, t. I, 498. Vita S. Meinwerki ap. Leibnitz, Scriptt. rerum Brunsvicen. t. I. p. 563.

(23) Frisius Chron. Herbip.

(24) Mon. anonym. ap. Baum, l. c., p. 112 ait 1100 marcas protulisse.

(25) Frisius, Schaten, I, 507.

(26) Frisius, Schaten, I, 510. Testatur hic locum illum in fertili regione apud Borgentrich situm fuisse, verumtamen sua ætate nonnisi quædam ecclesiæ rudera extitisse. Ibid.

(27) Frisius, Reinhard Chron. Wirceb. ap. Ludewig, Hofmann Ann. Bambergenses ap. eundem t. I, p. 67 Scriptt. Bamb. Actus consecrationis olim in capitulo S. Burchardi asservatus allegatus a Gropp. Chron. Wirceb. t. II. 206.

(28) Bruschius Cat. episcoporum Eystetten. f. 183 verso, Gretser Cat. episc. Eystetten. t. X Opp. p. 845 ex anonymo Hasenriediano anni 1075.

(29) Bruschius, Kettlerinserm. in Jubilæo Brunoniano 1745 habito.

(30) Frisius.

(31) Trithemius in Ann. Frisius.

(32) Himmelstein, der St-Kilians-Dom zu Würzburg. 1850, p. 7.

(33) Cum a. 1699 amoveretur altare cryptæ inventa est capsula aurea, in quam Bruno reliquias reposuerat et sigillo clauserat, in cujus aperculo verba BRUNO EPS insculpta erant. Hæc simul cum actu consecrationis et tribus incensi granis in plumbeam thecam sigillo Bardonis clausam immissa erat. Quæ simul a. 1743, cum a Friderico Carolo de Schoenborn, tunc Brunonis successore, templum aulicum consecraretur, in summo altari recondita sunt. Hæc ex diario Joh. Bern. Mayer. episcopi Chrysopolitani et suffraganei Herbipolensis, quod in archivio capituli asservatur t. II, p. 13 et B. Neumann in descriptione dedicationis templi aulici 1745 p. 7-9 ubi singula ære sculpta habentur. Est autem actus consecrationis, quod in Brunoniana chronologia magni est momenti secundum apographum (facsimile) ap. Neumann hujus tenoris: « Anno incarnationis Domini millesimo XL° VI°, indictione « XV, regnante gloriosissimo rege Heinrico, « regni ejus VII°, ordinationis autem ejus anno « XVII°, XI° vero ordinationis anno Brunonis « Wirziburgensis ecclesiæ venerabilis episcopi, « XX° primo die obitus sui, VI° Kalend. scilicet « Junii, dedicata est hæc crypta in honorem sanctæ « Trinitatis ac S. Crucis et S. Mariæ semper Virginis et S. Stephani protomartyris et in honorem « omnium sanctorum martyrum et eorum, quorum « reliquiæ hic continentur. Hoc est de capillis sancti « Sthephani protomartyris et de lapide, quo lapidatus est, de velo Glodesindis V, ab angelo ei juxta « altare S. Stephani allato et imposito, quo involutæ « sunt reliquiæ de osse humeri S. Stephani. De sandalio et tunica S. Stephani, de sanguine S. Stephani. Reliquiæ S. Viti mart. Reliquiæ S. Lamberti M. Reliquiæ sanctorum Cœlestini et Taurini. « Reliquiæ sancti Marcelliani M. Reliquiæ S. Blasii. « Reliquiæ S. Georgii M. sanctorum Infantium. « Sanctorum martyrum Marcellini et Petri. Sanctorum « Dionysii et Pancratii. S. Sixti M. S. M. Stephani « pp. et Cyriaci. S. Mauricii M. S. Laurentii M. S. « Apollinaris M. Sanctorum martyrum Proti et Cryssogoni. S. Alexandri. De craticula S. Laurentii. » Notandum tamen vel in ipso originali vel in apographo mendum haberi, cum legendum sit a. 1045 indictione XIII, ut egregie ostendit tunc temporis P. Gropp. celeberrimus Historiographus noster, nisi velis ipsum actum sibi contradicere.

4. Nec minor fuit S. Brunonis in pauperes cura, siquidem ex ejusdem curiæ Sunryk dictæ redditibus, quibus cathedralem ecclesiam ditaverat, singulis annis per totam Quadragesimam duodecim pauperes nutriri, feria vero sexta in Parasceve vestiri etiam jusserit (34).

5. Tantæ Brunonis virtutes magis quam sanguinis vincula cum imperatoribus Conrado II et Henrico III acceptissimum reddidere. Neque tamen is erat Bruno, qui politicorum more aulam regiam sequeretur et regum gratia sibi consuleret, sed ea qua pollebat auctoritate, ut ecclesiis prodesset, atque præclara quæque promoveret, usus est, quod sequentibus exemplis probabimus.

Cum a. 1040 Augustæ comitia celebrarentur, Brunonis nostri aliorumque episcoporum interventu Henricus rex ecclesiam in Rinichnach monasterio Altahensi 16 Kal. Febr. attribuit (35).

Paulo post 9 Kal. Febr. ejusdem anni Brunonis et Thietrici Metensis interventu Henricus comitatum Hasbaniæ ecclesiæ Leodiensi concessit (36).

Anno sequente 1041 alterum præstantissimum beneficium eidem ecclesiæ Leodiensi præstitit. Cum enim in episcopum ibidem electus fuisset Wazo, vir pius ac doctus, et ad regem, qui Ratisbonæ, Bohemos aggressurus, morabatur, consensus regii impetrandi causa missus fuisset, multi aulicorum electionem sine regio favore factam cassam esse et ex capellanis regiis aliquem, qui non tantum præesse, sed et prodesse sciret, promovendum, causabantur. Jamque regis juvenis animus in id propendebat, ut ad Leodienses alterum destinaret, nisi ex universo cœtu Bruno solus cum Herimanno Coloniensi restitissent, annumque regis et procerum ad saniora traxissent (37).

Anno 1042 3 Jan. Henricus rex in Heeresheim Brunoni ejusque ecclesiæ varia prædia in pago Cochengaw ad Cocheram sito, in Sindringen nempe, Suemeilendorf, Gerolzhagen et Buch concessit (38). Hujus etiam donationis actum in appendice addidimus.

Eodem anno Brunonis instinctu Gozmannus ex comitibus de Rothenburg, clericus Wirzeburgensis, A in cathedram Eichstettensem, defuncto fratre Heriberto vacantem, promotus est (39).

Henricus rex, a. 1043 ex Pannonia redux, Ulmæ colloquium generale habuit. Post Constantiam tempore synodi cum quam plurimis episcopis venit; die autem *indulgentiæ*; quæ est feria 5 in Cœna Domini, cum episcopo Constantiensi gradus confrendens, suos subditos ad pacem hortatus est edictoque pacem firmavit, omnibusque, qui se læsissent, ex christianæ legis instituto publice condonavit (40). Interciderunt quidem monumenta, quibus in specie probare possemus, Brunonem nostrum inter auctores tam egregii edicti fuisse. Verumtamen præsumendum est, eum utpote imperii principem conciliis interfuisse; et ex similiter actis vero admodum B simile est, eum præ omnibus illis annumerandum, qui regi rem adeo inauditam atque germanorum illius ævi moribus adeo repugnantem suaserunt.

Tribuitur etiam a plurimis Brunoni nostro insigne ejusdem generis factum, quod in obsidione Mediolanensi a. 1037 (41) accidit. Narrant Conradum imperatorem perduelles quosdam Longobardiæ episcopos, inter quos et Mediolanensem, in vincula conjecisse. Hic vero cum custodia evasisset, rex cum insecutus Mediolanum per integrum annum obsedit, aliumque in ejus cathedram suffecit. Cum igitur Conradus castrum quoddam S. Ambrosii prope Mediolanum Curbitum dictum obsideret, die Pentecostes, cum cœlum antea serenum fuisset, horrenda tempestas exorta est tantaque fulgura, ut C multi homines et equi in castris perimerentur, quidam etiam præ horrore mente caperentur. Eos vero qui extra castra fuerant, reduces nihil se de tempestate sensisse dicebant. Imperatorem vero eodem tempore missæ astitisse, episcopum autem Brunonem, Bertulfum imperatoris secretarium aliosque testatos esse, se S. Ambrosium vidisse, gravia regi minitantem, nisi obsidione cederet.

Wippo presbyter imperatoris familiaris, qui vitam Conradi scripsit, tempestatem memorat, de visione tacet (42).

Multi indefinite Brunonem episcopum nominant (43), quin ejus sedem indicent, cum ta-

(34) Vide diploma donationis. Ita porro ms. antiquum allegatum a Baum in sermone supra cit.

(35) Hansitz Germ. sacra t. II, p. 169. Diploma extat in rebus Altahen. addition. Gewoldi.

(36) Litteræ extant ap. Chapeauville I, 279, et ap. Aubert. Miræum in opp. diplomat. et hist. t. I, p. 264 ed. 2. Bruxell. 1723.

(37) Anselmi gesta pontificum Leodiensium ap. Pertz IX, 220.

(38) Frisius et alii, Lang. Regesta Boica I, 83.

(39) Ita anonymus Hasenriedianus ap. Gretserum Cat. epp. Eyftatten. t, X, opp. 847, qui etiam ait Heribertum ad Brunonis petitionem promotum fuisse. Cum id vero a. 1021 factum fuisse oporteret, quo Brunoni nullum adhuc cum Wirzeburgensibus erat vinculum, de hac re aliis judicium committimur.

(40) Cf. Hartzheim concilia Germ. III, 110, et auctor s ab eo allegatos. Id vero facti ad a. 1043 cum Hermanno Contracto, non vero ad a. 1044 ut ann. Hildes. et Harzheim egerunt, egregie ostendit P. Neugart in episcopatu Constantiensi I, 333.

D (41) De anno, quo id actum foerit, certant auctores. Bruschius, Spangenberg (Chron. Henneberg. l. II, c. 1). Chron. ap. Gropp (Novis. coll. I, 823), et alterum (in excerptis Fabricii fol. 130 verso), annum 1034 indigitant. Herm. vero Contractus, Conradus abbas Urspergensis, ann. Hildesien. ap. Pertz V, 99. Angustan. V, 125, Mellicenses XI, 498 ad a. 1037 referunt Conradi iter in Italiam, in quo revera factum id fuisse admittendum est, cum apud Muratorium (Antt. Ital. t. I, p. 609) habeatur diploma Conradi datum in obsidione Mediolanensi in pervigilio Pentecostes 1037. Omnino explodendus est Sigebertus Gemblacensis qui a. 1039 admittit.

(42) Apud Pistorium script. rerum Germ. t. III, p. 481, item, Hepidannus ap. Goldast. Rerum Alamann. t. I. Tempestatem etiam reticent Herm. Contr. et Conradus abbas Urspergensis.

(43) Sigebert. Gemblacen. ap. Pistorium I, 833, Pertz VIII, 358, Recob. Ius Ferrarien. ap. Murator.

nen plurimi ea ætate Brunones episcopi fuerint.

Brunonem vero nostrum uno ore omnes Herbipolenses (44) fuisse ac tunc missam præsente imperatore cantasse dicunt, adeoque in ipsas proprii Herbipolensis lectiones hæc historia admissa atque in ecclesiis nostris est depicta. Est vero scriptor annalium Hildesiensium, cujus verba annalistæ Saxoni (45) etiam inserta sunt, qui suspicionem aliquam movet, ne Bruno noster cum Brunone Mindensi (1037-1045) confusus non fuerit. Nimirum tradunt isti, Brunonem Mindensem ipsa illa Pentecostes die, quæ tempestate infesta fuit, in campo prope Mediolanum, astante rege et proceribus, episcopalem unctionem ab Herimanno, Coloniensi archiepiscopo, suscepisse; de apparente tamen atque a Brunone viso Ambrosio silent. Præpropere sane P. Æmilianus Ussermann (46) dixit alios visionem illam Brunoni Mindensi tribuere, cum nequaquam illi de viso a Mindensi Ambrosio loquantur; præpropere editores Pertziani, in indice vel in notis, ubi Bruno episcopus indefinite in textu scriptorum vocabatur, Mindensem indigitarunt. Non negamus tamen aliquid dubii exinde oriri. Verumtamen cum vero simillimum sit, Brunonem nostrum Conradum in Italiam secutum fuisse, cum eum ad id vasalli officium adegerit, atque eum crebris vicibus regis aulam secutum fuisse videamus, cum porro inter illius præsulis consecrationem divina illa pati potuerit, nihilque decretorium obstet; censemus, ea quæ in ecclesia nostra hucusque tradita atque admissa fuere, sua possessione non esse turbanda. Nonnullæ tamen circumstantiæ incertæ remanebunt (47).

6. Cum denique Bruno Henricum III in Hungariam, ut Petrum regem restitueret, proficiscentem sequeretur, accidit infaustissimus ille casus, qui sanctissimum præsulem suo gregi eripuit. Cum enim rex circa festum Pentecostes in castrum ad Danubium ex adverso oppidi Ips situm, Besenburg, (Bœsenberg S. Pœrsenburg) dictum, divertisset, solarium quoddam vetustum ascendit cum Brunone Herbipolensi, Alamanno, abbate monasterii in Suessenstein, non longe a castro siti, et Reichhilde, vidua Alberti, comitis de Ebersberg, quæ defuncto in præcedente Quadragesima marito, tunc castelli domina erat. Dum vero comitissa regem rogaret, ut nepoti suo ex fratre, Welfoni nempe III, feuda a marito possessa concederet, solarium præ nimia vetustate corruit. Rex in balneum subjacens lapsus, incolumis evasit, Reichhildis et abbas Alamannus sine induciis extincti sunt, Bruno gravissime læsus usque ad septimum vel octavum diem, qui feria II post Pascha fuit, vitam protraxit. Ita Aventinus et Frisius (48).

Errant tamen isti auctores et eos secuti Johannes Mueller Herbipolensis, Adlsreiter Brunnerusque Boici chronographi cum fabulam quandam de spectro, quod paulo ante casum Brunoni infausta prædixerit, admittunt. Narrant enim, cum navis, quæ episcopus vehebatur ad vorticem illum, qui Danubium in illa regione infestum reddit, pervenisset, stetisse in monte spectrum quoddam atri coloris, quod Brunonem ita allocutum sit: « Ego, episcope, sum malus genius tuus; meus eris, quocumque ieris; modo quidem tibi parcam, sed mox me iterum videbis. » In ipso loco usque ad a. 1530 stetisse turrem, quam *diaboli* dictitabant. Hac de fabella Baronius in notis ad martyrologium Romanum Aventinum, quod sanctitati Brunonis a Romanis pontificibus commendatæ obsit, acriter carpsit. Quæ sane a plebecula inventa est, quæ, cum sibi in mentem inducere non posset, sanctissimum virum tam infelici casu extinctum fuisse, id sibi aliter extricare non valuit, nisi odio diaboli actum esse. Dies Brunoni emortualis fuit 27 Maii 1045 et de anno quidem nulla dubitatio. Diem vero diversimode indicant auctores, ita tamen ut monumentorum pondus et numerus diem 27 Maii certissimam plane reddant (49).

Hermannus quidem Contractus et ex eo Bernoldus (50) eum 7 Kal. Junii ad superos evolasse di-

Script. rerum Ital. t. IX, p. 120, gesta pontificum Cameracen. Pertz IX, 487. Albericus monachus trium fontium ap. Leibnitz t. II accessionum historicarum p. 70,

(44) Chron. III ap. Grop. Noviss. Coll. t. I, 843, monum. vetus ignoti auctoris ap. Ludewig p. 468, Bruschnis, Frisius, Reinhard, Joh. Müller, Spangenberg vero (Chron. Henneberg. l. II, c. 1) nescio an monumento fultus, an ex chronicis Herbipolen. concludens affirmat Popponem VIII, comitem de Henneberg a. 1034, utpote vasallum a Brunone evocatum, ut se in Italiam sequeretur; de facto tamen tacet.

(45) Ann. Hildes. Pertz V, 10, ann. Saxo VIII, 680.

(46) Episcopatus Wirceburgen. in S. Brunone n. XIII.

(47) Falsissimum sine dubio est, regem tunc inter missarum solemnia coronatum fuisse. Ussermannus Sigeberti verba referens legendum putat; cum imperator in parva ecclesia secus urbem *moraretur* non: *coronaretur*. Quod si Bruno noster inter missam, consecrationis nempe, Ambrosium vidit, facile inde exorta est opinio, ipsum missam cantasse.

(48) Aventinus l. v Ann. Boicorum n. 30. Frisius in Chron. ex narratione sibi a monacho monasterii illius transmissa, dum 1530 in comitiis Augustanis esset. Breviter Ann. Aug. ap. Pertz, V, 126. Quæ Bruschius et post eum alii narrant omnes regis aulicos adfuisse regemque fenestram apprehendisse, hæc postea a fama rem augente et ornante addita sunt.

(49) Ita triplex Chron. ap. Gropp. (Noviss. Coll. I. 817, 819, 823; Bruschius, abbas Uspergensis, Trithemius, editor psalterii Reyserianus uterque sæculi XV; Necrologium Onaldinum apud Ekkard Comm. de rebus Franciæ Or. I, 490; Ekkehardi Chron. Wirceb. ap. Ekkard I, 818; Pertz VIII, 30 Chron. Wirceb. ap. Baluz. Miscellan. I, 501; Pertz II, 244, Kalendarium in libro Cærimoniali cathedralis ecclesiæ, quod postea in bibliothecam Schlimbachianam transierat, sæculi XV. Mortuarium Raderbornen. in cathedrali Trevicen. asservatum sæc. XII; Annalista Saxo, Pertz VIII, 687. Accedunt publica documenta omni exceptione superiora; epitaphia nempe ipsa Brunonis, charta consecrationis cryptæ ecclesiæ cathedralis, charta denique translationis a. 1257, de qua infra dicemus.

(50) Ap. Pertz VII, 425.

cunt. Quod quidem transmittendum erat, nisi Andreas episcopus Wirgeburgensis in statutis synodalibus a. 1314 (51) legem tulisset, quæ postea a Wolframo 1329 et a Gottfrido IV a. 1446 in sua statuta ad verbum suscepta est: diem nempe Brunonis anniversariam « Sabbato post diem S. Urbani, quo feliciter diem extremum clauserit » celebrandam esse. Aiunt porro qui huic diei favent, diem illum fuisse illo anno 26 Maii. Verum id oppido falsissimum est undequaque. Nam Pentecosten illo anno 7 Kal. Annales Corbeienses (52) tradunt fuisse, proindeque dies S. Urbani, quæ 8 Kal. est, fuit ipsum Sabbatum in vigilia. Porro Brunonem feria 2 post Pentecosten defunctum testatur Frisius. Hinc non dubito vel errasse Andream vel textum corruptum, et legendum esse, *altero* vel *secundo* post S. Urbani die, quo Frisius in cathedrali celebratum fuisse anniversarium, consonante libro ceremoniarum ecclesiæ cathedralis antiquissimo, testatur.

Errore denique, qui longa serie auctorum propagatus est, factum est, ut in martyrologiis Galesiniis eumque secuti Baronius et Canisius (53) festum S. Brunonis in diem 17 Maii reposuerint; imo ut ecclesia Herbipolensis, Romanæ fidelissima filia, Martyrologium Romanum secuta, eumdem diem susceperit, cum alius ex propriis monumentis admittendus sit.

Sederat igitur in S. Burchardi cathedra Bruno per annos 11, menses 1, dies 14. Nonnulli annos 12, vel menses 2 inducunt (54). Illud vero fidissima monumenta (55) testatum reliquerunt.

7. Brunonis sacrum corpus ab officialibus Herbipolim translatum est, aiuntque (56) ipsos modum luctuosissimi exitus aliquanto tempore reticuisse, ne plebs nimio dolore turbaretur. Sepultus est in crypta ecclesiæ cathedralis, quam ipse ædificaverat, jamque consecrare molitus fuerat. Epitaphium ipsius hujusmodi fuit: « Anno Domini MXLV VI Kal. Junii obehit Bruno episcopus fundator (57).

Supersunt et alia Brunonis monumenta, quæ mentione non sunt indigna: et est præprimis ejus casula, quæ in ecclesia cathedrali asservatur, circumquaque clausa, coloris violacei et quondam opere phrygio deaurata, quæ uberius describenda foret, nisi manus Vandalicæ devastassent. Hac casula utebantur in anniversario, quod usque ad a. 1616 in Brunonis memoriam celebratum est.

Alterum quod eruditos multum exercuit, est ejus monogramma, quod in parte exteriore apsidis ecclesiæ cathedralis insculptum est et in nummis episcoporum Wirzeburgensium, qui et duces Franconiæ Orientalis erant et inde a Meginhardo, Brunonis prædecessore, cudendæ monetæ jus exercebant, usque ad sæculi XV finem occurrit et est hujus formæ:

Nos, quæ de ejus sensu a diversis dicta sunt, hic non repetemus, sed de hac re ad eum (58) remittimus, qui nodum egregie solvit, et hujus signi vim eo exposuit, ut verba sint, *Bruno episcopus*.

Ejus domum, nescio quo fundamento, aiunt fuisse in loco qui dicitur Braunshof, non longe ab ecclesia cathedrali. Bruno staturæ prægrandis erat, ut ex ejus reliquiis concludere licet, capite pro statura non admodum magno, capillis cum obiit jam canis (59). Ejus memoriam et in hoc honore prosecuti sunt rex et Herbipolenses, quod ejus nepotem, Adalberonem, in ejus locum suffecerunt (60).

II. *De Brunonis sanctitate et cultu.*

8. Bruno defunctus magnam post se sanctitatis existimationem reliquit. Inter episcopos illius ævi sanctitate et scientia præstantes jam a scriptore vitæ S. Meinwerki apud Leibnitzium (61) recensetur et ex testimoniis miraculorum, quæ infra damus, sequitur eum sæculo XII exeunte et XIII ineunte a populo christiano sanctum dictitatum et ut sanctum invocatum fuisse. Dein creberrime beatus (62) dicitur et sanctus (63), et a Deo datus (64) et venerabilis (65). Eum editor psalterii Reyserianus sæculo XV exeunte vocat « præclarum episcopum religione et vita sanctum, » aitque « virtutum operibus effulsisse et commissum sibi a Domino gregem et opere et exemplo semper pavisse. » Cœvi Trithemii de eo judicium, quod et libro de Scriptoribus repetit, supra dedimus. Chronographi Herbipolenses omnes consonant, præter unum Joannem Mueller, qui ore infrunito ausus est dicere, eum inter sanctos numeratum non obstantibus diaboli in spectri forma apparentis verbis. Quod nos cum fabella illa respuimus indignabundi, ex qua etiam si vera esset nequi-

(51) Concilia Germaniæ t. IV, 248.
(52) Ap. Pertz, V, 6.
(53) Martyrolog. Germ., in ed. 3 non absoluta.
(54) Aliqui apud Frisium.
(55) Chron. duplex ap. Gropp (Noviss. Coll. I, 817, 819) Chron. Wirceb. Baluzii, Ekkehardi Chron. Wirceb. Chron. in excerptis Fabricii f. 117; Charta translationis a. 1357. Annalista Saxo ad a. 1045, charta consecrationis cryptæ, ait hanc celebratam fuisse 21, die post Brunonis obitum, anno consecrationis ejus 11.
(56) Baum serm. supra cit, p. 114 ex ms. antiquo.
(57) Exstat adhuc sarcophagum istud Brunonis primum, cum epitaphio memorato, et est mensa altaris, quod decani vocant. Cf. Himmelstein loc. cit. p. 33, et actum elevationis et translationis a. 1699 ap Gropp (Noviss. Coll. II, 113).

(58) Est hic vir rei nummismaticæ nostræ peritissimus G. Keller, in Archivio soc. hist. Wirceburgen. t. VI, fasc. 1, p. 68.
(59) Cf. actum elevationis et translationis anni 1699.
(60) Cf. additiones Herbipolenses in codice quodam annalistæ Saxonis ap. Pertz VIII, 551.
(61) Rerum Brunsvicen., t. I, p. 556.
(62) Actus translationis a. 1257 et 1423. Epitaphium secundum a. 1257 Martyrologium præfixum Passionali Carthusiæ Herbipolen., a. 1485.
(63) Laurentius de Bibra in litteris ad Bannaenses, de quibus infra.
(64) Ann. Hildesien. ap. Pertz V, qq.
(65) Actus consecrationis cryptæ statim ab obitu Brunonis confectus, et in statutis Wolframi episc. 1329.

dem illud sequeretur. Neque ipse Aventinus, qui hæc primus narravit exinde aliquid sanctitati Brunonis contrarium conclusit.

Verum testimonium de sui servi sanctitate majus testimonio hominum exhibuit ipse Deus, per miracula, quibus vivus (66) et post beatum finem coruscavit.

9. Confluentibus vero ad ejus sepulchrum hominibus, cum crebra ibidem perpetrarentur miracula jam a. 1202 sub Conrado de Ravensburg publica auctoritate conscripta sunt, cujus actus instrumentum prolegomenis adjecimus. Hermannus vero I de Lobdenburg (1225-1254) solemnem legationem a. 1237 Romam destinavit, ut a Summo Pontifice ejus canonizationem impetraret (67). Gregorius IX, qui tunc Petri tenebat cathedram, a. 1238, Breve ad abbates de Brombach et Schoenthal, ordinis Cisterciensium et ad priorem fratrum Prædicatorum Herbipolensium direxit, quo illis miraculorum examen committebatur. Quod et ab ipsis præstitum fuisse, patet ex litteris ad eosdem ab Innocentio IV, qui interim sedem Romanam occuparat a. 1246 directis, in quibus ex relatione commissariorum de miraculis plene constare ait. Huic relationi præter actum a. 1002 forsan inservierat illud, quod secundo loco in appendice damus. Concordat sane tempus quo primum miraculum dicitur peractum, annus nempe 1237. Verumtamen Pontifex requisivit, ut de virtutibus, cum testes oculati afferri non possent, ex fama et scriptis documentis testimonia adhuc afferrentur.

Interim Herbipolensis episcopus Hermannus sacri corporis elevationem et solemnem canonizationem parans, pecunias colligit a peregrinantibus et aliis, presbyterium et cryptam ecclesiæ cathedralis, in qua Bruno jacebat, instaurare et ornare instituit. Ab episcopis et capitulis ecclesiarum Germaniæ complurium indulgentiæ etiam illis concessæ sunt, qui ad canonizationem Brunonis et ad ecclesiæ cathedralis instaurationem eleemosynis contribuerent (68), verumtamen tota pecunia in reficiendas ædes insumpta, totum negotium stetit.

10. Hinc factum est, ut Bruno ad hodiernam usque diem formaliter, ut dicere solent, canonizatus non fuerit atque sufficienti fundamento caret, quod Trithemius in libro de Scriptoribus ait, eum in sanctorum Album relatum fuisse vel quæ conjiciunt Henschenius in Actis sanctorum Bollandianis (69) et Groppa (70), intercidisse tantummodo diploma pontificium, Brunonem vero circa annum 1257 sanctis solemniter annumeratum. Nam certissimum est, nullum cultum, neque in hac nostra ecclesia illi exhibitum fuisse, antequam ejus nomen in Martyrologium Romanum reciperetur, sed contra celebratum fuisse ad a. 1616 usque in tota diœcesi ejus anniversarium, additis tantummodo in cathedrali propriis quibusdam cerimoniis, quæ in vulgaribus exequiis consuetæ non sunt (71). Nihil plane de Brunone occurrit in Missalibus et Breviariis Herbipolensibus sæculis XV, XVI, XVII impressis. Imo expressis verbis id testatus est Laurentius de Bibra, episcopus Wirzeburgensis (1490-1519), in litteris datis ad incolas oppidi Baunach, cum ab ipso peterent, ut sibi liceret, Victorem quemdam ibi quiescentem et miraculis, uti dicebant, coruscantem ut sanctum colere. Quod ipsis minime concessit cautissimus præsul et ad id se maxime exemplo ecclesiæ suæ cathedralis induci ait, « quæ Brunonem episco-« pum, licet is multis sit miraculis clarus, quia « tamen canonizari hactenus cum non contigit, « chorus noster cum ut sanctum non colit, sed « dignis tamen defunctorum officiis eum non præ-« terit (72). »

Non prætermisere tamen Herbipolensis clerus et populus summæ in sanctissimum pastorem venerationis signa edere, donec tandem concedente universali Ecclesia more ecclesiastico pro sancto colere licuit.

Anno 1257 die 13 Sept., sedente Iringo episcopo, vetus sarcophagum lapideum Brunonis in novum majus atque ornatius inclusum est, quod supra vetustum eminens apertum huic inde erat, ut in altaribus, sub quibus sancti jacebant in usu tunc erat, qua sepulchri forma usi homines postmodum sunt, ut per sepulchrum repentes virtutem a sancto exeuntem sibi applicarent epitaphium insculptum est hujusmodi : « Anno Domini MXLV, VI Ka-« lend. Junii obiit beatus Bruno, fundator hujus

(66) Tritem. in Catalogo vivorum illustrium Germaniæ.

(67) Frisius et litteræ Pontificiæ.

(68) Cf. Lang. Regesta Boica t. II Litt. patentes Hermanni Wirzebusgen. ep. 1 Sept. 1237 p. 265. Præpositi et decani Herbipolen litt. pat. 1237 p. 271 Mandatum præpos. et decan. Bambergen. 8 Mai 1237 p. 263. Indulgentia Engelhardi episc. Naumburgen. Mai 1237 p. 265, Sifridi Moguntini 28 April. 1237, p. 263, episc. Hildesien. 13 Jul. 1237 p. 265, episc. Wormatien. 25 Mai 1237 p. 273, Hermanni Wirceburgen. episc. 1 Jan. 1240 p. 279. Baum in serm. supra cit. p. 119 testatur in archivio regiminis ecclesiastici suo tempore exstitisse litteras indulgentiarum ab episcopis Moguntin. Bambergen. Wormatien. Spiren. Naumburgen. Merseburgen. Hildesien. Halberstadien. ad promovendam S. Brunonis canonizationem datas.

(69) Ad 17 Maii p. 39.

(70) Noviss. Coll. t. II, p. 109.

(71) Describuntur autem a Gropp (Nov. Coll. II, 110) et Kalendario et Cæremoniali ecclesiæ cathedralis Schlimbachiano in hunc modum. Pridie post vesperas processio in cryptam instituebatur. Præcedentibus duobus pueris cappis rubris indutis cum vexillis ejusdem coloris et ædituo, procedebant canonici cum dominis de Hauge et Novi Monasterii ad id invitatis. Incensabatur sepulcrum Brunonis, positis super cereis. In ipsa die in crypta vigiliæ et missa defunctorum canebantur, ita tamen, ut celebrans colore violaceo, hoc est ipsa Brunonis casula uteretur et altare decentius ornaretur. Frisius testatur delatas etiam in cryptam reliquias S. Kiliani vespere ac mane, ibique per missæ officium expositas remansisse.

(72) Ap Gropp., Noviss. Coll. t. II p. 110.

« ecclesiæ, sedit annis II, mense uno et diebus qua- « tuordecim. » Eadem occasione sacra ossa panno serico purpureo involuta sunt atque in ipsam tumbam instrumentum hujus modi, sigillo capituli munitum posuerunt. « Anno Domini MXLV, VI Kal. Ju- « nii obiit beatus Bruno episc. Herbipolens. funda- « tor hujus ecclesiæ, qui sedit annis XI, mense uno « et diebus XIIII et translatus est de loco, quo « sepultus fuit ad istum locum, anno Dominicæ In- « carnationis MCCLVII Ids Septembr. Pont. Dni « papæ Alexandri anno III et pontificatus Dni Iringi, « episc. Herbipolensis anno quarto. » Sæculo XV, iterum apertum fuit sepulchrum, ut ex scheda papyracea, quæ 1699 est inventa, liquet, quæ sic sonabat : « A die depositionis in hunc locum reliquiarum « bti Brunonis homo sartofagum non fuit aper- « tum, usque ad annum MCCCC... (73) in crastinum « Assumptionis Virginis gloriosæ per Reichardum « decanum, Joannem Giltmar custodem et Hein. de « Wechmar, canonicos et prælatos hujus ecclesiæ « ob honorem reliquiarum prædictarum. »

Eo etiam præ cæteris defunctis episcopis honorabatur S. Bruno, quod ejus successores anniversarium ipsius ab universa diœcesi celebrari præceperint. Ita Andreas episcopus in synodo habita 17 Maii 1314 statuit : « Item anniversarium reverendi do- « mini Brunonis, quondam episcopi Herbipolensis, « per nostros subditos civitatis et diœcesis nostræ « sabbato post diem B. Urbani, quo feliciter diem ex- « tremum clausit, pergi præcipimus *juxta consuetu-* « *dinem* humiliter et devote (74). » Quod in statutis Wolframi a. 1329 et Gotfridi IV a. 1446 denuo inculcatum reperitur.

11. Denique card. Baronius, litteris Pontificum nisus, quas supra allegabamus, S. Brunonis nomen in Martyrologium Romanum auctoritate Clementis X recognitum et a. 1590 Antuerpiæ recusum intulit.

Quo factum est, ut inde ab a. 1616 de Brunonis cultu publico in diœcesim inducendo serio iterum cogitaretur. Illo anno anniversarium abrogatum est, quod in cathedrali quotannis in Brunonis memoriam celebrari consueverat. Remansit pridiana processio et tumbæ thurificatio, sed ritu exequiarum amoto; et pro missa defunctorum substituta est solemnis de SS. Trinitate, quæ usque ad a. 1699 retenta sunt. Sequenti a. 1617 Martyrologium Romanum Wirceburgi in usum Herbipolensium impressum est; a. 1616 miracula Brunonis ex documento a. 1202 typis publici juris facta sunt, quod et iterum 1657 præstitum est.

Verumtamen ea fuit antistitum Herbipolensium erga ecclesiasticas leges observantia, ut etiam postquam A in publicos ecclesiæ fastos relatus fuisset Bruno, quod sane canonizationi æquivalere videtur, religioni tamen sibi duxerint, eum honoribus sanctis competentibus prosequi. Licet a Joanne Philippo de Schoenborn ritus Romanus in diœcesi introductus fuerit et Proprium Herbipolense 1665 ad normam breviarii Romani typis mandari curaverit, Brunonis tamen festum inter sanctorum nostrorum officia non est recensitum. Primum quod nobis occurrit officii in Brunonis honorem instituti monumentum est Proprium Canonicorum regularium S. Augustini in Heidenfeld anni 1689, ubi officium Brunonis, ab hodierno tamen diversum, habetur.

Anno denique 1699 Johannes Philippus II de Greifenklau sacrum Brunonis corpus elevari jussit, B festumque cum officio in diœcesi universa celebrandum indixit. Sacra ossa, quæ teste Phil. Guil. Virtung de Hartung, medicinæ tunc in alma Julia professore suavem efflabant honorem, quem pro naturali habendum minime esse censuit, ab ipso apte disposita, juncta atque pontificalibus indumentis vestita sunt, et 29 Sept. novo altari in crypta a Georgio Henrico de Stadion, decano capituli extructo imposita.

Septingentis a morte L. Brunonis elapsis annis a. 1745, regnante Friderico Carolo de Schoenborn a die 17 Maii ad 23 usque solemnissime jubilæum celebratum est. Post vero a 1749 cum crypta iterum renovaretur atque dilataretur, sarcophagum lapideum, quod primum fuit S. Brunonis sepulchrum, C in ipsam ecclesiam translatum est, ut altaris, quod decani dicunt, mensam exhiberet, atque ipse sanctus in eodem ipso altari repositus; mox vero sacrum corpus in altare S. Martini delatum fuit, ubi ad hodiernam usque diem in pace sepultum est atque fidelium devotione frequentatus (75).

III. *De Brunonis scriptis.*

12. Quod in vita Brunonis describenda vidimus sæpissime, eum, cum plurimi ea ætate Brunones scientia vel virtutibus insignes, vixerint cum aliis cognominibus confusum fuisse, id præprimis cum de scriptis inquirendum est, nobis occurrit. Statuamur igitur pro firmo fundamento, nullum est aliud Brunonis scriptum, quod ad nostram ætatem devenerit, vel fidis antiquiorum testimoniis commendetur D præter commentarium in Psalmos, cantica, orationem Dominicam et Symbola, quod iteratis curis edere suscepimus. Illum etiam contra Simoniacos scripsisse contendit anonymus Mellicensis De scriptoribus ecclesiasticis (76). Nos vero certissime in eo erratum fuisse admittimus, cum nullum præterea vestigium extet, quo hoc opus Brunoni ad-

(73) Gropp (Nov. Coll. t. II, p. 114) legit MCCCCXXXXX, Joh. Bern. Mayer suffraganeus Herbipolen. in diario MCCCCXLIII. Legendum est 1423 : nam Richardus de Masbach fuit decanus 1422-1435 et 1450-1454, Henricus Weckmar vicarius generalis 1416 et 1423.

(74) Statuto 8. Conc. Germ. t. IV, p. 246.

(75) Quæ hucusque de S. Brunonis cultu exposita sunt, desumpsimus ex Henschenio in Actis SS. ad diem 17 Maii p. 38 sqq. Gropp, Noviss. Coll. t. II p. 108 sqq. ex diario Joh. Bern. Mayer, Suffraganei Herbipolen. quod in archivio capituli asservatur, t. II p. 15-16. Himmelstein, St Kiliaus-Dom p. 22 sqq. Grebner, Compend. Hist. universalis 1764, t. III p. 1217 et 1396 Balth. Neumann Descript. Jubilæi Brunoniani 1745.

(76) c. 81.

scribi queat, Jamque Trithemius, qui sæc. XV, in hac nostra civitate Herbipolensi abbas S. Jacobi Scotorum fuit, testetur : « Si quid aliud scripsit, ad me non pervenit. » Falsus est oppido Georgius Galopinus, cum sub nostri Brunonis nomine commentarium in Pentateuchum Duaci 1608 edidit. Nam Brunonis Astensis, abbatis Cassinensis, post vero episcopi Signiensis, qui eodem sæculo exeunte vixit, esse, nullus negabit, qui ea leget, quæ inibi (77) de controversia habentur, auctorem inter et archidiaconum Beneventanum de ecclesia Sipontina agitata. Qui vero ei commentarios in Pauli epistolas vel proverbia Salomonis adscribunt, ut Guil. Eisengrein (78), vel cum Brunone eodem Astensi, vel eum fundatore Carthusianorum confundunt. Huic etiam versus illi adversus malos et hæreticos sacerdotes tribuendi sunt, quos Ludewig in notis ad Frisii chronicon ex Selneccero et Ægidio Periandro tanquam nostri Brunonis factum attulit.

13. His igitur explosis, cujus generis genuinum ejus opus in Psalmos sit, qualis scopus ejus, quale pretium videamus.

Florebat tuus quidem Herbipoli in domo Salvatoris schola, magistro tunc præstantissimo Bernulfo, cui præcesserat Italus quidam ab episcopo Herbipolim evocatus et integra series virorum pro illius ævi conditione eruditissimorum, ita ut longe lateque scholæ Herbipolensis fama dilataretur multique ex ea ecclesiarum præsules prodirent. Nihilo secus est præsumendum cleri non exiguam partem pro temporum barbarie ejusmodi fuisse, cui providendum diversimode erat. Simile quid accidit in Veronensi diœcesi, ubi multi erant, quibus Ratherius episcopus, ecclesiæ suæ severissimus reformator in Itinerario (79) præcipiebat, « ut unusquisque, si fieri posset, expositionem symboli et orationis Dominicæ juxta traditionem orthodoxorum penes se scriptam haberet. » Uti vero temporis ratio ferebat, quæ, cum antiquiorum populorum ingenia senuissent, recentiorum vero infantiam adhuc ageret, nonnisi aliena congerere valebat, ita et Brunonis opus mera compilatio est, undequaque ex Patrum scriptis collecta, ita tamen ut negare non possimus, judicum atque crisin ex colligendi modo elucescere.

Præfationis Brunonianæ partes suo loco propriis auctoribus vindicabimus. Ipse vero commentarius in Psalmos ex sequentibus collectus est, quorum nomina præfixis initialibus litteris indicantur, nimirum : Augustinus (A) ; Pseudobeda (B), qui sæpius in argumentis occurrit, rarius in commentario ; Cassiodorus (C), quo maxime usus est ; Gregorius (G), qui nonnisi sexies occurrit ; Breviarium in Psalmos, Hieronymo (H) tributum. In Canticis Origenes (O) aliquoties, Rhabanus Maurus semel allegantur. Teste editore Reyseriano vix ter decies occurrit, ut non integra auctorum verba, sed eorum tantum sensus referatur.

Post singulos psalmos ex antiquissimo usu (80) addita est oratio quædam, quæ psalmi fructum quodammodo colligat, quod a concilio Agathensi a. 506, can. 30, præscriptum fuerat, ut post Antiphonas collectiones per ordinem ab episcopis vel presbyteris dicantur. Id in Hispaniis usu venisse ex liturgia Mozzarabica apparet verum idem et in Galliis præstitum fuisse dubitari nequit. Eæ quæ apud Brunonem habentur, prima vice occurrunt apud Alcunium in officiis per serias (81), tum apud Brunonem nostrum, deinde apud Ludolfum de Saxonia, sæculi XIV auctorem, in commentario in Psalmos et apud Georgium Cassandrum in collectione precum ecclesiasticarum. Eas sæculo VIII antiquiores esse, inde deducit B. card. Thomasius, quod Romani psalterii lectionem sequantur, cujus usus longo ante Walafridum Strabonem tempore in Galliis desierat. Eas ex codicibus Vaticanis restituit B. Card. Thomasius in suo Psalterio, nos vero, quibus incumbebat, Brunonem edere, ejus lectionem ubique retinuimus.

Simile quid hac in re præstitit S. Volbodonius, episcopus Leodiensis a. 1020 defunctus proindeque Brunoni coævus, quem Rainerus monachus, qui ejus vitam scripsit ait propria manu scripsisse librum psalmorum, in quo unicuique psalmo compositam ex eodem et a se dictatam subjecit orationem. Quæ tamen orationes, si eorum revera Volbodonius auctor fuit, a nostris diversas fuisse oportet.

Expositio orationis Dominicæ et symboli apostolorum per interrogationes et quæstiones dispositæ simillima est catechismo illi, qui in scrutiniis ante baptismum tunc adhuc habebantur, quorum exempla apud liturgicorum monumentorum collectores reperire est.

14. Maximi sane momenti nobis fuit indagare, qualis habendus sit textus psalmorum, quem Bruno suo commentario supposuit, utpote qui vetustissimum et in multis plane singulare nostræ Vulgatæ exemplar sit. Notandum præprimis ipsum Brunonem hunc suum textum in animadversionibus criticis, quæ hinc inde occurrunt (82), a Romano Hieronymi psalterio et ea quam ex Hebræo immediate transtulit, versione distinguere, imo semel et a Gallicana (83), eamque « nostram translationem, » quasi ab aliis omnibus diversam dictitare. Quod et editor Reyserianus, vir oculatissimus vidit ; nam in prologo suo animadvertit : « nostrum istud beatissimi antistitis Brunoni psalterium in verbis quandoque cum « Hebræa veritate aut Romana interpretatione concordans ab usitatis nostræ Gallicanæ translationis

(77) In Deut. c. 25, 11.
(78) In catalogo testium catholicæ veritatis.
(79) Ap. Dacherium in Spicilegio, t. I p. 376.
(80) Cf. B. Card. Thomasii Psalterium cum canticis, Romæ 1697 præf. p. XI.
(81) Patrologiæ t. CI col. 509. sqq.
(82) Ps. 44, 19 ; 67, 33 ; 86, 3 ; 87, tit. ; 88, 19 ; 104, 22 ; 104, 27 ; 106, 40 ; 134, 13.
(83) Ps. 146 1.

« ecclesiæ, sedit annis II, mense uno et diebus qua- « tuordecim. » Eadem occasione sacra ossa panno serico purpureo involuta sunt atque in ipsam tumbam instrumentum hujus modi, sigillo capituli munitum posuerunt. « Anno Domini MXLV, VI Kal. Junii obiit beatus Bruno episc. Herbipolens. fundator hujus ecclesiæ, qui sedit annis XI, mense uno et diebus XIIII et translatus est de loco, quo sepultus fuit ad istum locum, anno Dominicæ Incarnationis MCCLVII Ids Septembr. Pont. Dni papæ Alexandri anno III et pontificatus Dni Iringi, episc. Herbipolensis anno quarto. » Sæculo XV, iterum apertum fuit sepulchrum, ut ex scheda papyracea, quæ 1699 est inventa, liquet, quæ sic sonabat : « A die depositionis in hunc locum reliquiarum « hti Brunonis homo sartofagum non fuit aper- « tum, usque ad annum MCCCC... (73) in crastinum « Assumptionis Virginis gloriosæ per Reichardum « decanum, Joannem Giltmar custodem et Hein. de « Wechmar, canonicos et prælatos hujus ecclesiæ « ob honorem reliquiarum prædictarum. »

Eo etiam præ cæteris defunctis episcopis honorabatur S. Bruno, quod ejus successores anniversarium ipsius ab universa diœcesi celebrari præceperint. Ita Andreas episcopus in synodo habita 17 Maii 1314 statuit : « Item anniversarium reverendi do- « mini Brunonis, quondam episcopi Herbipolensis, « per nostros subditos civitatis et diœcesis nostræ « sabbato post diem B. Urbani, quo feliciter diem ex- « tremum clausit, pergi præcipimus *juxta consuetu-* « *dinem* humiliter et devote (74). » Quod in statutis Wolframi a. 1329 et Gotfridi IV a. 1446 denuo inculcatum reperitur.

11. Denique card. Baronius, litteris Pontificum nisus, quas supra allegabamus, S. Brunonis nomen in Martyrologium Romanum auctoritate Clementis X recognitum et a. 1590 Antuerpiæ recusum intulit.

Quo factum est, ut inde ab a. 1616 de Brunonis cultu publico in diœcesim inducendo serio iterum cogitaretur. Illo anno anniversarium abrogatum est, quod in cathedrali quotannis in Brunonis memoriam celebrari consueverat. Remansit pridiana processio et tumbæ thurificatio, sed ritu exequiarum amoto; et pro missa defunctorum substituta est solemnis de SS. Trinitate, quæ usque ad a. 1699 retenta sunt. Sequenti a. 1617 Martyrologium Romanum Wirceburgi in usum Herbipolensium impressum est; a. 1616 miracula Brunonis ex documento a. 1202 typis publici juris facta sunt, quod et iterum 1657 præstitum est.

Verumtamen ea fuit antistitum Herbipolensium erga ecclesiasticas leges observantia, ut etiam postquam in publicos ecclesiæ fastos relatus fuisset Bruno, quod sane canonizationi æquivalere videtur, religioni tamen sibi duxerint, eum honoribus sanctis competentibus prosequi. Licet a Joanne Philippo de Schoenborn ritus Romanus in diœcesi introductus fuerit et Proprium Herbipolense 1665 ad normam breviarii Romani typis mandari curaverit, Brunonis tamen festum inter sanctorum nostrorum officia non est recensitum. Primum quod nobis occurrit officii in Brunonis honorem instituti monumentum est Proprium Canonicorum regularium S. Augustini in Heidenfeld anni 1689, ubi officium Brunonis, ab hodierno tamen diversum, habetur.

Anno denique 1699 Johannes Philippus II de Greifenklau sacrum Brunonis corpus elevari jussit, festumque cum officio in diœcesi universa celebrandum indixit. Sacra ossa, quæ teste Phil. Guil. Virtung de Hartung, medicinæ tunc in alma Julia professore suavem efflabant honorem, quem pro naturali habendum minime esse censuit, ab ipso apte disposita, juncta atque pontificalibus indumentis vestita sunt, et 29 Sept. novo altari in crypta a Georgio Henrico de Stadion, decano capituli extructo imposita.

Septingentis a morte L. Brunonis elapsis annis a. 1745, regnante Friderico Carolo de Schoenborn a die 17 Maii ad 23 usque solemnissime jubilæum celebratum est. Post vero a 1749 cum crypta iterum renovaretur atque dilataretur, sarcophagum lapideum, quod primum fuit S. Brunonis sepulchrum, in ipsam ecclesiam translatum est, ut altaris, quod decani dicunt, mensam exhiberet, atque ipse sanctus in eodem ipso altari repositus; mox vero sacrum corpus in altare S. Martini delatum fuit, ubi ad hodiernam usque diem in pace sepultum est atque fidelium devotione frequentatus (75).

III. *De Brunonis scriptis.*

12. Quod in vita Brunonis describenda vidimus sæpissime, eum, cum plurimi ea ætate Brunones scientia vel virtutibus insignes, vixerint cum aliis cognominibus confusum fuisse, id præprimis cum de scriptis inquirendum est, nobis occurrit. Statuamur igitur pro firmo fundamento, nullum est aliud Brunonis scriptum, quod ad nostram ætatem devenerit, vel fidis antiquiorum testimoniis commendetur præter commentarium in Psalmos, cantica, orationem Dominicam et Symbola, quod iteratis curis edere suscepimus. Illum etiam contra Simoniacos scripsisse contendit anonymus Mellicensis De scriptoribus ecclesiasticis (76). Nos vero certissime in eo erratum fuisse admittimus, cum nullum præterea vestigium extet, quo hoc opus Brunoni ad-

(73) Gropp (Nov. Coll. t. II, p. 114) legit MCCCCXXXXX, Joh. Bern. Mayer suffraganeus Herbipolen. in diario MCCCCXLIII. Legendum est 1423 : nam Richardus de Masbach fuit decanus 1422-1435 et 1450-1454, Henricus Weckmar vicarius generalis 1416 et 1423.

(74) Statuto 8. Conc. Germ. t. IV, p. 246.

(75) Quæ hucusque de S. Brunonis cultu exposita sunt, desumpsimus ex Henschenio in Actis SS. ad diem 17 Maii p. 38 sqq. Gropp, Noviss. Coll. t. II p. 108 sqq. ex diario Joh. Bern. Mayer, Suffraganei Herbipolen. quod in archivio capituli asservatur, t. II p. 15-16. Himmelstein, St Kilians-Dom p. 22 sqq. Grebner, Compend. Hist. universalis 1764, t. III p. 1217 et 1396 Balth. Neumann Descript. Jubilæi Brunoniani 1745.

(76) c. 81.

scribi queat, Jamque Trithemius, qui sæc. XV, in hac nostra civitate Herbipolensi abbas S. Jacobi Scotorum fuit, testetur : « Si quid aliud scripsit, ad me non pervenit. « Falsus est oppido Georgius Galopinus, cum sub nostri Brunonis nomine commentarium in Pentateuchum Duaci 1608 edidit. Nam Brunonis Astensis, abbatis Cassinensis, post vero episcopi Signiensis, qui eodem sæculo exeunte vixit, esse, nullus negabit, qui ea leget, quæ inibi (77) de controversia habentur, auctorem inter et archidiaconum Beneventanum de ecclesia Sipontina agitata. Qui vero ei commentarios in Pauli epistolas vel proverbia Salomonis adscribunt, ut Guil. Eisengrein (78), vel cum Brunone eodem Astensi, vel eum fundatore Carthusianorum confundunt. Huic etiam versus illi adversus malos et hæreticos sacerdotes tribuendi sunt, quos Ludewig in notis ad Frisii chronicon ex Selneccero et Ægidio Periandro tanquam nostri Brunonis factum attulit.

13. His igitur explosis, cujus generis genuinum ejus opus in Psalmos sit, qualis scopus ejus, quale pretium videamus.

Florebat tuus quidem Herbipoli in domo Salvatoris schola, magistro tunc præstantissimo Bernulfo, cui præcesserat Italus quidam ab episcopo Herbipolim evocatus et integra series virorum pro illius ævi conditione eruditissimorum, ita ut longe lateque scholæ Herbipolensis fama dilataretur multique ex ea ecclesiarum præsules prodirent. Nihilo secus est præsumendum cleri non exiguam partem pro temporum barbarie ejusmodi fuisse, cui providendum diversimode erat. Simile quid accidit in Veronensi diœcesi, ubi multi erant, quibus Ratherius episcopus, ecclesiæ suæ severissimus reformator in Itinerario (79) præcipiebat, « ut unusquisque, si fieri posset, expositionem symboli et orationis Dominicæ juxta traditionem orthodoxorum penes se scriptam haberet. » Uti vero temporis ratio ferebat, quæ, cum antiquiorum populorum ingenia senuissent, recentiorum vero infantiam adhuc agerent, nonnisi aliena congerere valebat, ita et Brunonis opus mera compilatio est, undequaque ex Patrum scriptis collecta, ita tamen ut negare non possimus, judicum atque crisin ex colligendi modo elucescere.

Præfationis Brunonianæ partes suo loco propriis auctoribus vindicabimus. Ipse vero commentarius in Psalmos ex sequentibus collectus est, quorum nomina præfixis initialibus litteris indicantur, nimirum : Augustinus (A) ; Pseudobeda (B), qui sæpius in argumentis occurrit, rarius in commentario ; Cassiodorus (C), quo maxime usus est ; Gregorius (G), qui nonnisi sexies occurrit ; Breviarium in Psalmos, Hieronymo (H) tributum. In Canticis Origenes (O) aliquoties, Rhabanus Maurus semel allegantur. Teste editore Reyseriano vix ter decies occurrit, ut non integra auctorum verba, sed eorum tantum sensus referatur.

Post singulos psalmos ex antiquissimo usu (80) addita est oratio quædam, quæ psalmi fructum quodammodo colligat, quod a concilio Agathensi a. 506, can. 30, præscriptum fuerat, ut post Antiphonas collectiones per ordinem ab episcopis vel presbyteris dicantur. Id in Hispaniis usu venisse ex liturgia Mozzarabica apparet verum idem et in Galliis præstitum fuisse dubitari nequit. Eæ quæ apud Brunonem habentur, prima vice occurrunt apud Alcuinum in officiis per serias (81), tum apud Brunonem nostrum, deinde apud Ludolfum de Saxonia, sæculi XIV auctorem, in commentario in Psalmos et apud Georgium Cassandrum in collectione precum ecclesiasticarum. Eas sæculo VIII antiquiores esse, inde deducit B. card. Thomasius, quod Romani psalterii lectionem sequantur, cujus usus longo ante Walafridum Strabonem tempore in Galliis desierat. Eas ex codicibus Vaticanis restituit B. Card. Thomasius in suo Psalterio, nos vero, quibus incumbebat, Brunonem edere, ejus lectionem ubique retinuimus.

Simile quid hac in re præstitit S. Volbodonius, episcopus Leodiensis a. 1020 defunctus proindeque Brunoni coævus, quem Rainerus monachus, qui ejus vitam scripsit ait propria manu scripsisse librum psalmorum, in quo unicuique psalmo compositam ex eodem et a se dictatam subjecit orationem. Quæ tamen orationes, si eorum revera Volbodonius auctor fuit, a nostris diversas fuisse oportet.

Expositio orationis Dominicæ et symboli apostolorum per interrogationes et quæstiones dispositæ simillima est catechismo illi, qui in scrutiniis ante baptismum tunc adhuc habebantur, quorum exempla apud liturgicorum monumentorum collectores reperire est.

14. Maximi sane momenti nobis fuit indagare, qualis habendus sit textus psalmorum, quem Bruno suo commentario supposuit, utpote qui vetustissimum et in multis plane singulare nostræ Vulgatæ exemplar sit. Notandum præprimis ipsum Brunonem hunc suum textum in animadversionibus criticis, quæ hinc inde occurrunt (82), a Romano Hieronymi psalterio et ea quam ex Hebræo immediate transtulit, versione distinguere, imo semel et a Gallicana (83), eamque « nostram translationem, » quasi ab aliis omnibus diversam dictitare. Quod et editor Reyserianus, vir oculatissimus vidit ; nam in prologo suo animadvertit : « nostrum istud beatissimi antistitis Brunoni psalterium in verbis quandoque cum « Hebræa veritate aut Romana interpretatione concordans ab usitatis nostræ Gallicanæ translationis

(77) In Deut. c. 25, 11.
(78) In catalogo testium catholicæ veritatis.
(79) Ap. Dacherium in Spicilegio, t. I p. 376.
(80) Cf. B. Card. Thomasii Psalterium cum canticis, Romæ 1697 præf. p. XI.

(81) Patrologiæ t. CI col. 509. sqq.
(82) Ps. 44, 19 ; 67, 33 ; 86, 3 ; 87, tit. ; 88, 19 ; 104, 22 ; 104, 27 ; 106, 40 ; 134, 13.
(83) Ps. 146 1.

« dictionibus dissonat..... Punctatio quoque ex glos-
« sis Hieronymi, Augustini ac Cassiodori, virorum
« utique doctissimorum in isto psalterio facta atque
« nonnunquam ex glossa unius aliter, quam alterius,
« facienda, in plerisque locis, a communi usitataque
« punctatione discrepat. »

Verumtamen, si rem accuratius examines, senties textum Brunonis esse Gallicanum Hieronymi psalterium multis licet in locis ab usitatissima illa, quam decantamus, forma discrepans; proindeque non errasse B. Card. Thomasium (84) et divinæ Hieronymi bibliothecæ editores (85), cum dixerunt Gallicanum psalterium cum obelis et asteriscis prima vice Brunonis, episcopi Herbipolensis, commentariis illustratum editum fuisse, nisi quod Bruno sæpissime lectiones habeat, quæ ab ipsis receptæ non sunt in textum suæ editionis, sed in notis tamen, ut codicum, præsertim Palatini variantes lectiones adduntur.

Porro et id verissimum est, Brunonis lectionem sæpius a Gallicano psalterio aberrare, qualis in quocunque codice est, atque Romanum sequi, imo vero variantes haberi, quæ ad neutrum horum reduci queant. Triplex via nobis se offerebat, qua ejusmodi singularitatis ratio detegi poterat. Vel enim Bruno ipse Psalterium correxit, vel textum sequebatur ab Alcuino correctum, vel denique textus Gallicani psalterii apud Brunonem habebatur, qualis in Britannia sensim se formaverat, et a primis patriæ nostræ apostolis, qui ex insulis Britannicis venerant, huc translatus fuerat. Brunonem ipsum textum correxisse, non videtur, cum in notulis criticis, de quibus supra diximus, nullibi correctorem agat, sed ad translationem jam usu firmatam appellet. Instituimus igitur collationem textus Brunoniani cum Alcuini opusculis in psalterium et commentario illo in Psalmos, qui falso quidem Bedæ tribuitur, originis tamen Britannicæ esse præsumendus est. Verum textus psalmorum in opere Alcuini, cui titulus : Officia per ferias plane ad hodierni normam immutatus visus est. In ipsius commentariis in psalmos pœnitentiales, graduales et centesimum decimum octavum, pauculos invenimus locos qui cum Brunone et Romano a Gallicano textu discederent, multo plures in quibus a Brunone discrepabat. In conferendo Pseudobeda res melius cessit et certissime admittimus, evidentiorem adhuc evasisse probationem, ni textus Bedæ ab amanuensibus aliisque immutatus fuisset, ita ut genuina ipsius lectio ex commentario ut plurimum nobis desumenda fuerit, et nisi pars non exigua psalmorum in illo commentario exposita non esset. Nihilominus invenimus locos novem (86) in quibus ille cum Brunone consonat contra Gallicanum et Romanum psalterium, quorum duo sunt (87) in quibus saltem lectionem Brunonis sibi notam esse innuit, quæ nullibi præterea occurrit in codicibus Gallicani vel Romani textus. Quatuor porro erant (88) loci, in quibus cum Brunone et Romana translatione a Gallinana discedit. Brunonis igitur textus nobis visus est illam formam Gallicani psalterii exhibere, qualis in Britannicis insulis temporis defluxu evaseserat, cum a Bonifacio, Burchardo aliisque inde in has nostras regiones translatum est. Eo forsan referendum est, etiam quod ait Walafridus Strabo (89), psalterium Gallicanum habere Germanorum *aliquos*.

15. Opus suum Brunonem opportet infra quadriennium quod ejus obitum præcessit conscripsisse, cum Papiam grammaticum in præfatione (90) alleget, qui anno 1041 scripsit, de quo cf. Oudinum De scriptoribus ecclesiasticis, t. I. col. 621 ed. Lips. De hoc ait quidem Albericus in Chronico : « Anno « 1055, anno 13 imperatoris Henrici filii Conradi, « Papias librum suum, videlicet Elementarium doctri- « næ erudimentum edidit, quod probatur per nume- « rum annorum, ubi agit de ætatibus sæculi in pri- « ma littera, et enumerando pertingit ad hunc an- « num. » At in eo lapsus est Albericus ; nam, ita si annos Henrici numeres, Papias a Brunone allegari non poterat, qui 1045 defunctus est. Henricus autem rex vivente adhuc Conrado patre a. 1028 est coronatus, proindeque duplex in ipso est computus annorum : alter a coronatione tempus complectens, quo cum patre regnavit ; alter a morte patris, cum solus regnare cœpit. Hunc secutus est Albericus, cum illum adhibere debuisset. Quod si facias annus 1041 erit Henrici decimus tertius.

IV. *Præsidia critica — quid in hac editione præstitum fuerit.*

16. Inter Brunonis codices primum sane locum tenebat *Codex autographus* religiose in ecclesia cathedrali, cui eum donaverat auctor, olim asservatus, sumptuose scriptus, ut testatur editor Reyserianus. Cochlei tempore (1533), ut ipse ait, adhuc in locuplete antiquorum voluminum bibliotheca ecclesiæ Herbipolensis extabat. Verum cum belli Suecici tempore, vel ut alii volunt, propter turbas a rusticis sæculo XVI motas, bibliotheca sub tecto ecclesiæ cathedralis abscondita, nec nisi longo post tempore detecta fuisset, pene intercidit codex pretiosissimus, qui longo studii critici labore nos liberasset. Sequitur *Codex Saganensis*, quo suppeditante Paulo Dulciario, decano capituli Budissenensis, in edendo Brunone usus est Cochleus. Quo devenerit et iste nescimus. — *Codex Ebracensis*, sæculi XIV, in Universitatis Herbipolensis bibliotheca asservatus, qui Brunonem reddit abbreviatum integrum; in edenda hac editione contulimus.

(84) Psalterium cum canticis Romæ 1697 præf. p. XI.

(85) Tom. X opp. Hier. Patrologiæ T. XXIX col. 119. notae.

(86) Ps. 4, 5 *et* in cubilibus ; 92, 7 longitudine ; 53, 14 repellit ; 103, 15 vocem ; 105, 37 interfecta ; 118, 145 in toto corde sine *meo* ; 118, 150 iniquitate

(87) Ps. 68, 31 dolorum eorum ; 76, 6 scrobebam.

(88) 26, 17 semita ; 32, 7 in utrem ; 40, 6 cor ejus ad primum stichon transfertur ; 117, 34 qui venturus es.

(89) de rebus ecclesiasticis c. 25

(90) N. 1.

Editionum numerum, locum et tempus non sine multiplici errore indicarunt auctores bibliographi, Nos in bibliothecis tum hujatibus, tum Monacensibus accuratissimam institui inquisitionem curavimus et alias præter sequentes detegere non fuit.

Editio Reyseriana princeps, anno uti videtur 1480 in folio minori herbipoli impressa. Censent periti hoc fuisse alterum Jeorii Reyser opus, quod post breviarium hac in urbe impressit. Est autem hæc editio ex autographo Brunonis, ut ipse editor notat, expressa.

Reyseri editionem bis in quarto recudit Antonius Koberger, cujus editiones pro primis haberi solent.

Editio Kobergeriana I a. 1494 Norimbergæ (91) vel Coloniæ, ut habet Caveus.

Editio Kobergeriana II a. 1497 Norimbergæ vel Augustæ, ut contendit Reimmaun (92)

Editio Cochlei Lipsiæ 1533 in 4° edita a Joh. Cochleo, notissimo Lutheri adversario, atque Conrado a Thuengen, episcopo Herbipolensi dicata, patrocinantibus Georgio, Saxoniæ duce, fidei orthodoxæ defensore constantissimo: Joanne a Schleyer, episcopo Misnensi, et Paulo Dulciario, decano Budissenensi, qui legatum esse voluit, a se pauperibus sacerdotibus relictum (93). Duas de hac sua editione Cochlei epistolas a. 1532, servavit Joh. Bapt. Riederer (94).

Hæc Cochlei editio in *Bibliothecis Patrum, Coloniensi* 1618 t. XI et *Lugdunensi* 1677 t. XVIII recusa est.

Prodiit denique Herbipoli 1721 Psalterium Davidis cum notis et commentariis S. Brunonis, quondam episcopi Herbipolensis, almæ congregationis majori academicæ B. M. V. annuntiatæ Herbipoli oblatum in 12°, quod tamen vix Brunonis editionibus annumerandum est, cum commentarius plane immutatus fuerit ex Leblanc et aliis.

17. Quod ad præsidiorum recensitorum valorem attinet, præ primis excludamus opportet secundarias editiones omnes, remanebuntque conferendæ Reyseriana et Cochleana, porro codex, qui solus nobis præsto fuit, Ebracensis. Inter hæc primum locum absque dubio editor Reyserianus occupat, vir sagacissimus et qui sanæ critices principia sequebatur suo tempore vix non inaudita. Optime enim ille vidit, editoris non esse auctorem suum corrigere, neque exhibere, quid ille dicere debuerit, sed quid dixerit. Hinc in prolegomenis late exposuit: « Quod « psalteria propter diversitatem temporum solam in « verbis repertam non sunt emendanda. » « Quod « istud psalterium propter diversitatem punctorum « et dictionum solum non sit ad formam aliorum « emendandam, nec aliorum ad illud » et similia. Diversa plane principia secutus est Cochleus, qui hunc sibi finem præposuerat, ut clericis et religiosis ad psalmos recitandos obligatis aptum quoddam ac compendiosum Psalmorum commentarium compararet. Huic ille maxima cura atque sollicitudine tenuit lectionem et punctationem autographi, quod præ oculis habebat, et ideo dure se in hoc psalterio laborasse ait. Hic vero quæ ad strictam grammatices normam dicta non erant, correxit, duriores structuras emollivit, addidit atque mutavit obelos et astericos. Quod ex utriusque collatione apparet, cum Reyser illam constanter lectionem habeat, quæ minus elegans, minus grammatices regulis adaptata, in textu vero illam, quæ minus consueta est. Quod vero ejus auctoritatem firmat, id est quod codicem Ebracensem constanter sibi consonum habeat, ubi iste Brunonem in compendium non redegit, quibus de causis nos nullo modo dubitavimus, Reyseri textum ut plurimum restituere, licet eo ipso multum a vulgata Cochlei lectione recessuri eramus. Ejecimus etiam quæ Cochleus de suo addidit, commentarios canticorum, collationem cum Hebræo textu et alia ejusdem generis, cum nobis non Cochleus, sed Bruno edendus sit. Maximi vero nobis laboris opus fuit, Brunonis præfationem restituere, pro qua Cochleus propriam substituerat Codex multa omiserat, alia addiderat, atque ipse Reyser hac in parte propria quædam immiscuerat, ita tamen ut distingui a Brunonianis queant. Nos igitur, deficientibus aliis præsidiis textum præfationis quo meliori fieri potuit modo restituimus; in locis vero Patrum, ex quibus illam Bruno congessit, ejus lectionem retinuimus.

Jam vero omnia nos explevisse confidimus, quibus Brunonis operi præludendum erat, neque superest aliud præstandum, nisi ut publicas illis grates agamus qui consilio, opera, scriptis adjutores nostri fuerunt, imprimis vero reverendo domino Antonio Ruland, theologiæ doctori atque in nostra hac universitate Julia summo bibliothecario, viro rei nostræ antiquariæ ac litterariæ peritissimo.

« Tibique (95), o pater ter quaterque beate, et « pontifex toto ævo venerande, felix Bruno, grates « referimus. Impetra ut digne quoque moribus re- « spondeamus. Dignissimas enim gratias agere est « Deo fideliter servire sanctorumque vitam imitari. « Idipsum quoque ex Deo digne psallere et in psalte- « rio proficere. »

(91) Cf. Rœder catalog. librorum sæc. xv Norimbergæ impressorum n. 210, 250, 403, qui his duabus tertiam præponit anni 1483, quæ Reyseriana esse videtur.

(92) Catalog. Bibl. theolog. p. 357.

(93) Alteram Cochlei editionem in folio Herbipoli 1521, recensuit Lelong, Bibl. sacra ed. Boern. t. I, p. 647, quæ nullibi comparet; videtur esse Reyseriana.

(94) Nachrichten Zur Kirchen-Gelehrten-und Buechergeschichte I Bnd. 2tes Stueck, n. XXXII.

(95) Verba sunt editoris Reyseriani.

APPENDIX DOCUMENTORUM.

I.

Diploma quo S. Bruno Deo et S. Kiliano propriam villam, Sonnenryk dictam, donat. 15 *Aug.* 1036.

[Ex Lunig, *Specilegium ecclesiasticum des deutschen Reichs-Archivs*, t. XVII, p. 718, et Schaten, *Annal. Paderbornenses*. t. I, p. 508.]

Bruno annuente divina gratia Wirceburgensis episcopus.

Notum esse volumus, nunc et semper potestati regiæ, omnique Pontificali dignitati, pariterque illustribus viris, ducibus, marchionibus, comitibus, omnibusque Christi fidelibus, maxime autem successoribus nostris, quod curiam quandam in Paderbornensi episcopatu sitam ex re nomen habente, Sunrike, id est regnum singulare, quam ex paterna possedimus hæreditate, ob æternæ remunerationis spem obtulimus Deo, sanctoque martyri ejus Kiliano cum omnibus appendiciis suis, videlicet ministerialibus, litonibus mancipiis, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, silvis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis usque in sæcula sæculorum. Hæc vero ex sincera devotione oblatio et justa traditio nostra, quo ordine et tempore facta sit, quia non minus patere volumus, scriptis approbamus, quod in die nativitatis sancti Johannis Baptistæ, in ecclesia completo sermone ad populum, audiente clero et populo, a prædicta curia propositum deleximus, sed effectui mancipare usque in diem assumptionis sanctæ Mariæ Virginis induciavimus, ut si forte quis per compositas rationes voluntati et deliberationi nostræ contradicere vellet, se tum præsentiæ nostræ exhiberet: super qua re accepto consilio ex prudentia fidelium nostrorum decrevimus annuatim, dum viveremus confratribus nostris in festo beati Patroni nostri martyris Apostoli ad vestituram eorum quinquaginta marcas argenti procurare et supradictis prædictæ curiæ utilitatibus, et de cæteris nondum expositis, nec in hac pagina exponendis, quia in duabus tabulis æreis concatenatis in capella Sunryke locatis literis legibilibus insculptis semper quantitas reperitur. De exitibus, et reditibus de cultis et incultis, et de singulis supra nominatis, quæ Sacerdoti, qui eidem præsit capello Deo suisque serviendo, quæve nobis justitia, seu summo villico nostro debeatur, reperiuntur. Et attinentes proprietati nostræ ministerialium jure in iisdem tabulis suis nominibus ne illorum posteritas a suo jure possit alienarii. Illi quoque suis nominibus de utroque sexu, qui duos fundos ceræ quolibet anno persolvant et de cætero ab omni exactione tam privata quam communi liberi, quamdiu vivant, existant. Item litonum justitia, prout exigit utilitas et necessitas de singulis singula, ut sint in memoria a generatione in generationem. Præterea talem obtinere justitiam Litones non uxoratos statuimus, et uno anno duobus solidis levis monetæ servitium suum redimant vel serviant, et altero anno non serviant nec servitium redinant, sed indigentiæ et utilitati suæ consulant; fæmineo autem sexu redemptionem levium nummorum statuimus. Ministerialibus vero nostris hoc officium injungimus, ut singulis annis tantum IV. ex eis in tempore mess s ad prædictam curiam veniant, et villico consulant, ut una cum illo de reditibus universis debitum exequirant et suscipiant. Quorum unum nomine Richboldum præ cæteris nobis familiarem transtuli-

A mus in consortium et jus ministerialium ecclesiæ nostræ. Cui cum femina quædam libera et liberis orta parentibus, nomine Richere legitime nupsisset, mansos duos in Natefingam cum omnibus attinentibus utriusque in beneficium concessimus. Insuper quod et illa arbitrata fuit, ut libertate sua et eodem beneficio cum posteritate sua potiretur. His itaque præordinatis circa quæ plurimum regni cœlestis desiderium studiosos nos reddidit et sollicitos, statuimus, ut post exitum vitæ nostræ fidelis in Domino frater episcopalis dignitatis in Ecclesia Wirceburgensi successor quolibet anno in festo S. Michaelis cum duobus canonicis suis et X militibus Sunrich veniat ibique tribus septimanis et ultra ad placitum quæque pertractando premaneat et villicus ei cum subditis villicis de onibus Vovewerken cum multa copia serviat, convocatisque ministerialibus et tota familia in die S. Michaelis eos convivio participare faciat, et abductis secum canonicis II poledros dari jubeat, sicque quolibet anno incipiens a summis et prioribus ecclesiæ suæ usque ad infimos eandem gratiam impendat. Ministerialibus autem, qui tempore messis cum villico exploratores totius reditus et debiti extiterint, similiter II paledros dari jubeat. In præmemoratis quoque tabulis æreis legendo jura et instituta nostra prævideat, et de CCCVIII mansis, et de quam plurimis rebus eidem curiæ attinentibus universum debitum eodem tempore persolvendum exquirat, cujus summa CCIII sunt. Inde VI salmones magnos satis et quinquaginta marcas prænotato tempore domibus et fratribus persolvat. Inde quoque XII pauperibus gratia et misericordia indigentibus quoque XL et qualibet die cuique illorum, pro remedio animæ nostræ panem unum similaceum sufficientem magnitudine, tres batarios valentis cerevisia, tria allecia et in parasceve X ulnas linei panni, cingulum ex coreo cervino, cultellum et vaginam, calceos II ex coreo hircino procurabit, amplius duas marcas argenti, C quas venerabili fratri nostro Rodhardo episcopo, et omnibus ex divina gratia præfuturis Paderburn. Ecclesiæ episcopis dandas, aut equum tantum valentem disposuimus, eo videlicet tenore, ut omnia bona ecclesiæ nostræ, quæ longe nimis a tuitione nostra remota, eis vero commode sita sunt, tueantur. Postquam autem hæc omnia ex attentissimi cordis nostri præmeditatione fuerant contexta, communicatio canonicorum ecclesiæ nostræ tam juniorum, quam seniorum consilio, quia indictus a nobis terminus, die videlicet assumptionis sanctæ Mariæ Virginis jam instabat, Dominum nostrum serenissimum imperatorem Conradum, archiepiscopum Bardonem, confratrem nostrum Rodhardum, Paderburn in Moguntia ecclesia convenimus, et eos multa supplicatione ad hoc induximus, quod ad celebranda prædictæ diei solemnia venturos se Wirceburg promiserunt, quod et adimpletum est. Ipsa vero die assumptionis sanctæ Mariæ nobis missam celebran- D tibus, finito sermone ad populum, sub testimonio et præsentia Christi et prædictorum principum scilicet imperatoris Conradi, Bardonis archiepiscopi et totius ecclesiæ vota nostra Deo sanctoque Kiliano in oblatione sæpius denominata, nulla hominum contradictione, persolvimus, et beatorum Petri et Pauli apostolorum, et jam dictorum episcoporum nostroque banno et omnium animarum Deo consecratarum confirmavimus, ita ut quicunque cujuscunque conditionis et potestatis homo curiam Sun-

rike, quæ oblatio nostra est, ab usu ecclesiæ alienare vel præsumpserit, vel jure et instituta nostra, qualia continet præsens pagina, et tabulæ æreæ aliquo modo immutaverit, perpetui anathematis vinculo obligatus æternæ damnationi cum Juda traditore subjaceat. Quare fratribus nostris tam præsentibus, quam futuris, per virtutem obedientiæ injungimus, ut si quis tam temerare, tam irrationabiliter agere præsumpserit, ut oblationem nostram a domo Dei alienet, in illum datam excommunicationem auctoritati apostolicæ significant et ut auctoritate apostolica rursum anathemate feriatur, elaborent. Volentes hujus itaque irreprehensabilis ordinationis nostræ firmitatem inconvulsam semper permanere, quid qualiter actum sit tabulis æreis jam sæpe dictis annotavimus, præsentis chirographipaginæ seriatim inscripsimus, est sigillo nostro per præsenti attestationi plumbeam impressionem confirmavimus, ut sit memoriale a generatione in generationem. Confratrem etiam nostrum P. Paderburnensem episcopum, virum per omnia probabilem, huic actioni nostræ in præsenti pagina, sub subscriptionis suæ attestatione, et sigilli sui impressione testimonium perhibere rogavimus, ut ejus quoque sanctitatis confirmet auctoritas, quod suæ et nostræ ecclesiæ contulimus. Ego Rodhardus, Dei gratia Paderb. episcopus præsentis paginæ actioni per omnia rationabiliter stabilitæ, tam subscriptionis attestatione, quam sigilli nostri impressione testimonium fidele perhibeo, banno episcopalis auctoritatis, qua fungor, confirmo, ne hæc firmitas ab aliquo temere violetur, nisi ejus transgressio anathemate puniatur. Acta sunt autem hæc anno Dominicæ Incarnationis MXXXVI. Indictione IV, die vero sanctæ assumptionis virginis Mariæ.

II.

Heinricus III, rex Brunoni, episcopo Wirceburgensi, ejusque ecclesiæ prædium cujusdam Heroldi, in locis Sinderingun, Sunichilendorf, Geroldeshagen, Buoch et Meggendemuli, in pago Cochengowe, in comitatu Heinrici comitis situm, donat.

[*Monumenta Boica.* Volumen vigesimum nonum, pars prima. Monachii MDCCCXXXI.]

(*Chrismon.*) In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Omnibus sanctæ Dei æcclesiæ nostrique fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse volumus, qualiter nos pro amore Dei et ob remedium animæ nostræ, et etiam per interventum ac petitionem nepotis nostri Brunonis, sanctæ Wirceburgensis æcclesiæ episcopi, præsidium cujusdam Heroldi, quod ad nostrum regale jus et potestatem judicio legali devenit situm in locis Sinderingun, Sunichilendorf, Geroldeshagen, Buoch dictis, in pago Cochengowe, in comitatu Heinrici comitis ad Kolvingun cum omnibus suis pertinentiis, terris, pratis, pascuis, campis, silvis cultis et incultis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, exitibus et reditibus, eidem jam supradictæ ecclesiæ, sanctæ Mariæ scilicet matri semperque virginis (virgini) Dei, sanctoque Kiliano Christi martiri precioso, donavimus ac delegavimus absque omnium contradictione, adjungentes quoque ejusdem prædii partem quandam, sitam in loco qui dicitur Meggedemuli, cum omnibus mancipiis ad prædictum prædium pertinentibus, servis et ancillis. Et ut hæc nostra traditio in perpetuum ab omnibus vera esse credatur, diligentiusque servetur, cartam hanc inde conscriptam, manu propria subtus firmavimus, et sigillo nostro insigniri jussimus.

Signum domni Heinrici tercii (Monogramma) regis invictissimi. (Signum speciale.)

L. S.

Eberhardus cancellarius vice Barthonis archicapellani recognovit.

Data III, Non. Januarii, anno dominicæ incarnationis MXLII, Indictione X, anno autem domni Heinrici tercii, ordinationis ejus XIV, regni vero III Herestheim, feliciter amen, feliciter.

III.

Epistola 56 Gregorii pp. IX de canonizatione S. Brunonis 1 Maii 1238.

[ex Registro Vaticani ab Henschenio in *Actis SS.* ad 17 Maii edita.]

Abbatibus de Brannebach et Scoretal Cisterciensis ordini Herbipolensis diœcesis et Priori fratrum prædicatorum Herbipolensium.

Mirabilis Deus in sanctis suis, ut suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet et salutis nostræ causam misericorditer operetur; fideles suos, quos semper coronat in cœlo, in mundo etiam frequenter honorat, ad eorum memorias signa faciens et prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, et Fides Catholica confirmetur. Nos ergo quantas possumus, etsi non quantas debemus omnipotenti Deo gratiarum referimus actiones, quod in diebus nostris ad confirmationem Catholicæ Fidei et confusionem hæreticæ pravitatis, evidenter innovat signa et mirabilia portenta immutat, faciens illos coruscare miraculis, qui Fidem Catholicam tam corde quam ore necnon et opere tenuerunt. Sicut enim Vener. Fr. N. Episcopus et dilectus filius decanus et capitulum ac populus Herbipolensis nobis per nuntios suos et litteras intimarunt, Dominus tantam piæ memoriæ Brunoni episcopo Herbipolensi contulit gloriam, quod sepulcrum ejus tot et tantis dat coruscare miraculis, ut inter alios sanctos ejus non invocari suffragia sit indignum. Quare Nobis humiliter supplicatur, ut super miraculis, quæ per eum Dominus operatur, testimonia recipi faceremus. Verum quia in tam sancto negotio non est nisi maturitate et gravitate prævia procedendum, de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes mandamus, quatenus adscitis vobis viris religiosis et Dominum timentibus, de virtute morum et veritate signorum, operibus videlicet et miraculis, diligentissime inquirentes, depositiones testium receptorum sub sigillis vestris inclusas usque ad nostrum beneplacitum conservetis. Quodsi non omnes etc.

Datum Lateran. Kalend. Maii anno XII.

IV.

Epistola 364 Innocentii pp. IV, de canonizatione S. Brunonis. 5 Nov. 1246.

[Ex Henschenio *ubi supra.*]

Dadum Vener. Fratri N. Episcopo et dilectis filiis Capitulo Herbipolensi intimantibus fel. record. Gregorio PP. Præd. nostro, quod sanctæ memoriæ Bruno Herbipolensis episcopus, qui olim degens in mundo magnis pollebat meritis, nunc vivens in cœlo tot coruscat miraculis, ut ejus sanctitas apertis indiciis comprobetur, et ejus inter alios sanctos non invocari suffragia est indignum: ac per hoc supplicantibus, ut eum sanctorum adscriberet catalogo venerandum: idem prædecessor vobis dedit suis litteris in mandatis, ut adscitis vobis viris religiosis et Deum timentibus de virtute morum et veritate signorum, operibus videlicet et miraculis diligentissime inquirentes, depositiones testium receptorum sub sigillis vestris inclusas ad Sedem Apostolicam fideliter mitteretis. Licet igitur per inquisitionem factam super iis per vos quam de mandato nostro ad Sedem transmisistis eamdem, de ipsius Sancti miraculis plene constet, per quæ sanctus quis videtur haberi posse apud homines in Ecclesia militante; quia tamen ad hoc ut in Ecclesia triumphante sanctus sit aliquis apud Deum, perseverantia sola sufficit, juxta illud: esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ (quod evidenter illa Joseph talaris tunica figurabat) ut

merita et miracula sibi invicem testentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitati : et propter diuturnitatem temporis non possit in Teutonia reperiri aliquis, ut asseritur, qui super iis de visu queat testimonium perhibere : Nos attendentes, quod in tam sancto et pio negotio est cum gravitate ac maturitate plurima procedendum, mandamus quod non solum per testes, sed famam etiam et auditum ac scripturas authenticas de vita et conversatione ac meritis ejus, per vos vel alios fide dignos sollicite inquirentes, quæ inveneritis, nobis sub sigillis vestris fideliter transmittatis. Quod si non omnes, etc.

Datum Lugduni Nonis Novembr. anno V.

V.

Testimonium miraculorum sancti Brunonis episcopi quondam Herbipolensis, conscriptum Anno MCCII. Luna 22.

[Ex veteri Charta, modo in archivio regio asservata. (*Regesta Boica*, II, 5, impressum Herbipoli 1616 et 1657 et apud Henschenium).]

Anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo secundo sexto decimo Kalendas Julii, Luna vicesima secunda, visa sunt miracula in crypta sanctorum martyrum Kiliani et sociorum ejus et beati Prothomartyris Stephani.

Primum est quod cum quædam mulier paupercula, nomine Gepa contracta esset octo annis et amplius, in die Dominica mane, cum missa celebraretur, eadem mulier casu Missæ interfuit juxta tumbam S. Brunonis Wirceburgensis Episcopi : quæ multis videntibus gressum recepit. Eadem die cuidam mulieri, nomine Adelheidi, strumæ magnæ circa collum ad nihilum redactæ, non amplius apparuerunt. Quarta feria ejusdem hebdomadæ, eadem evomuit venenum in magna quantitate, et ad plenum curata est. In illa nocte paulo ante crepusculum quædam virgo de civitate Wirzburg Richeidevin, recepit gressum, testimonio multorum. Quinta feria ejusdem hebdomadæ, mulier quædam de Elthman, media die, sacerdote suo sibi testimonium perhibente, visum recepit. Circa noctem quædam virgo nomine Bertha de Wirzburg, ab infantia retracta, recepit gressum. In vigilia S. Joannis Baptistæ, mulier quædam de Limbach, nomine Demut, in tantum contracta, quod in terra serpebat, liberum recepit gressum. Sequenti die, quædam de Leinach, quæ in carruca venerat, recepit gressum. Quidam puer de Buttelbrunn, nomine Heinricus, in manu et uno crure contractus, est curatus. Quædam puella de Bleichfeldt, Irmengart contracta, erecta est. Sub testimonio multorum contigerunt ista. In festo S. Joannis et Pauli, nomine Adelheid, quæ fuit surda, et muta, et contracta, curata est. Eodem die quædam de Albusen, a gibbo maximo, omnibus videntibus curata est. Sequenti die feria V Heinricus de Lougingen, qui sufficiens testimonium non habebat, juravit quod uno crure longo tempore contractus fuerit, et curatus est. Feria sexta puer quidam, longo tempore contractus et infirmus, curatus est. Eodem die virgo quædam de Gorbolsdorff militis filia, cum deberet discere psalterium, a dæmonio sæpius vexata, perdidit loquelam septem diebus : et conveniendo ad nostram civitatem, in itinere recepit loquelam, multorum testimonio. In vigilia S. Kiliani, post Matutinas, quædam de Windsheim, Wendelmut, manu contracta, curata est. In die sancto B. Kiliani et sociorum ejus, vir quidam de Himmelstat, longo tempore cæcus, visum recepit, Media die puer quidam de nostra civitate, in manu contractus est curatus. In divisione Apostolorum, quædam, nomine Bertha de Ochsenfurt contracta, est erecta. Eodem die de Wertheim et Geilenhausen, duæ puellæ, bono testimonio, sunt erectæ. Sequenti die quædam, Mechilt nomine, quinque annis contracta, est erecta. Quidam servulus Canonici nostræ Ecclesiæ, qui ab infantia fuit contractus, nomine Reinhardus, est erectus. Virgo quædam de Bambergensi civitate, juxta tumbam S. Kunigundis duobus annis morata fuit : quæ in nocte Reginæ virginis, media nocte curata est, et quinque annos ita contracta fuit, quod in terra manibus ambabus et pedibus serpebat, cui nomen est Agnes. Quædam de Iphosen, Kunigundis nomine per annum et dimidium contracta in uno crure, dum juxta tumbam S. Kunigundis Bambergæ fuit, in somnis vidit qualiter S. Bruno eam curare deberet : quæ cum esset in itinere, et navigio ad civitatem vellet venire, libere gressum recepit. Quidam puer, qui sex annorum fuit, de Ense, apprehensus est a lupo hora vespertina, et ad silvam delatus ab eo, et undecim vulneribus infectus. Cujus mater, dispersis crinibus et vestibus laceratis, cum magno clamore invocando S. Brunonem sequebatur, et puerum apud lupum semivivum invenit. Quæ ut S. Brunonem ter invocavit, lupus a puero recessit, et sic per S. Brunonem evasit. Quædam de Wormatia, ab infantia surda et muta, testimonio multorum honestorum virorum, qui tunc aderant, qui etiam postea venerunt, auditum recepit et loquelam. Quædam de nostra civitate, Gisela nomine, a dæmonio liberata fuit. Alia de nostra civitate, Irmengart nomine, visum recepit. Sequenti die alia quædam, Jutta nomine, illuminata fuit. In Paraseeve quidam puer trium annorum, usque ad mediam diem in aqua submersus fuit, et inventus est mortuus : cujus pater et mater dum invocarent S. Brunonem et per invocationem multorum testimonio resuscitatus est. Quædam puella de Retzstadt, quatuor annis a dæmonio vexata, liberata fuit. Quidam puer a furibus captus fuit, et in compedibus positus : qui eum solus esset, invocavit S. Brunonem, et tetigit compedes, et solutus est. Quidam captus erat, qui innocens fuit : et dum suspenderetur, invocavit S Brunonem, et suspensus pependit de tertia usque ad vesperas, quod non poterat mori. Dumque suspendentes traherent eum per pedes, ut eo citius moreretur; non profuit : sed postea a quodam transeunte solutus fuit, et sic evasit. Quædam juxta tumbam S. Brunonis, quæ fuit obsessa, fuit absoluta. Quædam arreptitia, quæ fuit mater undecim puerorum, et in quolibet eorum partu a dæmonio vexata, ad ultimum per septem dies plene obsessa est, ita, quod insanivit : et ad tumbam S. Brunonis, liberata fuit. Quidam contractus de ista civitate, multorum testimonio, ad tumbam S. Brunonis fuit erectus. Quidam Eberh mercator de ista civitate, in compedibus ligatus, per S. Brunonem fuit liberatus et evasit. Quidam puer de Schmalkalden citra sex annos semper serpebat in terra : qui infra Passionem Domini recepit gressum. Quidam puer de Tubera, qui submersus fuit in puteo, a prima usque ad meridiem mortuus circa vesperas vivus evasit. Quædam virgo cæca, in Vigilia Ascensionis Domini, ad tumbam S. Brunonis, illuminata est. Puer Udalrici, de Ehrenbrehteshoven nobilis viri, in calculo laborans ad tumbam S. Brunonis oblatus, multorum testimonio liberatus est. Quidam paralyticus sex annis et amplius, qui multos habuit cognatos in civitate, curatus est. Quidam de Fulda innocenter suspensus, auxilio S. Brunonis evasit. Quædam Erdlindis Elemosinaria Domini L. de Sphippe, tribus catenis ligata fuit, quarum una juxta tumbam S. Chiliani, altera in Mergetheim, tertia in Vigilia S. Kiliani ad tumbam S. Brunonis decidit, et sic soluta et curata evasit. Quidam puer de Heydingsvelt, in genibus ab infantia tantum debilitatus, ita quod ire non posset, a parentibus suis ad tumbam S. Brunonis oblatus, ibidem gressum recepit. Alter puer de Karleburg,

cujus sinistra manus contracta fuit, in præsentia multorum curatus est. Uxor Sculteti de Kissingen, clauda, et in uno crure contracta, delata est ad tumbam S. Brunonis : cujus invocans gratiam, subito crure erecto gressum recepit, et puer ejusdem calculosus a calculo liberatus fuit.

VI.

Alterum instrumentum de miraculis S. Brunonis.

[Ex codice ms. canonicæ Heidenfeldensis edidit P. Ign. Gropp. in *Collectione novissima Scriptorum et rerum Wirceburgensium, tom. II, p.* 117.]

Primum. Mechtildis, quæ moratur ultra Moguntiam, jurata dixit, se pedem habuisse contractum versus terram sic, ut ire non poterat, sed super genua ferebatur supra terram, et hoc duobus annis : et tertio anno assumpsit sibi cruckas sub ascellis, et in eis veniebat ad sepulchrum B. Brunonis posuit pedem contractum supra sepulchrum B. Brunonis et non audebat accedere ad sepulchrum, quia reputabat se indignam; et dixit hæc verba : Domine Jesu adjuva me : B. Bruno adjuva me per dulcem animam tuam. Et statim pes movebatur hinc inde, et sensit magnum dolorem in pede, et confestim curata fuit multis præsentibus et videntibus qui cum eam vellent ducere circa sepulchrum, dixit, læta sum, quia per me possum incedere; nec permisit se duci ab eis, sed per se ivit recta, sine alicujus auxilio, et sic postea recta et sana permansit. Interrogata de tempore, dixit, quod circa tempus, quo consecrabatur Ecclesia Bambergensis anno Domini MCCXXXVII.

Secundum. Chunegundis vidua juvata dicit, se vidisse quandam mulierem, diu euntem supra scabella per civitatem; et cum quadam die ipsa testis audiret Missam in crypta, ubi est sepulchrum B. Brunonis, ad altare S. Stephani vidit eandem contractam circa altare B. Brunonis et ponentem scabella sua super sepulchrum et cum audiret Missam, audivit contractam clamantem : Ah! ah! ah! Sancte Bruno adjuva me. Et tunc incepit extendere crura. Et tunc ipsa testis dixit mulieri, quæ erat juxta se : eamus et videamus quid hoc sit; et venerunt ad eum, et inter manus earum, et cujusdam viri honesti, qui mortuus est, plene erecta est et curata, et ipsi viderunt eam surgere de terra et circumducebant eam circa sepulchrum; et tunc sedit, et post paululum dixit : si quis juvaret me surgere, et bene irem, et per me. Et tunc ipsa testis et socia juverunt ipsam surgere, et ivit per se recta et sana permansit. Et hoc vidit et audivit et prædictis interfuit. Interrogata de tempore dixit quod XXXIII anni sunt; de die dixit, quod in die S. Viti.

Tertium. Otto Accolytus juvatus dicit, quod vidit quandam contractam diu, quæ fevebatur super scabella per civitatem, et frequenter recipiebatur ad mensas Dominorum pro paupere; et cum ipse testis quadam die esset in curia Domini Bernonis, audivit quendam servum dicentem : magnus clamor est in crypta, et ipse cucurrit velociter ad Ecclesiam et intravit cryptam, et vidit, quod dicta contracta evixit de loco sepulchri et erigebat se et clamabat; S. Bruno adjuva me. Et tunc magis erigebatur, et tunc ipse testis arripuit eam per brachium, et juvit eam surgere, et statim dimisit eam; et ipsa per se ivit recta usque ad statuam, et stetit recta tenens statuam manibus. Et vestis, quæ erat ei longa, quando contracta fuit, adeo brevis facta fuit ei, quod vix pertingebat ei ad medium coccium, et tunc testis vidit popliteum contractæ, tanquam si ruptæ essent venæ et nervi; et tunc circumducta fuit tribus vicibus circa sepulchrum; et tunc venerunt Domini et cantaverunt Laudes; et vidit postea eam sanam et rectam. Et hoc vidit et audivit et interfuit. Interrogatus de tempore, dicit : quod in æstate; de hora, infra Missam majorem : requisitus quantum temporis, dicit, quod benedicebatur cemiterium prædicatorum.

A *Quartum.* Fridunis uxor Hevoldi fabri juvata dicit, quod vidit Renhardum contractum diu et vidit eum supra sepulchrum B. Brunonis et audivit eum invocantem B. Brunonem et statim vidit eum erectum et curatum, et vidit eum deduci de sepulcro cum laudibus; et vidit eum postea sanam et erectum pene V annos, et hoc vidit et audivit et interfuit. Requisita de tempore dicit, quod in æstate; de die, non recordatur, de hora dicit, quod ante horam primam; rogata de quantitate temporis, dicit quod ante occisionem Episcopi Conradi duobus annis.

Golebaldus filius Wolckenandi juratus dixit, quod novit et contrectavit Renhardum contractum, et vidit eum postea sanatum. Requisitus an fuerit apud sepulcrum, quando curatus fuit, dixit, quod non; sed accurit ad sonum campanæ, quando miraculum factum fuit. Dicit etiam quod ad invocationem B. Brunonis et apud ejus sepulcrum factum fuerit miraculum ipsum. Plura testimonia de hoc miraculo invenies infra.

B *Quintum.* De magistro Alberto canonico et scholastico Herbipol. Heinricus plebanus in Ochsenfurt juratus dixit, quod, cum esset de familia M. Alberti scholastici, qui laborabat hydropisi, audivit ab ipso M. Alberto, qui dixit ei particulariter, quod fuerit hydropicus et curatus fuerit ad sepulcrum B. Brunonis, et ad invocationem ipsius : et rogatus de tempore, dicit, quod in æstate; de quantitate temporis dixit, quod circa XXX annos. Idem de eodem Alberto dicit Fridericus cantor Majoris Ecclesiæ sacerdos, quod vidit M. Albertum scholasticum sanum, et postea hydropicum et a medicis desperatum, quem postea vidit curatum meritis B. Brunonis, ut dicebatur. Requisitus, quomodo hoc ei constet? dicit, quod vidit pustulas, per quas humor emanavit, et vidit humorem emanantem, et audivit ipsum dicentem : istud fecit mihi Bruno. Requisitus, quanto tempore plene receperit sanitatem? dicit, quod circa XXX annos. Idem dicit de eodem Alberto Burchardus campanarius, servus S. Chiliani juratus, quod

C vidit M. Albertum senem et hydropicum, qui ad consilium decani Persei, sicut ipse testis audivit, fecit se deferri ad sepulcrum B. Brunonis et curatus est. Rogatus, quomodo factum fuerit, dicit, quod per quasdam pustulas cœpit effluere humor aquæ. Rogatus, an præsens fuerit, quando curatus est, dicit, quod super sepulcrum meritis, ut creditur, B. Brunonis cœpit humor fluere, qui prius non fluxerat; et sic intra dies XV curatus est. Idem de eodem Alberto dicit Heinricus sacerdos cum factus fuisset hydropicus, fecit se super sepulcrum B. Brunonis deferri, et quum ibi per aliquot horas jacuisset, invocans auxilium B. Brunonis, ecce subito ortæ fuerunt duæ vesicæ, una in crure, altera in pede alterius cruris, quæ ruptæ ibidem cœperunt emanare saniem, et totus ille humor hydropicus effluxit per eas super sepulcrum B. Brunonis, et liberatus est. Hulc miraculo interfuit et audivit.

Testes alii miraculi quarto loco posi i.

D Godefridus plebanus Majoris Ecclesiæ Herbipolensis juratus dixit, quod vidit Renhardum supra dictum, et vidit et palpavit nervos, qui contrahebant, et ex relatu scit, quod ad tumbam B. Brunonis sit curatus, et vidit eum contractum curatum eumdem ad altare majus, et altare S. Mariæ et audivit eo curato Conventum cantare: *Te Deum laudamus*, propter curationem suam. Interrogatus de tempore dicit, quod in æstate. Rogatus, quantum sit temporis? dicit, quod sint plus quam XXXVI anni; de loco dixit, quod in crypta, ubi sit sepulcrum B. Brunonis.

Herebardus cantor et sacerdos in Haugen juratus dicit de eodem Renhardo per omnia sicut Godefridus plebanus Majoris Ecclesiæ Herbipol, præter hoc, quod nervos non tetigit.

Item Arnoldus custos Majoris Ecclesiæ Herbipol juratus dicit, quod vidit eumdem Renhardum longo tempore contractum et sæpe vidit eum frequentare

sepulcrum B. Brunonis, et quando ad sepulcrum curatus fuit, et pulsatæ fuerunt campanæ propter miraculum, accurrit cum aliis clericis, videns dictum contractum, erectum ad dictum sepulcrum. Et tunc cum aliis canonicis et clericis cantabat : *Te Deum laudamus*, et hoc vidit et interfuit. Rogatus de tempore dicit, quod non recordetur, quod puer fuit, hoc excepto, quod dicit in æstate fuisse.

Item Heinricus civis Herbipolensis juratus dicit, quod vidit eundem Renhardum VI annis contractum, et cum ipse contractus frequentaret sepulcrum B. Brunonis, ipse Custos sepulcri et testis miraculi, cum vellet eum repellere de sepulchro, ipse contractus respondit : ita ego indigeo gratia Salvatoris, et B. Brunonis, sicut alii. Et cum ipse custos exploraret, an latrones essent in ecclesia, statim reversus eum invenit erectum et curatum ad sepulcrum B. Brunonis, et postea vidit eum sanum et hic in civitate, et in Thuringia, et vidit eum in servitio episcopi Heinrici Casei, et hoc vidit et audivit. Interrogatus de tempore dicit, quod in æstate, de die, dicit quod in nocte sexta Feria; quantum temporis, dixit, quod non recordatur, sed fuit, quando episcopus Conradus vixit.

Item dicit Heinricus Sacerdos in Hervelstadt juratus, quod Dominus Berno canonicus Herbipol. habuit portenarium contractum, nomine Renhardum, de quo superius mentio habita, ab infantia et supra scabella incedentem. Hic similiter super sepulcrum B. Brunonis ad invocationem ejus erectus est, qui postea sanus visus et fortis, hoc vidit similiter.

Item Otto sacerdos de Memmingen juratus dicit, quod vidit eundem Renhardum, et crura ipsius contracta, et ire non poterat, sed ferebatur supra scabella, et quando auferebantur ab eo scabella, de loco recedere non poterat, et vidit quod idem contractus esset juxta sepulchrum B. Brunonis ad invocationem ipsius curatus est; et omnes qui præsentes erant, invocabant B. Brunonem, et curatus recessit; et vidit eum longo tempore postea sanum et erectum; et hoc vidit et audivit et præsens fuit. Requisitus de tempore dicit, quod XXXVI anni sint vel plus, et in æstate; de hora dicit, quod circa brevem nonam.

BEATI BRUNONIS

EXPOSITIO

PSALMORUM, CANTICORUM, ORATIONIS DOMINICÆ

ET

SYMBOLORUM.

S. BRUNONIS VERSUS DEDICATORII AD S. KILIANUM (96).

Sit collegæ tuæ sortis, Pater o Kiliane,
Antistes dono qui te veneratur in isto.

SANCTI BRUNONIS PROLEGOMENA.

I.

Præfatio Hieronymi presbyteri super Psalmos, quæ sequitur. (97)

Psalterium Romæ dudum positus emendaram et juxta LXX interpretes, licet cursim, magna illud ex parte correxeram. Quod quia rursum videtis, o Paula et Eustochium, scriptorum vitio depravatum, plusque antiquum errorem, quam novam emendationem valere; cogitis, ut, veluti quodam novali, scissum jam arvum exerceam et obliquis sulcis renascentes spinas eradicem; æquum esse dicentes, ut quod crebro male pullulat crebrius succidatur. unde consueta præfatione commoneo tam vos, quibus forte labor iste desudat, quam eos, qui exemplaria habere istiusmodi voluerint, ut, quæ diligenter emendavi, cum cura et diligentia transcribantur. Notet sibi unusquisque vel jacentem lineam, vel signa radiantia : id est vel obelos ÷ vel asteriscos ⁂ et ubicumque viderit virgulam præcedentem, ab ea usque ad duo puncta, quæ (minio) (98) impressimus, sciat in LXX translatoribus plus haberi. Ubi autem stellæ similitudinem perspexerit, de hebraeis volu-

(96) Fuit hic in regione Herbipolensi episcopus regionarius, atque Franconiæ orientalis apostolus anno Christi 689 gladiis impiorum martyr occubuit.

(97) Ita cod. R. vero hæc habet : Incipit epistola B. Hieronymi ad Paulam et Eustochium de psalterio, quod rursus secundum editionem Septuaginta correxerat, in qua docet, quid sit obelus et asteriscus. Cf. Patrolog. t. XXIX col. 117-120 codex Ms. huic epistolæ tres orationes Brunonis, quæ infra habentur addidit et Alcuini præfationem ad librum De psalmorum usu (Patrol. t. CI. col. 468) integram exhibet.—Notamus porro nos his in Patrum locis et in aliis porro, quæ Bruno congessit lectionem Brunonianam retinuisse.

(98) Hoc vocabulum sicut et infra illud *rubra* deest in codice; videtur proinde R. de suo addidisse.

minibus additum noverit, æque usque ad duo (rubra) puncta juxta Theodotionis duntaxat editionem, qui simplicitate sermonis a LXX interpretibus non discordat. Hæc ergo vobis et studioso cuique me fecisse sciens, non ambigo multos fore qui vel invidia, vel supercilio malint contemnere præclara, quam videre (99), et de turbulento magis rivo quam de purissimo fonte potare.

Hieronymus quoque in epistola ad Sunniam et Fretelam (100) de differentia LXX interpretum et Hebraicæ veritatis, de obelo et asterisco sic ait : « Ubi quid minus habetur in Græco » et translatione Septuaginta (101) » ab Hebraica veritate, Origenes de translatione Theodotionis addidit et signum posuit asterisci, id est stellam, quæ quod prius absconditum videbatur illuminet et in medium proferat. Ubi autem quod in Hebræo non est in Græcis codicibus invenitur obelum, id est jacentem posuit virgulam, quam nos Latine veru possumus dicere ; quo ostenditur jugulandum esse et confodiendum, quod in authenticis libris non invenitur. Quæ signa et in Græcorum Latinorumque poematibus inveniuntur. »

Verum ne existimaretur vel nulla necessitate vel utilitate ista signa apposita, addidit B. Hieronymus in eadem epistola (102) dicens : Quæ, signa « scilicet obeli asteriscique, sive, ut Papias dicit, asterisci (103) dum per scriptorum negligentiam a plerisque quasi superflua relinquuntur, magnus in legendo error oboritur. »

Nemo igitur despiciat, quod ignoratum etiam damnum affert.

Hieronymus de diapsalma sive diapsalmate ad Rufinum alias ad Marcellam intitulata epistola (104).

Quæ acceperis reddenda sunt cum fœnore : sortisque (105) dilatio usuram parturit. De diapsalmate nostram sententiam flagitaras, epistolæ brevitatem causati sumus et rem libri non posse explicari, litteris prætexuimus. Verum quid prodest taciturnitas mea, cum in eo major tibi cupiditas silentio concitetur? (106) Itaque, ne te diutius traham, habeto pauca pro pluribus. Quidam diapsalma commentationem metri dixerunt esse; alii pausationem spiritus : nonnulli alterius sensus exordium; sunt et qui rythmi distinctionem, et quia psalmi tunc temporis juncta voce ad organum canebantur, cujusdam musicæ varietatis (107). Nobis nihil horum videtur; cum A Aquila, qui verborum Hebræorum diligentissimus explicator est, *sela*, hoc est, diapsalma (108), *semper* transtulerit; et inveniamus in psalmorum quoque fine diapsalma positum, ut est illud in tertio : Dentes peccatorum contrivisti : Domini est salus et super populum tuum benedictio tua, sela, id est semper; et in vigesimo tertio : Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ, diapsalma, hoc est : semper, et contra in psalmis multorum versuum penitus non inveniatur; in tricesimo videlicet sexto et septuagesimo septimo, et in centesimo decimo octavo; rursus nonus psalmus distinguatur cantico diapsalmatis : cum utique, sicut quibusdam placet, diapsalma esse nisi indicium silentii non possit.

Ex quo animadvertimus, hoc verbum superiora B pariter et inferiora connectere aut certe docere sempiterna esse, quæ dicta sunt, ut est illud in tertio psalmo : Multi dicunt animæ meæ non est salus nisi in Deo : suo semper. Et rursum : Voce mea ad Dominum clamavi et exaudivit me de monte sancto suo, semper. Et in quarto : Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Sela. Et infra : Quæ dicitis in cordibus vestris et in cubilibus vestris compungimini, semper. Et in Abacuc : Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan, semper. Et infra : Juramenta tribubus, quæ locutus es, semper. Scire autem debemus, apud Hebræos in fine librorum unum e tribus solere subnecti, ut aut amen scribatur, aut sela, aut salom, quod exprimit pacem; unde et Salomon pacificus dicitur. Igitur, ut nos solemus C completis opusculis ad distinctionem rei alterius sxbsequentis medium interponere *explicit*, aut *feliciter*, aut aliquid istiusmodi : ita et Hebræi ea quæ scripta sunt roborant, ut dicunt amen, aut in sempiternum; et scripta et scribenda commemorant, ut ponant sela; aut transacta feliciter protestantur, pacem in ultimo subnotantes.

Hæc nos de intimo Hebræorum fonte libavimus, non opinionum rivulos persequentes, neque errorum, quibus totus mundus repletus est, varietate perterriti : sed cupientes et scire et docere quæ vera sunt. Quod si tibi non videtur onerosum, quod Origenes de diapsalmate senserit, verbum interpretabor ad verbum. Cuidam scribens se interroganti, quid sibi verbum vellet diapsalmatis in psalmis, vel D ad quam referatur utilitatem inter, cætera ait (109) : Et quia novitia musta contemnis, saltem veteris vini

(99) Ita R.; cod. vero ms : contemnere et videre præclara quam discere. Legendum est : contemnere et invidere præclara, quam discere.

(100) Ep. 106, n. 7, tom. Patrol. XXII col. 840. Hæc et sequentia et numeri II-VI usque ad illa : *David filius Jesse*, desunt in codice.

(101) Hæc verba et *translatione Septuaginta* a Brunone addita sunt.

(102 N. ss. col. 857.

(103) Hæc addita sunt epistolæ Hieronymi. Papias iste grammaticus est, de quo Albericus in chronico ms. tradit eum elementarium doctrinæ erudimentum edidisse, quod species quædam glossarii erat. Vide Oudinum de scriptoribus t. I col. 621 ed. Lips. Asteriscum vero herba est apud Plinium H. N. XXII, 17, non vero signum criticum stellulæ. Plura de allegato a Brunone Papia vide in prolegomenis n. 15

(104) Est ep. 28 ad Marcellam integra (t. XXII Patrol. col 430).

(105) Sic legendum cum Br., non vero *fortisque*.

(106) Legendum : quid prodest ad ἐργοδιώκτην meum? major tibi cupiditas silentio concitatu

(107) Edita addunt : existiment silentium.

(108) Edita addunt : quod ex samech, lamed, *He* scribitur.

(109) Hæc verba : *cuidam scribens* usque ad *inter cætera ait*, de suo addidit Bruno, vel glossator qui-

auctoritate ducaris. Sæpe requirens causas cur in quibusdam psalmis interponatur diapsalma, observavi diligentissime in Hebræo et cum Græco contuli invenique, quia ubi lingua Hebræa *sela*, Græca vero habet *semper*, aut aliquid istiusmodi, ibi Septuaginta et Theodotion et Symmachus transtulerunt *diapsalma*. Neque vero nocet exemplis affirmare quod dicimus. In septuagesimo quarto psalmo, cujus principium est : Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi, et invocabimus nomen tuum ; post illud, Ego confirmavi columnas ejus, apud Septuaginta et Theodotionem et Symmachum est diapsalma ; pro quo apud Aquilam : Ponderavi columnas ejus, semper. In quinta autem editione : Ego sum qui paravi columnas ejus, semper. In sexta vero : Confirmavi columnas ejus jugiter. Porro in Hebraico habet post *Amuda*, quod est columnas ejus, *sela*. Et rursum in septuagesimo quinto, cujus principium est : Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus, invenimus apud Septuaginta et Theodotionem post : Scutum et frameam et bellum, diapsalma ; apud Symmachum post : Clypeum et gladium et bellum, similiter diapsalma ; pro quo apud Aquilam post : Clypeum et gladium et bellum, semper. Apud quintam editionem, post : Scutum et romphæam et bellum, semper. In sexta vero post : Scutum et gladium et bellum, in finem. Eratque rursum in Hebraico post *Umalama*, quod est, et bellum, sela. Et in eodem psalmo post illum locum : ut salvos faciat mites terræ, in Septuaginta, diapsalma ; apud Symmachum similiter, diapsalma et apud Aquilam : semper ; necnon et apud quintam ; in sexta vero in finem ; et in Hebraico erat post *anie ares*, quod est, mites terræ, sela. Atque ita cum talem uniuscujusque editionis opinionem reperissemus, hæc annotavimus. Utrum autem cujusdam musicæ cantilenæ atque rythmi immutationem, qui interpretati sunt diapsalma senserint aliudve intellexerint tuo judicio derelinquo.

Hucusque Origenes, cujus nos maluimus in hac disputatione dumtaxat imperitiam sequi, quam stultam habere scientiam nescientium.

III.

Quid sit diapsalma, Cassiodorus (110).

Inter expositores psalmorum de hoc nomine quædam noscitur provenisse diversitas. Hieronymus Hebraicæ linguæ doctissimus inquisitor continuationem Spiritus sancti esse confirmat, ob hoc quia diapsalma significet semper. Beatus autem Augustinus, rerum obscurarum subtilissimus indagator, inter ardua sine offensione discurrens, hanc potius partem elegisse cognoscitur, ut magis divisio esse videatur, nominis ipsius discutiens qualitatem.

Sympsalma quippe dicitur Græco vocabulo vocum adunata copulatio ; diapsalma vero sermonum rupta continuatio ; docens ubicumque repertum fuerit, aut personarum aut rerum fieri permutationem. Merito ergo tale nomen illic interponitur, ubi vel sensus, vel personæ dividi comprobantur. Unde et nos divisiones congrue faciemus, ubicunque in psalmis diapsalma potuerit inveniri ; reliquas autem, prout datum fuerit, indagabimus, ubi tamen auctoritas hujus nominis potuerit inveniri.

IV.

Quid sit psalterium et psalmi quare dicantur Cassiodorus (111).

Psalterium est, ut Hieronymus ait, in modum deltæ litteræ formati ligni sonora concavitas, obesum ventrem in superioribus habens, ubi chordarum fila religata, disciplinabiliter plectro percussa, suavissimam dicuntur reddere cantilenam. Huic citharæ positio videtur esse contraria, dum quod ista in imo continet, illud conversa vice gestat in capite. Hoc autem genus organi canorum atque singulare aptatur corpori Domini Salvatoris : quoniam sicut istud de altioribus sonat, sic et illud gloriosæ institutionis superna (112) concelebrat ; sicut etiam ipse in Evangelio dicit : Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur ; qui autem de cœlo venit, quæ vidit et audivit testatur. Unde quidam et hoc opus Davidicum psalmos dictos esse præfiniunt, quia de superno culmine retonare noscuntur. Cognosce vero quod isti tantum pro excellentia sui dicantur psalmi, qui hoc volumine continentur.

Psalterium quoque genus esse musicorum Daniel propheta testatur, inquiens vocem tubæ, fistulæ, sambucæ, citharæ, psalterii et symphoniæ omnisque generis musicorum. Nam et Paralipomenon exponit, cum dicit de lignis thyinis (113) gradus factos in domo Domini et in domo regia citharas quoque et psalteria cantoribus. Hoc instrumentum musicum, psalterium scilicet, apud Hebræos dicitur nablum, quod tamen in suprascripto libro frequenti repetitione vulgatum est. Ipsum vero psalmum Græcum constat esse vocabulum quem dictum quidam volunt ἀπὸ τοῦ ψαύειν, hoc est a tangendo. Nam et psaltrias citharœdas vocamus docto pollice modulationes musicas exprimentes.

Psalmus vero est cum ex ipso solo instrumento musico, id est psalterio, modulatio quædam dulcis et canora profunditur.

Canticum quoque est, quod ad honorem Dei canitur, quando quis libertate propriæ vocis utitur, nec loquaci instrumento cuiquam musico consona modulatione sociatur, hoc est quod etiam nunc in Divinitatis laudibus agitur.

Psalmo canticum erat, cum, instrumento musico

(110) Est c. 11 integrum præfationis in Psalterium t. LXX Patrol., col. 17.

(111) Cassiodor. præf. in Psalt. c. 4-8 l. c. col. 15, 16. Desunt hic tituli capitulorum 5-8.

(112) Sic legendum cum Br., non *superne*, ut in editis.

(113) Edita addunt : quæ vulgo ebena vocantur.

præcinente, canens chorus sociatis vocibus acclamabat, divinis duntaxat sermonibus obsecutus.

Canticum psalmus erat, cum, choro ante canente, ars instrumenti musici in unam convenientiam communiter aptabatur, verbaque hymni divini suavis copula personabat (114).

V.

Quemadmodum in Psalmis de Christo Domino sentiendum, Cassiodorus (115).

Tribus modis psalmi loquuntur de persona Domini Christi pro instructione fidelium. Primum per id quod ad humanitatem ejus noscitur pertinere, ut est illud secundi psalmi : Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus ; in vigesimo quoque psalmo : Desiderium animæ ejus tribuisti ei et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Secundo per id quod æqualis et cœternus ostenditur Patri, ut est illud ejusdem secundi psalmi : Dixit Dominus ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et in centesimo nono : Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te. Tertio a membris Ecclesiæ, cujus ipse dux et caput est Christus, ut est illud vigesimi primi psalmi : Longe a salute mea verba delictorum meorum ; et in sexagesimo octavo : Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. Quod dictum pro unoquoque fidelium debemus accipere. Cæterum delicta a Christo probantur funditus aliena : unde Tichonius in libro Regularum latius diligenterque disseruit. Hoc si animo recondimus, nulla confusione turbamur, quia error maximus inde nascitur quando inconvenienter redditur alicui (116), quod dictum constat ad aliud.

Nam si uno modo fuisset locutus, quis ejus genuinam substantiam potuisset agnoscere, cum etiam nunc in tam evidentissima distinctione naturam divinitatis et humanitatis Domini Christi aliqui nitantur sacrilega voluntate confundere ? Multa quoque secundum litteram commonet, multa spiritualiter jubet, personas subito decenter immutat ; ut nunc Christus Deus, verbum incarnatum et homo factus, caput Ecclesiæ ; nunc ipsa Ecclesia, nunc homo justus, nunc pœnitens loqui videatur ut omnia necessaria tangat et includat. Ubique plenissimum cœlestium rerum sanctum vibrat eloquium et multiplici diversitate virtutum propter humani generis largiendam salutem, regni sui adoranda mysteria pius Redemptor insinuat.

Hæc ideo præfati sumus, ut cum ventum fuerit ad loca talia intrepidus lector audire possit quod se jam salubriter didicisse cognoverit.

VI.

Dicta S. Augustini in prologo psalterii et aliorum de virtutibus psalmorum (117).

Canticum psalmorum animas decorat, invitat angelos in adjutorium, fugat dæmones, expellit tenebras, efficit sanctitatem homini peccatori. Refectio mentis est, delet peccata, simile est eleemosynis sanctorum. Auget fidem, spem, charitatem. Sicut sol illuminat, sicut aqua mundificat, sicut ignis exurit, sicut oleum lenificat, diabolum offendit, Deum ostendit, voluptates carnales exstinguit. Oleum misericordiæ est, sors lætitiæ, pars angelorum electa. Asperitatem ejicit, omnem furorem deprimit, iracundiam frangit. Laus Dei assidua est. Simile est melli. Canticum psalmorum carmen electum est apud Deum. Omne peccatum expellit, vinculum charitatis connectit. Omnia penetrat, omnia implet, omnia docet, omnia significat. Animam magnificat, os purificat, cor lætificat, turrim excelsam ædificat, hominem clarificat. Sensum aperit, omne malum occidit, perfectionem demonstrat. Qui habet memoriam et amorem illius, habet etiam timorem et laudem Dei in corde suo, neque inde cadet unquam, nec peribit oratio ejus, sed in postremo apud Deum gaudebit. Tranquillitas mentis est, et signifer pacis, quia psalmi orant pro futuris, gemunt de præsentibus, pœnitent de præteritis. Gratulantur de bonis operibus, gaudium cœlestis regni commemorant. Per officium sæpe cantationis scutum acquiritur æquitatis adversus diabolicas potestates. Lumen veritatis ostendunt. Senibus solamen est, juvenibus ornamentum et mentis senilitas et perfectio est. Ipso adjuvante et donante, qui hæc per ora prophetica instituit, et per eorum jugem frequentationem sese exorare docuit. Cui est laus, honor et magnificentia, benedictio et claritas, sapientia, gratiarum actio, virtus et fortitudo una cum Deo Patre ejusque Filio unigenito, Domino nostro Jesu Christo per infinita sæcula sæculorum. Amen.

VII.

De institutione et auctore ac cantoribus, numero titulisque psalmorum (118).

David, filius Jesse, cum esset rex confirmatus in

(114) Textui Cassiodori hic adduntur sequentia : « De qua differentia etiam circa titulum psalmi 66 et 67 infra aliqua habes in glossa. » Quæ utrum Brunonis sint, an editoris Reyseriani nescio.

(115) Cassiodor. l. c. c. 13 sed non integrum, col. 17.

(116) Sic legendum cum Brunone, non *alibi*, ut est in editis.

(117) Iste prologus in Psalmos, qui olim Augustino tribuebatur, est ipsa Basilii ad ejus commentarium in psalmos præfatio, ex interpretatione Rufini (Patrol. t. XXXVI, col. 63). Quam licet imitatus fuerit Bruno, pauca tamen ex ea deprompsit. Confer et Ambrosium in psalmum 1.

(118) Hæc sunt ex commentario in Psalmos Bedæ falso adscripto (Patrol. t. XCIII, col. 477 D.) ubi titulus habetur ejusmodi : « Enarratio qualiter Spiritus S. Psalterium dictaverit. » Quæ tamen in codice nostro Ebracensi forma tum a Reyseriana editione, tum a Beda tam discrepante habentur, ut ad ipsius normam integra hic addere prætulerimus, licet non dubitemus suprascriptum textum R. genuinum Brunonis esse. « David, filius Jesse, cum esset in regno suo, quatuor elegit, qui psalmos face-

regno suo, quatuor elegit psalmodiarum principes : Asaph scilicet, Eman, Ethan, et Idithun. Ducenti autem et octoginta octo psalmos et cantica Domini docebant. Sunt vero omnes psalmi CL. Quorum omnium novem ipsius David inscribuntur, septuaginta duo vero ipsi David, triginta vero et duo superscripti non sunt, duodecim quoque in Asaph superscribuntur, duodecim in Idithun, novem filiorum Core, duo in Aggæum et Zachariam, unus Moysi et unus Salomoni. Diapsalmata vero ponuntur in psalterio LXXV. Cantica vero graduum numero sunt quindecim, quæ etiam isto titulo, sed non auctoris nomine inscribuntur. Non enim omnium psalmorum tituli sunt, aut auctorum sive etiam cantorum aut psallentium vel quorumlibet etiam hominum aliorum nominibus superscripti. Nam et primus psalmus nullo insignitus est titulo. Verum de primo alia ratio quam de cæteris psalmis est; primus (119) etenim psalmus nulli assignatus est, quoniam omnium psalmorum caput, principium atque quodammodo titulus est. Deinde quis alius intelligitur in secundo, nisi Dei Filius primogenitus, cui tanquam principio præponi nil debuit? Cui etiam inscriptio ideo non fuit necessaria, quia ipse psalmus Christi mentionem facit, ut : adversus Christum tuum. Exprimendo igitur personam, inscribendi causam omnino non habuit. Ideoque et titulum obelo notatum habet. Ordinem quoque historiæ immutatum legimus in titulis psalmorum. Sed psalmi non secundum historiam, sed secundum prophetias leguntur : et ita ordinem psalmorum turbare non potest ordo titulorum. Psalmi vero omnes, qui inscribuntur ipsi David ad Christi pertinent sacramentum, quia David dictus est Christus.

Sequuntur orationes antequam psalmi incipiantur (120).

Benignus et misericors Deus, qui revocas errantes et salvas pœnitentes, medelam tribuis infirmantibus, gloriæ coronam perseverantibus : exaudi me miserum et indignum famulum tuum, per hos psalmos clementiam tuam implorantem, ut quidquid humiliter hic oro, te largiente adipisci merear. P. D. N.

Alia oratio.

Deprecor misericordiam tuam et pietatem, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi; scio, quia pius et misericors es, patiens et multum benignus; te adoro, te laudo, te deprecor. Tu enim exaudisti sanctos et electos tuos ab initio mundi usque in finem; tu etiam exaudi me indignum et peccatorem te orantem et deprecantem : suscipe orationem et postulationem meam, omnemque sensum spiritalem horum psalmorum, quos coram te suppliciter oro vel canto, tibi acceptabiles facito. Qui vivis.

Alia oratio.

Suscipe, clemens et misericors Deus, hanc oblationem psalmorum, quam ego peccator omniumque criminum reus pro remedio animæ meæ offero, vel pro his in utroque sexu, qui mihi consanguinitate vel familiaritate conjuncti sunt, et pro his, qui se in manus nostras commiserunt, vel nobis confessi fuerunt, seu quorum eleemosynas suscepimus et pro omni populo Christiano vivis et defunctis, precor, mitissime Deus, prosit eis ad veniam et remissionem peccatorum. Amen.

rent, id est, Asaph scilicet, Eman, Ethan et Idithun. Octoginta octo ergo dicebant psalmos et CC sub psalma (sympsalma) et cithara percutiebat Abiuth. Cum David reduxisset arcam in Jerusalem, post annos viginti revocatam ab Azotis, et mansit in domo Aminadab : nunc imposuit in subjugali novo et adduxit in Jerusalem electis viris ex omni genere filiorum Israel septuaginta millia viros. De tribu autem Levi ducenta septuaginta octo millia viros. Ex quibus quatuor principes præesse causationibus (cantationibus) instituit : Asaph, Eman, Ethan, et Idithun, unicuique eorum dividens septuaginta duos viros succlamantes laudem cantionum Domino. Et unus quidem eorum feriebat cymbalum, alius citharam, alius tuba cornea exultans. In medio autem eorum stabat David tenens ipse psalterium. Arca autem antecedebat septem choris et sacrificium vitulus; populus autem universus sequebatur post arcam. Sunt omnes psalmi David numero CL. Quorum omnium quidem novem fecit David ipse, triginta duo non sunt suprascripti, septuaginta duo in David, duodecim in Asaph, duodecim in Idithun, novem filiis Core; unum Moysi, duo in Salomonem, duo in Aggeum et Zachariam. Fiunt itaque omnes psalmi David numero centum quinquaginta; Diapsalmi numero LXXV, cantica graduum quindecim numero. Psalmus primus nulli assignatus, quoniam omnium caput est. Deinde quis alius intelligitur in secundo nisi primogenitus, cui merito inscriptio non fuerit necessaria? Deinde quia ipse psalmus Christi mentionem facit, ut : *adversus Christum*, tantum exponendo personam, inscribendi causam omnino non habet. Ordinem historiæ immutatum legimus in titulis psalmorum. Sed sicut psalmi non secundum historiam, sed secundum prophetias leguntur, ita ordinem psalmorum turbare non potest ordo titulorum. Psalmi omnes qui inscribuntur ipsi David ad Christi pertinent sacramentum, quia David dictus est Christus. »

(119) Cf. Pseudobedam Comm. in Ps. 1. col. 483 c.

(120) Istæ orationes in codice ad initium præfationis translatæ sunt. In fine vero positæ sunt tres aliæ : Christe, qui es verus largitor et indultor lucis æternæ, Domine qui petere jubes et invenire te facis, obsecro itaque Domine, ut memor sis, etc.

SANCTI BRUNONIS

HERBIPOLENSIS EPISCOPI

EXPOSITIO PSALMORUM.

In Christi nomine incipit psalterium de translatione septuaginta Interpretum, emendatum a sancto Hieronymo in novum.

Origo prophetiæ David regis psalmorum numero centum quinquaginta (121).

PSALMUS PRIMUS (122).

C. B. Iste psalmus ideo titulum non habet, quoniam capiti Domino nostro Salvatori (de quo absolute dicturus est) nihil præponi debuit; sanctam enim ejus incarnationis vitam, impiorumque ultiones insinuat. Unde et materia hujus psalmi eadem est quæ et totius libri, scilicet Christus integer. Id est caput Redemptor noster cum membris, id est omnibus justis et sanctis.

1 *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum : et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.*

C Beatus vir, dictus quasi bene aptus (qui est Christus) est, cui optata omnia vel desiderata succedunt, virum egregie subjunxit. Vir enim a viribus dictus est, qui nescit tolerando adversa deficere, aut in prosperis aliqua se elatione jactare. Tribus modis hic ostendit evenire humanos errores, cogitatione, facto, et dicto. Cogitatione peccatrice abitur, facto malo statur longe a Deo. Dicto vero malæ doctrinæ, sive gloriationis, sive peccati consuetudine, in cathedra inficiente pestilentiæ sedetur. A Beatus igitur qui non abiit cogitatione a Deo in regionem longinquam dissimilitudinis, id est cogitatione non peccavit. Quamvis esset positus in concilio impiorum, C id est quamvis impii hoc molirentur ut abiret, veluti Christus quamvis inter peccatores sit conversatus, in viam eorum tamen non abiit. Adam vero abiit, dum uxori a diabolo deceptæ consensit, impii vero hoc molientes sunt diaboli, Scribæ et Pharisæi, vel omnes mali, in quorum viam Christus sicut non abiit, ita in ea non stetit. Quoniam eum sæculi et peccatorum illecebra non tenuit, nec in cathedra pestilentiæ sedit, id est prava consuetudine vel potius doctrina, quia salubrem doctrinam docuit, et A exempla malæ doctrinæ Christus posteris non relinquit. C Est enim cathedra doctorum, tribunal judicum, et regum solium proprie dicitur. H Unde sensus versiculi hujus est : Beatus qui non cogitavit, non fecit, non docuit mala.

2 *Sed in lege Domini voluntas ejus :*
Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

C Lex Dei est in declinandis peccatis sancta præceptio, in qua voluntas illius fuit, qui peccata non fecit. A C Intende vero quod secundo dicit in lege, non sub lege, quia Christus in lege fuit qui peccata non habuit, cæteri mortales sub lege qui delictis onerant. C Lex dicitur eo quod animos nostros liget, suisque teneat obnoxios constitutis. Meditari semper nullus valet legem Domini nisi Christus, sed et B ille qui membrum ejus est, meditabitur semper legem Dei, qui eam omni puritate inquantum poterit implebit. H Sive enim manducat, sive bibit, sive dormit. In nomine Domini omnia faciens, meditabitur legem Dei die ac nocte. C Dies dicta est a paganorum diis. Nox eo quod noceat aspectibus, sive actionibus nostris, dicta est.

3 *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum :*
Quod fructum suum dabit in tempore suo

C Bene ligno fructifero comparatus est Christus, propter crucem quam pro nobis sustinuit. Plantatum, id est prædicatum, secus decursus aquarum. Sicut terrestris enim aqua, vita et lignorum virentium, sic aqua baptismi salus est in Crucifixum credentium. C Fructum dabit, id est Ecclesias constituet; tempore suo, id est quando beatæ Incarnationis sacramenta suscepit. Fructus a fruendo dicitur. H Lignum (cui Christus comparatur secundum membra sua, id est quosvis vere Christianos) sapientiam puto, de qua et Salomon loquitur; lignum est vitæ his qui sequuntur eam, et Apostolus Christum ait Dei virtutem et Dei sapientiam. Erit itaque Christianus verus tanquam lignum, hoc est Christo Filio Dei conformis factus corpori gloriæ ejus, scilicet Christi.

(121) Hæc ex codice ms. addidimus. Quin vero genuina sint, nullus dubito, cum in Gallicani psalterii codicibus, quod sane editioni Brunonianæ subjacet, idem titulus habeatur : *Incipit psalterium de translatione septuaginta Interpretum, emendatum a S. Hieronymo presbytero in novo.* Romanam vero editionem vocabant psalterium emendatum *a novo*, id est *de novo*. Vide notam Martianæi, tom. XXIX Patrol., col. 119.

(122) Notandum apud Brunonem hunc ordinem constanter fuisse observatum : primo loco positus erat titulus ejusque expositio, tunc numerus et argumentum psalmi. Nos Cochlei ordinem, eo quod ad commoditatem magis conferat, hac in re retinuimus.

4 *Et folium ejus non defluet :*
Et omnia quæcunque faciet prosperabuntur.

C Folium ejus, sermones ipsius promissionis intellige, qui nullo casu a veritate decidunt, sed omnia quæ agit in actu prosperitatis perficit, quæ omnia accipienda sunt fructus et folia, id est facta et dicta.

5 *Non sic impii ✣ non sic : sed tanquam pulvis*
Quem projicit ventus ✣ a facie terræ.

C *Non sic impii*, vox est terrentis, sicut est invitantis, beatus vir, quoniam non erit sic impius, ut superius dixit beatos esse. Pulvis est resolutio terræ, cui homo terrenus comparatur cum inflatur vento superbiæ, et abjicitur sua levitate a firmamento præceptorum Dei. Pulvis huc illucque B dispergitur, sic et impius (qui semel Deum negaverit) quocunque cum aura diaboli traxerit, illuc errore perducitur.

6 *Ideo non resurgunt impii in judicio :*
Neque peccatores in consilio justorum.

C Impii sunt, qui sanctam Trinitatem nullatenus confitentur. C H Resurgunt impii, sed non in judicio, quia jam judicati sunt. C Justus surgit ut judicet, peccator ut judicetur. Impius, ut sine judicio puniatur. Peccatores sunt Christiani sed peccatis obnoxii, qui ideo non resurgunt in consilio justorum, id est in judicio justorum, quia jam illis, scilicet justis, per gratiam confessionis peccata dimissa sunt. In quo numero et sancti sunt, quia nullus nisi Deus sine peccato est. B Super Job : Hic ordines notantur quatuor de die judicii, id est sancti qui jam judicati sunt ad regnum, et cum Christo veniunt ad judicandum. Et impii jam adjudicati sunt ad supplicium. Peccatoribus dicitur qui pœnitentiam egerunt : Venite, benedicti ; et qui non egerunt : Discedite a me. In consilio, id est in æterno bono, quod sequi consilium fuit sanctis. C Vel in consilio, id est in judicio, ut cum eis judicent. Judicium enim in consilio est, dum quasi ex consilio assessorum, diversa peccata diversis pœnis punientur

7 *Quoniam novit Dominus viam justorum :*
Et iter impiorum peribit.

C Bonorum viam, id est, opera dicit nosse Deum, iter impiorum perire, quasi Dominus utcunque nesciat. Sed est sensus, hoc scit Dominus quod in beatitudine permanebit, hoc nescit, quod peribit, id est diabolus cum sequacibus suis, qui est iter impiorum in pœna perpetua. A Peribit igitur, pro non novit, dixit, sed et planius dicitur, quia hoc est nesciri quod perire, et sciri manere et esse.

ORATIO EX PSALMO I.

Effice nos, Domine, tanquam fructuosissimum lignum ante conspectum tuum, ut tuis imbribus irrigati, mereamur tibi suavium fructuum ubertate placere per Dominum nostrum, etc.

A

PSALMUS II.

ARGUMENTUM PSALMI II.

C Propheta de conventu infidelitatis contra Christum in passione loquitur. Et Dominus Christus de omnipotenti regno et de inenarrabili generatione sua.

TT. ✣ *Psalmus David* :

C Est iste psalmus habendus, primus in titulo, secundus in ordine ; unde in Actibus apostolorum dicitur primus. H Vel quia apud Hebræos, iste cum primo unus psalmus habentur sine titulo. Per titulum autem intelligitur uniuscujusque Psalmi intellectus. Quid est enim titulus nisi clavis, ut ita dixerim. In domum non ingreditur nisi per clavem, ita et uniuscujusque psalmi intellectus, per clavem hoc B est, per titulum intelligitur, in cujus, scilicet persona cantatur, aut in persona Christi, aut in persona Ecclesiæ, aut in persona Prophetæ, et de qua re sit.

1 *Quare fremuerunt gentes :*
Et populi meditati sunt inania.

C Corripit hic Propheta populos, non solum Judæos, sed et gentiles, cur fremuissent contra Christum, quod proprie ferarum est ; fremuerunt enim belluino furore, quia recta ratione carebant. Meditati sunt inania, non intelligentes ejus adventum esse fructuosum omnibus credentibus.

2 *Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum*
Adversus Dominum : et adversus Christum ejus.
✣ Diapsalma :

C. Reges autem terræ, Herodem dicit, qui infantes occidit, alterumque Herodem nepotem ejus qui Pilato in nece Christi consensit. Principes Pharisæos dicit : princeps dictus quasi prima capiens. Venerunt in unam voluntatem, non in unum conventum, adversus Dominum, id est Patrem, Christum ejus, id est Filium.

3 *Disrumpamus vincula eorum :*
Et projiciamus ✣ a nobis jugum ipsorum.

C Verba ista sunt dementium Judæorum. Putabant enim se vincula dirumpere, id est, evangelica præcepta, si in auctorem legis et in apostolos ejus malivola voluntate consurgerent, et jugum ipsorum projicere, cum jugum Domini sit suave et onus ejus leve (*Matth.* xi). Vanaque voluntate decepti, put bant ejus dominationem gravissimam, quam se abjicere festinabant, unde salvari poterant.

4 *Qui habitat in cœlis irridebit ✣ eos :*
Et Dominus subsannabit eos.

C Cœlos hic sanctos dicit, in quibus Christus habitat. Irridebit et subsannabit, ex humano more suscipienda sunt. Cæterum, nec irridet ullum Deus, nec vultu subsannat, sed virtute sua peragit quæcunque disponit.

5 *Tunc loquetur ad eos in ira sua :*
Et in furore suo conturbabit eos.

C Tunc loquetur. Illud tempus significat venturi

judicii. Ira ergo Dei et furor vocatur retributio peccatorum, nam illos motus Divinitas non patitur, sed humana consuetudine hic loquitur. H Non autem ait puniet sed turbabit, ut absque pœnis qui turbatus est corrigatur, nam ira aliquando necessaria correptio est, ut patris in filium, medici in ægrotum.

6 *Ego autem constitutus sum rex ✣ ab eo* ⁝ *super Sion montem sanctum ejus,*
Prædicans præceptum ejus.

H Ego autem (vox Christi) constitutus sum rex a Deo Patre pro parte carnis. C Sion Hebraica lingua, Latine *specula* dicitur, et hic Ecclesiam significat, quam et montem appellat, propter altitudinem honoris et fidei firmitatem. Prædicans præceptum, H C hoc est Evangelium.

7 *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu;*
Ego hodie genui te.

C Dominus, significat Patrem. Filius meus es tu, ut in Evangelio : Hic est Filius meus dilectus (*Math.* III, 17). Dicendo autem hodie, cœternitatem suæ majestatis ostendit. Genui te, illam nativitatem significat, de qua dicitur : Generationem ejus quis enarrabit (*Isa.* LIII)?

8 *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam :*
Et possessionem tuam terminos terræ.

C Postula a me, id est obedi ut possis postulare. Postulare enim hic jubetur, ut petat secundum humanitatem, et accepta possideat. Gentes nationes significat; gens enim a *genere* vocitatur. Cum dicit hæreditatem tuam, naturam suæ Deitatis ostendit. Hæreditas ab *hero* dicta est, id est a Domino quod in ea potestate libera dominetur. Cum dicit possessionem, universas gentes crediturus significat. Termini terræ, substantiam in hoc omnium creaturarum vult intelligi.

9 *Reges eos in virga ferrea :*
Et tanquam vas figuli confringes eos.

C Reges eos, id est potestatem tyrannicam auferes ab eis. Illi enim reguntur qui salvantur. Virga ferrea fortitudo est æquitatis. Confringes, id est per conversionis studium conteres in eis terrenas cupiditates. Bene enim peccator vasi luteo comparatur, ut confractio ejus facilis et vita lutea monstretur, sed in melius reparatur, cum divina gratia in spiritualem hominem perducitur.

10 *Et nunc, reges, intelligite :*
Erudimini ✣ qui ⁝ *judicatis terram.*

C Nunc, reges. Reges dominatores vitiorum dicit, qui hæc intelligere et implere Domino præstante valent. H Erudiri, doceri est; ipsi enim bene judicant terram, id est ecclesiam, qui bona quæ intelligunt alios docent. C Terra autem dicta est a *terendo*.

11 *Servite Domino in timore :*
Et exsultate ✣ ei ⁝ *cum tremore.*

A Servite Domino. Et ne superbiant, subdit, in timore. C Sicut enim timor Dei delicta excludit, ita securitas culpas admittit. Sed ne misera servitus propter timorem videatur, addit, et exsultate, sed ne iterum in temeritatem eatur, subdit, cum tremore. Itaque ne exsultatio faceret nos elatos, addit, cum tremore, ut reverenter Deo serviatur.

12 *Apprehendite disciplinam :*
nequando irascatur ✣ Dominus ⁝ *et pereatis de via ✣ justa* ⁝

C Ille apprehendit disciplinam qui se munit pœnitentia vera contra noxia vitia. Nequando in longa Dei patientia pereat de via justa, id est de Christo, qui est vera via recte ambulantium ad vitam, dux euntium, iter ad beatitudinem festinantium.

13 *Cum exarserit in brevi ira ejus*
beati omnes qui confidunt in eo.

B C Exarsit enim in brevi ira ejus, in illo judicio brevi, ubi non est singulorum discussio, sed simul omnia judicat judex. H Beati omnes, qui non in homines neque in semetipsos, sed in Deum confidunt. Iste psalmus finit, unde superior incipit, id est a beatitudine, et ideo apud Hebræos pro uno habentur.

ORATIO EX PSAL. II.

Disrumpe, Domine, nostrorum vincula peccatorum, ut jugo tuæ servitutis innexi, valeamus tibi cum timore et reverentia famulari. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS III.

ARGUMENTUM PSAL. III.

C Christus ad Patrem de persecutoribus suis loquitur. Instruitur fidelis populus ne mortem formidet, quia auctor ejus resurgendo spem veræ resurrectionis exhibuit. C

TITULUS PSALMI : *Psalmus David cum fugeret a facie Absalon filii sui.*

C Totus hic psalmus ad personam Christi refertur. Oportet autem eum tertium locum tenere, quia sanctæ Trinitatis, et triduanæ resurrectionis in se mysteria continet. Nam per liberationem David resurrectio Christi significatur.

1 *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me?*
Multi insurgunt adversum me.

C Ista verba dicit Propheta admirando, cur Judæi Dominum tribulassent et gentes, a quo salvari debeant, tam multi enim fuerunt surgentes contra Christum, ut de numero discipulorum Judas illis fuerit unus aggregatus. D

2 *Multi dicunt animæ meæ :*
Non est salus ipsi in Deo ✣ ejus ⁝
Diapsalma.

C Repetit, multi dicunt, ut ostendat densissimam stultissimamque impiorum vesaniam. Ideo dicunt : Non est illi salus; putabant enim non habere Patrem dilectionem Filii, quem carnaliter permisit occidi.

3 *Tu autem, Domine susceptor meus ✣ es* ⁝
Gloria mea et exaltans caput meum

C Hic, Filius susceptorem Patrem vocat secundum formam servi, necnon gloriam et exaltationem capitis sui, ut divina humanaque substantia una esset sine aliqua confusione persona.

4 *Voce mea ad Dominum clamavi,*
Et exaudivit me de monte sancto suo. Diapsalma.

C Cum dicit : Voce mea ad Dominum clamavi, hoc est : Pater, clarifica Filium tuum. Exaudivit me; ut ibi, Clarificavi et iterum clarificabo (*Joan.* XII). De monte, id est de Divinitatis altissima summitate.

5 *Ego dormivi et soporatus ✣ sum ⁝ et exsurrexi : Quia Dominus suscepit me.*

C Ego dormivi, dixit, id est, post passionem in sepulcro quievi, quia celeriter resurrexit. Soporatus sum, signat securam dormitionem. Est enim sopor dulcis quies et somni suavitas. Exsurrexi, cum alacritate, deposita mortalitate. Suscepit Filium divina potentia, quia per se non potuit resurgere humana B natura.

6 *Non timebo millia populi circumdantis me.*
✣ Exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

C Timere non potuit iniquum populum, cui erat in sua divinitate maximum præsidium. Non dicit Filius excitando Patrem, Exsurge, Domine, sed tropologice et figuraliter postulat in resurrectione paternum auxilium. Est enim tropus dictio, ab eo loco in quo propria est, translata in eum locum in quo propria non est. Est itaque Scripturis divinis mos iste ad experimendam causam, per tropologiam ex nostra consuetudine aliqua de Deo dicere

7 *Quoniam ✣ tu ⁝ percussisti omnes adversantes mihi sine causa*
Dentes peccatorum contrivisti. C

C Percussit Dominus Pater adversantes Filio, id est hæreticos, qui insequuntur catholicas regulas sine causa, id est sine ratione. Dentes contrivit, id est verba mordacia detrahentium divinis dogmatibus. Deus dictus a *demendo* est, quoniam omnia demunt dentes.

8 *Domini est salus.*
Et ✣ super populum tuum benedictio tua.
Diapsalma ⁝

H Domini est salus, id est non ab homine, sed a Deo Patre, et super populum Christianum benedictio Domini descendit.

ORATIO EX PSAL. III.

D Effunde, Domine, benedictionem tuam super populum tuum, ut tua resurrectione muniti, non timeamus ab adversantium vitiorum millibus circumdari. Per Jesum Christum, etc.

PSALMUS IIII

ARGUMENTUM PSAL. IIII.

C Ecclesia orat ut ejus audiatur oratio, increpans infideles quia vanitatem sequantur, monetque generalitatem, ut sacrificium justitiæ Deo immolet, unde ingentia ejus beneficia consequatur.

TT. *In finem psalmus David canticum.*

C Psalmorum finis non modo significat alicujus rei consumptionem, sed perfectionem, et ideo hic ad Christum est referendum, qui est finis legis A (*Rom.* X). Psalmus est musicum organum capite sonorum, vel potius est melodia qua divina præconia canebantur. Canticum, quod supernas laudes humanis vocibus personabat.

1 *Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ,*
In tribulatione dilatasti mihi.

C Vox Ecclesiæ ad Christum; licet sciat se esse auditam, tamen orare non cessat. Tribulatio est, quæ dilatat in martyrio sanctam Dei Ecclesiam, quando eodem tempore confessores fiunt et martyres coronantur, totaque turba justorum contritionibus semper augetur.

2 *Miserere mei : et exaudi orationem meam.*

C Miserendum sibi esse dicit pia mater, si ejus B oratio pro filiis audiretur, quoniam quidquid membris tribuitur toti hoc corpori sine dubitatione præstatur.

3 *Filii hominum, usquequo gravi corde?*
Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Diapsalma.

C Graves corde dicit filios qui, agnita veritate, hoc est Christo, adorare magis elegerunt idola vanitatis. Vanitas quidem nomen est generale vitiorum, sed illud proprie vanum dicitur quod a Deo probatur alienum. Mendacium, hoc est idolum, tale enim merito susceperunt, quia contra veritatem erecta sunt. Diligere enim debemus proficua, non noxia.

4 *Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum :* C
Dominus exaudiet ✣ me ⁝ cum clamavero ad eum.

C Hic indicat Propheta arcanum sanctæ Incarnationis. Sanctum dicit, id est Filium. Merito se exauditum dicit, quoniam Christum populis prædicavit. Clamat ad Christum, qui illum bonis operibus supplicat.

5 *Irascimini et nolite peccare.*
Quæ dicitis in cordibus vestris et in cubilibus vestris compungimini. Diapsalma.

C Irasci debemus præteritis peccatis, scilicet pœnitendo, ut horreat nos, qui peccavimus. Cum dicit in cordibus et in cubilibus, ostendit agnoscere Deum cogitationes hominum. Cubile enim a *cubando* dicitur, quod est domicilium ferarum, et est sensus : D Deserite pravas cogitationes, antequam scelera perpetretis, id est antequam in opera malas cogitationes ducatis; dum adhuc in corde sunt, exstinguite. H Vel nocte expiate per lacrymas, quod in die cogitando peccastis.

6 *Sacrificate sacrificium justitiæ et sperate in Domino.*
Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona?

C. Superius admonuit mater clementissima Ecclesia ab antiquis idolorum sacrificiis et culturis recedendum, nunc hortatur et Christianos semetipsos, non pecudes, recte vivendo Deo sacrificare. Sperareque docemur in Deo, qui salutaria ejus promissa consequamur. Quis ostendit nobis bona, di-

cunt multi dubitando, quod nec pauci debuerint, id est resurrectionem esse venturam et bonorum præmia? Cui interrogationi statim sancta mater respondet dicens : Signatum, etc.

7 *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine,*
Dedisti lætitiam in corde meo.

C Signatum est super nos lumen vultus tui, quia sicut nummus imperatoris habet imaginem, ita fidelibus signa cœlestis regis imprimuntur in baptismo et aliis sacramentis, hoc est, signaculum sanctæ crucis, quo diabolus effugatur. Lumen est vultus Dei, impressio crucis, quia eos illuminat semper qui se non polluunt ulla pravitate. Lætitiam dicit rectæ fidei, tunc enim lætamur veraciter, quando recte credimus. A Vel lumen illud gratia Dei est, infusa menti reparandæ, qua ratio insignitur ut denarius regis imagine, et hoc lumen est totum et verum hominis bonum.

8 *A fructu frumenti et vini + et olei sui* ⁝
Multiplicati sunt.

C Admonet eos qui carnalibus rebus intenti esse probantur, multiplicati sunt enim pessimis actibus, id est mundana voluptate completi. Ideo addidit, sui, quia peccatores istis utuntur terrenis fructibus, non secundum præcepta Dei, sed secundum desideria sua. Vel, sui, id est Christi, panis cujus vivus est, et vinum inebrians, et oleum caput, id est mentem impinguans. Frumentum vero dictum est a *frumine*, id est a summa parte gulæ; antiqui enim caput gulæ frumen vocabant.

9 *In pace in idipsum :*
Dormiam et requiescam.

C Ne putares pacem istam temporalem significari, sed incommutabilem cœlestemque in corde permanentem, ideo dicit in idipsum, ut intelligas, nulla varietate in seipsa veram pacem mutatam. Dormiam, id est in ipsa pace vitam finiam. Requiescam in futura beatitudine, quando jam requies dabitur sanctis et pausatio gloriosa.

10. *Quoniam tu, Domine,*
Singulariter in spe constituisti me.

C Singularis spes est Ecclesiæ in membris suis, quia sola recipit regnum Dei, quod impii non possunt adipisci. Cum dicit, Constituisti me, significat dignam deliberatamque sententiam, quam hic habemus in spe, ibi possidetur in re.

ORATIO EX PSAL. IIII.

Exaudi nos, Domine, et in tribulationibus nostris miserere nobis, et qui solus magnificaris in populis, spiritalem lætitiam tribue, et in spe munerum futurorum constitutis. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS V.

ARGUMENTUM PSAL. V.

C Ecclesia, suam poscens orationem audiri, prædicat hæreticos et schismaticos a Domini munere excludendos, felicia insuper commemorans præmia beatorum.

A TT. *Psalmus David pro ea quæ hæreditatem consequitur.*

C Pro ea quæ hæreditatem consequitur, Ecclesiam significat, cujus persona in hoc psalmo introducitur, quia, resurgente Christo, ad eam spiritualia bona pervenerunt, id est fides, spes, charitas.

1 *Verba mea + auribus : percipe, Domine* ⁝
Intellige clamorem meum.

C Psalmus iste, ut superior, ad Christi Ecclesiam pertinet. Dicendo autem verba mea, oris significat psalmodiam. Intellige clamorem meum, ut affectum cordis aperiret petit. Trina ista repetitio unum significat, cum dicit percipe, intellige, intende, per figuram metabolem, quæ est unius rei sub varietate verborum iteratio, auris ab auditu dicitur.

B 2 *+ Intende voci orationis meæ* ⁝
Rex meus et Deus meus.

C Intende voci, modo dicit, ut declaret orationem hanc esse perfectam quæ inflammat affectus mentis. Rex meus et Deus meus et quoniam ad te orabo Domine, ista sententia distinguitur in personis, unitas tamen credatur in natura, quamvis enim tres nominet, non tamen intendite, sed intende, tanquam ad unum dixit.

3 *Quoniam ad te orabo, Domine :*
Mane exaudies vocem meam.

C Ad te orabo, id est, non ad alium, ut pagani et increduli, tunc se merito credit Ecclesia mane exaudiri, cum in lucem cœlestis conversationis eruperit, et in exordio bonorum actuum veritatem cœperit
C mens illuminata cognoscere. Mane enim deprecatur, qui in lucida conversatione degere dignoscitur, mane enim dicimus, cum, discussis tenebris, clari luminis adventus infulsit.

4 *Mane astabo tibi et videbo :*
Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

H. Repetit mane, id est, incipiente luce virtutum in anima mea, *quando tibi stare non alii sed tibi stare cœpero*. Non sedere, non jacere, sed stare, et statueris supra petram pedes meos, tunc per istos gradus merebor te videre. Vel astabo tibi recte vivendo, et videbo, subauditur te oculis cordis. C Est ordo, tu es Deus, qui iniquitatem nolle cognosceris, quid enim aliud potest Deus velle, nisi quod ipse probatur præcipere? sicut ait Isaias, ego Dominus qui
D loquor justitiam et annuntio recta (*Isa.* XLV).

5 *Neque habitabit juxta te malignus ;*
Neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

C Nequeunt habitare juxta Christum in beato regno, qui gehennæ cruciatione damnandi sunt. H Recte illi coram ipso non permanere dicuntur qui ab ejus regno privandi sunt. Si enim Deus ignis est, et ignis consumens, quicunque stipula est, quicunque lignum est, fugit ab igne ne consumatur. Si vero aurum, ignem non fugit quo purificatur (*Deut.* IV).

6 *Odisti omnes qui operantur iniquitatem :*
Perdes + omnes ⁝ *qui loquuntur mendacium.*

H Non dixit, qui operati sunt iniquitatem, sed

qui operantur iniquitatem. Nam habentur odio a Domino, qui persevevant in peccatis usque in finem vitæ; amantur qui quod operati sunt male, emendant. Perdes eos, hæreticos significat, qui tot homines cum mendacio occidunt, quot in hæresim introducunt.

7 *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus;*
Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

C Vir sanguinum est, qui humano cruore polluitur, ille similiter, qui decipit in gratia vivum, ut hæretici. Dolosus est, qui sciens malum, alienum operari nititur exitium, ut eum fraude decipiat. Et est dolus proprie in facto, fraus in verbo. Illi abominantur, qui Christi præmia consequi non merentur. A Solent enim abominati dici exhæredati. Qui B autem consequitur hæreditatem cœlestem, exsultat in spe dicens: Ego autem, etc.

8 *Introibo in domum tuam;*
Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

H C Introibunt justi in domum Christi, id est sanctam Ecclesiam, sive cœlestem Hierusalem. C Templum sanctum, corpus est Domini quod jure adorat Ecclesia in timore. Quia tunc fides firma est, quando amore casto et timore, divinitas adoratur. A Vel templum cœleste: ad quod adoro, dum ei operibus bonis et orationibus appropinquo, non in eo vero sed prope et ad ipsum adoro, dum gloriam Dei non video.

9 *Domine, deduc me in justitia tua propter inimicos* C
meos;
Dirige in conspectu meo viam tuam.

C Postulat a Domino deduci ad æterna gaudia mater Ecclesia, quæ hic fatigatur diversis angustiis. Justum est, ut in sua justitia velit Christus suscipere supplicantes, propter inimicos, hoc est hæreticos et paganos. Unus pravo dogmate maledicendo, alter non credendo, inimici dicti. H Viam, Scripturam sanctam dicit, ne male intelligendo, in ea corruat. A Vel viam qua itur ad te, præcepta accipe. Istam tuam viam dirige, id est ostende in conspectu meo, ut præ oculis habeam præcepta, et per ea me regas. H Dirige in conspectu tuo viam meam, nec LXX habent, nec Aquila, nec Simmachus, nec D Theodocion, sed sola coine editio, denique in Hebræo habetur: Dirige in conspectu meo viam tuam, sicut in oratione enim Dominica nomen Domini sanctificari petitur, non quo nobis orantibus sanctificetur quod per se sanctum est, sed quo petamus, ut quod per naturam sui sanctum est, sanctificetur in nobis. Ergo et nunc propheta postulat, ut via Domini, quæ per se recta est, etiam sibi recta fiat.

10 *Quoniam non est in ore eorum veritas;*
Cor eorum vanum est.

H C Recte enim dicitur, non esse in ore hæreticorum veritatem quæ Christus est, quorum cor vanitas possidebat, quia nec in corde est, et non solum veritas non est in ore eorum, verum etiam sepulcrum, etc. A

11 *Sepulcrum patens est guttur eorum. Linguis suis*
dolose agebant;
Judica illos, Deus.

C Sepulcrum mortui, est guttur mentientis, quia sicut de sepulcro fetor malus, ita de ore hæretici prava doctrina *profertur*. Patens, si clausum esset, minus feteret; si tacuisset, minus nocuisset. Agebant dolose linguis, quia malitiam non solum in lingua sed etiam in actu ostendebant, non autem optavit Ecclesia voto maledictionis, sed futura prædixit. H Judica illos, Deus, ut sentiant te judicem, qui te patrem sentire nolunt: qui judicaturus es in fine, judica etiam nunc, ut *sciant te res humanas* B *respicere*.

12 *Occidant a cogitationibus suis · secundum mul-*
titudinem impietatum eorum expelle eos;
Quoniam irritaverunt te, Domine.

C Decidere proprie dicitur, qui spei suæ amissione fraudatur, decidant igitur inimici, ne impietates impietatibus augeant. H Expelle eos, ab impietatibus suis, vel ab Ecclesia. C Quia tantum peccator ab illa longius redditur, quantum numeroso crimine dilatatur. Irritaverunt ægroti mali, medicum bonum, id est Christum, quia remedia suæ salutis respuerunt.

13 *At lætentur omnes qui sperant in te;*
In æternum exsultabunt et habitabis in eis.

C Lætentur et exsultabunt in æternum, sperantes C in Domino, quoniam videntur et impii in hoc sæculo gaudere, soli autem justi in futuro sæculo gaudebunt. H Felices sunt, qui merentur tabernacula esse Christi. A Lætentur igitur nunc, qui in isto sæculo sperant in Domino, quoniam post mortem in æternum exsultabunt.

14 *At gloriabuntur in te + omnes ⁝ qui diligunt no-*
men tuum,
Quoniam tu benedices justo.

C Gloriabuntur omnes, significat in illa patria esse felices, qui Domini visione fruuntur. Benedices justo, ne quis putet præmissa præmia gaudiorum, sibi suis meritis esse attributa, sed a benedictione Domini fieri accipienda. A Gloriabuntur igitur tunc D qui hic diligunt, quoniam ad fruendum habebunt quod diligunt, quæ est hæreditas æterna, de qua psalmus intitulatur.

15 *Domine*
Ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eos.

C Proteget nos Dominus scuto bonæ voluntatis, cum nos ditabit ineffabilibus muneribus, et ad regna perpetua ad coronandum perducet. A Bona itaque Dei voluntas et misericordia in præsenti nobis est ut scutum protegens; in futuro, ut corona. C Dicit vero bonæ, non justæ, voluntatis, ostendens sola Dei bonitate, non nostra justitia, nos salvari.

ORATIO EX PSAL. V.

Pie Domine, qui attriti cordis gemitum, priusquam proferatur, intelligis: effice nos, quæsumus

templum paraclyti, ut mereamur scuto cœlestis benevolentiæ coronari. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS VI.

ARGUMENTUM PSAL. VI.

B. Fideles orant, benevolum sibi judicem fieri, ærumnas proprias quibus afflicti ingemiscunt narrantes, seque a peccatorum consortio segregantes, nullam cum ipsis habere cupiunt portionem.

TT. *In finem in hymnis pro octava David.*

C In finem jam notum est. Hymnus est laus Divinitatis, metri alicujus lege composita. Siquidem hymnus proprie canticum laudis est, non cujuslibet, sed Dei : quorum quodlibet deest, non dicitur hymnus. Sive enim non canatur, sive canatur et non in laudem, sive etiam in laudem sed non Dei canatur, hymnus dici non meretur. Pro octava vero significat adventum Domini, quando finita hebdomada sæculi : ad judicandum venerit mundum, unde et psalmus iste cum tremore maximo fecit initium dicens : Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.

1 *Domine, ne in furore tuo arguas me;*
Neque in ira tua corripias me.

C Iste Psalmus primus est psalmorum pœnitentiæ. Sequitur XXXI, XXXVII, L, CI, CXXIX, CXLII. Ideo septem, quia VII modis peccata dimittuntur, id est baptismo, martyrio, eleemosynis, remittendo fratri peccata, convertendo peccatorem, abundantia charitatis, pœnitentia pura; addenda quoque est et communio corporis Christi. Inveniuntur vero diligenter inquirenti fortasse et alii remissionis modi : psalmos vero pœnitentiales non credas incassum ad septenarium numerum a majoribus perductos. C Non enim supplicat Dominum propheta ut non arguatur, cum legitur : Quos amo, arguo; sed ne in severitate judicii damnetur. Ira est longa indignatio; furor velox accensio mentis, sed ira vehementior, quibus Dominus nunquam movebitur, sed justa tranquillitate consistit etiam puniendo. Translativis igitur verbis hæc de Deo dicta sunt.

2 *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum;*
Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

C Infirmitatis confessio : Dei misericordiam movet, a quo facile impetrantur remedia, cum vulnera peccati manifestantur. Ossa hic fortitudinem mentis significant, quæ cum deficit, vigor mentis omnis elabitur, sicut et ossibus corporis quassatis, omne corpus infirmatur.

3 *Et anima mea turbata est valde;*
Et tu, Domine, usquequo?

H Dixit animam suam turbatam esse, scilicet per pœnitentiam ad emendandum. C Valde : ideo dixit, ne clemens Christus pateretur diutius tardare adjutorium. Usquequo, subauditur differs misereri, qui usque ad finem preces supplicum non soles oblivisci. H Vel usquequo animam meam vehementer conturbatam non eripis, non corrigis, non emendas.

A 4 *Convertere, Domine, et eripe animam meam;*
Salvum me fac propter misericordiam tuam.

C Cum dicit : Convertere, vindictæ relaxatio postulatur, ut non exigat a nobis debitas ultiones. Eripe : ab imminenti supplicio. Salvum se petit fieri, non secundum sua merita, sed propter misericordiam divinam, in qua dum fixa spes ponitur venia facilius impetratur.

5 *Quoniam non est in morte qui memor sit tui;*
In inferno autem quis confitebitur tibi?

C Bene perfidos dicimus esse immemores Dei, qui nullam fiduciam confessionis habent. H Est igitur mors : peccatum mortale, infernus; cæcitas desperationis. C Vel post mortem temporalem non est confessio ad veniam, quantominus in inferno : ideo
B addidit : Quis confitebitur tibi? subauditur : ad veniam in inferno, ubi nulla remissio invenitur.

6 *Laboravi in gemitu meo;*
Lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo.

C Gemitus est enim dictus geminatus luctus, cum malorum nostrorum reminiscimur, et futuræ pœnæ timore terremur. Lectum : delectationem corporis dicit, quam potest homo lacrymis lavare : si eum contingat cœlesti inspiratione deflere. Stratum : significat cumulum peccatorum, quod ideo homo lacrymis rigat, ut eodem saluberrimo imbre peccata deleantur. Lectus autem ab electis ac mollibus herbis dictus est, supra quas antiquitus quiescentium corpora remittebantur in *somnum*. Rigare uberius
C aliquid significat quam lavare : qui quotidie lacrymis stratum rigat, non potest in cogitatione ejus, libidinum pompa *subripere*.

7 *Turbatus est a furore oculus meus;*
Inveteravi inter omnes inimicos meos.

C Oculus dictus quasi ocior lux, quod cito intenta respiciat, sive quæ palpebris occulentibus probatur occultus. Unde hic : Oculum cordis dicit turbatum, id est, H totum principale cordis mei contremuit. Inveteravi, id est, C in veteris hominis Adæ antiquitate permansi. Inter inimicos, id est, inter spiritus diabolicos, sive inter nostra peccata, quæ ideo inimica, quia nostras animas ad tartara deducunt, et ad hoc feraliter blandiuntur.

D 8 *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem;*
Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

C Petit propheta a se recedere societatem malorum, ut securius possit suo Domino servire, ut quæ malorum collegio peccaverat, fugatis a se talibus, mandatis Domini devotissimus appareret. Eo quoque modo se probat ad plenam correctionem venisse, quia se voluit a malorum societate dividere : unde sequitur : Exaudivit Dominus.

9 *Exaudivit Dominus deprecationem meam;*
Dominus orationem meam suscepit

C Deprecatio est : cum pietate frequens oratio, et deprecatio sola est : quæ nimia decet, et importuna conciliat. Nec vacat quæ in una postulatione, ter Dominum dicit præstitisse quod petiit : scilicet ut

monstraret sanctam Trinitatem adfuisse suæ petitioni.

10 *Erubescant et conturbentur* ✠ *vehementer* ⁝ *omnes inimici mei,*
Convertantur et erubescant valde velociter.

C Cum dicit erubescant : vult peccatores tanta compunctione illuminari, ut pro his quæ prius faciebant : *se erubescant et emendent.* Conturbentur scilicet timore futuri judicii. Dum dicit, mei : relaxavit odium, cui multitudo erat donata culparum. Avertantur, id est, ut non permittantur ire quo tendunt, hoc est peccare. H Erubescant : non leviter sed vehementer, non crastino tempore sed cito. C Et vide quæ iste pœnitens statim exauditus et a peccatis liberatus, evangelicæ regulæ obsecundans, pro inimicis suis ut convertantur exorat : ut sicut B ipse accepit veniam, ita carnales inimicos ejus ad Domini gratiam redire contingat.

ORATIO EX PSAL. VI.

Exauditor omnium Deus, exaudi nostrorum fletuum supplicem vocem : et tribue infirmitatibus nostris perpetuam sospitatem, ut dum dignanter gemitum nostri laboris suspicis : tua nos semper misericordia consoleris. Per.

PSALMUS VII.

ARGUMENTUM PSAL. VII.

C Iste Psalmus ad Christi humanitatem pertinet, qui per id quod factus est humilis : secundum suam justitiam veritatemque se expetit judicari.

TT. *Psalmus David quem cantavit Domino pro* C *verbis Chusi filii Jemini.*

H Sciendum itaque Chusi interpretari *Ethiopem*, et totum istum psalmum contra Saul esse conscriptum : quem Æthiopem vocat, propter tetros ejus mores. Jemini vero dicitur familia Benjamin, de qua Saul ortus est. C Vel Chusi, Patre Augustino docente, interpretatur silentium ; filii autem Jemini, filii dextræ interpretatur.

1 *Domine Deus meus, in te speravi ;*
Salvum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me.

C Postulat propheta liberari de universis inimicis, maxime de spiritalibus nequitiis, quia carnales hostes corpus impetunt, spiritales vero animas necare contendunt. Salvum fac a peccato, libera a diabolo, D ut ab ipsius potestate tollamur ; quando misericordia Domini a delictorum sordibus expiamur.

2 *Nequando rapiat ut leo animam meam ;*
Dum non est qui redimat neque qui salvum faciat.

C Leoni confertur diabolus, leoni et comparatur Christus. Ille quod ad interitum rapit, Christus quod eripit ad salutem. Non est qui redimat, id est cum Christus subvenire cessaverit, obstantibus nostris peccatis, illo tempore prævalet diabolus rapere.

3 *Domine Deus meus, si feci istud :*
Si est iniquitas in manibus meis.

H Iste versiculus et sequens ad Christum pertinet, qui nullam iniquitatem perpetravit, et ad David, qui Sauli bis in manu ejus cadenti, nulla mala reddidit. A

4 *Si reddidi retribuentibus mihi mala ;*
Decidam merito ab inimicis meis inanis.

C Nemo enim retribuit, nisi qui aliquid ante percepit. Sed iste vir Deo plenus et patientiæ virtute firmissimus et benevolus petit, ut si malum pro malo reddiderit, decidat ab inimicis inanis, id est, vacuatus sit fructu magnæ mansuetudinis. Et non solum hoc, verum etiam (quod gravius est) si reddidi, etc., persequatur.

5 *Persequatur inimicus animam meam et comprehendat :* ✠ *et conculcet in terra vitam meam,*
Et gloriam meam in pulverem deducat. Diapsalma..

C Inimicum, diabolum dicit, qui animas quas comprehendit conterit, quia homines corpus solum persequi possunt, sed diabolus etiam animam, quod plus est. Ac si dixisset, Si inimicis mala reddidi, quod tu prohibuisti, deducat honorem suscepti hominis (qui ad imaginem Dei constat factus) in illum pulverem, quem projicit ventus a facie terræ, id est, quasi in nihilum redigat.

6 ✠ *Ex* ⁝ *surge, Domine, in ira tua,*
Et exaltare in finibus inimicorum meorum.

C Consurgat Dominus in ira, qui non habet iram, id est in vindictam. H Verum hæc vindicta quæ dicitur ira, in diabolum potius debet averti, qui toties punitur, quoties sibi peccator eripitur, ut sic inimici illum sentiant per vindictam, quem noluerunt per beneficia. C Exaltatur Deus, quando conversis peccatoribus confessio laudis offertur Christo ; et hoc : In finibus, id est possessione diaboli, in qua utique exaltatur Christus, dum a conversis laudatur.

7 * *Et : exsurge* ✠, *Domine Deus meus* ⁝ *in præcepto quod mandasti,*
Et synagoga populorum circumdabit te.

C Mandavit Dominus in præcepto, hoc est, in Evangelio discipulis : tertia die resurgam, præcedam vos in Galileam, dixit vero propter certitudinem prophetiæ præteritum pro futuro. Synagoga, hic collectionem signat reproborum, quæ Christum circumdabat, non credendo, propter rebelles Judæos qui Christum persequebantur. H Vel Synagoga, populum fidelium significat, qui credendo, Christum post resurrectionem circumdederunt.

8 *Et propter hanc in altum regredere ;*
Dominus judicat populos.

C Propter hanc, id est Synagogam, in qua habitare Christus non potuit propter infidelitatem. Regredi enim est, unde veneris iterata via reverti. Cum dicit, judicat populos, omnipotentis Patris majestas ostenditur.

9 *Judica me, Domine, secundum justitiam meam,*
Et secundum innocentiam meam super me.

C Cum ponitur, judica me, humilitas Christi humanitatis exprimitur, quæ de Mariæ utero assumpta

est. Constat etiam eum peccatum nullatenus habuisse, quia peccatum non fecit, ideo innocentiam suam ostendit.

10 *Consumetur nequitia peccatorum;*
Et diriges justum scrutans corda et renes, Deus

C Petit propheta in persona Christi accelerare nequitiam peccatorum, id est, ut caro pro nobis cito crucifigeretur, ut cito suus ascensus clarificetur. Directus est justus, quando resurrexit a mortuis, et ad cœlorum regna conscendit. Virtutis enim Dei est, et corda nostra discutere, et corporeas delectationes intelligere, hoc est corda scrutari et renes.

11 *Justum adjutorium meum a Domino,*
Qui salvos facit rectos corde.

A Justum adjutorium, quia jam justo tribuitur, et est quasi medicina servans salutem. C Dicit etiam humanitas, suum adjutorium a Deo Patre, ut nobis spem in se credentibus suæ pietatis largiretur, quod rectis corde et veniam tribuit et salutem.

12 *Deus judex justus fortis + et ⁝ patiens:*
Nunquid irascetur per singulos dies?

C Justus judex dicitur Deus, quia tribuit unicuique in fine quod gessit. Fortis quia nullus valet resistere voluntati ejus. Et patiens, quia quotidie exspectat, ut convertat se peccans in pœnitentiam (*II Cor.* v). Irasci enim judicum more dicitur, cum illud in divinitate non invenitur. Per singulos dies, id est cunctis momentis, quibus peccata committimus, nam ubi esset gloriosa patientia, si mox sequeretur sua vindicta culpam?

13 *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit;*
Arcum suum tetendit et paravit illum.

C Gladium vibrabit (terret propheta contumaces Judæos qui culturis idolorum serviebant) id est unicum Filium suum sub lucente claritate missurus est. Vibrare enim illud dicimus quod modo lumen, modo tremulas umbras ostendit, quod constat de Christi incarnatione provenisse, quando perfidis tenebras, fidelibus lumen suæ deitatis ostendit. Arcum, scripturas Novi et Veteris Testamenti accipimus, quibus contumaces terrentur. Tetendit dixit, ne ejus patientia remissa putaretur. Et paravit illum, hoc potest de Deo dici, ut mos ipse sagittantium plene videatur expressus.

14 *Et in eo paravit vasa mortis;*
Sagittas suas ardentibus effecit.

C Per arcum Vetus ac Novum Testamentum diximus, unde effectus mortis venit malis, qui ex scripturis quandoque occasionem mortis capiunt, et sagittis ipsius vita præstatur. De isto arcu, egressæ sunt sagittæ, id sunt apostoli, qui desiderantissimis animis, hoc est ardentibus, præcepta salutaria uti sagittæ transmiserunt, quibus impii vulnerentur et fideles curentur. Effecit, id est, operatus est. Et quis hoc Deus fecit, tamen ecce, etc.

15 *Ecce parturit injustitiam: + et ⁝ concepit dolorem,*
Et peperit iniquitatem.

C Parturivit injustitiam, plebs Judæa, cum videret A Dominum miracula facientem, et de ejus morte tractavit. Concepit dolorem, quando eos increpavit diversis parabolis et a sua perversitate illos convertit. Peperit iniquitatem, quando dixit Crucifige, ordo præposterus est. Prius enim suggestione diaboli peccatum concipitur, deinde parturitur et paritur.

16 *Lacum aperuit et effodit eum,*
Et incidit in foveam quam fecit.

C Lacus dicitur quia ejus fundus latet, et pro fraude hic ponitur, quem Judæ pravitas aperuit, quia primus nequiter contra Christum fraudem inchoavit. Effodit, dum eum in sua damnatione perfecit. Incidit in foveam, in mortis scilicet locum. A Prius enim fraudator læditur damno innocentiæ, quam alium lædat damno pecuniæ

B 17 *Convertetur dolor ejus in caput ejus;*
Et in vertícem ipsius iniquitas ejus descendet.

C Dolor enim dictus quasi domabilis horror, hic debemus caput pro anima accipere, huic subjecta sunt peccata obnoxia, quando refrenantur ne perpetrentur. Vertex enim dictus, quæ dextra lævaque vertat capillos, signat rationem, quæ supereminet menti hæc anima si peccatis facientibus inclinatur, necesse est, ut in verticem, id est supra rationem ipsius, iniquitas descendat, nam cum supra impios peccata propria descendunt, suis sceleribus in pœnas debitas destinantur.

18 *Confitebor Domino secundum justitiam ejus*
Et psallam nomini Domini altissimi.

C C Duobus modis confessio dicitur, cum peccata nostra satisfactione damnamus, aut dignas Deo laudes cum exsultatione celebramus. Justitiam qua superbis resistit, humilibus dat gratiam, quia superbos facit sua crimina sustinere, humiles vero dignatur absolvere. Psallere est mandata Domini peragere et hymnos, voce et intimo corde cantare.

ORATIO EX PSAL. VII.

Scrutator cordium Deus, libera nos a persequentibus nos, et da nobis in tui exspectatione judicii, firmam custodiam mentis, ut non retribuamus inimicis mala pro malis. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS VIII.

D

ARGUMENTUM PSAL. VIII.

C. Ecclesia laudes majestatemque Domini Christi decantans, naturam ejus humanam, ad magnarum rerum dicit crevisse fastigia.

TT. *In finem pro torcularibus, psalmus David.*

C In finem significare Dominum jam diximus. Pro torcularibus, Ecclesia declarata est, quæ primo ingressu laudem Domini læta decantat. A Ecclesia autem eadem ratione torcular qua area dicitur. Multis enim variisque similitudinibus eadem res in Scripturis sæpe insinuatur. In area quippe grana a paleis, in torculari vinum a vinaciis dividitur, ita in Ecclesia boni a malis non loco sed affectu separantur.

1 *Domine Dominus noster,*
Quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

C Nomen Domini vocabulum inenarrabile sonat, unde cum dicit, quam admirabile est: non potest explicare quod sentit. Universa terra, quia per totum mundum ejus religio sancta dilatatur. H Quod pro nobis homo factus es, quod mortuus, quod resurrexisti, in cunctis gentibus est vulgatum, sed et illud quod elevata est, etc.

2 *Quam elevata est magnificentia tua*
Super cœlos.

C Magnificentia Dei est arcanum Incarnationis Christi: quæ elevata est, quando Christus resurgens ascendit in cœlos, ut in alio psalmo: Exaltare, dicitur, super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua (*Psalm.* LVI).

3 *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*
propter inimicos tuos,
Ut destruas inimicum et ultorem.

H Hæc prophetia in Evangelio completa est, quando in templo pueri clamabant: Osanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXI). C Ut sit sensus, non solum a perfectis et doctis es laudabilis, sed etiam ab incipientium et ore parvulorum mirabilis prædicaris, ut per infantes et lactentes, non pueros materiali lacte alendos, sed in fide parvulos qui rudimentis fidei imbuti, fortiorem cibum non recipiunt intelligamus (*I Cor.* III; *Hebr.* V). Inimicos: paganos et blasphæmos designat. Defensorem: Judæum perfidum, C H vel hæreticum dicit, A vel diabolum suæ sectæ defensorem et peccati: dicunt quoque hæretici fidem se defendere Christianam, et peccatores veritatem, dum peccata excusant. C Inimicum vero et defensorem vel ultorem: Judæum perfidum specialiter dicit, qui dum Patrem se putat defendere, Filio existit inimicus, ita factum est, ut Dei quasi defensor, apertissimus Deo probaretur adversarius.

4 *Quoniam videbo cœlos ⁘ tuos ⁘ opera digitorum tuorum:*
Lunam et stellas quas ✣ tu ⁘ fundasti

C Videbo cœlos, id est libros evangelicos. Digitus Dei dicitur: divinæ operationis effectus. Lunam, Ecclesiam dicit; stellas, justos homines. Fundasti, ut intelligamus omnia in prædestinatione Dei fundata

5 *Quid est homo quod memor es ejus,*
Aut filius hominis quoniam visitas eum?

C Quid est homo, cum despectione pronuntiandum est, id est fragilis et caduci Adæ sequax, qui in veteri peccato socia pravitate permistus est. Hujus memor Dominus est, quando ei per suam misericordiam peccata dimittit. Filium hominis: filium virginis Mariæ dicit; A C quia visitavit nos, corpus humilitatis nostræ assumendo, et ita a peccato veteri liberando, visitavit Dei Filius, *hominis* filium; quando Dei Filius factus est hominis filius.

A 6 *Minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria et*
honore coronasti eum,
Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

C Minoratus est enim, non necessitate sed pietate et spontanea voluntate, formam servi accipiens: ex ea siquidem parte minor factus est angelis, qua crucem pro omnium salute suscepit. Bene autem dixit paulo minus, quia et si mortalem carnem accepit; tamen nulla peccata habuit. H Gloria, cum in ejus descensu inferi claruerunt. Honore, cum vicit mortem. Coronatus, circumdatus choro sanctorum rediit ex infernis. C Dum dicit opera manuum, omnis illi creatura subjecta monstratur.

7 *Omnia subjecisti sub pedibus ejus:*
Oves et boves universas: insuper et pecora campi.

B C Cum dicit omnia, ostendit et terrena et superiora ei esse subjecta. Oves electum populum signat. Boves prædicatores dicit. Insuper, id est non solum sancti, sed etiam peccatores (quos pecora significant) ei subjecti sunt, qui bene sunt pecora: dum in mundi istius voluptate pascuntur. Oves sunt autem, cum intra Dei septa clauduntur.

8 *Volucres cœli et pisces maris,*
Qui perambulant semitas maris

C Volucres cœli a volatu crebro dictæ, superbi homines sunt, qui inflati vento jactantiæ quasi per inane aeris volitant, et humilia despiciunt. Pisces philosophos dicit, qui hujus mundi naturam erratica curiositate pertractantes: sicut pisces in mari C natant, qui per nimiam curiositatem non contemplantes cœlestia, inter hujus sæculi fluctus, rerum fluentium occultas angustias scrutantes, putant esse vitam æternam. Et hi pedibus Christi subjecti sunt, dum convertuntur. Nam licet Christo omnia jure subjecta sint, illos tamen proprie dicimus esse subjectos, qui ad ejus onus læve pervenire meruerunt.

9 *Domine Dominus noster,*
Quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

C Repetit sancta Ecclesia congrue siquidem versum de laude Domini, quem in capite dixit, quia ipse dixit, Ego sum *alpha et omega*, id est initium et finis (*Apoc.* I).

D

ORATIO EX PSAL. VIII.

Admirabile nomen tuum, omnipotens Domine, supplices exoramus, ut qui omnem creaturam mundi, ad usus hominis subjecisti, nos ad tuæ servitutis officium dignos digneris efficere. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS IX.

ARGUMENTUM PSAL. IX.

C Propheta lætum se dicit Domino psallituram, quoniam confudit diabolum pauperumque sanguinem vindicat, et peccatores cum antichristo dicens perituros, judicii tempus velociter advenire deprecatur, ne cujuslibet iniquitas ultra prævaleat.

TT. *In finem pro occultis filii.*
Psalmus David.

C In finem, pro occultis *filii* David psalmus. Finis iste signat illum : non in quo deficitur, sed in quo crescitur, qui nobis initium est boni, finis est mali. Pro occultis filii : personam significat Salvatoris, cujus mysteria et judicia nobis sunt occulta. Totus hic psalmus, in persona Ecclesiæ per prophetam canitur.

1 *Confitebor ✣ tibi ⁝ Domine, in toto corde meo;*
Narrabo omnia mirabilia tua.

C In toto corde confitetur Deum, qui nullis cogitationibus mundanis fluctuat, quod est perfectorum. Narrabo, etc. H Ac si dixisset quantum me docuisti, tantum narrabo. Qui narrat quantum intelligit : omnia mirabilia Dei narrat, quamvis in se plura sint.

2 *Lætabor et exsultabo in te;*
Psallam nomini tuo, Altissime.

C Plus est enim exsultare quam lætari. Exsultare est animi et corporis motu majori jocundissima libertate gaudere, lætari vero : animo dilatari in gaudio, lætitia enim quasi latitia, id est mentis latitudo, in gaudio dicitur. Psallam, H opere compleam. Nomen Patris Filius est. Altissimus ipse est Deus.

3 *In convertendo inimicum meum retrorsum :*
Infirmabuntur et peribunt a facie tua.

H. Inimicum dicit diabolum, cui Dominus dixit : Vade retro, Satana (*Matth.* xvi). Putant enim quidam, non Petro sed diabolo, Petro suggerenti Dominum respondisse : Vade, retro, Satana, id est adversarie, seu inimice. Infirmabuntur. Hic pluraliter omnes satellites diaboli comprehendit, qui prius fortes erant propter peccata nostra, modo infirmi; nos autem in Deo fortes. Peribunt ante faciem. C Id est ante gratiam [*al.* faciem] Christi.

4 *Quoniam fecisti judicium meum et causam meam.*
Sedisti super thronum ✣ qui ⁝ judicas justitiam.

H. Fecisti judicium meum, vox Ecclesiæ. Ac si dicat : gentes elegisti, Judæos reprobasti. Causam meam, id est, causasti pro me contra adversarios, et vindicasti me, et fecisti causam meam bonam. Thronum Græcum est, Latine *sedes*, quia unusquisque sedes Dei est. C Hic præsens tempus pro futuro dixit, judicas, quia judicaturus sit æquitatem.

5 *Increpasti gentes, ✣ et ⁝ periit impius :*
Nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum ✣ sæculi ⁝

H. Increpasti gentes per apostolos, quia idola adorabant. Et periit impius, quia ab impio per prædicationem factus est pius. Nomen eorum delevit, id est nomen impietatis. C In sæculum sæculi, futurum regnum signat, quod nulla ætate nullo tempore finietur, est enim sæculum æternum post istud mutabile sæculum; quod est sæculum, id est sequens æternitas istius sæculi, id est, isto finito aliud incipit.

6 *Inimici defecerunt frameæ in finem :*
Et civitates ✣ eorum ⁝ destruxisti.

C Inimici genitivus casus est, id est diaboli, cujus frameam defecisse testatur, quando virtus diaboli in fine Omnipotentis judicio destruetur. Framea Hebraicus sermo, Latine *gladius*. Civitates, populos infideles, quorum pectora diabolus in hoc sæculo possidebat; in ultima Christi manifestatione dicit convictos.

7 *Periit memoria eorum cum sonitu :*
Et Dominus in æternum permanet.

C Cum sonitu dicit, id est cum clamore maximo, quod fieri solet, quando res prosperæ gravissimo fine clauduntur, ut nec potestas eorum videatur remanere, nec nomen. Et ecce decora nimisque apta diversitas, quia prius dixit impios perire, nunc in æternum Dominum permanere dicit.

8 *Paravit in judicio thronum suum, et ipse judicabit orbem terræ in æquitate :*
Judicabit populos in justitia.

C Paravit, scilicet Deus homo, ut qui hic in humilitate judicatus est, ibi in majestate judicaturus adveniat. Et ipse utique Dominus Christus judicabit. Orbem terræ sanctos viros debemus accipere. Isti judicandi sunt in æquitate qui audituri sunt : Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* xxv); æquitas enim pro placiditate et leni judicio poni solet. Populos, peccatores dicit. Isti cum justitia judicandi sunt, quibus dicetur : Ite in ignem æternum (*Ibid.*).

9 *Et factus est Dominus refugium pauperi :*
Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

C Magna cogitatio gaudiorum, ipsum habere refugium quem et judicem. Pauper Dei est ille, qui terrena despiciens, cœlestia desiderat. Illud adjutorium dulcissimum est, quod in opportunitate, id est necessitate præstatur. In tribulatione, cum animus afflictorum ad compunctionem avidius incitatur.

10 *Et sperent in te qui noverunt nomen tuum*
Quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.

C Sperent in te, non in sæculi blandimenta respiciant, sed in tuam promissionem confidant, qui noverunt nomen, id est qui majestatem tuam sanctissima devotione venerantur. A Nomen enim est Dei : Dominus, vel Est. Quod novit, qui libenter ei servit qui vere est. Ideo nemo speret in transitoriis, præter fuit et erit nihil habentibus. Nam quod in illis futurum est, cum venerit fit statim præteritum, exspectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore, non tenetur cum certitudine. C Sequitur causa cur sperent in Deum, quia non patitur eos deserere quos videt ad se confugere

11 *Psallite Domino ✣ qui ⁝ habitat ✣ in ⁝ Sion :*
Annuntiate inter gentes studia ejus.

H Psallite Domino, id est prædicate Dominum, et opere implete quod prædicatis. Sion *speculatio* dicitur, id est Ecclesia, in qua habitat Christus. Annuntiate. Vox Prophetæ admonet prædicatores prædicare studia ejus, id est mandata Christi.

12 . *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est :*
Non est oblitus clamorem pauperum.

C Quia superius dixit, prædicate gentibus; ne quis putaret inultum esse sanguinem martyrum, dixit requirens sanguinem, ut vindictâ terreret persecutores, et martyres promissio mulceret. Non est oblitus dicit, ne putent oblivisci Deum (propter longinquitatem futuri judicii) retribuere bona pauperibus Christi.

13 *Miserere mei, Domine :*
Vide humilitatem meam de inimicis meis.

C Postulat sibi Propheta sic subveniri, ut videatur a rege Christo, quia ejus conspectus auxilium est. Supplicat iterum intelligi a Domino suam humilitatem de superbia persecutorum, quia tantum videntur B extolli persecutores, quantum humiliantur martyres.

14 *Qui exaltas me de portis mortis :*
Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

C Porta vero mortis est diabolus vel vitia illecebrosa, per quæ introitur ad æternam mortem. Exaltas me, id est longe facis a talibus. Liberatus ex illis portis mortis, pollicetur se pronuntiaturum laudes Domini in portis Sion, id est in toto orbe sanctæ Dei Ecclesiæ. A Portæ enim Ecclesiæ sicut sunt apostoli, ita omnia optima studia, per quæ venitur ad visionem pacis in Ecclesia. H. Portæ etiam mortis hæretici, et omnis mala doctrina. Portæ Sion, id est Ecclesiæ boni prædicatores et sancta doctrina. C

15 *Exsultabo in salutari tuo :*
Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt.

C Merito ergo se dicit Propheta in ipso gaudere, id est in Christo, ubi gaudii nullus est finis. Infixas enim gentes dicit, quæ timore Domini non tenentur, id est quasi quibusdam clavis peccatorum ligatas, ut non valeant se excutere, quod non improbe ad Judæos pertinere dicimus; ut ita sint malis suis affixi Judæi perfidi, sicut in cruce clavis Dominum infigere decreverunt : pœna etiam cuique sua est iniquitas.

16 *In laqueo isto quem absconderunt :*
Comprehensus est pes eorum.

C Laqueum vero occultaverunt quantum potuerunt, et tamen Christum nil celare valuerunt. Comprehensos illos dicimus quos captio nodosa constringit, sic fuit pes eorum, id est gressus animi, et desiderium pravum, quod eos ambulare fecit ad vitia. A Laqueus quippe occultus dolosa cogitatio; pes animæ amor, qui, si pravus est, dicitur cupiditas; si rectus, charitas. Eo movetur anima quasi ad locum quo tendit, id est delectationem bonam vel malam.

17 *Cognoscet Dominus judicia faciens :*
In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.
Canticum diapsalmatis.

C Cognoscetur Dominus, quando humanum genus A sive a sinistris seu a dexteris judicio Dei erit segregatum. Comprehensus est peccator operibus suis, cum secundum qualitatem operis sui dignam recipit ultionem.

18 *Convertantur peccatores in infernum*
Omnes gentes quæ obliviscuntur Deum

C Convertantur peccatores, dicit, id est ab hujus mundi delectatione tollantur, ne diutius possint in sua voluptate gaudere. Infernus autem dictus est ab eo quæ illic animæ jugiter interantur, ad quem sine dubio perventuri sunt, qui Domini præcepta contemnunt. Oblivisci Dominum est involvi erroribus superstitionum et cœno voluptatis, nam e contrario illius memores sunt qui talia non requirunt.

19 *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis :*
Patientia pauperum non peribit in finem.

C Non enim oblivio erit pauperis, quando venerit Dominus in fine sæculi judicare mundum, dicit etiam non perire patientiam quæ fideles coronat. Nam si deest homini patientia, anima ejus non est perfecta. In finem. H Quia si differtur auxilium a sanctis, tamen non aufertur nisi venit

20 *Exsurge, Domine, non confortetur homo :*
Judicentur gentes in conspectu tuo.

C Prospexit Propheta adventum Antichristi et proclamavit. Exsurge, Domine, non confortetur, id est non prævaleat homo pessimus scilicet Antichristus, cujus nequitiam non valet sustinere humana conditio. Gentes etiam petit judicari celerrimo adventu, quæ cum ipso Antichristo scelera magna facturæ sunt.

21 *Constitue, Domine, legislatorem super eos :*
Ut sciant gentes quam homines sunt. Diapsalma :

C Legislatorem, hic Antichristum dicit, ut talis princeps detur peccatoribus, non qui eos regat sed cum ipsis simul depereat. H Sciant, cum damnatæ fuerint gentes, etc., quoniam spem suam in hominem posuerunt et non in Deum. C Tamen legislator verissimus solus Deus, Antichristus vero male et false legislator erit.

22 *Ut quid, Domine, recessisti longe ?*
Despicis in opportunitatibus, in tribulatione ?

C Non cessit longe Christus, quia ubique totus est, sed quasi recessisse creditur cum subvenire tardaverit. Despici enim nos credimus si vel minimo D tempore ab auxilio Dei differamur, hoc dixit Propheta pro anxietate gementium. Sed ille tunc magis præstat, cum magnæ patientiæ nobis solatia ministrat.

23 *Dum superbit impius. Incenditur pauper :*
Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.

C Superbit impius. Cum facta suæ malignæ voluntatis superbus expleverit, tunc magis incenditur pauper catholicus ad studium virtutis, quia, dum viderit peccatorem nimis exaltatum, facile novit casurum, sed isti impii comprehenduntur debitis pœnis puniendi. A Vel, in consiliis cogitationum malarum, quibus cogitant comprehendere sanctos ad affligendum. Et cur superbiat ipius subdit, quoniam laudatur,

etc. Et hæc est magna ira Dei in impium, ut desit correctio et assit adulatio, adulantium enim linguæ alligant animas in peccatis.

24 *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ :*
et iniquus benedicitur

25 *Exacerbabit Dominum peccator :*
Secundum multitudinem iræ suæ non quæret.

C Malus enim, dum ab alio peccatore laudatur, extollitur in desiderio laudis, nec de correctione cogitat, cui laudator blandiens invenitur. Sequitur argumentum ejus iniquitatis, ut ille benedicatur qui male potius agere cognoscitur, deceptus adulantium falsitate. C Exacerbabit Dominum peccator, id est ad iracundiam concitabit sua indicibili superbia, quod proprie de Antichristo datur intelligi, qui irritat Dominum, quando se sua fallacia non solum terrenum regem sed etiam rerum omnium prædicabit Deum, sed hoc ei erit ad ruinam, ideo, ut falsus Deus, flammis dignis punietur. Non requiret Deum Antichristus, ut sua peccata crudelia dimittantur, quia in conspectu suo non habet Deum ; ideo subditur, non est, etc.

26 *Non est Deus in conspectu ejus :*
Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

C O quam profunda cæcitas, Deum ante oculos non habere. De Antichristo dicit, omnes semitas ejus esse pollutas, id est cogitationes et facta sordida ; necesse enim est ut sint contaminata quæ pestiferi ducatu diaboli sordidantur

27 *Auferuntur judicia tua a facie ejus :*
Omnium inimicorum suorum dominabitur.

C Auferuntur judicia Dei a corde impii, quando videt tardius venire quod celeriter meruerit sustinere. Hoc illi quoque auget interitum, quod dicitur tenere principatum inimicorum suorum, qua gloriatione ad scelera pronior erit : cum nullum sibi obviam ire cognoverit.

28 *Dixit enim in corde suo :*
Non movebor a generatione in generationem sine malo.

C Dicit Antichristus, Non movebor, id est nullam gentem intactam relinquo, sed pergam de gente in gentem vindicandus. Actus vero suos ostendit uno verbo, quando se dicit sine malo nihil esse facturum.

29 *Cujus maledictione os plenum est et amaritudine et dolo :*
Sub lingua ejus labor et dolor.

C Nequitia ejus duplici perversitate describitur. In ore quippe habebit blasphemam maledictionem, cum se filium Dei mentitur. Amaritudinem, quando contradicentibus sibi pœnam mortis indicit et ad supplicia jubet pervenire. Labor, cum diversis cladibus affligit innoxios. Dolor, cum martyres facit. Hæc habet in ore quæ locuturus est publice; hæc vero habet sub lingua quæ cogitat. Cogitat vero laborem et dolorem, quia sine his consummari non potest corona martyrii.

30 *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis :*
Ut interficiat innocentem.

C Cum dicit, sedet in insidiis, actus Antichristi comparavit consuetudini latronum, qui se occultant ut interficiant innocentes. Divites hic in malo accipiuntur, sicut pauperes in bono. A Divites enim sæculi dicit, quos ditabit ut eorum gloria alios decipiat. C Interficere innocentem est de religioso facere sacrilegum, ejusque animam perpetua morte damnare.

31 *Oculi ejus in pauperem respiciunt :*
Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua.

C Cum dicit oculos ejus in pauperem, scilicet spiritu respicere, sciendum quod non respicit ut proficiat illi pauperi, sed ideo intendit ut occidat. H Leonem Antichristum nominat, diabolus quoque et leo et draco dicitur. Leo quando aperte persequitur, draco quando occulte nocet. C Quod ait, ut leo, ad vim pertinet ; sed quod addit, in cubili suo, ad dolos pertinet suos, quibus laceraturus est Christianos.

32 *Insidiatur ut rapiat pauperem :*
Rapere pauperem dum attrahit eum.

C Iteratio insidiarum nimiam calliditatem hostis ostendit. Rapere pauperem subitum periculum animæ significat. Dum attrahit eum, id est, dum illum molitur a veritate reducere, et ad venerationem sui nominis molitur adducere.

33 *In laqueo suo humiliabit eum :*
Inclinabit se et cadet cum dominatus fuerit pauperum.

C Laqueus significat dolum, quo corda simplicium capiuntur. Humiliabit autem, quando de vera religione cadunt ex suasione diaboli, qui ad insanam doctrinam perducuntur. Inclinabit se tyrannus, cum animum suum remiserit in aliquod otium cessando a tanta persecutione, nimia acquisitione perditorum satiatus. Post pœnas afflictionesque justorum, cadet nequissimus cum suis sequacibus de sua præsumptione, quando illi supervenerit repentinus interitus ; finem enim sæculi infelix nescit, quoniam eum in sua potestate Dominus constituit. H Ideo cum se sperabit adhuc longe victurum, repentinus ei superveniet interitus.

34 *Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus :*
Avertit faciem suam ne videat in finem.

C Nimis stulta cogitatio, putans Dominum fideles suos nolle respicere, pro quibus passionem sustinuit, cum propter ipsum doceantur omnia pœnalia et adversa sustinere.

35 *Exsurge, Domine Deus.*
Exaltetur manus tua : ne obliviscaris pauperum.

C Exsurge, Deus, hoc est, celeriter veni ; exaltetur manus tua, operationem judicii significat. Illud enim Propheta desiderabat venire, unde Antichristus posset occumbere. Ne obliviscaris, nunc rogat, ne secundum votum tyranni obliviscatur pau-

perum in finem sæculi, ubi retributio est futura meritorum.

36 *Propter quid irritavit impius Deum?*
Dixit enim in corde suo : Non requiret.

C Interrogando enim dicendum est, propter quid irritavit impius Deum. Respondendum, ideo quippe quoniam Deum impius putabat non posse sua facta requirere et pauperum injurias, quasi circa cardines cœli Deus ambulans, nostra non consideraret, sed inveniet memorem in futuro, quem sperabat oblitum.

37 *Vides quoniam tu laborem et dolorem consideras*
Ut tradas eos in manus tuas.

C Propheta loquitur ad Deum : Vides quoniam tibi nullus illudat ; consideras enim laborem et dolorem, quem ille perfidus sub lingua habuit, id est in cogitatione sua revolvit. Ut tradas eum, id est judicio traditus non evadet, sed digna factis reci piet, cum æterna damnatione torquebitur.

38 *Tibi derelictus est pauper :*
Orphano tu eris adjutor.

C Cum dicit, tibi derelictus est pauper, ostendit quoniam qui Domino derelinquitur, nulla utilitate fraudatur, hoc est enim pio principi dimitti, quod bonis omnibus tradi. Pauper enim dictus a *paulo tare*. Pupillum vero dicit non cujus genitor carnalis occubuit, sed cui pater sepultus est, id est mundus quem non amavit. Tu eris adjutor dicit, ut cum carnaliter affligi videas, eos non dubites esse liberandos.

39 *Contere brachium peccatoris et maligni :*
Quæretur peccatum illius et non invenietur.

C Redit nequitia Antichristi ante oculos Prophetæ et rogat : Contere brachium ejus, id est ad nihilum redige potentiam, qua male utebantur peccatores, quia insigniter impia faciebant. Malignus, quia iniquus suasor erit, ut quos terrore non potest pervertere, saltem per noxia præmia conetur declinare. H Quæritur peccatum illius nec invenietur, hoc est ad emendationem non est dignus venire. C Addidit, nec invenietur, quia dubium non est perire scelestam potestatem, cujus auctor est damnandus. A Ut sic inveniatur peccatum et peccator ad damnationem, quæ non inveniuntur ad emendationem.

40 *Dominus regnabit in æternum et in sæculum + sæculi :*
Peribitis gentes de terra illius.

C Interfecto Antichristo, redit Propheta ad ordinem futurarum rerum, ubi jam securitas sanctorum et regnum æternum Christo Deo est. Gentes, peccatores et impios dicit, qui feraliter vivunt. De terra illius, regnum signat Salvatoris, quo soli beati perfruuntur.

41 *Desiderium pauperum exaudivit Dominus :*
Præparationem cordis eorum audivit auris tua.

H Desiderium pauperum, dicit voluntatem Ecclesiæ, ut ei tribueret regna cœlorum. C Et præparationem cordis, id est concupiscentiam, quæ ostendit A virtutem animi ardore mentis. H Aurem Dei, clementiam divinam dicit.

42 *Judicare pupillo et humili :*
Ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

C Ecce auctoritate prophetica admonemur, pupillum humilem Deo esse gratissimum. Cum pupillus humilis dicitur, justissimus approbatur, ut non apponat ultra, hoc est, H ut non elevet Antichristus se ultra super electos Dei, quia C tunc omnia mala finienda sunt, cum auctor mortis cum sua plebe damnabitur. Hæc sunt occulta Filii, quæ psalmi hujus titulus canit.

ORATIO EX PSAL. IX.

Confessioni nostræ piam aurem, Deus clemens, B aperi, qui sperantes in te nunquam consuevisti derelinquere, ut exaltati de portis mortis perpetuæ, possimus salvi tentatoris occultas insidias effugere. Per Dominum nostrum.

PSALMUS X.

ARGUMENTUM PSAL. X.

C De hæreticis Propheta dicit, qui nituntur catholicos in suam convertere pravitatem, Domini illis judicium comminans, et quid in illa retributione debeant sustinere.

TT. *In finem + Psalmus : David.*

C Sciendum est hunc psalmum probatum esse ad hæreticos destruendos.

1 *In Domino confido :*
Quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer ? C

H In Domino confido. Vox Ecclesiæ contra hæreticos. C Ac si dixisset, Dum ego sum in religionis fixo cacumine constitutus, quomodo suadetis me : Transmigra in montem, id est ad hæreticam pravitatem, mentientes esse Christum ibi, ubi veritas esse nulla probatur ? Mons significat elevatam superbiam mentis, qua sola hæresis incurritur, dum hæretici humilibus consentire nolentes, super Ecclesiam se erigere conantur. Passer hæreticum signat, qui ad nequissimas prædicationes inconstantis animi levitate transfertur. Instabilis enim avis passer, et alii in foraminibus parietum, alii in roscidis vallibus, nonnulli in squalidis montibus habitant.

2 *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum : paraverunt sagittas suas in pharetra :* D
Ut sagittent in obscuro rectos corde.

H Quoniam ecce peccatores, id est hæretici, intenderunt arcum, id est ora illorum contra Ecclesiam. Intenderunt arcum, id est potentiam verbositatis suæ. C Paraverunt sagittas, id est verba venenosa. In pharetra, id est in corde. H ut sagittent, etc., id est cum viderint in Ecclesia obscuratos imperitia vel simplices, laqueis dolosis vel occultis illiciant. C Recti corde sunt dicti, qui nulla iniqua persuasione decipi poterunt, vel in obscuro, id est obscuris et ambiguis sententiis eorum, vel cum persecutionibus tetris perturbatur Ecclesia. Quando timore

periculi carnalis homines creduntur facilius immutari.

3 *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt : Justus autem quid fecit?*

C Dicit idem Propheta destruxisse hæreticos legem Dei cum interpretationibus falsis, convertentes in necem quæ a Domino prophetata sunt ad salutem. Subjungitur defensio Domini Christi : Justus quid fecit? H hoc est, Christus mundum redemit. C Vel, si Scripturas subvertere volunt, quid fecit eis justus, quod etiam illum persequuntur?

4 *Dominus in templo sancto suo : Dominus in cœlo sedes ejus.*

C Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III), ut sciat hæreticus se posse a Deo disperdi, a quo noscuntur corda recte credentium possideri. Cœlum enim sanctos viros significat, quos divinitas insidere dignatur. Terrere igitur hæreticos a seductione bonorum per Domini judicium nititur Propheta, ut si justos seducere non timent, saltem eum qui in justis est et habitat timeant.

5 *Oculi ejus in pauperem respiciunt, Palpebræ ejus interrogant filios hominum.*

H Oculi Domini, id est aspectus et clementia Divinitatis pauperem populum Christianum respicit ad adjuvandum. C Palpebræ, dictæ a *palpitando*, signant subtilitatem divini judicii ac judicia Dei occulta, in quibus nos interrogat, id est cognoscit quid habeat unusquisque.

6 *Dominus interrogat justum et impium : Qui autem diligit iniquitatem odit animam suam.*

H Dominus interrogat, id est cognoscit et probat justum et impium. C Hoc ideo dicitur, ut unusquisque circumspiciat conscientiam suam, de qua novit solum Deum ferre judicium. Non enim justus est quem homines dicunt, sed quem Deus probat justum. Quid est diligere iniquitatem, nisi diabolum sequi? semetipsum persequitur qui diabolum sequitur, dum illas semitas vult ire, quæ ad *fugienda* loca pœnarum perducunt.

7 *Pluit super peccatores laqueos : Ignis et sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

C Pluit, scilicet verba prædicationis, quæ piis imbres sunt, perfidis autem laquei igniti. Ignis etiam est, cum eos flammea cura consumit cupiditatis. H Sulphur, putredo peccatorum. C spiritus procellarum, dum se confundunt mente tumultuosa, pars calicis eorum, id est mensura, quæ pollutis actibus ebriantur. H Vel, ignis, cupiditas, sulphur, peccatorum putredo, spiritus procellarum, pœna æterna; et quos ignis exurit, tempestas exanimat.

8 *Quoniam justus Dominus et justitias dilexit : Æquitatem vidit vultus ejus.*

C Justum dicit Dominum amare justitiam, quia nescit alios respicere, nisi qui norunt custodire justitiam, æquitatem illam, scilicet quam ipse propitius concedit. Vultus Dei propitiationem significat.

ORATIO EX PSALM. X.

Dirige oculos pietatis tuæ super humilem paupertatis nostræ personam, omnipotens Domine, et circumda nos fidei armis, ut ab iniquitatum sagittis cruti, valeamus æquitatem et justitiam custodire. Per Dominum.

PSALMUS XI.

ARGUMENTUM PSAL. XI.

C Salvum se Propheta a mundi istius perversitate fieri petit, quoniam dolosi atque superbi, potentiam Dei sceleratis oblocutionibus abnegabant; promissionemque Patris per Filium dicens faciendam, eloquia Domini sub brevitate collaudat.

In finem pro octava die. Psalmus David.

C In finem pro octava die, ut in sexto psalmo jam dictum est, ad æternam pertinet requiem, petit itaque Propheta iniquitatem mundi destrui, ut ad illam veritatem futuræ promissionis debeat pervenire.

1 *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus : Quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.*

C Salvum me fac, exclamat ad Dominum Propheta, petit se salvum fieri ab illo a quo veram medicinam noverat invenire, dicens sanctum deesse; aliter enim sanctus deficere non poterat nisi fuisset inter homines veritas imminuta. Verum cum dicit diminutas, evidenter ostendit depravata Dei munera ex culpis hominum, et collata beneficia propria perversitate maculata. Dicit vero veritates, de veritatibus hominum loquens, una est Dei veritas, qua illustrantur animæ sanctæ.

2 *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum : Labia dolosa in corde et corde locuti sunt.*

C Vana falsa significat, quando contra Dominum testimonia falsa quærebant, tunc imminutæ sunt veritates. Proximos dicit, non tam cognatione generis quam participatione sceleris sociatos. In corde et corde, quoties volumus dolosos ostendere, duplicia eorum corda declaramus, quando simplices, unum cor in eis esse testamur. Locuti sunt, ut subaudias mala.

3 *Disperdat Dominus universa labia dolosa : Linguam magniloquam.*

C Disperdat dicitur contra Judæos, ut passim pereant, qui se in una pravitate collegerant. Lingua magniloqua est quæ sibi aliquid magnæ potestatis assumit, et, ne hic in bono linguam magniloquam accepisses, prædixit labia dolosa. Considera vero pietatem dicentis, quod non hominibus (quia aliqui convertendi erant) sed ipsis vitiis maledicit.

4 *Qui dixerunt : Linguam nostram magnificabimus : Labia nostra a nobis sunt : Quis noster Dominus est?*

C Illos exponit, qui in prosperis rebus se jactantes, gloriam suam exaltare præsumunt, et sibi ipsis deputant non a Deo accepisse. Istud quis noster Dominus est, sacrilegorum verba sunt contradicen-

tium vero Deo, et superborum. A Hypocritarum et philosophorum, qui ingenio et studio scientias et eloquentiam acquisitas ex seipsis habere putant, contemnentes non habentes eas, ideo subdit :

5 *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum :*

Nunc exsurgam, dicit Dominus.

C Exsurgam, dicit Propheta in personam Patris de Filio; exsurgam, id est, apparebo et manifestabor in Filio, H ut eos qui in miseria sunt in mundo redimat.

6 *Ponam in salutari :*

Fiducialiter agam in eo :

H Ponam in salutari (vox Patris), id est salutem et consolationem pauperum, forte gentium in Filio; qui est lætitia contra gemitum. Fiducialiter agam B in eo, C id est in Filio, quia potestas Patris; fiducia est Filii, cujus voluntati nullus valet obviare, quia eloquia, etc.

7 *Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum :*

Probatum terræ : purgatum septuplum.

Hic eloquia Domini laudantur (quæ nullo mendacio, nulla adulterina falsitate fuscantur) cum dicit, eloquia casta. Superius vero sermo humanus arguitur, cum dicit, vana locuti sunt. Argentum terræ, igne examinatum solet esse purissimum, quando frequenti fuerit decoctione mundatum; sic eloquia Domini pura, pulchra et rara. Purgatum vel examinatum, contra illud ponitur, quod de peccatoribus ait, labia dolosa in corde, etc. Septuplum, septiformem Spiritum significat, id est, timorem Domini, pietatem, scientiam, fortitudinem, consilium, intelligentiam, sapientiam. A Per quæ divinum eloquium splendet, dum verbi Dei prædicatores et secundum eloquia ejus viventes his charismatibus refulgent.

8 *Tu, Domine, servabis nos :*

Et custodies nos a generatione hac in æternum.

H Tu, Domine, servabis nos in æternum (Ecclesia rogat), id est in fide servabis. Et custodies ab hæreticis vel Judæis, sive a peccatoribus, sive a dialecticis et philosophis istius mundi in æternum. C Hic conservat ne pereamus, ibi lætificat in æternum et coronat.

9 *In circuitu impii ambulant :*

Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

C In circuitu impios ambulare, est tortuosis moribus vivere, qui nunquam rectam viam ambulant, Christo derelicto, qui est vera via. Secundum altitudinem tuam, non secundum meritum hominis sed secundum potentiam divinæ voluntatis multiplicatur Ecclesia, hoc est de pietate et misericordia ejus, percipiens in retributione Christi promissa.

ORATIO EX PSAL. XI.

Miserere fragilitatis nostræ, sanctissime Pater, et concede nobis eloquia tua, pudico corde continere, ut possimus multiloquam dolositatem insanientium declinare. Per Dominum nostrum.

PSALMUS XII.

ARGUMENTUM PSAL. XII.

C Respiciens Propheta mundum idololatriæ mancipatum, credulitatem suam adventu sanctæ Incarnationis poscit expleri, ut vel sic confusa gentilitas suum posset agnoscere Creatorem.

TT. *In finem psalmus David.*

C In finem : hic tempus significat incarnationis Christi. C Totus hic psalmus de charitate loquitur Christi; plenus Propheta Domini charitate, confidenter dicit differri se diutius ab exspectatione sua et adventu illius, quem licet firma fide crederet esse venturum, tamen de ejus tarditate conqueritur. Cujus adhuc speratum adventum citius non merebatur cernere, quoniam omni desideranti valde molesta dilatio est.

1 *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem ? Usquequo avertis faciem tuam a me ?*

C Usquequo cum dicit, apparitionem postulat Christi, quam in spiritu videbat; usquequo, id est, quousque, quandiu non liberas. H Potest vero cum Propheta quilibet pœnitens sub peccatis gemens dicere : Usquequo, etc., persequuntur enim dæmones et mali homines gravissime vere pœnitentes et Christi mandata servare cupientes. C In finem, id est usque ad Christi adventum.

2 *Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem ?*

C Cum dicit quandiu, exprimitur hic maximus ardor exspectantis adventum Dei. H Ac si dicat : Patior istam angustiam quousque te videam, sicut promisisti venire. A Dicit vero consilia, id est cogitationes et tractatus, quomodo et quando a servitute peccati et diaboli liberari possit per adventum Salvatoris, et quia spes salutis protrahitur, crescit desiderium in dolorem. C Per diem, id est per singulos dies ille amor tui adventus, versus est in dolorem mentis quo tardaveris.

3 *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me ? Respice et exaudi me, Domine Deus meus.*

C Inimicum, diabolum dicit, qui dicitur exaltatus ante adventum Domini, cum gaudebat de humana captivitate. Super me, id est super credulitatem meam. Exaudi me, non sibi tantum subvenire petit sed universis fidelibus. Respice, ad illud referendum; usquequo avertis faciem tuam a me. Exaudi vero, ad illud quod dicit in capite psalmi : usquequo oblivisceris me in finem.

4 *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte :*

Nequando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.

C Dum petit illuminari oculos, cordis oculos dicit, qui obdormiunt in morte, quando, fidei lumine sepulto, carnali delectatione claudantur; ipse est enim somnus, de quo lætatur inimicus. Inimicum, diabolum dicit et angelos ejus, quorum consuetudo est insultare dum capiunt, et gaudere dum deceptos a se cognoverint possideri.

5 *Qui tribulant me exsultabunt si motus fuero : ego autem in misericordia tua speravi.*

C Exsultabunt si motus fuero, id est si a te fuero divisus per incredulitatem vel peccatum ; inimici efficiuntur læti. In tua misericordia dicit, quia qui aliunde suam spem ponit nisi in Deum, sua fides vacua est. O virtus fidei et firmitas magna credentis in eum credere a quo pro certo scit posse salvari !

6 *Exsultabit cor meum in salutari tuo : Cantabo Domino qui ✣ bona ⁝ tribuit mihi : ✣ et Psallam nomini Domini altissimi ⁝ .*

C Interior homo salutare Dei conspexerat, quem cernere cupiebat carnalibus oculis. Cantabo, scilicet corde ubi nimia lætitia complebatur. Psallam operibus bonis, quod maxime Divinitas quærit.

ORATIO EX PSAL. XII.

Ne avertas faciem tuam a nobis, omnipotens Deus, ne inimici nostri exaltentur adversus nos ; sed ita cor nostrum salutaris tui exsultatione perfunde, ut facias somnum secundæ mortis evadere. Per Dominum nostrum.

PSALMUS XIII.

ARGUMENTUM PSAL. XIII.

C Ecclesia Judæos increpans qui viso Domino minime crediderunt, inani eos trepidatione dicit confundi qui fructuosum timorem Domini cognoscere noluerunt, eorum in fine sæculi conversionem prædicens.

TT. *In finem ✣ Psalmus ⁝ David.*

C Finis Christum significat, ideo frequenter repetitur, ut semper ad Omnipotentem audientis animus erigatur. C Psalmus iste, Judæorum vesaniam vehementi increpatione castigat, asper invectionibus, terribilis profanis, amarus incredulis, ut hæc increpatio merito detur Ecclesiæ.

1 *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.*

C Videns populis Judæorum Christum humiliter venisse dixit : Non est Deus, nec intellexit ipsum esse qui a prophetis prædictus est. Et ideo insuper gravius est, quia dixerunt hoc non in labiis, sed in corde, ut malo voto pejor incredulitas jungeretur. A Vel insipiens etiam gentilis dicitur, Deum non esse putans, qui corruptus est mente, lignum sibi Deum faciens.

2 *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis ✣ suis ⁝ Non est qui faciat bonum ✣ non est usque ad unum ⁝ .*

H Si enim notitiam habuissent Dei, corrupti per infidelitatem et abominabiles, id est odibiles non fuissent. Non est usque ad unum. C Revera solus Christus est, sine quo aliquod bonum vel incipere vel implere nullus valet. Alia littera habet : Corrupti sunt in voluntatibus suis. Voluntas autem dicta est a *volatu*, quoniam animus quo vult nimia velocitate transfertur. Corrupti igitur sunt Judæi, dum a Scripturarum sanitate recedentes, in vitiosos sensus inciderunt, et ita nefandissima *incredulitate* A maculati, in pœnam peccati etiam Deo abominabiles facti sunt.

3 *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum : Ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.*

C Prospexit Dominus, scilicet ut nobis mitteret unigenitum Filium suum. Super filios, id est humanum genus. H Ut videre sanctos suos faciat, per quos respicit, et in quibus habitat, si sit sapiens. C Qui Deum mente intelligat esse verum Deum et hominem, et requirat operatione Deum, sequendo mandata ejus, ut ab ejus voluntate non discrepet. Sed quid viderint sancti Dei, per quos Deus videre dicitur, subdit, omnes declinaverunt, etc.

4 *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : Non est qui faciat bonum. Non est usque ad* B *unum.*

C Hic dicit omnes, id est totum, et significat partem. Declinaverunt, scilicet a gratia Dei, et facti sunt inutiles sibi et aliis. Tanti enim et tot de Judæis impii fuerunt, ut pene omnes perfidi esse ac perisse putarentur. A Similiter de gentibus, omnes igitur non intelligunt nec requirunt, sed declinaverunt tam Judæi quam gentiles.

5 ✣ *Sepulcrum patens est guttur eorum ⁝ . ✣ Linguis suis dolose agebant ⁝ . ✣ Venenum aspidum sub labiis eorum .*

C Merito ergo sepulcrum dictum est guttur eorum : qui pestiferos sermones proferebant, sicut sepulcrum fetidos odores exhalat. Linguis suis dolose agebant, quibus mortifera verba loquebantur. *Aspidum* immane genus est serpentium, quod naturali C obstinatione verba incantantium perhibetur non admittere, nec a voto suo potest removeri, et quod non valet ullo carmine mitigari, sicut alia genera serpentina ; quod significat surditatem mortiferam Judæorum. Venenum dictum est quod per venas currat ; sic et vota malignorum occulta cogitatione grassantur.

6 ✣ *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est ⁝ : ✣ Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem ⁝ .*

C. Quorum os, id est Judæorum, quando pro bonis admonitionibus blasphemabant Christum. Amaritudine, cum de nece ejus tractabant. Pedes, consilii progressus appellat, quibus de incepto movemur ad exitus rerum. Cum dicit, veloces, defuisse D illis ostendit consilia moderationis. Ad effundendum sanguinem, id est Domini Salvatoris et suorum, ut sceleratæ rei crescat immanitas actionis, dum et in Dominum Salvatorem manus noxias injiciunt.

7 ✣ *Contritio et infelicitas in viis eorum ⁝ . ✣ et viam pacis non cognoverunt ⁝ : ✣ Non est timor Dei ante oculos eorum ⁝ .*

H Contritio, scilicet corporis Judæorum, infelicitas animæ. In viis, in operibus eorum. Cur ? quia viam pacis, id est Christum non cognoverunt, nec per fidem nec per opera. Quare ? quia non est timor Dei in sensu eorum, non enim metuunt futurum.

judicium. C. Via impiorum contritio est, quia terit et teritur; infelicitasque in ea est, quia nunquam per ipsam nisi ad infausta supplicia pervenitur.

8 *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem :*
Qui devorant plebem meam sicut escam panis ?

H Nonne cognoscent, ac si dicat: Si modo non cognoscent venturam ultionem, cognoscent in judicio qui modo mala operantur. Plebem meam devorant, id est hæretici populum Christianum seducunt, vel mali occidunt bonos, vel idololatræ credentes. Sicut nullus esuriens sine pane bene potest saturari, sic hæretici nunquam satiantur iniquitatibus suis, nisi persequantur Christianos. A Vel satiantur persecutione Christianorum, sicut esca panis satiatur esuriens.

9 *Dominum non invocaverunt :*
Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.

H Dominum non invocaverunt, si enim invocassent, salvi essent. Illic trepidaverunt in idolis et *ritibus* vanis simulacrorum, qui Deum timere debebant. C Et quando dicebant de Christo : Si dimittimus eum sic, etc.

10 *Quoniam Deus in generatione justa est : consilium inopis confudistis :*
Quoniam Dominus spes ejus est.

H Quoniam Deus est in generatione justa, id est in populo Christiano. C Christi consilium confudistis, id est suscipere noluistis H dicentis : Pœnitentiam agite. Inops dicitur Christus, qui pro nobis pauper factus est. Dominus spes ejus est. Pater utique Filii, quia humanitas confortata est de Divinitate. A Vel quodlibet membrum Christi existens, qua Dominus spes ejusdem; inde contemnitur magis unde magis reverendus esset.

11 *Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ,*
Exsultabit Jacob et lætabitur Israel.

C Cum dicit, quis dabit, vult intelligi Dominum Patrem, qui Dominum Christum in Sion, id est in Jerusalem mittere dignatus est. Ipse est æterna salus Israel, id est credentium. Dum *avertit*, id est diabolum damnaverit, qui Dei plebem persequi et captivare festinat. Exsultabit Jacob, id est Judæorum et gentium populus collectus per gratiam Dei. Lætabitur Israel, hoc est universalis Ecclesia.

ORATIO EX PSAL. XIII.

Dignare, Domine, de cœlo sancto tuo respicere super filios hominum, et da nobis agnoscere viam pacis, ut, aversa vitiorum captivitate, cœlestis Jerusalem habitaculo perfruamur. Per Dominum nostrum.

PSALMUS XIV.

ARGUMENTUM PSAL. XIV.

C Propheticæ interrogationi respondet Dominus, in Decalogi exemplum decem virtutibus ad suæ beatitudinis atria perveniri.

TT. *Psalmus David.*

C Psalmus iste non profunditate velatus est, sed propheticæ interrogationi respondet Dominus, in Decalogi exemplum; decem virtutibus ad beatitudinis suæ atria perveniri.

1 *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo :*
Aut quis requiescet in monte sancto tuo?

C Tabernaculum dictum ex duobus nominibus, id est a taberna (quæ est domus pauperum, quia non adhuc tegulis sed tantum trabibus tegebatur) et cœnaculo (quia ibi cœnabant, sicut antiquis mos erat semel in die cibum sumere) significat catholicam fidem in qua habitat sancta Dei Ecclesia. Mons signat futuram Jerusalem. A Non autem quærit quis in Ecclesia absolute habitet, in qua et boni et mali sunt, sed subaudiendum reliquit, digne. Quis in ea, scilicet digne, habitet. Quod ex eo probatur quod subdit, aut quis, etc.

2 *Qui ingreditur sine macula,*
Et operatur justitiam.

C Ingredi tabernaculum sine omni macula solius Domini fuit. Operabatur justitiam : cum ejecit de templo vendentes et ementes. H Membrorum vero suorum est, sine macula peccati mortalis incedere, et per baptismum sine omni macula ingredi, quia sine minimis esse non possumus.

3 *Qui loquitur veritatem in corde suo;*
Qui non egit dolum in lingua sua.

H Multi loquuntur veritatem labiis, sed non in corde, qui videntur vera dicere, sed cor cum labiis non consonat, quod Christus non fecit. Non elegit dolum Christus, quia quæ locutus est ore, complevit opere. Ille dolose agit, qui aliud agit et aliud dicit.

4 *Nec fecit proximo suo malum,*
Et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

H Proximi sunt nobis omnes homines, et nulli debemus malum facere. Ille opprobrium, id est detractionem non accipit de fratre, qui prius non credit mala de illo antequam probat. Qui ista superius comprehensa complet, ille habitat in vita æterna.

5 *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus,*
Timentes autem Dominum glorificat.

H Ad nihilum deductus est malignus, id est diabolus, quia apud sanctos pro nihilo habetur. Qui timent Dominum timore sancto, Dominus eos magnificat. C Vel ad nihilum deductus est, quando ei dixit : Redi retro, Satanas, non tentabis Dominum Deum tuum.

6 *Qui jurat proximo suo et non decipit : qui pecuniam suam non dedit ad usuram ;*
Et munera super innocentes non accepit.

C Jurare enim dictum est, quasi juste orare, hoc est juste loqui. A Non decipit proximum : qui jurat dare et subvenire proximo et promissum reddit. H Vel non decipit anima proximum, id est corpus, si præcepta Dei observat quæ observare promittit. Sicut enim pecunia visibilis prohibetur ad

usuram dari, ne is qui accipit magis spolietur quam juvetur : ita verbum Dei non solum divitibus qui pascunt, verum etiam pauperibus hominibus gratis debet insinuari. Non accipit munera super, id est contra innocentes, qui judicium justum propter aliquod munus non subvertit.

7 *Qui facit hæc :*
Non commovebitur in æternum.

℣ Non dixit qui cantat, sed *qui* facit hæc, ipse habitabit in tabernaculo Domini, et in regno sancto ejus requiescet : ut nos ad actualem virtutem interposita lege constringeret, ne secreta tanti ministerii, intenti solis cantibus, inaniter psalleremus.

ORATIO EX PSAL. XIIII.

Concede nos, piissime Deus, sine macula ingredi B ecclesiam tuam, et averte nos a dolis proximi vel usuris, ut dum hæc secundum tuum observamus præceptum, non commoveamur ab æmulis suppliciis in æternum. Per Dominum nostrum.

PSALMUS XV.

ARGUMENTUM PSAL. XV.

℣ Christus pro humanitate suscepta a patre se conservari petit, eique gratias refert qui sua potentia iniquitatem hujus sæculi superavit : et post resurrectionis gloriam in delectationibus dextræ suæ eum collocavit.

Tituli inscriptio ✣ ipsi ⁝ David.

℣ Tituli inscriptio ipsi David, verum hanc tituli inscriptionem non ad quamlibet aliam personam, sed ad Christum referri debuisse : adjectum est, C ipsi David, quod ad Dominum Salvatorem competenter referri valet. Deprecatur hic assumpta humanitatis natura, pro nostra protectione conservari a Judæis.

1 *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te :*
Dixi Domino, Deus meus es tu : quoniam bonorum meorum non eges.

℣ Sperasse se semper dicit in Domino. Dixi Domino : Filius dicit, a forma servi ad Patrem, qui in divinitate æqualis est Patri. ℍ Non indiguit Pater secundum suam majestatem incarnationis aut passionis vel resurrectionis, quæ ad Filium pertinent secundum humanitatem, ut nos redimeret. Sed quibus illa prosint: addit sanctis, etc., istis hæc sunt necessaria.

2 *Sanctis qui in terra sunt ejus ;*
Mirificavit ✣ omnes ⁝ voluntates meas in eis. D

℣ Sanctos qui sunt in terra viventium, significat innocentes et justos. ℍ In Ecclesia, quæ terra dicitur ejus, ℣ Per quos miræ factæ sunt voluntates Dei Salvatoris, quando illis obedientibus, et jussa Christi facientibus, reddidit eos de mortalibus æternos. ℍ Sive mirificavit, dum eos magnificavit miraculis, per quæ miracula ostensum est, quod prædicatio eorum et fides et opera fuerint voluntatis Dei.

3 *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum :*
Postea *acceleraverunt.*

ℍ Multiplicatæ sunt gentibus infirmitates, id est idola quæ (Domino veniente in carne) relinquentes A celerrime ad eum sunt reversi, habet enim Hebraica veritas, multiplicata sunt idola eorum.

4 *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus ;*
Nec memor ero nominum eorum per labia mea.

℣ Quas gentes dicit non sanguine pecudum aut victimarum consuetudine congregandas, sed immolatione corporis et sanguinis Christi. Non fuit ergo memor Christus nominum illorum quibus prius nominabantur, dicti filii iræ, filii diaboli, sed novorum nominum memor est, quibus dicuntur nunc Christiani et filii Dei. Labia vero Christi : duo Testamenta significant, quando utraque regnum Dei prædicant et in unius soni concordia sicut labia temperantur.

5 *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei ;*
Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

℣ Pars hæreditatis et calicis Dominus est. Dicit Filius ad Patrem non deitate minor, sed humanitate subjectus : esse Patrem partem hæreditatis suæ, scilicet in fide gentium Patri et Filio credentium. ℣ Calix, voluntatem ac distributionem Domini signat. Restitues autem dixit, quoniam faciente diabolo perierat genus humanum. ℍ Ipsa hæreditas restituta est, quando electos suos ad immortalitatem attraxit. ℣ Dicta est autem hæreditas ab hero, id est Domino.

6 *Funes ceciderunt mihi in præclaris :*
Etenim hæreditas mea præclara est mihi.

ℍ Funes : patriarchas et prophetas et apostolos vel quoscunque advocaverit Christus, signat : quos ille recipit, in præclaris, id est in optimis, ℣ hæreditas Christi : est multitudo sanctorum, quæ præclara dicitur Christo, licet ab sæculi hominibus despiciatur, quia ab eo electa. Cecidisse dixit, pro venisse.

7 *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum ;*
Insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

℣ Benedicit Filius Patri, secundum humanitatem tribuenti sibi intellectum, quo omnia vera sanctaque cernebat, ne sibi humana infirmitas aliquid sine gratia Patris applicaret. ℍ Nox significat tempus passionis. ℣ Renes vero, cognationem significant Judæorum de qua Christus secundum carnem nascebatur, a quibus frequenter et usque in mortem increpatus est. ℍ Vel renes, id est delectationes carnis tunc increpant, quando stimulant ut peccetur. Et ita est vox ista non capitis sed membrorum Christi, vel capitis pro membris.

8 *Providebam Dominum in conspectu meo semper ;*
Quoniam a dextris est mihi ne commorear.

ℍ Nam qui Dominum semper intuetur oculis mentis nullatenus ad delicta convertitur. Dicit autem causam cur non moveatur, quoniam a dextris est Dominus, siquidem, a dextris Domino adjuvante, sinistra non prævalet nocere ; quod si Dominus dexteram partem non tenuerit, statim eam diabolus occupabit.

9 *Propter hoc lætatum est cor meum.*
Et exsultavit lingua mea : ✣ insuper ⁝ et caro mea requiescet in spe.

℣ Propter hoc quod ille a dextris, scilicet astitit,

et in corde suo jocunditatem et exsultationem linguæ sibi esse testatur. H Caro Ecclesiam significat, quæ requiescit ad tempus in spe futuræ resurrectionis. Ecclesia enim est caro Christi, ideo Christus loquitur : Ecclesia, quæ est caro mea, modo requiescit in spe resurrectionis, ut ubi caput præcessit, et membra sequantur, quoniam, etc. C Vel intelligitur de carne hominis Christi, quam pro nostra salute susœpit, quæ in sepulcro quievit, in spe resurrectionis die tertia factæ.

10 *Quoniam non derelinques animam meam in inferno :*
Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

C Ecce Filius gratias agit Patri, quia ejus anima non sit more communi in inferno derelicta, sed clarificata celeri resurrectione. Hic corruptionem, id est putredinem juste negat fieri, quæ carnem consumit humanam. Caro enim Christi non potuit corrumpi in sepulcro.

11 *Notas mihi fecisti vias vitæ : adimplebis me lætitia cum vultu tuo :*
Delectationes in dextera tua ✣ usque ⁝ in finem.

H Vox justorum, notas mihi fecisti, id est, me cognoscere fecisti mandata Christi. Tunc erit plena lætitia, cum adunatum fuerit corpus, id est Ecclesia in regno Dei, ubi speculatur vultus Dei. C In dextera sua dicit, quoniam nullatenus a paterna contemplatione discessit. Finis significat perfectionem atque æternitatem, ut usque in finem, id est perfecte et æternaliter.

ORATIO EX PSAL. XV.

Conserva, Domine, sperantes in te, et effice voluntates tuas nobiscum, ut clarificati lætitia resurrectionis tuæ, mereamur a dextris tuis cum sanctis omnibus delectari. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS XVI.

ARGUMENTUM PSAL. XVI.

C Trifaria oratio ab humanitate Christi in psalmo depromitur. Primo, secundum justitiam sibi petit debere restitui. Secundo, ut a Judæorum insidiis ejus puritas liberetur. Tertio, resurrectionem velocissimam deprecatur, ne inimicis diutius liceat insultare.

TT. *Oratio David.*

H Oratio David. Iste psalmus cantatur contra Judæos ex persona Christi ; vel contra hæreticos, ex persona Ecclesiæ.

1 *Exaudi, Domine, justitiam meam :*
Intende deprecationem meam

C Vox Christi in passione, et vox Ecclesiæ in tribulatione. Et Christus petit exaudiri justitiam suam, quia obediens fuit Patri usque ad mortem. Inter deprecationem et orationem differentia est : oratio sanctior est, quæ fit pro devotis ut perseverent ; deprecatio vero pro suis peccatis vel alienis ; vel aliquid fortius est deprecatio quam oratio.

2 *Auribus percipe orationem meam :*
Non in labiis dolosis.

H Orat enim Filius (ex infirmitate carnis, non ex diminutione deitatis) ut exaudiatur quod rogat. Non in labiis dolosis, sicut est oratio eorum qui me inique damnant et meos, ut sunt Judæi. A A Judæis enim manavit falsa sententia, apud quos innocens damnatus est, et latro cognoscitur absolutus.

3 *De vultu tuo judicium meum prodeat :*
Oculi tui videant æquitates.

C De vultu tuo prodeat judicium. Inusitata locutio est, quia de mente solet venire sententia non de vultu, sed hoc Christo convenienter aptatur, quia ille quod judicat videt, qui solus omnia secreta cognoscit. Oculi mei videant æquitatem, hic æquitatem, ipsam divinitatem significat, quam ipse Filius semper videt, qui æqualis est Patri. Sic alia littera habet. Nostra habet : Oculi tui ; et tunc æquitas non divinitatem, sed merita Christi et Judæorum significat.

4 *Probasti cor meum ✣ et ⁝ visitasti nocte :*
Igne me examinasti. Et non est inventa in me iniquitas.

5 *Ut non loquatur os meum opera hominum :*
Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

C Probatio hic significat passionem, quando inter pericula mortis optima documenta patientiæ ostendit ; visitatio, resurrectionem. Visitatus est nocte, quando anima ejus in inferno non est derelicta. Igne examinatus, id est, tribulatione passionis. Non est inventa iniquitas in illo, quam adustio ulla decoqueret.

C Viæ duræ sunt, quas debent homines imitari, quibus iter vitiorum leve est. Nam cum peccata vitantur, homini viæ duræ sunt ; quas vias immaculatus peccatis Christus ambulavit. A Vel viæ duræ dicuntur opera hominum, quas scilicet merentur opera hominum, opera enim mala sunt opera hominum, non Dei, illa autem merentur pœnam quam Christus sustinuit.

6 *Perfice gressus meos in semitis tuis :*
Ut non moveantur vestigia mea.

C Petit ergo Christus gressus suos custodiri, id est, actus humanos fidelium suorum membrorum. In semitis, id est in mandatis tuis. Perfice, id est fac perseverare. Vestigia sunt signa plantarum ; quæ significant apostolos, pro quibus petit Christus ut se imitantes non moveantur a Patre. A Vel, vestigia sunt doctrina sua, ab eo relicta post ascensionem. Quam petit non moveri, quæ ita firmata est, ut etiam cœlum terraque transibunt, verba autem Christi non (*Matth.* XXIV).

7 *Ego clamavi quoniam exaudisti me, Deus :*
Inclina aurem tuam mihi ✣ et ⁝ exaudi verba mea

C Ego clamavi. Ideo Christus clamavit ad Patrem, id est oravit, quoniam confidenter suam orationem exaudiri a Patre sciebat. Inclinari autem petit, quoniam ad eum non valet humana infirmitas per se pervenire. Tunc exaudit cum se benignum indulserit.

8 *Mirifica misericordias tuas:*
Qui salvos facis sperantes in te.

H Tunc mirificavit misericordias pater suas, quando per apostolos et cæteros sanctos infirmitates indigentium curavit. C Salvos facis, id est in æterna vita constitues sperantes in te.

9 *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me:*
Ut pupillam oculi.

C Dextera enim Patris Filius est, cui Judæi resistere, id est repugnare ausi sunt. Pupilla enim pars est oculi, qua discernimus qualitates rerum, dicta a parvitate quasi *pusilla*. Cui comparatus est Christus, qui in suo judicio justos a peccatoribus segregandos conspicit. Aptissime se petit custodiri ut pupillam, cum per ipsam res visuales discernimus, et in nostro corpore nil præstantius invenitur.

10 *Sub umbra alarum tuarum protege me:*
A facie impiorum qui me afflixerunt.

C Alæ sunt Patris : misericordia et charitas, quibus se protegi sancta Dei Ecclesia expostulat. C A facie impiorum, dæmones significat et sequaces eorum, qui ardorem insidiarum in necem Domini vel in sanctos cumulabant. Facies instantiam impiorum notat, vel ipsorum truculentam præsentiam.

11 *Inimici mei animam meam circumdederunt : adipem suum concluserunt :*
Os eorum locutum est superbiam.

C Inimicos, Judæos dicit. Animam, vitam temporalem, quam arripere voluerunt, cum eum gladiis et fustibus circumdederunt. Concludunt adipem qui multa voracitate pinguescunt; sic Judæi scelerum nimietate incrassati, locuti sunt superbiam contra Christum impii; H vel contra Ecclesiam, C sua mala facta defendendo.

12 *Projicientes me nunc circumdederunt me:*
Oculos suos statuerunt declinare in terram.

C Projicientes, scilicet Christum extra civitatem. Circumdederunt, non obsequio sed furore in cruce. Oculos mali declinant in terram, quamdo mala cogitatione aliqua in mente volvunt. H Vel oculos in terram statuerunt declinare, quando de terrenis cogitabant, et de cœlestibus non meditabantur.

13 *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam:*
Et sicut catulus leonis habitans in abditis.

C Susceperunt me, id est, Judæi a Pilato, quando dixit : Tollite eum et crucifigite; leo diabolus intelligitur, cui hic Judæi merito comparantur, cum etiam eo pejores visi sint, quoniam ille fuit ausus Dominum tentare, Judæi autem Dominum crucifigere. Catulus leonis reliquum populum Judæorum signat, qui se diaboli filios effecerunt. Habitans in abditis, id est, in insidiis occultis; malorum enim hominum consuetudo est mala vota tegere, ut sic consilia eorum possint ad effectum venire.

14 ✣ *Exsurge, Domine, prævені eum et supplanta eum :*
Eripe animam meam ab impio : frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

A 15 *Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum :*
De absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

H Vox Christi ad Patrem ut præveniat animæ suæ ne læderetur a principe diabolo, prævenitque eum potestas divinitatis, et alligavit et ad infernum perduxit. C Framea, modo contum, modo loricam, modo gladium significat bis acutum, quæ tamen omnia ad instrumenta armorum certum est pertinere. H Framea est enim Patris, anima Salvatoris, quando per ipsum diabolum vicit. C Sunt enim diaboli inimici manus Domini, qui humanum genus contra voluntatem Domini semper perversa voluntate dilacerant.

C Precatur etiam Patrem Filius, ut dividantur B creduli a paucis, id est ab apostolis, ut convertantur ad Dominum de terra, scilicet hujus mundi vitiosa. In vita eorum, id est in mundo isto, ubi pœnitentiæ locus est, ut in Christum crederent. De absconditis tuis. Omne peccatum illi abominabile est atque a conspectu ejus quasi absconditum, quia extraneum est illi. Inde dicit adimpletum esse ventrem, id est, sensum incredulorum. A C Vel divide Judæos a terra eorum in universum orbem, et hoc in vita illa eorum, quam solam suam putant, de æterna desperantes. In futuro autem quid tunc erit :

16 *Saturati sunt filiis :*
Et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

H Saturati sunt filiis, scilicet Judæi qui in procreatione filiorum multiplicati sunt, et rebus sæculi. C Dimiserunt reliquias maledictionis, hoc est vindictam illam quam merebantur, dicentes : Sanguis ejus super nos et super filios nostros. Reliquerunt filiis suis, quia illi sicut patres excæcati dispersique sunt.

17 *Ego* ✣ *autem in justitia apparebo in conspectu tuo :*
Satiabor cum apparuerit gloria tua.

C Apparere se dicit in conspectu Patris cum justitia, quoniam ejus voluntatem impleverat. Satiabor de humani generis credulitate, quando numerus sanctorum est supplendus. Gloria Patris manifestatur in judicio Domini Salvatoris, cum unusquisque recipiet pro actibus suis.

D ORATIO EX PSAL. XVI.

Converte, Domine, oculos cordis nostri ad cernendam tui judicii veritatem, ut dum hic igne spirituali probamur, de tuis in æternum conspectibus cum fructu justitiæ satiemur. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS XVII.

ARGUMENTUM PSAL. XVII.

C Propheta Domino gratias agit, quod eum de gravibus periculis liberavit, loquiturque Ecclesia quod ante adventum Domini innumeras pertulerit calamitates : vox etiam Christi inducitur ubi virtus ejus potestasque describitur.

TT. *In finem puero domini David, qui locutus est ad Dominum verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus : et de manu Saul et dixit.*

Totus hic psalmus sub persona David ad Christum pertinet, qui est finis, et puer vocitatus, et manu fortis, quod David sonat. Canticum ad contemplationem cœlestium rerum pertinet.

4 *Diligam te, Domine, fortitudo mea :*
Dominus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus.

C Diligit Dominum qui mandatis ejus obtemperat. Diligo dicitur quasi de omnibus eligo. Recte confitetur Dominum esse suam virtutem, quo donante fortior factus est David suis inimicis. Pulchre ostendit propheta quis ejus sit Dominus, singulis enim diversisque verbis prædicando : declarat quid sit Dominus, qui est modo virtus, modo firmamentum, modo refugium, modo adjutor, modo protector, modo liberator, modo cornu salutis, quæ omnia Christus est Ecclesiæ.

2 *Deus meus adjutor meus :*
Et sperabo in eum.

C Nam sperare de futuro specialiter se dicit, qui eum in præteritis senserat adjutorem.

3 *Protector meus et cornu salutis meæ :*
Et susceptor meus.

H Protector meus, quia me protegis et defendis. Cornu salutis, quia infirmitatem confortabis, C ad inimicos dissipandos. Cornua enim arma sunt bellua-
C rum, quibus salutem suam solerti concertatione defendunt. Susceptor meus. Quoniam susceptus est Christus a Patre.

4 *Laudans invocabo Dominum :*
Et ab inimicis meis salvus ero.

C Laudantem se dicit invocare Dominum, et ipsi universam suam victoriam tribuere (non sibi) qui dignatus est cuncta præstare. Et ideo ab inimicis salvum se faciendum dicit, quia victoriam suam non sibi videbatur applicasse sed Domino. Nam qui aliter facit, vitiis suis captivus redditur, quamvis hostes superasse videatur.

5 *Circumdederunt me dolores mortis :*
Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

H Circumdederunt Christum, qui in inferno gemebant. Torrens dicitur fluvius excitatus hibernis imbribus, et significat turbam iniquorum rapidam ad iniquitatem, qui conturbant Ecclesiam, et more torrentis hieme tribulationis intumescunt, sed, adjuvante Domino, cito deficiunt et defluunt.

6 *Dolores inferni circumdederunt me :*
Præoccuparerunt me laquei mortis.

C Fiat, istius versiculi talis est ordo verborum. Circumdederunt me dolores inferni, et de paganis dicit, qui erunt dolores inferni, id est, qui in inferno debito dolore torquendi sunt. Præoccupare David se dicit laqueos mortis, id est reatus originalis peccati, qui nos ab ipso conceptu facit obnoxios priusquam A nascamur in mundum. A Vel Christus in persona membrorum suorum loquitur hæc.

7 *In tribulatione mea invocavi Dominum :*
Et ad Deum meum clamavi.

H Humanitas invocavit divinitatem in passione, et Ecclesia Christum. C Clamare autem plus est quam invocare. Crevit sermo, progrediente desiderio, et accensus animus prosilivit avidius in clamorem.

8 *✣ Et : exaudivit de templo✣ sancto ⁝ suo vocem meam :*
Et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

H Templum, corpus Dominicum, ubi exaudita est humanitas a divinitate. C Clamor iste : causæ justitia est, quæ ad Deum intrare poterat, quia pro mundi
B cladibus supplicabat.

9 *Commota est et contremuit terra. Et fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt :*
Quoniam iratus est ✣ eis ⁝.

C Nunc propheta ad Incarnationis secreta pervenit, ordinemque ipsum mirabili narratione describit. H Commota est terra, quando terreni de infidelitate in adventu Christi ad fidem venerunt et contremiscunt peccata sua. C Fundamenta montium, significat præsumptiones superborum, id est divitias vel honores, cæteraque humana quibus illi inniuntur. Iratus est eis Deus, quia vitia humana probantur Domino esse exosa.

10 *Ascendit fumus in ira ejus : et ignis a facie ejus exarsit :*
Carbones succensi sunt ab eo.

C Fumus hic in bono positus est, qui succensus profudit lacrymas pœnitentiæ. Ira ejus : conturbationem signat timoris futuri judicii quo conturbantur adeo peccatores, ut ad remedium pœnitentiæ perducantur. Ignis est charitas Dei, qui egreditur a facie Domini, quoniam ipsius illuminatione eis conceditur charitas qui peccare dimittunt. Carbones succensos peccatores dicit, qui velut carbones mortui erant prius peccando, iterum reviviscunt, succensi igne pœnitentiæ. Quomodo autem succensi sint carbones mortui, sequenter docet, scilicet veniente Domino redemptore, quia inclinavit, etc.

11 *Inclinavit cœlos et descendit :*
Et caligo sub pedibus ejus.
D

H Cœli, id est, angeli, sunt inclinati, quando Gabriel ad Mariam venit. Et descendit, scilicet Christus, id est venit in carne. Caligo est profunditas Scripturarum quam dedit Deus pedibus, hoc est apostolis, vel cæteris sanctis. C Vel caligo diabolus est, qua mentes obnubilat.

12 *Et ascendit super cherubim et volavit :*
✣ Volavit ⁝ super pennas ventorum.

C Cherubim interpretatur plenitudo scientiæ. Ascendit super cherubim Christus, quando videntibus apostolis cœlos conscendit. Volavit, id est, per mundi spatia ejus fama velocior vento cucurrit, quando ipso in cunabulis jacente, magis eum stellæ claritas nuntiavit. Quid enim dici potest velocius

ro, qui mox ut natus in alia mundi parte conspectus est? Tunc ergo superata est celeritas ventorum, quamvis in mundo nihil velocius eis esse monstretur.

13 ✣ *Et* ⁝ *posuit tenebras latibulum suum : in circuitu ejus tabernaculum ejus :*
Tenebrosa aqua in nubibus aeris.

C Tenebras, mysterium dicit ejus Incarnationis, ut qui in deitate sua videri non poterat velata carne humana, Redemptor noster appareret. Latibulum secretum majestatis ejus significat, quod tunc *revelat* justis quando eum facie ad faciem videbunt in gloria. In circuitu proximitatem signat tabernaculi, id est dignitatem beatorum sanctorum, ut in cœlo juxta ipsum habitent, qui in ejus Ecclesia fideliter perseverant. Aquam : Scripturam dicit, quæ est tenebrosa, id est obscura in prophetis, in prædicatoribus verbi, quia et si dicta eorum se quis putet intelligere, tamen ad ipsam dictorum virtutem, sicuti est totaliter, vix potest pervenire.

14 *Præfulgurœ in conspectu ejus nubes transierunt :*
✠ *Grando et carbones ignis* ⁝ .

C Præfulgurœ nominativus pluralis respondet ad nubes. Nubes sunt prædicatores divini Verbi. Et est sensus : Illæ nubes quæ aquam continent Dei, id est eloquia divina, sicut in hoc aere tenebrosæ, id est, obscuræ videntur, ita in conspectu Dei præfulgurœ sunt, id est prælucidæ, quia ibi omnia præclare patent quæ hic sunt obscura. Transierunt nubes, id est, prædicatores ad gentes, relicto Israelitico populo. Grando, hoc est increpatio prædicantium, quibus corda incredulorum stimulantur. Carbones ignis, charitatis incendia, quibus mens fidelium reviviscit.

15 *Et intonuit de cœlo Dominus :*
Altissimus dedit vocem suam : ✠ *grando et carbones ignis* ⁝ .

C Intonuit, vox omnipotentis Patris est : Clarificavi et iterum clarificabo (*Joan.* XII). Unde multi crediderunt tonitruum esse. Altissimus dedit vocem suam quando dixit : Hic est Filius meus dilectus. etc.

A Vel intonuit Dominus per apostolos et prædicatores minis, quæ sunt de pœnis æternis : et per eosdem dedit suavem vocem, quæ est de præmiis æternis, quia nubes transierunt comminando supplicia æterna non credentibus : præmia quoque æterna credentibus promittendo.

16 *Et misit sagittas suas et dissipavit eos :*
Fulgura multiplicavit et conturbavit eos.

C Sagittas, evangelistas dicit, virtutum pennis, non suis sed ejus a quo missi sunt, recta itinera transvolantes. Eos dissipavit, ad quos missi sunt, id est, separavit fideles recipiendo, impios abjiciendo. Fulgura multiplicavit, hoc est miracula multa fecit. H Conturbavit, quia per miracula apostolorum compuncti sunt ad pœnitentiam.

17 *Et apparuerunt fontes aquarum :*
Et revelata sunt fundamenta orbis ✣ *terrarum* ⁝ .

H Fontes apostolos dicit. C Qui aquas, id est A prædicamenta æternæ vitæ ore fundebant. H Fundamenta, prophetas atque apostolos dicit esse manifestatos. C Supra quos, orbis terrarum, id est Ecclesiæ ædificatio constructa est. Christo enim veniente patuit quod obscuritas divini tegebat eloquii.

18 *Ab increpatione* ✣ *tua* ⁝ , *Domine :*
Ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

H Ab increpatione : cum diceret, nisi vos Filius liberaverit, moriemini in peccatis vestris (*Joan.* VIII). C Spiritus iræ tuæ, prædicatores dicit, qui a Spiritu sancto inspirati : delinquentes populos increpabant, vel increpatio prophetarum objurgationem notat justam in peccatores populos.

19 *Misit de summo et accepit me :*
Et assumpsit me de aquis multis.

B C Vox Ecclesiæ, misit itaque Pater de summo, id est Filium de cœlo : et accepit Ecclesiam ac sibi conjunxit. Assumpsit Ecclesiam de aquis, quando baptismatis regeneratione eam conquirit. Sive de aquis multis, id est populis multis collecta est Ecclesia.

20 *Eripuit me de inimicis meis fortissimis et ab his qui oderunt me :*
Quoniam confortati sunt super me.

C H Fortissimos inimicos, persecutores et hæreticos dicit, qui sanctam Ecclesiam semper affligebant. C Et ideo se magis dicit ereptam, quia inimici confortati sunt supra ipsam in afflictione temporali. Tunc enim crescere meruit, cum eam data desuper potestate inimicus afflixit. O vere divina providentia, ut suis nisibus destruatur inimicus, et quanto se putat amplius lædere, tanto necesse sit eum etiam sævissima insecutione præstare.

21 *Prævenerunt me in die afflictionis meæ :*
Et factus est Dominus protector meus.

C Prævenerunt pseudoapostoli ; prædicatores Christi, conantes subvertere corda simplicium. In die afflictionis, quando martyria Christiani sustinuerunt. Ideo Deus protector, quia homo exstitit impugnator, Deus enim Ecclesiam in persecutionibus protexit.

22 *Et eduxit me in latitudinem :*
Salvum me fecit quoniam voluit me.

C Producta est Ecclesia in latitudinem, quando per sævitiam persecutorum numerum crevisse constat fidelium. Quoniam voluit, id est, me eligit qui gratis vocat universos, et salvos efficit sibi subjectos. In Ecclesia igitur catholica hunc esse morem fidelium nullus ignorat, ut quanto plus persecutionibus stringitur, tanto amplius fidei augmento dilatetur ; tunc enim per gratiam Dei exsurgunt invicti animi, tunc incendium charitatis ardescit, et facto agmine, in gladios suaviter ruunt, qui æternæ vitæ præmia concupiscunt.

23 ✣ *Et* ⁝ *retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam :*
Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

C Secundum justitiam meam, id est, secundum

voluntatem meam a te mihi datam bonam per gratiam. Innocentiam manuum, opera dicit pietatis, quam sanctorum virtus divino munere semper exercet.

24 *Quia custodivi vias Domini :*
Nec impie gessi a Deo meo.

C Viæ Domini, sunt dilectio Dei et proximi quas constat eos custodire, qui nolunt a mandato Dei declinare. Impie agit, qui jussa Domini declinare præsumit.

25 *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo :*
Et justitias ejus non repuli a me.

C Habet in conspectu suo judicia Dei, qui jugiter ejus terribilia judicia cogitat. Nunquam repulit justitiam Dei a se, cui semper in corde Christus sive justitia permanet. Repellunt justitias Dei, qui carnis fragilitate superati, longa præceptorum observatione deficientes, æquitatem (quam custodire cœperunt) deserunt.

26 *Et ero immaculatus cum eo :*
Et observabo me ab iniquitate mea.

H Ero immaculatus, id est, perseverabo in illa innocentia Christianitatis in qua vocatus sum. Observabo me, ut non convertar ad infidelitatem in qua prius fui, sed firmiter perseverare volo in illa credulitate Christianitatis quam teneo.

27 ✣ *Et ⁝ retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam :*
Et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

C Justitiam meam, quam tu, Deus, donasti. H Per oculos, aspectus intelligitur divinitatis. C Quia sicut justi semper corde Deum considerant, ita eos virtus divina jugiter respicit, et unicuique reddit secundum puritatem bonorum actuum.

28 *Cum sancto sanctus eris :*
Et cum viro innocente innocens eris.

C Cum sancto viro, id est Domino Salvatore, ipso præstante sancti esse possumus, præcipitur etiam ut cum innocentia ejus innocentes esse mereamur. Solent enim mores hominum frequenter eis similes fieri quos habuerunt doctores et præceptores.

29 ✣ *Et ⁝ cum electo electus eris :*
Et cum perverso perverteris.

C Petendum est ut cum electione Christi (qui electus ab Isaia dicitur) [*Isai* XLII] eligamur, quod tunc accidit nobis quando præceptis ejus obedimus. Cum perverso, id est, cum diabolo subverteris, qui propria iniquitate perversus est, illos etenim iniquissimos similes sibi facit, quos ad suæ obedientiæ jura convertit.

30 *Quoniam tu populum humilem salvum facies :*
Et oculos superborum humiliabis.

C Salvum faciet populum, cum in die judicii ad dexteram suam humiles collocabit. Oculi superborum, arrogantes dicit, H qui pœnitentiam agere dedignantur; C quos humiliabit cum descendent in profunditatem gehennæ.

31 *Quoniam tu illuminas lucernam meam :*
Domine Deus meus, illumina tenebras meas.

H Lucerna est intellectus animæ quæ illuminatur a Christo. Tenebras dicit ignorantiam cordis, quam petit a Christo illuminari.

32 *Quoniam in te eripiar a tentatione :*
Et in Deo meo transgrediar murum.

C In te eripiar, non a me, tentatio diaboli signat, qui omnibus momentis *tentat*. Bene dixit transgrediar murum, id est obstaculum peccatorum, quod est murus mortis non salutis, quem inter Deum et homines mortalium nequitiæ construxerunt.

33 *Deus ✣ meus ⁝ impolluta via ejus eloquia Domini igne examinata :*
Protector est omnium sperantium in se.

C Impolluta via ejus, hoc est Incarnatio Verbi, quam constat pollutionem non habuisse peccati. H Eloquia Dei, sunt ejus igne fidei sive tribulationis examinata mandata, ideo Deo sunt placita sicut aurum igne probatum. Qui in Christum credunt proteguntur. C Nullus dimissus est nisi qui in eum sperare neglexit.

34 *Quoniam quis Deus præter Dominum ?*
Et quis Deus præter Deum nostrum ?

C Hoc contra paganorum dementiam dicitur : qui deos sibi multifaria vanitate finxere. Dominum posuit, quia ipsius servi sumus et eum adoramus. Iste enim Deus Trinitas est inseparabilis, tantum distincta personis non substantia deitatis.

35 *Deus qui præcinxit me virtute :*
Et posuit immaculatam viam meam.

H Quod ait, præcinxit me, scilicet Spiritus sanctus, qui nos armat contra potestates iniquas. C Immaculatam viam, hoc est viam purissimam sine sorde delicti, quam solus ille ambulavit qui peccata non fecit, et alios ambulare fecit in ea.

36 *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum :*
Et super excelsa statuens me.

C Transmeavit Christus, delicta pungentia hujus sæculi et facies peccatorum profundissimas, sicut cervus spinosa fructecta. Super excelsa statuit eum, id est Deus Pater super omnem altitudinem creaturarum, ut Apostolus ait : Et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

37 *Qui docet manus meas ad prælium :*
Et posuisti ut arcum æreum brachia mea.

C Doceri, est ab imminentibus insidiis cautum fieri. Manus operationes significant, prælium certamen diaboli : brachia vero Christi, prophetæ sunt et apostoli per quos desiderium suæ voluntatis operatus est. His comparat arcum æreum, quia nesciunt servi Dei prædicando mollescere, sed in cœlesti fortitudine permanentes, verbis salutaribus emissis, velut sagittis eminus jaculatis, devotorum hominum corda compungunt.

38 ✣ *Et ⁝ dedisti mihi protectionem salutis tuæ :*
Et dextera tua suscepit me.

C Protectio salutis, gloriam significat resurre-

etionis, quando, mortali carne deposita, eamdem incorruptibilem resumpsit. Dextera, potentia divinitatis est, quæ assumpta inhumanitatem in æterna majestate constituit.

39 ✣ *Et disciplina tua correxit me in finem* ⁝ :
Et disciplina tua ipsa me docebit.

H Vox Ecclesiæ, quem enim diligit Deus corripit, et doctrina tua (ut habet alia littera) ipsa me docebit, quia necesse est, dum hic sumus, semper sub doctrina esse. Unde Paulus, omnis, inquit, doctrina, in præsenti non videtur esse gaudii sed mœroris, in futuro vero multum fructum affert.

40 *Dilatasti gressus meos subtus me :*
Et non sunt infirmata vestigia mea.

H Dilatasti gressus meos, id est sensum meum in amplitudine tuæ charitatis. A Quia latam fecisti charitatem, hilariter operantem etiam in his scilicet mortalibus rebus et membris quæ sunt sub me. H Non sunt infirmata vestigia, id est exempla ejus, a successoribus sequenda, et doctrina ejus.

41 *Persequar inimicos et comprehendam illos :*
Et non convertar donec deficiant.

H Persequar, vox Christi, id est Christus Judæos vel gentiles, qui ei injuste inimici facti sunt, vel Ecclesia persequitur carnales affectus, et comprehendam illos antequam comprehendar ab illis, et non convertar, scilicet ab hac intentione. Donec deficiant hujusmodi carnales affectus in me sive inimici Judæi et mali omnes a malitia vel a cogitationibus pravis.

42 *Confringam illos nec poterunt stare :*
Cadent subtus pedes meos.

H Affligam illos (ut habet alia translatio) scilicet in multis malis, sicut jam factum legimus Judæis, temporibus Titi. Nec stare poterant, quia in superbia erecti fuerant. Cadent, sive ut adorent se humiliando, seu ut conculcentur damnati.

43 ✣ *Et* ⁝ *præcinxisti me virtute ad bellum :*
Supplantasti insurgentes in me subtus me.

C Præcinctus est enim virtute Christus, quando patientia et fortitudine, adversa inimicorum superavit. Supplantavit eos, *quando* qui contra eum insana conspiratione tumuerunt, suo judicio sine dubio subdendi sunt, ut cum suo instigatore pereant, qui auctori suo credere noluerunt. Hoc enim de spiritibus immundis dictum est, qui per Judæos Christo iniqua certamina moverunt.

44 ✣ *Et* ⁝ *inimicos meos dedisti mihi dorsum :*
Et odientes me disperdidisti.

C H Dorsum signat conversionem eorum, qui resistentes nomini Christi, prius dorsum verterunt ad Christum non faciem, postea conversi facti sunt Christiani, ut Paulus apostolus. C Vel dorsum dederunt quando victi sunt, et conversi, quorum fuga (quæ per dorsum signatur) facta est Christi gloriosa victoria. Sicut Saulus victus (*Act.* IX), factus est victor Paulus, quoniam alios vicit convertendo, prius ipse victus. Dispersit odientes, quando Judæos in eorum perfidia dimisit dicentes : Sanguis ejus super nos (*Matth.* XXVII), hæc enim est causa dispersionis eorum, sanguis Christi scilicet.

45 *Clamaverunt nec erat qui salvos faceret ad Dominum :*
Nec exaudivit eos.

H Clamabunt impii et Judæi in futuro judicio ad Christum, cum viderint spem suam in diabolo corruisse. C Non exaudiet eos, quoniam infructuosa illis est pœnitentia, ubi jam cognoscitur esse justa damnatio.

46 *Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venit :*
Ut lutum platearum delebo eos.

C Intelligant se superbi et grandiloqui comminuendos ut pulverem : qui moliuntur Domino pravis mentibus contradicere. Ante faciem venti, ut quiescere non possint cum fuerint imminuti. Bene luto comparat peccatores qui fetidis peccatis inquinantur. Delebo, id est, de medio sanctorum tollam, quod pertinet ad lutum platearum; lutum quippe quia mollissimum facile tollitur.

47 *Eripies me de contradictionibus populi :*
Constitues me in caput gentium.

C Ereptus est Christus de contradictionibus populi : quando explosis perfidis Judæis, ad gentium fidem devotionemque translatus est. Constitutus est in caput gentium, quandoper fidem illorum susceptus est; quia in frontibus gentium, crucis habuerunt vexilla radiare.

48 *Populus quem non cognovi servivit mihi.*
✣ *In* ⁝ *auditu auris obedivit mihi.*

C Servit populus Christo, idem gentes crediderunt Christo, quem prius non cognovit, quia in illum credit. H Obedivit auditu auris; quia mirabilia Dei non videntes neque præsentiam corporalem, sed postea audierunt, et suis doctoribus obedientes crediderunt, et opere fidem impleverunt.

49 *Filii alieni mentiti sunt mihi : filii alieni inveterati sunt :*
Et claudicaverunt a semitis suis.

H Filii alieni, filii diaboli, quibus ipse dixit : Vos ex patre diabolo (*Joan.* VIII) estis. C Mentiti sunt mihi, quando dicebant : Magister, scimus quia a Deo venisti, et in veritate viam Dei doces (*Matth.* XXII). Mentiri est enim contra mentem loqui, et illud in lingua promere quod constat in animo non habere. A H Inveterati sunt, id est in veteri homine remanserunt, quos innovare veni, Et claudicarunt. C Nam claudicare dicimus eos, qui uno pede debiles sunt. H Ille claudicat qui Patrem credit, et Filium non credit. C Judæi claudicant, qui unam partem Scripturæ, Vetus scilicet Testamentum carnaliter intelligentes, aliam, id est Novum Testamentum respuentes non habent.

50 *Vivit Dominus et benedictus Deus meus.*
Et exaltetur Deus salutis meæ.

H Recte dicit Ecclesia : Vivit Dominus, quem Judæi in sepulcro clauserant. C Benedictus dicitur Deus, cum ei digna devotione laus persolvitur. Exaltetur, id est in toto orbe credatur. Nec poterat

aliter exaltari, qui solus vocatur et est Altissimus.

51 *Deus, qui das vindictas mihi. Et subdis populos sub me :*
Liberator meus de inimicis meis + iracundis ⁝ .

H Deus, qui das vindictam mihi, subvertendo Judæos; vel, Deus, qui das vindictas sanctis apostolis eorumque successoribus Ecclesiæ solvendi et corrigendi. Et dedit potestatem prædicatoribus ad regendum gentes incredulas. Liberatorem Deum dicit. Petit Ecclesia se liberari ab hæreticis, seu a peccatoribus, et hoc ab iracundis, C id est a fervida malignitate succensis. Vindicari dicitur Ecclesia, quando ejus inimici ad veræ religionis penetralia reducuntur.

52 ✠ *Et ⁝ ab insurgentibus in me exaltabis me :*
A viro iniquo eripies me.

H Ab insurgentibus, id est a persecutoribus. A viro iniquo, id est a diabolo, ut in Evangelio : Inimicus homo hoc fecit (*Matth.* XIII); C Vel a quilibet schismatico.

53 *Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine :*
Et nomini tuo psalmum dicam.

C Propter illa quæ superius dicta sunt : Confitebor tibi, id est laudabo te per populos Christianos. Psalmus opus significat actuale, per quod *divinitas melius* opere quam vocibus laudatur, quod etiam Deus citius quam voces exaudit. Unde dicit : Confitebor tibi, id est laudabo et operabor.

54 *Magnificans salutes regis ejus : et faciens misericordiam christo suo David :*
Et semini ejus usque in sæculum.

C Magnificat Pater regem ipsius, id est Filium in toto orbe terrarum regnaturum. Christus *unctus* interpretatur. H David, *manu fortis.* C Fecit in David misericordiam, quia eum de persequentium ferocitate liberavit. Semen ejus, Dominum significat Salvatorem. Usque in sæculum, hoc est usque in æternum. Semini Christo misericordia facta est, quando resurrexit cœlosque accendit, et nunc sedet ad dexteram Patris, rex in æternum.

ORATIO EX PSAL. XVII.

Firmamentum spei et refugium pressuræ, piissime Deus, salva nos ab inimicis et a laqueis mortis, ut assumpti de multitudine circumstantium tribulationum, devotissime sancto nomini tuo cum innocentiæ puritate psallamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

PSALMUS XVIII.

ARGUMENTUM PSAL. XVIII.

C Domini prædicatores Propheta collaudans, ejus incarnationem speciosissime describit; necnon præcepta Novi ac Veteris Testamenti magnificans, ab occultis vitiis purgari se a Domino precatur.

TT. *In finem psalmus David.*

C Inscriptio tituli hujus frequenter exposita est. Per totum igitur psalmus Prophetæ verba sunt de Christo loquentis.

1 *Cœli enarrant gloriam Dei :*
Et opera manuum ejus annuntiant firmamentum.

C Cœli apostoli sunt et prophetæ, qui de adventu Christi annuntiant gloriam ipsius. Opera manuum ejus, id est ipse homo qui ex manibus Christi plasmatus est. Annuntiant firmamentum, id est prædicationes, scilicet incarnationis Christi, per quam firmabatur soliditas nostræ fidei, et ita in plurali dici oportet, annuntiant. Sed secundum istam litteram quæ habet, annuntiant, oportet dici firmamentum apostolos et prophetas, qui annuntiarunt opera Dei, id est facta virtutum secundum hominem, ut incarnationem, mortem, etc.

2 *Dies diei eructat verbum :*
Et nox nocti indicat scientiam.

H Dies, Christus sive apostoli. C. Eructat verbum cum irradiando corda apostolorum purissima cœlestia verba intimavit; vel, cum apostoli corda fidelium luminosa prædicatione illuminant. Nox nocti indicat scientiam, cum Judas Judæis Christum prodidit ac tradidit ad occidendum.

3 *Non sunt loquelæ neque sermones :*
Quorum non audiantur voces eorum.

H C Non sunt loquelæ. Negando dicit nullos esse sermones neque loquelas, quos apostoli non potuissent loqui. C Sermones, pertinet ad communes narrationes; loquelæ, ad publicas suasiones. Quod utrumque apostolos fecisse certissimum est.

4 *In omnem terram exivit sonus eorum :*
Et in fines orbis + terræ ⁝ verba eorum.

C Terram : hic hominem debemus accipere. Sonus vero, fama miraculorum est. Fines terræ, sunt reges, id est non solum ad humiles, sed etiam ad principes gentium Evangelii verba pervenerunt, et omnes homines salubri doctrina docuerunt.

5 *In sole posuit tabernaculum suum :*
Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

C In sole posuit, id est, in manifestatione, quia manifeste venit. Dicit tabernaculum scilicet sui corporis. Et ipse, Christum Dominum dicit, qui, tanquam sponsus Ecclesiæ suæ, processit de thalamo suo, id est de utero virginali. Bene sponsus a *spondendo* dicitur Christus, qui toties est promissus a prophetis.

6 *Exsultavit ut gigas ad curren damriam + suam ⁝*
A summo cœlo egressio ejus.

C Bene giganti comparatur Christus, qui humanam naturam superans magnitudine suæ potentiæ, omnia mundi vitia cum suo truculentissimo auctore prostravit. Hic via cursum significat ejus vitæ, quia scilicet homo natus, crevit, docuit, passus est. A summo Patrem significat. Egressio nativitas Filii non temporalis, sed coæterna Patri.

7 *Et occursus ejus usque ad summum ejus :*
Nec est qui se abscondat a calore ejus.

C Occursus ejus, secundum hominem dicitur, quia post assumptionem carnis, in utraque natura

Christus permanens occurrit usque ad summum, id est, usque ad sedem paternæ majestatis, qua Patri Filius semper æqualis est. Calor ejus Spiritus sanctus est, a quo nemo potest abscondi, quia potentia suæ divinitatis uniuscujusque corda cognoscit.

8 *Lex Domini immaculata, convertens animas : testimonium Domini fidele :*
Sapientiam præstans parvulis.

H Lex Domini Christus est irreprehensibilis, quia non habuit peccatum. Convertit animas : de captivitate in libertatem. C. Testimonia quæ dedit Israelitico populo fidelia fuerunt, quia plenissima veritate cognita sunt. H Sapientiam præstat parvulis, non sensu sed humilibus et innocentibus. C Vel lex Domini vetus est immaculata, quia per legem novam approbata.

9 *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda :*
Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Justitiæ Domini revera recte, quia non aliter fecit Dominus quæ docuit. Rectæ, ibi non sunt, quia aliud est in ore, aliud in opere. Lætificantur corda : subauditur justorum. Lucidum præceptum dicit, quia sincerum et purum. Illuminat oculos, non istos carnales, sed illos interiores.

10 *Timor Domini sanctus permanens in sæculum ✣ sæculi* ⁝ :
Judicia Domini vera justificata in semetipsa.

C Timor Domini mista cum pavore charitas est, qui imperturbata constantia, non trepida confusione, permanet sanctus : qui timor usu sæculari, reverentia nuncupatur. Judicia Dei, dicit mandata Dei, quæ in Veteri et Novo Testamento conscripta sunt, quæ in semetipsis permanent, quia status eorum nulla varietate mutatur.

H A Nec alterius auctoritate (ut firma habeantur) nisi Domini egent, qui neminem fallere potest.

11 *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.*
Et dulciora super mel et favum.

C Desiderabilia judicia Domini, id est mandata Novi et Veteris Testamenti; super aurum, quod humana cupiditas maxime desiderat possidere. Addidit lapidem pretiosum, qui multum valet in parvissimo margarito. Sed quia inveniri poterant qui divitias contemnerent, addidit sapores : mel et favum. Vetus Testamentum superat mel; Novum vincit favum.

12 *Etenim servus tuus custodit ea :*
In custodiendis illis retributio multa.

C Cum dicit servus tuus, justum signat et devotum, qui ideo custodit mandata Dei, quia obedientibus retributio subsequitur. Merito dicta sunt multa, quia comprehendi non possunt universa, quæ præparavit Deus diligentibus se.

13 *Delicta quis intelligit? ab occultis ✣ meis* ⁝ *munda me :*
✣ Et ⁝ *ab alienis parce servo tuo*

H Delicta quis intelligit? nisi scrutator cordium, Deus, qui etiam potens est dimittere ea. Ab occultis, A id est a præteritis peccatis. C Occultum est quod originale dicitur, in quo concipimur et nascimur et secreta voluntate peccamus. Alienum est quod malis hominibus suadentibus, sive diabolo suadenti committitur, sed fit proprium, quia consensus noster plectibilis ex arbitrio nostro adhibetur, et ex illa traduce massa mortalium ab hoste spiritali corrupta, sine gratia Dei velociter subvertitur, quia in primo homine per inobedientiam vitiata monstratur. Nam quam facile est antiquo insidiatori infectis vetita suadere, qui potuit liberos atque incorruptos sua calliditate decipere? Sunt ergo aliena, quæ ab aliis nostra suasione vel culpa acta sunt, vel aliorum suasu aut auxilio nos facimus.

14 *Si mei non fuerint dominati : tunc immaculatus* B *ero.*
Et emundabor a delicto maximo

H Tunc delicta dicuntur, cum hoc servus fit peccati. Si ista peccata non perpetravero, ero immaculatus. Et emundabor a delicto maximo, id est a superbia. C Qua et diabolus cecidit et hominem traxit, et concessa beatitudine vacuavit. A Non ergo petit tolli a se hic omnia omnino peccata, quod est impossibile, sed ne dominentur

15 *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei :*
Et meditatio cordis mei in conspectu tuo ✣ semper ⁝.

C Possunt placere Domino eloquia oris, si a vitiis, quæ superius dixit, reddatur homo alienus. Meditatio cordis, quæ potest ad Deum pervenire, est spes, C charitas, et fides.

16 *Domine, adjutor meus :*
Et redemptor meus.

C Adjutorem suum dicit Deum in bonis actibus; redemptorem, a malis, ut nemo meritis suis applicet quod susceperit cœlesti largitate.

ORATIO EX PSAL. XVIII.

Piissime Deus, qui virginalis thalami egressu procedens liberatis nobis ad Patris dexteram conscendisti, immensam misericordiam tuam exposcimus, ut lege tua conversi, præceptis illuminati, testimoniis eruditi, mereamur et ab alienis et ab occultis vitiis emundari. Qui cum Patre, etc.

PSALMUS XIX.

ARGUMENTUM PSAL. XIX.

D C Rogat Propheta Ecclesiam exaudiri, petens illius consilium a Domino confirmari, dicensque fideles, non potestate mundana, sed divina potentia magnificandos.

TT. *In finem psalmus David*

C Jam nota sunt verba tituli. Nunc rogat Propheta in hoc psalmo prospera evenire sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ longo tempore fieri posse per adventum Domini prævidebat dicendo : Exaudiat, etc.

1 *Exaudiat te Dominus in die tribulationis :*
Protegat te nomen Dei Jacob.

C In die tribulationis, ostendit tempus gravissimæ afflictionis. Cum dicit : Protegat te nomen Dei Jacob, hujusmodi benedictionem concedendam petit

Propheta a Domino Christiano populo, sicut sanctus patriarcha Jacob priscis temporibus ab ipso accepit, quando Esau fratri prælatus est. Audiri cognoscimur, quando omnimodis aliquid obtinemus.

2 *Mittat tibi auxilium de sancto :*
Et de Sion tueatur te.

Optando dicens mittat : ostendit a Patre Filium missum suum, in auxilium sanctæ Dei Ecclesiæ. Sion enim mons signat *speculationem*, quæ convenit divinitati, quoniam illi cuncta sunt nota.

3 *Memor sit omnis sacrificii tui :*
Et holocaustum tuum pingue fiat. Diapsalma.

C Sacrificium sanctæ Ecclesiæ, est ritus accipiendus, qui nunc agitur corporis et sanguinis Domini immolatione solemni. Holocaustum, totum incensum dicitur, et repræsentat idem jam dictum sacrificium. Quod pingue fit atque jocundum, quando nostra oblatio mentis et corporis a gratia divinitatis assumitur.

4 *Tribuat tibi secundum cor tuum :*
Et omne consilium tuum confirmet.

C Dicit, tribuat tibi secundum cor tuum, id est secundum intellectum quem habes de Domino, ut eum credas unum ex trinitate, passum carne, resurrexisse, ascendisse in cœlum, etc. Et omne consilium tuum confirmet, hoc est consilium sanctæ Ecclesiæ : Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum credere, a quo sunt omnia ; et ex consilio deliberate omnia pro ista fide spernere mundi delectamenta

5 *Lætabimur in salutari tuo :*
Et in nomine Dei nostri magnificabimur

C Nam in salutari Ecclesiæ (quod est Christus Jesus) lætaturum se esse declaravit, ut se unum esse ex ejus corpore monstraret. Et in ipsius nomine se esse magnificandum, quia ex ipso Christiani fuerant nuncupandi. Magnificari est magnum fieri.

6 *Impleat Dominus omnes petitiones tuas :*
Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus christum suum.

C Impleat Dominus, sit iterum ad Ecclesiam grata conversio. Nunc cognovi dicendo, magnam virtutem suæ prophetationis ostendit, cum se dicat in præsenti cognovisse quæ post sæcula multa implenda erant. Salvum fecit Pater Filium in resurrectione gloriosa et in cœlos ascensione.

7 *Exaudiet illum de cœlo sancto suo :*
In potentatibus salus dexteræ ejus.

C Sensus iste talis est : Exaudiet Filium Pater de cœlo, quia in dextera ejus est salus, quam habens ex propria deitate, tamen expetere videtur ex carne. Potentatibus dicit, quia nos potentes efficit, cum gratia sua in præsenti, et in futura vita in beata perennitate custodiendo ; quæ per dexteram intelligitur.

8 *Hi in curribus et hi in equis :*
Nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

H Per currus, voluptas mundi sive cupiditas designatur, quoniam superbi et cupidi velut rotæ insanabiles, mente huc illusque discurrunt. Per equos, superbi intelliguntur ; ipsi sunt cupidi. H C Nos autem in illis non gloriemur, sed in nomine Dei, quod ad præmia æterna perducit.

9 *Ipsi obligati sunt et ceciderunt :*
Nos autem surreximus et erecti sumus.

C Dicit Propheta humanis honoribus vel pravis desideriis obligatos cecidisse arrogantes, quod necesse est illis contingere qui se videntur nexuosis erroribus illigare. Resurgere duobus modis Christianus dicitur, scilicet a morte vitiorum, et in illa resurrectione, in qua justi æterna præmia accipiunt, de utraque hic intelligi manifestum est.

10 *Domine, salvum fac regem + et exaudi nos :*
In die qua invocaverimus + te.

C Dicitur Patri, Salvum fac regem, id est, ut Christus resurgat a mortuis. Exaudi nos, provenit illud tunc generi humano, quando resurrectionem Christi firme credit et lætanter aspicit, vel per eum regem exaudi nos in die necessitatis nostræ.

ORATIO EX PSAL. XIX

Imple, Domine petitiones nostras, et tanquam pinguissimum nos holocaustum assume, ut, inimicorum curribus obligatis, salutaris tui opitulatione lætemur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS XX.

ARGUMENTUM PSAL. XX.

C Hic psalmus, Domini Salvatoris primo incarnationem, et postea deitatis facta, Propheta narrante, decantat.

TT. *In finem psalmus David.*

C Ideo titulus hic nono decimo psalmo par est, quoniam et iste quidem de Domino Salvatore loquitur sicut superior, sed sub aliqua diversitate.

1 *Domine, in virtute tua lætabitur rex :*
Et super salutare tuum exsultabit vehementer.

C Domine, dicit Propheta ad Patrem ; in virtute tua, id est in omnipotentia majestatis tuæ, in qua et Filius regnat. Lætabitur rex, gaudet Christus Jesus. Exsultabit, id est in eo quod per eum salvasti homines, Filius tuus exsultabit, qui est Salvator. Vehementer, ostendit magnitudinem gaudii, ut, quanta est copia in beneficio, tanta sit et gaudii magnitudo.

2 *Desiderium cordis ejus tribuisti ei :*
Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.
Diapsalma.

C Desiderium animæ ejus fuit pro omnium salute occidi, ut pretiosus sanguis ejus mundum redimeret. Voluntas labiorum fuit, quando immundis spiritibus imperabat, languores diversos sermonis sui sanabat imperio, et prædicationes populis inserebat. Constat in nullo voluntatem ejus fuisse fraudatam, quando omnia quæ fieri jussit impleta sunt.

3 *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis :*
Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

C Quoniam prævenisti, significat humanitatem præventam gratia divinitatis. A Benedictio dulcedinis fuit immunitas peccati, qua donatus est Christus; nos enim in amaritudine Adæ concipimur. C Vel benedictio dulcedinis fuit, quando dictum est : Hic est Filius meus dilectus. Corona conventum signat discipulorum ; hæc erat corona capitis, hoc regale diadema, quoniam ipsum docentem circuitus apostolorum ambiebat. Diadema illud non ideo ut ornaret est impositum, sed ut de Christo potius ornaretur. Lapides pretiosi, apostoli sunt.

4 *Vitam petiit a te et tribuisti ei :*
Longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum + sæculi.

C Vita resurrectionem signat quam ille petiit dicendo : Pater, clarifica Filium tuum. Longitudo dierum signat perennitatem Christi, quæ nullo fine concluditur. In sæculum sæculi, indefectam stabilitatem futuri sæculi indicat. Sed memento quod hæc et his similia ab illa dicuntur parte passus est.

5 *Magna gloria ejus in salutari tuo :*
Gloriam et + magnum et decorem impones super eum.

C Nam gloria et magnum decus tempus signat judicii, ubi in deitate sua Altissimus apparebit, habens gloriam ex judicio, decorem de majestate. Sanctæ etiam incarnationi magna est gloria in salutari, id est in verbo Patris.

6 *Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum + sæculi :*
Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

H Quoniam dabis eum in benedictionem, quia omnis creatura benedicit eum. Lætificabis eum in gaudio, cum coadunata fuerit multitudo sanctorum, eique sanctorum numerus restitutus. C Cum vultu tuo dicit, ut una intelligatur persona sine dubio esse Christi, quia humanitas de divinitate gaudet. Quamvis etiam de membris illud accipi Christi recte possit.

7 *Quoniam rex sperat in Domino :*
Et in misericordia Altissimi non commovebitur.

C Rex est iste, qui in passione sua ascriptus, tribus linguis legebatur. Speravit in Domino, secundum hominem. Non commovebitur A misericordia Patris, quia protector est olim sperantium in se.

8 *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis :*
Dextera tua inveniat + omnes qui te oderunt.

C Inveniatur manus tua, id est operatio tua repeciatur. H Ut revertantur inimici, afflicti potestate tua in bonum. Dextera Patris Dominus est Salvator. Qui eum oderunt pœna perpetua damnandi sunt, et sine fine cum diabolo et satellitibus suis in æternis tenebris torquendi. Invenitur igitur Dei manus in judicio futuro inimicis ejus.

9 *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui :*
Dominus in ira sua conturbabit eos : et devorabit eos ignis.

C Clibanus est coquendis panibus ænei vasculi deducta rotunditas, quæ subureatibus flammis ardet intrinsecus; quod signat peccatores, qui in judicio torquendi sunt et mœrore animi et pœnali excruciatione. Tempus vultus Dei, dies est judicii. H Hic ira Dei non punit, sed conturbat ad pœnitentiam, et hic ignis Spiritus sancti devorat, id est peccata consumit. C Sive quando audient : Ite in ignem æternum, tunc judicis sententia conturbabit, et ignis devorabit perpetuo.

10 *Fructum eorum de terra perdes :*
Et semen eorum a filiis hominum.

C H Fructum dicit opera iniquorum. Perdere de terra, id est de sancta Ecclesia vel terra viventium. C Semen, id est vota vel facta peccantium. A filiis, id est de sanctis eos facis alienos, quos in hæreditatem æternam tua largitate missurus es.

11 *Quoniam declinaverunt in te mala :*
Cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt + stabilire.

H Visi sunt Judæi declinare mala in Christum, quando dixerunt : Dignus est morte. Cogitaverunt concilium dicendo : Jube ergo custodiri sepulcrum (*Matth.* xxvii), nolentes nec etiam credentes Christum resurgere. Quod non potuerunt stabilire, quia, quando voluit Christus, resurrexit. C Declinare dicimus mala supra alios, pœnitentia in alios causam iniquitatis relidere, quod Judæi Christo fecerunt, dum destructionem civitatis et gentis vitæ Christi ascripserunt, dicentes : Si dimittimus eum sic (*Joan.* xi), etc.

12 *Quoniam pones eos dorsum :*
In reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

A Positi sunt Judæi dorsum, quando vitio suo terrena sapientes, non meruerunt cœlestia contueri. H Præparabuntur reliquiæ Judæorum, quando per Enoch et Eliam in fine crediturі sunt, et tunc præparabis vultum eorum, scilicet in te credentium, ut scilicet convertantur corda patrum in filios.

13 *Exaltare, Domine, in virtute tua :*
Cantabimus et psallemus virtutes tuas.

H Exaltare in virtute, id est demonstra in judicio majestatem tuam et potestatem, qui prius venisti in humilitate. C Cantare est verba Domini ore proferre; psallere, mandata divina bonis operibus constanter implere.

ORATIO EX PSAL. XX.

Benedic, Domine, benedictione dulcedinis, et comple tibi placitum desiderium nostrum, ut dum jugiter virtutes tuas suavi modulatione concinimus, longitudinem vitæ perpetuæ consequamur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS XXI.

ARGUMENTUM PSAL. XXI.

C In hoc psalmo Christus de passione sua ad

Patrem loquitur, admonetque fideles laudare Dominum, quia in resurrectione sua catholicam respexerit Ecclesiam.

TT. *In finem pro susceptione matutina psalmus ✣ David* ⁝

C In finem; sive psalmus, sive David, quid signet expositum est. Susceptio matutina est tempus reresurrectionis, quando mortale corpus in magna gloria clarificatum assumpsit. Matutinum dictum est, quasi *manu primitivum*, quod tempus innumeris locis ad resurrectionem Domini constat aptatum.

1 *Deus, Deus meus ✣ respice in me ⁝ quare me dereliquisti :*
Longe a salute mea verba delictorum meorum.

C Deus sermo Græcus est, et interpretatatur *timor*. Unde quidam ait gentilium poetarum : primus in orbe deos fecit timor; unde Christus, quasi vicina passione permotus, ex humanitate clamat : Respice in me, deprecans sibi celerrimum auxilium resurrectionis. H Quod se dicit derelictum, non ex propria, sed ex populi sui persona loquitur, cujus peccata ipse suscepit. C Dicit a se longe fieri verba quæ delicta parturiunt, et iterum sua dicit esse peccata nostra delicta, qui non habuit peccata. A Dicit igitur se derelictum in persona membrorum, quæ quod petunt non accipiunt, eo quod verba delictorum sunt petitiones eorum, dum vel petunt contra salutem vel non mox exauditi murmurant, et derelictos se conqueruntur.

2 *Deus meus, clamabo per diem et non exaudies :*
Et nocte et non ad insipientiam mihi.

C Clamabat humanitas Verbi per diem, quam non circumdabant tenebræ peccatorum. H non exauditur : propter destinatos ad mortem, qui noctis nomine vocitantur. C Non ad insipientiam, subaudiendum reputabis mihi, id est Pater Filio, petebat ergo mediator Dei et hominum non insipienter sed prudenter, et tamen non constat auditum, quia petitione et passione mundum erat redempturus. H C A Vel dies prospera, nox adversa significat. In quibus quandoque petentes Deus non exaudit, et hoc non ad insipientiam eorum, sed ut sic sapientes fiant et discant sapienter petere, non terrena sed cœlestia, vel terrena ad salutem animæ.

3 *Cum autem in sancto habitas :*
Laus Israel.

C In sancto habitas laus, incarnationem per hoc Christi declaravit propheta, quia in Filio habitat laus, id est Pater qui est laus Israel, id est Ecclesiæ videntis per fidem te. Ideo etiam non exauditum se ostendit, non propter insipientiam, sed propter salutem generis humani per passionem suam alias factam sanctam, quoniam Pater semper audit Filium in quo semper habitat.

4 *In te speraverunt patres nostri :*
Speraverunt et liberasti eos.

H Speraverunt patriarchæ, et liberavit eos de Ægypto. H Speraverunt in deserto et liberati sunt, quanto amplius filium pater liberat dum petit et vult liberari.

5 *Ad te clamaverunt et salvi facti sunt :*
In te speraverunt et non sunt confusi.

C Clamaverunt martyres ad Christum : dum eos corporalis pœna consumpsit, et putabantur ab infidelibus non exaudiri, sed illi potius valde auditi sunt, quia coronam percipere meruerunt. Nec sunt confusi : quos constat venisse ad præmium, non enim confunditur, qui æternum regnum consequitur.

6 *Ego autem sum vermis et non homo :*
Opprobrium hominum et abjectio plebis.

C Vermi enim comparatur Christus, quia mortalis et de carne sine mistione seminis natus est. Similiter vermis sine concubitu nascitur. Non homo, id est non peccator, quod in illo esse non potuit. Opprobrium hominum : quando in eum spuebant, et alapis verberabant. Abjectio, cum elegerunt Barabbam, Christum abjecerunt.

7 *Omnes videntes me deriserunt me :*
Locuti sunt labiis. Et moverunt caput.

C Omnes, de malis suscipiendum est : deriserunt, non credendo in Christum. H Locuti sunt labiis : Si Filius Dei est descendat de cruce (*Matth.* xxvii). Moverunt caput. C Per iracundiam : quod minantes faciunt non judicantes ex corde, ore enim non corde loquebantur, quibus non provenit ex firma deliberatione sententia.

8 *Speravit in Domino eripiat eum :*
Salvum faciat eum quoniam vult eum.

H Vox prophetæ. Speravit, hoc est humanitas in divinitatem. Eripiat, id est de Judæis, vult eum, quoniam Deus Pater talem Filium habere voluit sine peccato, per quem peccata tolleret mundi. C Vel melius hoc per ironiam dictum est a Judæis, quæ figura Latine *irrisio* dicitur, aliud quam conatur quis ostendens.

9 *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre :*
Spes mea ab uberibus matris meæ : in te projectus sum ex utero.

H Vox humanitatis, eduxisti me ventre, id est de utero sanctæ Mariæ. C Quia tunc ab originali peccati vitio sequestratus : tanquam sponsus processit de thalamo. Spes mea ab uberibus, H id est secundum humanitatem, secundum quam non dedignatus est sugere ubera matris. In te projectus sum. C Ostendit se fuisse ab humana iniquitate divisum.

10 *De ventre matris meæ Deus meus es tu :*
Ne discesseris a me.

C Cum dicit de ventre matris meæ : ostendit non fuisse sine Deo nec ipsam conceptionem carnis. Ne discedas a me. H In die passionis.

11 *Quoniam tribulatio proxima est ;*
Quoniam non est qui adjuvet.

H Quoniam proxima est tribulatio, ut ipse dixit : Surgite, eamus, ecce appropinquabit qui me tradet (*Matth.* xxvi). Non est qui adjuvet, neque angelus, neque homo, nisi tu, Pater.

12 *Circumdederunt me vituli multi :*
Tauri pingues obsederunt me.

C Vituli populi Judæorum, qui ignorato jugo Dei : inconsiderata procacitate lasciviunt, simul petulantes et fatui, qui gressus suos nulla moderatione distinguunt, sed vagi ac penduli : ad iniqua consilia quibusdam saltibus efferuntur. Tauri principes Judæorum designant. Addidit pingues, quia feroces circumdederunt Christum cum gladiis et fustibus, animal enim impinguatum : inquietum et ferox efficitur.

13 *Aperuerunt super me os suum :*
Sicut leo rapiens et rugiens.

C Aperuerunt Judæi os dicentes : Crucifige, crucifige (*Matth.* XXVII.) Suum videlicet, quod non illis sapientia aperuit, sed cogitatio scelerata. Rapiens : pertinet ad insanissimam seditionem cum eum raptum traxerunt ad tribunalia. Rugiens : ad blasphemas voces, quibus dicebant : Crucifige, crucifige.

14 *Sicut aqua effusus sum :*
Et dispersa sunt omnia ossa mea

H Ossa Christi apostoli dicuntur, C qui dispersi sunt et effusi sicut aqua, qui orbem terrarum divino imbre satiantes : a sordibus peccatorum abluerunt, A vel Christus ita viliter occisus, sicut aqua effunditur, et ejus sanguinis effusio nos rigavit et abluit, et dispersi sunt in morte ejus discipuli.

15 *Factum est cor meum tanquam cera liquescens :*
In medio ventris mei.

H Cor suum, sapientiam suam dixit, quæ ante C passionem suam non intelligebatur. C Impleta vero passione omnis veritas promissa revelata est. Bene mysteria legis comparata sunt ceræ, quæ tunc reddit splendorem luminis, cum a calore dissolvitur ; sic per ignem passionis Christi, illuminata sunt mysteria legis. Ventrem Ecclesia dicit.

16 *Aruit tanquam testa virtus mea : et lingua mea*
adhæsit faucibus meis :
Et in pulverem mortis deduxisti me.

H C Virtus Christi testæ comparatur, quia sicut illa igne decocta, fortior erit, sicut virtus Christi in passione solidita est, quæ prius quasi lutea videbatur incredulis. C Lingua sua : significat prædicatores, qui adhærent faucibus suis, dum ejus mandata D custodiunt. In pulverem deductum dicit, ad voluntatem Judæorum, qui hoc nitebantur et se fecisse putabant, quia ejus resurrectionem credere noluerunt, sed se putabant Christo mortem dedisse communem, ut usque in pulverem perductum crederent.

17 ✣ *Quoniam : circumdederunt me canes ✣ multi :*
Concilium malignantium obsedit me.

H Canum natura est : dominos amare, contra latrones latrare : econtra Judæi contra suum Dominum non loquentes recta, sed latrantres iniqua, latronem elegerunt. C Concilium malignantium : quando cogitabant Jesum dolo tenere, mortique trabere.

A 18 *Foderunt manus meas et pedes meos :*
Dinumeraverunt omnia ossa mea.

H Foderunt manus, id est, clavis fixerunt, et fructum magnum invenerunt id est, salutem omnium gentium. C Dinumeraverunt ossa ejus, mystice, id est, apostolos seu reliquos Christianos, quos quærebant Judæi persecutione facta exstinguere, ne in majore numerum convalescerent. Vel corpus ejus sic extenderunt in cruce, ut ossa ejus numerabilia viderentur.

19 *Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me ;*
Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem
meam miserunt sortem.

C Dicit Judæos considerare secundum incredulitatem eorum, ut non transitorie vel casualiter fecisse B videantur, sed diligenter considerasse et inspexisse ad ea quæ fiebant, et tamen cor eorum lapideum tot miraculis non fuisse molitum. Diviserunt sibi vestimenta mea (*Job* XIX). H Hoc in passione Christi completum est, quando fecerunt, quatuor partes, quatuor milites. Tunica tamen non est divisa significans unitatem Ecclesiæ, quæ non scinditur, quamvis hæretici eam scindere contendant.

20 *Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium*
meum :
Ad defensionem meam conspice :

H Hic humanitas ad divinitatem loquitur. C Et resurrectionem celerrimam deprecatur : ut veniente tali gloria, perfidorum incredulitas destruatur. Auxilium signat resurrectionem Christi, quæ elongata C non est : quando triduana provenit. C Ad defensionem, ne quid prævaleat in me pars illa vocatis inferni.

21 *Erue a framea animam meam :*
✣ Et : de manu canis unicam meam.

C Liberari se postulat a morte quam subire voluit. Framea autem significat hastam, sive gladium seu quælibet arma, et significat hic malitiam Judæorum. De manu canis dixit : cum canis manus non habeat, sed vult intelligi potestatem Judæorum. H Unicam dicit animam suam, quæ non habeat peccatum : vel Ecclesiam catholicam. C Ut intelligatur doctrinas novas et conciliabula perditorum respuisse.

22 *Salva me ex ore leonis :*
Et a cornibus unicornium humilitatem meam.

C De ore leonis : de potestate diaboli dicit, qui bene comparatur feris, quoniam humanis existens semper delectatur. A cornibus, id est a superbis. Unicornium, qui nimia elatione surgentes : similes socios ferre non possunt, a talibus secerni suos humiles Christus postulavit, talia quippe animalia quæ uno cornu armantur, multo *fortiores* sunt his quibus duplicia tribuuntur.

23 *Narrabo nomen tuum fratribus meis :*
In medio Ecclesiæ laudabo te.

C Post sacram passionem dicit gloriam divinitatis toto orbe vulgandam. Narrabo, id est narrari faciam. Fratres dicuntur qui diligunt et diliguntur. In medio

Ecclesiæ. H In medio credentium populorum prædicabo te et laudabo te.

24 *Qui timetis Dominum laudate eum :*
Universum semen Jacob glorificate eum.

C Timor Dei : justus est et rectus, laudemque generat, amorem tribuit, et ardorem charitatis inflammat. Semen Jacob, qui fidei Jacob, devotione consentiunt, et supplantatores vitiorum sunt. Laudate igitur, qui timetis, id est reverentiam habetis nominis ejus, quia eum non meretur prædicare, nisi qui cognoscitur et timere.

25 *Timeat eum omne semen Israel :*
Quoniam non sprevit neque despexit deprecationem pauperis.

H Timeat eum omne semen Israel, id est, unusquisque renatus per baptismum, et mente Deum videns. Quoniam non sprevit preces pauperum. Id est filium. C Sicut facere solent gloriantes in istius mundi honore, spernere pauperes et despicere supplicantes, causamque de habitus qualitate metiri, ut si sit vestibus nitidus : verax putetur, si amictu sordidus : mendacissimus habeatur. B

26 *Nec avertit faciem suam a me :*
Et cum clamarem ad eum exaudivit + me :

H Nec avertit faciem, sed resuscitavit me a mortuis. Cum clamarem, respondit : Clarificavi et iterum clarificabo (*Joan.* XII). C Vel aliter, clamavit itaque : ut mors nostra ejus morte finiretur, et peccatum veteris hominis; redimeretur pretio sanctissimæ passionis.

27 *Apud te laus mea in Ecclesia magna*
Vota mea reddam in conspectu timentium eum.

C Apud te significat de te, laus mea in Ecclesia, scilicet catholica, magna enim et amplitudine dicitur et honore. Vota, sacramenta corporis et sanguinis, quæ illis præsentibus redduntur : qui ei sancto timore subjecti sunt, denique quæ sint vota ista subjungit. Edent pauperes, etc.

28 *Edent pauperes et saturabuntur : + et laudabunt Dominum qui requirunt eum :*
Vivent corda eorum in sæculum + sæculi :

C Pauperes, id est, regnum Dei esurientes. Saturari enim non possunt nisi quos talis possidet esuries. Pauperes saturati Deum laudant, divites semetipsos exaltant. H Qui requirunt : fide et opere, intelligentes, quæ ipse est panis qui de cœlo descendit. Vivit cor, id est, spes eorum immobilis vegetatur. Illud vivere dicimus veraciter : quod in divinitatis gratia perseverat. D

29 *Reminiscentur et convertentur ad Dominum :*
Universi fines terræ.

C Reminisci illos dicimus : quos constat post oblivionem Christi redisse ad veram medicinam. Et quando Deus ab illis fideliter cognoscitur, recte ab eis dicitur reminisci, ut ad illum redeant veraciter : quem prius perversa voluntate neglexerunt. Universi fines, id est universalis Ecclesia, quam nunc constat toto orbe esse diffusam. H Et quotidie religiosa doctrina ad verum Christum alios convertere satagunt Christi veri prædicatores. A

30 *Et adorabunt in conspectu ejus :*
Universæ familiæ gentium.

C Hi adorant in conspectu Domini, qui sincera fide et operibus Christum rogant. Conspectus enim illius non est nisi supra fidelissimos et beatos. Universæ familiæ, cunctos credentes conclusit, qui nihil excepit.

31 *Quoniam Domini est regnum :*
Et + ipse dominabitur gentium.

C Quoniam Domini est regnum, quia non sunt gentium regna, sed Domini, qui potestate sua et mutat reges et continet. Et necesse est ipsum debere ubique coli : quem constat intelligi Dominum omnium rerum.

32 *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ :*
In conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

H. Manducaverunt omnes divites, id est apostoli vel cæteri sancti corpus Christi. Adoraverunt : in fide et operatione. Descendunt : a superbia sæculi, ut adorent in humilitate pura. H A Vel hic pingues : divites terræ, qui etiam sacramentum corporis Christi manducant, sed non saturabuntur ut pauperes Christi, adorantque, sed fraternitatem charitatis non habent : et ideo quia mente in terrena descendunt, cadent in infernum.

C 33 *At anima mea illi vivet :*
Et semen meum serviet ipsi.

C Animam vero suam dicit Deo Patri vivere, quoniam hunc mundum immaculata conversatione transivit. H Semen meum, filii Ecclesiæ serviunt Christo, C vel opera Christi servient laudando Deum.

34 *Annuntiabitur Domino generatio ventura :*
Et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit + Dominus :

H C Propheta dicit generationem venturam : populum gentium, quæ ex aqua et Spiritu erat procreanda, hæc annuntiabitur Domino, id est annuntiando convertetur Domino, hoc est in honorem Domini. H Annuntiant cœli, id est, apostoli prædicant Filium Dei, ipse est enim justitia Patris. C Apte vero dictum est Christianum populum Dominum fecisse, quoniam eum prædestinavit ante sæcula et creavit illum et redemit et suo sancto corpore a peccatis liberum fecit.

ORATIO EX PSAL. XXI.

Caput misericordiæ Deus qui propter nos descendens in uterum virginis addictus ligno, perfossus clavo, vestimentis insuper sorte divisis, surrexisti liber ab inferis : præcamur ut hujus commercii non immemor, sis populis ab ore leonis ereptor, qui fuisti quondam patribus in te sperantibus liberator. Qui vivis et, etc.

PSALMUS XXII.

ARGUMENTUM PSAL. XXII.

C Per totum psalmum renatus in baptismo Christianus gratias agit : quia de ariditate peccati ad loca pascuæ et ad aquas refectionis sit inductus.

TT. *Psalmus David.*

C Psalmus David, per totum istum psalmum Christianus fidelis gratias agit Domino, quis liberatus vetustate deposita : ad loca pascuæ et aquam refectionis Domino largiente sit perductus.

1 *Dominus regit me + et ⁝ nihil mihi deerit :*
In loco pascuæ ibi + me ⁝ collocavit.

L Loquitur hic Ecclesia fiducialiter per fidem. Dominus regit me, quia ante adventum Christi, mundum diabolus regebat. Nihil deerit boni ei qui B adhæret Deo. In loco pascuæ, id est in futura beatitudine eum collocabit, sed jam in spe ejusdem beatitudinis collocavit, vel in Ecclesiæ et fidei unitate spem meam composuit.

2 *Super aquam refectionis educavit me :*
Animam meam convertit.

H C Aqua refectionis : est baptismi lavacrum, quo anima sterilis irrigatur. Educavit, C id est paulatim nutrivit, quasi parvulos et renatos doctrina. H Patriarcharum et prophetarum sive apostolorum, C Convertit fidelis animam ad Christum : quæ dudum sub diabolo probatur esse captiva.

3 *Deduxit me super semitas justitiæ :*
Propter nomen suum.

C Semitæ justitiæ, sunt duo præcepta salutaria, id est, dilectio Dei et proximi. Quæ semitæ dicuntur, quia arcta est via ad regnum cœlorum (*Matth.* VII). Propter nomen suum gaudet se famulus Christi deductum esse ad illam scientiam, ut possit jussa Dei vulgare, et hoc non suis meritis, sed divina gratia sibi concessam esse ; ac si diceret : deductus sum in semitas mandatorum, non propter meritum meum, sed propter nomen suum.

4 *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis*
non timebo mala .
Quoniam tu mecum es.

C Dicit catholicus, si ambulavero inter hæreticos (qui recte umbræ mortis dicuntur) non timebo eorum pravas suasiones, quoniam tu me, Domine, defendis. H Vel inter sæculi obscuritates, ignorantias et peccata : peccata enim umbra mortis sunt, quia exprimunt similitudinem mortis. Sed et ideo non timebo, quia virga tua, etc.

5 *Virga tua et baculus tuus :*
Ipsa me consolata sunt.

C Virga enim ad justitiam et fortitudinem Domini Salvatoris pertinet. Baculus : ad adjutorium humanum quo gubernatur et a Deo sustentatur homo, sicut infirmus baculo sustinetur, quo et pes caute defigitur, et totum corpus desuper innixum sustinetur. Istis ergo duabus rebus fidelis consolatur, una est districtio quæ conterit vitia, et malos qui bonis nocere cupiunt : altera gubernatio, quæ sustinet A fideles. H A Virga certe etiam consolatur : quando corrigendo peccatorem in viam salutis ducit.

6 *Parasti in conspectu me mensam :*
Adversus eos qui tribulant me.

C Parasti, id est, prædestinati altare sanctum, mensa dicta a mense, quoniam quolibet mense primo die, convivia ritu gentium exercebantur, etc. H Significat Scripturam sanctam. Adversus eos, id est, hæreticos qui tribulant Ecclesiam, vel persecutores Ecclesiæ et dæmones.

7 *Impinguasti + in ⁝ oleo caput meum :*
+ et ⁝ calix meus inebrians + quam præclarus est ⁝

H Vox Ecclesiæ. Lætificasti caput, id est mentem meam, oleo hoc est spiritali lætitia. Calix intelligitur verbum Dei quod inebriat mentem hominis. C Præclarum itaque quia ad regnum cœlorum perducit. Vel calix sanguis Christi, qui digne sumentibus præclarus est.

8 *Et misericordia tua subsequetur me :*
Omnibus diebus vitæ meæ.

C Subsequitur misericordia, fideli utique ad custodiam, sed præcedit ad gratiam conferendam. Nisi Domini misericordia subsequeretur : facile humana fragilitas deciperetur, quia a tergo diabolus insidias parat : quandiu in hoc corpore mortali versatur, unde nimis necessarium est, ut semper nos gratia Dei præcedat, et misericordia subsequatur.

9 ✠ *Et ⁝ + ut ⁝ inhabitem in domo Domini :*
In longitudine dierum.

A Ideo illa concessa sibi, quæ dicta sunt fatetur, ut inhabitet, etc. Domus quippe Domini : futuram signat Hierusalem quæ consistit in longitudine dierum, quia in ipsa est perpetua lætitia et beatitudo sine fine.

ORATIO EX PSAL. XXII.

Rege nos, Domine, suavibus tuæ præceptionis habenis, ut æterni tabernaculi habitatione percepta : plenitudine perennis poculi repleamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum qui, etc.

PSALMUS XXIII.

ARGUMENTUM PSAL. XXIII.

C Propheta testatur Christi ditioni universum orbem esse subjectum definiens quibus virtutibus præditi sunt in ejus Ecclesia constituti, alloquiturque superstitiosos ut vero Domino famulentur.

TT. *Psalmus David + Prima Sabbati ⁝*

C Prima Sabbati significat diem Dominicum, quo Dominus surrexit, et resurgendo isti sæculo subvenit, mundumque ipso die creavit, qui propter excellentiam tanti miraculi : proprie dies Dominica nuncupatur, id est Domini, quamvis omnes sint Domini.

1 *Domini est terra et plenitudo ejus :*
Orbis terrarum et + universi ⁝ qui habitant in eo.

C Domini est terra, id est, Ecclesia quæ Domino specialiter pura mente famulatur. Nam licet omnia ab ipso sint condita : tamen ipsius esse proprium

dicimus illud quod eum veneratur auctorem. Plenitudo, id est, multitudo sancta qua repletur Ecclesia. Ille habitat Ecclesiam, qui usque ad obitum suum in fide recta perseverat, habitare enim manere dicimus.

2 *Quia ipse super maria fundavit eum :*
Et super flumina præparavit eum.

C Quid est super maria fundare : nisi super tremulos fluctus vitiorum, Ecclesiam in firma fide solidare flumina : H Potentes sæculi vel cupidi. Super ista flumina est Ecclesia, ut illis prædicet, et convertantur.

3 *Quis ascendet in montem Domini :*
Aut quis stabit in loco sancto ejus ?

C Quia omnia quæ condidit Domini esse docuit sequenter interrogando ostendit quales esse debeant : qui se ipsius nuncupari desiderant. H Et est vox prophetæ interrogantis : Quis ascendet in montem, id est, cœlestem Hierusalem. C. Vel justitiam ad quam magno nisu tendimus, quoniam peccatis obviantibus impedimur. H. Aut quis stabit, id est, quis perseverabit in justitia. C Multo quippe utilius est in sancto loco stare, quam ad ejus fastigium pervenire. H Quia multi ascendunt, sed non perseverant. Quis igitur pro raritate ponitur.

4 *Innocens manibus et mundo corde : qui non accepit in vano animam suam :*
Nec juravit in dolo proximo suo.

C Innocens manibus est : cujus operatio neminem lædit, sed juvare contendit. Mundo corde. H Sanctus in cogitatione. Ille non accipit in vanum animam suam, qui opera bona agit. C Per dolum itaque jurat : quisquis aliter facturus est quam promittit, credens perjurium non esse : decepisse nequiter credentis errorem.

5 *Hic accipiet benedictionem a Domino.*
Et misericordiam a Deo salutari suo.

C Ergo accipit benedictionem non ab alio, sed a Domino. H Qui se custodierit ab istis supradictis maculis, H salutaris ergo noster : Christus est, a quo et beatitudo tribuitur et peccata laxantur. H Misericordiam a Deo solus ille consequitur, qui se miserum putat, C et nullus hominum est qui sibi misereri non egeat.

6 *Hæc est generatio quærentium eum :*
Quærentium faciem Dei Jacob. Diapsalma.

H Generatio hoc est populus Christianorum qui jacuit in tenebris, sed nunc quærens Dominum, requirit faciem Dei per fidem et operationem, id est Christi per illius illuminationem, qui posterius nato primatum dedit honoris, scilicet Christiano populo, quod per Jacob intelligi occulte dedit.

7 *Attollite portas principes vestras : et elevamini portæ æternales :*
Et introibit rex gloriæ.

C Præcipit enim propheta portas mortis auferre, id est, cupiditatem et malitiam aliaque vitia, quæ principe diabolo positæ erant, quæ ideo portæ appellatæ sunt, quia per ea transeant peccatores sua facta portantes, et per ea diabolus ad corda intrat. Siquidem a *portando* porta dicta est. Et iterum præcepit elevare portas, id est, H fidem et charitatem, quæ æternales sunt dictæ, quia per eas Christus introivit ad Ecclesiam.

8 *Quis est iste rex gloriæ ?*
Dominus fortis et potens. Dominus potens in prælio.

H Vox dæmonum. Ac si dicerent, nostrum regem habemus diabolum. Iste rex quis est ? vox iterum angelorum bonorum, fortis est, quia alligavit diabolum (*Luc.* xi). Potens cum vicit infernum. In prælio potens cum spoliavit tartarum. Sic quærere visi sunt diaboli, a gentium cordibus, imperio Christi, et prædicatione et gratia expulsi.

9 *Attollite portas, principes, vestras : et elevamini portæ æternales :*
Et introibit rex gloriæ.

C Admonet iterum degentes in diversis erroribus auferre claustra mortis, H hoc est superbiam et cupiditatem et avaritiam, quia per has tres omnis homo ad infernum descendebat. Elevatæ sunt portæ æternales, C id est, gratia baptismatis, honor chrismatis, salus prædicationis, per quas rex gloriæ dignatus est introire.

10 *Quis est iste rex gloriæ?*
Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. ✠ *Diapsalma :*

H Merito virtutum Dominus dictus, quia virtute sua conculcans inferos, cum triumpho rediens ad superos. Rex gloriæ, C qui facit, se glorificando, gloriosos.

ORATIO EX PSAL. XXIII.

Stabilitor terræ, Deus (cui cuncta mundi plenitudo deservit) restitue nos in innocentiam vitæ, ut possimus, te prævio, montem sanctificationis ascendere. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XXIV.

ARGUMENTUM PSAL. XXIV.

C Per totum hunc psalmum deprecatur Ecclesia ne ante conspectum Domini contemptibilis appareat inimicis.

TT. *In finem psalmus David.*

1 *Ad te, Domine, levavi animam meam :*
Deus meus, in te confido, non erubescam.

C Dicit mater Ecclesia se levasse animam suam, ad contemplationem cœlestium rerum per spem, fidem et charitatem, quia humana facile despicit qui divina conspexerit. Erubescere est repentina conturbatione animi confundi ; quod non evenit Ecclesiæ, quia in Deum confidit.

2 *Neque irrideant me inimici mei :*
Etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

C Ridere plerumque benigni, irridere autem semper adversi est. H Inimici Ecclesiæ sunt dæmones, hæretici, vitia, peccata. Non confundentur, qui expectant Dominum, neque hic neque in futuro. C

Exspectare est sub malorum patientia Deum viriliter sustinere, ut ille veniens in judicio reddat quod devoti animus exspectabat.

3 *Confundantur + omnes ⁝ iniqua agentes : Supervacue.*

H Propheta dicit non optando, sed prophetando : confundantur. Confundentur enim qui usque in finem in malitia perseverant. C Vanum dicimus infructuosum atque vacuum, quod a Domino probatur alienum. A Vel optative, confundantur hic pro peccatis salubriter. Quod si hic nolunt, confundantur tandem æternaliter.

4 *Vias tuas, Domine, demonstra mihi : + Et ⁝ semitas tuas edoce me.*

C Viæ dictæ sunt a *vehendo*, et significant hic mandata. Semita dicta quasi *semi via*, quia angusto calle dirigitur, nec vulgo nota est, sed occulto itinere ambulatur. H Per semitam intelligitur angusta via quæ ducit ad vitam. Edoce me. C Qui sermo non ad callem sed ad legem magis noscitur pertinere.

5 *Dirige me in veritate tua et doce me : Quia tu es Deus salvator meus : + et ⁝ te sustinui tota die.*

C Dirige me ad vitam pertinet, doce : ad scientiam. H Id est ut nihil perverse agam. C Salutare est Christiano : ut Deum sibi salutarem credat. Tota die, ac si diceret : omni die, scilicet non interposito die, sed continua vita exspectavi misericordiam tuam et retributionem. A Sustinui itaque te, quem homines putant oblitum eorum dum tardas, exspectans patienter miserationis tuæ dilationem in subveniendo.

6 *Reminiscere miserationum tuarum, Domine : Et misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt.*

C Humano usu hic dicitur, reminiscere, qui nunquam potest aliquid oblivisci. Miserationes pertinet ad operationes pias. Misericordia vero ad clementem naturam, quoniam miseratio, operis est ; misericordia, cordis. Sæcula dicta, quo in se revolvant jugiter tempora, a *sequendo* esse dicta.

7 *Delicta juventutis meæ. Et ignorantias meas : ne memineris.*

C Delictum quidam volunt levius esse peccatum, quasi derelictum, dictum ab eo quod viam derelinquat æquitatis. H Juventutis, id est, quæ in adolescentia gessi. C Ignorantias dixit, quia multa facimus quæ mala esse nescimus, ideo precatur ne delicta ejus meminerit, sed potius memor ejus sit per suam misericordiam.

8 *Secundum misericordiam tuam memento mei tu : Propter bonitatem tuam, Domine.*

H Secundum tuam misericordiam, id est, non propter meum meritum, sed propter tuam misericordiam memor esto mei. C Merito etiam illius bonitas prædicatur, de quo dicitur, nemo bonus nisi solus Deus (*Matth.* XIX).

9 *Dulcis et rectus Dominus : Propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

C Dulcis dicitur, a quo suavia dona præstantur A cœlestis vitæ. Rectus, H quia reddit unicuique secundum opera sua. Legem charitatis dabit, per quam dimittentes offensam reconciliamur Deo. C In via, id est præsenti vita, ubi lex ponitur, in qua recte vivere commonemur.

10 *Diriget mansuetos in judicio : Docebit mites vias suas.*

C Directus quippe dicitur qui de curvo rectus efficitur. Mansueti dicuntur, quasi *manu consueti*, hoc est, tolerantes injurias, non reddentes malum pro malo. Mites sunt, qui nullo furore turbantur, sed lenitate animi jugiter perseverant ; illos dirigit in judicio, quia ad promissam beatitudinem eos facit pervenire. Quæ vero sint viæ Domini, sequenti versu exponit.

B 11 *Universæ viæ Domini misericordia et veritas : Requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.*

C Universæ viæ Domini misericordia, quia prævenit cuncta bonitate sua. Veritas, quia omnia juste dijudicat. Quibus vero possunt talia convenire, sequitur : requirentibus testamentum. H Id est, novum ; et testimonia, id est dicta præcedentium prophetarum.

12 *Propter nomen tuum + Domine ⁝ propitiaberis peccato meo : Multum est enim.*

C Hoc bene refertur ad personam Ecclesiæ, quæ se salvatam dicit propter nomen Jesu, quod linguam nostra *Salvator* interpretatur. Peccato meo multum C est enim, quia nisi fuerit divina miseratione subventum, quantum vita protenditur, tantum humana fragilitas peccatis involvitur, quoniam cursu temporis semper augetur.

13 *Quis est homo qui timet Dominum ? Legem statuit ei in via quam elegit.*

C More suo interrogando dicit Propheta : Quis est homo qui timeat Dominum? constituta est illi lex, ne sub securitate ignorantiæ peccet, in via, id est in sanctitate propositi. H Vel, in via fidei, si enim timet, securitate non decipitur.

14 *Anima ejus in bonis demorabitur : Et semen ejus hæreditabit terram.*

H Anima justi in bonis demorabitur, hoc est perseverabit sperando in præmiis futuris semen ejus. C D Id est opera bona hæreditabunt terram viventium, id est in æterna securitate recipientur, et possessio ejus nulla ulterius expulsione turbabitur, qui enim aliquid ex hæreditate tenet, firmissima possessione gloriatur.

15 *Firmamentum est Dominus timentibus eum : Et testamentum ipsius ut manifestetur illis.*

H Nos infirmi et imbecilles, si timemus Dominum, erit nostrum firmamentum, ne ab hujus sæculi fluctibus quatiamur. Et manifestatur lex nobis in Christo, quæ prius velata erat per litteram.

C *Et* valde nobis necessarium, ut lex ejus ipsius munere declaretur nobis, sine quo nec intelligere quidquam boni, nec perficere possumus.

16 *Oculi mei semper ad Dominum :*
Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

H Oculi mei ad Dominum, id est oculi cordis, vel mens mea semper cogitet Dominum, quoniam de laqueo diaboli sensus meos (a quo prius per voluptates sæculi capiebar) evellet.

17 *Respice in me et miserere mei :*
Quia unicus et pauper sum ego.

C Superius dixit, oculi mei semper ad Dominum ; nunc dicit, respice in me quemadmodum ego in te. Miserere mei, H quia miser sum, unicus est populus Christianus. C Qui unicus est ei, quia solus sacramenta fidei custodit, pauper : quoniam a mundi illecebris segregatus, nulla sæculi ambitione refertus est.

18 *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt :*
De necessitatibus meis erue me.

C Multiplicatæ sunt tribulationes Ecclesiæ, dum cogitationes suas per calamitates mundi (ubi est seminata) distendit ; necesse est enim ut copioso fasce deprimatur, qui pro multis affligitur. De necessitatibus dicit, quas persecutorum atque hæreticorum patiebatur insidiis, hi sunt enim qui necem cupiunt inferre Christianis. A Et necessitates recte adversitates dicuntur, quia necessariæ sunt ad regnum cœlorum tendentibus. G Vel necessitates, venialia dicit peccata, sine quibus vivere non possumus.

19 *Vide humilitatem meam et laborem meum :*
Et dimitte universa delicta mea.

A C Vide, id est propitius respice. Humilitas est Ecclesiæ, quando indisciplinatos docendo sustinet. C Labor ipsius est, quia multis persecutionibus fatigatur. Merito sibi omnia peccata deprecatur dimitti, quia durus labor tolerantiæ semper clementiam judicis exspectat, id est, propter istam humilitatem et laborem, meretur indulgentiam delictorum.

20 *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt :*
Et odio iniquo oderunt me.

H Respice, vox Ecclesiæ pro persecutoribus. C Orat ut redeant, quia quem ille respicit, sine dilatione convertit. Multiplicati sunt, in peccatis. Odio iniquo, addidit, quia et justum odium est, ut illud est : Perfecto odio oderam illos (*Psal.* CXXXVIII). Isti autem non illo justo odio sed iniquo oderunt me.

21 *Custodi animam meam et erue me :*
Non erubescam, quoniam sperari in te.

H Custodi, vox Ecclesiæ supplicat ut custodiatur. A Ne declinet ad imitationem eorum, *et eripe* ab omni malo. H *Ne confundar neque* hic, neque in futuro, quia in te speravi et te invocavi. C Ipsum enim elegit invocare, cui nescit pie supplicantes abjicere. A Quia igitur non in me, sed in te speravi, non confundar.

22 *Innocentes et recti adhæserunt mihi :*
Quia sustinui te.

C Innocentes, parvulos dicit sacro baptismate regeneratos. Rectos qui jam matura ætate conversi sunt a peccatis. Ideo vero illos adhæsisse dicit Ecclesia sibi, quoniam sustinuit Deum, patienter adversitates sustinendo

23 *Libera, Deus Israel :*
Ex omnibus tribulationibus suis.

C Libera Deus Israel, id est Deus te videntium. A Vel, o Deus, libera Israel, id est populum, quem ad visionem tuam præparasti. C Quia ipsos gratos habet, quibus conspectum suæ contemplationis indulget.

ORATIO EX PSAL. XXIV.

Libera nos omnibus angustiis nostris, mitissime Deus, quia ad te animas nostras erigimus : Obliviscere, quæsumus, delicta juventutis et ignorantiæ prioris, et si quid negligenter delinquimus, clementer ignoce. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XXV.

ARGUMENTUM PSAL. XXV.

C Totus psalmi hujus textus ad perfectum aptandus est Christianum, qui diversorum laude meritorum in Ecclesia perseverans : divinis se beneficiis consolatur.

TT. *Ipsi* + *Psalmus* ‡ *David.*

C Totus hic psalmus ad perfectum *aptandus* est Christianum ; sed tamen, cum a tali hymnus dicitur, necesse est ut ad Christum Dominum intelligentiæ virtute referatur.

1 *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum :*
Et in Domino sperans non infirmabor.

C Judica me, Domine ; postulat enim vir sanctus judicia, quia certus erat de ejus misericordia. In innocentia ingreditur, id est inter peccatores habitans non peccat. Non confidit etiam in suas vires sed in Deum, ideo non infirmabitur.

2 *Proba me, Domine, et tenta me :*
Ure renes meos et cor meum.

H. Probari se rogat Ecclesia, ut se cognoscat et ab aliis cognoscatur. C Duæ sunt tentationes una Domini, qua bonos tentat ut eos erudiat ; altera diaboli, quæ semper ducit ad mortem. Ure renes. H Id est, Spiritum sanctum adhibe delectationibus. Et cor meum, id est cogitationibus meis Spiritum sanctum adhibe.

3 *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est :*
Et complacui in veritate tua.

C Quia Domini misericordiam ante oculos cordis Propheta habebat, ideo pericula tentationum non timebat. Complacere, est cum sanctis æternam gratiam promereri. H C In veritate, id est in Christo, qui est veritas, Gratia igitur illustratus, Deo sibique complacuit in mente.

4 *Non sedi in concilio vanitatis :*
Et cum iniqua gerentibus non introibo.

H Non sedi in concilio, id est non sum conjunctus his, qui contra Christum meum vanum agunt concilium. Introitus hic initium significat operationis malæ, quod vir sanctus a se profitetur alienum. Vani autem sunt, qui caducis inquisitionibus occupantur, et in superflua narratione tempus consumunt. Impii autem, qui quæstionibus perversis Scripturas divinas depravare contendunt, ut hæretici.

5 *Odivi Ecclesiam malignantium :*
Et cum impiis non sedebo.

C Non satis est vitasse perversos et malos, nisi et mente displiceant, ideo dicit. Odivi Ecclesiam malignantium, H id est Judæorum vel hæreticorum, qui maligni dicuntur. Et cum impiis, qui non solum mala cogitaverunt sed in opere perfecerunt ; cum his placitum non habebo.

6 *Lavabo inter innocentes manus meas :*
Et circumdabo altare tuum, Domine.

C Lavit manus suas, quisquis propria facta lacrymabili satisfactione diluerit. Altare autem ab altitudine dictum quasi *alta ara*. H Et significat fidem, quam circumdare, est operibus bonis ornare. C Vel altare cœleste, quo Dominus introivit sacerdos pro nobis. A Vel altare, id est mentem.

7 *Ut audiam vocem laudis :*
Et enarrem universa mirabilia tua.

A Ut audiam vocem laudis, id est discam quomodo te laudem, non ex ipso bono de me præsumens. C Vocem autem laudis forte illud dicit quod in cœlesti templo coram Christo semper canitur : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth (*Isa.* XVI). Et se enarrare dicit mirabilia, quæ quotidie beata canit Ecclesia in celebratione missarum.

8 *Domine, dilexi decorem domus tuæ :*
Et locum habitationis gloriæ tuæ.

H Domine, dilexi decorem domus, id est sanctos sacerdotes et alios sanctos. C In quibus gloria Dei habitare cognoscitur. Locum habitationis, significat arcanum humani pectoris. Gloriæ tuæ, quia Christus gloriosum efficit quidquid inhabitare dignatur. Idem enim sunt decor domus Dei et locus habitationis ejus. A Diligere igitur decorem domus Dei, est bonos in Ecclesia diligere, qui decorant Ecclesiam.

9 *Ne perdas cum impiis animam meam :*
Et cum viris sanguinum vitam meam.

H Ne perdas cum impiis, scilicet Judæis, qui per impietatem mitem tradiderunt. A Vel impii omnes mali sunt. C *Viri sanguinum* sunt, qui carnaliter vivunt, vel qui Christi sanguinem fuderunt. Tales pereunt de futura Hierusalem.

10 *In quorum manibus iniquitates sunt.*
Dextera eorum repleta est muneribus.

H In quorum manibus, id est in operibus eorum, iniquitates sunt. Repleta est dextera muneribus, quando proditor Judas pecuniam pro Christo accepit. A Vel illorum qui, si quid boni agunt, pro muneribus faciunt. H A Quod enim eis datum est ad accipienda æterna convertunt ad sæculi dona, estimantes quæstum esse pietatem.

11 *Ego autem in innocentia mea ingressus sum :*
Redime me et miserere mei.

H Ego autem in innocentia. Ecclesia loquitur pro parte bonorum. C Et per studium vitæ sanctæ ingressa in thesauros spirituales. Redime me, id est in adventu tui pretioso sanguine. Miserere scilicet in hoc mundo, ubi supplicantibus parcis.

12 *Pes meus stetit in directo :*
In ecclesiis benedicam ✣ te, Domine.

H Pes meus, id est sensus meus vel affectio mea stetit in Christo qui est recta via. In ecclesiis, C in populis Christianis, dicit se laudaturum Dominum Christum.

ORATIO EX PSAL. XXV

Largire, Domine, misericordiam tuam famulis supplicibus, et fac nos in tua veritate devotos, ut actibus in innocentiam restitutis, liberari mereamur ab impiis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

PSALMUS XXVI.

ARGUMENTUM PSAL. XXVI.

C Vox Prophetæ dicentis se Deum metuere et nullum alium formidare, quia inter adversa sæculi ipse est suffugium ejus, et spiritu prophetiæ, spem sibi futuræ beatitudinis pollicetur.

TT. *Psalmus David ✣ priusque liniretur.*

H Unctus est David semel sub patre Jesse in Bethlehem (*I Reg.* XVI) ; secundo, in Hebron (*II Reg.* II) ; tertio (*II Reg.* V) quando regnavit super Israel. Sed de his tribus unctionibus media ad istum psalmum pertinet, David figuram Christi tenet ; unctus est Christus in baptismo.

1 *Dominus illumnatio mea, et salus mea :*
Quem timebo ?

H Vox Ecclesiæ ad Christum. Dicit se non formidare ullis tenebris obtegi, quam Dominus semper illuminat et salvat, nec posse ullum timere. tali defensore protegente

2 *Dominus protector vitæ meæ :*
A quo trepidabo ?

H Confitetur se habere protectorem ipsum Dominum idcirco non metuit coram inimico trepidare, id est, a diabolo, vel hæretico seu persecutore.

3 *Dum appropiant super me nocentes :*
Ut edant carnes meas.

C Dum appropiant super me. Truculentium inicorum hic vota ostendit, qui non solum exstinguere, sed etiam aviditate furoris ipsas humanas carnes cupiunt crudeliter devorare. A Vel carnes, affectus carnis sunt, qui sunt cibus nocentium inimicorum spirituum et persecutorum, vel etiam corpora sanctorum ipsis ad persequendum concessa · carnes sunt quibus vesci delectantur persequendo

4 *Qui tribulant me inimici mei :*
Ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

H Qui tribulant me, id est dæmones vel persecu-

tores, tunc infirmati sunt, quando Christus suscepit nostram humanitatem. C Illi etenim corruunt, qui innocentem sanguinem devorare festinant.

5 *Si consistant adversum me castra :*
Non timebit cor meum.

C Castra enim valida munitio est, quam expugnare facile non potest impetus irruentis, sed hæc omnia dicit sibi esse contemptibilia, cum valletur, auxiliatione divina.

6 *Si exsurgat adversum me prælium :*
In hoc ego sperabo.

H Si exsurgat adversum me prælium. Prælium dicit Ecclesia pugnas dæmonum, et se sperare in auxilium et defensionem Christi. C In concitatis enim prœliis gloria vincentis semper apparet. Non virtus probatur latere, quæ non fuerit explorata certamine.

7 *Unam petii a Domino, hanc requiram :*
Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

H Unam petii, quidam putant unam charitatem sive gratiam, aut certe ipsam petitionem dicit, cum in Hebræo neutraliter unum dicatur, id est Dominum. Hanc, id est, Dominum requiram, etc. Ut inhabitem in domo Domini, id est in vita perpetua. C Et hoc non in parvo tempore, sed in omnibus diebus vitæ meæ.

8 *Ut videam voluntatem Domini :*
Et visitem templum ejus.

H Ut videam voluntatem Domini, id est dilectionem Dei. C Videt etiam voluntatem Domini, qui præcepta ejus intelligit et custodit. Ille visitat templum ejus, qui Ecclesiam Christi sacris admonitionibus corroborat. A Vel templum contemplationem dicit gloriæ Domini; habet enim alia littera, ut contempler delectationem Domini.

9 *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo :*
In die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

H Abscondit ergo Ecclesiam apud se Christus, ne sibi tentationum obessent procellæ; vel, ut ait Apostolus : Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Col.* III). Non dicit malos dies esse, sed in nostris operibus malis mali esse dicuntur. C In abscondito tabernaculi, id est in divinitatis secreto potentiæ semper nos protexit et protegit. H Vel in die malorum quo mali vigent. C Abscondi, est quærentium oculis non præberi; protegi autem ab omni metu periculoque liberari.

10 *In petra exaltavit me :*
Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

In petra exaltavit, id est in Christo per fidem. Hunc exaltavit caput. C A Caput hic pro mente ponitur, quo vegetante possumus contineri. Super inimicos, H id est motus carnales. C Sive appetitus vitiosos, supra quos mens nostra erigitur, quando divino adjutorio pura servatur.

11 *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis :*
Cantabo et psalmum dicam Domino.

C Circuivi hoc est animo perscrutatus sum, qua potentia cœlum fecit Deus et omnia ex nihilo creavit. A Hominem redemit et mundum in eo credentem; et inveni quid immolem, scilicet laudem. C Et immolavi in tabernaculo ejus, id est obtuli in ejus ecclesia sacrificium laudis. Vociferationis dicit, scilicet pro magnitudine laudis.

C Cantabo, id est prædicabo. Psalmum dicam, id est opere complebo. C Cantare est enim sola voce laudes dicere, sed psallere opere prædicare.

12 *Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te :*
Miserere mei et exaudi me.

C Nunc iterum rogat Ecclesia ut exaudiatur; clamavit enim et prius, cum dixit : ut inhabitem in domo Domini, scilicet quia divinarum rerum nulla satietas est, sed quanto gustatur Deus suavius, tanto appetitur plus, vel ideo iterat, quia spe habitat in æterna gloria, nondum re.

13 *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea :*
Faciem tuam, Domine, requiram.

C Itaque vir fidelis cor, hoc est desiderium suum, dixit ad Dominum loqui, quoniam hoc videbatur offerre quod cogitabat. A Facies mea, id est præsentia mea tuam, vel pulchritudo animæ meæ a te data tuam pulchritudinem. C Quærit vero faciem Dei, qui se sancta conversatione custodit. De quibus dictum est : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Geminat quoque, faciem tuam requiram, una quidem res, sed frequentata ostendit, quod ardenti studio Christum quærebat.

14 *Ne avertas faciem tuam a me :*
Ne declines in ira a servo tuo.

C Sanctus enim vir rogat, ne a facie Dei reddatur alienus. Iterumque rogat ne ab ipso declinet Deus, tunc quando sanctis vultum suæ majestatis indulget. Iram ponit judicii tempus, cum discernit malos a bonis. A Vel non in ira declinat, quando cadere permittit ut cautior et fortior surgat.

15 *Adjutor meus es tu, ne derelinquas me :*
Neque despicias me, Deus, salutaris meus.

C Petit Propheta ne deseratur a Domino, scit enim si ille reliquerit, quod nulla potestas se regere prævalebit. H Salutaris noster Christus est; et hoc rogat Propheta ne despiciatur ab illo, id est ne committat ulla peccata per quæ a Deo despiciatur. A Quasi diceret, frustra creasti, Deus, et redemisti, Salvator, si despicis me conservare in bono quod dedisti, quia sine te nihil est conatus meus.

16 *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me :*
Dominus autem assumpsit me.

C Patrem suum, Adam primum hominem dicit, matrem ejus uxorem Evam, unde generatio humana descendit. Hi dereliquerunt me in ista miseria ad quam me exposuerunt. Dominus autem carne acce-

pta assumpsit me H loco, scilicet veri parentis ad hæreditatem æternam.

17 *Legem pone mihi, Domine, in via tua :*
Et dirige me in semita recta propter inimicos meos.

C Legem pone mihi, postulat Propheta legem sibi statui, id est Evangelii intellectum venturis aperiri. In via tua, id est in Christo. Propter inimicos, id est hæreticos qui illam semitam, hoc est intelligentiam scripturarum prava intentione subvertere nitebantur. A Vel, o Domine, quia ad te tendo, et jam etiam in via ad te sum ; pone legem in ea me dirigentem ne errem, et ne aberrantem disciplina tua deserat, et dirige me ulterius in rectitudine angustiarum, propter insidiantes, etc.

18 *Ne tradideris me in animas tribulantium me : quoniam insurrexerunt in me testes iniqui :*
Et mentita est iniquitas ✣ sibi ⁝

H Ne tradideris me, id est ut non satietur animus perversorum de adversitatibus quæ accidunt mihi. Insurrexerunt contra Christum testes iniqui dicentes : Hic dixit : Destruite templum hoc, et in triduo reædificabo illud (*Matth.* xxvi). Mentita est iniquitas sibi, quia uniuscujusque vitium in suum recurrit auctorem. C Bene dixit autem sibi, quia pœnas recipit sui mendacii, qui falsum testimonium proferre contendit.

19 *Credo videre bona Domini :*
In terra viventium.

H Vox Ecclesiæ, quæ quamvis tot periculis sit exposita, tamen credit se videre bona, id est accipere per fidem hæreditatem regni cœlorum, in qua sancti cum Christo regnant.

20 *Exspecta Dominum viriliter age : et confortetur cor tuum.*
Et sustine Dominum.

C Exspecta Dominum, scilicet qui promittendo non fallit, qui præstando non imputat, nec improperat. Viriliter, non solum viris sed et feminis *est mandatum, agere. Confortetur cor*, ne tædio fatigante desperet. Sustine Dominum, id est sustine quod pateris, non lassescas neque discedas, et quod credis exspecta.

ORATIO EX PSAL. XXVI.

Defende nos a castris et a præliis inimici adjutor omnium, Deus, ut in domo tua perpetuitate durantes, mereamur vultum tuum spiritali contemplatione suscipere. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS XXVII.

ARGUMENTUM PSAL. XXVII.

C Orat Dominus Christus, per id quod homo est, ut ejus audiatur oratio, agitque gratias, quoniam exauditus est rogans, ut sicut ipse suscitatus est potestate divinitatis suæ, ita salvus fiat populus ejus nomini crediturus.

TT. ✣ *Ipsi ⁝ David.*

C David (sicut diximus) interpretatur *manu fortis*, et significat Salvatorem, qui fortis utique manu, quia prostravit principem tenebrarum. Notandum igitur hunc psalmum tertium esse horum, qui passionem et resurrectionem Dominicam sub brevitate commemorant.

1 *Ad te, Domine, clamabo : Deus meus, ne sileas a me :*
Nequando taceas a me ⁝ et assimilabor descendentibus in lacum.

C Christus Dominus clamat ad Patrem tempore passionis ne ab ipso sileat, hoc est ne petenti non annuat sed magis respondeat. H Ac si dixisset : Si silueris ero similis pereuntibus, si taces non cognoceris. C Lacus autem significat hoc sæculum, lacus enim dicitur quæ sub ipsa terra lateat. Rogat ergo humanitas Verbi, ne similis esset cæteris hominibus, quia etsi communem conditionem carnis assumpsit, excellentiam tamen omnium creaturarum promeruit. H Vel lacus infernum significat.

2 ✣ *Ex ⁝ audi Domine ⁝ vocem deprecationis* meæ *dum oro ad te :*
Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

H Oravit Christus in cruce pro toto mundo. Extulit manus, id est, extendit eas in cruce. Ad templum sanctum, hoc est, ut templum Patri præpararet, id est corpus Ecclesiæ. C Non est etiam absurdum, templum accipi cœlum, quoniam Domini sedes esse divina lectione monstratur.

3 *Ne ✣ simul ⁝ tradas me cum peccatoribus :*
Et cum operantibus iniquitatem ✣ ne perdas me ⁝

H Peccatores, latrones inter quos pendebat dicit. C Cum operantibus iniquitatem petit ne haberet aliquam portionem.

4 *Qui loquuntur pacem cum proximo suo :*
Mala autem in cordibus eorum :

H Loquebantur (*Matth.* xxii). Judæi pacem cum Christo dicentes : Magister scimus quia verax est. Erat pax in eorum labiis, sed in corde malitia. C Qui juste mali dicebantur, quia proximum malitiose prodere festinabant.

5 *Da illis secundum opera ipsorum :*
Et secundum nequitiam adinventionum ipsorum :

H Petit illis dari secundum opera ipsorum, non optando sed prænuntiando. Et secundum nequitiam adinventionum. C Hoc est, ut innoxio nocerent, qui ad eos venerat salvandos, ut eum morti traderent.

6 ✣ *Secundum opera manuum eorum ⁝ tribue illis :*
Redde retributionem eorum ipsis.

C Quatuor sunt species retributionum, quarum una est, cum tribuuntur mala pro bonis, sicut Judæi Christo. Altera cum bonum pro bono, ut Deus electis. Tertia cum retribuitur malum pro malo, ut est illud : Ite in ignem æternum (*Matth.* xxv). Quarta cum tribuitur quod hic dicit bonum pro malo, ut qui persecutores exstiterant, fiant conversi postea laudatores Christi.

7 *Quoniam non intellexerunt opera Domini : et in opera manuum ejus :*
Destrues illos et non ædificabis ✣ eos ⁝

C Non intellexerunt opera Dei, scilicet tunc quando

docuit populum viam veritatis. Et in opera manuum ejus utique non consideraverunt; si considerassent, expavissent potiusquam sprevissent. Sic ergo illos dicit destrui, ut non iterum debeant ædificari, quod tamen videtur dictum esse prophetice potiusquam ad iracundiæ qualitatem referendum.

8 *Benedictus Dominus:*
Quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

C Benedictus Dominus. Vox Christi ad Patrem, quoniam exaudivit (qui est utique benedictus, etsi non exaudiat vocem deprecationis) dicens: Clarificavi et iterum clarificabo (*Job* XII), sed proprie benedictus dicitur, cum gratias agimus benedicendo; apte igitur dictus est benedictus qui exaudire dignatus est.

9 *Dominus adjutor meus et protector meus:*
+ Et in ipso speravit cor meum. Et adjutus sum.

C Adjutor, ad pericula vitæ pertinet, quæ Patre adjuvante in passione superavit. Protector, quia eum ab insidiis diabolicis sua defensione vallavit. In morte speravit humanitas in divinitatem. Adjutus sum, in tribulatione ut resurgerem.

10 *At refloruit caro mea:*
Et ex voluntate mea confitebor ei.

C Floruit ergo caro quando ex Virgine sine peccato emicuit, tanquam pulchrum floris decus, ut Isaias: Et flos de radice ejus ascendet (*Isa.* XI), Sed refloruit, cum resurrexit. *Confitebor*, H *ut illud:* Confitebor tibi, Domine Pater cœli et terræ (*Matth.* XI), etc.

11 *Dominus fortitudo plebis suæ:*
Et protector salvationum Christi sui est.

C Merito dicitur Dominus fortitudo plebis suæ, quando adversa cuncta ipso auxiliante superantur. Protector, quoniam eos tegit et liberat ab imminentibus malis. Salvationum, id est justorum.

H Addidit, Christi sui, quicunque enim in Christo baptizatus est: et ipse Christus, id est unctus vocatus est.

12 *Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ:*
Et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

C Orat humanitas Verbi pro populo Christiano (propter quem et probatur esse assumpta) ut satisfactione *fideli* in hoc mundo salvus fiat. Hæreditatem Christi Ecclesiam dicit, quam suo sancto sanguine acquisivit. H Quæ Patris est et sua, quia dixit: Omnia tua mea sunt et mea tua (*Joan.* XVII), huic hæreditati petit benedici, ut virtutibus et numero augeatur. C Regere populos devotos petit ne carnalia concupiscant. Extollere ut in intellectu Scripturarum et opere sancto proficiant, ut a terrenis vitiis purgati, ad æterna *præmia* perducantur, et hoc *petunt* debere fieri usque ad illud sæculum æternum, cui nullum aliud succedit.

ORATIO EX PSAL. XXVII.

Fortitudo omnium, fortissime Deus, salva populum tuum a descendentibus in lacum, *et* ita eos in templo sancto suo unanimiter innecte, ut pacem quam proximis ore proferimus, cordibus teneamus. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS XXVIII.

ARGUMENTUM PSAL. XXVIII.

C Credentes Propheta generaliter admonet, ut Domino sacrificia devota mente persolvant septenaria narratione sancti Spiritus virtutes enumerans.

TT. *Psalmus David + in consummatione tabernaculi:*

C Consummatio tabernaculi perfectionem significat Ecclesiæ catholicæ, quæ per totum orbem probatur esse constructa. Est enim totus iste psalmus, Spiritus sancti laude plenissimus.

1 *+ Afferte Domino, filii Dei:*
Afferte Domino filios arietum.

H Vox Christi prædicatores admonet, qui per gratiam in adoptionem filiorum vocati sunt. Quid admonet? afferre prædicationem et exemplum. H C Arietes apostoli sunt accipiendi. C Aries enim dictus quasi a *fronte ruens*, id est diruens. H Qui duo cornua habet in capite, sicut sancti apostoli habuerunt duo Testamenta quæ prædicaverunt. Filii arietum, successores apostolorum sunt.

2 *Afferte Domino gloriam et honorem:*
Afferte Domino gloriam nomini ejus:
Adorate Dominum in atrio sancto + ejus:

H Afferte Domino gloriam, ut per opera vestra glorificetur æternus Deus. Afferte nomini ejus, nomen Patris Filius est; gloria Christi, Ecclesia est; id est, ut per vos nomen ejus in cunctis gentibus innotescat. Adorate in atrio sancto. C Id est, colite eum in conscientia vestra mundissima, ipsa est enim aula regalis et habitatio Spiritus sancti.

3 *Vox Domini super aquas: Deus majestatis intonuit:*
Dominus super aquas multas.

H Vox Domini, id est prædicatio Dei, scilicet Christi per se et apostolos suos, super aquas, id est super populos, ut est illud: Aquæ multæ populi multi (*Apoc.* XII). Deus majestatis, Deus potestatis, intonuit Dominus super aquas, id est terribiliter prædicavit, de tabernaculo assumpti corporis populis dicens: Pœnitentiam agite (*Matth.* IV). C Ecce primum donum Spiritus sancti, scilicet. Timor quem prædicando Christus cordibus hominum dedit. Initium enim sapientiæ et pœnitentiæ timor Domini est (*Psal.* CX).

4 *Vox Domini in virtute:*
Vox Domini in magnificentia.

H Merito ergo vox Domini in virtute dicitur, quia in unoquoque sancto loquitur. C Et ei nullis obstaculis obviatur. In magnificentia, quid enim Spiritu sancto magnificentius? qui illuminato corde sentire facit, ut appetantur bona, et pessima quæque fugiantur. C In virtute, donum pietatis; in magnificentia, donum scientiæ notatur.

5 *Vox Domini confringentis cedros:*
Et confringet Dominus cedros Libani.

H Cedri dicuntur superbi vel sublimes. C Bene enim comparatur cedrus superbis, quæ nullos utiles

fructus generat, sic nec *elatio* detestabilis quæ peccatum intulit mundo. Cedri quæ in Libano nascuntur altiores fiunt cedris quæ alicubi nascuntur, et significat nobiles istius mundi et reges, qui reliquos homines tanquam humilia fruteta despiciunt; quos Dominus confringet, quando abjectis superbis humiles eliget. G In confractione cedrorum, donum fortitudinis intelligitur, dum fractos, id est humiliatos et conversos quælibet pro Christo sustinere facit.

6 *Et comminuet eos tanquam vitulus Libani :*
Et dilectus quemadmodum filius unicornium.

H Iste vitulus significat Christum, sicut enim confringit vitulus virgulta tenera cornibus, ita Christus confringet Judæos. *Qui etiam dilectus Filius Dei dicitur per assumptionem corporis, et filius unicornium, id est Judæorum*, quia ex stirpe Judæorum secundum carnem fuit. Judæi unicornes dicuntur pro una lege quam habuerunt per quam in superbia se extulerunt. Nos utrumque testamentum habemus, ipsi vetus tantum recipiunt, nos duo cornua habemus, id est utrumque Testamentum.

7 *Vox Domini intercidentis flammam ignis :*
Vox Domini concutientis desertum : + et commovebit Dominus desertum : Cades.

H Vox Domini intercidentis, id est auxilium illius inter persecutores, quo suis sanctis subvenit, ut persecutio furibundorum flamma ignis intelligatur, vel flammam dicit libidines quas per confessionem et gratiam facit cessare. Concutit desertum vox Domini, id est prædicatio animam quæ deserta fuerat commovebit, quia anima quæ vitiis occupata est, deserta dicitur, illius excussis habitabilis Deo fit. C Desertum appellati sunt, qui necdum fidei donum perceperunt. H Quos commovebit Dominus de infidelitate ad fidem. Cades interpretatur commotio tineæ. G Intercisio ista flammæ : donum consilii innuit, quo interrumpitur consensus actusque peccati vel persecutionis, in concussione vero deserti donum intellectus notatur.

8 *Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa :*
Et in templo ejus omnes dicent gloriam.

H Cervi prædicatores significat, quos præparavit, quando illis Spiritum sanctum dedit ac illos prædicare misit. Revelavit condensa, id est obscura divinarum Scripturarum per Spiritum sanctum illis patefecit. G Per cervos igitur sapientes intelliguntur, qui contemplatione, alta conscendentes, A superant et repellunt venenosas linguas hæreticorum, Habes igitur septimum donum Spiritus sancti, scilicet sapientiam. C Pro qua re, in Ecclesia ejus, omnes illi hæc dona habentes, referunt gloriam.

9 *Dominus diluvium inhabitare facit :*
Et sedebit Dominus rex in æternum.

C Dominus diluvium inhabitare facit. Hic significat diluvium baptismum sive aquas baptismi (per quas purgatur homo sicut per diluvium purgatus est mundus) et eas Spiritus sanctus inhabitat. H Et sedebit Dominus in sanctis (qui sedes ejus dicuntur) in æternum, id est in sæculum sæculi, vel sedebit Christus ad dexteram Patris.

10 *Dominus virtutem populo suo dabit :*
Dominus benedicet populo suo in pace.

H Dominus virtutem, id est fidem et fortitudinem contra hujus mundi procellas populo Christiano dabit. Et benedicet hic et in futuro, quando dicturus erit : Venite, benedicti Patris mei. In pace, in semetipso, quia ipse est pax vera nostra.

ORATIO EX PSAL. XXVIII.

Dona, Domine, virtutem populo tuo, et effice nos templum Spiritus sancti : ut tibi de corde puro, holocaustum acceptabile præparemus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XXIX.

ARGUMENTUM PSAL. XXIX.

C Vox Christi ad Patrem, gratias agentis post ejus gloriosissimam resurrectionem.

TT. *Psalmus cantici dedicationis domus David.*

C Domus significat templum Dominici corporis. Dedicatio vero, resurrectionem ejusdem Domini nostri. Tunc dedicavit : cum a mortuis resurrexit, tunc enim corpus ejus in æternam gloriam perductum est. Dedicare enim dicimus cum novitas domus alicujus in usum celeberrimum deputatur. Domus autem David propter semen ejus est posita. Unde Salvator carnis traxit originem.

1 *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me :*
Nec delectasti inimicos meos super me.

H Exaltabo te, Domine. Vox Christi ad Patrem, vel vox Ecclesiæ ad Christum, id est laudabo te, quoniam suscepisti me. C Per dispensationem qua resurrexi a mortuis. Nec delectasti, quia non potuerunt Judæi Christum exstinguere sicut voluerunt. Delectasti vero posuit pro delectare fecisti.

2 *Deus meus clamavi ad te :*
Et sanasti me.

H Oratio Christi sive Ecclesiæ, sanasti me, id est resurgere me fecisti. C Tunc enim sanatus est Christus, quando carnem fragilitatis nostræ, resurgendo in æterna vitæ gaudia collocavit, et nos salvos fecit.

3 *Domine, deduxisti ab inferno animam meam :*
Salvasti me a descendentibus in lacum.

A H Domine, deduxisti, hoc expositione non eget. Manifestum est enim, animam Christi cum aliis animabus sanctorum, de inferno revocatam a Deo. C Descendentes vero in lacum sunt qui in iniquitate istius sæculi versantur. Salvatus est itaque a talibus, quia a communione eorum liberatus est cum resurrexit a mortuis.

4 *Psallite Domino sancti ejus :*
Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

H Propheta hortatur sanctos, ut laudent illum a quo salvati sunt. Memoriæ sanctitatis ejus dixit, quia memor nostri esse dignatus est, qui in umbra mortis, id est peccati versabantur, H id est, memores sitis istius beneficii quo vos liberavit.

5 *Quoniam ira in indignatione ejus :*
Et vita in voluntate ejus.

C Indignatio illius, mors est peccatoris. H Indignatio Dei fuit quando Adam peccavit. Ira, justa vindicta, quando eum de paradiso ejecit. Et vita in voluntate ejus, ut qui *fecerit* voluntatem Dei, maneat in æterna vita. Et sicut in Adam, ita in uno quoque peccatore.

6 *Ad vesperum demorabitur fletus :*
Et ad matutinum lætitia.

H Vesperum, tota vita ista præsens intelligitur, quia per peccatum Adæ omnes usque in finem sæculi flent vel gemunt, quando recordantur bona paradisi quæ perdiderunt in Adam. Et mane, lætitia, quando in resurrectione simul in libertatem veniunt ; vel alibi, vesperum quando flebat Maria, lætitia quoniam Christus resurrexit. A Dicit vero demorabitur, id est diu morabitur, quia a tempore peccati Adæ usque in finem sæculi.

7 *Ego autem dixi in abundantia mea :*
Non movebor in æternum.

C Ego autem dixi in abundantia. Abundantia erat Filio semper virginis Mariæ, quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Jure dicebat se moveri non posse in æternum, a Deo scilicet, cui sua majestas confidentiæ dona præstabat.

8 *Domine, in voluntate tua :*
Præstitisti decori meo virtutem.

C Domine in voluntate tua. Vox Christi, asserit sibi homini datam desuper virtutem a Patre, virtutem, scilicet illam qua non movetur a Deo, A qua immunis ab omni peccato : omni gratiarum plenitudine resplendet. Similiter et decorem illum, de quo scriptum est : Speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV).

9 *Avertisti faciem tuam a me :*
Et factus sum conturbatus.

H Tunc avertit Deus faciem suam ab Adam, quando peccavit. Tunc turbatus est, quando sub maledictione de paradiso projectus est. A Vel a Christo vertit faciem, quando passioni eum exposuit, et cœpit pavere et turbari et mœsta esse humanitas et carnis infirmitas.

10 *Ad te, Domine, clamabo :*
Et ad Deum meum deprecabor.

H Ad te, Domine, clamabo, Christus Dominus hoc dicit, qui in cruce clamavit, cum pro redempto populo Patrem interpellavit.

11 *Quæ utilitas in sanguine meo :*
Dum descendo in corruptionem ?

C Petit ergo Christus non ut non moriatur, sed ne caro ipsius corruptione resoluta maculetur. H Ac si dixisset humanitas, nulla est utilitas quod sanguinem effudi, nisi resurrexero a mortuis. A Si enim non resurgam : nemini annuntiabo, nullum lucrabor, ideo subdit : Nunquid, etc.

12 *Nunquid confitebitur tibi pulvis :*
Aut annuntiabit veritatem tuam ?

H Nunquid confitebitur tibi pulvis, id est non perit turba impiorum, quæ adhuc velut pulvis omni vento doctrinæ movetur; justificari, si ego non resurgam ? Nec etiam annuntiabit veritatem tuam, hoc est Christum tuum qui est veritas.

13 *Audivit Dominus et misertus est mei :*
Dominus factus est adjutor meus.

H Audivit Dominus, id est Deus Pater. Misertus est, quia resurgere me fecit a mortuis. Factus est adjutor, quia me fecit primogenitum mortuorum.

14 *Convertisti planctum meum gaudium mihi :*
Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.

H Convertisti planctum meum, cum dicerem tristis est anima mea. In gaudium cum dixi : Ite nuntiate fratribus meis (*Matth.* XXVIII). C Concisus est saccus, id est corpus Christi, cum pro nobis ipse mori dignatus est. H Præcinxit lætitia, scilicet per resurrectionem immortalitatis.

15 *Ut cantet tibi gloria mea et non compungar :*
Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

C Cantare enim diximus ad mentis lætitiam proprie pertinere. Gloria vero Christi : majestas Patris, a quo audivit, hic est Filius meus dilectus (*Matth.* XVII). A Et cantat Patri gloria Filii, quoniam causa est gloria Filii : ut lætetur Pater et ametur. C Et quia compunctus est semel, id est crucifixus : nulli se ulterius subjacere memorat passioni. Confitebor, id est, cum sanctis æterna voce te laudabo.

ORATIO EX PSAL. XXIX.

Susceptor omnium, clementissime Deus, ne permittas delectari inimicos nostros super nos, sed ita nos in tua virtute corrobora, ut converso planctu nostro in gaudium : memoriam sanctitatis tuæ jugiter excolamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XXX.

ARGUMENTUM PSAL. XXX.

C A Vox Christi positi in cruce, orantis Patrem, ut de malis imminentibus liberetur; agitque gratias pro se et populo fideli.

TT. *In finem psalmus David.*

C Verba quæ titulus continet, ad Christum frequenter dixinus referenda, cui totius hic psalmus aptandus est, quoniam ejus passionem et resurrectionem decantat.

1 *In te, Domine, speravi non confundar in æternum :*
In justitia tua libera me.

C Orat Christus ad Patrem ex natura humanitatis assumpta, ne de sua spe dejectus, humanæ insultationis patiatur opprobria, addens in æternum, ubi ejus contemplatio fixa permanebat. In tua justitia qua consuesti subvenire rogantibus. Libera, ad pericula hujus mundi pertinet amovenda.

2 *Inclina ad me aurem tuam :*
Accelera ut eruas me.

C Inclina dixit, propter membrorum suorum humilitatem, ut quoniam non poterat humana conditio ad divinitatem attingere, divinitas inclinata ad eam

descenderet. Accelera, id est festina resurrectionem dare celerrimam.

3 *Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii :*
Ut salvum me facias.

H Vox Ecclesiæ : in Deum protectorem, hoc est in Deum defensorem, quia multi sunt dii nuncupativi, nobis autem unus Deus, una fides, unum baptisma. Domus refugii ipse est, in qua pater habitat.

4 *Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu :*
Et propter nomen tuum deduces me et enutries me.

C Fortitudo, pertinet ad toleranda quæ passus est, refugium ad finem malorum : quando istius sæculi iniquitates superavit fine gloriosæ mortis. Dux erat humanitate Dominus, quando suum nomen per universas gentes fecit cognosci. Enutritum se dicit, quousque ad perfectionem catholica Ecclesia ipsius munere perveniret, H A id est paulatim sanctos aggregando, corpus ipsius, id est, Ecclesiam auget.

5 *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi :*
Quoniam tu es protector meus.

C Ergo laqueum absconderunt Judæi Christo, quia occultis eum machinabantur perdere insidiis, unde se dicit educendum, id est resurrectionis beneficio ad superna velociter elevandum. Protectorem Dominum dicit, quia eo protegente nulla potest adversitas prævalere.

6 *In manus tuas commendo spiritum meum :*
Redemisti me, Domine Deus veritatis.

H In manus tuas, id est potestati tuæ. C Dignum ergo fuit, ut tanto susceptori talis commendaretur spiritus. Addidit etiam, quis esset iste Dominus, quia est Deus veritatis, illorum enim Deus est specialiter qui veritatem diligunt, nec in aliqua falsitate miscentur.

7 *Odisti observantes vanitates*
Supervacue.

C Juste ergo veritas, oderat vanitatem, quia vanitas in falsitate versatur. H Odire enim Deus dicitur in quod reprobat. Addidit supervacue, quæ non solum vacua vanitas dicitur sed etiam supervacua. A Vanitas est hujus sæculi falsa felicitas, quæ vacue observatur, quia perditur; et supervacue observatur, quando pro ea habenda etiam male agitur.

8 *Ego autem in Domino speravi :*
Exsultabo et lætabor in misericordia tua.

C Speravi in Domino dicit, ubi nihil vanum, nihil supervacuum est sed totum fixum. Exsultare : est cum magna alacritate animi gaudere. Lætari : temperata mentis affectione mulceri.

9 *Quoniam respexisti humilitatem meam :*
Salvasti de necessitatibus animam meam.

C Ideo erat in Altissimo humilitas, quia illi humanitas adhærebat ab ipsa conceptione. Necessitas dicitur quod in nece sit posita, id est in mortis angustiis constituta. Nam quando peccatorum laqueis innodamur, nec nostra virtute possumus absolvi, necessitas appellatur. A Necessitates igitur peccata sunt, ex quibus se homo solvere nequit.

10 *Nec conclusisti me in manus inimici :*
Statuisti in loco spatioso pedes meos.

C Nec conclusisti me dicit, quia liber effectus est a potestate diaboli. Statuisti dicit, hoc est firmasti In loco spatioso, id est in patria virtutum, in regione beatorum. Pedes suos dicit virtutes morales, per quas hunc mundum fixis gressibus ambulavit. A Locus spaciosus, charitas est : pedes, affectus animæ.

11 *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor : conturbatus est in ira oculus meus :*
Anima mea et venter meus.

H Miserere mei, Domine, quoniam tribulor. Vox eorum est qui qualibet tribulatione tribulantur, in quorum persona Christus loquitur hic, sicut superius in persona erutorum de tribulatione, dum dixit nec conclusisti, etc., potest dici et de Christo, quando ait : Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). C Iram posuit : inimicorum indignationem. Oculus, intellectum signat, quem semper conturbamus, quando imminentia pericula formidamus. Ventrem dicit suam memoriam, ubi habebat reposita, quæ illi Dominus de sua clarificatione promiserat. Animam : sensualitatem putat.

12 *Quoniam defecit in dolore vita mea :*
Et anni mei in gemitibus.

C Deficere enim est, paulatim minus facere, et ad finem, per aliquas valetudinis minutias pervenire, et signat hic illam conturbationem carnis Christi qua in passione ejus vita carnis defecerat. Et anni mei in gemitibus, quia non fuit levis dolor : ubi continuus gemitus insonabat. A Anni Christi omnes in gemitibus, quoniam futuram mortem semper vidit, et in persecutionibus completi sunt

13 *Infirmata est in paupertate virtus mea :*
Et ossa mea conturbata sunt.

C Virtus animi, in paupertate firmatur in membris Christi, quoniam omnibus bonis indiget humana fragilitas. Ossa : fortitudinem corporis significant, quia neque in animi robore, neque in spe carnis debet ulla esse præsumptio. H Virtus etiam corporis in egestate fuit et derelictione in passione.

14 *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde :*
Et timor notis meis.

C Inimicos, Judæos dicit, habebatur inter eos opprobrium innocens Christus, qui se nefario scelere polluebant. Contra probum dicimus improbum, id est inhonestum et indecorum. Opprobrium autem significat valde abominabile facinus. Vicinos dicit qui ei in civitate fidei conjuncti, tamen perfecte non credebant. Notos apostolos significat, qui in ejus passione turbati sunt. H A Vel Christianos malos dicit vicinos tales esse, qui sunt in malitia pejores omnibus aliis Christi inimicis.

15 *Qui videbant me foras fugerunt a me :*
Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde.

H Fugerunt apostoli in passione Christi eo relicto. Oblivioni datus est Christus infidelibus, quando eum in carne mortuum pro nihilo computaverunt. C Tanquam mortuus, non enim a fidelibus mortuus dicitur, cujus divinitas impassibilis veraciter æstimatur, sed a mente infidelium mortuus æstimabatur. A A corde moritur, cujus memoria recedit a corde, sicut oblivisci solent homines mortuorum.

16 *Factus sum tanquam vas perditum :*
Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

C Vas perditum est quod fractum est, et ad nullos usus necessarium, quod semper abjicitur, ita et Christus mortuus quasi fractum vas abjiciendus putabatur perfidis Judæis. Audivi vituperationem, id est, circumhabitantium perfidorum Judæorum. Merito tales circumhabitantes dicuntur, qui legem Dei non spiritualiter sed carnaliter advertere volunt. A Sunt enim ut cortex medullam circuiens, sic litteram tenentes : spiritum intrant Scripturarum sed semper in circuitu morantur et cortice occidentis litteræ.

17 *In eo dum convenirent simul adversum me :*
Accipere animam meam consiliati sunt

C In eo consiliatam partem maximam dicit Judæorum, ut Deum neci traderent. H Omnes simul consiliati sunt, ut quærerent animam Christi, sive hæretici : animam Ecclesiæ. C Omne autem scelus gravius est quod consilio geritur plurimorum.

18 *Ego autem in te speravi, Domine : dixi Deus meus es tu :*
In manibus tuis sortes meæ.

C Speravit in Patrem Filius, quia sciebat nullam esse potestatem Judæorum contra se, sed ipso creante existimus, ipso disponente vegetamur. H In manibus tuis sortes meæ, id est in gratia sancti Spiritus. A Qui sine merito quos vult eligit. Sortes itaque, id est Dei gratuita electio est in manibus, id est potestate Dei, non nostra.

19 *Eripe me de manu inimicorum meorum :*
Et a persequentibus me.

C Ipsum Patrem rogat se eripere de manu inimicorum, id est Judæorum, et a persequentibus, hoc est paganis vel hæreticis, qui Ecclesiam Dei insequuntur fraudulentis machinationibus. A Maxime illi persequuntur Ecclesiam, qui cum sint Christiani, nolunt bene vivere, per hos opprobrium habet Ecclesia, inter quos gemens iste ait : Illustra, etc.

20 *Illustra faciem tuam super servum tuum :*
Salvum me fac in misericordia tua :
Domine, ne confundar, quoniam invocavi te.

C Illustra faciem tuam, id est, fac videri, quod supra me dignaris intendere, ut sicut de moriente desperant, ita de resurrectione confidant. H Ut non confundar, sed salver ab his persecutionibus.

21 *Erubescant impii et deducantur in infernum :*
Muta fiant labia dolosa.

A H Erubescant impii, sive iniqui dæmones vel quicunque mali, cum viderint sanctos coronatos, quos in despectione habuerunt, et se condemnatos. C Seque cum respexerint, in gravi periculo constitutos : velociter obmutescant.

22 *Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem :*
In superbia et abusione.

C Loquitur enim falsitas contra veritatem, quando Ariani creaturam Dominum creatorem dicunt. Addidit in superbia et abusione, id est in contemptu. Nam cum audivit ista falsitas flagellis cæsum, statim in blasphema verba prosilivit. A Abusio fuit quando eum qui propter eos venit in carnem crucifixerunt abutentes Dei beneficio.

23 *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ +, Domine :*
Quam abscondisti timentibus te.

H Multitudo dulcedinis est, multa præmia quæ præparavit Ecclesiæ suæ, ut esset sine fine cum angelis suis regnatura. C Quæ hic sentitur abscondita, sed in futuro judicio ostenditur manifesta. A C Est etiam dulcedo hic Dei multiplex, dum corrigit bonos vel parcit, promittit, vel emendat quos amat, quam tamen impius non sentit, qui palatum cordis perdidit de febre iniquitatis.

24 *Perfecisti eis qui sperant in te :*
In conspectu filiorum hominum.

C Perfecit illam dulcedinem in illis qui constanti animo eam exquirunt. In conspectu filiorum, id est, in illa resurrectione quando sanctis suis præmia æterna restituet. H Perfecisti, ac si dicat perfectus eris, vel in conspectu eorum qui humana et non cœlestia quæsierunt.

25 *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ :*
A conturbatione hominum.

C Abscondes eos in abscondito, id est, in illa resurrectione, quando justi contemplatione Dei perfruuntur, et præmia æterna consequentur, quam gloriam impii non vident. Homines hic omnes persecutores et schismaticos dicit, qui hic consueverunt conturbare populum Christianum.

26 *Proteges eos in tabernaculo tuo :*
A contradictione linguarum.

C Hic proteguntur justi in tabernaculo, id est in Ecclesia, ibi enim proteguntur : ubi malorum improbitas minime nocere illis permittitur, quando illæsæ animæ justorum, sub qualibet afflictione corporea servantur.

27 *Benedictus Dominus ;*
Quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

H Benedictus Dominus, cui benedicit omnis creatura. Sed non ideo quasi egeat nostra benedictione a nobis benedicitur, sed ut nos ab ipso benedictionem accipere mereamur. Mirificavit misericordiam in civitate, H C id est in Hierusalem quam circumdant omnes gentes. H Quæ est in medio mundi, quia ibi natus passus et resurrexit.

28 *Ego autem dixi in excessu mentis meæ ;*
Projectus sum a facie oculorum tuorum.

H Tunc in excessu mentis est Ecclesia : quando cogitat quæ in paradiso amisit, et qualiter Deus per angelum apud Adam loquebatur : et quomodo oculis interioribus Deum videbat, qui projectus est a facie Dei, quando transgressus est mandata Dei, et omnis posteritas est in illo projecta.

29 *Ideo exaudisti vocem orationis meæ :*
Dum clamarem ad te.

C Ideo exauditum se dicit Christus in membris suis, quia non tardat gratia Dei adjuvare illum, qui humiliter Dominum rogat. Et exauditus est Christus : quando audita est paterna vox dicens : Hic est filius meus dilectus. Et quando clamavit ad Patrem : Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti (*Matth.* XVII) ?

30 *Diligite Dominum omnes sancti ejus : quoniam veritatem requiret Dominus :*
Et retribuet abundanter facientibus superbiam.

C Diligite dicit, jam tanquam ad amicos, non tanquam ad servos (*Joan.* XV) : servorum est enim formidare, amicorum diligere. Requirit Dominus veritatem, quam nesciunt hæretici, falsis erroribus illigati. Hic superbiam, non unum vitium dicit, sed quidquid morum pravitate peccatur. Illis tribuit abundanter qui præcepta Dei despiciunt.

31 *Viriliter agite et confortetur cor vestrum :*
Omnes qui speratis in Domino.

C Viriliter agite, id est in bonis operibus constantissime perdurate : ne feminea mollitie deficiatis qui corda vestra Domino constanter offertis. Si enim roborantur corda fidelium : si spem suam domini virtute confirment.

ORATIO EX PSAL. XXX.

Immensam multitudinem dulcedinis tuæ, piissime Domine, suppliciter exoramus, ut dum veritatem tuam requirimus, tumorem exsecrabilis superbiæ conteramus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XXXI.

ARGUMENTUM PSAL. XXXI.

C Vox pœnitentis et Domini verba respondentis, se circumdare misericordia sua in se sperantes.

TT. *David intellectus.*

C Cur in hoc titulo posuit David intellectus ? cum omnes psalmi propter intellectum eorum habendum sint scripti. Responsio : Primo meminit David, propter Dominum Christum, quoniam ad ipsum respicit quidquid pœnitens iste dicturus est. Deinde addidit intellectus, ut cum nos intelligere divinitas præstiterit peccata nostra : pro eis tunc diluendis supplicemus, in alio enim psalmo dictum est, delicta quis intelligit (*Psal.* XVIII), de intellectu igitur peccatorum loquitur.

1 *Beati quorum remissæ sunt iniquitates :*
Et quorum tecta sunt peccata.

H Beati quorum remissæ sunt iniquitates, id est per confessionem a Domino diluuntur. Vel quorum tecta sunt, id est per charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum (*Prov.* X), vel velata per pœnitentiam ne injudicio revelentur (*I Petr.* IV). C Iniquitates sunt, quæ ante susceptam fidem committuntur, peccata quæ post fidei cogitationem vel gratiam baptismatis contrahuntur.

2 *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum :*
Nec est in spiritu ejus dolus.

H Illi non imputatur peccatum, qui in hoc sæculo se per pœnitentiam sufficienter expurgat, vel per martyrium purgat. Quod tegitur : non videtur, quod non videtur : non imputatur, quod non imputatur, nec punietur. In illius ore dolus non est qui se peccatorem profitetur. C Quia dum nosmetipsos culpamus : veriloquium est, cum nos volumus laudare : mendacium est, ipse enim Domino placet qui sibi displicet.

3 *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea*
Dum clamarem tota die.

H Tacui, vox malorum est, qui tacent sua peccata, et in confessione nolunt dicere, ideo omnis fortitudo mea, id est virtus in infirmitate consenuit. A C More vulneris corporalis, quod dum occultatur medico putrescit. Dum clamarem. H Clamant, id est si aliquid boni habent, per vanitatem demonstrant. Tota die, H A id est tota vita (quæ brevis est) tacent peccata, clamant et jactant merita.

4 *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua :*
Conversus sum in ærumna ✠ mea ⁝ dum configitur spina. ✠ Diapsalma ⁝

C H Gravata est manus Dei super peccatores, id est potestas vindictæ in die judicii. C Die et nocte : continuum tempus significat. Ærumnosus dicitur valde ruinosus. Ruina quippe appellata est, quasi ruens in ima. Conversus est in ærumna : qui ceciderat de superbia, ut qui ante erat superba ; nunc humilis factus est. Spina est quæ corpus erigit atque retinet, hæc pro superbia merito posita est, quæ confracta non dejicit ad interitum, sed erigit ad salutem. H Ærumna miseria est. A Vel configitur spina, cum pungitur conscientia et dolet.

5 *Delictum meum cognitum ✠ tibi ⁝ feci :*
Et injustitiam meam non abscondi.

C Ille delictum cognitum facit, qui illud in confessionem veram perducit. Operire est valde aliquid silentio tegere, aut cordis dissimulatione celare, hoc faciunt stulti, qui putant Deum ignorare quod agunt. Delictum quidam leve putant esse peccatum quasi negligentius derelictum. Injustitia autem est immane aliquid vel sævum commissum. Sed et hic puritas confitentis ostenditur, quia non vult celare quod credebatur esse veniale

6 *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino :*
Et tu remisisti impietatem peccati mei. Diapsalma.

H Dixi in corde, ubi Deus videt, Confitebor, C id est publice fatebor, ut alios ad imitationem trahat pia fidelisque confessio. Impietas cordis fuit,

quia tacere decreverat, ut illi crederet esse aliquid celatum, qui antequam fiant, omnia novit.

7 *Pro hac orabat ad te omnis sanctus:*
In tempore opportuno.

H Pro hac orabit, id est, pro iniquitate hac vel remissione, quod superius dixit. Omnis sanctus, dicit, quia nemo est a peccatis immunis. C In tempore opportuno, in ista scilicet mundi vita, ubi converti fas est. Nam in inferno (sicut superius dictum est) nemo proficue Domino confitetur.

8 *Verumtamen in diluvio aquarum multarum:*
Ad eum non approximabunt.

C Diluvium aquarum multarum est error hominum pessimorum, qui variis pravitatibus fluctuantes, multiplices sibi doctrinas constituunt, et hi ad Dominum non approximabunt, quoniam a vera religione discedunt.

9 *Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me:*
Exultatio mea erue me a circumdantibus me.
Diapsalma.

C Refugium, est ad quod confugitur, ut pericula declinentur.

H Exsultatio mea, dicit Ecclesia, quia in te gaudeo. C Erue me ab inimicis, sive a vitiis carnalibus, seu spiritibus immundis, qui nos perdere præcipiti velocitate festinant.

10 *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris:*
Firmabo super te oculos meos.

C Intellectum non habent peccatores: nisi quando conversis Dominus propitiatus eis indulget. Intelligere est bene agere et ad mandata Dei vota convertere. Et instruam te, quasi nescientem docebam. In via hac qua gradieris. H A Viam confessionis dicit docebam te, ut non recedas ab ea. C Firmabo super te oculos, id est, in te dirigam lumen intelligentiæ meæ.

11 *Nolite fieri sicut equus et mulus:*
Quibus non est intellectus.

C Equus sine discretione: sessoris arbitrio servit, et a quocunque ascensus fuerit, excurrit. Mulus patienter onera portat, et per hoc utrique intellectum non habent, quia nec equus eligit cui obediat, nec mulus quibus oneribus ingravetur intelligit, ergo diabolicis fraudibus insideri et vitiorum onere gravari homines prohibet propheta.

12 *In chamo et freno maxillas eorum constringe:*
Qui non approximant ad te.

C Chamus ad mulum pertinet, frenum ad equum respicit. Frenum enim a fero retinendo dictum est; ferum: antiqui gaballum dixerunt. Ergo ista retinacula, hæc duo animalia cohibent, ut ad arbitrium jubentis incedant, ne suis voluntatibus ferantur. Maxillæ adminicula sunt animalium quibus esca manditur. Ipsas ergo maxillas per figuram allegoricam dicit debere inobedientibus constringi, id est victum parcius dari eis, ut, jejuniis macerati, creatoris subdantur imperio.

13 *Multa flagella peccatoris:*
Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

C Multa flagella sustinent peccatores contumaces, nolentes ire per semitas rectas, ut quod non faciunt sponte: plagis adhibitis cogantur implere. Sperantes autem in Domino circumdabit misericordia, ut non sit locus relictus, unde possit diabolus ad eos introire.

14 *Lætamini in Domino et exsultate justi:*
Et gloriamini omnes recti corde.

C Omnis justus lætatur in Domino. Nam qui in se gaudet, fallaci præsumptione decipitur; qui vero in Domino lætatur, perpetua delectatione perfruitur. Lætari est tacitæ mentis suavitate mulceri. Exsultare vero est concitati animi fervore gaudere. Et gloriamini qui recti corde estis et creditis, ex servitio Dei eos ad æternæ beatitudinis præmia pervenire.

ORATIO EX PSAL. XXXI.

Sancte Domine, qui remissis delictis, beatitudinem te confessis attribuis: exaudi vota præsentis familiæ, et confracto peccati aculeo: spiritali nos exsultatione perfunde. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XXXII.

ARGUMENTUM PSAL. XXXII.

C Propheta in Domino gaudere admonet justos, beatosque appellat, qui ad ejus meruerint pertinere culturam.

TT. *Psalmus David*

C. Hic titulus omnino notus est, et ideo lector in eo sequatur expositionem priorem.

1 *Exsultate justi in Domino:*
Rectos decet collaudatio.

C Commonet propheta Christianos, ut non in terrenis delectationibus exsultent, sed in Domino, ubi gaudia continua suavitate perfecta sunt. Rectos decet collaudatio, non hæreticos pravos decet, sed rectos. H Qui in regula veritatis sua corda dirigunt. C Collaudatio vero multorum ore una laudatio est, propter unitatem Ecclesiæ.

2 *Confitemini Domino in cithara:*
In psalterio decem chordarum psallite illi.

C Cithara dicta, quæ cita iteratione percutitur. H Habens deorsum *cavamen*, superius sex chordas, et significat sex opera misericordiæ. Et de illis chordis aliæ bene cantant, aliæ murmurant. Sic et sancti alii sic alii vero sic. Psalterium de sursum habet *cavamen* et decem chordas, et signat decem præcepta legis, quæ de supernis veniunt in sanctos.

3 *Cantate ei canticum novum:*
Bene psallite ei in vociferatione.

C Novum canticum dicit Incarnationem Domini, qua angeli Domini cantabant dicentes: Gloria in altissimis (*Luc.* II). H Ille bene psallit qui implet opere quod docet. Vociferatio: jubilatio est, quia nec verbis nec syllabis nec litteris nec in vocem potest erum-

pere aut mens comprehendere potest, quantum homo debet laudare Deum, quod est jubilus.

4 *Quia rectum est verbum Domini :*
Et omnia opera ejus in fide.

C Rectus est itaque sermo Domini, ad dirigendos scilicet homines, veraciter enim rectus dicitur, qui rectos facit. H Opera ejus in fide sanctorum, quia quod promittit Deus sanctis : non mentitur.

5 *Diligit misericordiam et judicium :*
Misericordia Domini plena est terra.

C Diligit misericordiam in hoc mundo, ubi eam longe lateque disseminat. Videlicet ubi sustinet peccatores, ubi blasphemos patienter exspectat. Judicium : cum pios sequestrat ab impiis. Et merita eorum æqualitatis lance discernit. H Plena est terra : totus mundus, vel Ecclesia, quia sicut ille ubique est, ita misericordia cum illo est ubique.

6 *Verbo Domini cœli firmati sunt :*
Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

H C Verbo Domini, hoc est a Filio Dei, cœli firmati sunt, id est apostoli. C Spiritu oris, utique quando Spiritus sanctus eorum doctrinam declaravit signis et miraculis. Virtus enim, et ad miracula pertinet, et ad prædicationem eorum.

7 *Congregans sicut in utrem aquas maris :*
Ponens in thesauris abyssos.

C Uter est exutum pecoris tergus; quod usibus humanis deservit ad liquores aliquos congregandos, et hic uter Ecclesiæ comparatur, quia sicut iste complectitur liquores, ita et illam adunationem credentis populi includit. Aqua maris populum Christianum significat. H C Ponit in thesauris, id est in Scripturis divinis. Abyssos, id est profunditatem sensuum.

8 *Timeat Dominum omnis terra :*
Ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

C Hic terra durum significat per omnia peccatorem, qui merito terra dicitur, quia tantum terrena diligit. H Commoveantur omnes, id est de infidelitate ad credulitatem. Et aliter, in admiratione Creatoris creaturæ ipsius commotæ sunt.

9 *Quoniam ipse dixit et facta sunt :*
Ipse mandavit et creata sunt.

H Quoniam ipse dixit, Ideo ipsum cuncta timeant, quia ab ipso facta sunt creata.

10 *Dominus dissipat consilia gentium : reprobat autem cogitationes populorum :*
+ Et ⁝ reprobat consilia principum.

C Dominus dissipavit consilia gentium, quando eas in idolorum cultura non dimisit diutius permanere. H Reprobat cogitationes Sadducæorum et Pharisæorum, vel reliquarum potestatum genera. Consilia principum Annæ et Caiphæ, quorum omnium consilium semper in malo fuit, quod Dominus resurgendo destruxit.

11 *Consilium + autem ⁝ Domini in æternum manet.*
Cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.

H Consilium Domini fuit ut resurgeret a mortuis, sicut et fecit. C Vel Consilium autem Domini intelligimus incarnationis arcanum, quod ad consulendum humano generi constat esse concessum. Hoc nulla ætate dissolvitur, sed manet in æternum. A C Cogitationes cordis ejus significant prædestinationem, in qua cuncta reposita sunt quæ permanent in æternum. Æterna igitur sanctorum prædestinatio, cogitationes cordis ejus dicuntur.

12 *Beata gens cujus est Dominus Deus ejus :*
Populus quem elegit in hæreditatem sibi.

C Ipsa utique gens beata est, a qua Dominus colitur, qui eam protegit ac gubernat. Populus Christianus hæreditas Christi est, quia eum auctor suus possidet, quem prædicationibus sanctis et pretioso sanguine acquisivit.

13 *De cœlo respexit Dominus :*
Vidit omnes filios hominum.

C De cœlo respexit Dominus, quando donavit adventum proprii Filii. Vidit, significat gratiam miserentis. Filios hominum. H Id est peccatores absolvit, quia nunquam respectus ejus sine misericordia fuit. C Nota vero, quod dum Deus dicitur in Scripturis respicere peccata, punit; cum vero hominem, absolvit.

14 *De præparato habitaculo suo :*
Respexit super omnes qui habitant terram.

C De præparato habitaculo, id est, de futuro Domini corpore, quod præparatum in prædestinatione fuerat. Respexit super omnes, id est disposuit, ut periclitanti mundo (quem disposuerat facere) subveniret.

15 *Qui finxit singillatim corda eorum :*
Qui intelligit omnia opera eorum.

C Finxit corda quibus intelligentiæ suæ dona largitus est. Singillatim, id est divisim vel distinctim, corda eorum, scilicet sanctorum sub Domini timore viventium. Intelligit, quando actibus bonorum præmia digna restituit. Omnia opera, id est cogitationes, dicta, et facta.

16 *Non salvatur rex per multam virtutem :*
Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis + suæ ⁝.

C Regem dicit, hominem continentem, qui quamvis regat corpus suum miseratione divina a vitiis tamen carnalibus salvus fieri non potest, dum de sua virtute præsumpserit. Eumdem etiam gigantem vult intelligi, qui virtutum magnitudine roboratus, contra immanitatem diaboli dimicat fortiter. Et licet sic fortiter confligat, si tamen sublevatus fuerit vitiô superbiæ, salvus esse non poterit. Gigas vero interpretatur *terrigena*. Et juste virtus humana a Deo deseritur, quando datum bonum, non largitori Deo, sed propriis viribus applicatur.

17 *Fallax equus ad salutem :*
In abundantia autem virtutis + suæ ⁝ non salvabitur.

C Equum ponit pro felicitate humana, quæ homines sic portat et accipit, sicut equus fallax. Ille

enim, dum appetit campos, solet incautos fallere in se præsumentes, ideo dicitur fallax equus.

18 *Ecce oculi Domini super metuentes eum :*
℣. Et in eis : qui sperant super misericordia ejus.

C Ergo oculi Domini sunt super timentes eum, quia eos protegit, quos se timere cognoscit. Qui sunt enim timentes Deum exponit, id est sperantes in misericordia ejus.

19 *Ut eruat a morte animas eorum*
Et alat eos in fame.

C Eruit a morte animas justorum, cum eas tulit de potestate diabolica. Alimentum dictum est, quasi *mentis nutrimentum*. In fame enim positi sunt, qui se cœlestium rerum desiderio semper accendunt.

20 *Anima nostra sustinet Dominum :*
Quoniam adjutor et protector noster est.

C Cum dicit, anima nostra sustinet, patientiam significat Christiani, hæc confirmat omnes virtutes in homine. Adjutor est, dum ad eum ipsius gratia conamur accedere. Protector, dum resistimus adversario.

21 *Quia in eo lætabitur cor nostrum :*
Et in nomine sancto ejus speravimus.

H Lætabitur cor nostrum, id est anima nostra de spe futuræ remunerationis. Nomen Patris Filius est, in quem semper sperare debemus.

22 *Fiat misericordia tua, Domine, super nos :*
Quemadmodum speravimus in te.

H Unusquisque antequam cantet istum versum, debet cogitare ut fideliter dicat : Quemadmodum speravimus in te, ne alibi sua mens vacet, sed firma spes sit ut vere dicat : Fiat, etc., ut qui nos per baptismum abluisti, Spiritus sancti infusione confirmes. Sicut in Actibus apostolorum cernimus factum, cum baptizati receperunt Spiritum sanctum (*Act.* XIX).

ORATIO EX PSAL. XXXII.

Pasce, Domine, plebem tuam in fame verbi, et eripe animas nostras de morte peccati, ut repleti misericordia tua, aggregari justorum gaudiis impertiente te mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XXXIII.

ARGUMENTUM PSAL. XXXIII.

C Vox Prophetæ benedicentis Deum, et admonentis mansuetos, ut cum ipso in ejus laude perseverent, et ut a deliciis se abstineant, justosque dicit in sua justitia liberandos : impios vero perituros.

IT. Psalmus David cum mutarit vultum suum coram Abimelech et dimisit eum et abiit.

C Cum Saul persequeretur David, fugit ad Achis regem, ibique dum esset, invidia eum occidere volebant; ille vero de industria mutavit vultum, ita ut salivis ora compleret, ut furibundus æstimaretur, et illæsus relinqueretur. Cum fugit inde, istum psalmum cantavit (*I Reg.* XXI).

A 1 *Benedicam Dominum in omni tempore :*
Semper laus ejus in ore meo.

H Cum se dicit Deum benedicere omni tempore, docet nos nec in adversis succumbere, nec in prosperis extolli. C Semper est laus Dei in ore hominis, quando talia vel cogitat aut loquitur, ut nulla redargutione culpetur. Laus vero a *lauro* dicta est, quæ solebat coronare victores.

2 *In Domino laudabitur anima mea :*
Audiant mansueti et lætentur.

C Tunc enim glorificatur fidelis servus, quando laudabilem Dominum habere cognoscitur. Audiant mansueti, H id est sancti. C Qui charitate præcipua omnium rerum habere temperantiam consueverunt.

B 3 *Magnificate Dominum mecum*
Et exaltemus nomen ejus in idipsum.

C Vocat Ecclesia fratres, hortatur populos obedientes, ut nomen Domini gloriosa societate magnificent, ne inter officia sanctitatis detestabilis invidia misceatur. Exaltemus nomen ejus in idipsum. In idipsum significat compositos choros, quando psalmodiam Domini alterna sibi successione respondent.

4 *Exquisivi Dominum et exaudivit me :*
Et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

C Exquisivi Dominum, non longo spatio terrarum, sed in corde meo. Et exaudivit me, quoniam intellectus Christi universa complectitur, id est ubique intelligit se quæri, et exaudit. Dicendo ex C omnibus liberavit me, nihil relictum est, quod remansisse suspiceris adversum. A Qui ergo non audiuntur, non Dominum quærunt. Non enim dixit, Exquisivi aurum a Domino, sed Dominum.

5 *Accedite ad eum et illuminamini.*
Et facies vestræ non confundentur.

H Accedite ad eum, non loco, sed fide et opere, et illuminamini, scilicet mente et intellectu, quia nisi credideritis, non intelligetis (*Isai.* VII). Et facies vestræ non confundentur in judicio, quo impii confundentur in condemnationem.

6 *Iste pauper clamavit et Dominus exaudivit ℣. eum :*
Et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

D H Iste pauper clamavit, id est Christus, qui pro nobis pauper factus est, in passione clamavit ad Patrem. C Quando clamavit, salutariter est auditus; sed ex omnibus mundanis angustiis est liberatus, H quando eum resuscitavit a mortuis.

7 *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum :*
Et eripiet eos.

H Haud dubium est timentes Dominum ab angelis custodiri. Ideo alia littera habet : Emittet angelum Dominus. C Angelus enim minister est voluntatis divinæ; quapropter si vis angelum te fieri, fac quod præcipit, ut liberes periclitantem, eripias innocentem, subvenias anxio, etc. Quæ divina jubet auctoritas.

8 *Gustate et videte quoniam suavis ✣ est Dominus :*
Beatus vir qui sperat in eo.

C Gustate, non pertinet ad palatum, sed ad animæ suavissimum sensum. H Qui perfecto animo Deum timet et præcepta custodit, et ita sentit Christum, tunc intelligit quia suavis est, quia ipse est panis vivus, qui de cœlo descendit. Beatus dicitur qui in eum sperat, et non in incertum divitiarum. Et ideo beatus, quia illum habet qui omnia habet, hoc est Deum.

9 *Timete Dominum ✣ omnes : sancti ejus :*
Quoniam non est inopia timentibus eum.

H Timete Dominum, omnibus sanctis imperat, ne accepta securitate decipiantur. C Solus ipse nihil indiget, qui timore Dei ditatus est. Omne enim bonum habet, quia Deum timendo amat.

10 *Divites eguerunt et esurierunt :*
Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. ✣ Diapsalma .

C Tunc egent divites, quando non habent rectam fidem. Esuriunt, quando minime a Domini corpore satiantur; divites ventre, esurientes semper spiritu. Quid enim habeant qui Dominum non habent? Inquirentes Dominum non deficient ullo bono, quoniam spirituali desiderio perfruuntur. Nam cum diligimus Dominum, in Christo omnia reperimus.

11 *Venite, filii, audite me :*
Timorem Domini docebo vos.

C Vox paterna sonat ad illos qui prima rudimenta suscipiunt, ut veniant ad fidem Christianam. Dum dicit : Docebo vos, admonet ne pavescamus quod audivimus timorem. Non est enim iste timor qui formidetur, sed qui diligatur. Timor humanus amaritudinem habet, iste dulcedinem.

12 *Quis est homo qui vult vitam :*
Diligit dies videre bonos?

H Propheta hoc interrogando loquitur, quis vitam æternam cupit videre, ut cum sanctis jocundetur in regno Dei? quod si vis, fac quod sequitur et videbis, id est habebis vitam æternam et dies bonos et æternos.

13 *Prohibe linguam tuam a malo :*
Et labia tua ne loquantur dolum.

C Prohibe linguam tuam a malo colloquio. Addidit labia, quæ linguæ motum protinus consequuntur. Dolus autem est, quando fallimus audientem.

14 *Diverte a malo. Et fac bonum :*
Inquire pacem. Et persequere eam.

H Diverte a malo et fac bonum, id est destrue vitia, et ædifica virtutes. Inquire pacem. C Nullus potest pervenire ad auctorem pacis, nisi hic diligentius per pura opera inquirat.

15 *Oculi Domini super justos :*
Et aures ejus in preces eorum.

C Cum dicit, oculi Domini super justos, continuam gratiam divinitatis ostendit. H Et aures ejus, quia quidquid sancti rogant de bono, exaudit Deus. C Quæ enim mora fiat ad audiendum, cum in ipsis habitet ipse Deus qui exaudit.

16 *Vultus ✣ autem : Domini super facientes mala :*
Ut perdat de terra memoriam eorum.

C Ne dicerent pessimi, Justos attendit, nos autem non respicit, securi faciamus, quia ab illo conspici non meremur, ideo pronuntiat, vultum Domini, id est intellectum vel considerationem esse super malos. De terra vero dicit eos disperdere, id est de futura patria, quam soli Deo placiti possidebunt. Peribit memoria eorum, quia non erit iniquorum inter justos ulla commemoratio. H Vel vultum hic furorem intelligimus, qui minando iram memoriam peccati a terra disperdit.

17 *Clamaverunt ✣ justi : et Dominus exaudivit ✣ eos :*
Et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

C Justos clamasse ad Deum dicit, et semper profitetur auditos, Martyres etiam (quos de suppliciis tyrannorum minime liberavit Deus) sunt exauditi et liberati, quando ad cœlorum regna perducti, omnibus tribulationibus probantur exuti.

18 *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde :*
Et humiles spiritu salvabit.

H C Juxta significat, non loco, sed auxilio. C Qui tribulato sunt corde, multi enim tribulantur, sed non ex corde, qui peccata non deflent, sed mundana eos damna contristant. H Humiles spiritu, id est mites, quos Christus salvabit, cœlestia regna tribuendo.

19 *Multæ tribulationes justorum*
Et de omnibus his liberavit eos Dominus.

C Multæ revera sunt tribulationes justorum, quia eos diabolus validius insequitur. Sed in hoc quo subditur, liberavit eos Dominus de omnibus his, ostenditur potentia Creatoris, quæ liberat justum ab omnibus tribulationibus. H Quia vero multæ tribulationes justorum, ideo qui tribulationem non patitur, justus non est.

20 *Custodit ✣ Dominus : omnia ossa eorum :*
Unum ex his non conteretur.

C Ossa dixit, fidelium in virtutibus firmitatem, id est patientiam et mansuetudinem, quæ perire in sanctis nequeunt, nec conteri a diabolo, quia Domino custode servantur.

21 *Mors peccatorum pessima :*
Et qui oderunt justum delinquent.

C Revera pessima est mors peccatorum quia eam æterna pœna comitatur. Pessima enim dicta, quasi *pessundata*, scilicet pœnis æternis. Et qui oderunt justum, H id est Christum, sine causa, delinquunt, id est, Deum derelinquunt odiendo bonum, et ita ad mortem æternam peccant. Vel justum, id est unumquemque sanctum.

22 *Redimet Dominus animas servorum suorum :*
Et non delinquent omnes qui sperant in eo

H Redimet Dominus, scilicet sanguine pretioso. C quia qui in ipso recte crediderit, a peccatorum debita captivitate redimitur. Animas frequenter

Scriptura divina ponit pro hominibus. Addidit servorum suorum, id est non iniqua libertate viventium. C Et non delinquet, scilicet *tanquam pastor bonus*. H Neque hic, neque in futuro, C qui sperant in eum, non in propriis viribus præsumentes.

ORATIO EX PSAL. XXXIII.

Angelorum et totius creaturæ dispositor, Deus, emitte angelum tuum in circuitu nostro, cujus ambitione muniti, mereamur a peccatorum morte pessima liberari. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XXXIV.

ARGUMENTUM PSAL. XXXIV.

C Christus de sua passione dicit ad Patrem, petens se ab inimicorum persecutione liberari.

TT. ✣ *Ipsi* ⁝ *David.*

C David (sicut diximus) duas significationes amplectitur, manu fortis et desiderabilis, quod utrumque Domino Salvatori certum est convenire.

1 *Judica, Domine, nocentes me :*
Expugna impugnantes me.

C Clamat Christus ex humana infirmitate, ut damnentur nocentes, id est, diabolus cum ministris, malos enim judicare damnare est. Qui impugnat superare contendit. Qui expugnatur, jam omnino victus est. Immundi spiritus impugnatores dicuntur, quia licet sanctos vincere nequeant, contendere tamen cum eis non desistunt.

2 *Apprehende arma et scutum :*
Et exsurge in adjutorium mihi :

C Arma ab *arcendo* dicta sunt, quod per ea hostes violentissimos arceamus ; per arma, cœlestia adjutoria ; per scutum, divina protectio designatur. Scutum enim dictum est quasi *sculptum*, quod in ipso antiqui facta sua signabant. Sola vero voluntas Domini est qua protegit periclitantem, et expugnat adversum.

3 *Effunde frameam et conclude adversus eos qui persequuntur me :*
Dic animæ meæ : Salus tua ego sum.

H Framea hic intelligitur anima Christi vel cujuslibet sancti, quia Deus per animam Christi fecit vindictam contra diabolum, et per animam cujuslibet sancti facit vindictam, sicut per Petrum fecit Ananiæ et Saphiræ (*Act.* v). Et conclude. Petit Ecclesia, ut concludat adversarios suos, ne valeant ad nocendum exire. Dic animæ meæ, ut te intelligat, quia tu salus ejus es.

4 *Confundantur et revereantur,*
Quærentes animam meam.

C Confundi, enim facta sua erubescere et in melius commutare. Nam licet confusi dicantur, qui convincuntur ad pœnam, tamen ut hic ad conversionem intelligeres confusionem petitam, addidit, revereantur, id est emendati diligant quem persequendum esse putaverant. Quærentes animam, in malam partem dicit, qui scilicet sic quærunt ut eam a corpore segregare festinent.

5 *Avertantur retrorsum et confundantur :*
Cogitantes mihi mala.

C Averti autem retrorsum, non dicitur nisi illis qui corrigendi judicantur, ut Petro : Redi retro me, Satana (*Matth.* XVI.) Qui cogitant sive de Judæis, sive de hæreticis, sive de paganis dixit, mala enim omnes cogitant, qui præter catholicam fidem aliqua, prava intentione docere festinant :

6 *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti :*
✣ Et ⁝ *angelus Domini coarctans ✣ eos* ⁝.

H Pulvis, leves et infructuosi homines dicti sunt, quia sicut pulvis a vento, sic peccatores a sententia divina in die judicii projiciuntur. Angelus Domini, id est spiritus malus, non natura, sed sua inventione. Coarctat eos, id est in quantum potest, persequitur eos, id est quantum sibi permittitur. Habet enim diabolus voluntatem nocendi, sed non habet potestatem faciendi.

7 *Fiat via illorum tenebræ et lubricum :*
Et angelus Domini persequens eos.

C Via, id est opera, tenebrosa illis fiant, ut horreant mala facere. Lubrica, ut in eisdem stare diutius non possint. Et si decreverint plus immorari virtus Domini persequatur eos, ita ut in sceleribus suis longius hærere non sinat, qui ad interitum festinant.

8 *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui :*
Supervacue exprobraverunt animam meam.

C Absconderunt mihi gratis, id est sine causa, scilicet Judæi, ut illi putabant. Qui enim divinitatis ejus potentiam non credebant, illi putabant se abscondisse interitum. Bene dictum est, interitum laquei sui, quia ille laqueus non morientis erat Domini, sed peccantis interitus. Supervacue, id est false exprobraverunt, quando Christo dicta sua veracia quasi aliquod crimen imputabant. H Et inutiliter egerunt, quia exprobratio ista nullam habuit utilitatem.

9 *Veniat illi laqueus quem ignorat : et captio quam abscondit apprehendat eum :*
✣ Et ⁝ *in laqueum cadat ✣ in ipsum* ⁝.

H Excidium illud minatur Propheta quod advenit Judæis in temporibus Vespasiani. Et captio, quam occultaverunt, apprehendit eos, id est mors repentina, quam Domino nostro moliebantur occulte.

10 *Anima autem mea exsultabit in Domino :*
Et delectabitur super salutari suo.

C Prima quippe sanctæ animæ beatitudo est exsultare in Domino. Delectabitur super salutare ejus. H Salutaris noster, Christus est, quia in eo delectabitur Ecclesia.

11 *Omnia ossa mea dicent :*
Domine, Quis similis tui.

C Ossa fortitudinem animi et constantiam mentis significant, quæ merito ossibus comparantur, quia sicut illa corpus, ita et hæc sanctas voluntates corroborant. C Quis, negativum est ; similis tui, H id est nullus. Quis potest similis esse Deo ?

12 *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus : Egenum et pauperem a diripientibus eum.*

C Eripuit Christus pene totum genus humanum, de illa potestate diaboli qui tunc per mundum regnabat. Homo enim erat inops : quia mortalis, egenus, quia in labore et sudore panem quæsivit. Pauper, quia de sapientia et puritate dejectus a diripientibus immundis spiritibus, solam tenuem et umbratilem ratiunculam possidebat.

13 *Surgentes testes iniqui : Quæ ignorabam interrogabant me*

C Nunc commemorat Christus de propria passione. Contra eum enim testes subito impetu consurgebant, revera iniqui, quia erant contra æquitatem locuturi. Addidit, ignorabam, id est ipsi narrabant illa quæ me dixisse omnimodis nesciebam.

14 *Retribuebant mihi mala pro bonis : Sterilitatem animæ meæ.*

C Retribuebant mihi mala pro bonis, quia cum Christus vitam credentibus contulerit, illi mortem e contra reddere maluerunt. Sterilitas animæ fuit, quando Magister bonus in ipsis fructum fidei reperire non potuit.

15 *Ego autem cum mihi molesti essent : Induebar cilicio.*

C Ego dum mihi molesti essent, id est dum Judæi essent molesti per contumelias et insidias Christo, induit se cilicio. H Id est divinitas carne, et de peccato damnavit peccatum (*Rom.* VIII). C Induit vero se carne divinitas, id est occultavit per carnis velamen se tenebrosis mentibus.

16 *Humiliabam in jejunio animam meam : Et oratio mea in sinu meo convertetur.*

C Jejunium dictum est enim quasi inedium, quod abstinentes diutius ad inediam usque perducat. Jejunavit Christus in monte quadraginta diebus (*Matth.* IV). Et oratio mea, id est dum fundebatur a Domino in cruce, et eam miseri Judæi minime suscipere mererentur, remeabat in sinum ejus, id est in secretum pectoris, unde fuerat egressa.

17 *Quasi proximum, quasi fratrem nostrum sic complacebam : Quasi lugens et contristatus sic humiliabar.*

C Mutatus est hic casus nominum, pro ablativis enim sunt accusativi positi. Dicit enim, quasi de proximo, quasi de fratre nostro ita mihi complacebam, id est de eorum conjunctione gaudebam, qui me hostiliter insequebantur. Complacebat enim in illis Domino, quando eos docebat non delinquere. Lugens et contristatus et humiliatus Christus erat, quia in cunctis Judæis, quos ut fratres et proximos dilexit, fidem invenire non potuit.

18 *Et adversum me lætati sunt et convenerunt : Congregata sunt super me flagella et ignoravi.*

H Lætati sunt Judæi, quando Christum comprehenderunt. Convenerunt, ut eum crucifigerent, non ut crederent. Congregata sunt flagella, ut Pilatus dixit : Emendatum eum, id est flagellatum, dimittam (*Luc.* XXIII). Et ignoravi, id est non habui conA scientiam peccati, propter quod flagellari vel crucifigi debuerim.

19 *Dissipati sunt nec compuncti : tentaverunt me. Subsannaverunt me subsannatione : Frenduerunt super me dentibus suis.*

H Dissipati sunt, a vinculo charitatis, nec compuncti ut agerent pœnitentiam. Tentaverunt multis modis Judæi Christum. Subsannaverunt dicentes : Ave, rex Judæorum. Frenduerunt, clamantes : Crucifigatur. Per motus corporis ostenditur motus animæ. H C. Stridunt sævi homines dentibus, quando ratione vincuntur, nam, cum eis pro veritate verba defecerint, impatienter dentibus fremunt, suasque voluntates tacita interminatione denuntiant.

20 *Domine, quando respicies : restitue animam meam*
B *a malignitate eorum : A leonibus unicam meam.*

C Quando respicies, pro consuetudine infirmitatis humanæ dicitur, cui morosum videtur quodcunque futurum est ; quæ mox, ut cupit, festinat aliquid impleri. Restitue, quasi ereptam animam redde. A malignitate, quia injuste probatur occisus. A leonibus, H id est a persecutoribus ; unicam, animam suam dicit ; quæ unica est sine peccato. C Vel unica, quia de Virgine natus unicus est, id est solum unus de virgine est natus. Vel, unicam, Ecclesiam suam.

21 *Confitebor tibi in ecclesia magna : In populo gravi laudabo te.*

C Duas esse diximus confessiones, unam laudis,
C alteram pœnitentiæ ; sed hic ad laudem pertinet Magna vero Ecclesia est populus Christianus, recta fide firmus. In populo gravi ; H quia non est levis ad peccandum, ideo firmus in fide. A Sic palea levis vento tollitur, granum manet, quia grave ; talis est bonus Christianus, quia granum est.

22 *Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique : Qui oderunt me gratis. Et annuunt oculis.*

C Non supergaudeant mihi, id est non insultent hæretici, quando aliquos de numero fidelium perdit sancta Ecclesia, quia hæretici semper adversantur Christo et Ecclesiæ. Qui oderunt me gratis, hoc est inaniter, quibus nihil nocui. C Annuunt oculis ; annuit oculis, quando hoc tacite et dolose vult aliquid
D declarare. H Sic fecerunt Judæi, quia nihil boni in opere ostenderunt. A Pronuntiabant vultu quod corde non gestabant.

23 *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur : Et in iracundia* ✠ *terræ* ⁝ *loquentes dolos cogitabant.*

H C Pacifice loquebantur dicentes : Magister, scimus quia verax es (*Matth.* XXII). C Et in iracundia, ut illud : Oportet unum pro omnibus mori (*Joan.* XI), quasi invidentes toti populo terræ. Potest enim aliquis dolum loqui, cum non cogitat occidere, ut si quis pecuniam proximo conatur auferre, propterea addidit, in iracundia terræ, ut dolus eorum exitialis fuisse declaretur.

24 *Et dilataverunt super me os suum :*
Dixerunt : Euge, euge viderunt oculi nostri.

C Dilataverunt os suum, postulantes aperta voce : Crucifige. Euge, ac si dicerent sibi in cruce : Bene bene videmus de te quid desideravimus efficere, ut prædicator plebis in cruce cum latronibus penderes. H Vel, euge, euge, id est bene bene vidimus nunc, quod virtutes, quas prius fecisti, nihil erant, quia teipsum in cruce juvare non potes. C Euge, vox irrisoria et insultatoria est. Ac si dicerent : Jam viderunt oculi nostri facta et mirabilia tua ; cur non descendis de cruce : sed jam videmus quod non potes.

25 *Vidisti, Domine, ne sileas :*
Domine, ne discedas a me.

C Vidisti, hoc est probasti quam crudelis exstitit mihi populus. Ne sileas, ne differas dare sententiam, B quod utique tacendo non potest fieri, sed loquendo.

26 *Exsurge et intende judicium meum*
Deus meus ; et Dominus meus in causam meam.

H Exsurge, *Domine*, id est discerne inter me et Judæos. Intende judicium meum, qualiter judicantes condemnaverunt me morti. Deus meus in causam meam. C Ista est causa sua, scilicet ut qui dare venerat salutem humano generi, ab insanis probaretur occidi. Intende judicium, A id est quomodo in laboribus et doloribus cruciatus sum. Sed quia et ista mali patiuntur, addit : intende in causam meam pro qua patior. Pœna enim similis est sceleratis et bonis, sed non eam. Martyrem ita quod non facit pœna, sed causa.

27 *Judica me secundum justitiam tuam, Domine,* C
Deus meus :
Et non supergaudeant mihi.

C Petit se judicari Christus secundum justitiam, id est secundum misericordiam, qui peccata non fecit, ut nobis ostenderet deprecationis exemplum. Ut non supergaudeant, id est non dicerent Judæi : potuimus, fecimus, egimus quod voluimus.

28 *Non dicant in cordibus suis : Euge, euge animæ nostræ :*
Nec dicant : Devoravimus eum.

C Non dicant : Euge, euge, id est bene bene ; ista verba sunt lætantium scelerata mente. H Nec dicant : Devoravimus eum, id est ne patefiat ultra os eorum ad me devorandum, id est me similem illis D deputandum. Devorat enim homo quod in os mittit, ita peccatores nituntur justos in suas nequitias trajicere, ut eis similes fiant, et unum cum eis corpus.

29 *Erubescant et revereantur simul :*
Qui gratulantur malis meis.

H Erubescant, id est Judæi persecutores et hæretici, qui gratulabantur : quando me persequebantur, hoc est, non solum persequentes me erubescant, sed et illis consentientes qui gratulantur, etc. Sic erubescant, ut proprios actus sponte damnent, ut sic convertantur. Et quia potest aliquis erubescere, et reverentiam non habere, addidit, revereantur simul, ut conversionis eorum indicia declaA raret. Reverentia est enim Domini timor cum amore permistus.

30 *Induantur confusione et reverentia*
Qui maligna loquuntur super me.

H Induantur confusione, id est confusione æterna. Unde dicit : Discedite a me, maledicti (*Matth.* XXV), ut qui me quasi hominem judicaverunt, videant ut Deum judicantem.

31 *Exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam :*
Et dicant semper : Magnificetur Dominus qui volunt pacem servi ejus.

H Exsultent, 1. sancti qui volunt Dei justitiam implere, ipsi exsultent et lætentur de remuneratione vitæ æternæ. Dicant semper, scilicet sancti, ut Dominus Pater magnificetur, ipse est pax nostra. C Quod autem dixit, servi ejus, ad humilitatis formam respicit, qui in assumpta carne (*Ephes.* II), secundum humilitatem servus Patris dicitur. Qui ergo volunt pacem Christo ? Illi scilicet qui a vitiis redduntur alieni.

32 *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam :*
Tota die laudem tuam.

H Lingua mea, sancti sunt ; illi meditabuntur mandata Dei. Tota die, toto tempore scilicet laudare Deum certent. C Quia semper Deum laudant, qui in omni voluntate sua divina jussa considerant.

ORATIO EX PSAL. XXXIV.

Protectio salusque animæ nostræ, operi nos galea spei, et scuto inexpugnabilis munimenti, ut a te in causis nostræ necessitatis adjuti, mereamur cum te diligentibus lætitia et exsultatione perfundi. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS XXXV.

ARGUMENTUM PSAL. XXXV.

C Propheta contemptores legis vehementer accusat, et sub laude Domini collata beatorum dona describit.

TT. *In finem servo Domini psalmus David.*

C Nam et in finem Dominum significat, et servo Domini de ipso dicitur, qui formam servi accipiens, factus est obediens usque ad mortem (*Philip.* II). Psalmus vero et David frequenti expositione jam noti sunt.

1 *Dixit injustus ut delinquat in semetipso :*
Non est timor Dei ante oculos ejus.

H Dixit injustus, id est decrevit peccare se debere. C Et ita ideo cogitat, ut sibiipsi licentiam tribuat peccandi. Non est timor Dei, id est, non putat curare Deum, ut homines debeant eum formidare. A Vel injustus quilibet dixit, id est, deliberavit, non in publico, sed semetipso : ibi proposuit, ubi homo non videt, et licet Deus videat, hoc non curat, quia non est timor Dei ante oculos ejus. Homines timet, ne publice profiteatur iniquitatem. Deum vero non timet, et ideo in corde ; ubi Deus videt, homo non videt, deliberavit, ut delinquat, id est peccet.

2 *Quoniam dolose egit in conspectu ejus :*
Ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

C Dolose egit in conspectu Dei, id est, in semet-

ipso quia non est timor, etc. H Diabolus videlicet et Judæi dolose egerunt in conspectu Dei. Vel ad Judam proditorem pertinet, quorum iniquitas ad odium inventa est. A Similiter omnium malorum invenitur iniquitas ad odium, quia odit Deus iniquitatem, dum eam perpetuo punit.

3 *Verba oris ejus iniquitas et dolus :*
Noluit intelligere ut bene ageret.

C Verba eorum sunt iniquitates et dolus, iniquitas pertinet ad blasphemiam, dolus in proximum decipiendum. Noluit intelligere, illos significat, qui ex aliqua parte, igniculum sapientiæ perceperunt, et a vero intellectu declinantes, suo vitio perversis erroribus se polluerunt.

4 *Iniquitatem meditatus est in cubili suo :*
Astitit omni viæ non bonæ : malitiam + autem ⁝ non odivit.

C Iniquitatem meditatus est, scilicet hæreticus, et errorem longa meditatione tractavit, libros faciendo perversos. H In cubili, in corde secreto, ubi animus bonum vel malum meditatur. Astitit omni viæ non bonæ, ideo ad nullum fructum justitiæ pervenire potuit. Malitiam non odivit, sed dilexit, A quod est summa malitia ; qui enim penitus non potest carere malitia, debet saltem mente odisse.

5 *Domine, in cœlo misericordia tua :*
+ Et ⁝ veritas tua usque ad nubes.

H Domine, in cœlo, id est, in sanctis angelis, qui in cœlo firmati fuerunt, et non ceciderunt. Vel in cœlo, id est Ecclesia. A Vel quolibet sancto est misericordia Dei causa quod cœlum est, et non est injustus, sicut ille, de quo dictum est : Et veritas tua usque ad nubes. C Id est, Christus in apostolis et in prophetis habitat, qui doctrina evangelica irrigant corda arentia, ut fructum dent fidei ; quæ steriles fuerant ariditate peccati. Christus enim veritas est, apostoli nubes.

6 *Justitia tua sicut montes Dei*
Judicia tua abyssus multa.

C Beatos apostolos montibus comparavit, qui capaces Domini justitiæ devotis sensibus exstiterunt. Abyssus hic in bonum posuit. Est enim profunditas aquarum abyssus, quam nec metiri, nec intrinsecus ex toto videre valeamus, sic divinam justitiam, nec mente complecti, nec ratione aliqua diffinire possumus.

7 *Homines et jumenta salvabis, Domine :*
Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.

H Homines et jumenta salvabit Dominus, id est, rationales et irrationales personas, regit et salvat. C Malos et irrationabiles, salutem temporalem sicut jumentis ; bonos et rationabiles, temporalem et æternam tribuendo salvat Deus. Vel bonos malosque salvas, cum pro omnibus Christum pati volueris. H Tunc multiplicata est misericordia Domini, cum nos proprio cruore redemit, ab initio quippe profluа fuit misericordia tua, sed tunc multiplicata.

8 *Filii autem hominum :*
In tegmine alarum tuarum sperabunt.

C Filii autem hominum sunt qui non sunt jumenta, sed rationabiliter vivunt, qui gratiam baptismatis consecuti, in novam progeniem renascuntur. H C Alæ vero Domini sunt præcepta Novi et Veteris Testamenti. C In quarum protectione omnis justus sperare cognoscitur, dum eis obedire ostenditur.

9 *Inebriabuntur in ubertate domus tuæ :*
Et torrente voluptatis tuæ potabis.

H Inebriabuntur, id est ipsi filii Dei a pinguedine *gratia* Spiritus sancti, ut habeant intellectum dogmatum ecclesiasticorum, ut, oblitis flagitiis, virtutibus impleantur. C Torrentem dicimus esse fluvium velocem, cui bene comparatur sapientia Christi, quia et subita est, et ita rapida, ut ad fidem quem vult sine ulla tarditate detrahat.

10 *Quoniam apud te est fons vitæ :*
Et in lumine tuo videbimus lumen.

H Quoniam apud te *est* fons vitæ, id est tu es, et apud te est origo omnium bonorum. Fons vitæ, doctrina Dei ; quæ animæ vita est. Lumen Patris Christus est, in quo videbimus lumen, id est Spiritus sancti illuminationem.

11 *Prætende misericordiam tuam scientibus te :*
Et justitiam tuam + his ⁝ qui recto sunt corde.

C Prætende dixit, id est longe lateque diffunde tuam misericordiam, ut possint scientes te in isto sæculo firmius ambulare. Rogat his justitiam, id est justam vitam permanentem, vel præcepta sua, ut ea vivendo teneant, qui recto sunt corde, id est qui hic recta mente præstante Domino vivere meruerunt, hoc est, qui cor suum in omnibus ad voluntatem Dei dirigunt.

12 *Non veniat mihi pes superbiæ :*
Et manus peccatoris non moveat me.

C Orat ut gressu mentis a justo tramite non recedat, ne in superbia erectus cadat. Pes autem pro affectu mentis est positus. Manus vero peccatoris est operatio male suadentis, quæ tunc nos a firmitate fidei movet, cum iniqua suasione nos sollicitat. Ideo vero timeo pedem superbiæ, quia ibi, etc.

13 *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem :*
Expulsi sunt nec potuerunt stare.

C Ibi, ubi superius dixit, in pede scilicet superbiæ et nequitia pravæ suasionis ceciderunt ; ac si diceret, in profundam foveam corruerunt dæmones, qui adhuc operantur iniquitatem, male suadendo in hominibus et ad superbiam semper inducentes. H Expulsi sunt, id est a regno Dei. C Nec potuerunt stare, quia non eis licebat Domini jussa differre, sed statim illic præcipitantur, ubi parata eis est flamma pœnalis. A Ibi quoque Adam cecidit et expulsus est a paradiso ; qui dicitur etiam adhuc operari iniquitatem, dum in peccato suo omnes nascimur. Nec diabolus, nec Adam potuerunt stare vi sua

ORATIO EX PSAL. XXXV.

Clarifica nos cœlesti misericordia, fons et origo

luminis sempiterni, ut ubertate domus tuæ repleti, omnem iniquitatem et dolum cum procacitate ferocis superbiæ renuamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

PSALMUS XXXVI.

ARGUMENTUM PSAL. XXXVI.

C Vox Ecclesiæ monentis, non imitandos malignantes : et de pœnis malorum ac præmiis beatorum.

TT. ✣ *Psalmus* ⁝ *David.*

H Psalmus iste personam justi glorificat, injusti notat, mores instruit, bonitatem Dei docet, pravitatem avellit.

1 *Noli æmulari malignantibus :*
Neque zelaveris facientes iniquitatem.

H Multas habet æmulatio interpretationes, tamen hic docet, noli particeps esse malignis, neque ad zelum, quia zelus ira est, neque ad invidiam; invidia enim livor est. Neque zelaveris, id est imiteris eos qui faciunt iniquitatem, qui per iniquas fraudes divitias congregant, honoresque requirunt.

2 *Quoniam tanquam fenum velociter arescent :*
Et quemadmodum olera herbarum cito decident.

C Fenum, pulchra est res dum floret, sed cum aruerit mutato protinus colore marcescit. Sic sunt impii, qui quasi florida lætitia relucentes præmaturo fine siccantur. Olera autem ab *olla* dicta sunt ubi collecta decoquuntur. Ostensum est enim hic cito impios cadere, per similitudinem feni et olerum.

3 *Spera in Domino et fac bonitatem et inhabita terram.*
Et pasceris in divitiis ejus.

C Admonet hic propheta, ut speremus in Dominum, hoc est introitus fidei, hoc initium salutis. C H Fac bonitatem, id est, adimple mandata. H Inhabita terram, hoc est dominare carni, non caro tibi. C Et pasceris, *ad saturitatem pertinet, et ad suavitatem perennem.* In divitiis, id est contemplatione Domini Christi. H A Vel in Scripturis sanctis.

4 *Delectare in Domino :*
Et dabit tibi petitiones cordis tui.

C Delectare cum dicit in Domino, suavem vult esse tibi ejus recordationem, ut ames quem times. Dabit tibi petitionem cordis, non carnis. Petitio cordis est, fides, charitas, intellectus Dei, et operatio bonorum actuum.

5 *Revela Domino viam tuam et spera in eum :*
Et ipse faciet.

C Velum quoddam est densitas peccatorum, unde via, id est, vita nostra, tenebroso amictu circumvestita est : hanc revelamus, quando delicta nostra promptissime confitemur. H Spera in eum, ut possit remittere delinquenti. Et ipse faciet id quod sequitur.

6 *Et educet quasi lumen justitiam tuam : et judicium tuum tanquam meridiem :*
Subditus esto Domino et ora eum.

C Educere enim est aliquid de tenebris ad lumen proferre, hoc est, de caligine hujus sæculi, ad illam claritatem futuri judicii perducere, ubi omnia palam fiant : et tunc justitia nostra humanis aspectibus apparebit. H Et judicium tuum, quo ea quæ bona sunt elegisti, tanquam meridiem, in pleno splendore gratiæ suæ revelabit coram angelis suis. Subditus esto Domino, non peccato, et ora eum pro delictis tuis.

7 *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua :*
In homine faciente injustitias.

H Noli æmulari in eo, id est, non te terreat impii felicitas brevis.

C In nomine faciente injustitias, id est nequitias, *scilicet cui actus turpis est*, et negotia feculenta.

8 *Desine ab ira, et derelinque furorem :*
Noli æmulari ut maligneris.

C Furor est enim, qui celeri motu animum succendit. Ira quæ diutius perseverat. Ergo utraque nos jubet deserere, per quæ ad culpam possumus pervenire. Noli æmulari ut maligneris. H Ne ipse nequam efficiaris, provocando alios ad nequitiam. C Nequitiam vero veteres definierunt, voluntariam esse malitiam, in quam non casu incidimus, sed delectatione versamur. Nequam enim dictus est nequaquam, id est nullo tempore aptus.

9 *Quoniam qui malignantur exterminabuntur :*
Sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.

C Exterminari est foras terminos projici, id est ab illa Dei civitate fraudari. Qui vero contra sustinent Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram viventium : quoniam despiciunt impiorum felicitatem, Domini judicium exspectantes, et patienter interim adversa sustinentes.

10 ✣ *Et* ⁝ *adhuc pusillum et non erit peccator :*
Et quæres locum ejus et non invenies.

C Pusillum enim a pugno dicitur, et exiguum aliquid parvulumque significat, quod contractis digitis manu possit includi. Et hic significat tempus, quod restat usque in diem judicii, quod comparatione præteritorum dierum, omnino parvissimum est. Et non erit peccator, non quia ipse qui peccaverit non erit, sed peccare jam desinit. Locum ejus, istum mundum significat, qui peccatores tantum demulcet, proprieque ipsis amicus est. H Vel locus ejus, delectatio peccati.

11 *Mansueti autem hæreditabunt terram :*
Et delectabuntur in multitudine pacis.

C Mansuetos autem appellamus manu consuetos, id est, patientes et mites. H Quos nullus turbo furoris exagitat. C Ipsi possidebunt futuram Hierusalem, et in ea permanebunt in sæculum sæculi. In multitudine pacis, pax futuri sæculi est, ubi nihil adversum, nihil potest esse contrarium.

12 *Observabit peccator justum :*
Et stridebit super eum dentibus suis.

C Observabit peccator justum, quando illum viderit sceleratus bonis moribus insudare. H Quia per opera sanctorum, ipsi cruciantur et torquentur in præsenti vita. Stridebit malitiæ et invidiæ dentibus quibus eum nititur devorare; per motum enim istum corporis, ostendit motum animæ. A C Observabit igitur quasi de occultis insidiis ut eum alliciat. Ideo vero occultis insidiis observat, quia dum videt justum, credit se ab eo accusari, conatur igitur justum ei similem facere. Quod si non potest, stridebit, etc.

13 *Dominus autem irridebit eum :*
Quoniam prospicit quod veniat dies ejus.

H Non quia Dominus aliquem irrideat, sed quia ipsi digni sunt, ut irrideantur in vindicta. Quoniam prospicit, hoc est Dominus scit quando veniet dies ultionis et perditionis ejus.

14 *Gladium evaginaverunt peccatores :*
Intenderunt arcum suum.

C Gladius peccatoris est quilibet dolus, alterius desiderans læsionem; quem educit ille, qui prava suasione desiderat decipere animas innocentes. Arcum autem tendere, est opere fraudulento exspectare tempus, quando possint simplices innocentesque decipere. A Gladius, apertam persecutionem, arcus vero occultam indicat; qui enim gladio pugnat, cominus; qui vero arcu, eminus pugnat.

15 *Ut decipiant pauperem et inopem :*
Ut trucident rectos corde.

H Ut decipiant pauperem, non divitem mundi, sed pauperem Christi. C Addidit rectos corde, hoc de martyribus potest intelligi, qui recti sunt corde, sed carne trucidantur. Pauper dicitur, qui sibi non sufficit. Inops qui nec opem habet ab alio, sive alienam.

16 *Gladius eorum intret in corda ipsorum :*
Et arcus eorum confringatur.

C Gladius enim dicitur, qui fit ad hostium clades. H Et significat vindictam in animas ipsorum. C Et arcus ipsorum, id est occulta malitia contra pios confringitur, quia non erit fidelibus in animæ parte nocitura. A Se enim mali prius in corde et anima lædunt quam justum in corpore et rebus exterioribus. In corde enim justum lædere non possunt. Quod si in rebus læsus justus fuerit, dicit : Melius, etc.

17 *Melius est modicum justo :*
Super divitias peccatorum multas.

C Modicum hic sentiatur humilitas, in qua, dum se animus noster custodit, mundi pretiosa transcendit. Divitiæ peccatorum sunt congregationes criminum. Unde æstimemus quantum sit melius illud modicum justi percipere, et molem tantorum scelerum non habere. Et vere multo melius, quoniam brachia, etc.

18 *Quoniam brachia peccatorum conterentur :*
Confirmat autem justos Dominus.

C Brachia peccatorum, perversas actiones signat A quæ conterentur, id est assidua tritura minuuntur. H Vel, fortitudo illorum conteretur in vindicta, ne innocentibus noceant. Justos autem confirmat Dominus in fide. H A Brachia, potentiam et fortitudinem peccatorum significat. A Confirmat justos Dominus per spem in adversis et per exempla, maxime crucis. Crux enim finita est in pœna, sed manet in gloria. A locis enim suppliciorum transiit ad frontes imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid faciet fidelibus suis

19 *Novit Dominus dies immaculatorum :*
Et hæreditas eorum in æternum erit.

C Dominus autem novit dies immaculatorum, id est vias qui eas condidit, quas humana ignorantia non potest intueri. Hæreditas est cœlestis Hierusalem, æterna pace ditissima, quæ in æternum erit, B quoniam sine fine præstatur.

20 *Non confundentur in tempore malo : et in diebus famis saturabuntur :*
Quia peccatores peribunt.

H C Malum tempus significat diem judicii. C Quando omnis caro sollicita actuum suorum retributionem compensationemque formidat, in isto tempore non confundentur immaculati. Dies famis, tempus hujus mundi significat, quando beati esuriunt justitiam, et saturabuntur per Scripturas sanctas et exempla Dominica. Peccatores peribunt, id est in illa judicatione damnandi sunt. A Vel tempus malum dicit tempus tribulationis hic, in quo boni spe saturantur futuræ pacis, peccatores vero hic saturati, C peribunt æterna fame cruciandi.

21 *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati :*
Deficientes quemadmodum fumus deficient.

H Inimici vero Domini, id est impii, ut honorificati fuerint in potestate terrena, et exaltati in vanam gloriam, mox, adveniente morte, omnis gloria eorum tanquam fumus aut nebula tabescit.

22 *Mutuabitur peccator et non solvet :*
Justus autem miseretur et tribuet.

H C Mutuabitur peccator, quando Dei beneficia diversa suscipit; et non solvet, hoc est, non dignas gratias agit Deo. Justus autem miseretur, quamvis hic pauca suscipiat, promptus tamen ad eleemosynas faciendas invenitur. D

23 *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram :*
Maledicentes autem ei disperibunt.

C Nam qui benedicunt Dominum, id est qui in omnibus gratias referunt, et ejus mandata custodiunt, terram illam viventium accipiunt possidendam. Maledicentes, id est blasphemi, vel Dei legibus inobedientes, ab illa patria submoventur.

24 *Apud Dominum gressus hominis dirigentur :*
Et viam ejus volet.

H Apud Dominum gressus, id est sensus uniuscujusque hominis, a Domino dirigentur. Et viam ejus scilicet Dei volet, ut ad se veniat, qui est via, veritas, et vita (*Joan.* XIV). Gressus dicit opera et affectus, quos dirigit Deus. A. Et per hoc quod dirigitur

vult justus viam Dei : quamvis dura sit. Via vero terræ non est dura, sed plena latronibus. Via autem Domini tuta, quamvis dura. Vel viam justi hominis volet, in qua cum ceciderit, etc.

25 *Cum ceciderit non collidetur :*
Quia Dominus supponit manum suam.

H Cum ceciderit, propter infirmitatem carnis, quia septies in die cadit justus et resurgit (*Prov.* XXIV), non collidetur, quia Dominus agenti pœnitentiam statim miseretur. Sicut David et Petrus cognitum delictum purgaverunt lacrymis, et a Domino confirmati sunt.

26 *Junior fui etenim senui : et non vidi justum derelictum :*
Nec semen ejus quærens panem.

A C Junior fui, vox Ecclesiæ, quando initia legis naturalis in ipso protoplasto primæva suscepit. Senuit, quando ad honorabilem pervenit ætatem, cum novissimis temporibus suscipere meruit Dominum Salvatorem. H A C Semen, opera hominis diximus esse, quæ seminat et metet. H C Ergo opera justi non quærunt panem, hoc est verbum Dei, quia verbo Dei satiatus est, et quo intus revera vivit et pascitur. A Loquitur enim hic Ecclesia quasi unus homo. H Vel David loquitur, qui parvulus fuit in malitia : senex in virtutibus.

27 *Tota die miseretur et commodat :*
Et semen illius in benedictione erit.

H Omni tempore miseretur a Domino et commodat, qui aliis ministrat doctrinam suam. Et semen ejus, opera quæ gessit, vel doctrina quam docuit, a Domino benedicentur.

28 *Declina a malo et fac bonum :*
Et inhabita in sæculum + sæculi ⁝

H Declina a malo, id est, a malo opere, et fac bonum quod præcepit Deus. Inhabita in unitate fidei. C Sæculum vero sæculi significat æternum regnum quod nulla successione mutabitur.

29 *Quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos :*
In æternum conservabuntur.

H Quia Dominus amat judicium, scilicet justum : quo justos impiosque discernit. Et non derelinquet sanctos : qui in eum tota spe confidunt, qui conservabuntur in æternum, hoc est in perpetua vita.

30 *+ Injusti punientur ⁝*
Et semen impiorum peribit.

H Injusti punientur in vindicta. Peribit semen, hoc est opera eorum cum ipsis punientur in tormentis, et vanitas et delectatio in peccatis quæsita evanescet.

31 *Justi autem hæreditabunt terram :*
+ Et ⁝ inhabitabunt in sæculum + sæculi ⁝ super eam.

H Justi autem possidebunt terram viventium. Et inhabitabunt illam, quæ est sine fine, de qua fugit dolor et gemitus (*Apoc.* XXI).

32 *Os justi meditabitur sapientiam :*
Et lingua ejus loquetur judicium.

H Os justi meditabitur sapientiam, id est Christum. C Per os enim cogitationes debemus hic accipere, quia sicut cor meditabitur sapientiam, ita lingua loquetur per cuncta justitiam et judicium ; H hoc autem fiet : cum omnia mensurate, et non fraudulenter, neque cum ira, sed cum justo judicio quæ de Deo sentit enarrat, quod erit in patria beatorum.

33 *Lex Dei ejus in corde ipsius :*
+ Et ⁝ non supplantabuntur gressus ejus.

C Lex Dei ejus, hoc enim pronomen : gratiam indicat Domini Salvatoris. Nam cum sit omnium Deus : ipsius tamen proprie dicitur, quem liberare dignatus est. In corde ipsius, universum beati sensum tali bono signat completum esse, scilicet in eo quod cor consonat linguæ, ut lex Dei non solum in ore, sed etiam sit in corde, et omni sensu. Hujus gressus supplantare nullus prævalebit. Supplantare enim dicimus plantis foveas prætendere, ne possit incidens firmum reperire vestigium, hoc nullatenus constat esse faciendum, ubi secura et æterna sunt omnia. A Quia verbum Dei in corde custodit a laqueis bonus custos, Christus in corde.

34 *Considerat peccator justum :*
Et quærit mortificare eum.

H Considerat peccator justum, intuebatur enim populus Judæorum justum Filium Dei : et stridebat in eum, et quæsivit perdere eum, quia gravis erat doctrina ejus ad audiendum eis, et ipse etiam ad videndum. Sic et nunc inimicus considerat unumquemque nostrum ut perdat, sed si vigilanter resistas : evenit quod sequitur.

35 *Dominus + autem ⁝ non derelinquet eum in manus ejus :*
Nec damnabit eum cum judicabitur + illi ⁝

H Sicut non dereliquit justum Dominus in manibus Judæorum, id est in potestate eorum, ita quemlibet justum non derelinquet in potestate peccatorum secundum animam, ut animæ noceant, id est ut malis in malo consentiat. Nec damnabit eum, C id est justum cum judicat impium : sed discretione meritorum, justum suscipiet, impium debita pœna torquebit.

36 *Exspecta Dominum et custodi viam ejus : et exaltabit te + ut ⁝ hæreditate capias terram :*
Cum perierint peccatores videbis.

H Exspecta Dominum, id est patienter age sive in prosperis seu in adversis. C Qui vias Domini custodis, hoc est sacratissima præcepta. H Et exaltabit te, ut hæreditate capias terram illam beatitudinis, in qua justi exaltabuntur. C Tunc justi videbunt peccatores perire, quando conspecta fuerit pœnalis adversitas, et illis pereuntibus, se in summa beatitudine videbunt collocatos.

37 *Vidi impium superexaltatum :*
Et elevatum sicut cedros Libani.

C Vidisse impium se dicit, id est crevisse, non ad

honorem : sed potius ad ruinam. Et ne putares eum tantum supra humiles erectum, addidit, et elevatum sicut cedros Libani : cujus profectus in honore et divitiis et potestate ideo tantum extollitur, ut ejus irremediabilis ruina monstretur. H Hoc de diabolo fas est intelligi, nec non et Juda. Et si de Juda exponitur, sequens versiculus sic exponitur.

38 *Et transivi et ecce non erat :*
Quæsivi eum et non est inventus ✣ locus ejus.

H Et transivi, dicat hoc apostolicus cœtus. Transivi tempore passionis Jesu : et illo resurgente, non erat Judas, quia abiit et laqueo se suspendit. Quæsivi et non est inventus, scilicet ipsius impii locus apostolicus, qui tanta velocitate deficiebat. Sed dum de Juda exponitur, per cedros apostoli intelliguntur ; et quando de diabolo, per cedros angeli signantur. Dum vero de divitibus impiis vel potentibus exponitur (qui relicto Deo in divitiis mundi confidunt, qui quamlibet floreant, quamlibet extollantur et eleventur, non invenientur, cum ab hoc mundo migraverint), tunc per cedros mali intelliguntur in hoc mundo elevati. Sicut enim cedrus super excelsos montes apparet exaltata, et impulsu ventorum sæpe dilabitur, ita et impius, locus impii impietas est.

39 *Custodi innocentiam et vide æquitatem :*
Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

H Custodi innocentiam, si nullum noceas et cum nullo litigiosus eris, videbis Christum qui æquitas intelligitur, sicut via et veritas et vita. C Reliquiæ sunt homini pacifico, quando spes ejus Domini remuneratione peragitur, id est impletur quod speravit. Reliquiæ igitur sunt, quæ post mortem relinquuntur. A Relinquit vero justus post mortem memoriam justitiæ suæ bonam, et Deus sibi relinquit præmia æterna. C Pacificus vero dicitur, qui inter discordantes pacem facit.

40 *Injusti autem disperibunt simul :*
Reliquiæ impiorum interibunt.

C Justi autem, etc. Nam sicut justi post hanc vitam gratulantur, ita injusti finita ista luce peribunt. Reliquiæ, ut dictum est, significant memoriam justorum, quam in hoc mundo post obitum derelinquunt, hoc mereri impii nullatenus possunt, quoniam, superveniente interitu, falsa laus et fragilis vita dissolvitur. A Reliquiæ quoque eorum, id est terrena interibunt omnia.

41 *Salus autem justorum a Domino :*
✣ Et protector eorum in tempore tribulationis.

H Salus *autem a Domino* venit, quia ipse est salus nostra. C tempus quidem tribulationis est duplex, nam hic tribulatio temporalis est, sed in judicio extremo est æterna ; illa igitur mala est, quia æterna quæ in die judicii impiis venit. In hoc ergo tempore tribulationis, protector est Christus, quia ex ipsa eripit justos.

42 *Et adjuvabit eos Dominus ✣ et liberabit eos :*
et eruet eos a peccatoribus :
✣ Et salvabit eos : quia speraverunt in eo.

C Et adjuvabit eos, id est fideles famulos in hoc mundo adjuvat, quando contraria colluctatione fatigantur ; liberat, dum fidem illorum non sinit prava suasione perverti. *Eruet* utique, dum in mundi istius contrarietate servat illæsos. Quoniam speraverunt in eum, id est spem suam in Domini pietate posuerunt.

ORATIO EX PSAL. XXXVI.

Beatitudo omnium non incerta justorum, Deus (qui sanctos tuos non derelinquis in fame, nec in stadio tribulationum superari permittis), precamur ut ea nos munias dextera, quam illis ne corruant, velociter porrigis præparatam. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XXXVII.

ARGUMENTUM PSAL. XXXVII.

C Vox pœnitentis misericordiam benigni judicis deprecantis, qui se corpore sauciatum et animo, amicorum exprobratione dicit esset confusum.

TT. *Psalmus David in commemorationem ✣ de Sabbato :*

C Dicendo in commemoratione, hoc titulus iste pronuntiat, ut quia peccatum effugere non valeamus, certe ipsum delictum in commemoratione semper habere debeamus, ut nos a futuris culpis Deo adjuvante temperemus. H Sabbatum *requies* interpretatur, id est quando requiescet Ecclesia in paradiso, quem perdidit Adam.

1 *Domine, ne in furore tuo arguas me :*
Neque in ira tua corripias me.

H Totus iste psalmus ex persona pœnitentis est, sed et ad Christum referri potest, sicut et sexagesimus octavus. Furor, vindicta irrationabilis cum fellis amaritudine. Ira vero tantum commotio animæ. Ideo iste pœnitens qui se peccatorem scit, non in ira, sed per misericordiam, nec in furore, sed per patientiam se argui postulat.

2 *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi :*
Et confirmasti super me manum tuam.

H Sagittæ, verba doctrinæ sunt, quæ ut jaculum verberant cor pœnitentis, ut agat pœnitentiam. Confirmasti, etc., ut tanquam bonus magister, verberibus castigatum redderes emendatum.

3 *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ :*
Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

H Non est sanitas a facie iræ in carne mea, id est vidi faciem iræ tuæ : et non ipsam iram, hoc est, intellexi per Scripturas sanctas, quanta minabaris peccatoribus, et extimui, petens ne ipsa ira super me descenderet. Non est pax ossibus meis, id est nullam quietem indulsi vel ossibus vel membris meis, antequam pœnitendo mentem purgarem.

4 *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt ca, ut merum :*
Sicut onus grave gravatæ sunt super me.

C Iniquitates nostræ elevant se super caput nostrum, quando amplius cumulantur, quam ratio quæ est caput mentis sufferre valeat ; quam si iniquitas

oppresserit, illa protinus victa succumbit. H Sicut onus grave, quia non est leve onus peccati, sed omnibus debet esse grave, quia omnibus grave judicii onus imponit.

5 *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ :*
A facie insipientiæ meæ.

H Computrescunt mihi et fetent vulnera peccatorum, quousque in peccatis jaceo, et nunc desideranter quæro medicum per pœnitentiam. C Cicatrix est dicta, quod in se vulnus celatum ostendat, significans occulta peccata. H Quæ contingit hominem propter suam insipientiam celare.

6 *Miser factus sum et curvatus sum usque in finem :*
Tota die contristatus ingrediebar.

H Miser factus sum, usque dum confitendo purgarer, quia sine confusione et mœstitia non dimittuntur peccata. Contristatus, id est indignum me existimans, vel ad cœlum oculos levare, sed pectus meum percutiens, ibam ; Deus, propitius esto mihi peccatori (*Luc.* XVIII).

7 *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus :*
Et non est sanitas in carne mea.

H Illusionibus illis confitetur se pœnitens esse repletum atque infirmatum, quibus diabolus humanum genus quotidie illicit et suadet, ut delinquat. Per lumbos voluntatem corporis designat titillantem, id est carnis appetitum.

8 *Afflictus sum et humiliatus sum nimis*
Rugiebam a gemitu cordis mei.

H Afflictus sum et humiliatus ad pœnitentiam nimis, rugiebam, petens remissionem cum luctu. C Aliud est gemitus corporis, aliud cordis. Gemitus corporis, propter res terrenas. Gemitus cordis, propter sua peccata et aliorum. C Rugire autem, proprie belluarum est, leonum scilicet. A Vel afflictus sum et humiliatus nimiis miseriis et calamitatibus propter peccatum, ideo rugio.

9 ✠ *Domine ; ante te omne desiderium meum ·*
Et gemitus meus a te non est absconditus.

C Tale fuit desiderium ejus, ut ante Deum esse mereretur, *Dominus enim quidquid non aspernatur, amplectitur* ; ille enim gemitus non absconditur a Deo, qui pius est, et pro animæ liberatione persolvitur. Dictus est autem gemitus quasi geminatus luctus, quia fit pro exprimendo magno dolore.

10 *Cor meum conturbatum est : dereliquit me virtus mea :*
Et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

C Nunc venit ad gravissimos dolores animi, decursis corporeis ærumnis. Ideo conturbatum esse suum cor dicit, quia virtus eum deseruit ; dicit ergo, Dereliqnit me virtus mea, A quam habui ante peccatum. Cur vero virtus me dereliquit, quia et lumen, etc. Lumen oculorum suorum non esse secum narrat. H Quia, postposito veritatis lumine, in tenebras deciderat peccatorum.

11 *Amici mei et proximi mei.*
Adversum me appropinquaverunt et steterunt.

A Hactenus confessus est quæ patitur a se intus, A nunc dicit quæ foris patitur ab his inter quos habitat. C Amici sunt extranei sanguine, sed charitate conjuncti. Amicus enim dictus quasi *animi æquus*, id est similis. Proximi sunt autem qui nobis parentela sociantur. H Potest amicus et proximus de discipulis accipi, qui in passione Christi territi, in tantum a Domino recesserunt, ut ipse Petrus negaret. Exponant alii deinceps de pœnitente, ego ab illo passu usque ad finem : video Dominum meum Jesum a Judæis circumdari.

12 *Et qui juxta me erant a longe steterunt :*
Et vim faciebant qui quærebant animam meam.

H Steterunt de longe discipuli Christi, de quibus evangelista ait : Stabant noti ejus a longe (*Luc.* XXIII). Sed vim faciebant Judæi. C Vel diabolus cum ministris, B qui quanto eum videbant in Dei amore persistere : tanto ei mortem animæ nitebantur inferre.

13 *Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates :*
Et dolos tota die meditabantur.

H Multos quidem dolos meditati sunt, cum interrogarent si deprehensa mulier lapidari debuisset (*Joan.* VIII), et si liceret dare censum Cæsari (*Matth.* XXII), et similia facerent, sed tunc aperte dolum inierunt, cum falsos testes adducunt. Locuti sunt vana : In Beelzebub ejicit dæmonia (*Luc.* XI).

14 *Ego autem tanquam surdus non audiebam :*
Et sicut mutus non aperiens os suum.

H Semper quasi surdus sustulit Christus exprobrationem Judæorum, et tanquam mutus, dicente Pilato : C Mihi non respondes ? (*Joan.* XIX.) C Nihil potest esse fortius, nihil egregius quam audire noxia, et non respondere contraria.

15 *Et factus sum sicut homo non audiens.*
Et non habens in ore suo redargutiones.

H Sic tacuit Christus accusatus a Judæis quasi non haberet quid pro se respondere deberet, exemplum tribuens homini, ut flagella pro Deo patienter portare debeat, ideo non redarguit se injuste increpantes.

16 *Quoniam in te, Domine, speravi :*
Tu exaudies me, Domine Deus meus.

C Ideo petitionem suam exaudiendam dicit, quia se in Deum sperasse confidit, talis sanctorum voluntas, tale fixa mente consilium, ut non emolimento D aliquo præsentis temporis, sed tantum dilectione Dei capiantur.

17 *Quia dixi : Nequando supergaudeant ✠ mihi ; inimici mei :*
Et dum commoventur pedes mei super me magna locuti sunt

H Insultarent inimici Christo gaudentes, si in passione humiliatus non surrexisset. Pedes dicuntur commoveri, id est apostoli de fide ad infidelitatem commoti. Magna locuti sunt Judæi dicentes : Si Filius Dei es, descende de cruce (*Matth.* XXVII).

18 *Quoniam ego in flagella paratus :*
Et dolor meus in conspectu meo semper.

H Paratus est Christus ad flagella sustinenda,

crucem, lanceam, fel, acetum, ut per hanc mortem suo sancto sanguine pereuntem populum liberaret. Et dolor meus, quasi dolere Christum dictum est, donec ejiceret suam victoriam in judicium contra Judæos.

19 *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo*
℣ *Et* ⁝ *cogitabo pro peccato meo.*

H Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, id est *sicut maledictioni Christus subjacuit, ut nos a maledicto* erueret (*Gal.* III), ita et peccatorem se profitetur, qui peccata nostra *portaret*. Et cogitabo Cogitabat enim ut clementi cogitatu humani generis delicta, quæ sibi computavit, in semetipso purgaret.

20 *Inimici autem mei vivent et confirmati sunt super me :*
Et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

H Vivent inimici ejus, quia non sunt statim divina ultione puniti. Confirmati sunt in legis littera, in qua spiritaliter nuntiatum non intellexerunt. C Vel confirmati sunt in malitia. Multiplicati sunt in amplitudine seminis, qui oderunt Christum inique. H Et certe non rationabiliter, sed inique oderunt, qui in hac littera semen suum, ceu astra cœli multiplicari credebant.

21 *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi :*
Quoniam sequebar bonitatem.

H Retribuebant mala pro bonis, quia afferentem dulcedinem vitæ æternæ aceto potaverunt et felle. Detrahebant mihi dicentes : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere (*Matth.* XXVII). Quoniam sequebar bonitatem, ut implens voluntatem Patris, pro vita populi susciperem mortem.

22 *Non derelinquas me, Domine :*
Deus meus, ne discesseris a me.

H Non derelinquas me, inquit Christus, cum penetravero profunda inferni. C Vel *hoc petit* pœnitens, ut non conversus relinquatur a Deo iterum peccare. Nec etiam a me discedas, quia necesse est, absente te rectissima via semper errare.

23 *Intende in adjutorium meum :*
Domine, Deus salutis meæ :

H Intende ergo dicit in adjutorium. Quia graves sunt pugnæ carnis, tu intende in adjutorium meum, et esto nobis salus in tempore tribulationis. C Ecce regula pœnitentis impleta est, qui gratia Dei se salvatum exsultat.

ORATIO EX PSAL. XXXVII.

Emitte salutare tuum in infirmitatibus nostris, vulnerum cicatricumque mortalium, potentissime Medicator, ut omnem gemitum doloremque nostrum coram te deplorantes, valeamus evincere insultationes adversantium vitiorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XXXVIII.

ARGUMENTUM PSAL. XXXVIII.

C Vox justi contra inimicos utiliter tacentis et petentis cognoscere vitæ suæ finem, si forte incarnationem Domini intueri possit : petentisque sibi noxia delicta dimitti.

TT. In finem pro Idithun.
Canticum David.

C In finem quid significet, jam notum est. Idithum Hebræum nomen est, quod Latine dicitur *transilitor*, signans eum qui mundi istius varicata vitia sua puritate transcendit. Canticum vero humanæ vocis divina laus lætantis est, quandoque et dolentis, nunquam vero pœnitentis.

1 *Dixi : Custodiam vitas meas.*
Ut non delinquam in lingua mea.

C Dixi, hoc est, apud me in corde meo deliberavi; custodiam vias, non dicit a criminibus, quia jam sanctus erat, sed a superfluis verbis, quæ raro potest vitare vel continens, facilius enim culpa tacendo refugitur quam loquendo. H Vias, vero dicit actiones et verba.

2 *Posui ori meo custodiam :*
Cum consisteret peccator adversum me.

C Dicitur os esse ostium linguæ, et bene illa clausa salvabitur si ejus janua custoditur. Dum consistit, peccator, H id est diabolus, qui instigator est eorum qui sanctis insidiantur. A *Silui vero a bonis annuntiandis propter calumniatores verborum meorum.*

3 *Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis :*
Et dolor meus renovatus est.

H Obmutui, ne cum litigantibus mecum litigarem. C Humiliatus autem significat humi prostratum contra eorum improperia siluisse. Siluit a bonis, quia malorum mos est, quamvis nova audiant, nullatenus acquiescant. Dolor ejus renovatus est, id est dolor pietatis, quo bona tacuit malis auditoribus. A Dolor enim qui fuit in loquendo, a quo quievit silendo, renovatus est ex silentio, quo negavit conservis cibaria vitæ et verbum Dei.

4 *Concaluit cor meum intra me :*
Et in meditatione mea exardescet ignis.

C Concaluit (dixit) cor meum, id est ab omni parte succensum est. H A recordatione delictorum propriorum. C Intra me, in homine interiore, ubi ratio tacite loquitur. Et in meditatione mea. H Quid meditaris? Istud inquam qualiter illum ignem reperire possim, scilicet sancti Spiritus qui peccata consumit et illuminat mentem. A Vel quia vidi ex omni parte pericula, et loquendo tacenda, et tacendo loquenda, cœpit cor meum inquietum esse, et calore fervere divino

5 *Locutus sum in lingua mea :*
Notum fac mihi, Domine, finem meum.

C Proclamavit Propheta conscientiæ lingua veraci Domino, qui siluerat prius dolosis inimicis. Petit ergo meditatione æternorum accensus, ut finem suum noverit, id est Salvatorem. Ipse enim noster finis est, ad quem pervenisse, vita est. H Non enim istius vitæ finem quærit sibi notum fieri Propheta, sed illum, in quo destructa morte Christo jungatur.

6 *Et numerum dierum meorum. Quis est?*
Ut sciam quid desit mihi.

C Deinde desiderat Propheta scire numerum dierum, id est ut evidentius appareret, si Christi conspectum corporeis oculis mereretur aspicere. Addidit, ut sciam quid desit mihi. Revera deesse sibi judicabat ad vitam, si ejus non meruisset videre præsentiam. H Quod autem non de suis diebus hæc loquatur, sequentia docent.

7 *Ecce mensurabiles posuisti dies meos :*
Et substantia mea tanquam nihilum ante te.

H Secundum veterem hominem : usque nunc fuerunt dies mensurabiles, hoc est sub jugo peccati. Nunc novo desiderio unum æternum immensurabilem diem appeto, quem Abraham vidit et gavisus est (*Joan.* VIII), in quo alibi hortamur lætari, in quo Deus Dominus illuxit nobis (*Psal.* CXVII). C Merito substantiam suam dicit nihil esse ante Deum, quæ Adam peccante damnata est, cui nisi aliquid divinitas contulerit, de propria substantia non habet quod præsumat. A Dicit vero ante te, id est in comparatione ad tuam substantiam, vel ante cognitionem tuam, et in cognitione et illuminatione tua. Ante homines enim aliquid videtur, sed ante te, tanquam nihil in comparatione æternitatis.

Verumtamen universa vanitas :
Omnis homo vivens. *Diapsalma.*

C Vanitas enim (sicut sæpe diximus) mutabilitatem significat, quam omnis homo præter Christum sustinet, qui hac carne vestitus est. Intellige vero non mutationem corporis, quam etiam Christus sustinuit, sed mentis instabilitatem.

9 *Verumtamen in imagine pertransit homo :*
Sed et frustra conturbatur.

C Verumtamen in imagine pertransit homo. Imago Dei est illa conditio, quam homo suscepit, quando dictum est : Faciamus hominem ad imaginem nostram (*Gen.* I). Et bene dixit : frustra conturbatur, quia puritatem mentis perdunt, qui desideriis temporalibus occupantur, hoc est enim conturbari a puritate mentis in actibus sæculi deduci; et hoc frustra, quia sine utilitate, imo cum damno anima.

10 *Thesaurizat :*
Et ignorat cui congregabit ea

H Sæpe enim plerique thesaurizant et congregant multa, quæ aut desidia filiorum perdit, aut fiscus occupat, aut diripiunt alieni. Beatus autem est ille qui ibi thesaurizat ubi audire mereatur : Quandiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis (*Matth.* XXV). Ubi fures non furantur, nec effodiunt (*Matth.* VI).

11 *Et nunc quæ est exspectatio mea, nonne Dominus?*
Et substantia mea apud te est.

C Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? pronuntians sibi esse exspectationem Dominum Christum, nec in caducis desideriis aliam habere se præsumptionem, nisi illum solum. Substantia, in bonam partem dicit, quæ ante Christum esse memoratur, ubi nihil est nisi perfectum. A C Dicit vero substantiam non ab Adam contractam, aut temporalium rerum, sed bonæ conscientiæ possessionem; illa apud Deum est, apud homines non est, quia ab eis non videtur.

12 *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me :*
Opprobrium insipienti dedisti me.

H Petit se eruere ab iniquitatibus præteritis, præsentibus et futuris. C Sanctus enim vir opprobrium erat stultis, quia sibi dissimilem respuebant. Sola enim ea scelerati laudant quæ videntur habere communia. A Quia omnia, quæ hic homines cupiunt, dico vana, et ignorare avaros cui congregent et thesaurizant, derideor ab eis, et facis me opprobrium insipienti avaro. Et quanquam me sic delirare diceret, tamen obmutui.

13 *Obmutui ÷ et ⁝ non aperui os meum : quoniam tu fecisti :*
Amove a me plagas tuas.

C Obmutui, scilicet in salubri silentio, quod cœlestis largitas concessit. Quoniam tu fecisti, ipse utique fecit, qui patientiæ dona dedit. Plagæ sunt correptiones, quibus pro nostris peccatis verberamur, ipsas desiderat sanctus vir a se amoveri, quæ culpis debebantur commissis.

14 *A fortitudine manus tuæ ego defeci :*
In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem.

C Fortis enim manus graviter flagellat, et necesse erat *quemlibet* illum deficere, quem manus excelsa percuteret. H Incumbente etiam manu vindictæ, virtus delicti deficit, ut Paulus ait apostolus : Cum infirmor tunc potens sum (*II Cor.* XII). Increpatur omnis homo propter iniquitatem, quem perdere non vult divina majestas.

15 *Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus :*
Verumtamen vane ÷ conturbatur ⁝ omnis homo.
Diapsalma.

H Tabescit anima, cum caro luxuriis et concupiscentiis refrenatur. Est enim tabescere, obstupescere de anterioribus delictis. Ille vero qui ea agit, quæ mundanæ vanitatis sunt, telas texit araneæ, hoc est die noctuque in opere vano vacat, et non utilia sed dissolubilia et corruptibilia operatur. Sed quia Propheta animam ceu araneam tabescere dicit, hoc est intelligendum, ut ad tantam subtilitatem afflicti anima vigiliis et obsecrationibus per abstinentiam decoquatur, ut instar filorum illorum deducatur, scilicet ut nihil crassum durumve peccati contineat. *Qui in vanitatibus vivit*, vana est ei et non utilis hæc mundana conturbatio. Sed et qui in Deo vivit, vana est ei et non utilis hæc mundana conturbatio.

16 *Exaudi orationem meam, Domine et deprecationem meam :*
Auribus percipe lacrymas meas.

17 *Ne sileas quoniam advena ego sum apud te :*
Et peregrinus sicut omnes patres mei.

C Prius itaque orationem dixit, post deprecationem. Oratio est *oris ratio*, quam proni referimus,

vota nostra pandentes. Deprecatio est frequens et assidua supplicatio, quæ ab imo pectoris profertur arcano. Addidit lacrymas, quæ violentæ sunt semper in precibus, et ad clementiam medicinalem adducunt animum miserantis.

C Ne sileas dixit, id est audiam te dicentem: Dimissa sunt tibi peccata. *Incola* vero dicitur qui terram colit alienam ad tempus, sicut omnes sancti in isto sæculo constituti. H Quia et illi, dum erant in corpore, peregrinabantur a Domino (*II Cor.* v). C Omnes enim a divina civitate nos peccatum fecit extraneos, et in ista regione tenuit captivos. Omnis etiam qui recipitur in æternam beatitudinem, peregrinus dicitur, quia incipit esse ubi non erat. Peregrinus dicitur, quasi pergens longius. A Vel, peregrinus dicitur hic vivens, quia etiam apud B Deum est in fide et charitate. C Addit omnes, ne quis ab hac conditione putaretur exceptus

18 *Remitte mihi ut refrigerer, priusquam abeam:*
Et amplius non ero.

C Merito ergo se refrigerari de securitate regni cœlestis petebat: qui tanti desiderii calore flagrabat. Addit priusquam eam, id est antequam de ista luce discedam. Amplius non ero, scilicet in hoc mundo, vel non ero post mortem, si hic desinas subvenire, quia non est esse, in æternis afflictionibus permanere. Merito ergo dicebat se non esse, si se intellexisset non habere cum electis portionem, A quia illi soli sunt qui immutabiliter in Deo beati sunt. Qui igitur in inferno sunt, in comparatione illius esse non sunt, quia in æterna corruptione et dolore non C finiendo sunt.

ORATIO EX PSAL. XXXVIII.

Custodi, Domine, viam nostram, ne delinquamus in lingua, ut in meditationibus nostris spiritali igniculo ardescente, ea thesaurizemus in sæculo, quæ te tribuente capiamus in cœlo. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS XXXIX.

ARGUMENTUM PSAL. XXXIX.

C Vox Ecclesiæ gratias agentis, quia de mœrore mundi liberata est, ipseque Dominus sanctam incarnationem et justitiam suæ prædicationis exponens, Patris auxilium deprecatur.

TT. *In finem psalmus David.*

C Sæpe diximus per finem, et David Christum Domiñum significari, cui psalmus iste aptandus est. D

1 *Exspectans exspectavi Dominum:*
Et intendit mihi.

H Exspectans, vox Ecclesiæ. Dicit se exspectare Dominum in promissionibus prophetarum, quia prævidebat Propheta per Spiritum sanctum Christum venturum in carne. H Et intendit mihi, per splendorem Evangelii, in quo me illuminavit.

2 *Et exaudivit preces meas:*
Et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fœcis.

H Et exaudivit preces meas, quia ipse mihi in Novo Testamento refulsit. Et eduxit me de lacu, in quo immersa eram, cum simulacra muta adorarem. Et de luto fecis. C Nam sicut lutus laci fetidus est atque gravis, ita et hominum delicta limosa sunt et fetoribus horrescunt. H Unde de luto fecis, id est terrenis desideriis. Vel, lacus, profundum infidelitatis; lutus, desideria carnalia.

3 *Et statuit supra petram pedes meos:*
Et direxit gressus meos.

H Statuit supra petram, id est super Christum. Pedes meos, sensus meos. Et direxit gressus meos, id est sensus bonorum operum dirigit Ecclesiæ, quia unusquisque per se tortuosus est, nisi dirigatur a Christo. Direxit igitur gressus meos, ne ad eum veniens, post tergum respicerem ad terrena quæ reliquissem. Vel, pedes, affectus; gressus, opera sunt.

4 *Et immisit in os meum canticum novum:*
Carmen Deo nostro.

H Et immisit in os meum canticum novum. Laudem utique suam, quia novus homo venit in mundum, et novam legem dedit mundo. Carmen, C id est laudem carminum lege compositam. Deo nostro, H ut jam non sonos turpes et theatrales concinam, sed in Dei viventis hymnis per harmoniam Novi Testamenti delecter.

5 *Videbunt multi et timebunt:*
Et sperabunt in Domino.

H Videbunt multi annuntiatum venisse, et multa mirabilia fecisse, et timebunt, quia se intelligunt peccatores. Et sperabunt, ut eis pristina delicta remittantur.

6 *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus.*
Et non respexit in vanitates et insanias falsas. C

H Beatus vir, felix illa anima quæ habet firmam fidem, et spem directam in Christo. C Spes enim dicta est, quasi *stabilis pes*. Ille enim habet spem nominis Dei firmam, qui solum Dominum avidus concupiscit, non temporalia. Vanitas est a sancta religione subita varietate mutare. Insaniæ falsæ sunt, saxis deum formasse; dictæ insaniæ, quia mentem fallunt; H et omnia pro quibus homines insaniunt ut peccent. Quæ nominat Apostolus opera carnis (*Gal.* v); insaniæ falsæ sunt, quia fallunt.

7 *Multa fecisti, tu Domine Deus, mirabilia tua:*
Et cogitationibus tuis, non est qui similis sit tibi.

8 *Annuntiavi et locutus sum:*
Multiplicati sunt super numerum.

H Multa fecisti, narrat Propheta divina miracula, id est ostendisti patribus nostris mirabilia tua multa. Non est qui similis sit tibi: C Nunquid tale est, ignitis facibus in theatro ludere, quale fuit in camino ignis tribus pueris ambulasse (*Dan.* III)? A Prospicis in fune ambulantem quasi mira facientem, attende Petrum nostrum non funiambulum, sed ut ita dicam mariambulum (*Joan.* XXI). Hæc miracula fecit Deus; ipsa intuere oculo fidei. Non est qui similis sit ei.

H Hucusque credentium populus locutus est. Hinc ipse Dominus ad Patrem ita exorsus est. Annuntiavi, dicens: Pœnitentiam agite (*Matth.* IV).

C Locutus sum, scilicet cum inter nos conversatus evangelizavit. Multiplicati sunt super numerum, *H* Judæi in malitia sua foris numerum sunt, quia non sunt digni numerari in numero justorum. H A C Vel peccatores, quicunque damnandi, etiam Christiani dicti sunt super numerum salvandorum, id est extra.

9 *Sacrificium et oblationem noluisti :*
Aures autem perfecisti mihi.

H Dicit noluisse Patrem sacrificium, quia veniente Domino cessabant sacrificia Judæorum. Aures autem perfecisti mihi, id est ad obediendum Patri. C. Vel sanctam incarnationem ejus significat, in qua Patri obediens fuit usque ad mortem, et in qua sacrificium et oblationem et holocaustum Patri acceptum pro peccatis omnium obtulit.

10 *Holocaustum et pro peccato non postulasti :*
Tunc dixi : Ecce venio

H Holocaustum autem pro peccato non tibi placuit, nisi memetipsum pro totius mundi delicto tibi sacrificium exhiberes. Tunc dixi : Ecce venio, id est, assumam carnem in qua patiar.

11 *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam.*
Deus meus, volui et legem tuam in medio cordis mei.

H A C In capite libri scriptum est de me, in libro isto Psalmorum. In capite *de se* dicit esse scriptum, cum dicitur : Beatus vir qui non abiit, etc. H Vel in Evangelio : In principio erat Verbum. Vel in capite libri Veteris Testamenti, ubi dicitur : A In principio, id est Filio creavit Deus, etc. Voluntatem Patris fecit quando descendit de cœlo. Volui ut pro vita omnium mortem sustineam. C Lex divina in medio cordis ipsius fuit, dum in lege Domini meditabatur die ac nocte.

12 *Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna :*
Ecce labia mea non prohibebo Domine, tu scisti.

C Bene nuntiavit justitiam, dicens : Non sic impii non sic. In ecclesia magna, id est in toto mundo diffusa. Non prohibuit labia sua, qui non destitit prædicando admonere populum perfidorum : in qua parte testem Patrem invocat, quia nulla pericula timuit. H Labia quoque Christi, sancti sunt ; non prohibet illos prædicare, sicut sanctus Paulus dicit, verbum Dei non est alligatum (*II Tim.* II).

13 *Justitiam tuam non abscondi in corde meo :*
Veritatem tuam et salutare tuum dixi.

C Justi voluntas, est cum potest prodesse ; non abscondere veritatem, quod Dominus Salvator fecit, quoniam turbas increpabat, arguebat incredulos. H Veritatem tuam dixi, quia verax es. Et salutare, quod salus es omnium.

14 *Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam :*
A concilio multo.

C Non abscondit misericordiam Patris cum dixit : Si cum vos sitis mali : nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis? (*Luc.* II.) H Veritas et salutaris Christus est, quem prædicant sancti. C In congregatione quoque densissima veritatem dixit Christus, quando Isaiæ librum accipiens et legens, dixit : Hodie impleta est hæc Scriptura (*Luc.* IV).

15 *Tu autem : Domine, ne longe facias miserationes tuas a me :*
Misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

C Narratis sanctis operibus, ad passionis suæ gloriam redit, ubi merito Patrem precatur, ne longe ab eo faciat *misericordias suas. Misericordia enim* fuit, ut humanam naturam vitio sauciatam prævaricationis sua incarnatione salvaret. Veritas, ut resurrectionis beneficio sederet ad dexteram Patris. Susceperunt me, scilicet ad glorificandum.

16 *Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus :*
Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

C Dicit de membris suis, quorum ipse caput est, se circumdedisse mala, ut se pati profiteretur, id quod turba fidelium sustinebat, nec esse numerum, scilicet apud homines. Addit comprehendere se iniquitates, Dominus enim Salvator nec mala perpetravit, nec iniquitatibus patuit, sed hoc a parte membrorum dixit, a quibus talia sustinentur. Pietatis enim nostri capitis fuit ut qui de se multa dixerat, de fidelibus facereret mentionem. H Comprehenderunt humanum genus iniquitates, id est originale peccatum, ex quo pullularunt iniquitates. Et non potuit ut viderem, quia lux veritatis fuit abstracta.

17 *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei :*
Et cor meum dereliquit me.

C Multiplicata est ipsa iniquitas super capillos, id est super genus humanum. C Cor nos vero derelinquit, quando peccatis homo æger profutura non appetit. H Vel quando homo peccat, cor suum non habet, ut cum David dixit : Invenit servus tuus cor suum (*II Reg.* VII.)

18 *Complaceat tibi, Domine, ut eruas me :*
Domine, ad adjuvandum me respice.

C Complaceat, id est, comiter placeat, concordia hic Trinitatis ostenditur. Nam quod placet Patri, hoc Filio, hoc et Spiritui sancto. Addit, tibi, ut sanctam Trinitatem unum Deum esse cognosceres. Domine, ad adjuvandum me respice, ut intelligamus conspectum ejus nostrum præsidium esse ; aliter enim liberari non possumus nisi nos Divinitas clementer respiciat.

19 *Confundantur et revereantur simul :*
Qui quærunt animam meam ut auferant eam.

C Confundantur, dixit, id est mirabilium consideratione turbentur. Et revereantur, hoc est resurrectionis gloria corrigantur, ut illum confiteantur Deum, quem dudum putaverunt occisum. Simul, id est quot persequebantur Christum. Qui quærunt animam, ad mortem ; ut auferant eam, id est qui contendunt a corpore meo segregare eam in mortem.

20 *Convertantur retrorsum et revereantur:*
Qui volunt mihi mala.

C Vox Christi retrorsum, hic in bonam partem dicit, ut redeant in bonum, qui malum cursum habuerunt. Qui cogitant mala mihi. C Significat Judæorum improbas voluntates, quæ malæ non erant Domino, sed suis auctoribus. Cogitatio, dicta a *coagitando* seu *cogendo*. H Non solum qui dicunt vel faciunt, sed etiam qui volunt mihi mala: humiles sequantur me, qui superbe præibant.

21 *Ferant confestim confusionem suam.*
Qui dicunt mihi: Euge, euge.

C Ferant dixit, quasi pondus immensum; confestim, ut peccare cœperint, ne longius progrediendo peccatis periculosius graventur. Confusionem suam, id est cogitationem pravam, veritate convictam. Qui dicunt mihi: Euge, hic falsos arguit laudatores, qui adulando plus nituntur decipere quam possint vituperationibus sauciare. H Duos quippe hostes habet Ecclesia, adulationes et blasphemationes. A Duo enim genera hostium maxime cavenda sunt, scilicet qui bona dicunt malo animo, de quibus dixit supra: qui volunt mihi mala; et qui mala dicunt, dolose laudando, de quibus hic

22 *Exsultent et lætentur super te omnes quærentes te:*
Et dicant semper: Magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum.

C Exsultent, scilicet justi, et lætentur in gaudio æterno. Super te, H id est in Christo. C *Qui diligunt, id est qui me spiritali charitate perquirunt.* H Magnificetur Dominus in membris, magnificetur populus sanctorum et glorificatur in eis Deus. Unde dixit: videant opera vestra bona, et glorificent Patrem in cœlis (*Matth.* v). A Isti igitur qui Christum diligunt salutare nostrum, semper dicant: euge, euge, non ut mali, me laudando, sed te Patrem magnificando in me.

23 *Ego autem mendicus sum et pauper*
Dominus sollicitus est mei.

H Egenus dicitur, qui aliquid habet et aliquo indiget; pauper qui nihil habet; inops, id est sine opere. C Pauper dictus Dominus de nostro; dives de suo, qui ideo indigentiam humanitatis assumpsit, ut abundantiæ suæ nos *faceret* esse participes. A Sed vide pauperum consolationem, Dominus sollicitus est pro eis; securi sunt.

24 *Adjutor meus et protector meus tu es*
Deus meus ne tardaveris.

C Adjutor et protector cum dicit, ostendit patientiam diversarum passionum. Unde et *ipse psalmus* fecit initium, qui et eodem fine concluditur; quapropter totus virtuti patientiæ merito deputatur.

ORATIO EX PSAL. XXXIX.

Exspectatio tuorum unica famulorum Deus, quem venturam in mundum caput libri principalis edocuit, insere, precamur, legem tuam in medio cordis nostri, ut tuas justitias nuntiantes, ab imminentibus periculis eruamur. Qui cum Patre, etc.

PSALMUS XL.

ARGUMENTUM PSAL. XL.

C Vox Prophetæ beatum prædicantis elemosynæ largitorem; et de passione ac resurrectione Christi.

TT. *In finem psalmus David.*

C Titulus iste jam notissimus est, sed magnificat hunc psalmum, quod in quadragenario numero noscitur collocatus; qui calculus emundationi et purificationi frequenter aptatur.

1 *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*
In die mala liberabit eum Dominus.

A C Beatus qui intelligit, id est ut etiam non petentibus pauperibus offeratur eleemosyna. Nam qui petenti tribuit, bonum opus efficit; qui vero tacentem pauperem intelligit, beatitudinem sine dubitatione conquirit. Quem Dominus liberabit in die malo, id est in die judicii, qui malus dies dicitur malis, quia peccatoribus tunc debita pœna persolvitur.

2. *Dominus conservet eum et vivificet eum: et beatum faciat eum in terra:*
Et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

C Conservet, dixit, id est inter mala sæculi perire non sinit, sed ad suam gratiam perducit. Vivi proprie dicuntur, qui se a Christiana fide non dividunt. Et beatum faciet, utique in resurrectione, cum eum in dextera collocabit, et in patriam beatorum admittit. H Et non tradat in manus vel animam, id est, in potestates diaboli, qui credulitati nostræ semper inimicus existit. A H Vel in terra, id est ecclesia, vel etiam hic viventem in spe.

3 *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.*
Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

H. Opem ferat illi, hoc est adjutorium præstet illi, in lecto doloris, id est in infirmitate carnis, qui in delectatione sua quasi quodam lectulo sauciatur. Stratum ejus, corpus hic pro stratu accipitur. C Quod hic diversis calamitatibus versasti, inquietasti et afflixisti, ut æternæ beatitudinis requiem consequatur, sicut factum est in Job.

4 *Ego dixi: Domine, miserere mei:*
Sana animam meam, quia peccavi tibi.

C Exclamat Propheta pie trepidus, ut ipse misericordiam Domini consequatur. Sana animam, omne enim peccatum morbus est animarum, quo crescente salus interioris hominis dissipatur. H Vel hic Propheta immutat ordinem, et deinceps in persona Christi loquitur, qui animam populi sui sanari a peccato petit.

5 *Inimici mei dixerunt mala mihi:*
Quando morietur et peribit nomen ejus

C Inimici vero dixerunt mala in passione Christi, quando falsa locuti sunt. Necesse non erat ut impii mendacia cogitarent, qui diabolo auctore fremuerunt. Quando morietur, verba sunt dementium Judæorum, *ut Caiphas ait*: Expedit ut unus moriatur pro populo (*Joan.* xi). Periit nomen

ejus, sed ipsis utique qui ei credere noluerunt.

6 *At si ingrediebatur ut videret vana loquebatur cor ejus :*
Congregavit iniquitatem sibi.

℣ Tempus illud Dominicæ passionis exponit, quando Judas non ad venerandum Dominum, sed ad prodendum dolosus intrabat. Vana loquebatur populus Judæorum, quando de illius morte crudeliter tractavit. ℟ Congregavit cor ejus iniquitatem (dum rerum Dominum scelerata cohors crucifigere decrevit) sibi, dicendo : Sanguis ejus super nos (*Matth.* XXVII).

7 *Egrediebatur foras :*
Et loquebatur in idipsum.

8 *Adversum me susurrabant omnes inimici mei :*
Adversum me cogitabant mala mihi.

℣ Egressa est foras, ab arcano recto fidei plebs Judaica, quæ intus stare non poterat, quia incredulitate fidei a fidelibus discrepabat. Loquebatur in idipsum, scilicet vanitatis, id est infidelitate quam introibat a veritatis sinu exeundo ; loquebatur vana et falsa, et ita loquebatur in idipsum quod ingressus fuit ; scilicet dolum et *falsum*, *quæ* ingressus fuit. Malus ingressus, malus egressus.

℣ Susurratio est oris parvissimus sonus, sineque aliqua vocis distinctione confusus sermo, tractus ab apibus, quarum vox prolata susurrus est ; quod inter illos evenit qui ore invicem in auribus murmurabant. Omnes inimici, id est supradicti Judæi, qui semper cogitabant contra Dominum mala.

9 *Verbum iniquum constituerunt adversum me :*
Nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat ?

Verbum iniquum, quando clamabant Pilato : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX). Constituerunt, id est diffinierunt. ℟ Dicentes : Tu accipe eum et crucifige. Nunquid qui dormit, ℣ audiant Judæi, audiant et hæretici illum qui dormit, ipsum sibi adjicere protinus ut resurgat, dicentem : Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam (*Joan.* X). Putabant enim Judæi quod, si eum occiderent, non resurgeret.

10 *Etenim homo pacis meæ in quo speravi qui edebat panes meos :*
Magnificavit super me supplantationem.

℣ Hominem pacis, dicit Judam, qui illi osculum pacis dedit, quando eum tradidit. In quo sperabam, id est in quo sperare putabar, quem antequam nasceretur cognoscebam. Magnificavit, quando, ignorantibus quis esset eis, eum ipse monstravit.

11 ✠ *Tu autem, Domine, miserere mei :*
Et resuscita me et retribuam ei.

℣ Tu autem, Domine, humanitas rogat ibi hoc quod alibi divinitas pollicetur, dicens : Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud (*Joan.* II). Resuscita me, ℟ scilicet a morte, Pater, Filium. Retribuam ei, quod factum est cum interitus debitus occupavit Judam. Anticipavit ultio Judam, cum eum interitus debitus sugillavit. Vel retribuam eis, scilicet A Judæis. Quod factum nunc cernimus ; habet enim una littera, ei ; alia eis.

12 *In hoc cognovi quoniam voluisti me :*
Quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

℣ In hoc cognovi, dilectionem Patris ostendit se in hoc cognovisse, quia gloriosa est resurrectio secutura. Quoniam voluisti me, subaudis glorificari et exaltari. Quoniam non gaudebit inimicus, hoc erat quod dixit, quoniam voluisti me, scilicet quoniam inimicus super cum gaudere non est permissus.

13 *Me autem propter innocentiam suscepisti :*
Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

℟ Maxima innocentia est, cum justus pro impiis moritur. ℣ Et nulla se contentione defendit. ℟ Propter quam innocentiam devicta morte a Patre in cœlestibus susceptus est et confirmatus est in æternum. ℣ Cujus potestas cœlo terræque imperat, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philip.* II).

14 *Benedictus Dominus Deus Israe.*
A sæculo et in sæculum : fiat fiat :

℣ Dominus autem benedictus est, et si omnes tacent, quia ille omne bonum non tanquam extraneum suscipit, sed ab ipso egreditur. A sæculo, præsentem mundum signat ; et usque in sæculum futurum vult intelligi, ubi jam omnia æterna consistunt. ℟ Addit : Fiat fiat, hoc est quod Hebræi dicunt : Amen, amen.

ORATIO EX PSAL. XL.

℣ Nostrorum peccaminum mitis indultor, qui dignanter insinuas effugere diem malum, si misericordia subsequatur egenum, fer opem, quæsumus, doloribus nostris, ut dum carnalia delicta clementer arguis, medicinam animæ placabiliter largiaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XLI.

ARGUMENTUM PSAL. XLI.

℟ Vox fidelium Dominum desiderantium, ℣ animæque suæ dicentium, ne Deo adjutore in hoc sæculo turbetur.

TT. *In finem intellectus filiis Core.*

℣ Filiis Core. Core Hebraice dicitur *calvaria*. Calvaria vero locus est ubi Dominus crucifixus est. Quapropter filii Core merito dicuntur qui gloriosum trophæum cœlestis regis, id est signaculum crucis suscipere meruerunt. Et ideo psalmus hic homini convenit Christiano, qui amore Domini et flamma Dominicæ charitatis accenditur, de qua re hic primus psalmus est, quem octogesimus tertius et centesimus tricesimus tertius subsequitur.

1 *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum :*
Ita desiderat anima mea ad te, Deus.

℣ Quemadmodum desiderat cervus, non immerito hoc animal comparatum est fidelibus, est enim primo innoxium, deinde velocissimum, tertio siticulosum. ℟ ℣ Serpentes naribus trahit, quos ut vora-

verit, æstuante veneno ad fontem festinat. C Hoc nos admonet, ut quando venena haurimus antiqui serpentis, ad fontem divinæ misericordiæ festinemus. Fons enim semper irriguus est Christus; unde non dixit ad fluenta, quia siccari possunt; fons autem semper fluit. H Homo ergo Ecclesiæ, qui diu in actu venenoso degebat, cum hunc gratia Dei videns derelinquere cupit, clamat, quemadmodum, etc., ut pœnitentia ablutus, gloriam Dei videat.

2 *Sitivit anima mea ad Deum fortem : vivum : Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?*

H Sitivit anima mea, non ad mortua simulacra, sed ad illum qui dixit : Vivo ego dicit Dominus (*Ezech.* xxxiii). C. Quando veniam, quia tunc manifestus apparebit, quando nos in judicio suo misericorditer inspexerit. H Vel quando veniam, quando erit tempus, ut cum sanctis in claritate tua te videam (*Joan.* iii), et ita ante conspectum divinitatis apparebo, te videns sicuti es, quia Ecclesia vult dissolvi a corpore, et esse cum Christo (*Philip.* i).

3 *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte : Dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?*

H Quomodo potest de lacrymis panis fieri? potest, quia sicut corpus satiatur pane, ita anima per lacrymas, quia exinde se habere sperat remissionem peccatorum. C Diem, prosperitatem; noctem vero debemus accipere tristitiam. Per hæc duo omne tempus hujus vitæ indicatur. Dum dicit mihi quotidie, hoc enim dicebatur assidue persecutionis tempore Christianis : Non est qui vos vindicet; sustinete quæ volumus, quæ jubemus, et videte an Deus vester vos liberet.

4 *Hæc recordatus sum et effudi in me animam meam : Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.*

C Dum hæc quæ improperabant mihi, vel etiam quæ mihi imputabantur delicta cogitarem, animam meam in lacrymas subita inundatione profudi. Anima in se funditur, quotiens compuncta instinctu Dei in semetipsam revertitur. Sequitur cur se funderet, quoniam ingrediebatur in locum tabernaculi, hoc est in Ecclesiam præsentem, ubi amplius gemebat; differri adhuc illam cœlestem Hierusalem. H In qua sunt multi admirabiles, virtutibus sacris pollentes, qui ædificati supra fundamentum apostolorum tamquam una domus, habentur, in quam iste mente ingrediens, effudit animam.

5 *In voce exsultationis et confessionis : Sonus epulantis.*

C Quomodo illuc ire sanctissimus ambiebat? In voce, scilicet, exsultationis et confessionis. Exsultatio, ad psalmodiam respicit. Confessio, ad peccata deploranda. Quæ duo efficiunt Christianum perfectum. Sonus epulantis, diffinitio brevis; quid sit exsultatio et confessio, quia est sonus epulantis. Nam sonus iste animam pascit, et epulas suavi delectatione concedit.

6 *Quare tristis es anima mea? Et quare conturbas me?*

C Loquitur filius Core, id est filius crucis, dicens ad animam suam : Quare tristis es, id est, quare me tua afflictione conturbas? necesse est enim, ut te tristis ac mœsta, infirmitas corporis mei turbetur, dicam tibi salutare remedium

7 *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi : Salutare vultus mei et Deus meus.*

8 *Ad meipsum anima mea conturbata est : Propterea memor ero tui de terra Jordanis et Hermonim a monte modico.*

C Spera in Deo, quia spes ejus omnia commutat in melius. Ne forte autem dicat anima : Quomodo possum sperare in eum, dum mihi mea infirmitas obsistit? Dicit Filius crucis, id est, homo carnem crucifigens cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* v) : respondendo animæ suæ. Confitebor illi, id est, de peccatis meis pœnitentiam geram ut tui devotione impediri non possim. Sed cui confiteris : Illi qui est salutare vultus mei, hoc est Christus.

H. Turbatam dicit animam suam ob recordationem delictorum priorum. Propterea memor ero tui. H Memor fuit animæ suæ iste pœnitens in humilitate pœnitentiæ, et non se elevat magnum gloriando, sed efficit parvulum pœnitendo. C Dicit etiam unde memor erit, id est de terra Jordanis, quod interpretatur *descensio*, quia ibi Dominus descendit in fontem, quem notis consecravit, et significat baptismum in quo peccata remissa sunt. Memor est igitur Domini, de beneficio baptismi et renuntiatione diaboli; unde addit : et Hermonim. Hermon parvus est mons juxta Jordanem, et interpretatur *anathema*, quod dicit hoc diabolo, ut sit ab eo anathema, quando ad Deum venerit vera pœnitentia. A monte modico, quia Deus non elegit superbum sed humilem. A monte igitur modico, qui est Hermonim, memor est Domini, qui se non extollit

9 *Abyssus abyssum in vocat. In voce cataractarum tuarum.*

C Abyssus et cataractæ Græca sunt. A C Duabus enim abyssis duo Testamenta significantur, id est Novum et Vetus, quæ se mutua attestatione confirmant, quando Vetus Novum prædicit. H Ut ibi prophetam vobis suscitabit Dominus (*Deut.* xviii). Novum vero Vetus commemorat, ut Paulus. Bibebant autem de petra, *petra erat Christus* (*I Cor.* x). C Cataractæ prophetæ et apostoli sunt, quia sicut aquarum multitudo per cataractas evomitur, ita de ore ipsorum Domini præcepta manaverunt.

10 *Omnia excelsa tua et fluctus tui : Super me transierunt.*

C Excelsa vero et fluctus Scripturas sacras intelligamus. Hæc ergo dicit justus super se transisse, quia in eorum notitia, avidus perscrutator se immerserat.

11 *In die mandavit Dominus misericordiam suam :*
Et nocte canticum ejus.
12 *Apud me oratio Deo vitæ meæ :*
Dicam Deo susceptor meus es.

H In die mandavit Dominus, id est in luce sanctarum Scripturarum promisit suam misericordiam. Et nocte canticum, id est in tribulatione positis, ipsam misericordiam ostendit. A Vel in die, id est prosperis præcepit Deus misericordiam suam intelligere et aliis facere, et nocte præcepit canticum, id est in adversis exsultationem. Unde Apostolus : In tribulationibus gaudentes (*I Thes.* I). C Vel in die prosperitatis docet eam, sed nocte tribulationis eam manifestat clarius.

C Apud me oratio, ac si diceret, intra me sacrificium est quod offeram Deo, quod est utique oratio quam Deus non sprevit. Dicam Deo, etc., id est cum me gratia baptismatis susceperis, de tuis beneficiis te laudans, semper susceptorem voco.

13 *Quare oblitus es mei?*
Et quare contristatus incedo dum affligit me inimicus?

C Quare oblitus es mei, dicit vir sanctissimus more humano, ac si dicat, cur tandiu differs ut me non inducas in illam patriam, quam sanctis tuis pollicitus es. Quare contristatus incedo, utique contristamur, quando flagella in hoc mundo sustinemus. Dum affligit nos inimicus, id est diabolus, cum fraudulentis subreptionibus suis nos tentat, quando carnis vitia invito ac repugnante animo sustinemus.

14 *Dum confringuntur ossa mea : exprobraverunt mihi.*
Qui tribulant me ✠ inimici mei ⁘

C Franguntur ossa, dum virtus patientiæ nostræ affligitur, hoc irrident videntes inimici, et velut aliquem probrosum abominantur. H Vel ossa fortiores in Ecclesia sunt, qui, dum scandalis et diversis suppliciis urgentur, simplices videntes contristantur. A H Unde et inimici Ecclesiæ, bonis Christianis exprobrant in martyribus vel confessoribus, dum a Deo vel occidi vel tribulari permittuntur.

15 *Dum dicunt mihi per singulos dies. Ubi est Deus tuus?*
Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

H Dum dicitur mihi per singulos dies, ac si dicat sanctus ad Christum. Cum ego te per pœnitentiam et afflictionem corporis animæque, Christe, placare desiderarem, inimici mei quasi incassum hoc facere me dicebant, aientes : Ubi est Deus tuus (*Isai.* LXIV)? nescientes illa occulta quæ præparavit Deus diligentibus se. C Vel hoc dicunt in passione martyres, quod ipsis a persecutoribus improperetur ubi sit Deus eorum. H Quare tristis es, quia meum desiderium prolongatur. Repetita confortatio est contra tribulationes frequentes.

16 *Spera in Deo quoniam ✠ adhuc ⁘ confitebor illi :*
Salutare vultus mei ✠ et ⁘ Deus meus

A H Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. In ipso nostra sit spes semper attenta, ipse omnes fluctus mitiget, ipse nos conservet in tentationibus, ipse sitim nostram sua contemplatione saciet, nosque vultus sui salutari vivificet.

ORATIO EX PSAL. XLI.

Vultus nostri mirificum salutare, quem animæ fidelium ardenter sitiunt servulorum, tribue, ut dum te (visibili lacrymarum imbre pasti) requirimus, invisibiliter *te intra* pectoris nostri tabernaculum collocemus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

PSALMUS XLII.

ARGUMENTUM PSAL. XLII.

C Vox Ecclesiæ orantis : ut in novissimo examine
B ab infidelibus dividatur, et de suo introitu ad Deum.

TT ✠ *In finem Psalmus David* ⁘.

C Psalmus (sicut sæpe dictum est) signat melos cœlestium verborum. David autem fortissimum, ac desiderabilem nobis indicat Salvatorem, ad quem de persona fidelissimi Christiani psalmus iste dirigitur, dum mens et intentio ejus ad ipsum desideranter aptatur.

1 *Judica me, Deus, et discerne causam meam, Deus, de gente non sancta :*
Ab homine iniquo et doloso erue me.

C Judica me, Deus. Non enim petit Propheta peccata sua discuti, sed ab iniquorum consortio liberari. Esset enim periculosum dicere : judica me, nisi addidisset : discerne causam meam, id est divide
C permistionem meam ab impiis. De gente non sancta, id est de perversis, vel male viventibus. Iniquus est qui male facit aperte. Dolosus est, qui occulte machinatur malum. Erue me ne vita mea ab eis corrumpatur. Et possunt hæc omnia ad futurum exponi judicium. H Nemo vero magis iniquus atque dolosus, quam ille qui iniquitatis inventor atque æmulator est sanctitatis, id est diabolus.

2 *Quia tu es Deus, fortitudo mea :*
Quare me repulisti, quare tristis incedo : dum affligit me inimicus?

H Scio me infirmum et fragilem, nec sentio me habere aliquam fortitudinem qua eruar, nisi tu me salvaveris. Tunc nos repellit Christus, cum peccaverimus. Tristis incedo, propter peccata mea. Et ideo
D affligor in tentationibus variis ab inimico diabolo, qui superius homo iniquus dictus est. Unde quia me conturbant tenebræ peccatorum, ad te qui lux es mundi confugio supplex.

3 *Emitte lucem tuam et veritatem tuam :*
Ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

C Petit Propheta ut Pater mittat Filium ad judicandum, qui est lux et veritas, ut cum ille venerit, omnis mœror confusionis abscedat a sanctis ejus, et æternæ beatitudinis gloriam consequantur. H Ipsa me deduxerunt, ab errore peccati, et adduxerunt in Ecclesiam per fidem. C Tabernaculum, etiam ipsam Ecclesiam; et mons, Christum significat. H Vel,

æterna tabernacula in cœlis, ad quæ, qui fuit in monte, Christo per fidem veniet.

℣ *Et introibo ad altare Dei :*
Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

C Altare enim dictum est quasi *alte are*, ac si dicat : H Ibi introibo, ubi jam non vitulos et arietes exhibeam, sed memetipsum hostiam vivam Deo offeram. Ad Deum qui lætificat juventutem meam. C Juventutem hic pro novitate ponit vitæ, quia Dominus omnia reparans de vetustate defecta, in novitatem firmæ fidei juventutis reddidit validissimam firmitatem credentibus.

5 *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus :*
Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

C In cithara vero confitetur, qui mundi hujus adversitatem sustinens, a laude Dei non recedit. H Vel qui carnem suam mortificat, in cithara laudat. Quare tristis es. C Frequenter admonet tristitiam fugiendam istius sæculi, quoniam bonis rebus semper adversa est. Per hanc enim robor patientiæ frangitur, charitatis lumen exstinguitur, spei desiderium virtusque mollescit, et omnis vita confunditur. Tristitia vero de peccatis amplectenda est, quoniam ad perpetuam sospitatem dirigit.

6 *Spera in Deo quoniam ✠ adhuc ⁝ confitebor illi :*
Salutare vultus mei ✠ et ⁝ Deus meus.

H Spera in Deo, ipsum confitetur, ab ipso peccata sua postulat dimitti, ipsumque salutare vultus sui dicit, quem et nos confitentes exposcimus, ut mereamur ejus luce illuminari, via dirigi, veritate corrigi, vita locupletari.

ORATIO EX PSAL. XLII.

Te fontem luminis perpetui, omnipotens Deus, invocamus et quæsumus ut emissam veritatem tuam cordibus nostris novæ nos lucis claritate perfundas. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XLIII.

ARGUMENTUM PSAL. XLIII.

C Verba martyrum, sive confessorum, precantium ut in futuro judicio de inimicis vindicentur.

TT. *In finem filiis Core ✠ ad ⁝ intellectum.*

C Quid significent filii Core, sufficienter jam dictum est; nunc autem ad intellectum, hoc est ut intelligamus illum, qui initium sumpsit secundum carnem ex tempore ante sæcula genitus. H A C Ubi enim in titulis ponitur, intellectus, spiritualem intelligentiam quærendam esse demonstrat.

1 *Deus, auribus nostris audivimus :*
Patres nostri annuntiaverunt nobis.

C Deus auribus nostris audivimus. Verba hæc accipienda sunt dicta in persona martyrum sive confessorum, ac si dixisset H per spiritalem sensum se cognovisse, juxta illud : Qui habet aures audiendi audiat. Patres apostolos et prophetas vocavit; quorum annuntiatione renati sumus ad vitam.

2 *Opus quod operatus es in diebus eorum :*
Et in diebus antiquis.

A C Opus quod operatus est Dominus in diebus antiquis, hoc est, quando Israeliticum populum illæsum per maris Rubri fluenta transduxit.

3 *Manus tua gentes disperdidit et plantasti eos :*
Afflixisti populos et expulisti eos.

C Per manus (sicut sæpe dictum est) significatur potestas. Dispersit enim potestas Dei gentes, quando euntibus Amorrhæis et Gethæis de propriis terris, Hebræi in eorum sedibus sunt plantati (*Josue* v). Afflixit autem populos, cum, canentibus tubis sacerdotum, muri Jericho corruerunt, quos tunc de civitate constat expulsos.

℣ *Nec enim in gladio suo possederunt terram*
Et brachium eorum non salvavit eos

C Ne putarent Hebræi se fuisse triumphatores suis viribus, ideo dixit : non enim in gladio suo. Brachium pro robore dicimus, quoniam ipso dimicante pugnatur, sed eorum brachium non ab inimicis suis eos liberavit, quos specialiter virtus divina salvavit.

5 *Sed dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui :*
Quoniam complacuisti in eis.

C Dextera enim signat prosperam partem; brachium fortitudinem; illuminatio, consilium : Quæ Dominus communiter confert, quando præliantibus victoriam dignatur donare. Complacuit in illis, quando illa sola gens de toto mundo electa est, de qua Salvator advenit.

6 *Tu es ipse rex meus et Deus meus :*
Qui mandas salutes Jacob.

C Tu es ipse rex, id est tu ipse : non alius est Dominus et Salvator, cui nomen regis manifestum est convenire. Addit vero; et Deus meus, ne dubitares Dominum Jesum Christum esse illum qui mandavit salutem Jacob, quando audivit per angelum : jam non diceris Jacob, sed Israel (*Gen.* XXXII), id est *vir videns Deum*. A Vel, per Jacob populus Israeliticus intelligitur, cui Deus mandavit salutes corporales quasi per alium, scilicet angelum non per se. A C Mandare, enim est per aliquem alium præcipere vel facere. A Sic Deus antiquis patribus non per se et suam essentiam visus est, sed per aliquam creaturam viderunt eum et salvabantur.

7 *In te inimicos nostros ventilabimus cornu :*
Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

C Hoc enim quod ventilandi sunt inimici cornu, H id est in Christo, eo quod C hostis est antiquus spernendus; ad judicium futurum pertinet, ubi talis est victoria, ut probentur subruisse omnia certamina. H A cornibus aliquid ventilatur, sic Sedechias factis duobus ferreis cornibus aiebat : Sic ventilabo totam Syriam (*III Reg.* XXII). Cornu vero nostrum Christus est, idem et nomen Patris, in quo adversarii nostri vel ventilantur vel spernuntur.

8 *Non enim in arcu meo sperabo :*
Et gladius meus non salvabit me.

C Arcus enim est præsidium bellatoris, in quo

mens humana confidit; in gladium vero plus præ- A
sumit, sagitta enim sæpe incassum mittitur; ensis vero certius operatur mortis effectum, sed nec in eo confidit multitudo sanctorum, sed in protectione divina. Cujus rationem subdit.

9 *Salvasti enim nos de affligentibus nos :*
Et odientes nos confudisti.

C Non est dubium apud sanctos, se liberari in secundo adventu Domini a persecutione spirituum pessimorum, qui eos hic multiplicibus insidiis affligebant. Confundentur etiam qui beatos oderunt, quando illi æterna pœna damnantur, justi regna cœlorum recipiunt. A C Salvasti enim, pro salvabis dixit, propter certitudinem futuri in cognitione Prophetæ. C Vel confidentia fidei *futura pro præteritis* dicunt, quoniam apud eos non est dubium B
quod absolute norunt esse venturum.

10 *In Deo laudabimur tota die :*
Et in nomine tuo confitebimur in sæculum. Diapsalma.

C Qui dicunt laudabimur; in futuro se profitentur esse prædicandos. Tota die, perpetuum tempus ostendit, quod non habet noctem. Confitentur in sæculum, qui præconia Domini hic jugiter personare contendunt. H In Deo dicit, quia ipse est laus et gloria nostra, et in nomine suo Christiani dicimur, et in tali nomine confitebimur.

11 *Nunc autem repulisti et confudisti nos :*
Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.

C Dicendo enim martyres, nunc autem, significant de futuris temporibus se ante dixisse, quia C
nunc præsens est tempus. Repulisti, id est dilationem nobis fecisti de illa futura beatitudine quam nobis promisisti. Confudisti, illa gloriosa confusione, quam martyres subeunt, cum diversis injuriis affliguntur, fustibus verberantur, et velut criminibus obnoxii, morti mancipantur. Nunc etiam non egredietur Deus in virtutibus martyrum cum eos tribulationibus subdit, et diversis passionibus subjacere concedit.

12 *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros :*
Et qui oderunt nos diripiebant sibi.

C Averti enim, est hostem fugere carnalem. H Debemus enim inimicos nostros ante nos, id est ante oculos nostros habere, ut sciamus quid cavere debeamus. Diripiebant sibi. C Hoc solet effugatis D
evenire ut in direptionem cadant qui hostibus suis minime prævaleant resistere. H Diripiebant persecutores martyres, cum plagis et reliquis tormentis eos vexabant. A Vel nos, quia sumus retro quasi victi. Illi autem persecutores ante, quasi victores nos irrident et torquent

13 *Dedisti nos tanquam oves escarum :*
Et in gentibus dispersisti nos.

C Esca enim luporum est ovium mansueta simplicitas, quæ martyribus merito comparatur, qui occidi a persecutoribus sine concertatione acquiescunt. Et in gentibus, traditi martyres libertatem suam cum patrimoniis perdiderunt.

14 *Vendidisti populum tuum sine pretio :*
Et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

H Usque huc locuti sunt martyres, nunc de Judæorum populo dicunt, quibus dictum est : In peccatis vestris venditi esti (*Isai.* I.). Ideo sine pretio, quia non est effusus sanguis Agni pro eis. H Non fuit multitudo in commutationibus eorum. C Commutatio est data rei *æqualia* consequi. H Sed hic vilior erat merces quæ fuit vendita quod precium, ideo non est commutatio facta. Nam Dominus populum quem non auro, sed comparavit proprio sanguine (*I Petr.* I), id est humanum genus in peccatis jacens liberavit.

15 *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris :*
Subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro.

C Cum dicit posuisti, ostendit immobilem passionem, qua sancti a vicinis, id est persecutoribus patiuntur. Opprobrium contra probum positum est. Nam sicut omnia proba decora sunt, sic indecentia opprobria sunt. Derisus vero vox est confusa lætitiæ, insultationem suam denuntians immoderata hilaritate. Qui sunt in circuitu nostro, infideles et perfidos exponit illis verbis.

16 *Posuisti nos in similitudinem gentibus :*
Commotionem capitis in populis.

C Martyres enim positi sunt in similitudinem Christi, quando eos gentes paribus pœnis affligebant. Commotio capitis et martyribus contigit (quæ facta est in passione Domini) cum eos iniqui blasphemabant H cum irrisione, vel capitis commotione. *Sed et si quis nunc, o Jesu, in te pie vivere voluerit, protinus iniqui blasphemant cum irrisione vel capitis commotione.*

17 *Tota die verecundia mea contra me est :*
Et confusio faciei meæ cooperuit me.

H Dominus hæc in assumpta carne loquitur, quia tota die verecundiam pro nobis patiebatur Christus, atque confusionem etiam, usque ad ipsum patibulum crucis. C Solet verecundia ad momentum venire, et brevi tempore sedata discedere, ista vero gravissima fuit, quæ jugiter permanebat.

18 *A voce exprobrantis et obloquentis :*
A facie inimici et persequentis.

H A voce exprobrantis, cum dicere'ur ei : Si Filius Dei es, descende de cruce. A facie inimici, id est Judæ; et persequentis, populi Judæi. C Exprobrare, est in faciem maledicere; obloqui, absenti detrahere et dolose aliquem sermone mordere.

19 *Hæc omnia venerunt super nos : nec obliti sumus te,*
Et inique non egimus in testamento tuo.

H Hæc omnia, vox martyrum, omnia quæ tu, Domine, pertulisti : et nos eadem pertulimus. Nec obliti sumus, sed te semper confessi sumus. Et inique non egimus, id est fideliter prædicavimus testamentum tuum, et fideliter viximus in testamento.

Nec obliti. C Nam qui illum mente retinent, ejus testamentum nesciunt oblivisci.

20 ✣ *Et non recessit retro cor nostrum :*
Et declinasti semitas tuas a via tua.

C Retro redit cor eorum qui de Domini bonitate desperant; quod isti minime fecerunt, qui spem in Domino habere probati sunt. Via enim a *violentia* nuncupatur. Semita hic in malo posita est, eo quod dicit nostras. Recte enim humanæ semitæ, id est voluptuosi et umbrosi calles quos ambulat humana fragilitas, a via superna divisæ dicuntur, quia illæ ducunt ad mortem, hæc via ducit ad sospitatem desiderabilem. A Vel declinasti, id est repulisse videris nostris persecutoribus semitas nostras bonas, quas ambulamus in tribulationibus, in eo quod sequitur.

21 *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis.*
Et cooperuit nos umbra mortis.

H Humiliati sumus in loco afflictionis, id est in corpore isto, in quo versamur et affligimur propter Christum. C Umbra mortis vitæ istius transitum dicit, qui sanctis et peccatoribus probatur esse communis. Illa vero mors vera est, qua impii æterna damnatione puniuntur. H Etsi enim sancti hic affliguntur et morti destinantur, vivunt tamen Deo; ideo hæc mors umbra mortis, non mors est.

22 *Si obliti sumus nomen Dei nostri :*
✣ *Et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.*

H Si obliti sumus nomen Dei, id est Christum. Si expandimus manus ad Deum alienum id est ad idolum.

23 *Nonne Deus requiret ista ?*
Ipse enim novit abscondita cordis.

C Nonne, cum pondere pronuntiandum est, quoniam gravissimum est apud Deum, si in ejus religione peccetur. Requirere autem solemus, quando illa desideramus agnoscere, quæ nostram novimus conscientiam non tenere. Hoc in Deo non est, quia omnia novit; sed dicitur requirere, dum pro eis nos puniens, facit eorum nos recordari. Et quia agebatur de religionis affectu, qui in corde magis quam corporis devotione geritur, addit, ipse novit cordis abscondita. A Et quæ sint illa : sequitur.

24 *Quoniam propter te mortificamur tota die :*
Æstimati sumus sicut oves occisionis.

C Mörte vero affici est : per longas passiones præsentis vitæ exitum pro Christo reperire. Tota die : non per momentaneam mortem, sed per universum vitæ tempus protractum nobis fidelium declarat exitum pro *Christo*. *Ovis* enim non habet arma, nec dente contendit, sed manibus latronis patienter acquiescit. Sic famuli Christi sicut ovis æstimati sunt mori, quoniam sine contentione aliqua videbantur occidi.

25 *Exsurge, quare obdormis, Domine ?*
Exsurge ✣ et ne repellas in finem.

C Non autem Deo convenit exsurgere : qui nunquam noscitur posse dormire, sed humano usu dicitur dormire, quando nostra exspectatio divina dispensatione elongatur. Repetitur exsurge, ut quibus videt pericula crescere, non tardet subvenire. Ne repellas in finem, id est ubi sunt præmia beatorum, ubi martyribus coronæ præparantur. H In finem : mortis æternæ scilicet.

26 *Quare faciem tuam avertis ?*
Oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ ?

H Avertit Deus faciem ad tempus, ut probet electos suos. C Oblivisceris inopiæ, hoc est : cui consueveras subvenire, quam sic in aliis amas : ut te inopem dicas. Addidit tribulationis nostræ. Cujus tribulationis clemens semper Christus inspector est.

27 *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra :*
Conglutinatus est in terra venter noster.

C Humiliaverunt se in pulvere, qui cinere super se sparso : animas suas discruciant ad recordationem peccatorum. H Conglutinatus est in terra : cum caro infirmatur, sed sensus est intentus in cœlestibus.

28 *Exsurge, adjuva nos :*
Et redime nos propter nomen tuum.

C Exsurge, non ad dormitionem : sed ad resurrectionem est potius applicandum, in qua destructa agnoscitur humana captivitas. Illo enim resurgente adjuti sumus, non propter meritum nostrum, sed propter nomen suum. Ideo Salvator dicitur, quia per gratiam suæ pietatis salvat infirmos.

ORATIO EX PSAL. XLIII.

Exsurge, Domine, in auxilium nostrum, et erue nos ab opprobriis viciorum : et qui coram patribus nostris inimicarum gentium regna vicisti, a persequentibus inimicis vultus tui illuminatione nos eripe. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XLIV.

ARGUMENTUM PSAL. XLIV.

C Propheta Spiritu sancto repletus, incarnationem Domini Christi se eructare promittit, et mysticis virtutibus sponsam Christi describit Ecclesiam.

TT. *In finem pro his qui commutabuntur filiis Core ad intellectum.* ✣ *Canticum pro dilecto.*

C In finem : perfectionem significat, hoc est Dominum Christum. Filii Core : id est filii crucis, qui commutabuntur transiendo de tristitia hujus mundi ad gaudia æterna. Canticum, textum psalmi significat : pro dilecto, id est Domino Christo, de quo Pater dixit : Hic est dilectus Filius meus (*Matth.* III). Istius nunc spirituales nuptiæ referuntur.

1 *Eructavit cor meum verbum bonum :*
Dico ego opera mea regi.

C Eructare dicimus, quando satietas ciborum digestiones saluberrimas evaporat. Unde iste vir sanctus cœlesti largitate satiatus eructavit, unde fidelis populus abundantissime pasceretur. Cor meum : sinum mentis intellige. Verbum bonum : Filium Dei vocat. Opera vero : opusculum prophetæ fuit, et psalmi hujus decora contextio.

2 *Lingua mea calamus scribæ*
Velociter ✣ *scribentis* ⁘.

H Calamus scribæ, scriba ipse Christus est, qui scripsit fidem, spem, et charitatem, in cordibus sanctorum. Velociter, hoc est, quod non tardantur quæ dixerat, sed velociter adimplentur.

3 *Speciosus forma præ filiis hominum : diffusa est gratia in labiis tuis :*
Propterea benedixit te Deus in æternum.

C Speciosus dictus præ omnibus hominibus Christus est, non ex forma corporali, sed veraciter humano genere pulchrior fuit, quia peccata non habuit. Illud enim recte speciosum dicimus, quod gratia mundissimæ puritatis ornatur. H Diffusa est gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I). C Bene B dictum est autem : Benedixit te Deus : a forma servi, quæ et passionem pertulit, et ad regna cœlorum pervenit. Propterea, quia diffusa est gratia in labiis tuis, gratia, scilicet prædicationis. H Et etiam curationis : cum morbida verbo curas, mare quiescere facis, Lazarum vocas et venit, et omnia quæ loqueris, gratia labiorum tuorum perficiuntur.

4 *Accingere gladio tuo :*
Super femur ✣ *tuum* ⁘, *potentissime.*

5 *Specie tua et pulchritudine tua :*
Intende prospere procede et regna.

C Gladium, hic sermonem divinæ prædicationis debemus accipere : femur incarnationem H accinctus Christus *gladio*, verbo prædicationis : dividit Filium a Patre, etc. Potentissime, non segniter, C neque leviter, sed viriliter.

C Specie tua, hoc pertinet ad humanitatem Christi, pulchritudo ad deitatem. Intende, ut pereuntem hominem de cœlo miseratus aspicias. Prospere, quoniam erat humano generi liberationis beneficia præstiturus. C H Procede ut sponsus de utero virginali. Regna, id est, in credulitate hominum : potentiam tuæ majestatis ostende.

6 *Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam :*
Et deducet te mirabiliter dextera tua.

C Propter veritatem, illud significat, quia veritas de terra orta est (*Psal.* LXXXIV). Mansuetudo monstrata est, quando in cruce pro persequentibus oravit (*Matth.* X). Justitia vero, quia præcepta salutaria pius doctor infudit. Deducet, per cursum vitæ hujus totius inoffensa conversatione custodit. Mirabiliter, quia die tertia resurrexit. Dextera : potentiam verbi significat.

7 *Sagittæ tuæ acutæ :*
Populi sub te cadent in corde inimicorum regis.

C Sagittæ acutæ, sunt verba Domini salvatoris salutariter corda hominum infigentia, quæ ideo vulnerant ut sanent. Acutæ pertinet ad transformationis celeritatem. Populi sub te cadent, non pedibus quibus corpora sustinentur, sed corde cadent in humilitatem : qui prius in elatione erecti erant. Inimicos Christi dicit, qui a superna lege dissentiunt contraria voluntate.

A 8 *Sedes tua Deus in sæculum sæculi :*
Virga directionis virga regni tui.

C Hic enim sedes Dei ad judicium pertinet futurum, in quo omnia veraciter examinantur. Virga : regulam significat divinæ æquitatis, ista enim virga justos regit, impios percutit : quæ veraciter recta dicitur, quia nulla pravitate curvatur. Vel fortitudo invicta et inflexibilis disciplina, virga est directionis. Et clarius quæ sit virga ista : sequendo ostendit dicens :

9 *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem :*
Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

C Nemo enim perfecte diligit justitiam, nisi qui et actus pessimos exsecratur. Unctus est Christus in B regem et sacerdotem. H Oleo lætitiæ, id est resurrectionis et ascensionis. C Repetitio ista quod dicit : Deus Deus, præconium magnæ dilectionis ostendit. Præ consortibus dictum est, quoniam hanc benedictionem supra omne humanum genus Christus accepit, ut unctus singulariter cæteros ungere deberet.

10 *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis : a domibus eburneis :*
Ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

C Sanctum Domini corpus : quoddam deitatis cognoscitur fuisse vestimentum quia majestas verbi : oculis infidelium, velamine carnis videbatur abscondi. Ab hoc vestimento, id est incarnationis arcano congrue venisse dicitur myrrha et gutta et ca- C sia. Myrrha mortem Christi significat. Gutta quæ dicitur ammoniaca, incarnationi Domini comparatur. Casia quæ a nostris fistula dicitur, crescit in aquosis locis, significatque aquas baptismatis. Ebur est os elephantis, qui temperanter suæ feminæ commiscetur, et secunda conjuge non utitur. Hoc pudicis feminis aptum est : quæ in domibus eburneis mansisse noscuntur, dum per castitatem : præcepta Dei secutæ sunt. Filiæ regum dicuntur : qui semetipsos regant et animas suas. H Vel filiæ regum, id est apostolorum prædicatione conversæ animæ. A Vel filiæ : Ecclesiæ sunt ab apostolorum prædicatione fundatæ

D 11 *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato :*
✣ *Circumdata varietate* ⁘.

H Regina dicitur Ecclesia, et regina est quæ sua vitia regit vel peccata. C Quæ a dextris stetisse dicitur, quia dextera pars est honorabilis. Aurum ad charitatem debemus aptare. Ornatur vero Ecclesia etiam varietate, quia auro apostolorum, argento prophetarum, gemmis virginum, cocco martyrum, purpura pœnitentium.

12 *Audi filia et vide, et inclina aurem tuam :*
Et obliviscere populum tuum et domum patris tui.

C Dicit audi, scilicet prophetas qui incarnationem Domini cecinerunt. Filia prophetarum est Ecclesia dicta, quia eorum prædicationibus nata est. H Et vide, oculo cordis. C inclina aurem, id est, hono-

rabiliter verba prophetæ percipe. Obliviscere, id est, desere conventicula paganorum. Domum : Babyloniam dicit, id est mundum. *Patrem* diabolum, qui revera illam domum confusionis possidebat.

13 *Et concupiscet rex decorem tuum :*
Quoniam ipse ✣ est ⁝ Dominus Deus tuus ✠ et adorabunt eum ⁝ .

C Rex itaque iste, Salvator est, qui concupivit Ecclesiam : in sorte diaboli constitutam. Ipse est Dominus Deus tuus, non ille quem patrem dicebas : qui te fecerat tenebrosam, sed qui pristinam submovens feditatem : pulchritudinem tibi contulit nuptialem, quem omnes populi adorabunt Christiani.

14 *✣ Et ⁝ filiæ Tyri in muneribus :*
Vultum tuum deprecabuntur ✣ omnes ˙ divites plebis.

C Tyrus interpretatur angustia. H Et significat animas in angustia positas, ille enim muneribus cordis adorat. Tunc vero in vultum Ecclesiæ, id est, in Christiani populi faciem intendimus, quando majestatem Christi in angustiis positi : piis fletibus exoramus. Omnes divites, non enim sola Tyrus, sed etiam totius mundi adunata diversitas, ut sic vultus Ecclesiæ sit vel fides vel divinitatis majestas.

15 *Omnis gloria ✣ ejus ⁝ filiæ regis ab intus :*
In fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

16 *Adducenter regi virgines post eam :*
Proximæ ejus afferentur tibi.

C Gloria est siquidem Ecclesiæ, quando filiæ principum sive justorum convertuntur ad Dominum, et secreta se cupiunt cordis devotione offerre. Ab intus enim est : in secreto sensuum se Christo offerre. Fimbriæ sunt finitima vestium, per quas significatur extrema vita hominum : quæ aureæ dictæ sunt, quia in fine tota perfectio est, ubi charitas plenissima velut aurea reperitur. Circumamicta varietate, propter varias virtutes fidelium dicit, quas superius exposuimus.

C Adducentur *regi*, *virgines*, *deinde viduæ*. Et vide in ipsis nominibus non minimam esse distantiam. Virgines enim dixit adduci, quia integritate corporis robustæ sunt. Viduas vero dixit afferri, quæ plerumque fractæ diversis sollicitudinibus : corporis imbecillitate fatigantur. Afferentur igitur proximæ Christo, hoc est viduæ castæ, quæ gratu inferiori junguntur. Nam cum virginitas habeat centesimum fructum, ista sexagesima ubertate gloriatur.

17 *Afferentur in lætitia et exsultatione :*
Adducentur in templum regis.

C Merito ergo dictum est *adducentur* in lætitia, quia ille fragilis sexus vicit gravissimas corporum passiones : quæ angelorum sunt ministeriis adductæ, non solum in conspectum sed etiam in templum, id est, in penetralia regis, id est, in Jerusalem futuram, ubi venisse : beatum gaudium est et gloriosa securitas.

18 *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii :*
Constitues eos principes super omnem terram.

C Pro patribus tuis. Nunc exponit quantum hæc A sponsa profecerit, ut pro antiquis patribus, id est, idolorum cultoribus : nati sint illi filii apostoli : quos principes prædicationis in toto terrarum orbe transmisit. Sed quantum sunt ista disparia, tantum laudatur Ecclesia. Illi enim erant seductores erroris, isti magistri veritatis. Illi seminabant exitia, isti hortabantur ad vitam.

19 *Memor ero nominis tui :*
In omni generatione et generatione.

H Ideo memores erunt nominis tui, quia semper te prædicabunt apostoli, sive ædificabunt in generationibus sanctorum. Sive populus Christianus apostolorum prædicatione conversus memor erit nominis Christi. Habet enim Romana translatio (quam Hieronimus hic et Cassiodorus sequitur) *memores*.

B 20 *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum :*
Et in sæculum ✣ sæculi ⁝ .

H Ob eorum prædicationem : confitebuntur Christo semper populi delicta. Vel confitebuntur. A C *id est in confessione symboli, id est quando symbolum* in Ecclesiæ facie publice confitentur. A Vel laudando confitebuntur in sæculum sæculi, hic et post hanc vitam in æternum. In sæculum sæculi futura significat quando : omnis adversitas conquiescit, et regnat sola justitia, contrarietate diaboli deleta, tunc enim confitebuntur : gloriam Dei enarrando plene.

ORATIO EX PSAL. XLIV.

Christe Domine, verbum Patris (per quem cuncta creata sunt et creantur), custodi quæsumus Ecclesiam tuam varietate gentium congregatam, ut dum C te ex ipsa credulitatis justitia corde puro diligimus : principatum æterni sæculi cum patribus mereamur. Qui cum Patre, etc.

PSALMUS XLV.

ARGUMENTUM PSAL. XLV.

C Vox fidelium, in perturbatione sæculi Deo protectore nihil timentium.

TT. *In finem filiis Core pro arcanis Psalmus.*

C In finem : notum est quemadmodum ad Christum possit referri. Filii Core : Filii Christiani, ex quorum persona psalmus iste canitur. Pro arcanis : adventum significat Salvatoris, quem mirabili secreto pro hominum salute disposuit.

1 *Deus noster refugium et virtus :*
D *Adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.*

C Quam pulchra diffinitio, quasi interrogarentur Christiani : filii Core. *Quid est Deus noster ? respondeant : refugium et virtus et adjutor.* Refugium fidelium, quando eos de animæ periculo liberat. Virtus, quando eorum mentes stabiliter ab iniquo errore custodit. Adjutor in tribulationibus, cum divina misericordia nos in tribulationibus suscipit et defendit.

2 *Propterea non timebimus dum turbabitur terra :*
Et transferentur montes in cor maris.

C Propterea non timebimus, quia in Christum credimus. H C Dum turbabitur terra, id est, gene-

ratio Judæorum, qui terrena sapiunt, et dum transferentur montes, id est, apostoli relictis incredulis Judæis. In cor maris, hoc est ad prædicandum gentibus transierint. C Et inspiciendum, quod aridæ terræ perfidia Judæorum, aquis vero falsis credulitatem gentium comparavit : ut illa corda in malum durata, hæc vero evangelico sale condita cognoscerent

3 *Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum :*
Conturbati sunt montes in fortitudine ejus.
Diapsalma.

C De adventu Domini sonasse dicit apostolos prædicationes suas, quo tempore turbatas asserit, aquas, id est, innumeras gentes, quæ de tali fuerunt annuntiatione et miraculorum admiratione perterritæ. Conturbati sunt montes, id est sæculi potestates, quando contra religionem Dei, leges sacrilegas pagani inferebant. In fortitudine ejus, scilicet soni apostolorum : apostolorum enim grandisona prædicatione totus mundus intremuit, et ad Domini se crudelitatem limpidato postea corde revocavit.

4 *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei :*
Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

C Iste enim fluvius Christus est, et benedixit fluminis impetus, quia nihil palustre, nihil morosum cursus ejus sustinet, cum se potentia divinitatis ejus infuderit. Tabernaculum Altissimi est Ecclesia, sive humani corporis gloriosa susceptio.

5 *Deus in medio ejus non commovebitur :*
Adjuvabit eam Deus mane diluculo.

C Deus in medio ejus, id est Ecclesiæ, non commovebitur. Commoveri enim non potest Ecclesia : quæ in solidissima petra, hoc est in Christo : noscitur esse fundata. Adjuvabit dixit, scilicet in sæculi adversitate laborantem. H Diluculo, id est, inspectione sancta quam merebitur cor mundum. Vel mane, id est, boni operis principio, et hoc diluculo, id est, illuminatione Spiritus sancti

6 *Conturbatæ sunt gentes et inclinata sunt regna :*
Dedit vocem suam, mota est terra

H Conturbatæ sunt gentes, scilicet vitiorum ac criminum. C Inclinata sunt regna, id est, humiliata sunt ad adorandum. Dedit vocem : per se prædicando et per apostolos, ad quam necesse fuit tremefieri peccatores : qui terreni nuncupantur. Vel gentes idolatræ : conturbatæ sunt : in subito sono prædicationis incognitæ religionis.

7 *Dominus virtutum nobiscum :*
Susceptor noster, Deus Jacob. Diapsalma.

C Dominus virtutum, utique cui virtutes cœlestes serviunt. Nobiscum, quoniam assumpta carne habitavit in terris. Susceptor : quando carnem pro infidelium salute suscepit. Dicit vero noster, non enim Deus solius Jacob, sed omnium qui simili fide devoti sunt.

8 *Venite et videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram :*
Auferens bella usque ad finem terræ.

C Venite cum dicit, hortatur eos, ut fide Domino proximentur : quæ non poterant videre longinquum. H Opera Domini, id est, virtutes Dei. C Prodigium dictum est, eo quod porro dicat. Quod factum est in Nativitate Domini, quando virgo peperit, et stella magis apparuit. Auferens bella, id est, quia in Nativitate Domini : regnante Augusto : totus orbis legitur esse pacatus. H Omnia bella in adventu Domini quievisse : multorum narrat historia. Vel pugnas vitiorum accipe.

9 *Arcum conteret et confringet arma :*
Et scuta comburet igni.

H Arcum conteret, id est, occultas insidias spirituum malorum. Confringet arma, id est, præsentes pugnas. Et scutum comburet igni, id est, consumet igne spiritali, phantasias diabolicæ excusationis, defensionis peccatorum, vel protectionis. C Vel de armis gentium, quibus fidem impugnabant et se defendebant : accipe, hæc enim omnia confringentur dum veritate vincuntur.

10 *Vacate et videte quoniam ego sum Deus :*
Exaltabor in gentibus et exaltabor in terra.

C Hunc versiculum loquuntur filii Core ex persona Domini. Merito illis dicitur, vacate : qui mundanis illusionibus armabantur, et diabolo serviebant. Quoniam ego sum Deus, non ille qui vos prius armabat ad malum, sed qui exaltabor in gentibus et in terra, id est, in gente Judæa, quoniam terræ supra : Judæos comparavit.

11 *Dominus virtutum nobiscum :*
Susceptor noster Deus Jacob. ✠ *Diapsalma.*

C Talem siquidem professionem ideo secundo repetunt filii Core, ut per eam nobis declararent liberationem præstitam fuisse. Deus Jacob ideo frequenter apponitur, ut victoria Christiani populi declaretur, qui licet sit tempore posterior : primum tamen populum fideli devotione transcendit.

ORATIO EX PSAL. XLV.

Perspicuum in imminenti tribulatione refugium misericors Deus, sanctifica impetu æterni fluminis habitaculum cordis nostri : ut te Deo virtutum nobiscum operante, terrena prælia confutemus. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS XLVI.

ARGUMENTUM PSAL XLVI.

C Vox Ecclesiæ Deum laudantis, Ascensionemque ejus prædicantis.

IT. *In finem pro filiis Core psalmus.*

C Loquuntur et in hoc psalmo filii Core, quos vexillo crucis mater signat Ecclesia. Commonentur itaque primo gentes, ut Domino laudes debeant personare, secundo Domini Ascensio et regnum ejus sub brevitate describitur.

1 *Omnes gentes plaudite manibus :*
Jubilate Deo in voce exsultationis.

C Plaudunt vero manibus : qui elemosynas faciunt, ægrotis serviunt. Jubilare vero gaudere est, qui sermo dictus est a juvando, id est, delectando : quando magnitudinem gaudii non articulatis sermonibus, sed confusâ voce proferimus. Vox exsulta-

tionis psalmodiam significat, quæ Deo pro nominis sui majestate persolvitur

2 *Quoniam Dominus excelsus terribilis :*
Rex magnus super omnem terram.

H Dominus excelsus dictus, quia cœlos ex potentia sua ascendit. C Rex magnus, quia rex regum et Dominus dominantium (*Apoc.* XIX). Terribilis, quia judicaturus est mundum, et ne tantum putaretur esse Judæorum : rex dicit omnium terrarum.

3 *Subjecit populos nobis :*
Et gentes sub pedibus nostris.

C Pedes hic significat sanctissimos prædicatores, quibus populi merito et gentes esse subjecti dicebantur.

4 *Elegit nobis hæreditatem suam :*
Speciem Jacob quam dilexit. Diapsalma

C Elegit nobis, subaudiendum est dare, ut qui venerat ad salvandum Israeliticum populum : hoc magis gentibus pia largitate concederet. Speciem Jacob : Jacob lenticulæ et parvo commercio carnalium, spiritualem honorem assecutus est, hæc ipsa est enim species Jacob quam Dominus dilexit, adeo ut et eadem facere velit fideles suos : quæ ille mystica significatione sequenda præmonuit, id est Deo offerendo terrena, et acquirendo cœlestia, sic enim vere Christiani dicimur. H Vel de pulchritudine Jacob dilecti, id est de stirpe sua, apostolos elegit.

5 *Ascendit Deus in jubilo :*
Et Dominus in voce tubæ.

C Ideo Ascensio Domini in jubilatione esse dicitur, quia stupentes apostoli tale miraculum : ineffabili cordis lætitia replebantur. Voce quoque tubæ, verba significat angelorum dicentium : Viri Galilæi (*Act.* I). Verba vero ista magno strepitu percussi aeris fragore tonuernnt.

6 *Psallite Deo ✣ nostro ⁝ psallite :*
Psallite regi nostro psallite.

C Psallere, est bonis actibus laudes Deo canere. Regi nostro, id est Deo nostro Jesu Christo, non alieno cuiquam, sed Deo nostro : quem solum decet ista laudatio.

7 *Quoniam rex omnis terræ Deus :*
Psallite sapienter.

C Quoniam rex omnis terræ, hoc propter illos dicitur, qui sibi per singula loca diversa numina faciebant, ut Venerem in Papho, Martem in Thracia, Jovem in Creta, et alios per loca diversa. Psallite sapienter, hoc est quod intelligat quæ psallit. Nemo enim sapienter quidquam facit quod non intelligit. H Vel ut quæ canitis per litteram : intelligatis spiritualiter dicta.

8 *Regnavit Deus super gentes :*
Deus sedet super sedem sanctam suam.

H Regnavit Dominus super gentes, quas in hæreditate accepit a Patre. C Sedet super sedem sanctam suam, Dominum Salvatorem significat, qui sedet ad dextram Patris, regnans in sæcula sæculorum. H Vel in angelis sedet, qui propter innocentiam suam sedes Dei dicuntur, inde dixit cœlum mihi sedes est.

9 *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.*
Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt

H Principes populorum, id est apostoli, congregati sunt ad judicandum, cum Deo Abraham, id est, cum Christo qui est Deus Abrahæ. Quoniam dii. C Hoc est Judæi, qui fuerunt fortes, quia tumuerunt : per superbiam facti sunt extremi, qui potuerunt per humilitatem esse præcipui. H Vel dii sancti sunt, qui hic per fidem et prædicationem vehementer elevati : in judicio amplius et gloriosius elevabuntur, id est apostoli sic congregati in judicio, vehementer sunt elevati judicantes.

ORATIO EX PSAL. XLVI

B Rex omnium sæculorum Deus (cujus regnum super omnes populos dilatatur), subjice, quæsumus, gentes vitiorum sub pedibus nostris : ut dum tibi sapienter Deo nostro psallimus : tuo eas auxilio superemus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XLVII.

ARGUMENTUM PSAL. XLVII.

C Vox prophetæ laudantis Deum, quæ Ecclesiam suam dilataverit

TT. *Psalmus cantici filiis Core ✣ Secunda Sabbati ⁝*

C Videamus nunc quid significat secunda sabbati. Sabbatum synagogam, id est, collectionem debemus accipere Judæorum, quæ Sabbatum observare videbatur. Secunda vero, ejus Ecclesia catholica est. Ideo verba psalmi hujus sacerdotibus tribuuntur : ad C Christianum populum edocendum, quos et filios crucis haberi posse non dubium est, et secundos esse tempore post synagogam manifestum est.

1 *Magnus Dominus et laudabilis nimis :*
In civitate Dei nostri in monte sancto ejus.

C Magnus dicitur Dominus, quia potenter omnia facit. Laudabilis, quia pulchra et mira facit. Additur nimis, quod non habet terminum, sed sua assiduitate semper augetur. In civitate : hoc est in Ecclesia. Mons autem sanctus est Christus.

2 *Fundatur exsultatione universæ terræ :*
Mons Sion latera aquilonis, civitas regis magni.

H Fundata est terra exsultatione, ab ascensione Christi, quæ prius maledicto et peccatis subjacebat. Mons Sion, C natio Judæorum. Latera aquilonis, D populi gentium, facta est civitas regis, hoc est Ecclesia catholica, quam de universo mundo constat esse collectam

3 *Deus in domibus ejus cognoscetur*
Cum suscipiet eam

C Cognoscetur Dominus in domibus, id est in membris suis sanctissimis, virtus sua et potentia declarabitur, quando in Ecclesia beatos viros; ipso largiente : illi offerre monstrabitur.

4 *Quoniam ecce reges congregati sunt :*
Convenerunt in unum

C *Reges* terræ hoc loco significantur principes Judæorum : quos Herodes congregans in unum, quærens ubi Christus nasceretur et illi congregati

dixerunt, in Bethlehem (*Matth.* II). Et convenerunt in unum, quia omnes unam protulere sententiam.

5 *Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt :*
Tremor apprehendit eos.

6 *Ibi dolores ut parturientis :*
In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

H Ipsi Judæi, scilicet videntes gloriam redemptoris, admirati de tanta gloria. Conturbati : quia se noverant peccatores commoti : de infidelitate ad fidem. Tremor apprehendit eos (*Isa.* XXVI) : a conscientia delictorum, unde dictum est. A timore tuo concepimus, et peperimus spiritum salutis.

H Ibi dolores, cum corpora affligere per abstinentiam cœperint. In spiritu vehementi, *hoc est* fortissimo, scilicet sancto Spiritu, conteres naves, humiliabis superbiam gentium, quia Tharsis a navigatione negotiorum superba facta est : significans eos qui hujus sæculi negotiis circumferuntur. C Isti igitur nunc contriti, credentes dicunt. Sicut audivimus. A Dolores pœnitentiæ sunt, ut dolores parturientis.

7 *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri :*
Deus fundavit eam in æternum. Diapsalma.

H Sicut audivimus per prophetas, ita videmus in Evangelio, quod est civitas virtutum. In civitate Dei, id est, in Ecclesia catholica. C Deus fundavit eam, quia sola illa veraciter civitas Dei nuncupatur.

8 *Suscepimus Deus misericordiam tuam :*
In medio templi tui.

C Illi enim misericordiam Dei suscipiunt, qui non solum per fidem sunt vocati, sed etiam per occultam prædestinationem ad æternam beatitudinem sunt electi. H In medio templi : in Ecclesia. C Misericordia (quæ Christus est) non ab omnibus suscipitur, sed ab his catholicis qui ejus præcepta sunt secuti.

9 *Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ :*
Justitia plena est dextera tua.

C Nomen enim Dei in toto orbe terrarum : sine dubio creditur adorandum. Plena est ergo dextera justitia ejus, locum significat, ubi justi sunt collocandi, ad dexteram enim veniunt in judicio, quia in illam partem dexteram recipiuntur, qui ejus munere justi esse meruerunt. A Vel. Secundum nomen tuum, etc., id *est* quomodo nominatus es per universas terras, sic et laudaris per omnes terras. Illi autem laudant qui bene vivunt : nec potest esse laus nisi in sanctis ejus.

10 *Lætetur mons Sion ✠ et ⁝ exsultent filiæ Judæ :*
Propter judicia tua ✠ Domine ⁝

C Per montem Sion, Ecclesiam significat catholicam. H Exsultent filiæ Judæ, id est, animæ confessorum, quia Judas confessio interpretatur. C Quæ propter judicia Domini exsultent, quibus se ad beatitudinem æternam *sciant* esse venturas.

11 *Circumdate Sion et complectimini eam.*
Narrate in turribus ejus.

H Circumdate Sion, id est defendite Ecclesiam in credulitate vestra. Complectimini eam : in charitate. Narrate, hoc est prædicate, in turribus, id est, in principibus Ecclesiæ. Quia sicut turris fortis est, et undique speculatur, sic et sancti et fortes et prædicatores debent esse in genere humano.

12 *Ponite corda vestra in virtute ejus : et distribuite domus ejus :*
Ut enarretis in progenie altera.

H Ponite, hoc est intelligite corda vestra : in virtute, hoc est in charitate Christi. C Qua virtute nihil potest esse præstantius. H O vos doctores ecclesiastici, distribuite domus, id est, gradus ecclesiastici ordinis, ut enarretis, non solum his qui credunt : sed etiam his qui crediturі sunt. C Per alteram enim progeniem signat populum Christianum, qui ab Hebræo : quem primum Dominus elegit : secundus esse dignoscitur. H Ideo vos doctores Ecclesiarum distribuite ejus ordinationum gradus : canonice et sancte, non præmiis corrupti, non personarum acceptione per adulationem lapsi, ut enarretis. Et quid enarrabimus ? quoniam hic, etc.

13 *Quoniam hic est Deus Deus noster in æternum et in sæculum ✠ sæculi ⁝ :*
Ipse reget nos in sæcula.

H Exponit iste versiculus, quid ecclesiastici sacerdotes narrare debent : Quoniam hic est Deus Deus noster. C In æternum, contra illos dictum, qui sibi temporales homines deos esse somniabant. Regat utique ille nos, quia ipse est rex noster. H Regat lubricos et tortuosos gressus nostros.

ORATIO EX PSAL. XLVII.

Laudabilis atque terribilis Deus, qui in cœlesti Jerusalem princeps magnificus inveniris : dilata mentem nostram spiritali intelligentia, ut misericordia tua in nostri pectoris templo suscepta, digni narratione tui nominis habeamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XLVIII.

ARGUMENTUM PSAL. XLVIII.

C Vox Christi de meritis justorum, pœnis impiorum, et ne divites in hoc sæculo timeantur.

TT. *In finem filiis Core psalmus.*

C Tituli hujus verba contrahuntur ad Dominum Salvatorem. Ipse enim et in finem significat, et per filios crucis intelligitur, et per psalmistam sine dubio denuntiatur. Et per totum psalmum verba sunt Omnipotentis filii.

1 *Audite hæc, omnes gentes :*
Auribus percipite, omnes qui habitatis orbem.

C Admonetur universalis Ecclesia, ut veniant ad audiendum Christum, quia non vult Christus tantum paucis prodesse, sed omnibus cum puro corde quærentibus. Auribus percipite, id est, ut in sinibus suæ memoriæ reponant. Habitatores orbis : Christianos et justos accipimus, qui sic noverunt habi-

tare in orbe, ut in ejus sceleratis non implicentur A erroribus.

2 *Quique terrigenæ et filii hominum :*
In unum dives et pauper.

C Quique terrigenæ, per hoc intelligendum est, quod omnes habitatores terræ, ad audiendum verba Dei vocentur. C Terrigenæ peccatores sunt, qui vitia terrena sectantur. Filii hominum : justos dicit, quoniam et ipse Christus Filius hominis dictus. H Per divitem et pauperem liber et servus accipiuntur.

3 *Os meum loquetur sapientiam :*
Et meditatio cordis mei prudentiam.

C Os Christi loquitur sapientiam, id est, ad divina mysteria declaranda, quæ occulta sunt ab hujus sæculi sapientibus. Prudentia pertinet ad mores B probabiles instituendos, sic omnis divinus sermo his duabus virtutibus plenissime indicatur. H Semper in corde meditabor, ut homines relinquentes stultam vanitatem, Christi prudentiam sequerentur.

4 *Inclinabo in parabolam aurem meam :*
Aperiam in psalterio propositionem meam.

C Aurem inclinaturum se promisit Christus, ut cognosceret si prædicationem ejus populus devotus impleret. In parabolam : similitudo enim rei veri imitatio est, et est sensus ut quod nobis ad exemplum datum est, devota æmulatione prompte Domino præstante faciamus. Aperire se dixit in psalterio propositionem, id est declaraturum præcepta divinitatis in sanctitate proprii corporis, ut probaretur docere verbo et exemplo. Psalterium enim (sicut sæpe diximus) corporis Domini decora similitudo est.

5 *Cur timebo. In die mala*
Iniquitas calcanei mei circumdabit me.

C Cur timebo. Sub interrogatione et responsione propria versus iste est pronuntiandus, id est quare formidolosa cogitatione confundar, in die mala ? in die scilicet passionis, quæ mala Judæis, bona fidelibus fuit. Ille enim debet timere finem vitæ, qui peccatorum recordatione mordetur. Christus autem mortem timere non poterat, quem non circumdabat iniquitas calcanei, quemadmodum solet contingere peccatori in fine vitæ, ut tunc iniquitas D scelerato fine vitam claudat. A Vel quilibet homo sua peccata agnoscens dicit, cur timebo in die mala ? id est, judicii. Et respondet, ideo, quia iniquitas calcanei mei circumdabit me. H Id est peccatum actuale vel originale.

6 *Qui confidunt in virtute sua :*
Et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.

H Qui confidunt in virtute sua, illi labuntur in calcaneo. C Et in multitudine divitiarum suarum : necesse est enim ut tales timeant finem, qui deserere mundana nolunt, et peccatorum suorum pœnas formidant. Virtutem vero dixit corporis vires, animi robur, linguæ disertitudinem.

7 *Frater non redemit, redimet homo ?*
Non dabit Deo placationem suam :

H Frater non redemit, id est, Adam, quia mortuus ipse non surrexit, vel frater non redemit, id est Moyses. Redimet homo, id est Christus redimet, quos Moyses non redemit. Ille non dabit Deo placationem, qui non agit pœnitentiam : per quam placatur Christus. C Vel sub admiratione legendum est sic : Non redimet vel frater, redemit, scilicet Christus, redimet, scilicetne homo? scilicet Adam : quasi diceret, si Christus non redemit vel redimet, nemo redimet, unde negative legendum. Non dabit Deo, etc., ullus homo.

8 *Et pretium redemptionis animæ suæ.*
Et laborabit in æternum et vivet adhuc : in finem.

9 *Non videbit interitum cum viderit sapientes morientes :*
Simul insipiens et stultus peribunt.

H Et pretium redemptionis : subauditur non dabit, quia non fecit elemosynam per quam peccata delentur. Laborabit in æternum, in tormentis perpetuis positus, et vivet in finem, quia non interficitur, sed semper reparatur ad pœnam.

H Non videbit interitum, hoc est, non intelligit sibi imminere tormenta. Cum viderit hominem in Deo sapientem, ab hoc mundo migrare, dicit, quid huic jejunia, quid castitas, quid elemosynæ profuerunt, nonne et ipse mortuus est ? Tale quiddam Redemptori nostro Judæi insultantes dicebant : Numquid tu major es patre nostro Abraham (*Joan.* VIII)? C Insipiens est qui prædicationibus prophetarum acquiescere non vult. Stultus vero dictus : qui nec ipsum Dominum venientem vult recipere. Hi ergo simul peribunt, quoniam in futuro judicio damnandi sunt.

10 *Et relinquent alienis divitias suas :*
Et sepulcra eorum domus illorum in æternum.

H Qui in divitiis et non in Domino sperant, perdunt utrumque, et divitias et Dei adjutorium. Divitias ideo perdunt, quia ibi posuerunt ubi fures effodiunt : Dei adjutorium, quia illum spreverunt. Et divitias quas magnopere diligebant, non suis, sed (quod gravius uret) extraneis derelinquent propter D quas omnia peccata commiserant. Et fabricant sibi sepulcra de marmore : firma, magna et pulchra quasi domus in æternum mansuras. Ecce etiam morientium pompa.

11 *Tabernacula eorum in progenie et progenie :*
Vocaverunt nomina sua in terris suis.

H Hæc erit illis perpetua habitatio, quia non resurgunt ut habeant vitam æternam, sed ut damnentur in pœnam. Vocaverunt, sæpe enim pagani supra defunctorum epulantur sepulcra, et in nomine mortuorum bibentes, inania quædam cum modulatione canunt. C Atque invocant nomina mortuorum, et credunt hoc illis prodesse. H Sed nihil prodest in inferno damnatis, et ita per terras, sepulcra acci-

piuntur. Et invocaverunt habet alia littera, quod hic exponitur.

12 *Et homo cum in honore esset non intellexit : Comparatus est jumentis ✣ insipientibus ⁘, et similis factus est illis.*

H Homo cum in honore esset, non intellexit, esse se ad imaginem Dei formatum. C Comparatus est jumentis, digna similitudo datur vecordibus, ut qui se imaginem Dei gestare non intelligunt, congrue jumentis insipientibus comparentur. Nam tolle homini Dei scientiam, et omnino pecus insipiens est, præsumptio vana et caduca superbia.

13 *Hæc via illorum scandalum ipsis. Et postea in ore suo complacebunt. Diapsalma.*

C Hæc via, id est vita, in qua in hoc sæculo ambulamus. Sed hæc via quid malis faciat : non tacetur. Scandalum utique actoribus suis, id est stimulum atque dolorem. Non enim ad securitatem suam quidquam peccator facit, cui de sua provenit actione, torqueri. Consuetudo est peccantium, ut postquam impleverint votum in peccato, mox divinitati gratias agunt, in ore non in corde, unde dicit : postea in ore suo complacebunt, Deo gratias agentes quod prospere peccaverint.

14 *Sicut oves in inferno positi sunt : Mors depascet eos.*

C Sicut oves lanæ suæ amissione jugiter perseverant, sic semper in illis sine imminutione substantiæ, invenit pœna quod cruciet. H Merito a morte depascuntur, qui Christum noluerunt habere pastorem.

15 *Et dominabuntur eorum justi in matutino : Et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.*

C Et dominabuntur eorum, quod utique in illa resurrectione felicium est, ut malis *præmineant* boni, hic enim justos obtinent peccatores. In matutino, cum gloria resurrectionis illuxerit. Quorum auxilia tanquam panni putrefacti veterascunt, quia eorum divitiæ nihil illis prosunt. A gloria sua, quam in isto sæculo habuerunt. H Id est in comparatione ad gloriam eorum quam hic habuerunt, quanto enim amplius hic sunt gloriati, tanto plus in inferno corruptionem patientur (*Apoc.* XVIII).

16 *Verumtamen Deus redimet animam meam : de manu inferi. Cum acceperit me. Diapsalma.*

C Liberavit Deus animas eorum, qui adventum ejus constanti animo crediderunt. De manu inferi, de potestate diaboli : qui ante adventum Christi animas tenebat obnoxias. C Dives enim dictus est a divo, qui quasi Deus creditur nihil indigere : per quem hic impium debemus accipere. Cum ejus gloria multiplicata fuerit, junge, ne timueris.

17 *Ne timueris cum dives factus fuerit homo : Et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.*

H Dives effectus est Judas proditor vendendo magistrum, sed nihil pretii quod acceperat : secum cum moriebatur deportavit. Si ergo nunc unusquisque oppresso paupere dives efficitur, noli timere, cito præterit, et nihil secum de his quæ rapuerat tollit, Domino dicente : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt (*Luc.* XII), quæ autem parasti cujus erunt.

18 *Quoniam cum interierit non sumet omnia : Neque descendet cum eo gloria ejus.*

C Ecce redditur ratio quare timeri non debeat mundi gloriosus. Cur enim timemus divitem, qui moritur pauper, nec aliud secum valet portare, nisi unde possit ardere? Et bene dicitur descendere in profundissimam foveam, sed sine gloria sæculi, sine turba satellitum. Et domus illa quam mirabaris, remanet tota, sed onera quæ non videbas : transmittit ingentia secum in gehennam.

19 *Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur : Confitebitur tibi cum benefeceris ei.*

C Ista benedictio non ad sanctificationem pertinet, sed ad favorem. Benedicitur enim dictum est : propter linguam satellitum, inter epulas suos dominos collaudantes. Cum ei benefeceris, confitebitur, id est, tunc agit gratias Deo, quando aliquid lucri conquirit

20 *Introibit usque in progenies patrum suorum : Usque in æternum non videbit lumen.*

C Qui in isto sæculo patres pessimos imitantur, eorum societate damnandi sunt. Usque in æternum non videbit lumen, id est, lumen sapientiæ hic et in æternum. Lumen quod illuminat omnem hominem, quod soli sancti in deitate videbunt. Sicut enim peccata sunt tenebrosa, ita peccatoribus sapientiæ lumen auferunt. H De quibus dicitur : Projicite eum in tenebras exteriores (*Matth.* XXII).

21 *Homo cum in honore esset non intellexit : Comparatus est jumentis ✣ insipientibus et ⁘, similis factus est illis.*

C Conclusit propheta pulcherrimum psalmum parilitate versus, ut se peccator a malo proposito removeret, cum stultitiam suam iterata increpatione cognosceret.

ORATIO EX PSAL. XLVIII.

Reple, Domine, os nostrum sapientia tua : ut memores te hominem factum, nosque redemisse de tartaro, mereamur vultus tui lumine decorari. Qui cum Patre et Spiritu sancto, etc.

PSALMUS XLIX.

ARGUMENTUM PSAL. XLIX.

C Vox synagogæ de primo et secundo adventu Christi, ipsiusque admonitio, ut ei sacrificium laudis fideles offerant.

TT. *Psalmus Asaph.*

H Asaph erat egregius musicus, cujus nomen interpretatur *congregatio*. Psalmus iste discernit justos ab impiis, cœlestes a terrenis, sanctos a peccatoribus : protestatur etiam non se locutum propheta, sed ipsum Dominum, dicens Deus, etc.

1 *Deus deorum Dominus locutus est : Et vocavit terram.*

C Deus enim timor Græca lingua dicitur. H Igitur

Deus in Trinitate Pater et Filius et Spiritus sanctus. Unus tamen Deus deorum : dii enim dicuntur boni homines. Locutus est, C per prophetas et apostolos. Et vocavit terram, id est genus humanum. H Credentes deos nuncupari voluit, quia dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). C Dicuntur itaque filii sicut et dii : quia utrumque gratia præstat, non natura.

2 *A solis ortu usque ad occasum :*
Ex Sion species decoris ejus.

C A solis ortu, per solis cursum : universum significat mundum, quia omni terræ oritur et occidit claritas ejus. Ex Sion species, Hierusalem, in qua mons iste puris mentibus velut aurea massa resplendet. De hac enim urbe exeuntes apostoli, speciem decoris ejus annuntiaverunt in toto orbe terrarum, sicut Isaias dicit : Ex Sion exibit lex, et verbum B Domini de Hierusalem (*Isai.* II).

3 *Deus manifeste veniet :*
Deus noster et non silebit.

C Nunc de secundo Christi adventu propheta dicit, manifeste veniet. Manifeste vero tunc veniet Christus, quando jam non cruci affigendus, sed judicaturus est mundum. Silet enim modo per patientiam cum peccamus, tunc autem non silebit, cum sceleratis dicturus erit : Ite in ignem æternum (*Matth.* XXV). Manifeste vero dicitur, quasi a mane dies festus dictum sic a sacrificiis, quia tota die festivitati vacaretur.

4 *Ignis in conspectu ejus exardescet :*
✠ *Et* ⁘ *in circuitu ejus tempestas valida.*

H Ignis hic duplicem habet virtutem, illuminat C enim et exurit. Gaudeant enim justi : quia illuminantur ex eo, timeant peccatores, quia exurendi sunt ab eo. C Hæc tempestas non ventis agitur, nec procellis sævientibus excitatur, sed ex divina potentia vehemens spiritus consurgit, ut area Domini : æquitatis ejus sententia ventiletur. Tunc frumenta sequestrat a paleis. Quod judicium merito tempestas dicitur, quia improvisum veniet, et nimia celeritate bonos discernet.

5 *Advocavit cœlum desursum :*
Et terram discernere populum suum.

H Advocavit cœlum, id est, apostolos vel reliquos sanctos, qui despectis terrenis, quæ sursum sunt sapiunt. Discernit autem terrenos, ut cum cœlestes ponuntur ad dexteram, hi ad sinistram collocentur. D

6 *Congregate illi sanctos ejus :*
Qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

C Nunc synagoga Christi, verba facit ad angelos, qui ministerio suo in fine sæculi congregabunt omnes sanctos de universo mundo. H Qui ordinant, id est, qui sancti prædicant vel implent Testamentum Novum super Vetus, ut per Testamentum novam legem, per sacrificia veterem intelligas. H C Vel qui ordinant Testamentum, id est, ordinabiliter dant et faciunt sicut testatus est Christus eis, qui opera misericordiæ exercent : regnum accepturi æternum, in quorum miserationibus Deus super omnia sacrificia delectatur.

7 *Et annuntiabunt cœli justitiam ejus :*
Quoniam Deus judex est. Diapsalma.

C Cœlos, viros justos dicit, quibus verbi cœlestis dispensatio condonatur. Quoniam Deus judex est, ac si diceret : Qui nescit falli, et sicut omnia manifeste novit, ita sine reprehensione discernit. H Vel sancti prædicabunt justitiam, id est mandata ejus, et prædicabunt quod est judex vivorum et mortuorum, ideo justitia est timenda.

8 *Audi populus meus et loquar : Israel et testificabor tibi :*
Deus Deus tuus ego sum.

C Audi populus meus, hic ipsa Veritas ex propria persona loquitur. Populus hic significat plebem devotam. Cum dicit audi, id est, devota mente suscipe. B Loquar, subaudi profutura. Testificari, id est, testimonium dicere. Tunc fidelibus testimonium dabit, cum dicturus est : Esurivi enim et dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV). Est hic autem magnum sacramentum dum dicit : Sum ; sum enim proprium est divinitatis verbum, eo quod semper adest et tempore non mutatur divinitas. Est vero ibi et aliud sacramentum, quia scilicet una syllaba tribus litteris continetur, ut sancta Trinitas unus Deus esse doceatur.

9 *Non in sacrificiis tuis arguam te :*
Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

C Non in sacrificiis tuis, ad populum Judaicum loquitur, non jam exquirenda esse sacrificia pecudum, sed cor contritum. Holocausta autem esse C accepta in conspectu suo, scilicet quando mens nostra divino amore succensa, peccata sua lamentatione decoquit et tribulatione, ut cruciatu corporeo omnia vitia exusta, consumantur.

10 *Non accipiam de domo tua vitulos :*
Neque de gregibus tuos hircos.

C Cum duo respuit universa primi temporis sacrificia designat modis omnibus excludenda, significatur enim a parte totum.

11 *Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum :*
Jumenta in montibus et boves.

C Feræ silvarum, gentes significat. Jumenta in montibus, simplices in catholica Ecclesia, qui in cacumine fidei habitare noscuntur. Boves, apostolos, D prophetas et prædicatores : qui in agro Domini assiduo labore versati sunt.

12 *Cognovi omnia volatilia cœli :*
Et pulchritudo agri mecum est.

C Quis enim omnia volatilia cœli potest cognoscere nisi sola majestas, quo versiculo cuncta complexus est. H Pulchritudo agri cum illo est, quia ubi voluerit, copia omnium rerum vel administratur vel negatur.

13 *Si esuriero non dicam tibi :*
Meus est enim orbis ✠ terræ ⁘ *et plenitudo ejus*

H Esurire Dei, est non in escis carnalibus, sed ut faciat quis voluntatem ejus (*Joan.* IV), ergo tacet Israeli suam esuriem, quia exspectat peccatoris con-

versionem. Orbis terræ illius est, id est, sancta Ecclesia, ac si diceret, eam redimendam esse suo sancto sanguine.

14 *Nunquid manducabo carnes taurorum :*
Aut sanguinem hircorum potabo?

C Quomodo grata erunt Deo, quæ non sunt necessaria? H Vetera hic sacrificia evacuanda esse declarat. Ideo in moribus bonis sacrificium requirit dicens : Immola, etc. Sed possunt hæc repudiata nobis proficere, cum acceperint a nobis ista indigentes, cum esuriens pascatur, sitiens potetur. Et in pauperibus accipit Deus, quæ sibi in sacrificiis offerri non permittit.

15 *Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua.*

C Ille Deo immolat sacrificium laudis, qui a terrenis vitiis fuerit segregatus, et moritur mundo, ut hostia fiat Christo. Vota quoque reddit Altissimo, qui ei talia immolanda præparavit, qualia ipse propitius præcepit. H Hoc est autem sacrificium acceptabile, hoc est holocaustum pinguc ut laudetur Deus ab homine quem creavit.

16 *At invoca me in die tribulationis :*
Et eruam te et honorificabis me. Diapsalma.

C Præcepit enim invoca me, ne quis spem haberet in terreno solatio, ubi sunt caduca universa. In die quando te affligit adversarius. Eruam te, quasi dicat : Circumdatum a satellitibus diaboli, summa celeritate liberabo. Magnificabis sive honorabis me, id est, magnum me esse in æternum pronunties. Romana siquidem translatio magnificabis habet, Gallicana vero, honorificabis, quod idem est

17 *Peccatori autem dixit Deus quare tu enarras justitias meas :*
Et assumis testamentum meum per os tuum

C Interdicitur hic sceleratis qui converti nolunt, ne se præsumant sermonibus miscere divinis, quia os debet esse justum, quod justitias Domini enarrare præsumit. Testamentum vero : Vetus et Novum significat, quia dum unum suspense dicitur, utraque memorantur. H Audiant hæc doctores vel episcopi Ecclesiarum, qui peccata populorum resecant prædicando, qui quod prædicant opere non implent.

18 *Tu vero odisti disciplinam :*
Et projecisti sermones meos retrorsum.

C Odit disciplinam, quia ad correctiones justas iniqua præsumptione remurmurat, et non vult, Deum in se vindicare quod peccat. Projicit etiam post se sermonem Dei, qui sequi divina jussa contemnit.

19 *Si videbas furem currebas cum eo :*
Et cum adulteris portionem tuam ponebas.

C Ita istum versiculum debemus accipere, ut in his duobus prohibitis, omnia crimina vetuisse videatur. Ille currit cum fure, qui ei ad faciendum scelus socia voluntate jungitur. Ponit portionem cum adultero, qui ei adjutorium præbet, quo sua vota perficiat. Ibique sine dubio habere dignoscitur portionem.

20 *Os tuum abundavit malitia :*
Et lingua tua concinnabat dolos.

C Hic enim os, cogitationem cordis debemus accipere : tunc enim abundant malitia cogitationes, quando per diversa genera peccatorum iniqua voluntate grassantur. Et lingua tua. Qui enim falso laudat alium, dolum in lingua facit.

21 *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris :*
Et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum :
Hæc fecisti et tacui.

C Sedere enim morantis est, et ideo gravius peccat, qui moratur in detractione fraterna. Fratrem hic omnem proximum carnis debemus accipere, quia et de spirituali dicturus est. Filium matris : sobolem dicit Ecclesiæ. Ponit ergo scandalum fratri suo, qui hæreticas pravitates vel alias interceptiones excogitat : quibus frater innocens capiatur. Hæc fecisti et tacui. H Quia ea examinanda in futurum reservavi judicium : tacui enim jam, quia non statim vindicavi sed sustinui.

22 *Existimasti inique quod ero tui similis :*
Arguam te et statuam contra faciem tuam

C Existimasti inique, hoc est, quia Deus tacet et differt vindicare peccata, ideo creditur a stultis illi placuisse scelera humana. H Arguam vero te, cum in sinistra parte sedis fueris collocatus. C Statuam, quod superius dixit : peccatorem verba sua (quæ semper ante oculos habere debuit, ut secundum ea viveret) post tergum et retro projecisse In judicio igitur peccator ante faciem suam videbit, quod se putabat oblivionis beneficio præterisse. Formido inæstimabilis, illa homines videre, per quæ se norunt ad æterna supplicia pervenire.

23 *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum :*
Nequando rapiat et non sit qui eripiat.

C Intelligite, id est, obedite qui obliviscimini Deum. Ille obliviscitur Dei, qui præcepta ipsius iniqua præsumptione contemnit. Nequando rapiat, scilicet diabolus. Quando enim ille rapit non est qui eripiat ad salutem, nisi Dominus per suam magnam misericordiam. H Vel aliter, quando rapit Christus obliviscentes se, hoc est præcipitat in mortem, ei nemo eripere potest. Quando enim diabolus rapit hic, est qui eripiat ad salutem, Christus scilicet. Cum vero Dominus rapit ad vindictam, non est qui liberare possit addictum.

24 *Sacrificium laudis honorificabit me :*
Et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

H Sacrificium laudis, quia de omni bono quod sancti faciunt Deus honoratur. Iter Christus est per opera sanctorum. Salutaris Dei Patris est Filius. C Vel iter beatissimam psalmodiam appellat, quod non pedibus sed puris mentibus ambulatur, et ducit ad Christum. H O gloriosa semita, quæ ducit ad cœli terræque creatorem!

ORATIO EX PSAL. XLIX.

Deorum Domine, te rogamus, uti nos suscipias in sacrificio laudis, quo sine onere peccati tuas ju-

stitias enarrantes, iter illud quod salutare tuum ostendit gradiamur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS L.

ARGUMENTUM PSAL. L.

C Vox pœnitentiam agentis.

TT. *In finem psalmus David, cum venit ad eum Nathan propheta cum intravit ad Bersabee.*

H Iste quinquagesimus psalmus vocem continet pœnitentis, ostendens, ut qui ceciderit in crimen aliquod, mala sua confitendo redeat ad salutem.

1 *Miserere mei, Deus :*
Secundum + magnam ⁝ misericordiam tuam.

C Cum se audisset rex potentissimus a Nathan propheta redargui, peccatum suum non erubuit publice confiteri (*II Reg.* XII), dicendo judici : Miserere mei. Vox ista non discutitur sed sub tranquillitate semper auditur, solaque res est per quam possumus rei apud Dominum sine aliqua difficultate defendi. H Qui enim se miserum putat esse de suis peccatis, cum illo facit Deus misericordiam magnam.

2 *+ Et ⁝ secundum multitudinem miserationum tuarum :*
Dele iniquitatem meam.

H Secundum multitudinem confugio ad miserationes tuas, ut gravibus vulneribus thiriacam vel medicinam tuæ miserationis infundas. Miserationum dicit, quia multa sunt peccata mea, et miserationes tuæ multæ. C Ille enim solus in libro vitæ conscribitur, cujus omnia peccata delentur.

3 *Amplius lava me ab iniquitate mea :*
Et a peccato meo munda me.

H Amplius lava me ac si dicat : Tu potes plus mihi remittere quam ego te intelligam rogare. C Addit munda me, quatenus in eo nihil remanere possit immundum, post enim aliquis sic lavari, ut non sit omnino purissimus, recte igitur addidit munda me.

4 *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco :*
Et peccatum meum contra me est semper.

C Peccata enim illa fortiora sunt, quæ agnoscentes committimus, non autem illa quæ per ignorantiam perpetramus. Contra se dicit stare delicta, quia jam hic constitutus, quasi in venturo judicio, delictorum suorum aspectus teterrimos pertimescit, et contra se stare dicit delicta, quasi quamdam imaginem figuratam, et hoc non semel aut bis sed semper.

5 *Tibi soli peccavi et malum coram te feci :*
Ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris.

C Si quis enim de populo erraverit, et Deo peccat et regi. Nam quando rex delinquit, soli Deo reus est. Iste igitur rex soli Deo peccare se dicit, quia hominem non habet qui ejus facta dijudicet. Et quia illum ubique esse noverat, jure coram eo malum se fecisse deplorabat. Sermones autem Domini merito justificati dicuntur, quoniam sine dubio semper ejus dicta complentur. Ista autem verba, et vincas cum judicaris, quidam aptant ad Domini passionem, cum judicatus vicit, et mundum damnatus absolvit, sed intelligi recte potest vincere Deus cum judicatur ab hominibus, quia in omni judicio Deus justus probatur.

6 *Ecce + enim ⁝ iniquitatibus conceptus sum :*
Et in peccatis concepit me mater mea.

H Hic versiculus totius humani generis casum exponit. Concipitur enim homo et nascitur in originali peccato, quod ex Adam trahitur, sed baptismo per gratiam Dei purificatur.

7 *Ecce enim veritatem dilexisti :*
Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

C Non enim delectatur Deus pœnis nostris, sed confessionem veram quærit erroris. David igitur peccatum non negans, veritatem confessus est, quam Deus supra sacrificia quærit et diligit. Incerta ergo et occulta sunt, quæ Deus prophetæ David in filii sui manifestatione revelavit, id est, ut passionem ejus futuram prædiceret et resurrectionis gloriam nuntiaret, et inde dicit se non debuisse peccasse, cum talia meruisset agnoscere. Incerta proprie sunt quæ omnino discerni non possunt, sed aliquibus ambiguitatibus colliguntur. Occulta vero sunt : quæ nec oculus conspicit nec mens humana dijudicat.

8 *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor :*
Lavabis me et super nivem dealbabor.

H Sicut enim hyssopum, id est humilis herba curandis pulmonibus aptum est, ita cœ'esti quis respersus hyssopo, id est humilitate cordis, ab omni superbiæ malignitate purgatur. Lavabis me, hoc est per pœnitentiam. C Per hyssopum igitur Christi sanguinem intelligit, qui non solum inquinamenta detergit, sed etiam super nivem puritatem relucentis animæ ostendit, quia spiritalis anima longe supra corpora mundana (quorum nullum nive albius est) resplendet.

9 *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam :*
Et exsultabunt ossa humiliata.

H Auditui meo, id est, cum jacens in infirmitate peccati audire meruero : Homo, dimissa sunt tibi peccata tua : dabis gaudium auditui meo et lætitiam. C Gaudium pertinet ad absolutionem peccatorum. Lætitia vero ad perpetua præmia possidenda. Ossa vero significant animi firmamenta, quæ necesse fuerat humiliari, usque dum pœnitens potuisset absolvi. H Ossa, id est, virtutes quæ peccatis fuerant humiliatæ, vel spei æternitas, est ossa humiliata.

10 *Averte faciem tuam a peccatis meis :*
Et omnes iniquitates meas dele.

H Averte faciem tuam, id est, ne videas peccata mea, ne recorderis illa : et omnes iniquitates præteritas et præsentes atque futuras dele.

11 *Cor mundum crea in me, Deus :*
Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

C Cor mundum petit Propheta sibi creari, id est restaurari, quod jam impellentibus peccatis commoveri nullo modo possit ad culpam. Et spiritum

rectum. Nam ut per Adam veteres sumus, ita Christi Domini beneficiis innovamur. H Vel spiritum rectum quod recte confitear, vel rectum ad videndum et discernendum sicut antea rectus fuit in me.

12 *Ne projicias me a facie tua :*
Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

H Ne projicias me, ut sicut Cain exsul (*Gen.* IV) efficiar a potentia tua. Et ne auferas Spiritum sanctum tuum a me, sed ab eo consumptis delictis, tuo me statuas conspectui. Vel Spiritum sanctum, hoc est spiritum prophetiæ.

13 *Redde mihi lætitiam salutaris tui :*
Et spiritu principali confirma me.

H Redde mihi lætitiam, hoc est illam exsultationem Christi tui, quam in eo habui priusquam peccarem. Spiritu principali dixit, id est ut ipse in me, et non vitia principentur. Vel spiritu principali : Patrem, per Spiritum rectum : Filium, per Spiritum sanctum : ipsum Spiritum sanctum accipe.

14 *Docebo iniquos vias tuas :*
Et impii ad te convertentur.

H Docebo iniquos, hoc est puniam me ipsum, ut meum exemplum imitentur. C Quoniam si prophetæ parcatur, maxima spes remissionis delinquentibus conceditur. Docebo igitur exemplo remissionis meæ, sperare peccatores, et verbo prædicabo mirabilia miserationis tuæ.

15 *Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ :*
℣. Et exsultabit lingua mea justitiam tuam.

C Liberari se Propheta petit de sanguinibus, quod contra Latinam regulam positum est, sed laudandus omnino translator est, qui elegit aliquid contra artem sæcularium ponere quam a veritate posita discrepare. Nam si diceret a sanguine, forsitan unum peccatum videretur ostendere, sed cum pluralem numerum ponit, multa esse sine dubio delicta confitetur. Deus salutis, significat Dominum Christum, per quem salus pie credentibus datur. Exsultavit, id est, si me liberaveris de peccatis, laudem tuam lingua mea juste loquetur, propter hoc quod in præterito psalmo dictum est : Peccatori autem dixit, Deus, etc. Absolutus enim recte loqui potuit illud, a quo peccatorem divina lex suspendit.

16 *Domine, labia mea aperies :*
Et os meum annuntiabit laudem tuam.

H Aperiri sibi petit labia, quæ clausa erant per peccatum. Quia non est pulchra laus ex ore peccatoris (*Eccle.* XV). C Os autem dicitur cordis arcanum, unde veraciter laus divina cantatur.

17 *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem*
Utique : holocaustis non delectaberis.

H Audiant Judæi, et sacrificia sua cessasse intelligant. C Etiam immolationes pecudum et ritus sacrorum in adventu Domini respuendos.

18 *Sacrificium Deo spiritus contribulatus :*
Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

C Postquam dixit : Quæ sacrificia Deus respuit nunc dicit illa quæ poscit. Istud vero placitum sacrificium Deo damus, cum spiritum superbiæ humilitate confessionis mactamus : unde non sanguis egreditur, sed lacrymarum fluenta decurrunt. Cor contritum dicit : laboribus pœnitentiæ vehementer afflictum. Humiliatum Deo scilicet, non enim potuerat cor humiliari, nisi fuisset frequenti tribulatione contritum. Tales oblationes Deus non spernit.

19 *Benigne fac Domine, in bona voluntate tua Sion :*
Ut ædificentur muri Jerusalem.

C Supplicat itaque propheta, ut quoniam synagoga peccavit sub lege posita, succedens Sion per gratiam Christi, hoc est catholica firmetur Ecclesia. Et ædificentur muri, si secundum historiam velis advertere, significat forte tempora Theodosii, quando Eudoxia ejus conjunx feminarum religiosissima, ampliori murorum circulo Jerusalem coronavit.

20 *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ.*
Oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.

C Tunc acceptabis, o Pater, sacrificium, id est, gloriosissimam passionem Filii tui, qui sacrificium se pro omnibus obtulit, et est ejus passio sacrificium veracissimum justitiæ. Oblationes et holocausta, pertinent ad Christianos, qui erant post adventum Domini credituri, significans immolanda corda hominum viventium, non pecudum membra mortuorum. Vitulos quippe posuit, aut pro innocentibus, aut pro prædicatoribus, quorum imaginem in vituli figura evangelista Lucas suscepit. Vel illos qui animas suas in *hostiam* suavitatis sacris altaribus obtulerunt.

ORATIO EX PSAL. L.

Profluæ miserationis ineffabile nomen Trinitatis, Deus, qui humani pectoris antrum emundans vitiis, super candorem efficis nivis, innova, quæsumus, in visceribus nostris Spiritum sanctum, quo laudem tuam annuntiare possimus : ut recto principalique spiritu confirmati, mereamur æternis sedibus in Jerusalem cœlesti componi. Per ejusdem.

PSALMUS LI.

ARGUMENTUM PSAL. LI.

C B Vox prophetæ de Juda vel Antichristo.

TT. *In finem intellectus David. Cum venit Doech Idumæus. Et annuntiavit Saul et dixit illi : Ecce venit David in domum Abimelech.*

C Totus hic titulus ad adventum Domini secundum, per tempus Antichristi jure referendus est, quoniam omnia ad Christi manifestationem competenter aptantur. Ut a psalmo suo non discrepare videatur.

H Psalmus iste continet vocem prophetæ exprobrantis peccata Judaici populi. Ad ipsum enim loquitur dicens :

1 *Quid gloriaris in malitia :*
℣. Qui potens es iniquitate.

C Quid gloriaris in malitia. Cum Scriptura divina nec in bonis actibus dicat esse gloriandum, sed præcipiat, qui gloriatur in Domino glorietur

(*II Cor.* x), nunc Propheta sceleratum virum redarguit, de sola se malignitate jactantem, cur velit de malis gloriari, unde debuit confundi.

2 *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua :*
Sicut novacula acuta fecisti dolum.

C Tota die, totum tempus vitæ significat, quia sine aliqua intermissione semper malus malum et operatur et cogitat. Injustitiam cogitavit, hic enim linguam dicit cogitasse, quia pessimorum est consuetudo, ut ante loquantur lingua quam cogitent corde, id est inconsulta proferre. Bene autem comparavit mali hominis dolum acutæ novaculæ, quia sicut illa pilos radit, et hominem non lædit : ita nec dolus, animæ justi nocere valebit, quando ei nititur auferre mundana. Terrena enim bona pilis comparantur, quia pili superfluitates quædam sunt corporis : et temporalia bona animæ.

3 *Dilexisti malitiam super benignitatem :*
Iniquitatem magis quam loqui æquitatem. Diapsalma

C Ille enim diligit, qui cognoscitur diligere semper peccare. Super benignitatem, id est, si animum malevoli benignitas tangit, mox eam ut vitium detestabile projicit, et magis diligit loqui iniquitatem, quam verba æquitatis proferre.

4 *Dilexisti omnia verba præcipitationis :*
Lingua dolosa.

C De Antichristo vero dicitur, qui confusis moribus diligit iniquitatem, currit ad omnia verba præcipitationis, jubet quod nullum juvat, et totum cum dolo loquitur, *a quo* nulli profutura censentur.

5 *Propterea Deus destruet te in finem : evellet te et emigrabit te de tabernaculo tuo :*
Et radicem tuam de terra viventium. Diapsalma.

H Omnia hæc in Judaico populo impleta sunt, qui a legis littera destructus, et evulsus de civitate, emigratus est de tabernaculo Dei temporibus Titi et Vespasiani. C In finem autem qui destruetur : æternis suppliciis deputatur. Et radicem tuam, quia sicut sancti sanctorum, ita imitatores peccantium, radices eorum appellantur. Radices erant Antichristi, consentanei, et ideo radicem ipsius cum ipso dicit esse evellendam : quia cum sanctis Domini, nec antichristus, nec ministris ejus habebunt aliquam portionem in regno beatum.

6 *Videbunt justi et timebunt : et super eum ridebunt :*
℣. Et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum.

Videbunt justi, hoc est intelligent jam malorum futuram pœnam, et timebunt, ne talia appetant in isto sæculo. Hic justi flent, ridebunt in futuro. C Super eum qui longam patientiam Dei, stulta voluntate contempsit. Ecce cum dicitur, extensa manu, peccatoris nefanda sors monstratur.

7 *Sed speravit in multitudine divitiarum suarum :*
Et prævaluit in vanitate sua.

C Divitias vero hic universas pompas sæculi debemus accipere. Qui in illas spem suam ponit et non in Deum : semetipsum fefellit. Ipse enim prævalet in vanitate sua, quia sibi profutura nullatenus acquirit. Vanum enim dicitur quod est inane, fragile vel caducum, et ab ipsa firmissima veritate discretum.

8 *Ego ℣. autem, sicut oliva fructifera in domo Dei :*
Speravi in misericordia Dei in æternum et in sæculum ℣. sæculi.

H Comparat se propheta olivæ fructiferæ : propter pinguedinem sapientiæ. Speravi in misericordia, quia non est humanæ fragilitatis facultas, ut per se quis salvus fiat, sed per misericordiam Domini.

9 *Confitebor tibi in sæculum qui fecisti :*
Et exspectabo nomen tuum quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

C Hic enim datum est confiteri nobis, ubi meremur absolvi. Quia fecisti : ibi intelligendum est, misericordiam. Quoniam bonum. Quod jure dicitur bonum, ubi et spes salutis, et totius vitæ palma suscipitur. Additum est quoque ante conspectum sanctorum tuorum, id est, quando jam gaudium generale justorum est. H Vel quia fecisti, scilicet quod sum oliva fructifera, quod speravi in misericordia Dei in æternum, et ideo exspectabo nomen tuum, etc.

ORATIO EX PSAL. LI.

Totius mundanæ vanitatis destructor, Omnipotens, fac nos in domo tua sicut olivam fructiferam florere, ut in tuam misericordiam sperantes, ab iniquitatis maledicto salvemur. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS LII.

ARGUMENTUM PSAL. LII.

C Ecclesia increpat eos qui corde vel opere corrumpuntur, et fideles monet ut æquanimiter sæculi molestias sufferant.

TT. *In finem pro Amalech. Intellectus ipsi David.*

C In finem quid significat jam notum est. Amalech autem gens fuit, quæ contra Dei populum pugnavit. Ejus nominis interpretatio talis est : pro parturiente sive dolente, et significat Ecclesiam, quæ tanquam dolens atque parturiens, populum admonet perfidorum, ut a suis iniquitatibus conquiescat

1 *Dixit insipiens in corde suo :*
Non est Deus.

C Proprium est linguæ, verbum dicere, non cordis. Sed quia cogitationes nostras potentia divinitatis intelligit, recte dictum est insipientes corde dicere, quod ad aures Domini potuit pervenire, non ad ignoscendum, sed vindicandum. H Dicit autem in corde, diabolus vel Judæus, non est Deus, ac si dicat : Non est Christus Filius Dei. A Vel insipiens est quilibet qui male vivit, et is si putat Deo placere mala, dicit in corde : Non est Deus, vel qui dicit, Deum omnibus et semper parcere : Deus enim sua justitia et bonitas est.

1 *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus :*
Non est qui faciat bonum.

C Corrupti. Sunt omnes hæretici uno verbo notati, nam Deo recte non credidisse corruptio est. Hos subsequitur pœna justissima, ut abominabiles in voluptatibus suis fiant. Non est qui faciat bonum: hoc est quod parturiebat Ecclesia plena doloribus, ut in tanta multitudine perditorum non sit qui bonum possit operari vel imitari.

3 *Deus de cœlo prospexit super filios hominum :*
Ut videat si est intelligens + aut ⁝ requirens Deum.

C Prospexit Dominus de cœlo, id est, de unoquoque prædicatore suo, et prospexit super filios hominum: sub magna pietate, ut non errantes perderet, B sed pœnitentes salvaret. Ut videat, id est, ut videre faciat sanctos, quis prædicationem eorum intelligat, id est, intus in seipso legat aut requirat opere Deum.

4 *Omnes declinaverunt. Simul inutiles facti sunt :*
Non est qui faciat bonum.
Non est usque ad unum.

C Illos omnes enim declinasse dicit, qui durato corde in scelerato proposito permanserunt. Prius enim fuit ut declinarent; secutum est ut inutiles fierent sibi. Usque ad unum vero dum dicitur, omnes negantur. Nam si aliquem bonum voluisset intelligi, non diceret : usque ad unum, sed præter unum. H Omnes hi insipientes qui non requirebant C Deum, inutiles facti sunt, quia mandata Dei implere nolunt, et ideo sibimetipsis inutiles et aliis, quia inutilis est qui non operatur aliquid boni, ideoque projicitur in tenebras exteriores (*Matth.* XXII), Evangelio teste.

5 *Nonne scient + omnes ⁝ qui operantur iniquitatem :*
Qui devorant plebem meam ut cibum panis.

H Cognoscunt impii se agere perverse, et non solum se non emendant, sed etiam Dei populum devorant dentibus suæ malitiæ. Sicut escam panis, qui semper desideranter in usu est. Nam quamvis singulis quibusque temporibus diversitate escarum satiemur, jugiter tamen nobis panis edulium est, ita D semper desiderant mali devorare bonos. A Vel, nonne scient omnes mali in futuro judicio Deum esse, qui jam scire nolunt? scient utique, pœnarum experimento.

6 *Deum non invocaverunt :*
Illic trepidaverunt timore ubi non fuit timor.

C Deum non invocaverunt. Illa enim quæ a peccatoribus contra voluntatem fiunt Dei, velut fumus fine celerrimo evanescunt, et trepidant, ne honoribus vel divitiis acquisitis in isto sæculo priventur. Ubi non fuit timor, subaudiendum est, videlicet, justus. A Vel, quia Deum non invocaverunt, cito perituri sunt. Vel ideo illic trepidaverunt, etc., sed ideo trepidarunt quoniam, Deus, etc.

A 7 *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum : qui hominibus placent*
Confusi sunt. Quoniam Deus sprevit eos.

C Deus enim dissipat ossa malorum, id est obstinationes durissimas. H Vel spem æternitatis eorum, qui in ejus contumeliam insurgere ausi sunt. Qui hominibus placent et non Deo, recte confusi dicuntur, quoniam eos Deus sprevit. Merito vero spernitur a Deo, qui reliquerit Deum; et quia eum reliquit, digne tanquam ignotus ab eo confunditur, dicente Apostolo : ignorans ignorabitur (*I Cor.* XIV).

8 *Quis dabit ex Sion salutare Israel?*
Cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob et lætabitur Israel

C Quis dabit, addendum est, nisi tu, Domine; credentis enim verba sunt, non dubitantis. Ex Sion, illam dicit speculationem felicem in qua Deus aspicitur. Ipse etiam in hoc sæculo dat salutare Israel ex Sion, cum labores sanctorum suis beneficiis consolatur. H Ipse quoque nos aversa captivitate vitiorum erexit in libertatem virtutum. Exsultabit Jacob, id est Christianus populus, dum supplantat Judaicum populum benedictionemque ejus accipit. Et lætabitur Israel, dum Deum oculis fidei intuetur.

ORATIO EX PSAL. LII.

Respiciens de cœlo sancto tuo, piissime Deus, pone terminum insipientiæ nostræ, ut a terroribus vanis eruti, tibi soli de puritate cordis integra placeamus. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS LIII.

ARGUMENTUM PSAL. LIII.

C Vox Ecclesiæ de hæreticis ad Christum.

TT. *In finem in carminibus intellectus David. Cum venissent Ziphæi et dixissent ad Saul. Nonne ecce David absconditus est apud nos.*

C In finem Christum significat. Istud enim carmen laudes Christi denuntiat. Intellectus David, Dominum Salvatorem indicat, quem ille proficue intellexit evenire. Nam Ziphæi a vico Syriæ, in quo habitabat Ziph, dicti sunt, qui prodiderunt David apud se esse celatum. H C Ziphæi autem interpretatum significat *florentes*, quod in isto mundo peccatoribus datum est. C David figuram Christi gerebat; H qui fuit absconditus in inferiore parte terræ, et Dominus in utero sanctæ Mariæ, et in una gente Judæorum, et divinitas in carne Christi.

1 *Deus in nomine tuo salvum me fac :*
+ Et ⁝ in virtute tua libera me.

C Orat enim Propheta, ut in nomine Domini a persequentium malignitate liberetur, sperans non aliunde sospitatem, sed quæ a Deo venit; et iterum rogat, ut in judicio futuro ejus virtute liberetur. H In nomine tuo, id est in nomine illo humilitatis, quod est salvatio, id est in nomine Salvatoris, in nomine Jesu.

2 *Deus exaudi orationem meam :*
Auribus percipe verba oris mei.

C Repetit iterum Propheta nomen Omnipotentis, ut cum frequenter Deus imploratur, non tardet ei

auxilium ferre. H Auribus percipe, aures Domini dicuntur, quando exaudire dignatur. C Vel auribus, id est mente.

3 *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me : et fortes quæsierunt animam meam :*
Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Diapsalma.

C Verum hic alienos non vult peregrini generis viros intelligi, sed operibus a Domino factos extraneos. Merito dum Ziphæi de tribu Juda fuerunt, ab illis auxilium quæsivit. Apud ipsos tamen magis insidias proditionis invenit. Fortes enim, Saulem intellige cum ministris suis. Perditi ideo non proponunt Deum ante oculos suos, quia illum ignorare credunt quæ scelerata mente concipiunt.

4 *Ecce enim Deus adjuvat me :*
Et Dominus susceptor est animæ meæ.

C Adjuvat, dixit utique laborantem, ut potuisset ferre quæ super eum nitebantur impii congregare. Sequitur etiam quod sit istud adjutorium, id est et Dominus est susceptor animæ meæ.

5 *Averte mala inimicis meis :*
In veritate tua disperde illos.

C Orat ergo Propheta, ut mala voluntas removeatur ab inimicis ejus, unde eos cognoverat ingravandos. Mali enim cum ad veritatem veniunt, a pristina voluntate dispereunt, et nisi a mala intentione discedant, locum in bonis actibus non habebunt. Dispereat Saul, ne persequatur innoxium ; dispereant Ziphæi ne prodant celatum.

6 *Voluntarie sacrificabo tibi :*
Et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

C Voluntarie Deo sacrificat, qui pro inimicis suis exorat. Sacrificare voluntarie, est Deo puritatem bonæ voluntatis offerre. Confiteri quoque, hic laudare significat. Illum enim velle laudare, inæstimabile bonum est. Unde et mens sancta reficitur et omnis adversitas istius mundi effugatur.

7 *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me :*
Et super inimicos meos despexit oculus meus.

C Ex omnibus tribulationibus se testatur Propheta ereptum, quod in isto sæculo non potest evenire, nisi eis qui in Domini dilectione persistunt. Respexit oculus Domini super inimicos David, id est Ziphæos, quando eos nefarias voluntates minime complere permisit ; frequenter enim propitius Deus iniqua non permittit efficere ut compuncti debeamus de nostris erroribus supplicare.

ORATIO EX PSAL. LIII.

Salvifica, Domine, Ecclesiam tuam, tui nominis protectionem confitentem, ut despectis inimicis, voluntaria te confessione magnificet. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

PSALMUS LIV.

ARGUMENTUM PSAL. LIV.

C Christus Patrem petit, ne ejus despiciatur oratio, quam ex infirmitate carnis probatur expetere et quid obstinatis Judæis in suis sceleribus persistentibus debeat evenire ostendit.

TT. *In finem in carminibus intellectus David.*

C. Bene finis dicitur Christus, quia quidquid recte ac fideliter agimus, ad ipsum constat sine dubitatione referendum. In carminibus, in laudibus dicit. Intellectus iste certus est, ut cum David patrem dicamus Domini Christi (ut cæcus in Evangelio : Miserere mei, fili David [*Luc.* XVIII]), secundum carnem intelligamus ; secundum divinitatem vero, servum fateamur esse ipsum David Christi, sicut ipse ait : Dixit Dominus Domino meo (*Psal.* CIX).

1 *Exaudi, Deus, orationem meam : et ne despexeris deprecationem meam :*
Intende mihi et exaudi me.

B C Prima parte petit Propheta exaudiri orationem suam, deinde postulat ne ejus deprecatio despiciatur. H Qua ratione intellige homo, quia nisi pura conscientia depreceris Deum, prorsus a Deo non exaudieris.

2 *Contristatus sum in exercitatione mea :*
Et conturbatus sum a voce inimici et a tribulatione peccatoris.

C Pulcherrime Domini cursus vitæ, uno sermone exponitur. Exercitationem dicimus quæ nullo otio conquiescit. Exercitabatur miraculis et sanctitate doctrinæ, et contristabatur, quod prædicationibus saluberrimis væsania obstinati populi non credebat. A voce inimici H. dicentis ; Samaritanus es et dæmonium habes (*Joan.* VIII), conturbatus sum. C Tribu-
C latio erat peccatoris, quando eum ore conspuebant, cædebant alapis, et alia multa ingerebant.

3 *Quoniam declinaverunt in me iniquitates :*
Et in ira molesti erant mihi.

C Declinaverunt enim in Dominum iniquitatem, quia nullam volentes recipere rationem, effusionem sanguinis innocentis expetebant. Audiant insipientes Judæi, tantam se Domino fecisse molestiam accensa ira ut sibi perpetuam præpararent ruinam. H In ira, ira festuca ; trabs, odium. Ira conturbat, trabs excæcat, ut illud : Turbatus est præ ira oculus meus. Molestus, id est sævus. C Vel molestia est, quando procacitate superflua reddimur inquieti.

4 *Cor meum conturbatum est in me :*
Et formido mortis cecidit super me.

D H Cor meum conturbatum est in me, secundum hominem : sed virtute divina confortatum est. Et formido, etc. C Sua suis apte redduntur, consequens enim erat, ut cujus cor conturbatum fuerat, eum formido mortis invaderet. Revera cecidit, quando super eum venit, ulterius non valitura, quæ prius potuit, quia perpetua mors morte Christi victa est.

5 *Timor et tremor venerunt super me :*
Et contexerunt me tenebræ.

H Humano more loquitur, quibus est timor animæ, et tremor corporis. Tenebræ dicuntur mali homines, quia qui odit fratrem suum in tenebris est

(*I Joan.* II). Contexerunt quidem, sed quia lux eram, non comprehenderunt.

6 *Et dixi : Quis dabit mihi pennas* ✣ *sicut* ⁝ *columbæ :*
Et volabo et requiescam ?

C Quis dabit mihi, scilicet nisi tu Pater qui humanam naturam ad cœlorum regna perducis. Pennæ a *pendendo* dictæ. Inspice vero quod pennas non aquilæ, non accipitris petiit, sed columbæ, quæ dicta est quasi cellæ alumna, avis innocens, mansueta, quæ in nullum animal fellita voluntate consurgit, merito illius pennas Christus petiit, in cujus specie super eum Spiritus sanctus apparuit (*Matth.* III). Volabo, id est celerrima me voluntate transponam, ut ab eorum iniquitate quiescam qui me persequuntur, scilicet Judæorum.

7 *Ecce elongavi fugiens :*
Et mansi in solitudine. Diapsalma.

H Ecce elongavi a Judæis, scilicet quia longe est a peccatoribus salus. Et cum gentibus incredulis mansi, quas in adventu meo florere feci. De quibus alius ait propheta : Lætetur et floreat desertum (*Isai.* XXXV).

8 *Expectabam eum qui salvum me fecit :*
A pusillanimitate spiritus et tempestate.

C Pronuntiat enim se præsidium exspectare Patris, qui eum poterat a corporea infirmitate salvare, et quia superius dixit esse turbatum, ideo nunc modici animi esse se testatur. Tempestates dicit procellas seditionum quas Judæi commovebant.

9 *Præcipita, Domine, divide linguas eorum :*
Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.

C Hic Judaico populo salutariter imprecatur, ut divisione linguarum, non implerent voluntatem malitiæ suæ, sicut in illa turri factum est, quam metu recentis diluvii in altum homines extendere conati sunt (*Gen.* X). Digne igitur illos dividi postulabat, quos iniquos esse in sacrilegis congregationibus præsciebat; ideo subjunxit, quoniam vidi iniquitatem in civitate, id est H congregatione; iniquitatem, eum non crediderunt; contradictionem, cum exprobrant : Nonne hic est filius fabri (*Matth.* XIII), et alia multa.

10 *Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas :*
Et labor in medio ejus et injustitia.

H Dicit enim die ac nocte, id est, omni tempore circumdare eam, hoc est Hierusalem. Super muros ejus iniquitas, ut quantum murorum machina in altum potuit crescere, multo magis Judæorum malitia se extenderit. [Labor in medio ejus, etc.; labor in oppressione pauperum, et injustitia in judiciis. Per medium (quia in urbis medio tanquam honorabili sede morari volunt primates), designans nobilissimos et primates eorum, quos non lex, non ratio, sed labor et injustitia possidebat.

11 *Et non deficit de plateis ejus :*
Usura et dolus.

C Intende quod non dixit, occulte, sed in plateis A talia fuisse commissa, quæ lex divina damnavit. H Usura est plus accipere quam dare : Omnia enim quæ in lege prohibita sunt, ad augendum peccati cumulum excreverunt. In lege enim usuræ accipi prohibentur. Unde propheta : Non fœneravi, neque fœneravit mihi quisquam (*Jer.* XV).

12 *Quoniam si inimicus maledixisset mihi :*
Sustinuissem utique.

C Hic monstratur magnæ patientiæ exemplum, ut, inimicis contraria nobis loquentibus, non in contentionem erumpere, vel verbis resistere, sed locum insanis loquelis dare studeamus.

13 *Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset :*
Abscondissem me forsitan ab eo.

B C In isto versiculo et præcedenti ac sequenti Judas perfidus increpatur, qui caveri potuisset, si publicus fuisset inimicus, humano modo loquendo ; quem tamen Christus si voluisset, occultum non sibi sed aliis, cavere potuisset. H Non hic tantum de passione Dominus queritur, sed et de discipulo proditore, a quo se non abscondit, licet a Judæis (ut in Evangelio legimus) (*Joan.* VIII) se absconderit sed etiam convivio sancto ascivit.

14 *Tu vero homo unanimis :*
Dux meus et notus meus.

C Unanimis dictus est Judas, quia inter apostolos fuit numeratus. Dux, quia ad vicos et castella præmissus est, ut prædicatione verbi imbueret rudes
C animos. Notus, quia ejus proditio nota erat Christo. H Vel, quia cum aliis ad prædicandum missus fuit, notus ejus dicitur.

15 *Quoniam simul mecum dulces capiebas cibos :*
In domo Dei ambulavimus cum consensu.

H Qui simul mecum dulces capiebas cibos, id est, corpus et sanguinem Christi, quod ipse accepit ab eo indignus. Sæpe etiam cum ipso Domino in templo Salomonis cum consensu prædicationis abiit. C Isti (ut superiori) versui jungendum est : cur me tradis ? ut, tu homo unanimis dux meus et qui mecum dulces cibos sumpsisti, etc., cur me tradis ?

16 *Veniat mors super illos :*
✣ *Et* ⁝ *descendant in infernum viventes.*

C Veniat mors et devorabit eos terra vivos : Hoc
D factum fuit Dathan et Abiron ; venit subito ignis et mortui sunt. C More enim suo emendationem magis quam consumptionem postulat Propheta venire inimicis. Mors enim vitæ dicitur finis, et qui in meliorem partem convertitur, finem prioris conversationis reperisse judicatur. In infernum descendunt viventes, quando cogitationes suas pessimas expavescunt, et ad meliora vota feruntur. Tunc enim quasi viventes ad inferna descendimus, quando malorum nostrorum recordatione terremur.

17 *Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum.*
In medio eorum.

H Quoniam nequitiæ in habitaculis Judæorum. Etenim tam opere quam cogitatione illi nequitia pleni sunt:

18 *Ego autem ad Deum clamavi:*
Et Dominus exaudivit me.

H Clamavit igitur ex forma servi Christus jugiter ad Deum pro populo Christiano, et consequens erat illum exaudiri, quia non poterat a sua majestate segregari.

19. *Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo:*
Et exaudiet vocem meam.

C Vespere, significat tempus traditionis, quando eum Judas cohorti tradidit. Mane, cum ad Pontium Pilatum ductus est. Meridie, quando hora sexta suspensus est. Meridies dictus quasi medius dies. Illis sequentia verba redduntur, nam narrabo pertinet ad vesperum, quando omnia prædixit, quæ Judas pessimus facere disposuit. Annuntiabo ad mane, quia B mane annuntiavit respondendo Pilato: In hoc natus sum (*Joan.* XVIII), etc. Exaudiet vocem ad meridiem pertinet, cum dixit: Consummatum est, et emisit spiritum (*Joan.* XIX).

20 *Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi.*
Quoniam inter multos erant mecum.

H Redimet in pace, narrat videlicet quod eum velociter exaudivit, cum eum de tribulationibus mortis eripuit in resurrectione. In pace, hoc est in semetipso. Ab his qui appropinquant, corpore non vita et merito. Inter multos, credentes erant mecum, et tamen non credebant. Vel inter istos qui sunt multi, id est, inter malos et non inter paucos, id est, inter bonos qui sunt pauci. Vel in multis, id est, C in baptismo et fide ficta. In paucis non sunt, id est, in fide firma, spe vera et charitate.

21 *Exaudiet Deus et humiliabit illos:*
Qui est ante sæcula. Diapsalma.

H. Exaudiet Deus me benedicentem, non illos maledicentes. Et humiliabit eos, hoc est superbos. Qui est ante sæcula, Pater utique: quem in me manentem non cognoverunt.

22 *Non enim est illis commutatio et non timuerunt Deum:*
Extendit manum suam in retribuendo.

H Non est illis commutatio, de malo in bonum. Et non timuerunt Deum, et ea causa, ad ultionem descendit Deus, sicut sequitur, extendit manum in retribuendo. Quia cum eis ad auxilium porrecta fuisset, non eam receperunt. In retribuendo ergo dicit, id est, in vindicta in die judicii, hoc est, quia noluerunt converti et recipere a manu misericordiæ gratiam, extendit manum in eos vindictæ, ut qui noluerunt recipere in tribuendo, accipiant in retribuendo.

23 *Contaminaverunt testamentum ejus divisi sunt ab ira vultus ejus:*
Et appropinquavit cor illius.

C Ille enim testamentum Dei contaminat quantum ad se pertinet, qui minime ipsius imperiis obedit. Dividuntur etiam perfidi a populo fideli in judicio, et segregantur tanquam arsuræ paleæ a granis. A Ira enim hic pro vindicta ponitur, quam impii sustinebunt. Et appropinquavit cor illius in judicio, quando cor Domini (hoc est voluntas ejus in prophetis et apostolis prædicata) omnibus innotescit. H Vel contaminaverunt Judæi testamentum, quia non intellexerunt Dominum Jesum in lege promissum, et quod intelligunt de Scripturis; in malum vertunt, quia Trinitatem non credunt et ideo divisi sunt a spirituali intelligentia. A Et ex eorum divisione et contaminatione, appropiavit voluntas Dei credentibus, ita ut et in Scripturis Dei voluntatem, quæ latebat, intelligant.

24 *Molliti sunt sermones ejus super oleum;*
Et ipsi sunt jacula.

C Molliti sunt sermones perfidorum Judæorum dicentium: Magister, scimus quia a Deo venisti (*Matth.* XXII). Super oleum, ne tanto sceleri par potuisset aliquod inveniri, quia nil levius est oleo. Ipsi etiam fuerunt jacula, quando dixerunt: Reus est mortis (*Matth.* XVI). H Vel revertitur sermo ad Judam, cujus sermo: Ave rabbi, super oleum erat, et osculo tradidit. Tale oleum refugientes boni in tribulatione Deum invocant, ideo sequitur: jacta, etc.

25 *Jacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet;*
Non dabit in æternum fluctuationem justo.

C Quando cogitatio jactatur in Dominum, non solum nos non consumit, quemadmodum cogitatio istius sæculi, sed etiam nutrit: in æternum enim (sicut hic dicit) neminem justissimum permittit Deus C fluctuare, quando cum ipso in æternitate cognoscitur regnare.

26 *Tu vero Deus:*
Deduces eos in puteum interitus.

C Prius itaque dixit de justis, nunc de impiis qui in gehennæ profunditatem mergendi sunt. Puteus dicitur hiatus terræ patens, sed ne hunc vitalem puteum intelligeres, addidit interitus, id est fovea mortalis. O pietas inaudita judicantis! totum hominibus prædicitur, ut culpa plectibilis vitetur. Ex putei enim similitudine gehennæ tormenta nos admonet formidare.

27 *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos:*
Ego autem sperabo in te, Domine

C Viri sanguinum proprie non dicuntur qui innocenter humanum fundunt cruorem, quoniam et justi judices juste fundunt, propterea addidit, et dolosi, ut solum illi notentur, qui per iniquissimum dolum quærunt alienum exitium. Hos tales non dicit dimidiare dies suos, quando cum sibi longam vitam promittunt, exitum celerrimæ mortis inveniunt. Ideo autem additum est, suos, ut voluntarios intelligeres dies sibi computatos, id est illos quos se victuros putabant, aut volebant non a Domino constitutos.

ORATIO EX PSAL. LIV.

Jesu Domine, qui ante sæcula manens, conditionemque humanam suscipiens, ab unanimo disci-

pulo proditus, mortem subisti pro perditis, exaudi A orationem supplicum et præsta, ut, te vespere et mane meridieque laudantes, mereamur ab hujus sæculi tempestatibus defensari. Qui cum Patre, etc.

PSALMUS LV.

ARGUMENTUM PSAL. LV.

C Vox Ecclesiæ in persecutione positæ.

TT. *In finem pro populo qui a sanctis longe factus est. David in tituli inscriptione cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.*

C In finem, jam notum est; pro populo dicit, qui a sanctis longe factus est, quia Judaicus populus postulabat a Pilato, ne inscriptionem tituli sicut prophetarum fuit scriberet, nolens Christum suum regem dici (*Joan.* XIX). Illa voluntas eos longe fecit a sanctis, quia sancti Christum suum regem dici gloriantur. Geth significat *torcular*, id est pressuram, quam omnis patitur Christianus ab allophylis, id est ab alienis. Philistini enim (qui nunc Palæstini dicuntur) alio nomine allophyli dicebantur.

1 *Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo :*
Tota die impugnans tribulavit me.

C Virgo mater Ecclesia cœlestem sponsum piis lacrymis rogat, ne se patiatur ab inimicis opprimi. H In homine conculcante atque impugnante, diabolum vel reliquarum nequitiarum spiritualium ostendit persecutionem.

2 *Conculcaverunt me inimici mei tota die :*
Quoniam multi bellantes adversum me.
3 *Ab altitudine diei timebo :*
Ego vero in te sperabo.

C Vinum enim non profluit, nisi pedibus uva conculcetur. Sic Ecclesiam in membris suis conculcat inimicus, ut sanctorum merita gloriosa inde nascantur. Tota die, omni tempore contra eam rebellant inimici, sed de his, quia aliqui convertantur, non dicit omnes, sed multi.

C Ab altitudine diei, istum mundum significat, ubi tumet altitudo superbiæ. Nam sicut Christus humilitatem præcipit, ita diabolus altitudinis culmina persuadet. Sed unde timere non debeat Ecclesia nec cadat, subdit. Ego in te sperabo, qui nunquam in te decipis confidentes.

4 *In Deo laudabo sermones meos :* D
In Deo speravi non timebo quid faciat mihi caro.

C In Deo laudat sermones suos, qui omne quod loquitur bene : Deo applicare, non sibi, contendit. Non timebo, licet sæviat carnificum manus, omnia tamen tormenta despicit Ecclesia in membris suis, quæ exspectat munera Domini Salvatoris.

5 *Tota die verba mea exsecrabantur : adversum me*
Omnes cogitationes eorum in malum.

H Tota die exsecrabantur verba Christi Judæi dicentes : Non est propheta, sed seducit turbas (*Joan.* VII). Cogitationes Judæorum versæ sunt in malum, contra Christum; et peccatorum, contra sanctos.

6 *Inhabitabunt et abscondent :*
Ipsi calcaneum meum observabunt.
7 *Sicut sustinuerunt animam meam*
Pro nihilo salvos facies illos, in ira populos confringes.

C Inhabitare videntur subdoli Christiani Ecclesiam, sed malum suæ perversitatis abscondunt, nec palam ausi sunt prodere, quod sciunt apostolicam doctrinam non habere. Ipsi calcaneum observabunt, more diabolico, vel eorum qui ministri ipsius sunt, qui ultima nostra insidiosa calliditate respiciunt, cupientes nos a fide evertere, et ad reatus discrimina pervenire, saltem in extremis.

H Sustinuerunt animam Christi Judæi, ut captum in verbis accusarent principibus. Salvantur enim B pro nihilo; dum non commutantur ad gloriam, ad supplicia transferuntur. In ira populos confringes, quia impacti sunt in petram offensionis, et lapidem scandali (*I Petr.* II). A C Vel quamvis illi sustineant in malum, et ab hoc indignos se faciant salvatione, tu tamen misericordia omnia peccata superans, pro nihilo, id est gratis, nullis eorum meritis præcedentibus : salvos facis ita ut, quasi iratus, multis tribulationibus populos fatigatos recurrere ad te cogas. Irasceris et deducis, sævis et salvas, terres et vocas; ira videtur, sed paterna.

8 *Deus, vitam meam annuntiavi tibi.*
Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

C Vitam suam annuntiat Deo, qui peccata propria confiteri non erubescit. Lacrymæ, quæ in conspectu C Domini ponuntur, jocundæ sunt, quia non cruciant, sed a cruciatibus liberant.

9 *Sicut et in promissione tua :*
Tunc convertentur inimici mei retrorsum.

C Promissio quippe Dei est, ut pias lacrymas non refutet. H Optando dicit Ecclesia, converti inimicos retrorsum, id est, ut qui currunt ad infernum convertantur ad Deum.

10 *In quacunque die invocavero te :*
Ecce cognovi quoniam Deus meus es.

C Hic clementiam Domini pronuntiat mirabilemque pietatem Propheta, ut in quacunque die invocatus fuerit Christus, semper se miseratus indulgeat. Quacunque die, significat diversi temporis satisfactionem. Alius enim toto tempore vitæ Domino supplicat, alter, media ætate convertitur. Alius in fine vitæ salvatur, ecce cognovi. H Alii cognoscunt Deum per creaturam cœli et terræ, sicut Paulus dicit : Per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom.* I); alii, per inspirationem divinam; alii, per signa, ut Thomæ dixit : Infer digitum tuum huc (*Joan.* XX); alii, per indulgentiam, clementiam, et auxilium, ut pœnitentes.

11 *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem :*
In Deo speravi, non timebo quid faciet mihi homo.

H Laudat iterum Propheta verbum istud, sive sermonem : qui erat in principio apud Patrem; et

sperans in eum, non metuit minas adversarii dicens : in me sunt, Deus, vota tua. C Vel, sermonem, id est Evangelium ab ore Christi prolatum.

12 *In me sunt, Deus, vota* ✠ *tua* ;
✠ *Quæ* ; *reddam laudationes tibi.*

H Hæc sunt vota Prophetæ, ut laudem Dominicam sedule celebret, et cur hæc faciat adjecit, quoniam eripuisti.

13 *Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu :*
Ut placeam coram Deo in lumine viventium.

C Quoniam eripuisti animam meam, id est, populos fideles de morte perpetua, et bene suam animam sancta mater dicit ereptam, quæ in liberatione filiorum gaudebat. Dicit vero pedes ereptos a lapsu, quod non fit hic, sed in futuro sæculo præstabitur. Dum enim ambulabunt justi in hoc mundo, in lapsu sunt, sed misericordia divina continentur. Sic legitur : Septies cadet justus et resurget (*Prov.* XXIV). H Lumen viventium Christus est, qui sibi placentes illuminat. C Vel manifestatio sanctorum est lumen viventium.

ORATIO EX PSAL. LV.

Bellorum invisibilium optime propugnator, qui in te fidentes ab inimicis obrui non permittis, exterge precamur ab oculis nostris peccati lacrymam, ut dum carnalia bella comprimimus, placere tibi in lumine viventium mereamur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS LVI.

ARGUMENTUM PSAL. LVI.

C Ut Christus secundum humanitatem qua passus est orat, et resurrectionis suæ gloriam commemorat, Patrique laudes decantat.

TT. *In finem ne disperdas David in tituli inscriptione cum fugeret a facie Saul in speluncam.*

C Ne disperdas David prohibetur. David a Saulo disperdi. In tituli inscriptione, hoc non David : sed in passione Christo evenit, ne a Pilato scriptus titulus mutaretur (*Joan.* XIX). Cum fugeret, etc., actus iste et David et Domino convenit. Nam sicut fugit David a facie Saul in speluncam, sic Deitas abscondita fuit perfidis Judæis in corpore Christi.

1 *Miserere mei, Deus, miserere mei :*
Quoniam in te confidit anima mea.

C Clamat Christus ad Patrem, ex eo quod futuram scivit passionem. Repetitio ista : periculum futuræ mortis ostendit. Oravit autem, ut regulam nobis sanctæ orationis ostenderet : passus propter nos, ut nullus pro ipso pati velle refugiat.

2 ✠ *Et* ; *in umbra alarum tuarum sperabo :*
Donec transeat iniquitas.

H Umbra enim significat protectionem Divinitatis. A calore enim solis, umbra quæritur ; sed per calorem, persecutio vel tribulatio intelligitur. Duæ alæ duo Testamenta vel duo præcepta charitatis : A quibus protegi se petit Propheta, donec transeat iniquitas, id est diabolus cum suis satellitibus.

3 *Clamabo ad Deum altissimum :*
Deum qui bene fecit mihi.

C Clamat ille ab humanitate suscepta, a quo supernæ creaturæ non desinunt opem postulare. Qui bene fecit mihi, hoc significat arcanum Incarnationis Domini, quod humano generi divina gratia collatum est.

4 *Misit de cœlo et liberavit me .*
Dedit in opprobrium conculcantes me. Diapsalma.

C Misit de cœlo, non angelum, non aliquam creaturam, sed intellige auxilium supernæ potentiæ suæ. B Opprobrium persequentibus fuit, quando illum quem se credebant exstinguere viderunt resurgere, et fideles populos de ipsius resurrectione gaudere.

5 *Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam :*
✠ *Et* ; *eripuit animam meam de medio catulorum leonum : dormivi conturbatus.*

H Misericordia et veritas Christus est, quem Pater de cœlo misit in mundum, nec una sine altera esse potuit. Si sola misericordia fuisset, licentia esset peccandi : et si sola veritas pœnam non potuisset homo sustinere. C Catuli leonum : significat plebem Judæorum, quam principes et sacerdotes (qui sunt leones) ferali voluntate genuerunt. Dormivit altissima quiete in cruce, conturbatus afrem itu C Judæorum.

6 *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ :*
Et lingua eorum gladius acutus.

C Filii hominum sunt, qui in nece Domini impia voluntate sæviebant. Quorum dentes fuerunt arma et sagittæ, id est consilia pessima, et verba volantia ad operationem mortis. Acuto gladio comparantur voces illæ quæ dicebant : Crucifige, crucifige, quoniam sicut acutus ensis celerrimum mortis operatur effectum, ita et illa verba : citatam exitii complevere sententiam.

7 *Exaltare super cœlos Deus .*
✠ *Et* ; *in omnem terram gloria tua.*

D C Exaltare : ut pendens in cruce ; semper in tua majestate cognoscaris regnare. Super cœlos dixit, quia Dominus supernas virtutes noscitur habere subjectas, et quoniam ascendens super cœlos sedensque ad Patris dexteram glorificatus est. Glorificatus est quoque super terram, quando totum mundum replet Ecclesia, in qua laudes Deo jugiter concinuntur.

8 *Laqueum paraverunt pedibus meis :*
Et incurvaverunt animam meam.

H Laqueum paraverunt : cum interrogationes Christo inferebant dolosas. Sic quoque voluerunt Christum incurvare, ut non nominaretur nomen ejus.

9 *Foderunt ante faciem meam foveam :*
Et inciderunt in eam. Diapsalma.

C Bene fovea dicitur sententia mortis, quæ mittit ad foveam. Dixerunt enim : Reus est mortis, et ideo dicti sunt foveam fodere, quia visi sunt eum neci tradidisse. Et ipsi inciderunt. Omnis enim injusta vox : suos damnat auctores, et antequam alteri noceat : se prius ipsa condemnat. H Inciderunt, cum post resurrectionem Domini inimicis traditi, capti, interfecti et dispersi sunt.

10 *Paratum cor meum Deus paratum cor meum :*
Cantabo et psalmum dicam.

C Agit Filius gratias Patri, per id per quod et resurrexit a mortuis. Paratum se dicit ad agendas gratias, quia sibi sciebat venturam gloriam resurrectionis. Cantare diximus, gratias vocibus referre. Psalmum dicere, prædicabili actione illum laudare.

11 *Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara :*
Exsurgam diluculo.

C Exsurge dicitur quasi surge, ad miraculum faciendum : exsurge psalterium et cithara. Psalterum fuit : quando operabatur divina mandata. Cithara vero : gloriosam passionem significat, quæ tensis nervis et ossibus dinumeratis virtutem patientiæ personabat. Surrexit diluculo, quod est inter tenebras noctis et claritatem Dei.

12 *Confitebor tibi in populis, Domine :*
Et psalmum dicam tibi in gentibus.

H Confitebor tibi, hoc est, postquam resurrexero : te in populis Christianis laudabo. C Psalmum dicam, quia per omnes gentes : linguis variis psalmodia Domino devota mente persolvitur.

13 *Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua :*
Et usque ad nubes veritas tua.

H Magnificata est misericordia, quia Domini resurrectione pacificata sunt omnia Patri, quæ in cœlo et quæ in terra sunt. C Nubes significant prophetas, quos irrigua veritas Spiritus sancti, velut copiosus imber implevit : et cœlesti fonte satiati, super steriles peccatores spiritualis copiæ dona fuderunt.

14 *Exaltare super cœlos, Deus.*
Et super omnem terram gloria tua.

H Exaltare, Propheta hæc dicit, de gloriosa Christi ascensione. Erit gloria super terram, cum effuderit donum Spiritus sancti super omnem carnem (*Act.* II).

ORATIO EX PSAL. LVI.

Transfer, Domine, iniquitatem familiæ humilis, sub tuarum alarum umbra sperantis, ut missa de cœlo misericordia tua, a nequissimis insidiarum foveis eruamur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS LVII.

ARGUMENTUM PSAL. LVII.

C Christus exprobrat nequitiam Judæorum, et eorum retributiones declarat, ac de lætitia justorum, cum ultionem viderint peccatorum.

A TT. *In finem ne disperdas David in tituli inscriptione.*

C Commonetur itaque Pontius Pilatus, ne disperdat scriptum titulum, qui regem Dominum declarabat. Regem enim illum quis poterit abolere : quem constat esse cœli terræque Creatorem.

1 *Si vere utique justitiam loquimini :*
Recte judicate filii hominum.

C Loquuntur enim Judæi falso justitiam legis, qui non sunt recta judicaturi ; vere enim justa loquuntur, qui justa facturi sunt. Sermo enim rectus : vitæ debet esse consimilis. Hic arguit propheta voces illorum, quando dolose dicebant : Magister, scimus quia a Deo venisti. Non recte judicabant, quando Pilato dicebant : Crucifige, crucifige.

B 2 *Etenim in corde iniquitates operamini in terra :*
Justitias manus vestræ concinnant.

C Etenim in corde, ac si diceret : Quomodo potuistis de me judicare qui in corde vestro iniquitates operamini ? ubi perfectum est crimen antequam fiat perpetratum. In terra dicit, in arcano pectoris ; per manus significat res actuales malas, quæ concinnantur mente : quando ex multis partibus sibi convenit perversitas adunata.

3 *Alienati sunt peccatores a vulva : erraverunt ab utero :*
Locuti sunt falsa.

C Merito ergo projectos dicit peccatores tanquam abortivos a vulva Ecclesiæ, qui nulla doctrinæ confirmatione perfecte imbuti sunt, sed tanquam teneræ pecudis fatuata mollities, non ad lucem vitalem, sed in perfidiæ tenebras probantur adjecti. Et recte Ecclesia uterum habere dicitur, quæ nos sacro baptismate genuit in perpetuam lucem. Erraverunt ab utero qui contraria matri dogmata secuti sunt. Ipsi et falsa locuti sunt : qui ab eius sanctis doctrinis erraverunt.

C

4 *Furor illis secundum similitudinem serpentis :*
Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas.

C Obstinatorum Judæorum furor irrevocabilis est sicut serpentis. Quibus etiam mala consuetudo aspidis comparatur, quæ ne exaudiat verba incantantis et suas latebras derelinquat : unam *aurem* dicitur suæ caudæ obturare inflexione, alteram in terram deprimere. Sic obturatis auribus cordis Judæi noluerunt audire saluberrimam jussionem Christi, sive sanctæ Scripturæ intelligibilem veritatem.

D

5 *Quæ non exaudiet vocem incantantium :*
Et venefici incantantis sapienter.

C Dicit enim de aspide quæ non exaudiet vocem incantantium, nec passa est audire vocem : quæ illam trahere potuisset ad lucem. Sic etiam Judæus, vel quivis obstinatus malevolus : non contrahitur a docente ad lumen veritatis.

6 *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum :*
Molas leonum confringet Dominus.

C Contrivit Deus dentes Judæorum, quando dolosa verba eorum deducebantur ad nihilum. Leones fuerunt, quando cruento ore clamabant : Crucifige,

crucifige. Confringebantur molæ in ore ipsorum, quando non poterant dictis verissimis respondere.

7 *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens : Intendit arcum suum donec infirmentur.*

C O inaudita sævitia Judæorum ! comparantur illis tot mala ingentia : a quibus novimus immania venire pericula. Aqua vero decurrens : est torrens cito deficiens. Deus etiam contra malos arcum suum intendit, id est, comminationem suæ potestatis, et tandiu terret : donec infirmati cedant, et ad confessionis salutem se convertant.

8 *Sicut cera quæ fluit auferentur : Supercecidit ignis et non viderunt solem.*

H Sicut cera igne dissolvitur, ita et isti qui in sua obstinatione perdurant, futuri judicii igne perduntur. C Auferentur, dicit a conspectu Dei. H Supercecidit ignis, id est, judicium mortis. Et non viderunt solem, C id est, Dominum Salvatorem. Illum enim conspicere nequeunt, nisi qui eum mundis mentibus intuentur. A C Vel ignis concupiscentiæ malæ cecidit hic super mentes malorum, et ideo justum et bonum et sanctum videre non possunt, id est, bene agere et bene discernere agenda.

9 *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum : Sicut viventes* sicut *in ira absorbet eos.*

H Hic loquitur ad populum peccantem. Rhamnus spinarum genus est aculeis asperrimum et flore gratissimum, et significat per flores retributionem bonorum, per aculeos pœnam malorum ; justis floret ad ornatum, peccatoribus præbet spinas ad configendum. C Dicit vero : Sicut viventes, quia vivere creduntur et mortui sunt. Omnis enim peccator in peccatis degens, veritati moritur. Sicut in ira : illud significat, quia Dominus non iratus : tanquam iratus, videtur peccatores percellere. Quando autem additur : Absorbet eos, hoc significat subitum interitum eorum cum justa vindicta.

10 *Lætabitur justus cum viderit vindictam. Manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

H Lætabitur justus, quia quando impii damnantur in pœnis, justi lætificantur in præmiis. C Cum enim sanguis peccatoris effunditur, tunc manus, id est, actus justi hominis corriguntur. Impio enim pereunte, commonetur justus se cautius diligentiusque custodire.

11 *Et dicet homo si utique est fructus justo : Utique est Deus judicans eos in terra.*

C Vult hic enim hoc intelligi, quia nec mali in hoc sæculo omnino a pœna sunt liberi, quamvis florere videantur, quia qui non crediderit, jam judicatus est. Nec etiam boni a beneficio sequestrati, licet mundanis oneribus opprimantur. H Tunc erit fructus justo : cum ei Dominus regna donaverit. Illi ante judicium in hac terra judicantur : de quibus dictum est : Qui non crediderit jam judicatus est (*Joan.* III).

ORATIO EX PSALM. LVII.

Justissime Domine, concede populo tuo sequi justitiam, diligere recta, ne a veritate tua auditum avertens, a venefici serpentis morsibus saucietur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LVIII

ARGUMENTUM PSAL. LVIII.

C Christus orat, ne ei inimici nocere prævaleant, dicitque quemadmodum in fine sæculi convertendi sint Judæi, pro quibus et oratio mirabili pietate depromitur.

TT. *In finem ne disperdas. David. in tituli inscriptione : quando misit Saul et custodivit domum ejus : ut interficeret eum.*

In finem : jam dictum est sine fine. Ne disperdas David in tituli inscriptione. Et hoc quoque frequenter ponitur, ut passio Domini per hæc indicia declaretur. Domus David indicat monumentum, ubi triduana morte requievit, quod ad custodiendum miserunt Judæi mala mente : quod tamen invitis eis factum est ad gloriam nominis eius ne oer fraudem diceretur resurgere.

1 *Eripe me de inimicis meis, Deus meus : Et ab insurgentibus in me libera me.*

C Petit humanitas verbi ex humanitate sine macula peccatorum : diabolum vel ministros ejus Judæos averti a se. Nos autem sic petimus obnoxii : ab immundis spiritibus divina misericordia liberari. H Inimici Christi fuerunt Judæi : cum ei invidebant occulte. Insurrexerunt : cum præceptis ejus obviaverunt.

2 *Eripe me de operantibus iniquitatem : Et de viris sanguinum salva me.*

C Duo genera inimicorum posuit, scilicet inimicos qui animum tantum habuerunt nocendi, et qui jam insurgebant nocere, nunc vero tertium genus eorum qui jam operantur malum. H Quia operarii iniquitatis effecti sunt (*Matth.* XXVII), cum manus armaverunt ad ejus interfectionem. Viri sanguinum fuerunt, cum sanguinem justi super se suos que filios venturum esse optaverunt.

3 *Quia ecce ceperunt animam meam : Irruerunt in me fortes.*

C Anima hic dicitur vita corporalis : cæterum animam Christi nulla potuit adversitas occupare, sed per animam captam tempus ostenditur passionis. Fortes : diabolum significat hic cum ministris Judæis.

4 *Neque iniquitas mea neque peccatum meum, Domine : Sine iniquitate cucurri et direxi.*

C Iniquitas hic pro malitia vel malevolentia accipienda est ; peccatum vero pro operatione sceleris ; quæ omnino a Domino fuisse probantur extranea. Christus enim mundanam vitam recto tramite cucurrit, nec illi ullo modo potuit obviare iniquitas : quæ actus semper humanitatis intorquet. Hoc enim ei erat dirigi, unde venerat ut rediret.

5 *Exsurge in occursum meum et vide : Et tu, Domine, Deus virtutum, Deus Israel.*

H Ad Patrem hic loquitur : a quo se in Evangelio

clarificari postulabat. Et vide, hoc est fac videri, ut credant me æqualem tibi. Deus virtutum, id est, angelorum et hominum. Deus Israel, hoc est, animarum Deum videntium.

6 *Intende ad visitandas omnes gentes :*
Non misereris omnibus qui operantur iniquitatem. Diapsalma.

℣ Intende nunc ad visitandas omnes gentes, ut tibi ex gentibus copia crescat, quia sterilitatem fidei in Judaico populo comperisti. Omnes gentes dicit, quoniam de universis gentibus Domino adjuvante erant credituri. Non misereris, ostendit illis esse miserendum : qui puro studio supplicabunt. Licet omnes operantur iniquitatem, illis tamen parcendum est qui ad Christum devota mente confugiunt.

7 *Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes :*
Et circuibunt civitatem.

℣ Declaratur hic futura conversio Judaici populi, et ex eis in fine mundi innumeros esse credituros : ut quamvis sera, tamen aliquando salutifera conversione salventur. ℟ Et usque ad exitum vitæ suæ famem verbi Dei patiuntur. ℣ Canis dictus a canendo, nam illius consuetudo est, illa loca defendere, ubi se novit alimoniam reperire : ita Judæi jam conversi defendent civitatem, id est Ecclesiam quam correctis prædicatoribus circuibunt.

8 *Ecce loquentur in ore suo : et gladius in labiis eorum :*
Quoniam quis audivit ?

℣ Loquentur certe tunc in ore suo : quod nunc habere non merentur in corde. A ℣ Erit utique in labiis eorum gladius cœlestis verbi Dei, qui legitur bis acutus, ex utroque testimonio feriens. ℣ Quis enim cum pondere proferendum est, quasi nullus gentilis pene, quasi omnino rarissimus, qui eorum prædicationem audiet, scilicet Judæorum, quoniam quando convertentur Judæi : pene Christiani ex gentibus Antichristo adhærebunt, ut rarissimus sit tunc Christianus, ex gentibus natus.

9 *Et tu, Domine, deridebis eos.*
Ad nihilum deducis omnes gentes.

℣ De gentibus qui in Antichristi scelerata religione permanserint, irridendos eos pronuntiat, qui prædicationes rectas audire noluerint. Gentes, et in bono et in malo poni notissimum est. Ipsas enim pro nihilo habet Dominus : qui eum creaturarum omnium non venerantur auctorem. Mos est Scripturæ (sicut hic) dicere pro parte totum,] ut omnes gentes non omnes, sed omnes incredulas accipias.

10 *Fortitudinem meam ad te custodiam : quia Deus susceptor meus :*
Deus meus, misericordia ejus prævenit me.

℣ Fortitudinem humanitatis suæ dicit Christus patris beneficiis applicandam. Ad te custodiam : mutata syllaba significat per te. Custodiam fortitudinem meam : merito illi fortitudinem suam pronuntiat deputandam, quem etiam susceptorem suum esse noscebat. ℟ Prævenit illum misericordia Patris, cum prius centurio eum confessus est, quam ab inferis resurrexisse Deum videret. Sed et multi percutientes pectora sua revertebantur dicentes : Vere Filius Dei erat iste (*Matth.* xxvii).

11 *Deus ostendit mihi super inimicos meos :*
Ne occidas eos nequando obliviscantur populi mei.

℣ Deus ostendit mihi. Secundum jam dicit munus beneficii, ut etiam inter inimicos virtus ipsius majestatis possit ostendi, ut de blasphemis fiant religiosi. Ne occidas eos, precatur ergo ne gens Judæorum funditus pereat, sed magis errasse se satisfactione digna cognoscat.

12 *Disperge illos in virtute tua :*
Et depone eos protector meus, Domine.

℟ Disperge illos, hoc dictum est de Judæis, ut in toto orbe dispersi, sic emendati non superbiant, vel in hac dispersione scelus suum pœnitendo deplorent.

13 *Delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum :*
Et comprehendantur in superbia sua.

℣ Delictum oris eorum, id est, cogitationum insaniæ fuerunt, quando consilium fecerunt, ut nec traderent Dominum. Sermo quoque labiorum detestabilis fuit, quando dicebant : Reus est mortis. Captos eos constat in superbia sua, quando viderunt resurgentem quem respuerant miracula facientem.

14 *Et de exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione :*
In ira consummationis et non erunt.

℟ Exsecrabantur Dominum, cum eum filium Joseph fabri dixerant. Innectebant etiam mendacium : cum eum dæmonium dicebant habere. Et non erunt, id est, ut non possint perseverare in malitia sua, sed in ea consummentur (*Matth.* xiii). ℣ Consummationem enim illam dicit, quam unusquisque patitur. (*Joan.* viii) : quando memor peccatorum se cruciat. Non erunt igitur utique superbi sed pœnitendo humiliati.

15 *Et scient quia Deus dominabitur Jacob :*
Et finium terræ. Diapsalma.

℣ Et scient, Judæi cum fuerint perfecta religione instituti : Christum esse Dominum Jacob patriarchæ, quod primitus non credebant, et Dominum esse finium terræ, id est, catholicæ Ecclesiæ toto orbe diffusæ, quod modo durato corde non sapiunt.

16 *Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes :*
Et circuibunt civitatem.

℣ Post interjectionem secundi Diapsalmatis : venit ad tertium ingressum, ubi conversio Judæorum et resurrectio Domini ostenditur. Canes hic significat prædicatores ex Judæis conversos, ut Paulum et alios. Civitas vero hic Hierusalem significat terrestrem : quam Paulus circuivit prædicando gloriose, et alii Judæi multi credentes. In superiore enim divisione vesperam diximus finem sæculi significare, sed

hic initium sextæ ætatis ostendit, quando Dominus venit, et post ejus resurrectionem multitudo credidit Judæorum.

17 *Ipsi dispergentur ad manducandum :*
Si vero non fuerint saturati et murmurabunt.

C Ipsi vero qui veram meruerunt habere doctrinam, dispergentur ad manducandum, cibum videlicet spiritalem, ut convertantur gentes ad fidem, sicut Petro dictum est in visione : Macta et manduca (*Act.* x). Saturantur doctores : quando prædicationes suas viderint populos desideranter assumere. Contra jejuni murmurant, si verba sua fructificare non cognoverint in mentibus perfidorum.

18 *Ego autem cantabo fortitudinem tuam :*
Et exsultabo mane misericordiam tuam.

H Cantabat Christus, id est, prædicabat fortitudinem Patris, quomodo cum ipso vicerit diabolum. C Mane exsultabit, cum nox obscura istius sæculi transierit, quando jam misericordia Domini in remuneratione sanctorum elucescit. Ibi enim ipse exsultaturus est tanquam rex et Dominus, ubi suum populum in se gaudere conspexerit, potest etiam cantatio et exsultatio ista ad membra magis proprie referri. Cantavit enim Christus fortitudinem in Petro, aliisque apostolis et martyribus.

19 *Quia factus es susceptor meu*
Et refugium meum in die tribulationis meæ.

C Ipse Christus suscipitur, quando Ecclesia cuncta salvatur. Tunc etiam æternum refugium efficitur Christus, quando ista desiderantissima vox auditur. Venite, benedicti, Patris mei, sed et jam gratum est refugium Christus, quando tempore tribulationis condonatur.

20 *Adjutor meus, tibi psallam : quia, Deus, susceptor meus es :*
Deus + meus ⁝ misericordia mea.

C Repetit frequenter beneficia, ut nobis quemadmodum gratias agere debeamus ostendat. Susceptor : humanitatis nostræ verbum est, quod eam in Mariæ virginis utero sibi sociare dignatus est. Deus meus, id est, misericordia mea, ibi enim omnia sunt beneficia, ibi universa munera designata.

ORATIO EX PSAL. LVIII.

Omnipotens Domine, cujus virtutem atque misericordiam matutino laudamus in tempore : *quo* fortitudinem te nostram oramus et quæsumus, ut ab omni obscuritate tenebrarum eruti : matutino lumine decoremur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LIX.

ARGUMENTUM PSAL. LIX.

C Populus conversus ad Christum orat, ut post tribulationes quas pertulit : deducatur ad ipsum.

TT. *In finem pro his qui immutabuntur in tituli inscriptione David in doctrinam cum succendit Mesopotamiam Syriæ et Syriam Sobal. Et convertit Joab et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.*

C Commutabuntur autem in finem, qui veteris hominis errore deposito : Domino Salvatori pura mente famulantur. Tituli inscriptio Christum significat regem. In doctrinam, id est Christianam. Bella ista quæ sequuntur, historia regum comprehendit, et significant victorias Domini Salvatoris : quas in toto mundo de paganis agit et perfidis, quorum verba iste psalmus dicturus est. Christus manu fortis et desiderabilis, non ferro, sed conversionis studio, non per ignem visibilem, sed per charitatis ardorem (quo modo divinitas debellare ac vincere invisibiliter consuevit) mundum rebellem subegit.

1 *Deus repulisti + nos ⁝ et : destruxisti nos*
Iratus es et misertus es nobis.

C Populus iste qui erat priscis erroribus illigatus, repulsum se et destructum sub gratiarum actione commemorat. Cum dicit repulisti, ostendit se fuisse gratia Dei revocatum ne in pravis dogmatibus vita fixiretur. Ista destructio sic evertit : ut construat, sic deponit : ut erigat, ideo merito ad gratiarum actionem venit ista destructio. Iratus est : quando superstitiones eorum subvertit. Misertus : cum eos ad cultum veræ religionis adduxit.

2 *Commovisti terram et conturbasti eam :*
Sana contritiones ejus quia commota est.

C Terra : universum cœtum peccantium significat, qui in adventu Domini commoti sunt, quando culturas suas cognoverunt Deo esse abominabiles. Conturbati sunt, quando inter doctrinas suas alias audierunt : Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus (*Psal.* II) ; et pereatis de via justa. Sana contritiones, etc. Cœlesti medico produntur vulnera, ut contritis medicina succurrat. Ista est contritio quæ nos efficit fortiores, quia commota est, id est, a priore errore translata est, ut tibi Domino obediat qui ante idolis serviebat.

3 *Ostendisti populo tuo dura :*
Potasti nos vino compunctionis.

C Ostendit enim dura fidelibus justis in isto mundo, ut reddat in æternitate pretiosa. Vino comparata est virtus, in qua non est vitiorum copia, sed compunctionis ubertas, quæ in bono proposito studium nostræ voluntatis immutatæ efficit recta sapere : dum ea implentur.

4 *Dedisti metuentibus te significationem :*
Ut fugiant a facie arcus. Diapsalma.

C Dedit timentibus significationem, quando per Scripturas edocuit in hoc *amenti* mundo fideles multiplices passiones sustinere : facies arcus, diem judicii designat, ubi Novi et Veteris Testamenti quasi duobus inflexis jugis omnis populus judicatur, sed ille ab isto arcu sagittam, id est, sententiam non suscipit, qui se in humilitatem confessionis devote prostraverit.

5 *Ut liberentur dilecti tui.*
Salvum fac dextera tua et exaudi me.

C Deprecatur iste populus fidelis, ut jam a tribulationibus libertatus Dei virtus tribulationes ejus in alacritatem gaudii convertat. Et item precatur ut

clarificari postulabat. Et vide, hoc est fac videri, ut credant me æqualem tibi. Deus virtutum, id est, angelorum et hominum. Deus Israel, hoc est, animarum Deum videntium.

6 *Intende ad visitandas omnes gentes :*
Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem. Diapsalma.

℣ Intende nunc ad visitandas omnes gentes, ut tibi ex gentibus copia crescat, quia sterilitatem fidei in Judaico populo comperisti. Omnes gentes dicit, quoniam de universis gentibus Domino adjuvante erant credituri. Non miserearis, ostendit illis esse miserendum : qui puro studio supplicabunt. Licet omnes operantur iniquitatem, illis tamen parcendum est qui ad Christum devota mente confugiunt.

7 *Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes :*
Et circuibunt civitatem.

℣ Declaratur hic futura conversio Judaici populi, et ex eis in fine mundi innumeros esse credituros : ut quamvis sera, tamen aliquando salutifera conversione salventur. ℍ Et usque ad exitum vitæ suæ famem verbi Dei patiuntur. ℣ Canis dictus a canendo, nam illius consuetudo est, illa loca defendere, ubi se novit alimoniam reperire : ita Judæi jam conversi defendent civitatem, id est Ecclesiam quam correctis prædicatoribus circuibunt.

8 *Ecce loquentur in ore suo : et gladius in labiis eorum :*
Quoniam quis audivit ?

℣ Loquentur certe tunc in ore suo : quod nunc habere non merentur in corde. A ℣ Erit utique in labiis eorum gladius cœlestis verbi Dei, qui legitur bis acutus, ex utroque testimonio feriens. ℣ Quis enim cum pondere proferendum est, quasi nullus gentilis pene, quasi omnino rarissimus, qui eorum prædicationem audiet, scilicet Judæorum, quoniam quando convertentur Judæi : pene Christiani ex gentibus Antichristo adhærebunt, ut rarissimus sit tunc Christianus, ex gentibus natus.

9 *Et tu, Domine, deridebis eos .*
Ad nihilum deducis omnes gentes.

℣ De gentibus qui in Antichristi scelerata religione permanserint, irridendos eos pronuntiat, qui prædicationes rectas audire noluerint. Gentes, et in bono et in malo poni notissimum est. Ipsas enim pro nihilo habet Dominus : qui eum creaturarum omnium non venerantur auctorem. Mos est Scripturæ (sicut hic) dicere pro parte totum,] ut omnes gentes non omnes, sed omnes incredulas accipias.

10 *Fortitudinem meam ad te custodiam : quia Deus susceptor meus :*
Deus meus, misericordia ejus præveniet me.

℣ Fortitudinem humanitatis suæ dicit Christus patris beneficiis applicandam. Ad te custodiam : mutata syllaba significat per te. Custodiam fortitudinem meam : merito illi fortitudinem suam pronuntiat deputandam, quem etiam susceptorem suum esse noscebat. ℍ Prævenit illum misericordia Patris, cum prius centurio eum confessus est, quam ab inferis resurrexisse Deum videret. Sed et multi percutientes pectora sua revertebantur dicentes : Vere Filius Dei erat iste (*Matth.* xxvii).

11 *Deus ostendit mihi super inimicos meos :*
Ne occidas eos nequando obliviscantur populi mei.

℣ Deus ostendit mihi. Secundum jam dicit munus beneficii, ut etiam inter inimicos virtus ipsius majestatis possit ostendi, ut de blasphemis fiant religiosi. Ne occidas eos, precatur ergo ne gens Judæorum funditus pereat, sed magis errasse se satisfactione digna cognoscat.

12 *Disperge illos in virtute tua :*
Et depone eos protector meus, Domine.

ℍ Disperge illos, hoc dictum est de Judæis, ut in toto orbe dispersi, sic emendati non superbiant, vel in hac dispersione scelus suum pœnitendo deplorent.

13 *Delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum :*
Et comprehendantur in superbia sua.

℣ Delictum oris eorum, id est, cogitationum insaniæ fuerunt, quando consilium fecerunt, ut neci traderent Dominum. Sermo quoque labiorum detestabilis fuit, quando dicebant : Reus est mortis. Captos eos constat in superbia sua, quando viderunt resurgentem quem respuerant miracula facientem.

14 *Et de exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione :*
In ira consummationis et non erunt.

ℍ Exsecrabantur Dominum, cum eum filium Joseph fabri dixerant. Innectebant etiam mendacium : cum eum dæmonium dicebant habere. Et non erunt, id est, ut non possint perseverare in malitia sua, sed in ea consummentur (*Matth.* xiii). ℣ Consummationem enim illam dicit, quam unusquisque patitur. (*Joan.* viii) : quando memor peccatorum se cruciat. Non erunt igitur utique superbi sed pœnitendo humiliati.

15 *Et scient quia Deus dominabitur Jacob :*
℣. Et ⁘ finium terræ. Diapsalma.

℣ Et scient, Judæi cum fuerint perfecta religione instituti : Christum esse Dominum Jacob patriarchæ, quod primitus non credebant, et Dominum esse finium terræ, id est, catholicæ Ecclesiæ toto orbe diffusæ, quod modo durato corde non sapiunt.

16 *Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes :*
Et circuibunt civitatem.

℣ Post interjectionem secundi Diapsalmatis : venit ad tertium ingressum, ubi conversio Judæorum et resurrectio Domini ostenditur. Canes hic significat prædicatores ex Judæis conversos, ut Paulum et alios. Civitas vero hic Hierusalem significat terrestrem : quam Paulus circuivit prædicando gloriose, et alii Judæi multi credentes. In superiore enim divisione vesperam diximus finem sæculi significare, sed

hic initium sextæ ætatis ostendit, quando Dominus venit, et post ejus resurrectionem multitudo credidit Judæorum.

17 *Ipsi dispergentur ad manducandum :*
Si vero non fuerint saturati et murmurabunt.

C Ipsi vero qui veram meruerunt habere doctrinam, dispergentur ad manducandum, cibum videlicet spiritalem, ut convertantur gentes ad fidem, sicut Petro dictum est in visione : Macta et manduca (*Act.* x). Saturantur doctores : quando prædicationes suas viderint populos desideranter assumere. Contra jejuni murmurant, si verba sua fructificare non cognoverint in mentibus perfidorum.

18 *Ego autem cantabo fortitudinem tuam :*
Et exsultabo mane misericordiam tuam.

H Cantabat Christus, id est, prædicabat fortitudinem Patris, quomodo cum ipso vicerit diabolum. C Mane exsultabit, cum nox obscura istius sæculi transierit, quando jam misericordia Domini in remuneratione sanctorum elucescit. Ibi enim ipse exsultaturus est tanquam rex et Dominus, ubi suum populum in se gaudere conspexerit, potest etiam cantatio et exsultatio ista ad membra magis proprie referri. Cantavit enim Christus fortitudinem in Petro, aliisque apostolis et martyribus.

19 *Quia factus es susceptor meu*
Et refugium meum in die tribulationis meæ.

C Ipse Christus suscipitur, quando Ecclesia cuncta salvatur. Tunc etiam æternum refugium efficitur Christus, quando ista desiderantissima vox auditur. Venite, benedicti, Patris mei, sed et jam gratum est refugium Christus, quando tempore tribulationis condonatur.

20 *Adjutor meus, tibi psallam : quia, Deus, susceptor meus es :*
Deus + meus ⁝ misericordia mea.

C Repetit frequenter beneficia, ut nobis quemadmodum gratias agere debeamus ostendat. Susceptor : humanitatis nostræ verbum est, quod eam in Mariæ virginis utero sibi sociare dignatus est. Deus meus, id est, misericordia mea, ibi enim omnia sunt beneficia, ibi universa munera designata.

ORATIO EX PSAL. LVIII.

Omnipotens Domine, cujus virtutem atque misericordiam matutino laudamus in tempore : *quo* fortitudinem te nostram oramus et quæsumus, ut ab omni obscuritate tenebrarum eruti : matutino lumine decoremur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LIX.

ARGUMENTUM PSAL. LIX.

C Populus conversus ad Christum orat, ut post tribulationes quas pertulit : deducatur ad ipsum.

TT. *In finem pro his qui immutabuntur in tituli inscriptione David in doctrinam cum succendit Mesopotamiam Syriæ et Syriam Sobal. Et convertit Joab et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.*

C Commutabuntur autem in finem, qui veteris A hominis errore deposito : Domino Salvatori pura mente famulantur. Tituli inscriptio Christum significat regem. In doctrinam, id est Christianam. Bella ista quæ sequuntur, historia regum comprehendit, et significant victorias Domini Salvatoris : quas in toto mundo de paganis agit et perfidis, quorum verba iste psalmus dicturus est. Christus manu fortis et desiderabilis, non ferro, sed conversionis studio, non per ignem visibilem, sed per charitatis ardorem (quo modo divinitas debellare ac vincere invisibiliter consuevit) mundum rebellem subegit.

1 *Deus repulisti + nos ⁝ et : destruxisti nos*
Iratus es et misertus es nobis.

C Populus iste qui erat priscis erroribus illigatus, repulsum se et destructum sub gratiarum actione B commemorat. Cum dicit repulisti, ostendit se fuisse gratia Dei revocatum ne in pravis dogmatibus vita figeretur. Ista destructio sic evertit : ut construat, sic deponit : ut erigat, ideo merito ad gratiarum actionem venit ista destructio. Iratus est : quando superstitiones eorum subvertit. Misertus : cum eos ad cultum veræ religionis adduxit.

2 *Commovisti terram et conturbasti eam :*
Sana contritiones ejus quia commota est.

C Terra : universum cœtum peccantium significat, qui in adventu Domini commoti sunt, quando culturas suas cognoverunt Deo esse abominabiles. Conturbati sunt, quando inter doctrinas suas alias audierunt : Apprehendite disciplinam, nequando C irascatur Dominus (*Psal.* II) ; et pereatis de via justa. Sana contritiones, etc. Cœlesti medico produntur vulnera, ut contritis medicina succurrat. Ista est contritio quæ nos efficit fortiores, quia commota est, id est, a priore errore translata est, ut tibi Domino obediat qui ante idolis serviebat.

3 *Ostendisti populo tuo dura :*
Potasti nos vino compunctionis.

C Ostendit enim dura fidelibus justis in isto mundo, ut reddat in æternitate pretiosa. Vino comparata est virtus, in qua non est vitiorum copia, sed compunctionis ubertas, quæ in bono proposito studium nostræ voluntatis immutatæ efficit recta sapere : dum ea implentur.

4 *Dedisti metuentibus te significationem :*
Ut fugiant a facie arcus. Diapsalma. D

C Dedit timentibus significationem, quando per Scripturas edocuit in hoc *amenti* mundo fideles multiplices passiones sustinere : facies arcus, diem judicii designat, ubi Novi et Veteris Testamenti quasi duobus inflexis jugis omnis populus judicatur, sed ille ab isto arcu sagittam, id est, sententiam non suscipit, qui se in humilitatem confessionis devote prostraverit.

5 *Ut liberentur dilecti tui.*
Salvum fac dextera tua et exaudi me.

C Deprecatur iste populus fidelis, ut jam a tribulationibus libertatus Dei virtus tribulationes ejus in alacritatem gaudii convertat. Et item precatur ut

salvus fiat dextera, quia in ipsa parte statuendi sunt, qui perpetua felicitate gaudebunt.

6 *Deus locutus est in sancto suo : lætabor et partibor Sichimam :*
Et convallem tabernaculorum metibor.

C Locutus est Pater in Filio, scilicet evangelicam veritatem, per quam venit redemptio fidelium. Lætabor. Juste lætabatur populus, cui prospera locutus est Dominus. H Sichimam, Samariam significat, dividit Christus Sichimam, cum aliam partem ad beatitudinem, aliam cum infidelibus ponit. C Convallem tabernaculorum metiebatur, id est, de Judaica collectione habet non minimam portionem in fide catholica. Convallis dicta, quasi cavata vallis.

7 *Meus est Galaad et meus est Manasses :*
Et Ephraim fortitudo capitis mei.

C Galaad interpretatur acervus testimonii. Testes enim Græce martyres dicuntur. Acervus iste testimonii magnam esse significat martyrum congregationem. Manasses interpretatur *oblitus*, merito ergo fidelis populus dicit illam oblivionem suam esse, quæ erat de abolitione scelerum ventura. Ephraim *fructificatio* dicitur, quæ est fortitudo capitis mei, id est Dominus Salvator, qui nobis contulit copiosissimum fructum in passione et resurrectione, quia nisi granum frumenti, etc., usque multum fructum affert (*Joan.* XII). H Universa hæc de gentium vocatione dicuntur, quarum diversæ virtutes sub singulorum nominum interpretatione intelligendæ sunt.

8 *Juda, rex meus :*
Moab, olla spei meæ.

C Juda *Christum* significat, et cum exsultatione dicendum est : Juda, rex meus, quoniam hæc est fidelium gloriosa confessio. Moab pro gentibus ponitur, unde congregandam prædicebat Ecclesiam. Per ollam spei, tribulatio significatur, quam in hoc sæculo sancti sustinent, quæ ad spem vitæ æternæ Domino præstante, porrigitur, ut Paulus ait : Spes autem non confundit (*Rom.* V). Olla vero hic in malam partem ponitur, eo quod in sensu pravo velut unda decoctionis exæstuat, sed decoctis peccatis et exustis convertetur nigredo ollæ.

9 *In Idumæam extendam calceamentum meum :*
Mihi alienigenæ subditi sunt.

H Idumæa interpretatur *sanguinea* vel *terrena*, ac si dicat : In istos tales extendam calceamentum, id est prædicationem Evangelii. Mihi alienigenæ subditi sunt, scilicet Christo et Ecclesiæ.

10 *Quis deducet me in civitatem munitam :*
Quis deducet me usque in Idumæam ?

C Exclamat populus fidelis ad Dominum : Quis deducet me in civitatem munitam, id est futuram Hierusalem, nisi tu solus Deus ; quæ sic munita est, ut nulla ulterius persecutione quatiatur ; qui eam te duce ingreditur. Quis deducet, ipse, scilicet Deus. Desiderat enim Ecclesia illos populos sibi applicari, qui adhuc non meruerunt esse perfecti, ut completo numero prædestinatorum, simul ad æterna gaudia terreni cum sanctis pervenirent.

A 11 *Nonne tu, Deus, qui repulisti nos :*
Et non egredieris Deus in virtutibus nostris ?

C Dicendo, nonne tu, Deus, ostendit, de quo superius dicebat, solum esse cum qui deduceret, et illum solum Creatorem debere nobis esse propitium. Dicit autem, qui repulisti nos, id est a malo prohibuisti, ne in nostra voluntate versaremur erronei. Non egredietur Deus in virtutibus nostris, id est, cum ita nos intus in præsenti sæculo defendas ab adversariis nostris, ut tamen foris nos diversis afflictionibus ad probationem nostram affligamur, æstimant inimici, quod non egrediaris in virtutibus nostris, quamvis in mente nos virtuose protegas.

12 *Da nobis auxilium de tribulatione :*
Et vana salus hominis.

B C Orat Ecclesia, ut de tribulatione istius mundi, quam jugiter sustinebat, Domini sibi præveniret auxilium, sciens tanto illic amplius unumquemque consolandum quanto hic pro ejus nomine fuerit vehementer afflictus. Et vana salus hominis, salutem præstare non potest homini nisi solus Deus, ideoque sperare non debet homo in hominem

13 *In Deo faciemus virtutem :*
Et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

C Ipse in Deo faciet virtutem, qui in mandatis ejus jugiter perseverans, diabolicas tentationes Christo miserante calcaverit. Ad nihilum quippe perducit inimicos fidelium, quoni.n delet eos de libro viventium, ubi sibi videbantur scripti elati.

C

ORATIO EX PSAL. LIX.

Clementissime Domine, salva supplicem populum auxilio dexteræ tuæ, et dum ad fructum boni operis in tribulationibus exercitatur, tua semper gratia consoletur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

PSALMUS LX.

ARGUMENTUM PSAL. LX.

C Vox Ecclesiæ petentis, ut sub alarum Christi velamine protegatur.

TT. *In finem in hymnis David.*

C In finem, Christum significari jam notum est. In hymnis Græcum vocabulum est, interpretaturque *in laudibus*, quia totus Psalmus Christi præconia personat. David autem ipsum Christum significat, D cujus laudem decantat populus Christianus.

1 *Exaudi Deus deprecationem meam :*
Intende orationi meæ

C Deprecatio ossidua est communisque Deo et homini supplicatio. Oratio vero est quam sanctæ Trinitati jure persolvimus, illam postulavit intendi, id est, prospici a Domino atque misereri.

2 *A finibus terræ ad te clamavi dum anxiaretur cor meum :*
In petra exaltasti me.

3 *Deduxisti me, quia factus es spes mea :*
Turris fortitudinis a facie inimici.

C Clamat congregatio sancta a finibus terræ, H id est, quatuor partibus mundi, C in quibus omnipo-

tentis Dei Ecclesia constituta est. In anxietate cordis, quando enixius oratur et clamatur ad Dominum, scilicet cum, periclitante anima, animæ necessaria remedia postulantur. Petra significat Christum; in hac petra se exaltatum esse pronuntiat, in qua omnis ædificatus est Christianus. C Deduxisti me in illam, scilicet futuram requiem, quam beatis suis Dominus pollicetur. Causa etiam redditur, quare sit ductus ad præmium, quia posuit sibi spem Dominum. Turris etiam *dominum* significat; turris enim civitatis muros defendit, et irruentes hostes ex alto vulnerat. Sic virtus Domini populum suum defendit; pugnat vero verbo, non prælio, et turris illa virtutibus plena est, non gladiis.

4 *+ In ⁝ habitabo in tabernaculo tuo in sæcula : Protegar in velamento alarum tuarum. Diapsalma.*

H Inhabitabo utique in illo tabernaculo, in quo sine fine mansuri Deum jugiter contemplemus. C Merito ergo protectio Domini aliis comparata est, quæ nec subjectos onerant, et læsionem omnis contrarietatis emendant.

5 *Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam : Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

C Cur in velamento alarum Domini lætetur, ostendit, scilicet quoniam ejus exaudita est oratio. Hæreditatem dedisti, significat futuri sæculi regnum, hæc non habet finem; sed cum semel suscepta fuerit, nunquam a nobis mutatione aliqua discedit.

6 *Dies super dies regis adjicies : Annos ejus usque in diem generationis et generationis.*

C Dies, æternitatem significat Salvatoris, qui vere rex noster dicitur, quoniam ab ipso regimur. H Adjicientur etiam anni regis hujus et dies inter istas generationes usque dum, congregatis electis et supplantatis inimicis, tradiderit regnum Deo Patri, simul cum ipso regnans et cum sanctis. C Usque ergo in diem generationis et generationis, id est usque ad æternum unum diem in gloria Dei, qui est dies, ad quem omnis generatio hominum ordinate facta est.

7 *Permanet in æternum in conspectu Dei : Misericordiam et veritatem ejus quis requiret + ei ⁝ ?*

C Permanebit in æternum, scilicet populus sanctus in beatitudine, nullo jam in eo mortis dominio dominante. C Misericordiam quis requiret? ibi misericordia non requiretur, ubi nullus est miser. Ibi nec veritas : ubi cuncti Deum videbunt. Nullus siquidem eorum indignus erit bonorum talium, cum in æternum possideant regna cœlorum. Negative igitur legendum est : quis requiret? quasi diceret : nullus.

8 *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum + sæculi ⁝ : Ut reddam vota mea de die in diem.*

C Sic, significat ita, quemadmodum in subsequentibus declarat. Psallere enim semper dicit populos beatorum superno nomini, non brevi tempore, sed in sæculum sæculi. Vota etiam sua se Domino reddere promittit, ut ei æternas gratias semper exsolvat. De die in diem, significat semper, ut et hic vota nostra reddamus, et ibi laudes cantemus Domino perpetua hilaritate.

ORATIO EX PSAL. LX.

Anxietatum nostrarum, misericordissime consolator, Deus, protege familiam tuam a facie inimici, ut a te turre fortitudinis præmunita, inhabitare tabernacula mereatur æterna. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS LXI

ARGUMENTUM PSAL. LXI.

C Vox conversi dicentis animam suam Deo esse subjectam, monentisque errantes, ut magis in Domino quam in caduca hujus mundi felicitate confidant.

TT. *In finem pro Idithun psalmus David.*

C Idithum interpretatur *transiliens eos*, id est amatores sæculi hujus, quos miles Christi contempta mundi voluntate transcendit, et in Domino spe firmissima permanebit. Talis enim præmittit finem, id est Dominum Christum sequitur quoque psalmus, hoc est probabilis vita, quæ regulis Domini obsecundat, id est obedit.

1 *Nonne Deo subjecta erit anima mea ? Ab ipso enim salutare meum*

C Nonne vertendum est, ut planius fiat, dicamus enim : nonne Deo subdita erit? Subditus est Deo, qui semper humiliter illud agit quod ad ejus mandata cognoverit pertinere, ac præter eum nihil aliud mens beata concupiscit. Ab ipso enim salutare meum, id est unigenitus Filius, qui recte credentibus salutaris dicitur et existit.

2 *Nam et ipse Deus meus et salutaris meus : Susceptor meus non movebor amplius.*

C Nam et ipse Deus meus, nunc Deum invocat quem superius nominavit salutare. Ne crederes autem minorem esse Filium Patre, dicit : Ipse est Deus meus. Repetit salutaris meus; salus enim Christus est humani generis, *quæ* in Adam perierat. H Addidit susceptor meus, in æternitate, scilicet ideo non movebor amplius, quia postquam felici visione fruar, cadere non timebo. Nec habet quo currat amplius, nisi usque ad Deum.

3 *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos : Tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ.*

C Loquitur enim populus Dei ad persecutores Christianorum: Quandiu agmine facto supra homines innocentes irruitis? H Addidit, interficitis universi vos, quia qui voluntatem habet occidendi hominem, etiam si non percusserit, occidit. C Aptissima comparatio, Paries inclinatus quamvis non moveatur, tamen occumbit, quia in casum vergit quidquid a soliditate sua fuerit inclinatum; et maceriæ depulsæ, quæ facile in ruinam cadit, si fuerit aliqua impulsione quassata. H Ita, homicidæ, cum

recte sitis creati, ad ruinam proni ferimini, naturalisque in vobis sensus perversus est. C Est autem maceria sicca saxorum constructio, quæ sine aliquo ligamine impenso in altum ducta componitur.

4 *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere : cucurri in siti :*
Ore suo benedicebant et corde suo maledicebant. Diapsalma.

C Iste versus respicit ad Judæos et ad fictos Christianos. Cogitabant infideles repellere Christum, qui est caput et pretium Ecclesiæ, quando ne puro corde coleretur, sacrilegis dogmatibus obviabant. Tunc sanctus vir cursum vitæ suæ in siti sterilitatis peragebat, quia invenire non poterat, quem sacra doctrina potasset. Sequitur sitis causa : benedicebant ore, qui legem fallaci emendatione pertranseunt, et non hoc operibus demonstrant quod ore pronuntiant. Corde enim maledicebant qui Scripturas sanctas vitiose intelligebant.

5 *Verumtamen Deo subjecta esto anima mea :*
Quoniam ab ipso patientia mea.

C Nunc repetit Propheta quod superius dixit, animam suam Deo esse subjectam, ut ipsa repetitio menti nostræ credulitatem infigeret. Patientia quippe nostra Christus est, propter quem et adversa libenter patimur, et susceptæ regulæ observatione gaudemus.

6 *+ Quia, ipse + Deus meus : et Salvator meus :*
Adjutor meus, non emigrabo.

C Superius Christum patientiam nominavit, nunc iterum dicit, Deus meus, et salutaris meus, quia revera animæ suæ salutem jam tunc per incarnandum Verbum provenire noscebat. Non emigrabo, scilicet de hac credulitate quam teneo vel suasu malo vestro, vel persecutione.

7 *In Deo salutare meum et gloria mea :*
Deus auxilii mei et spes mea in Deo + est.

C Congeminat in Deo salutem esse, non ut in gentium diis perpetuam mortem. Et gloria mea, ut non solum salus, sed etiam illi credidisse sit gloria. Deus auxilii mei, ne sibi aliquid deputaret humana infirmitas. Dixit postremo : spes mea in Deo est, ut et illa præterita, quæ perceperat, Domino deputaret et futuram suam beatitudinem ipsi applicaret.

8 *Sperate in eo omnis congregatio populi : effundite coram illo corda vestra :*
Quia Deus adjutor noster + in æternum : Diapsalma.

C Sperate in eo, id est in illum, scilicet quem sibi et *Deum* professus fuerat et salutem omnis conventus plebis. Effundit ante Dominum cor suum, qui peccata sua uberrimis lacrymis confitetur. Cor aliter effundi non potest, nisi creberrimo imbre lacrymarum.

9 *Verumtamen vani filii hominum : mendaces filii hominum in stateris :*
Ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

C Verumtamen dicit vani filii hominum, ut vitium suum cognoscens humanitas, ad auctorem salutis A celeri supplicatione festinet. Vani etenim homines dicuntur ad comparationem supernæ veritatis. Mendaces illos tangit, qui stateris iniquis ementium decipiunt simplicitatem ; *vel illos* notat qui sanctitatis simulatione decipiunt. Ut decipiant, poterant enim non decipere, si eorum nequitia possit deprehendi. In idipsum, scilicet in æquitate, quam falso habere æstimantur, cum justi esse creduntur.

10 *Nolite sperare in iniquitate : et rapinas nolite concupiscere :*
Divitiæ si affluant nolite cor apponere.

C Docet enim vitiatos, ne sperare debeant ubi fructus boni desiderii non potest inveniri. Dicit etiam ad pauperes, qui necessitate victus furtivum aliquod concupiscunt. Et rapinas nolite concupiscere; non B enim potest crimen rapinæ indigentia tollere, nec qui vindictæ subjacet culpam excusare. Nunc redit ad divites, dicens : Divitiæ si affluant. Merito ergo præcepit divitibus cor non apponere et quæ possident non amare, cum Paulus dicat : Non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (*I Tim.* VI).

11 *Semel locutus est Deus : duo hæc audivi.*
Quia potestas Dei est et tibi, Domine, misericordia :
Quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

C Locutus est frequenter patribus nostris Deus, sed semel locutus est Filio suo, dicens : Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Hebr.* I), hoc enim nulli alteri Patrem fuisse locutum manifestum est. Duo hæc audivi in Evangelio : Potestatem habeo ponendi C animam meam, et iterum sumendi eam (*Job* X). Sequitur illud secundum, et tibi, Domine, misericordia, subaudiendum, placet, utrumque deitatis est, ut, scilicet misericorditer possit et potenter misereatur. Et ut hoc de Christo dictum planius intelligas, sequitur tempus judicii : quia tu reddis; Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Job* V). Ostenditur ergo ex istis tribus Christo attributis, *scilicet locutione singulari* et potestate et misericordia, similiter judicio eum unum esse verum cum Patre Deum.

ORATIO EX PSAL. LXI

Subde tibi, Domine, animas nostras, quoniam tu es patientia vera, ut renuentes incerta divitiarum, te solum, contempta omni mundana vanitate, sequamur. Per Dominum nostrum Jesum, etc. D

PSALMUS LXII.

ARGUMENTUM PSAL. LXII.

C Ecclesia desiderans Domini videre virtutem, agit gratias, quia sub protectione Domini procellas mundi evasit.

TT. *Psalmus David cum esset in deserto Idumææ.*

C Idumæa enim locus est ubi David fugiens persecutionem Saulis, ibi latuisse cognoscitur. Idumæa interpretatur *terrena*, et significat terrenos actus, qui bonis spiritualibus omnino nudati sunt.

1 *Deus, Deus meus :*
Ad te de luce vigilo.

C Deus, Deus meus. In ista repetitione venerandi

nominis affectum piæ deprecationis ostendit. Ad ipsum vigilatur, quoties in mundi ambitione dormitur. Addit diluculo, quando Dominicæ resurrectionis tempus eluxit, ut tunc laudes caneret, quando genus humanum exemplo suæ resurrectionis animavit.

2 *Sitivit in te anima mea :*
Quam multipliciter tibi caro mea.

C Sitit ergo anima fidelium Deum, quando mandata ejus et virtutes eximias concupiscit, et ipsum desiderat videre, a quo bonorum omnium fluenta constat emanare. H. Ideo multipliciter caro Deum quærit, quia multis afficitur injuriis.

3 *In ✠ terra ⁂ ✣ deserta ⁂ invia et inaquosa sic in sancto apparui tibi :*
Ut † viderem virtutem tuam et gloriam tuam.

C In terra deserta sicut titulus dixit, id est indigentia hujus mundi et sterilitate jejuna. In invia, quia mundus in se non habet viam nisi Dominum Salvatorem, qui iter est cæcorum. Et inaquosa, id est arida atque infertili, ut merito ejus anima nimia siccitate durescat. Unde per hæc tria nomina, mundi istius necessitas indicatur. Tunc se apparuisse dicit sancta Ecclesia in sancto fidelique proposito, quando Christum verum Deum esse cognovit. Dicit vero : Apparui tibi, ut viderem virtutem et gloriam tuam, quia nemo veritatem videt, nisi Deo prius apparere potuerit. Nam si sol iste videre nos facit, quando nobis fulserit, quanto magis virtus divina (sine qua nec acripere nec tenere aliquid boni possumus) videre se facit, si ante nos illuminans, sibi apparere faciat?

4 *Quoniam melior est misericordia tua supe vitas :*
Labia mea laudabunt te.

C Misericordiam dicit, præmia Domini, quæ sanctis suis promittit larga pietate; quæ longe melior est vita præsenti. Labia mea laudabunt te, post beneficia quæ promisit, devotæ laudis obsequium pollicetur, quod Deo noverat esse gratissimum. H Misericordia tua vitam præstat æternam, vita præsens sæpe mortem operatur. G Vel, melior est misericordia tua quam vita, id est modi vivendi quantumcunque sancti, quia nullus sua sanctitate salvari posset, si misericordia deesset Dei.

5 *Sic benedicam te in vita mea :*
✣ Et ⁂ in nomine tuo levabo manus meas.

C Benedicit enim in vita sua perfecte Deum, qui bonis operibus in hac luce versatur. Levat manus suas in nomine Domini, qui operibus sanctis insistendo, tensis manibus orat Dominum, ut ipsa oratio designet effigiem sanctæ crucis.

6 *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea :*
Et labiis exsultationis laudabit os meum.

C Adipes sunt viscerum crassa velamina, quæ interna jecoris operiunt. Pinguedo vero est saginatæ pecudis nutrita cibis obesitas; ista fuerunt apta sacrificiis olim. Sed pinguedo animæ divinarum rerum scientia est, et recta fides ac inconcussa patientia, etc. Unde sæculi istius macies superatur. Et labia exsultationis; sicca labia ariditate peccati Deum laudare non possunt, sed cum pinguedinem divinæ misericordiæ anima perceperit, labiis exsultationis laudabit. H Hic, orationes; in patria exsultationes et lætitia sempiterna sunt.

7 *Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te :*
Quia fuisti adjutor meus.

C Nam cum dicit Ecclesia, sic memor fui tui, ostendit se recordationem Domini semper habuisse, nec oblitam fuisse in rebus prosperis, quando solent humana corda collata beneficia in memoria non habere. Per stratum significat quietem, ubi solemus corpora nostra in somnos remittere. In matutinis etiam fidelis vigilat, quoniam nec in prosperis suis poterit oblivisci lucis auctorem. In periculis fuit adjutor, quando fuit in invio deserto.

8 *Et in velamento alarum tuarum exsultabo : adhæsit anima mea post te :*
Me suscepit dextera tua.

H Et in velamento, id est in protectione cœlestis auxilii se dicit Ecclesia exsultare. C Et se adhæsisse Domino dicit, ut nunquam recedat a bono proposito. Dextera Patris Christus est Dominus, qui suscepit Ecclesiam alarum suarum velamento protegendam.

9 *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam :*
Introibunt in inferiora terræ :
Tradentur in manus gladii partes vulpium erunt.

H C Ipsi vero, hoc est inimici, in vano quæsierunt animam Christi : quando falsis criminibus sanguinem se effundere decreverunt. C Sequitur : Quia non ad cœlos evecti sunt, sed deorsum eos viscera terræ absorbuerunt. Tradita est in manus gladii gens Judæa, quando eam principes Romanorum Vespasianus et Titus cæde incendioque vastabant. Judæi quoque cœlestia credere nolentes, partes vulpium facti sunt : dum se dolosis et fraudulentis prava voluntate conjunxerunt, aut in talium potestatem redacti sunt. Sive cum in Hierosolymitana vastatione cadavera eorum escæ fuerunt vulpium ferarumque reliquarum.

10 *Rex vero lætabitur in Deo : laudabuntur omnes qui jurant in eo :*
✣ Quia obstructum est os loquentium iniqua ⁂.

C Regem, dicit Salvatorem, ipse enim rex in æternum, qui lætabitur in Domino Deo Patre. Adjecit laudabuntur omnes, cuni laudant Christum sancti Dei : ipsi fiunt sine dubitatione laudabiles, quia non possunt laudes ejus digne narrare, nisi qui ad palmam indulgentiæ meruerunt pervenire. Illi jurant in eo : qui ei mentis obsequium inviolabile promittunt. H Obstructum est os Judæorum et principum sacerdotum, resurgente Domino, et crescente testimonio veritatis. C Et os omnium iniquorum obstruetur in judicio, non in isto sæculo.

ORATIO EX PSAL. LXII.

Ad te diluculo vigilantibus lumen largire perpetuum ductor lucis æternæ, ut te labia nostra laudent, te vita benedicat, te meditatio matutina glo-

rificet. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXIII.

ARGUMENTUM PSAL. LXIII.

C Christus per totum hunc psalmum de sua passione loquitur.

TT. *In finem psalmus David.*

C Tituli hujus verba (sicut sæpe dictum est) referuntur ad Dominum Christum, qui per totum psalmum locutus est, qui sextus esse cognoscitur horum qui passionem resurrectionemque Dominicam brevi revelatione contingunt.

1 *Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor :*
A timore inimici eripe animam meam.

C A parte humanitatis assumptæ postulabat Dominus Christus, ut ejus exaudiatur oratio, quando totis viribus petitur, quod prodesse sentitur. A timore inimici, id est Judæi, H vel diaboli : suos fideles eripi postulabat.

2 *Protexisti me a conventu malignantium :*
A multitudine operantium iniquitatem.

C Protectus est plane a conventu Judæorum, quia dum illi eum crederent communiter mori, ejus resurrectionis gloria probantur esse confusi. Protectus est itaque, quia malignorum insidias potentiæ suæ virtute superavit. A multitudine dixit, ut actum exprimeret passionis, superius enim dixit a conventu malignantium, quod ad consilia potest referri, hoc autem ad actum eorum, ideo dixit : Operantium iniquitatem.

3 *Quia exacuerunt ut gladium linguas suas :*
Intenderunt arcum rem amaram ut sagittent in
occultis immaculatum :

C Jam redditur causa, cur protectus sit ab operantibus iniquitatem, nam quantum illi linguas suas velut mortiferum gladium exacuerant, tantum eorum iniquitas frangebatur, et eis magis nocebant quam Christo. Etenim mos est peccantium, ut primum sibi noceant, qui alterum gravare festinant. Linguas exacuerunt, quando voce una dixerunt : Crucifige. Intenderunt arcum, id est insidias occultas. O res amara et omni felle deterior. Convivam ad proditionem, discipulum ad necem, conservatorem pecuniæ præmio pecuniæ fuisse corruptum. In occultis : sic accipiendum est, ut Judæi putarunt : cæterum, *actus* eorum occultus esse Christo non potuit, qui frequenter ante prædictus est quam fiere. Immaculati dicuntur etiam qui abluti a peccatis Dei sunt misericordia, sed vere immaculatus solus Christus est, qui nullam maculam contraxit.

4 *Subito sagittabunt eum et non timebunt :*
Firmaverunt sibi sermonem nequam.

Subito quasi invisi vel ex improviso. H Ut Judæi dementissimi putaverunt. Quod vero dixit, sagittabunt et non timebunt : ostendit malignæ voluntatis velocem effectum. Firmaverunt sibi, quando dixerunt : Reus est mortis ; sive : Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII).

5 *Narraverunt ut absconderent laqueos :*
Dixerunt : Quis videbit eos ?

A C Consuetudo peccantium est, ut qui dolum parat hominem se putet fallere posse, sic Judæi confusi, Christum tantummodo hominem putantes, malignitatem suam non credebant agnosci ab illo, cui cuncta patent.

6 *Scrutati sunt iniquitates :*
Defecerunt scrutantes scrutinio.

C Scrutati sunt Judæi iniquitates : quas utique prætermittere debuissent, dum nullum ibi fructum suæ salutis poterant invenire. Dixerunt enim : Si dimittimus eum sic (*Joan.* XI), venient Romani, etc. Defecerunt : quia semper in cogitatione deficiunt, qui ad res pessimas pervenire contendunt.

7 *Accedet homo ad cor altum :*
Et exaltabitur Deus.

B 8 *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum :*
Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

9 *Conturbati sunt omnes qui videbant eos :*
Et timuit omnis homo.

10 *Et annuntiaverunt opera Dei :*
Et facta ejus intellexerunt.

C Cor enim altum est tunc, quando homo cœlestia cogitat et terrena devitat. Iste non deficit sicut ille qui scrutabatur scrutinio, sed magis magisque crescit, quia in ejus corde exaltabitur Deus, non in se. Deus enim in eo grandescit, qui sanctitate crescit.

C Parvulorum sagittæ : inania tela sunt, qui studio ludendi fragiles cannas jacere consueverunt in modum sagittarum. Sic Judæorum vota inefficaci C malignitate sævissima : non intulerunt flendam mortem, sed gloriosissimam passionem. H Infirmatæ sunt linguæ, quia nullam cepit stabilitatem elocutio eorum, sed dolus eorum reddidit eos infirmos.

C Conturbati sunt ex illis quidam credentes, quando venerunt et dixerunt ad apostolos : Quid faciemus, viri fratres ? (*Act.* II.) Et timuit omnis homo. Dicit totum pro parte, ut omnis intelligatur qui judicium Domini futurum formidabat : timuit, quia judicium futurum sibi imminere formidabat.

C Annuntiaverunt, scilicet gloriam resurrectionis, et priora miracula quæ fecit. Et facta ejus intellexerunt, scilicet esse divina, quia talia implere non poterat humana fragilitas. H Compuncti enim corde intellexerunt, et intellecta aliis nuntiarunt, qui Deum D religiose timuerunt.

11 *Lætabitur justus in Domino et sperabit in eo :*
Et laudabuntur omnes recti corde.

H Lætabitur justus. Sicut enim impius propter infidelitatem suam formidat, ita justus propter spem æternitatis suæ exsultat in Domino. C Recti corde sunt qui per semitas Domini gradiuntur, qui et Dominum laudant, et ab ipsa veritate laudantur? Quid laudabilius quam ab ipso audire : Venite, benedicti, etc. ?

ORATIO EX PSAL. LXIII.

Tutela omnium credentium, Deus, custodi Ecclesiam tuam a conventu malignantium, qui eam occultis jaculis impugnare nituntur, ut te salubri

rectoque retinens intellectu, justorum meritis perpetualiter collætetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXIV.

ARGUMENTUM PSAL. LXIV.

℣ Populus a peccato liberatus, orationem suam postulat exaudiri, diversas laudes Domini potentiamque enuntians.

TT. In finem psalmus David canticum : ✠ Jeremiæ et Ezechielis de populi transmigratione, cum inciperent proficisci : .

℣ In finem psalmus David, verba jam nota sunt. Canticum significat prophetiam Jeremiæ et Ezechielis, qui prophetabant de populo transmigrationis Babyloniæ, eos post 70 annos in patriam esse redituros. Significat populus rediens a Babylonia : eos qui mundi hujus confusione damnata, ad cœlestem Hierusalem venire contendunt.

1 *Te decet hymnus, Deus, in Sion :*
Et tibi reddetur votum ✠ in Hierusalem : .

℣ Reversa plebs ad Dominum de captivitate peccati, in magnam exsultationem prorupit dicens : Dicere hymnum solum Deum, non dæmonum turbas, nec alibi, nisi in Sion, H id est, in Ecclesia. ℣ Et reddere oportere votum in Hierusalem, non sicut ab infidelibus vota redduntur Marti et Veneri, cæterisque dæmonibus, sed Deo soli in Hierusalem, id est, in visione pacis, in qua manet semper fixa felicitas.

2 *Exaudi orationem meam :*
Ad te omnis caro veniet.

℣ Ipse populus qui prius dixerat, te decet hymnus : nunc ad Dominum hymnica supplicatione proclamat dicens : Exaudi orationem meam, rogatque hoc ut ei parceret, ne in futuro se damnaret. H Omnis caro, ac si diceret : Ad te convertetur omnis homo. ℣ Vel omnis homo ad te in judicium veniet, recipiens prout gessit (*II Cor.* v), ideo rogo, ut hic parcas : exaudiens orationem meam.

3 *Verba iniquorum prævaluerunt super nos :*
Et impietatibus nostris tu propitiaberis.

℣ Prævaluerunt verba iniquorum : quando pagani parentes persuaserunt filiis suis, ut antiquos ritus et sacrilegia colerent. Sed his erroribus pietas divina subvenit, quando salutem mundo adventu Domini indulsit, et eum in cruce hostiam fecit : per quam mundum sibi reconciliavit (*Ephes.* v).

4 *Beatus quem elegisti et assumpsisti :*
Inhabitabit in atriis tuis.

℣ Beatus est quem Dominus elegit, nec eam electionem suis meritis tribuit. Assumi vero est : in æterna requie collocari. H Ergo qui se dignum Christi electione præbuerit, inhabitat cum apostolis sanctis in tabernaculis sempiternis.

5 *Replebimur in bonis domus tuæ :*
Sanctum est templum tuum mirabile in æquitate.

℣ Replebimur, quasi ad mensuram nostram : quantum possumus capere : potabimur, ut Paulus, unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi (*Rom.* xii). H Sanctum templum : est homo ille quem inhabitat plenitudo divinitatis (*Ephes.* iv). ℣ Quod dixit : mirabile, ad prædictum virum respicit, qui in æquitate judicaturus est mundum. H Vel quia mirabiliter veritatem incredulis Judæis aperuit. ℣ Potest etiam Ecclesia intelligi per Domini templum, quæ est mirabilis in sanctis, qui æquitatis virtutibus inscrutabiliter sunt præditi.

6 *Exaudi nos, Deus, salutaris noster :*
Spes omnium finium terræ. Et in mari longe.

℣ Salutaris noster dicitur Deus, qui humano generi sua pietate salutem contulit : spes enim Domini non est localis, nec unius gentis, sed omnium finium terræ. Et in mari longe, sive ad insulas respicit, quas finibus prædictis videbatur non inclusisse, sive ad totius sæculi habitationem, quæ mare longum vel magnum recte dicitur, quia mundus iste falsitatibus diabolicis et fluctibus perturbationum amarus est.

7 *Præparans montes in virtute tua accinctus potentia :*
Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus

℣ Præparans montes, id est apostolos, qui ad verbum prædicationis electi sunt : hos præparavit in virtute sua Dominus, quia per eos fecit magna miracula. Accinctus, id est, indutus, potentia, id est majestate sua. Turbavit per prædicationem apostolorum profundum maris, id est gentilium corda, qui sæculi hujus (quod mare dicitur) profunditas fuerunt, quia profundius in errores dimersi fuerunt. Merito corde turbati sunt, quando deos suos conticuisse cernerent. Sonus *eorum*, id est, dicta crudelia persecutorum, quæ fuerunt sonus fluctuum, id est persecutionum maris, id est mundi. H Vel profundum maris est profunda sæculi jactantia.

8 *Turbabuntur gentes et timebunt qui habitant terminos a signis tuis :*
Exitus matutini et vespere delectabis.

℣ Turbatæ sunt gentes, quando fidelissimos videbant et vivos virtutes facere, et mortuos supplicantium vota complere. Timebunt omnes a signis tuis. H Id est a virtute crucis quæ incredulis stultitia erat. ℣ Sive a signis, id est miraculis apostolorum ; quæ prius nunquam vel viderunt vel audierunt. Exitus matutini est, quando quis ex felicitate mundi ad Deum convertitur : vespere significat mœrentium tristitiam, quam vertit in gaudium Deus. H Permane : lætitia, per vesperam tristitia intelligitur. A Delectat igitur, id est, delectabiles facit mane et vesperam, dum *et ex* prosperitate et adversitate sanctos acquirit.

9 *Visitasti terram et inebriasti eam :*
Multiplicasti locupletare eam.

H Visitavit terram : assumendo corporis materiam, et inebriavit eam non vino luxuriæ, sed infusione sancti Spiritus. Locupletatavit eam : opibus diversarum gratiarum. ℣ Locuples dicitur loca plura tenens.

10 *Flumen Dei repletum est aquis :*
Parasti cibum illorum quoniam ita est præparatio ejus.

H Nos qui credimus : jam Dei flumen sumus, replebimur aquis, id est misericordia Dei, quæ aquis comparatur, vel Spiritu sancto, vel cum baptismo abluimur, et locupletamur ab eodem spiritalis infusionis imbre : cum donis spiritalibus irrigamur. Cibus iste est panis vitæ (*Joan.* VI). C Talem cibum nobis Dominus præparavit : quem sumimus cum de Christi sanguine bibimus, et de ejus corpore saginamur.

11 *Rivos ejus inebria : multiplica genimina ejus :*
In stillicidiis ejus lætabitur germinans.
12 *Benedicens coronæ anni benignitatis tuæ :*
Et campi tui replebuntur ubertate.

C Rivos hic dicit apostolos vel alios fideles, qui inebriati sunt Spiritu sancto. Multiplica genimina, id est generationes ejus, id est, illius rivi qui de flumine sancto profluxit, ut per generationes succedentes beata prædicatio non deficiat : sed multiplicetur in sequacibus apostolorum. Stillicidia sunt guttæ, quæ de tectis cadunt ; non pondere, sed assiduitate penetrantes, et significant inchoantes : et in quos non potest introire larga doctrina, de quibus Paulus ait : Lac vobis potum dedi non escam (*I Cor.* III). H Tunc lætabitur germinans terra, id est Ecclesia : cum ex ea hic spiritalis fructus exoritur.

C. Corona anni, totus hic mundus per quem catholica hic dilatatur Ecclesia, accipitur, cui benedicit Dominus. Campos dicit fideles homines atque justos, C qui pro sua æquitate campi vocantur, quia campi æquales sunt. Et replentur ubertate, quia fructum tricenarium, sexagenarium et centenarium Domino largiente præstabunt.

13 *Pinguescent speciosa deserti :*
Et exsultatione colles accingentur.

C Pinguescent speciosa, id est ecclesia, prædicatione apostolorum, quæ prius in incredulitatis macie deserta torrebat. Colles vero copiosos martyres debemus accipere, quia ipsi sunt post apostolos celsiores. H Qui immensis a Deo præmiis elevati : perpetuis gaudiis accingentur.

14 *Induti sunt arietes ovium et valles abundabunt frumento :*
Clamabunt etenim hymnum dicent.

C. Arietes sunt apostoli dicti, qui duces fuerunt bono populo Christiano in doctrina, et induti illa veste nuptiali, H id est immortalitate perpetua. C Valles : significant populos humiles. Isti ergo abundant frumento, H id est, fructu æternæ vitæ aluntur. Dicent hymnum : omnes utique electi pro diversorum munerum donis Deo perpetuam concinunt laudem. C. Quia vero dixit clamabunt, ne clamore ipsum crederes confusum esse, addidit et hymnum dicent, id est laudem quæ rationabilibus creaturis noscitur convenire.

ORATIO EX PSAL. LXIV.

Spes omnium finium terræ : exaudi orationem supA plicem familiæ tuæ, ut dum te plausu consono hymno modulante persultat, infusione paraclyti decorata : multiplici fructu pinguescat. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS LXV.

ARGUMENTUM PSAL. LXV.

C Vox Ecclesiæ, universitatem hortantis, ut de Domini resurrectione congaudeat.

TT. *In finem psalmus David. Canticum + resurrectionis* ⁂.

C Canticum istud sancta cantavit Ecclesia, promittens in illo spem resurrectionis, non solum fidelibus ex Judæis habituram ; sed universis gentibus.

1 *Jubilate Deo omnis terra :*
B *Psalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus.*

C Sancta dicit Ecclesia esse omni terræ gaudendum, quæ erat in Christo creditura. Jubilatio dicitur exsultatio cordis, quæ immensitate sua non potest verbis explicari. Omnis terra, omnes fideles significat. H Psalmum dicat, id est opere impleat. C Dat gloriam laudi, qui frequentata exsultatione præconia Christi concelebrat.

2 *Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua + Domine* ⁂ ?
In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

H Dicite Deo, id est prædicate de eo, ut non creaturam colant, sed Creatoris virtutem intelligant, in C his quæ contemplantur, quia terribilia sunt, hoc est timenda. In multitudine virtutis mentiti sunt ei, quia videntes signa in Ægypto dixerunt : Omnia quæcunque præceperis faciemus (*Exod.* XXIV), et non faciebant. Unde dixit : Mentita est iniquitas sibi, et inimici Domini mentiti sunt ei. C Vel quando in virtute multa curabat infirmos, mentientes dixerunt : In Beelzebub *facit* (*Matth.* XII) : *et* cum resurrexit in multitudine virtutis, dicebant custodibus data pecunia : dicite, discipuli eum furati sunt nocte (*Matth.* XXVIII).

3 *Omnis terra adoret te et psallat tibi :*
Psalmum dicat nomini tuo. Diapsalma.

H Te adoret, tibi concinat : non creaturæ, quam usibus ejus subjecisti. Hinc interponit Diapsalma, ut D ad nos verba convertat dicens, venite, etc. C Psallat id est psalmodiam dicat, et psalmum dicat, id est opera sancta psalmodiæ consona ostendat.

4 *Venite et videte opera Dei :*
Terribilis in consiliis super filios hominum.

C Ecclesia invitat gentes, ut miraculis Veteris Testamenti perspectis : veniant ad fidem. Proprie vero dictum est : Venite quasi adhuc longe positis. Videte, hoc est lumine cordis agnoscite opera Dei, non ista quæ omnes pariter vident, cœlum, terra, mare, etc., sed illa quæ fidelissimi spiritaliter agnoverunt. H Terribilis, cum unus reprobatur et alter eligitur ; reprobantur Judæi, et eliguntur gentes. C Vel filios hominum fecit terribiles atque metuen-

dos, cum per eos miracula magna monstravit.

5 ✣ *Qui* ⁝ *convertit mare in aridam : in flumine pertransibunt pede :*
Ibi lætabimur in ipso.

℣ Nunc ostendit quæ sint opera Dei quæ videre debeant. Convertit mare in aridam, quando Hebræum populum per medios fluctus eduxit (*Exod.* XIV). Flumina pertransibunt pede, cum Jordane dextera lævaque diviso, in terram promissionis Judaicum deduxit exercitum (*Josue*, III). ℍ Sed quia pertransibunt dicit : Non pertransibant, melius intelligitur de prædicatoribus et apostolis, qui Domini flumine baptizantes, et per flumen persecutionis transeuntes, amaros persecutores converterunt in aridam et sitientem Dei gratiam terram. Ibi lætabimur, ubi est gaudii nostri fons et origo præparata æternæ salutis. In ipso, hoc est in Christo.

6 *Qui dominatur in virtute sua* ✕ *in æternum* ⁝ *:*
oculi ejus super gentes respiciunt :
Qui exasperant non exaltentur in semetipsis.
Diapsalma.

℣ In illo certe lætabimur qui dominatur, etc., dominari enim possunt et principes terrarum, sed non in virtute sua neque in æternum, ideo hæc duo addita sunt, ut omnipotentis regis virtus possit ostendi. Oculi ejus super gentes. ℍ Ut reprobentur Judæi, et eligantur gentes. ℣ Hos prohibet in seipsis exaltari quos oportet humiles inveniri. Fideles enim non in se, sed in Christo exaltari oportet, ubi altitudo firma est, et nunquam ruiturus ascensus.

7 *Benedicite gentes Deum nostrum :*
Et auditam facite vocem laudis ejus.

℣ Admonet gentes, ut Deum verum consona voce et prædicatione glorificent. Audite, id est fideli credulitate suscipite. Vocem laudis, id est quam Pater dicit de Filio. Dicit enim de eo : Hic est filius meus dilectus (*Matth.* III).

8 *Qui posuit animam meam ad vitam :*
Et non dedit in commotionem pedes meos.

℣ Duo sunt sacramenta liberationis nostræ ; primum, quod nos per baptismum ducit ad vitam ; deinde, ne nos exinde permittat expelli, qui gravibus vitiis probamur onerari. Ipse pedes et gressus nostros non sinit commoveri, qui Petro manum ne mergeretur extendit (*Matth.* XIV).

9 *Quoniam probasti nos, Deus :*
Igne nos examinasti sicut examinatur argentum.

℣ Probari nos facit Deus, quando per diversa genera passionum tolerantiam indulget. Igne autem aliquis examinatur, quando amore Christi tantum charitas succenditur, ut urentium flammarum tormenta vincantur. Datur autem exemplum argenti, quod ideo igne decoquitur, ut purius reddatur, ita enim sancti tribulationibus a scoria omnis peccati purgantur.

10 *Induxisti nos in laqueum : posuisti tribulationes*
in dorso nostro :
Imposuisti homines super capita nostra.

℣ Induxisti nos, id est intrare fecisti martyres in catenas custodiæ : quæ corpus quidem necterent, sed animæ vincula dissolverent. Tribulatio vero in dorso posita significat corporeos dolores, quos de illatis verberibus sustinebant. Homines significat peccatores, qui capitales sententias dederant in martyres.

11 *Transivimus per ignem et aquam :*
Et eduxisti nos in refrigerium.

℣ Transierunt *per ignem martyres*, quando alios ignis absumpsit. Alios aqua devoravit, sed induxit eos in refrigerium, *id est in loca securitatis æterni regni. Est enim refrigerium post urentes* curas delectabilis et amœna securitas.

12 *Introibo in domum tuam in holocaustis :*
Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea.

℣ Introibo in illam futuram Hierusalem, ubi non holocausta pecudum, sed puritas quæritur animarum. Reddit vota, hoc est laudes in perpetuitate decantat. Distinguunt labia illa vota, quando sancti Dominum laudant, et semetipsos accusant in afflictione positi, id est reputant se meruisse peccatis suis afflictiones quas sustinent, et in eis gratias agunt, laudantes Deum et ejus justitiam et misericordiam prædicantes.

13 *Et locutum est os meum :*
In tribulatione mea.

℣ Vide beatam tolerantiæ sanctitatem, multi in tribulationibus peccant carnis imbecillitate ; et laudes Dei tacent, sed noverunt sancti in tribulationibus positi pura mente Dominum laudare, sicut sanctus Job fecit (*Job.* I, 2). Unde locutum est os in tribulatione, intellige : laudes Domini.

14 *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso*
arietum :
Offeram tibi boves cum hircis.
Diapsalma.

℣ Holocausta medullata sunt sacrificia, quæ puro atque intimo corde Deo offerimus, quæ habere debent medullam, id est fidem rectam. Arietes significant apostolos, addidit vero incensum arietibus, non dixit cum incenso solum, sed addidit arietum, quia ipsum incensum suavissimum est Domino, quod apostolorum traditionibus probatur adjunctum. Boves, intelliguntur prædicatores. Hircus, dictus quasi *hirsutus*, significat diabolo servientes, qui vitiis vestiuntur hispidis. Eos offert Ecclesia cum bobus, quando conversi peccatores Christo confitentur.

15 *Venite audite et narrabo omnes qui timetis*
Deum :
Quanta fecit animæ meæ.

ℍ Venite, vos qui timetis Dominum, et considerate qualiter animæ beatorum in beatitudine sunt constitutæ sempiterna. ℣ Nunc Ecclesia non rudes, ut prius, sed fideles et devotos vocat. Et nos audiamus, et discamus petere quæ matri nostræ cognovimus Dominum contulisse.

16 ✣ *Ad* ⁝ *ipsum ore meo clamavi :*
Et exaltavi sub lingua mea.

℣ His duabus rebus, in isto versiculo expressis,

diligenter impletis perfectus efficitur Christianus. Ergo ore suo clamat, qui recta conscientia, non voluntate perversa, pure supplicat Domino. Sub lingua vero dicit, id est in conscientia, quia cor nostrum sub lingua nostra est. Et nobis exaltare illum videmur sub lingua, quando tacita cogitatione illum laudamus, qui semper probatur Altissimus.

17 *Iniquitatem si aspexi in corde meo :*
Non exaudiet Dominus.

C Sic ergo verba orantis accipiuntur, si nullis cogitationum sordibus polluantur, dicit enim : Si hoc feci, non exaudiet Deus, ostendens quoniam, si taliter orant, inanibus visionibus illuduntur.

18 *Propterea exaudivit Deus :*
Et attendit voci deprecationis meæ.

C Propterea exauditum se dicit, quia non conspexerat iniquitatem in corde suo. Ideo intendit voci, quia ille clamor ascendit ad Dominum, qui pollutionem rerum non habet humanarum.

19 *Benedictus Deus :*
Qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me.

H Nam semper piæ aures Christi precibus justorum patent, sed nos suppliciter deprecemur, ut aperiat aures suas ad preces nostras, et ipse nos data remissione peccatorum de præsentibus ærumnis eripiat. C Duo vero ista connexa sunt, quia quando Deus orationem non amovet, sine dubitatione misericordiam concedit, et cum oratio suspenditur, misericordia protelatur.

ORATIO EX PSAL. LXV.

Insinua, Domine, menti nostræ gloriam laudis tuæ, ut dum hujus sæculi incendia devitamus, in æterna refrigeria te præsule transferamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXVI.

ARGUMENTUM PSAL. LXVI.

C Propheta supplicat, ut cum fidelibus mereatur benedici, illique confitendum dicit, qui populos judicat in æquitate.

TT *In finem in hymnis psalmus cantici.*

C Iste hymnus quem nunc Propheta canit ; ideo præmisit in finem, quia tota oratio ad Dominum sine dubitatione dirigitur. Psalmus vero cantici est, qui sola modulatione humanæ vocis canebatur. Psalmus vero quando solus ponitur, significatur organis et timpanis fuisse prolatus. Hymnum vero carmen esse metricum diximus, cujus lege est compositus. Aliud est ergo hymnus, aliud psalmus, aliud psalmus cantici.

1 *Deus, misereatur nostri et benedicat nobis :*
Illuminat vultum suum super nos + et misereatur nostri ; Diapsalma.

H Prima deprecatio, ut misericordiam suam nobis præbeat Deus, deinde benedictionem suam. C. Hæc autem est petitio benedictionis, ut illuminet vultum suum super nos ; illum enim humanus videre non A potest sensus, nisi qui splendoris ipsius fuerit claritate perfusus.

2 *Ut cognoscamus in terra viam tuam :*
In omnibus gentibus salutare tuum.

C Petit Propheta ut in hoc mundo cognoscamus illam viam veritatis (*Joan.* XIV), id est Dominum Salvatorem, qui nos ducit ad viam in qua nemo errare poterit, nisi qui ab ejus regulis deviare præsumit, cujus salutare, id est Christus in omnes gentes divulgatur.

3 *Confiteantur tibi populi, Deus :*
Confiteantur tibi populi omnes.

C Confiteantur tibi populi, scilicet peccata sua ; et iterum gloriam Domini prædicare non desinant. Denique verbum ipsum in uno versu geminatum B docet, ut a fideli populo totum cognosceres faciendum esse, scilicet ut peccata primo confiteantur, deinde laudes Domini personent.

4 *Lætentur et exsultent gentes : quoniam judicas populos in æquitate :*
Et gentes in terra dirigis. Diapsalma.

H Lætentur gentes, quoniam de captivitate diaboli liberatæ sunt, quoniam populos judicas in æquitate, quia non accipis personam unius gentis, sed omnium Deus es, et gentes dirigis, ut ambulent viam rectam, quæ ante non recto pede gradiebantur.

5 *Confiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes :*
Terra dedit fructum suum. C

C Dedit etiam terra fructum suum, quando Dominum Salvatorem diversarum gentium turba suscepit : et vitalem fructum intulit, cum jussionibus Domini obedivit, et spinas diaboli tribulosque deseruit.

6 *Benedicat nos Deus. Deus noster. Benedicat nos Deus :*
Et metuant eum omnes fines terræ

H Benedicat nos Deus, id est Deus Pater ; Deus noster, id est Deus Filius, qui Deus est omnium per naturam, noster factus est proprie Deus per gratiam ; tertio dicit benedicat nos Deus, id est Spiritus sanctus, Et metuant eum, C hoc est incipientium, ut et credere incipiant, et credita cauta sollicitudine custodiant. H Timere, incipientium est ; diligere, D perfectorum

ORATIO EX PSAL. LXVI.

Illumina, Domine, vultum tuum super nos, et misericordiam nobis uberem benedictionemque largire. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, etc.

PSALMUS LXVII.

ARGUMENTUM PSAL. LXVII

C Propheta Christi adventum annuntiat, inimicorumque ejus superbiam comprimendam, et de ejus assumptione in cœlos.

TT. In finem psalmus cantici David.

C Vim istius nominis, scilicet in finem hinc debemus advertere, quia dum finis dicatur, in initio

semper apponitur. Significat enim rerum caput et æternale principium, sicut ipse dixit in Evangelio : Ego principium (*Joan.* VIII). H Psalmus, opera; canticum intelligentiam mentis significat. C Psalmus autem cantici est (ut jam dictum est), qui humana tantum solet voce cantari.

1 *Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus :*
Et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

A Petit Propheta resurrectionem Christi, in qua dissiparentur adversarii, scilicet Judæi. Sequitur inæstimabilis pœna maledictionis, ut ab ejus facie fugiant, cujus ubique constat esse pœnitentiam. Qui oderunt eum, eos significat qui in sua pertinacia constiterant.

2 *Sicut deficit fumus deficiant :*
Sicut fluit cera a facie ignis sic pereant peccatores a facie Dei.

C Fumus est ex flamma surgens corruptibili tenebrosa conglobatio, quæ quantum plus extollitur, tantum per inane tenuatur : sic peccatores producunt fumiferas actiones, quæ licet ad altiora superbia faciente consurgant, necesse est ut in sua elatione deficiant. Sic etiam in judicio depereunt peccatores a facie ejus, quemadmodum cera a facie ignis consumitur. Non dicit autem eos consumi posse penitus qui perpetuo igne torquendi sunt, sed a facie Dei tollendos. H Cera enim, licet ab igne solvatur, naturam non perdit, ita peccatores mollescant a peccati duritia et *pœnitentia* fluant, ut salventur.

3 *Et justi epulentur et exsultent in conspectu Dei :*
Et delectentur in lætitia.

H Epulentur justi qui permanent in sua justitia, et qui vitia non habent. *Delectentur in Domino.* Exsultent in conspectu Dei. C Ut illum quem hic juste metuunt, ipsius munere liberari, sub ejus potentia gaudeant. In lætitia, quia dum lætitiam suam sciunt nullo fine claudendam, suavius in ea delectantur.

4 *Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus :*
Iter facite ei qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi.

C Cantat enim Domino, qui ejus contemplationem puro semper et fideli animo contuetur. Psalmum dicit, qui opera facit quæ ille præcepit. Iter facite ei, id est corda vestra purificata præparate quæ dignetur Deus introire, qui ascendit super occasum. H Scilicet mortis, et victor remeavit ex inferno. C Dicit : Dominus nomen illi, ut nemo dubitaret, Dominum essé Salvatorem et Deum, quem Judæi ut communem hominem occidendum putabant.

5 ✠ *Et ⁝ exsultate in conspectu ejus : ✣ turbabuntur a facie ejus ⁝ :*
Patris orphanorum et judicis viduarum.

C Exsultare non in hujus sæculi caduca lætitia, sed in conspectu ejus, ubi est jugiter vera lætitia. Turbati autem et nimium formidantes, a facie Dei expelluntur (qui orphanos et viduas, sæva cupiditate dilacerant) cum audierint : Ite in ignem æternum. Quis autem sit iste, a cujus facie expelluntur, exponit, id est patris orphanorum et judicis viduarum. A de quo et alibi legitur, pupillo et viduæ tu eris adjutor (*Psal.* IX).

6 *Deus in loco sancto suo :*
Deus inhabitare facit unius moris in domo.

C Deus in loco sancto suo, subaudiendum est, qui immutabilem servat sententiam, ut sanctus firmus dicatur, qui mutat tempora, non mutat consilia. H Vel Deus in loco sancto suo, id est anima fideli, ubicunque enim sanctitas est, ibi habitaculum Dei est. Qui inhabitare facit in Ecclesia, in qua fideliter consistentibus, spiritum charitatis infundit, qui unius moris sunt, et non mutantur, Siquidem justus non mutatur, quia semel judicavit in justitia sua permanere. In Hebræo vero habetur : Dominus inhabitare facit monachos (id est solitarios, qui, scilicet soli, segregati sunt a vitiis, et B in quibus non habitat peccatum) in domo. Solitarius enim *monachus* interpretatur, ut sit solus et ab omni peccato divisus.

7 ✣ *Qui ⁝ educit vinctos in fortitudine :*
Similiter eos qui exasperant qui habitant in sepulcris.

C Eduxit vinctos, quia alligato diabolo vinctos ab inferno liberavit, et ad gaudia æterni regni elevavit. Similiter eos qui exasperant, id est in iram provocant Dominum blasphemia. Ipsi sunt qui habitant in sepulcris. Id est qui in fetida et carnali actione sepulti sunt. H Vel vinctos in peccatis ligatos accipe.

C 8 *Deus, cum egredieris in conspectu populi tui :*
Cum pertransieris in deserto. Diapsalma.

C Egreditur enim coram populo, quando resuscitantur qui in sepulcris habitant. Ipsum enim contuetur fidelis, quando in operibus magnis ejus pietatem cognoscit. Transgressus est in desertum, quando ad gentes venit, quæ, velut eremus, desolatæ a verbo Dei reddebantur alienæ, et tunc (supplendum est) quando hæc feceris, cognosceris.

9 *Terra mota est : ✣ etenim ⁝ cœli distillaverunt a facie Dei Sinai*
A facie Dei Israel.

C Terra mota est, id est terreni homines videndo tam magna miracula crediderunt. Cœli distillaverunt. H Scilicet manna. Sinai, interpretatur *tentatio.* C *Qui firmavit, quando ibi Moyses in duabus tabulis legem accepit.* H *Et ille qui tunc Judaicum populum præcessit in deserto, hodie in Evangelio deserta gentium visitavit, et qui tunc manna, ille hodie corporis sanguinisque manna dedit.* D

10 *Pluviam voluntariam segregabis, Deus hæreditati tuæ : ✣ et ⁝ infirmata est :*
Tu ✣ vero ⁝ perfecisti ✣ eam ⁝ :

C Exponit illud quod jam dixit : cœli distillaverunt. Pluvia voluntaria ipsa, fuit manna, non ista quæ generaliter ubique diffunditur. Quod segregavit, quia non hoc aliis gentibus dedit. Hæreditas ipsius fuit, populus Hebræorum, quæ ad tempus infirmata est, Domino minime credendo,

quam perfecit, quando gentes reliquas in supplementum credulitatis admisit.

11 *Animalia tua habitabunt in ea :*
Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

C Ostendit nunc unde perfecerit infirmatam hæreditatem, quia de gentibus. Animalia fuerunt gentes, vera religione vacuatæ, hæc habitabunt in ea, hoc est in Ecclesia, cum cultum religionis perceperunt. Parasti, significat prædestinatos. In dulcedine tua, id est in illa suavitate, in qua pauperes Dei reges ditissimos antecellunt, non in sæculi hujus dulcedine, ubi sancti magis amara patiuntur.

12 *Dominus dabit verbum*
Evangelizantibus : virtutes multas.

C Dominus dabit verbum evangelizantibus, id est apostolis, qui verbum ejus veneranda confessione prædicabant. Virtutes multas, quando eis concessum est turbas languentium sanare. Nam ipsum quoque Evangelium multarum constat esse virtutum. Quid enim fortius quam animam salvare? A Dabit etiam Dominus verbum evangelizare multa miraculorum virtute, vel multa fortitudine secundum aliam translationem, quæ habet : Dominus dabit evangelizantibus, verbum fortitudinis vel virtutis multæ.

13 *Rex virtutum dilecti ✠ dilecti ⁘ :*
Et speciei domus dividere spolia.

C Rex, pater virtutum, hoc est angelorum. D Vel sanctorum ipsius dilecti Filii, ut est Filius meus dilectus. C Et speciei domus, id est pulchritudinis C domus divinæ, id est Ecclesiæ, esse cognoscitur auctor Filius, quando spolia diaboli, id est homines sceleratos, in Ecclesiam adduxit ad fidem. H. Vel quando apostoli in Ecclesia spolia, id est homines, dividebant : quæ acceperunt de idolis, unus enim Achaiam, alius Cappadociam in sortem accepit ex spoliis, etc. Duplicat vero Spiritus sanctus, dilecti, propter amorem quem habet in Filium. Qui enim aliquem diligit, semper eum in ore habet.

14 *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ :*
Et posteriora dorsi ejus in pallore auri. Diapsalma.

C Si dormiatis, id est, si quiescatis in præceptis D Dei inter duo testamenta. H C Cleri dicuntur duo Testamenta. H Et singuli libri Veteris et Novi Testamenti. C Pennæ significant virtutum celeritatem, quæ nos in illam patriam ducunt, si hic in lege Dei quiescere mereamur. Columbæ deargentatæ, Ecclesiam vult intelligi, quia innocentiam habet columbæ, et divinis eloquiis, argenteo candore resplendet, *quam* in illa futura resurrectione auri specie dicit esse adornandam. Si itaque sic dormiatis, posteriora dorsi in pallore auri (subaudiendum est) suscipient vos. Unde Ecclesia in hoc mundo : argento comparatur, in resurrectione vero ultima : auro, posteriora ergo Ecclesiæ : novissima sunt Ecclesiæ munera.

15 *Dum discernit cœlestis reges super eam : nive dealbabuntur in Selmon :*
Mons Dei, mons pinguis. A

C Rex a regendo dictus est, unde reges significat apostolos. D Quos discernit Dominus cœlestis, cum Paulum in gentes (*Gal.* II), Petrum in circumcisionem separavit, qui super nivem dealbabuntur. C Hoc est super candorem nivis elucescunt, qui Ecclesiam regere noscuntur fideliter. Selmon umbra interpretatur, quæ hic congrue divina virtus intelligitur, ipsa ab æstu vitiorum nos defendit. Mons Dei mons pinguis, Christus esse intelligitur ex quo perpetua et suavia fluenta descendunt.

16 *Mons coagulatus mons pinguis :*
Ut quid suspicamini montes coagulatos?

B 17 *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : Etenim Dominus habitabit ✠ in finem ⁘.*

C Mons dicitur Christus coagulatus : propter parvulos enutriendos, qui non esca, sed coagulato lacte potandi sunt. Pinguis, quia fertilitate sua uberrimus est. Dixit superius montem intelligi Salvatorem, nunc dicit, ut quid suspicamini coagulatos montes? hoc est, cur montem istum apostolos intelligere voluistis? Non sunt enim ipsi iste mons coagulatus quamvis et ipsos per Dei gratiam doctos esse cognoscatis. Reprehendit ergo Propheta in hoc illum intellectum, quo aliquis per montem, apostolos intelligere voluisset, ostendens hic per montem, solum Christum intelligendum, quamvis etiam apostoli montes dicantur coagulati, ideo subdit

C Mons, scilicet iste est in quo Deo beneplacitum est. Christus enim est solus mons : qui Patri complacuit, ut in eodem habitaret. Etenim Dominus habitabit etiam in finem, scilicet in apostolis, de illis enim nunc loquitur, quod in eis sit habitaturus usque ad perfectissimum terminum majestatis suæ, qui est finis sine fine.

18 *Currus Dei decem millibus multiplex : millia lætantium :*
Dominus in eis in Sina in sancto.

C Currus Dei, est hominum charitate juncta copulatio. Sanctorum ergo unanimitas currus Dei est : quem ille velut auriga insidet, et salutari lege ad suæ voluntatis ministerium moderatur. Ut vero istum currum non equis, sed humanis cogitationibus attributum ostenderet, ait decem millibus multiplex, quod ad innumeros populos non equos noscitur pertinere. Millia lætantium : quod utique de fidelibus debet intelligi. Dominus in illis, hoc est in sanctis suis. In Sinai in sancto. Sina interpretatur mandatum. Ibi requiescit, ubi ejus mandata perficiuntur.

19 *Ascendisti in altum. Cepisti captivitatem.*
Accepisti dona in hominibus.

C Ascendisti in altum. Ascendit Christus utique qui propter nos descendit eruendos. H Captivasti nos, qui captivi tenebamur a diabolo. C Dona autem Domini fuerunt, super apostolos Spiritus sancti concessa magnalia. Sive, ut Apostolus ait : Unicuique no-

strum data est gratia secundum mensuram donationis Christi (*Ephes.* IV).

20 ℣ *Etenim non credentes :*
Inhabitare Dominum Deum.

C Etenim non credentes, hic subaudiendum est : eos convertit, nam qui non credunt inhabitare, id est qui ad Domini penetralia negligunt pervenire, ut in domo ejus cum fidelibus habitare prævaleant, Dominus eos convertit, qui fidem suam humano generi miseratus indulget, ipsa est enim gratia quæ gratis datur.

21 *Benedictus Dominus die quotidie :*
Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Diapsalma.

C Benedictus Dominus, id est cunctis diebus, omnique tempore benedicendus est. Iter quippe cursum vitæ significat, qui jam prosper effectus est, quoniam Redemptorem suum mundus agnovit. H Bene dicit salutarium pluraliter, a quo tot salutes habemus, quot peccata commisimus, ab ipso enim salvamur. Securus esto peccator, noli dubitare quod quotidie possis Deum benedicere operibus, quoniam prosperum iter tuum faciet Deus salutarium, qui enim quotidie proficit, potest quotidie Deum benedicere. Nil vero prodest, heri benedixisse Deum : et hodie non.

22 *Deus noster salvos ✣ faciendi ⁝ :*
Et Domini ✣ Domini ⁝ exitus mortis.

C Deus noster, subaudiamus, hic habet potestatem salvos faciendi nos. Exitus mortis, est Domini, hoc est resurrectio votiva fidelium. Revera exitus illi singularis fuit, quia ipse ab inferis egressus est, et inde nos præstabit exire.

23 *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum :*
Verticem capilli perambulantium in delictis suis.

C Capita inimicorum, sunt Judæi, qui primo persecuti sunt Ecclesiam, vel capita inimicorum sunt hæreticorum doctores, qui in ipsa etiam (si dici fas est) deitate desæviunt. Vertex capilli : significat versutias inanium quæstionum eorum, qui utilia deserunt, et non necessaria detestabili disputatione perquirunt, in delictis suis perdurantes : ut Manichæi et cæteri hæretici, tales enim calumniarum minutias quærunt, ut ipsos quoque vertices capillorum perambulare et perscrutari posse videantur.

24 *Dixit Dominus ex Basan convertam :*
Convertam in profundum maris.

C Dixit Dominus, quæramus quid dixerit, quia nescio quam magnum est quod promisit. Basan interpretatur siccitas, quæ humanum genus possederat ariditate peccati, sed eam Dominus convertit ad viriditatem suam, dum illi fluvios salutis infudit. H Et item convertit populos de profundis vitiis peccatisque maris, id est sæculi. A Convertam igitur, scilicet me vel meam misericordiam : in profundum maris, id est sæculi vel peccatorum, ut liberem exinde homines. Et ita convertam : ut intingatur pes, etc.

25 *Ut intingatur pes tuus in sanguine :*
Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

C Intingatur pes tuus, id est actio boni propositi, usque ad sanguinem gloriosi martyrii perveniat. Isti enim canes pro domino latrare non desinunt, qui canes dicuntur ex inimicis : quia prius inimici fuerunt, qui postea clamorosis latratibus Ecclesiam Dei defendebant. Ab ipso, utique Deo, qui amarum vertit in dulcedinem, ab ipso et nullo alio, lingua illa canum ex inimicis : facta est salubris.

26 *Viderunt ingressus tuos Deus :*
Ingressus Dei mei. Regis mei, ✣ qui est ⁝ in sancto.

C Viderunt ingressus tuos sive assumpti corporis formam : sive vestigia prædicationis, quibus in hoc mundo sanctis gressibus ambulavit. Dei mei regis, quia ipse est rex, qui in titulo scriptus est : Rex Judæorum. Dicit vero secundo ingressus, quia ipse in hoc mundo specialiter est ingressus. H Vel ingressus in cœlum viderunt in sancto, scilicet in homine, id est Christo sancto viderunt ascensum in cœlum.

27 *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus :*
In medio juvencularum tympanistriarum. Diapsalma.

C Prævenerunt principes, id est apostoli omnes prævenerunt in sanctitate doctrinæ, conjunctamque dicit illis esse multitudinem psallentium, qui jam laudes Domini non voce tantum, sed bonis operibus personarent. Addit juvencularum, id est prima ætate florentium, quæ tympana sua, hoc est corpora : ad Domini laudes verterunt, macerantes se jejuniis, carnisque afflictione gaudentes, tensiones etiam corporis ad laudes Domini vertentes, martyrio consummaverunt.

28 *In Ecclesiis benedicite Deo*
Domino de fontibus Israel.

C Ad fideles ait : In Ecclesiis benedicite Deum, non in perversis conventiculis paganorum vel hæreticorum, sed in Ecclesia catholica, ubi recta fides est et vera confessio. De fontibus, de doctrina, scilicet Christiana, quam gentibus apostoli infuderunt. Fons quippe a fovendo dictus est, eo quod nostra corpora labore fessa refoveat. Sive a fundendo quia effundit aquas, fons enim proprie est qui manat.

29 *Ibi Benjamin adolescentulus :*
In mentis excessu.

H C Ibi Benjamin : Paulus apostolus, qui de tribu Benjamin descendit. C Adolescentulus exstitit in mentis excessu, quando Domini voce corruit, qui et miseratus intonuit : Saule, Saule (*Act.* IX), adolescens dicitur ab adolendo, id est crescendo. H Dictus etiam adolescens, quia novissimus omnium apostolorum : conversus in excessu quem pertulit dum iret in Damascum.

30 *Principes Juda duces eorum :*
Principes Zabulon principes Nephtalim

C Principes Juda, Dominum indicat : qui de tribu Juda descendit. H Apostoli enim sunt principes

Juda, id est Domini Salvatoris, ut Juda sit genitivi casus. Sicut dixit : Jacob Juda, te laudabunt fratres tui (*Gen.* XLIX). C Duces eorum, id est populorum : qui erant in Ecclesia constituti, Zabulon et Nephtalim tribus fuerunt, unde apostoli traxerunt originem. Juda confessio dicitur, Zabulon, habitaculum fortitudinis ; Nephtali, dilatio mea, quæ catholicæ Ecclesiæ competenter aptabis ; si diligenter inspicis.

31 *Danda Deus virtuti tuæ :*
Confirma, Deus, hoc quod operatus es in nobis.

C Virtus enim Patris Christus est, quid autem mandetur edicit. Confirma hoc, Deus, etc. Magna petitio certe : ut confirmet Deus in nobis fidem suam quam donare dignatus est. Opus Domini enim fuit : ut cæca gentilitas lumine veritatis afflata, verum Dominum salvatorem cognoscere posset. H Confirma donum baptismi Spiritus sancti infusione : et auxilium præbe, ut in virtutibus incedere et permanere possimus.

32 *A templo tuo in Hierusalem.*
Tibi offerunt reges munera.

C A templo Hierusalem offerunt reges munera, qui in Ecclesia Dei recte viventes, sui cordis offerunt puritatem. H Munera Christi, virtutes sunt sanctorum : et qui semetipsos regunt, reges sunt. Templum igitur corpus est cujuslibet sancti, quod bene vivendo sanctum fit, ab illo offerunt sancta opera.

33 *Increpa feras arundinis : congregatio taurorum in vaccis populorum :*
✣ Ut ⁝ excludant eos qui probati sunt argento.

C Increpa feras, id est, argue superbos et feroces qui in prava voluntate consistunt et vacillant velut arundo. Concilium taurorum, id est, hæreticorum indomitorum : qui erecta cervice seducunt animas innocentes. H Vaccæ significant stultas animas populi sequentes tauros. Ideo vero dicit eos arguendos, ut non excludantur a regno Dei, qui probati inventi sunt justi, verum ista expositio Hieronymi innititur translationi Romanæ : quæ habet, ut non excludantur, similiter Cassiodori expositio. Sed Augustinus, exponens nostram translationem ait, ut excludant, id est apparere faciant eos qui latebant, qui probati sunt argento, id est Dei eloquio. Oportet enim (ut ait Apostolus) hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter nos.

34 *Dissipa gentes quæ bella volunt : veniant legati ex Ægypto :*
Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Dissipa gentes, hoc est hæreticos qui volunt bella, id est contentiones contra Ecclesiam. Commonet etiam Prophetа gentium populos, ut offerant legati (id est ab errore conversi) munera, hoc est, animas suas : a mundana sorde purgatas. Sic Æthiopia commonetur, ne se tardet Deo tradere, sicut se victi projectis armis victoribus per manus tradunt, ut periculum mortis evadant. Ægyptus vero et Æthiopia mundum significant, vinculis gravibus et tenebris peccatorum plenum. Idololatræ ergo prævenient Judæos, dare manus Deo.

35 *Regna terræ cantate Deo :*
Psallite Domino. Diapsalma.

C Regna terræ. Omne genus humanum significare voluit, cantate : ad animæ respicit puritatem, psallite : ad opera quæ Domino probantur accepta.

36 *✣ Psallite Deo ⁝ qui ascendit super cœlum cœli : Ad orientem.*

C Nam cui Deo psalli debeat ostendit, scilicet ei qui super cœlum ascendit, Dominus enim Jesus, qui prius descendit de cœlo ad liberandum infirmitatis nostræ naturam, ipse etiam ascendit, qui sedet ad dexteram Patris. Ad orientem, Hierosolymam evidenter ostendit, quæ est in orientali parte collocata. Unde Dominus videntibus apostolis ascendit ad cœlos (*Act.* I). H Vel ad orientem, scilicet quia ipse oriens est, sive quia per eum omnes ad vitam oriuntur, fertur etiam mons Oliveti (*Luc.* XXIV), unde Dominus ascendit, esse ad orientem ipsius Hierusalem.

37 *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis : date gloriam Deo super Israel :*
Magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus.

H C Dabit etiam voci suæ vocem virtutis, quando in novissimo die ut resurgat humanum genus dixerit. Quid fortius quam revocare favillas ad corpus. Date gloriam Deo, nam qui Deo dat gloriam, se facit esse laudabilem. H Super Israel, id est magis honorate Deum quam carnalis Israel honorat, quia ille labiis, vos corde. C Magnificentia, quia semper magna facit. Virtus, quia imperio ejus famulatur opus sive effectus. Nubes, apostoli et prophetæ.

38 *Mirabilis Deus in sanctis suis :*
Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebis ✣ suæ ⁝ benedictus Deus.

C Mirabilis sive in angelis, seu in hominibus sanctis. Dabit Dominus fidelibus suis virtutem patientiæ, et fidei fortitudinem, ut possit ad æterna præmia pervenire. Benedictus Deus, ille potest dare quæ superius dixit, id est, qui omnium ore semper pro beneficiis debet benedici, ut sicut semper beneficia præstat, ita benedictiones semper accipiat.

Fit autem benedictio ista multipliciter. Nam et qui Scripturas sanctas meditatur, benedicit Deum : et qui ejus jussa compleverit, benedicit : et qui ei confitetur, benedicit Deum.

ORATIO EX PSAL. LXVII.

Dominator, Domine, qui justis spiritale epulum tribuens, facis eos in lætitia delectari, concede gregi tuo, mortem tuam intelligere, teque triumphatorem mortis sedentem ad Patris dexteram confiteri. Qui cum eodem Patre, etc.

PSALMUS LXVIII.

ARGUMENTUM PSAL. LXVIII.

C Christus deprecatur, ut salvus fiat a Patre, quoniam gratis est a Judæis odio habitus : postulatque ne decipiatur spes fidelium, in ejus resur-

rectione confusa : petensque se a luto hujus sæculi liberari, pronuntiat quæ inimicis contingere noverat.

TT. In finem pro his qui commutabuntur David.

C Pro his qui commutabuntur. Ista igitur commutatio significat populos Christianos, qui veteris hominis pravitate deposita, in novæ regenerationis sunt munere commutati. Quod autem dicitur pro his, ostendit pro his, id est cunctis fidelibus Christi passionem factam. David quoque subjunctum est, ut finis et initium tituli Domino Christo congrueret, qui est α et ω, id est principium et finis. In finem enim (ut sæpissime dictum est) Christum significat, et David eumdem Christum denotat.

1 *Salvum me fac, Deus : quoniam intraverunt aquæ*
Usque ad animam meam.

C Postulabat humanitas a Patre auxilium resurrectionis. Aquas pro seditionibus plebis motuque populorum debere suscipi, sæpius divina testatur Scriptura, ut ibi : Forsitan aquæ absorbuissent nos. Unum et hic Judæorum populus intrasse usque ad animam Salvatoris dicitur, quando eum crucifigere scelerata mente præsumpsit.

2 *Infixus sum in limo profundi :*
Et non est substantia.

C Facti sunt homines limus profundi, quando et originali et quotidianis peccatis tenentur obnoxii. Per hunc limum infixus est Christus, quando dementium turba clamabat : Crucifige. Limus, dictus est quasi ligans humum. H Non est substantia evadendi, nisi tu salves, Pater, quia infixus sum in veteribus peccatis hujus populi scelerata calliditate sævientis.

3 *Veni in altitudinem maris :*
Et tempestas dimersit me.

Hic altitudo maris, copiosa est populi insania. Eadem tempestas est concitata dementium seditio. Ipsa demersit Dominum, quando eum venire fecit ad crucem.

4 *Laboravi clamans : Raucæ factæ sunt fauces meæ :*
Defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum.

C Laborabat ergo clamans, quando dicebat : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi. Dicit etiam esse raucas fauces suas, quia dicta ejus nequaquam sacrilegus populus audiebat. Oculos istos, carnales intelligamus, qui in morte passionis clausi sunt. Speravit in eum, id est in Patrem. Nota vero recte dici, laboravi, quod inauditum significat clamorem. Laborare enim illum dicimus, qui votum clamoris non est assecutus, id est ubi audiri recusatur.

5 *Multiplicati sunt super capillos capitis mei :*
Qui oderunt me gratis.

C Ergo ut ostenderet plus esse numerum infidelium, quam devotorum, dicit multiplicatos perfidos Judæos super numerum capillorum, id est credentium. Gratis enim odisse dicimur, quando quempiam sine aliquibus offensionibus exsecramur, sicut Judæi Christo fecerunt.

A 6 *Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste :*
Quæ non rapui tunc exsolvebam.

C Confortati sunt Judæi, quando id quod conabantur efficere, implebant. Injusti, revera injustum fuit : ut qui venerat ad Judaicos populos salvandos, eos potius invenisset inimicos. Christus peccata non rapuit, qui delicta nostra abluit, tamen crucem excepit, et solvit pro nobis, quod pro se juste non pertulit.

7 *Deus, tu scis insipientiam meam :*
Et delicta mea a te non sunt abscondita.

C Dum dicit Deus tu scis insipientiam meam, loquitur pro parte membrorum, insipiens enim non potest esse Christus : cum Dei sapientia esse dignoB scitur. Conversi igitur ad fidem : ante erant insipientes, nunc in Christo sapientes, isti enim sunt de quibus dixit titulus, quod commutabuntur, scilicet insipientia infidelitatis vel peccatorum ad sapientiam Christi. Idem dicendum est de delictis, quæ non sunt capitis, sed membrorum Christi.

8 *Non erubescant in me qui exspectant te, Domine :*
Domine virtutum.

H Precatur ergo Christus : ne de sèipso erubescant, qui resurrectionem ejus magno desiderio exspectabant. Cum dicit : Domine, Domine virtutum, ostendit nihil impossibile esse omnipotentiæ ipsius.

9 *Non confundantur super me :*
Qui quærunt te Deus Israel.

H Non confundantur, id est, ne evacuetur spes credentium de passione mea : sed cognoscant, quia voluntatem tuam veni facere. C Vel non humanas insultationes diutius de mea dormitione sustineant, qui quærunt te Deus Israel.

10 *Quoniam propter te sustinui opprobrium :*
Operuit confusio faciem meam.

Sustinuit enim Christus opprobrium : cum dicebatur a Judæis, in Beelzebub ejicit dæmonia (*Matth.* XII). H Operuit confusio faciem meam, quando negaverunt apostoli.

11 *Extraneus factus sum fratribus meis :*
Et peregrinus filiis matris meæ.

C Extraneus Christus factus est Judæis, quando D ei credere noluerunt, quos hic fratres appellat. Filios matris, ipsos dicit quos superius fratres nominavit. Sed si filii veri fuissent matris synagogæ, non ut peregrinum, sed ut fratrem charissimum : Christum suscepissent.

12 *Quoniam zelus domus tuæ comedit me :*
Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

H Comedit eum zelus domus Dei, quando eos de templo ejecit, quia domum eam fecerunt speluncam latronum (*Matth.* XXVII). C Exprobratum est Patri ab eis, quando dicebant : Hi sunt dii tui qui eduxerunt te (*Exod.* XXXII). H Qui vero exprobrant Patri, exprobrant Filio. C Ceciderunt super me

dixit, ut effectum mortis ostenderet, quem crucis dignatione suscepit. Exprobrabant etiam Patri : cum Christum dicerent Joseph fabri esse filium, et dæmonium habes (*Matth.* XIII), opprobrium enim Filio dictum, redit in Patrem.

15 *Et operui in jejunio animam meam :*
Et factum est in opprobrium mihi.

C Operuit jejunio animam, quia hominum fidem, quam valde esuriebat, minime poterat invenire, et ideo quasi aliquo pallio tristitiæ circumdedit animam suam jejunio tali afflictam. Semper boni malis opprobrium sunt, quia minime eorum sceleribus acquiescunt, et illis studiose detrahunt, quibus nulla societate junguntur.

14 *Et posui vestimentum meum cilicium :*
Et factus sum illis in parabolam.

C Per cilicium tristitia significatur et lacrymæ, quando Dominus humani generis imbecillitate permotus, suscitaturus Lazarum flevit (*Joan.* XI), dicentibus Judæis : Ecce quomodo amabat eum. Factus est quoque Judæis in parabolam, quando per similitudines quasdam carnalem populum docere videbatur : sicut in Evangelio legitur, dixit Jesus parabolam ad turbam. Est autem parabola natura discrepantium rerum, sub aliqua similitudine facta comparatio. Ideo vero sic loquebatur, ut qui cœlestia capere non poterant, *per* terrenas similitudines intelligerent.

15 *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta :*
*Et + in me * psallebant qui bibebant vinum.*

C Porta quippe dicta est, eo quod inde portantur omnia. In porta autem sedent, qui conventibus hominum sedula curiositate miscentur. Ergo dicit passionem suam genti Judaicæ fuisse fabulam. In Deum psallunt si in bonum accipitur, qui actione probabili diriguntur. Vinum similiter ; non ebrietatis, sed spiritale. Ipsi enim psallebant, qui per intelligentiam supernam salutari doctrina potabantur. Et ita Cassiodorus psallere de fidelibus et bonis exponit et sequentia. Sed secundum Hieronymum Scribæ et Pharisæi in porta (*Matth.* XXIII), id est judicio sedebant, qui clavem scientiæ habentes, nec introibant, nec alios introire sinebant. Illi repleti vino iniquitatis, qualiter eum interficerent concinebant. H Vel ebrii erant vino, quando velantes faciem ejus dicebant : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit ? (*Luc.* XXII.)

16 *Ego vero orationem meam ad te, Domine :*
Tempus beneplaciti Deus.

C Illud tempus est beneplaciti quando Incarnationis suæ beneficio, periclitantem mundum ab imminente exitio liberavit. H Vel tempus beneplaciti, tempus est passionis, quo tempore Judæis crucifigentibus Christus oravit (*Luc* XXIII). Ne statuas illis pater hoc peccatum, etc. summe enim Patri placuit hominum redemptio.

17 *In multitudine misericordiæ tuæ :*
Exaudi me in veritate salutis tuæ.

C Nam si multitudines misericordiæ non fuissent, nequaquam redimi poteramus obnoxii. Non enim parva misericordia fuit, quæ tam ingentia peccata superavit. Exaudi me, rogat Patrem, non natura deitatis, qua ei æqualis est : sed ex infirmitate humana, in qua minor est Patre.

18 *Eripe me de luto ut non infigar :*
Libera me ab his qui oderunt me et de profundis aquarum.

C Exposcit Christus ex parte membrorum, ut anima ejus a desideriis luteis, id est hujus mundi cupiditatibus reddatur aliena. Libera me ab his qui me oderunt, id est a Judæis. De profundo aquarum, ad illum populum pertinet, qui et profundus erat consilio malignitatis et seditionibus turbulentis.

19 *Non me demergat tempestas aquæ : neque absorbeat me profundum :*
Neque urgeat super me puteus os suum.

H Non me demergat, id est hæc passionis tempestas non eum in profunditate abyssi retineat infernalis. C Profundum itaque est peccatorum, quod deglutit animas impiorum, ita ut ad pœnitudinem redire nequeant. Urgere, dicimus concludere. H Petit ergo ut aditus infernalis non concludat os suum super eum sive diabolus.

C Puteus autem excavata terræ profunditas est, qui et in bono et malo in Scriptura ponitur ; hic vero in malo accipitur.

20 *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua :*
Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

H Hæc secundum humanam fragilitatem postulat dicens : Qui alios mea passione redimis, me quoque præcurrente misericordia contemplare.

21 *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo.*
Quoniam tribulor, velociter exaudi me :

C Puer enim frequenter *legitur Dominus* ab innocentiæ puritate, cum simplex ætas hoc beneficium largiatur, ut vitia mundi non diligat. Velociter exaudi me. H Ut resumam spiritum, quem tuis manibus commendavi.

22 *Intende animæ meæ et libera eam.*
Propter inimicos meos eripe me.

C Intende animæ meæ, ut revera libera fiat, cum eam divinitas propitiata respexerit. Propter inimicos etiam petebat celerrimum resurrectionis auxilium, ut qui contempserant crucifixum, tertia die resurgentem crederent.

23 *Tu scis improperium meum et confusionem meam :*
Et reverentiam meam.

C Improperium, confusionem et reverentiam pro humano genere sic suscepit Salvator libens ut mortem. Non enim ista pro suo reatu sustinuit, sed omnia pro nobis pertulit, ut nos bonus magister in talibus rebus positos, exemplo suæ patientiæ miseratus instrueret.

24 *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me :*
Improperium exspectavit cor meum et miseriam.

H Tu vides, Pater, quales mihi tribulationes in-

ferant et illusiones ostendant. C Improperium exspectavit cor ejus, quando iniquitates Judæorum, et diversa quæ passus est pro sua voluntate sustinuit, et passione benignus excepit. H Vel improperium passionis et miseriam, id est contumeliam crucis.

25 *Et sustinui qui simul : contristaretur et non fuit : Qui consolaretur et non inveni.*

H Et sustinui, non fuit ullus de tanta multitudine iniquorum, aut compassus doloribus ejus, aut qui exstitit consolator. C Non enim de fidelibus, sed infidelibus loquitur persecutoribus ; fideles enim auditores, doctorem consolantur, dum in eis verba prædicationum proficiunt. Judæorum igitur pertinacia Christum non consolabatur, quia ejus verba non suscepit.

26 *Et dederunt in escam meam fel : Et in siti mea potaverunt me aceto.*

C Oblatum est illi fel cum aceto mistum, ut revera facta Judæorum amaritudo potionis indicaret. Ipse enim dixit : Sitio (*Joan.* XIX), quia fidem in ipsis desideravit invenire, illi obtulerunt amarissimos mores suos, qui nulla compunctione conversi sunt.

27 *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum : Et in retributiones et in scandalum.*

C Non maledicendi voto, sed præscientis more sequentia promuntur. Mensa Domini est utriusque legis intellectualis epulatio, quam primo habuerunt Judæi, quando mandata Dei custodierunt, postquam vero a fide jejunare cœperunt, coram ipsis gentibus tradita est, ut gravius dolerent videntibus ipsis adempta felicitate. In laqueum, id est de littera, in qua alios astringere conabantur, ipsi in ea potius caderent obligati. Retributio malorum fuit, quod subtracta illa mensa fuit, et gentibus tradita. Et scandalum, quia deserentes pacis auctorem, sibi concitabant rixam et prava studia

28 *Obscurentur oculi eorum, ne videant : Et dorsum eorum semper incurva.*

C Prænuntiatur digna pœna, ne videant in Scriptura sua verissimum justitiæ Solem, et hoc illis evenit, qui etiam nimio pondere delictorum prægravati, cervicem suam in terram cernui semper incurvant, nec eis ad cœlum respiciendi possibilitas datur. Dorsum dictum, quasi descendens deorsum. H Vel incurva, ut Romanis serviant semper, vel sub onere legis maneant, quam secundum litteram ferre nemo poterat.

29 *Effunde super nos iram tuam : Et furor iræ tuæ comprehendat eos.*

C Dum dicitur, effunde, magnitudo iræ significatur ; quæ in morem fluminis copiosa descendit. Apprehendit eos furor, quasi damnatos et perterritos, ut non liceat effugere, quod datur pro sceleribus sustinere.

30 *Fiat habitatio eorum deserta : + Et : in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.*

C Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis, etc., hoc utrumque Judæis contigisse manifestum est, cum civitas Hierusalem frequenti captivitate deleta est. Tabernacula, Dei templum et regis palatium, sine cultore remanserunt. Et nota, quod privatis domibus posuit habitationem, sed Dei templo inhabitationem, quia ibi habitamus corpore ; hic autem inhabitamus, ubi devotæ mentis affectu locum frequentamus.

31 *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt : Et super dolorem vulnerum eorum addiderunt.*

H De se hæc Christus ad Patrem loquitur, de sua passione dicens, scriptum est : Percutiam pastorem (*Zach.* XIII) ; et in alio propheta ex persona Patris loquentis, propter peccata populi mei percussi eum (*Isa.* XIII), dicitur.

H Quia percussum, id est concessum, persecuti sunt, sibique traditum detestabili feritate necaverunt. H Addiderunt super dolorem, cum vel Ecclesiam vel apostolos persecuti sunt.

32 *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum : Et non intrent in justitiam tuam.*

C Iniquitas prima fuit Judæis, ut prophetas exstinguerent. Apposita est iniquitas super iniquitatem eorum, quoniam ipsum Dominum crucifigere maluerunt. Additur pœna peccati, ne intrent in justitiam Dei, id est ne participes Christo fiant, in illo regno justitiæ.

33 *Deleantur de libro viventium : Et cum justis non scribantur.*

C Dicit ergo Judæis : Deleantur de libro viventium, non quia scripti erant, sed quia scriptos esse se judicabant. Ibi enim quod scribitur, deleri non potest, quia totum in prædestinatione solidatum est. Et cum justis non scribantur, hoc eis accidere negat, qui non sunt (ut titulus ait) piis satisfactionibus immutati.

34 *Ego sum pauper et dolens : Salus tua Deus suscepit me.*

C Ego sum pauper, hanc proprietatem sibi vindicavit, quia nemo alter hanc paupertatem et hunc dolorem, pro totius mundi culpa sustinuit. Suscepit itaque humanitatem salus, id est forma Filii, in qua æqualis est Patri, quando reconciliavit mundum Patri. H Vel, pauper et dolens fuit in passione, salus autem eum in resurrectione suscepit.

35 *Laudabo nomen Dei cum cantico : Et magnificabo eum in laude.*

C Laudat enim caput nostrum nomen Dei cum cantico, quando in Ecclesia hymnidica exsultatione fidelium fit adunatio ; ipse enim in nobis laudat et magnificat, quod nos veraciter laudare cognoscit.

36 *Et placebit Deo super vitulum novellum : Cornua producentem et ungulas.*

C Multo enim est acceptior effusa laus puro corde Deo, quam potest pecudum placere veteris legis mactatio. H Vel placebit Deo Patri super vitulum novellum, id est Christum, cornua producentem, id est fortitudinem Ecclesiæ dantem, et ungulas quibus sacrilegia conculcet gentium ac divellat. Vitulus novellus dicitur Christus, qui seipsum Patri obtulit. Nec super denotat comparationem, sed materiam

notat oblatam, ut sit sensus, Deo erit complacentia de tali vitulo novo, non carnali, sed mystico, non veteri figuranti, sed novo figurato.

37 *Videant pauperes et lætentur :*
Quærite Deum et vivet anima vestra.

C Videant pauperes, quia Deus respuit oblationem pecudum, et mundissimum cor requirit; ideo lætentur, quia in mentis affectu posita est oblatio, ubi et pauper potest esse ditissimus. Quærite Dominum, admonet pauperes ut escam mentis quærant, unde anima saginetur. Illud quoque proprie vivere dicimus, quod in beatitudinis jocunditate consistit.

38 *Quoniam exaudivit pauperes Dominus :*
Et vinctos suos non despexit.

C Pauperes sunt Christiani, qui despiciunt voluptates et divitias mundi istius, et eligunt humanarum rerum indigentiam, ut epulis spiritalibus impleantur. Vinctos suos liberat a laqueis carnalibus, quos suis regulis connexos cognoverit.

39 *Laudent illum cœli et terra :*
Mare et omnia reptilia in eis.

C In cœli commemoratione datur intelligi ut omnia debeant cœlestia laudare. Terræ quoque commemoratione intellige terrestria; maris, universa natantia; et ita ad Domini laudes invitatur quidquid creaturarum esse cognoscitur.

40 *Quoniam Deus salvam faciet Sion :*
Et ædificabuntur civitates Judæ.

C Sion enim parvus colliculus est, qui cohæret Hierosolymitano templo, sed nominis qualitate grandescens; significat enim Ecclesiam. H Civitates Judæ animæ sunt sanctorum, quæ per confessionem in templum sanctum tanquam vivi lapides deferuntur.

41 *Et inhabitabunt ibi :*
Et hæreditate acquirent eam.

C Hanc enim Ecclesiam hic habitant Christiani, hæreditate vero acquirent eam, quando ad Hierosolymam illam æternam Dei miseratione pervenerint.

42 *Et semen servorum ejus possidebit eam :*
Et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.

C Semen enim hic opus perfectum, non carnis progeniem debemus accipere, quod futuram terram possidebit, quæ nullo jam fine mutanda est; sed in ea habitabunt, qui diligunt nomen ejus, et perpetua felicitate potientur.

ORATIO EX PSAL. LXVIII.

Benignissime Domine, exaudi nos in veritate salutis tuæ, ut eruti a squalore peccati, mereamur in libro vitæ digito cœlesti conscribi. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXIX.

ARGUMENTUM PSAL. LXIX.

C Vox martyrum et confessorum deprecantium, ut a persequentium periculis liberentur.

TT. *In finem David in rememoratione ✠ eo quod salvum eum fecit Dominus* ⁝ .

C Finis et David, Christum significat. In rememoratione, spem significat liberationis et certitudinem futuri præmii, quæ suis sanctis pollicitus est.

1 *Deus in adjutorium meum ✠ intende :*
℣ Domine : ad adjuvandum me festina.

C Tunc enim adjutorium poscimus, quando periculis subjacemus, ut tali remedio sublevati, calamitates diversarum passionum vincere possimus. Intende, id est propitius respice, quia omnia Deus agnoscit, etiam cum non rogatur. Festina sic dicitur, quasi misericordia divina tardaret, sed tardum videtur ei auxilium, qui de hujus sæculi clade liberari festinat.

2 *Confundantur et revereantur*
Qui quærunt animam meam.

C Confundantur, vox martyrum expostulans emendationem inimicorum suorum. Confundi est, quando homo turbatur de factis suæ perversitatis. Revereri est, quando cognoscimus nostra operatione justitiam læsam, et pro his operibus pœnas incurrere formidamus. Quærebant inimici animam fidelium, non in bono, sed ut eam a corpore segregarent.

3 *Avertantur retrorsum et erubescant :*
Qui volunt mihi mala.

C Avertantur retrorsum, quia a prava cogitatione descendens, jussa Domini subsequitur. Qui volunt mihi mala, hanc retributionem suscipiant, ne in sua iniquitate persistant. O pia sanctorum etiam ipsa quæ putatur adversitas, melius optabant inimicis, quam inimici sibi ipsis in prosperis constituti.

4 *Avertantur statim erubescentes :*
Qui dicunt mihi : Euge, euge.

C Avertantur, petit ut, a suo proposito erubescentes, velociter se convertant. Qui dicunt : Euge, euge. Euge, sermo laudantis est, sed hic ironia est. Seu illos increpat qui afflictiones martyrum pœnasque collaudant, et non ad auctoris gloriam referunt, quod eis larga pietate est concessum.

5 *Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te :*
Et dicant semper magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum.

H Post persequentium iniquitatem et conversionem, ad gloriam convertitur beatorum, ut exsultent qui per lacrymas pœnitentiæ Dominum quærunt. C Magnificatur autem Dominus in nobis, qui in se non habet ut crescat, cum laudes Deo pura mente persolvimus, nostraque conscientia semper augetur, cum Christum digne laudamus. Illud quoque verbum, magnificetur, ab humana consuetudine mutuatum est; magnificatur enim ille, qui laudibus crescit, qui bona opinione grandescit.

6 *Ego vero egenus et pauper ✠ sum*
Deus adjuva me.

C Egenos et pauperes eos nominat, qui semper acquirere gratiam Dei exoptant. Deus, adjuva me, id

est in tribulatione mundana, ubi cum vitiorum pugnamus adversitate.

7 *Adjutor meus et liberator meus es tu :*
Domine, ne moreris.

C Adjutor meus in necessitatibus, et de sæculi clade liberator. Ne tardaveris. Mos est periclitantium, judicare tardum auxilium, quamvis celerrime præstetur. Christus enim mensurate facit omnia; sed nos tardum putamus, quod magno desiderio requirimus.

ORATIO EX PSAL. LXIX.

Inexhausti adjutorii, Deus æterne, ad adjuvandum familiæ supplici festinus occurre, ut evictis malorum opprobriis, tuis semper auxiliis muniamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXX.

ARGUMENTUM PSAL. LXX.

C Vox devotorum, qui ab humanis iniquitatibus se petunt liberari, ut Domino gratias liberius referre possint.

TT. ✣ *Psalmus David filiorum Jonadab et priorum captivorum* ⁘.

C Jonadab, interpretatur *spontaneus Dei*; qui fuit Dei sacerdos, et præcepit filiis suis in Dei templo degere, ac sobrie servire (*Jer.* XXXV), quod eos constat fecisse, qui nunc pro fidelibus ponuntur. Et priorum captivorum; qui frequenter admoniti, se emendare noluerunt, sed contumaces effecti Deo, primæ, secundæ et tertiæ captivitati subjacebant. Monemur ergo hoc titulo, ut habeamus voluntatem et devotionem filiorum Jonadab, non contumaciam Judæorum, qui captivi esse meruerunt.

1 *In te, Domine, speravi non confundar in æternum:*
In justitia tua libera me et eripe me.

H Orat ergo mediator noster, ut hæc confusio mortis non sit (ut cæterorum hominum) diuturna. Justitia Dei est, qui fecerit voluntatem ejus transeat de morte ad vitam, per quam hic Christus eripi precatur. C Vel membrorum Christi vox est petentium, etsi hic temporaliter et utiliter confundantur, non tamen in æternum confundi. Et quod dicit in tua justitia, ostendit suam justitiam non sufficere, sed necessariam esse sibi misericordiam. Justitia Dei est, parcere pœnitenti.

2 . *Inclina ad me aurem tuam.*
Et salva me.

H Aures Domini dicuntur, quando exaudire dignatur humilem, postulantem veniam pro delictis suis.

3 *Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum :*
Ut salvum me facias.

H Esto mihi in Deum protectorem, quia absque eo neque refugium, neque munitio, neque protectio a quoquam præstari potest. Nec ideo dicitur locus munitus, ut sit localis, quia ubique Dominus est. C Sed locus iste divina protectio est.

4 *Quoniam firmamentum meum :*
Et refugium meum es tu.

C Firmamentum in hoc sæculo Dominus dicitur, ubi et patientia quæritur. Refugium in illa beatitudine, ubi jam aliquod periculum non timetur.

5 *Deus meus, eripe me de manu peccatoris :*
Et de manu contra legem agentis et iniqui.

C Contra legem agit qui, accepta lege, facit contra regulas mandatorum, ut sunt Judæi. Iniqui vero sunt pagani, qui nulla lege Domini refrenantur, sed more ferarum faciunt quodcunque libuerit; sic omnem peccatorem duabus his partibus complectitur.

6 *Quoniam tu es patientia mea, Domine :*
Domine, spes mea a juventute mea.

C Prius enim est ut cum Dei gratia probemur per patientiam, et tunc illam fructuosam spem ipso donante habere merebimur, de qua ait Apostolus : Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem (*Rom.* v). A juventute significat, ex quo cœperit homo contra diabolum pugnare, quia ætas illa ad certamen dirigitur; nam quocunque tempore ad ipsum veniatur, merito juventus dicitur, quia tunc in ipso plenissimo robore solidamur.

7 *In te confirmatus sum ex utero :*
De ventre matris meæ tu es protector meus.

C Tunc enim confirmatio nostra est Deus, quando ad eum fidei munere venimus. Protector, quoniam adversus diaboli nequitias ipse nos protegit ac defendit, hic uterum sanctæ matris Ecclesiæ debemus accipere, ubi primum per rudimenta fidei concipimur, deinde ex aqua et Spiritu sancto regeneramur.

8 *In te cantatio mea semper :*
Tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis.

C Significat enim cantatio semper, et præsens sæculum et futurum, hic enim illi pro liberatione cantamus, ibi autem gratias pro æterna remuneratione peragimus. Prodigium in hoc sæculo erit fidelis, quando alia sectatur quam amare potest multitudo peccantium; quærunt peccatores divitias, fideles pauperiem; quærunt peccatores epulas, justi jejunia; quærunt denique illi gaudia, isti tristitiam. Ne autem bonorum semitam ire nimis difficile æstimetur, addit, et tu adjutor fortis.

9 *Repleatur os meum laude*
✣ Ut cantem gloriam tuam ⁘ *tota die magnitudinem tuam.*

C Nam si Christus non repleat os nostrum, nec lingua movetur, nec desideria honesta inflammantur nostra. Cum vero ponit, tota die, significat omne tempus, et nunquam a laudibus Domini cessandum. Causa igitur cur petat os repleri, est, ut cantet Dei gloriam, sine ejus gratia omnes laudes indignæ sunt.

10 *Ne projicias me in tempore senectutis :*
Cum deficiet virtus mea ne derelinquas me.

C Supplicat fidelis ne projiciatur in tempore senectutis suæ a Deo, quando fessa virtus corporis sui plus indiget adjuvari. Tunc quoque se petit non debere derelinqui, *cum* defecerit virtus patientiæ, vel mollescit sub onere tribulationis, dum tribulationibus crebris atque martyriis robur animæ consenescit, quia cum Christo totum poterit sustinere, sine ipso vero nihil.

11 *Quia dixerunt inimici mei mihi :*
Et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum.

C Redditur causa, cur ad subveniendum pietas Dei debeat provocari, quoniam debilitate captata, fervor insidiantium accensus est, dum credunt facile decipi, a quo non potest viribus defectis obviari. Truculentior est inimicorum semper adunata collectio, et quod non dividitur, gravius uno fasce portatur. Innuit ergo non leves esse inimicos. Cujusmodi vero consilium inierint, sequenter aperit.

12 *Dicentes : Deus dereliquit eum : persequimini et comprehendite eum*
Quia non est qui eripiat.

C Hostes enim carnales; cum viderint hominem crebra calamitate fatigatum, credunt eum a Deo derelictum. Qui divinam gratiam putant in solis corporis viribus constitutam, dicentes : Dereliquit eum Deus, persequimini, quia fugere non valet; et comprehendite, quia nobis reluctari non poterit violentissimis.

13 *Deus, ne elongeris a me :*
Deus meus, in auxilium meum respice.

Humana putat infirmitas elongare se Deum, quando ei venire tardat auxilium; ideo petit, ne gratia ejus ab ipsa discedat, et orat ut per adjutorium Dei, ei digna patientia tribuatur.

14 *Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ :*
Operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala mihi.

C Confundantur enim dicit, cum tua viderint disposita non mutari. Deficiant detrahentes, id est obloquentes inaniter. Operiantur, dixit, quasi quodam velo, seu verecundia obtegantur eorum facies; quod solet evenire his, qui actiones pristinas meliore vita condemnant. Mala quærunt, qui pravis blandimentis, occulto vulnere, mentes videntur impetere, dum carnis salutem suadent ad interitum animæ

15 *Ego autem semper sperabo :*
Et adjiciam super omnem laudem tuam.

C Decursa emendatione peccantium, ad suam delectationem bonumque convertitur, ut sicut illi de divina potentia desperabant, ita populus fidelis sperare se semper dicit in Deo. Adjiciam *laudem*, nam cum quis dicit Verbum Patris fecisse cœlum et terram, perfecta devotione Deum laudat. Sed cum adjunxerit, incarnatum esse pro salute cunctorum, adjecit cumulum laudibus plenum; ita laus super laudem adjicitur.

16 *Os meum annuntiabit justitiam tuam.*
Tota die salutare tuum.

C Justitia Patris Salvator est, et salutare dicitur, quia inde salus mundi, per gloriosam incarnationem provenit. Tota die, continuum tempus ostendit. Ostendit igitur se pronuntiaturum gentibus Salvatorem. H Vel in persona Christi capitis, qui in apostolis se annuntiavit.

17 *Quoniam non cognovi litteraturam : introibo in potentiam Domini :*
Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.

C Non cognovi litteraturam, id est scientiam secularem, et eloquentiam vanam, malis actibus inquinatam. Ideo introibo in potentiam Dei, hoc est in Hierusalem cœlestem. Tunc memorabor, cum sequestrat agnos ab hædis et impios a fidelibus.

18 *Deus, docuisti me ex juventute mea et usque nunc :*
Pronuntiabo mirabilia tua.

C Docuisti autem, sive ad libros pertinet divinos, sive ad infusam cœlitus fidem. Juventus incipit ex quo cœpit homo ad divinam gratiam pervenire. Utique mirabilia fuerunt, ut doceretur indoctus, et ex perfido fieret devotus, et ex peccatore justissimus.

19 *Et usque in senectam et senium :*
Deus ne derelinquas me.

C Apud Græcos duo nomina ista diversa sunt : senectam, *gravitatem* vocant; senium, ætatem finitimam. Latinæ vero quasi simili nomine nuncupantur. Petit itaque populus fidelis, ut neque in matura, neque in senili ætate deseratur a Domino. Cum enim a juventute se docuerit et custodierit, petit id continuari in senectute.

20 *Donec annuntiem brachium tuum :*
Generationi omni quæ ventura est.

C Brachium Patris, Salvator Dominus est. Et ne putares illis tantum denuntiandum fuisse Christum, qui eo tempore fuerunt, cum ille pro nobis incarnari dignatus est, addidit, quæ ventura est : ut hanc prædicationem usque ad finem sæculi cognosceres esse faciendam. Petit ergo Ecclesia se non derelinqui usque ad finem sæculi.

21 *Potentiam tuam et justitiam tuam Deus usque in altissima quæ fecisti magnalia :*
Deus quis similis tibi ?

C Potentiam tuam : hic quoque reddendum est, donec annuntiem potentiam tuam, etc. Nam potentia ad gratiam Incarnationis respicit. Justitia ad judicium in quo Adam judicatus est, id est, morte punitus cum posteritate sua. Usque in altissima : quia Deus homo sedet ad dexteram Patris, regnans cum eo per infinita sæcula. Magnalia, a magnitudine vocantur : quoniam ad vindicandum fortis est Deus, sicut in Adam : et ad liberandum nullus ei similis invenitur, sicut in latrone. Deus quoque in operibus suis cognoscitur esse singularis, ideo subdit : quis similis tibi ? quod cum admiratione legendum est.

22 *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas? et conversus vivificasti me:*
Et de abyssis terræ iterum reduxisti me.

C Quantas, sub admiratione legendum est, quasi innumerabiles passiones; quia fidelibus ad præsens, duras tribulationes ostendit. Multas ergo, quantitatem : malas, indicat qualitatem. Conversus, id est, converti me fecisti; quia distortus fueram lege peccati. Sciendum utique est, ideo iterum dictum, ut medicina Christi, frequentior indicetur, qui nos de abyssso, id est, de profunditate peccatorum per multas remissiones eduxit.

23 *Multiplicasti magnificentiam tuam:*
Et conversus consolatus es me.

C Multiplicat magnificentiam, quando nobis per diversas causas afflictionum subvenire dignatur. Conversus consolatus es me, hoc est, mentem sanas diversis languoribus sauciatam : sanas vero mentem revelando et divinarum Scripturarum alloquio consolando.

24 *Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, Deus:*
Psallam tibi in cithara sanctus Israel.

C Hic jam justus ille lætus veritatem se psallere confitetur. In vasis, H hoc est in fidelibus Ecclesiæ : et in cithara, C id est actione digna : per psalmum, recta fides : per citharam, recta operatio designatur; quia psalmus de superioribus, de inferioribus cithara, melos ad superna transmittit. Vel vasa psalmi, psalmos dicit quasi spiritualia dolia, vinum Domini incorrupto sapore servantia. H Vel illos significat, qui de vino, evangelicæ apostolicæque doctrinæ novo repleti, in psalmis Christum intelligunt præconatum.

25 *Exsultabunt labia mea cum cantavero tibi:*
Et anima mea quam redemisti.

C Labia, os interioris hominis dicit : habet enim et mens vocem suam, qua tacite clamat ad Dominum suum. Gaudet ergo anima sua, quæ se redemptam esse cognoscit : ut enim de labiis animæ intelligeres, adjecit et anima mea, etc.

26 *Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam:*
Cum confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

C Meditabitur tunc lingua laudes Domini per omne tempus, quando regnum ejus in illa resurrectione perceperit. Duobus modis confunduntur et reverentur inimici, quando aut hic pœnitentiam gerunt, aut certe in adventu Dei, dum illa suis oculis manifesta vident, quæ fieri non credebant. Tunc ergo securæ exsultationis tempus est sanctis, quando jam locum dominationis impii non habebunt.

ORATIO EX PSAL. LXX.

Excelsi solii, regnator immense, qui sperantes in te, damnari æterna confusione non pateris : reple, quæsumus, labia nostra laude tua, et in his nos *sem-* per meditationibus bonorum insinuator exerce. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXXI.

ARGUMENTUM PSAL. LXXI.

C Propheta Christi adventum præcinens : ab omnibus regibus eum dicit adorandum, quia humanum genus a diaboli potestate redemit.

TT. *In Salomonem psalmus.*

C Salomon interpretatur pacificus, et significat Christum, de quo Apostolus ait : Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum (*Ephes.* II). Ipsius verba testantur eum esse pacificum, qui dixit, pacem meam do vobis (*Joan.* XIV).

1 *Deus, judicium tuum regi da :*
Et justitiam tuam filio regis.

C. Propheta desiderio inflammatus, petit a Patre judicium dari Filio, quod sciebat esse venturum. Judicium enim dictum est, quasi juris dicium, id est quod in eo jus dicatur, vel quasi juris indicium : quod in eo jus indicetur. Et ut veracissima probaretur esse petitio, eadem iterum ingeminavit, hoc est enim quod dicit et justitiam tuam filio regis, quod superius dixit : judicium tuum regi da, et hoc secundum humanam naturam qua Patre minor est.

2 *Judicare populum tuum in justitia :*
Et pauperes tuos in judicio.

C Exponit causam quare petierit filio judicium dari, scilicet ut judicet orbem terrarum per justitiam Patris. Pauperes Dei sunt, qui mundana superbia derelicta, se humilitati per omnia subdidere. Nam et si pauper superbiat, non est Dei pauper, et si locuples humilitatem diligat, non est sæculi dives, voluntates enim talium inspiciendæ sunt, non nomina

3 *Suscipiant montes pacem populo :*
Et colles justitiam.

C Per montes significantur apostoli et prophetæ, qui pacem, id est Christum suscipiunt, fideli populo prædicandum. Colles dicit cæteros beatos, qui recte videntur Domini prædicare mandata. Et Christus justitia dicitur, quoniam diabolum per justitiam vicit magis quam per potentiam, et orbem judicat in justitia.

4 *Judicabit pauperes populi. Et salvos faciet filios pauperum :*
Et humiliabit calumniatorem.

C Pauperes populi, id est humiles spiritu, sunt apostoli. Filii vero pauperum, filii sunt Ecclesiæ, per apostolorum prædicationem in Christo regenerati. Calumniator, diabolus, Christi potentia humiliatus. Calumniator quippe dicitur et est, qui innocentiam alienam, in reatum pitiur exquisita machinatione perducere, quod diabolum ab initio sæculi usque in finem constat facere.

5 *Et permanebit cum sole et ante lunam :*
In generatione generationum.

C Sol quippe legitur verbum Patris, qui Deus et homo, unus ex duabus naturis distinctis atque perfectis permanet Christus : humanitas enim cum sole, id est, divinitate semper unita permanet. Permanet

ante lunam, id est ante conspectum Ecclesiæ, quem cordis luminibus semper contuetur. Ecclesia enim a Christo lumen, sicut luna a sole, recipit.

6 *Descendit sicut pluvia in vellus :*
Et sicut stillicidia stillantia super terram.

C Exponit mysterium gloriosæ Nativitatis. Nam Dominus virtutum, ante cujus faciem terra tremefacta concutitur, voluit leniter in uterum virginalem, sine aliquo strepitu tanquam pluvia in vellus agnæ, descendere. H Arida enim erat terra humani corporis, cum advenit, nec ullum fructum exhibere poterat sanctitatis, sed ipse eam, stillicidiis prædicationis suæ fecundatam, æternis fructibus implevit.

7 *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis :*
Donec auferatur luna.

C Orietur, ex tempore sanctæ Incarnationis, quando erat partu virginis nascitura. Justitia enim verbum est Patris. Abundantia vero pacis est, dum religio Christianorum toto orbe dilatatur. Donec auferatur, id est, extollatur luna, id est, quandiu protendatur et augeatur Ecclesia, vel quousque prædestinatorum numerus compleatur.

8 *Et dominabitur a mari usque ad mare :*
Et a flumine usque ad terminos ✣ orbis terrarum.

H Dominabitur, totum hunc mundum acquisitum sua passione atque subjectum Christo Domino Propheta testatur. C A flumine, scilicet Jordane, unde per totum orbem terrarum saluberrima regula baptismatis emanavit; pulchra quidem brevitas, sed ingentia nobis sacramenta profudit.

9 *Coram illo procident Æthiopes :*
Et inimici ejus terram lingent.

C Æthiopes, debemus peccatores advertere, qui ante illum procidunt, quando se pœnitentiæ humilitate prosternunt. Inimici Judæi, qui terram lingent, id est, terram sapiunt, et Christum non credunt, hoc enim sapit unusquisque quod lingit. Illos autem Judæos intelligit, qui in sua pertinacia permanebunt.

10 *Reges Tharsis et insulæ munera offerent :*
Reges Arabum et Saba dona adducent.

C Reges ergo Tharsis, id est, dominatores vitiorum dona offerunt Deo, quando ei probantur animo servire devoto. Insulæ vero sunt, qui circumfluentia mundi vitia, a suis corporibus excluserunt. Reges Arabum sunt, qui blandimenta corporum subjiciunt rigidæ disciplinæ. Saba (unde Sabæi) dicti sunt omnes, qui dona virtutum offerunt Deo suaviora, quam quæ in illa terra sunt aromata redoleant.

11 *Et adorabunt eum omnes reges :*
Omnes gentes servient ei.

C Per omnes reges, cunctas voluit nationes intelligere. Omnes gentes, scilicet quæ per universum mundum et linguis dividuntur et partibus. Nulla gens est, quæ in parte populi sui, proprium non adoret auctorem. Et vide, quia reges dicit adoraturos, qui putabantur adorandi.

12 *Quia liberavit pauperem a potente :*
Et pauperem, cui non erat adjutor.

C Liberavit pauperem, id est, fidelem populum, a potente diabolo, et pauperem, cui non erat adjutor, quia humanum genus ad idolorum culturam se contulerat. Et quid ab eis adjuvari poterant, qui vel sensum pecudum non habebant?

13 *Parcet pauperi et inopi :*
Et animas pauperum salvas faciet.

C Cum dicit parcet, generaliter omnes homines peccatores ostendit; illis enim parcitur, qui in aliquo reatu detinentur. Ipsi autem salvi fiunt, qui regnum Dei possidebunt.

14 *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum :*
Et honorabile nomen eorum coram illo.

C Usura ab usu nomen accepit, quæ creditæ pecuniæ procurat semper augmentum. Sic in peccatis viventibus usura crescit malorum, quando quod in temporali conversatione delinquunt, in æterna calamitate recipiunt. Ab istis ergo usuris liberantur fideles animæ, quando per pœnitentiam redduntur absolutæ. Quorum nomen honorabile; revera præclarum nomen, ut Christiani dicantur, et a suo rege resplendeant vocabuli dignitate. Addidit etiam, coram illo, id est coram Deo quoniam ante ipsum et in ipsius regno victuri sunt.

15 *Et vivet et dabitur ei de auro Arabiæ et adorabunt de ipso semper :*
Tota die benedicent ei.

C Nam cum dicit, et vivet, ostendit æternitatem Christi, qua non vita creata, sed beatitudine sancta Trinitas vivit. Aurum Arabiæ, præ cæteris terris fertur esse purissimum, quod ad sapientiam bene refertur. H Offeruntur enim ei mentes puritate sancta, tanquam aurum Arabicum splendore pulcherrimo rutilantes. Et adorabunt de ipso, hoc ad humanitatem ipsius constat referri, quando ore proprio quemadmodum oraretur instituit. Tota die, totius vitæ nostræ tempus ostendit.

16 *Erit firmamentum in terra : in summis montium superextolletur super Libanum fructus ejus :*
Et florebunt de civitate sicut fenum terræ.

C Firmamentum montium Christus est. Summa montium excellentiam significat prophetarum. H Superextolletur, scilicet gratia baptismi, super omnes altitudines sæculi, per quam peccata tolluntur. C Florebunt ergo de civitate justi, id est de Ecclesia Dei, sicut fenum; cujus ætas non comparatur sanctis, sed decora viriditas. Et inspice quod dicit, de civitate florebunt, non in civitate, quia de ista civitate hujus sæculi laborando, in illa florebunt beatitudine sempiterna coronando.

17 *Sit nomen ejus ✣ benedictum in sæcula :*
Ante solem permanet nomen ejus.

C Sit nomen ejus, ac si diceret, in æternum glorificetur Deus, quoniam æternam gloriam præstaturus esse cognoscitur. Ante omnem creaturam nomen ejus parmanere professus est (sicut dicitur in Evangelio : In principio erat Verbum), ne sanctum

Dei Filium, temporalem aliquis blasphema cogitatione sentiret. Nomen autem dictum est, quod notam rem faciat. Et hic solem, pro omnibus creaturis ponit, quoniam conspectibus nostris gratior illucescit, ubi et sugillantur philosophi, qui solem ponebant æternum.

18 *Et benedicentur in ipso + omnes tribus terræ :*
Omnes gentes magnificabunt eum.

C Et benedicentur in ipso, Domino videlicet Jesu Christo. Cum dicit magnificabunt, laudabunt utique significat. Aliter enim magnificari non potest, cui omnes summitates deserviunt.

19 *Benedictus Dominus, Deus Israel :*
Qui facit mirabilia solus.

C Deus Israel, id est, Deus universæ terræ benedicendus semper est; qui facit mirabilia solus, B quia nullo indiget adjutorio. Nam licet angeli et multi justi faciant mirabilia, non soli tamen, sed adjuvante Domino perficiunt. H Debet vero bis poni Deus, quia et Trinitas in versu ostenditur.

20 *Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum :*
Et replebitur majestate ejus omnis terra :
fiat, fiat.

H Benedictum nomen *est, scilicet* quia de Christo Christiani sunt dicti, quod vocabulum totum orbem sacra veneratione complevit. Terram enim hic sanctos dicit, quia ipsius claritate replendi sunt. Optantis est dicere fiat, sed nimium desiderantis, ipsum repetere et dicere : fiat, fiat.

ORATIO EX PSAL. LXXI

Nomen tuum, omnipotens Deus, ante cuncta sæcula benedictum invocantes, oramus ut humiliato calumniatore, pacem populo justitiamque largiri digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc. C

PSALMUS LXXII.

ARGUMENTUM PSAL. LXXII.

C Vox Prophetæ admirantis cur inimicis Dei et paganis prosperitas tanta eveniat.

Defecerunt laudes David filii Jesse.
TT. *Psalmus Asaph.*

H Defecerunt laudes David filii Jesse, ad finem septuagesimi primi psalmi pertinet. Id vero quod sequitur, psalmus Asaph, initium sit sequentis. C Asaph vero *synagoga* interpretatur, qui ex typo synagogæ per totum loquitur psalmum. Defecerunt D vero laudes David, id est defecerunt immolationes pecudum et immolationes; nunc corporis et sanguinis Christi, sancta peragit Ecclesia.

1 *Quam bonus Israel Deus,*
His qui recto sunt corde!

C Bonus enim Deus, his qui recto sunt corde, id est, qui opera ejus studio pietatis intelligunt. H Et eum visuri sunt, sicut ait Dominus : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v).

2 *Mei autem pene moti sunt pedes :*
Pene effusi sunt gressus mei.

C Pes significat arbitrium mentis; hunc dicit pene fuisse commotum, quando a vero intellectu A ejus animus discrepabat. Gressus significat actus humanos, qui prope effusi sunt, cum a vera cogitatione discrepare cœperunt.

3 *Quia zelavi super iniquos :*
Pacem peccatorum videns.

C Secuta est causa cur gressus ejus viderentur effundi, quia peccatoribus incongruum zelum adhibuit ut eos putaret felices, quos certum est æterna damnatione puniri. Pacem, inquit, peccatorum, quæ putatur, sed revera non est pax. Nam cum peccatores videntur locupletes, et nihil esse in mundo quod timeant, putantur habere pacem, sed pax ista cum conscientia semper litigat, et intrinsecus rixatur secumque decertat.

4 *Quia non est respectus morti eorum :*
Et firmamentum in plaga eorum.

C Adhuc dicit de prosperitatibus impiorum, quia non est respectus morti, id est quia mortem suam non prævident, ad emendandum se non convertunt. Et firmamentum subaudiendum non est, quia si contingit eos præstringi aliqua adversitate, non in eis videtur diutina permanere tristitia, et ideo non statim ad medicum verum recurrunt.

5 *In labore hominum non sunt :*
Et cum hominibus non flagellabuntur.

C Homines, hic sanctos viros intelligamus, qui et labores in hoc sæculo sustinent, et diversa flagella patiuntur, ut correcti ad Dominum redeant, hoc peccatoribus non provenit, quod ad salutem datur devotis, quia in hoc mundo congruas non recipiunt ultiones.

6 *Ideo tenuit eos superbia :*
Operti sunt iniquitate et impietate sua.

C Tenuit autem, dixit, id est quasi quibusdam apprehendit manibus eos superbia, ut evadere nequeant. Dicit quoque secundum aliam translationem, superbia eorum, quia revera diaboli est, hoc facinus perpetrare. Operti sunt iniquitate, non dixit amicti sunt, sed operti, ut eos intelligamus totos esse demersos. Addidit impietate, quæ malorum omnium probatur extrema, iniquitas enim mediocris esse potest.

7 *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum :*
Transierunt in affectum cordis.

C Ex adipe procedit iniquitas, quando hi, qui affluentia præsentis sæculi præstante Deo repleti sunt, in divina detractione peccant. Pingue enim est peccatum, quod magis arbitrio quam necessitate committitur. Peccatores transierunt in affectum cordis, id est, erraverunt, quando insensatis idolis serviebant. H Vel in affectum, id est concupiscentiam, ut suam non Dei facerent voluntatem.

8 *Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam :*
Iniquitatem in excelso locuti sunt.

C Duplex malum est nequitiam cogitare, eamque tanquam bonum aliquod palam proferre. Iniquitatem in excelso locuti sunt, hoc est quod mens perfida parturiebat, ut contra auctorem suum blasphema verba loqueretur.

9 *Posuerunt in cœlum os suum :*
Et lingua eorum transivit in terra.

C Ponit in cœlum os suum, qui Jovem, Mercurium cæteraque portenta, Deo putat esse similia. Et lingua eorum transivit in terra, qui ultra quam decet loquuntur, et, dum sunt ipsi fragiles, tenere se immmortales æstimant dignitates; vel qui Deum peccata non punire putant. H Aut qui per superbiam scientiæ locuti sunt contra Habitatorem cœli; illi posuerunt in cœlum os suum, sed humiliatum est iniquum eloquium eorum usque in terram, et pertransiit, quia firmam stationem non habuit.

10 *Ideo convertetur populus meus hic :*
Et dies pleni invenientur in eis.

C Congruum est illos populos hic advertere, qui aliquando in accepta Dei lege manserunt, sed per varia desideria dispersi, iterum vero correcti, ad Dei præcepta redierunt. Dies pleni sunt, quando Christus Dominus in plenitudine temporis advenire dignatus est. H Vel de quibuslibet bonis loquitur, qui visis his quæ dicta sunt, plus ad Deum convertuntur.

11. *Et dixerunt : Quomodo scit Deus :*
Et si est scientia in Excelso?

H Ignorant enim peccatores Deum omnia posse cognoscere, nescientes, miseri, quia nihil ab ejus oculis absconditur.

12. *Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo :*
Obtinuerunt divitias.

H Ecce ipsi peccatores, abundantes divitiis sæculi, perdiderunt dona paradisi. C Putabant insipientes Deum nescire quod agebant mali, ex eo quia peccatores divitias possidebant, et justi non; quasi justis et fidelibus talia sit pollicitus, et non magis pauperes in mundo esse voluerit quibus cœlorum regna promisit.

13. *Et + dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum.*
Et lavi inter innocentes manus meas.

C Vox animæ fluctuantis et anxiæ de prosperitate peccatorum, et affluentia eorum. Justificatio est cordis; cogitationes mundæ, ablutio manuum, opera rectitudinis. Causa autem a *casu* dicta est, quæ sæpe bona sit, sæpe mala; quod genus causæ anceps dicitur, quoniam dubius est animus quid sequatur.

14 *Et fui flagellatus tota die :*
Et castigatio mea in matutinis?

C Anima æstuans, adhuc de tribulatione sua loquitur, quam in præsenti sæculo, velut tota die sustinuit, quasi irrite sustinuerit, dum divitias sæculi (propter bona opera et tribulationes) non obtinuerit.

15 *Si dicebam : Narrabo sic :*
Ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

H Sensus iste est, ac si dicat anima : Dum me accuso in orationibus matutinis, si voluero taliter dicere, et sic Dei occulta rimari, incipio a filiis tuis alienus fieri, qui per meam prædicationem tui filii facti sunt. A Vel reprobavi nationem filiorum tuorum, id est, omnium patriarcharum, prophetarum et sanctorum, qui dixerunt et scripserunt te humana curare et justum esse in præmiis.

16 *Et existimabam ut cognoscerem :*
Hoc labor est ante me.

H Hic propheta loquitur : Existimabam, id est perscrutatus sum cuncta, et quamvis laboriose, existimavi tamen cum Apostolo, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam (*Rom.* VIII). C Vel prius existimavi me intelligere, cum stulte cogitarem, sed nunc illuminatus video esse laborem magnum scrutari cur Deus ista permittat.

17 *Donec intrem in sanctuarium Dei :*
+ Et ⁘ intelligam in novissimis eorum. Diapsalma.

C Sanctuarium Dei est lex Dei, quod contuetur ut intelligeret novissima peccatorum, quoniam in futuro judicio felicitas humana damnabitur, quæ hic ad tempus florere monstratur. Ex istis novissimis quæstio soluta est, cur malos florere hic Deus permittat, et justos vexari in paucis, in novissimo ævo optime disponi præmio.

18 *Verumtamen propter dolos posuisti eis :*
Dejecisti eos dum allevarentur.

A Verumtamen propter dolos, hoc est quia dolum faciunt, dolum patiantur, ut decepti, terrena eligant et relinquant æterna. Quod contingit cum traduntur reprobi in desideria cordis (*Rom.* I), ut faciant quæ non conveniunt. C Quorum elevatio, dejectio est, quo enim celsius ruinosa conscendunt, eo ipso periculosius ruunt, sic enim efferri; jam cadere est.

19 *Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt :*
Perierunt propter iniquitatem suam.

C Quomodo, admirantis est vox, ut subito desolatus appareat, qui tanta felicitate pollebat. Exponit etiam modum desolationis, quia subito defecerunt; quod significat repentinæ mortis adventum. Perierunt, quia mali sic in hoc sæculo deficiunt, ut iterum perpetua clade moriantur.

20 *Velut somnium surgentium :*
Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

C Pulchra comparatione talem dicit esse felicitatem malorum quale somnium evigilantium. Sic enim jam mortui divitias possidere non possunt, sicut evigilantes sua gaudia perdiderunt. Perit quoque imago peccatorum, quando se eis ipsa veritas alienata subtraxerit in cœlesti Hierusalem; ibi enim eorum effigies non videbitur, qui in gehennæ sequestrationem mittendi sunt.

21 *Quia inflammatum est cor meum : et renes mei commutati sunt :*
Et ego ad nihilum redactus sum et nescivi.

H Christus Dominus nunc loquitur, quia inflammatum, etc. Inflammatum est enim cor Christi, ut faciat voluntatem Patris. Renes commutati sunt, ne mihi prævaleret ulla inquinatio cogitationis humanæ. Humiliatum quoque se dicit, ut monstraret se esse

verum hominem. Ignorasse vero se dicit, quia peccatores et peccata ignorat, qui nulla ignoratione fallitur. C Vel loquitur idem zelator qui doluit super temporali abundantia malorum, ponens causam cur imago eorum ad nihil redigatur, quia inflammatum est cor meum noxia invidentia per eos, id est, ipsi bonos faciunt peccare, ut quandoque dubitent de divina providentia, et renes, id est, mentis constantia bonorum, movetur ad quærendum temporalia pro suis laboribus, quibus debentur æterna, et ita ad nihil, id est, peccatum redactus sum, etc.

22 *Ut jumentum factus sum apud te :*
Et ego semper tecum.

H Ut jumentum factus sum dicit Christus, portans in carne peccata populi, et ego semper tecum, ut est illud, ego in te et tu in me. C Vel ille loquitur cujus pene moti sunt pedes. Qui jure jumentum se dicit, quoniam carnalis æmulatio eum, quasi animal irrationabile, insidebat super prosperitate malorum : et tamen adhuc tecum sum in fide licet peccator.

23 *Tenuisti manum dexteram meam : ✣ et ⁝ in voluntate tua deduxisti me :*
Et cum gloria suscepisti me.

H. Tenuit dexteram Pater Filio, eo descendente in infernum, quia sinistra diaboli adversabatur ei in terris. Deduxit in voluntate resurgentem, suscepit in gloria ad cœlos redeuntem. C Vel, per manum dexteram remissio peccatorum accipitur et fidei virtus et cœlestium desiderium, et gratuita voluntate non meis meritis deduxisti me, et naturam meam incarnatione tua gloriose suscepisti ad dexteram Patris.

24 *Quid enim mihi est in cœlo.*
Et a te quid volui super terram ?

H Quid enim mihi est, id est, ad comparationem cœlestis gratiæ, quam electis tuis præparasti, quam vilia et caduca sunt, quæ a te voluit humana mens super terram ? Aliter, neque in cœlo, neque in terra, alium præter te quæsivi : a te impleta est voluntas mea, ut mihi flectant omnia genua cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II).

25 *Defecit caro mea et cor meum :*
Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum.

H Vox Ecclesiæ, C defecit, cor utique a mala cogitatione. Deus cordis, bonum intellectum significat, cum se errasse sentiebat. Illius hominis pars Deus est, qui se majestati ipsius credulitate consociat : In æternum se ipsi adhærere promisit, quod est perfectorum.

26 *Quia ecce qui elongant se a te peribunt :*
Perdidisti omnem qui fornicatur abs te.

C Ipsi enim se elongaverunt ab eo, qui idolis serviebant. Fornicari est a Deo, quando adulterinis cogitationibus ab ejus casto amore deviamus ; et quidquid contra catholicam fidem creditur, pollutis sensibus fornicatur.

27 *Mihi autem adhærere Deo bonum est :*
Ponere in Domino Deo spem meam.

C Is enim divinitati adhæret, qui se illi vera fide atque operum probitate conjungit, et ponit spem suam semper in Deo, quia nihil potest esse beatius, quam illi omnia committere, qui novit suis cultoribus profutura præstare.

28 *Ut annuntiem omnes prædicationes tuas :*
In portis filiæ Sion.

C Sion *speculatio* interpretatur. Istius ergo contemplationis filiam, catholicam constat esse Ecclesiam, ubi revera laudes Domini reddit, qui pura mente crediderit. In portis, ipsum ingressum Christianitatis dicit, quando ad fidem veram populus novæ regenerationis adducitur.

ORATIO EX PSAL. LXXII.

Fac nos, Domine, tibi jugiter adhærere, in te totam virtutem spei nostræ defigere, ut mereamur laudes tuas in portis æternalibus nuntiare. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXXIII.

ARGUMENTUM PSAL. LXXIII.

C Synagoga deplorat, cur sui traditi fuerint gentibus.

TT. *Intellectus Asaph.*

C Intellectus significat speculationem divinam, quam psalmus iste denuntiat. Asaph interpretatur *congregatio*, quæ nunc vocatur Ecclesia.

1 *Ut quid, Deus, repulisti in finem :*
Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ ?

C Israelitarum populus per totum loquitur psalmum, qui quærebat territus, cur sanctuarium Domini passurum esset nefandissimam vastitatem. Repulisti, id est abjecisti, quasi alienos a tua defensione fecisti. In finem : captivitatem significat, quæ fuerat sub tempore Vespasiani et Titi. Oves dicit populum Judæorum.

2 *Memor esto congregationis tuæ :*
Quam possedisti ab initio.

C Congregatio Judæorum vehementer prævaluit : cum eos sub Ægypti populo crescere faciebat. Ab initio dicit fidei, scilicet culturæ traditæ, quam per Moysen accepit populus Hebræus.

3 *Redemisti virgam hæreditatis tuæ :*
Mons Sion in quo habitasti ✣ in eo ⁝.

C Hæreditas fuit Dei populus Judæorum, quandiu ei puro animo serviebat : hanc hæreditatem appellavit et virgam, propter Moysen famulum ejus, qui per virgam pro populo magnalia fecit. Per montem Sion, Hierosolymam significat civitatem, in qua Israeliticus populus habitabat.

4 *Leva manus tuas in superbias eorum in finem :*
Quanta malignatus est inimicus in sancto.

C Elevata est ergo in ipsis populis potentia Dei : quando superbiam eorum gratia humilitatis commutavit : perducens eos in finem, id est in Dominum Salvatorem. Inimicus : significat populum Romanorum, qui in illo tempore insignis idolorum cultor ha-

bebatur, qui malignatus est in locis sanctis Hierusalem, quando sacerdotes totaque ministeria templi in prædam missa patuerunt, cunctaque gens Judæorum, aut gladio subjacuit, aut captivitati subjugata fuit.

5 *Et gloriati sunt qui oderunt te :*
In medio solemnitatis tuæ.

H Gloriantur peccatores, cum ipstinctu diaboli ex Dei odio, sanctos martyres pœnis affligunt. C Vel gloriati sunt Romani, dum etiam in templo Dei in Hierusalem sacrilegium committerent.

6 *Posuerunt signa sua ✣ signa ⁝ et non cognoverunt :*
Sicut in exitu super summum.

C Posuit Romanus exercitus signa, scilicet aquilas, dracones, cæteraque quibus *in* prælio uti solebat. Addit signa, ut ipsa repetitio commoveret judicem ad vindictam celerem, et non cognoverunt, quod si cognovissent, tibi utique sacrificarent, et non elegissent ad dæmonum redire culturas. Et signa sua super summum, in tuo templo sancto posuisse memorantur, quemadmodum solent principum statuæ : in plateis per loca ædita collocari, ut memoria viantium instruatur visis talibus.

7 *Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum :*
In securi et ascia dejecerunt ✣ eam ⁝

C Janua enim a Jano dicta est, quod per ipsum anni (ut putabant idololatræ) præberetur ingressus. Ergo ut civitatem illam, in modum silvarum ostenderet funditus esse vastatam, per hæc instrumenta fabrilia dicit esse dejectam. Ejus vero : templi intellige.

8 *Incenderunt igni sanctuarium tuum :*
In terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

C Crescit dolor : ubi calamitas eversionis augetur. Sanctuarium illud : templum fuit quod Salomon mirabili ædificatione construxit. Istud enim templum, quod visitabat virtus cœlestis : manus polluit vastatoris, et usque ad terram culmina deduxit : quæ ad laudem Domini probabantur esse constructa. Crescit autem hic atrocitas facti in narratione prophetæ, ut tam immaniter excidentibus et vastantibus debeat ab omnipotenti judice obviari.

9 *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul :*
✣ Quiescere ⁝ faciamus omnes dies festos
Dei a terra.

C Hic verba referuntur irascentium Judæorum : quoniam viderunt sanctam civitatem, et Dei sanctuaria diruta, furiose et insipienter dixerunt : Abjiciamus legem Dei ; et ne pauci viderentur esse, dixit cognatio eorum simul. Et mala superius enumerata potuissent Domini misericordiam commovere, nisi adhuc in Judæis fuisset obstinata superbia. Ideo et impœnitenti cordi merito non fuit calamitas abstracta, quoniam a blasphemiis eorum animus non recessit, etiam in pœnis.

10 *Signa nostra non vidimus : jam non est propheta :*
Et nos non cognoscet amplius

C Adhuc ista verba sunt desperantium Judæorum, dicentium signa, quæ patribus eorum fuerunt collata, semetipsos non vidisse in illis calamitatibus, ac prophetas, de quibus instruerentur, non habuisse, et ideo se a Deo fuisse derelictos.

11 *Usquequo, Deus, improperabit inimicus :*
Irritat adversarius nomen tuum in finem ?

H Facta sunt hæc, quæ jam narrata sunt, secundum historiam, cum Nabuchodonosor abduxit Judæos in Babylonem, vel cum Titus et Vespasianus succensa civitate multos perimerunt. C Irritat, a canibus tractum est, quorum latratibus, id est littera plurimum sonat. De Judæis itaque ex impatientia contra Dominum loquentibus quærit. Quandiu ita eos improperare sinis? quandiu inimicum et adversarium illum tibi populum non convertis ad confessionem veram laudis tuæ? In finem, scilicet mundi, quando gens illa convertetur.

12 *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam :*
De medio sinu tuo in finem ?

Spiritualiter hic Ecclesia Deum Patrem deprecatur de unigenito Filio, qui in sinu Patris est, qui et dextera appellatur, et manus, ne tardet eum transmittere in terris. H C Tunc autem avertere manum dicitur, cum nos peccare sinit. C Tunc vero convertit manum, cum peccata hic corrigit. H Sinus autem Dei, sanctuarium ejus est, templum ejus, vel ejus custodia. C Vel ad litteram. cur a sinu, id est Judæis avertis manum, id est Christum, usque ad finem sæculi? quando iterum ad sinum tuum convertis manum, id est Judæos convertes ad Christum.

13 *Deus autem rex noster ante sæcula :*
Operatus ✣ est ⁝ salutem in medio terræ.

C Sæcula autem dicta sunt, quod in se revolvant tempora. Ne crederet quis temporalem Dominum, ideo dicit eum esse regem ante sæcula. In medio terræ, id est hominum qui terræ nomine significantur; cunctis, scilicet cernentibus populis, operatus est salutem humani generis; H vel, in Judæa, quæ medium terræ dicitur.

14 *Aut confirmasti in virtute tua mare :*
Contribulasti capita draconum in aquis.

C Ostendit nunc eumdem Salvatorem esse eum qui quondam fecit mirabilia. Confirmavit enim liquidas Rubri maris abyssos, quando in duobus lateribus ita est defixum, ut mare navigerum iter faceret esse terrenum. Capita draconum, superbia dæmoniorum, quæ perducuntur ad nihilum, quando animas quas illi inquinabant fons salutaris emundat baptismi. In hoc enim versu mysterium jam dicti miraculi exponit ; significabat enim transitus maris Rubri baptismum et diaboli victoriam. Unde in aquis, scilicet baptismi, intellige

15 *Tu confregisti capita draconis :*
Dedisti eum escam populis Æthiopum.

C Confractum est caput draconis, id est Satan, quando superbia ejus de cœlo dejecta est, et quando

vitia in baptismo sunt exstincta. Æthiopes, peccatores advertimus, qui ad Dominum conversi escam cœperunt habere diabolum, quia a Christianis detractionum morsibus comeditur. H Sive ut ab his comminueretur per signum crucis, quos prius devoraverat in suasionibus vanis.

16 *Tu dirupisti fontes et torrentes :*
Tu siccasti fluvios Etham.

C Fontes, dixit peccatores, quorum mala jugiter influunt; torrentes, qui subito suscitati, rapide peccando irruunt in bonos: Hos disrupit Deus cum a famulatione diaboli divisit. Etham, *fortis* interpretatur, et significat diabolum, cujus flumina, id est, ejus doctrinam exsiccavit Deus, et ad nihilum redegit.

17 *Tuus est dies, et tua est nox :*
Tu fabricatus es auroram et solem.

H Tuus est dies, id est claritas Evangelii, et nox, id est obscuritas legis, quia te utraque pronuntiant. Auroram, id est illum hominem, per quem sedentes in tenebris lucem viderunt. Lunam vero Ecclesiam dicit, quæ in obscuritatibus sæculi lucet.

18 *Tu fecisti omnes terminos terræ :*
Æstatem et ver tu psalmasti ea.

H Terminos terræ, apostolos et prophetas dicimus. H Ver, significat justos, qui in hoc sæculo bonis operibus florent; per æstatem fructum laboris sui percipiunt. C Vel, ver confessores, qui æquabili devotione et mansuetudine temperati Domino serviunt. Æstas, vero eos qui martyrii calore fervent.

19 *Memor esto hujus : inimicus improperavit Domino :*
Et populus insipiens incitavit nomen tuum.

H Memor esto, scilicet martyrum qui ab amore nominis tui talia patiuntur. Inimicus diabolus. Populus insipiens, id est gentilis vel hæretici, qui incitant semper nomen Domini. C Vel, inimicus, intelligitur Judæorum popuplus, qui et insipiens recte dicitur, dum dies festos et legem Dei sui a terra quiescere volebant facere, et talia dicerent quibus Deum incitarent.

20 *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi :*
Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

C Supplicat enim vir sanctus, quod sciebat de Judæis devotis esse venturum, ut non tradat animas fidelium, ne diabolus ad sua vota perveniat. Bestias posuit diabolum cum ministris. Pauperes sunt, qui se ad humilitatem sanctissimam hic contulerunt, ut illic divites fiant.

21 *Respice in testamentum tuum :*
Quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

C Respice, dixit, ut digneris implere quæ cognoscens ante promisisse, quia repleti sunt, scilicet peccatores, qui ignorantiæ obscuritate dimersi sunt, quoniam lumen sapientiæ perdiderunt. Repleti sunt autem terræ domorum iniquitatum, sive terræ domibus iniquitatum, A id est terrenis desideriis A de domo iniquitatum, id est conscientia iniqua; domus enim iniquitatum, id est conscientiæ malæ, obscuræ, sunt terrenis desideriis et repletæ malitia.

22 *Ne avertatur humilis factus confusus :*
Pauper et inops laudabunt nomen tuum.

C Rogat Propheta non debere confundi humiles, qui Deum jugiter laudant; pauper Dei dicitur hic, et dives sæculi nuncupatur : iste est regis æterni, ille temporis fugitivi. Iste Dei pauper, et cum videtur silere, Deum laudat; ille dives sæculi superbus, mutus est quamvis psallat.

23 *Exsurge Deus, judica causam tuam :*
Memor esto improperiorum tuorum eorum quæ B *ab insipiente sunt tota die.*

H Exsurge, Deus, judica causam pro his improperiis, quæ vel tu sustinuisti pro nobis, vel nunc Ecclesia sustinet. Memor esto, ut in judicio confundantur, qui tibi vel tuis semper improperabant. C Vel, Deus judicat causam suam, dum errantes convertens facit errorem suum cognoscere et illud prædicare quod prius abnuebant. Et ad litteram, illorum improperiorum supradictorum : Jam non est propheta, etc., quæ ab insipiente populo dicta sunt, memor esto.

24 *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum :*
Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

C Ne obliviscaris, scilicet in damnatione perpetua, voces obstinatorum. C Vel, qui in præsentibus C pressuris te invocant, consolentur propter voces persequentium. C Superbia est enim, quam Dominus spiritualiter odit, per quam et angelus corruit, et primi hominis beatitudo discessit. Et hoc congrue de Romanis accipimus, qui superbia elati super templum Dei vexilla erigebant et ipsum incenderunt.

ORATIO EX PSAL LXXIII.

Creator omnium elementorum, Domine, ante sæcula rex æterne, memento gregis tui, quem effusione cruoris proprii redemisti atque omnium te quærentium voces propitiatus exaudi. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS LXXIV.

D

ARGUMENTUM PSAL. LXXIV.

C Vox fidelium Judæorum, qui Christi mirabilia narrare se profitentur, et de Christi futuro judicio.

TT. *In finem ne corrumpas. Psalmus Asaph cantici.*

C Asaph *synagoga* interpretatur, id est congregatio quæ ex Judæis credidit, non quæ obstinata permansit. Iste Asaph hic admonet populum Judæorum ne fidem suam corrumpat in finem, id est in Christum. Psalmum vero cantici diximus esse, cum res actuales spirituali contemplatione discernimus.

1 *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur :*
Et invocabimus nomen tuum.
2 *Narrabimus mirabilia tua :*
Cum accepero tempus ego justitias judicabo.

C Erupit populus Judaicus in vocem confessionis. Sequitur iterum : confitebimur, ista repetitio soliditatem promissionis testatur. Deo enim frequentata confessio non parturit periculum, sed salutem, quamvis terreno judici vel semel confiteri crimina, plerumque mortem generet. Est autem confiteri multorum confessione aliquid profiteri.

C Introducta est vox fidelium, qui pura mente Deo merentur servire. Mutatio personæ deinde est; loquitur enim Deus : cum accepero tempus, scilicet per id quod factus est homo, se justitiam judicaturum, ut compuncta corda mortalia ante tempus judicii se precarentur absolvi, ne in futuro duram sententiam judicis sustinerent. H Nunc non est judex, sed erit. Si enim esset nunc judex, peccatores non erigerentur, et in sæculo non obtinerent divitias.

3 *Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea :*
Ego confirmavi columnas ejus. Diapsal.

C Dominus dicit, ante adventum suum, esse terram liquefactam, id est, genus humanum, ab illa soliditate veritatis in peccatorum labem resolutum esse, nefandis Idolis serviendo. Columnas apostolos dicit qui confirmati sunt in resurrectione Christi, quoniam in passione ejus nutaverunt.

4 *Dixi iniquis : Nolite inique agere :*
Et delinquentibus : Nolite exaltare cornu.

C Dixit enim per prophetas et apostolos monita veritatis, ne scelerati male agerent. Delinquentes sunt, qui de propria justitia præsumentes, et exaltantes se in superbia, collum suum submitti jugo Christi contemnunt. Vel cornu exaltant, qui se in peccatis excusant, modo diabolum arguentes, modo alium incusantes suasorem.

5 *Nolite extollere in altum cornu vestrum :*
✣ Nolite ⁝ loqui adversus Deum iniquitatem.

C Ille quoque in altum erigit cornu, qui contra Deum (concepta iniquitate) remurmurat. Loquitur autem contra Deum iniquitatem, quando aliquis se sic æstimat constitutum a Deo, ut peccata minime declinare potuisset, dicens non culpa sua, sed necessitate ad aliquod se flagitium pervenisse quod propria voluntate peccavit.

6 *Quia neque ab oriente neque ab occidente neque*
a desertis montibus :
Quoniam Deus judex est.

C Neque ab oriente, etc., addendum : Dominus deest, ut te non possit agnoscere. Orientem dicit, homines divina *claritate* conspicuos; occidentem, peccatores quibus adhuc lumen veritatis absconditur; desertos montes, falsos prædicatores, id est, hæreticos. Ergo cum his omnibus Deus præsens esse et cognitor et judex justus monstratur, ne quisquam præsumat facere quod cum possit in futuro judicio damnare

A 7 *Hunc humiliat et hunc exaltat :*
Quia calix in manu Domini vini meri plenus
misto.

C Humiliat utique superbum, exaltat humilem, quia ille in se, iste in Deum confidit. H Calix vero retributio est; plenus vini meri, id est veritate, quoniam in die judicii unicuique propinabitur quod meretur; mistus est autem misericordia et judicio.

8 *Et inclinavit ex hoc ✣ in hoc ⁝*
Verumtamen fex ejus non est exinanita :
Bibent omnes peccatores terræ.

C Hic duos populos significat, Judæorum et gentium, quoniam tulit ex ore non credentium Judæorum. Quod potandum inclinavit conversis populis gentium; feces enim hic non sordes, sed ultimam B fidem debemus accipere, quando Judæi cum aliis peccatoribus credere meruerint; multi vero peccatores in sua obstinatione mansuri sunt.

9 *Ego autem annuntiabo in sæculum :*
Cantabo Deo Jacob.

C Vox Ecclesiæ de futuro judicio in Deum gloriantis. Cantat Deo Jacob, dum psalmodiam dicit Ecclesia.

10 *Et omnia cornua peccatorum confringam :*
Et exaltabuntur cornua justi.

C Cornua peccatorum sunt regna superborum, et omnis eorum potestas, et jactantia in futuro judicio conterenda. Cornua vero justi, munera sunt futuri judicii, quæ revera firmiter eriguntur, quoniam in æterna pulchritudine permanebunt.

C ORATIO EX PSAL. LXXIV.

Pastor bone, qui propter mortalium ovium redemptionem hausisti calicem passionis, nomen tuum supplices invocamus, ut nos super columnas sapientiæ stabiliter septiformis Spiritus sanctificatione confirmes. Qui cum Patre, etc.

PSALMUS LXXV.

ARGUMENTUM PSAL. LXXV.

C Vox Ecclesiæ, hortantis ut Deo potenti fidelis anima munera offerat.

TT. *In finem in laudibus psalmus Asaph canticum ✣ ad Assyrios ⁝.*

C Nota sunt verba istius tituli, sed de Assyriis dicemus. Qui interpretantur *dirigentes;* qui designant Judæos fideles; qui jam docti *regulis fidei* D rectis semitis ambulare contendunt. Hos alloquitur Asaph, laudem Dei mirabiliter decantans.

1 *Notus in Judæa Deus :*
In Israel magnum nomen ejus.

C Judæa enim *confitens* interpretatur, credens in illum regem, qui per Mariam virginem ex tribu venit Juda; Israel, *vir videns Deum* interpretatur. Et ad illos loquitur qui vero lumine radiati a perfidorum iniquitate discreti sunt, et nomen Domini puro corde confitentur, *non* ad eos qui in perfidia manent, solo nomine Judæos et Israel.

2 *Et factus est in pace locus ejus :*
Et habitatio ejus in Sion.

C Ille enim pacem habere probat cum Domino,

qui sequitur jussa dominantis; pax enim vera est concordiam habere cum moribus propriis et litigare cum vitiis. Sion *speculatio* interpretatur, per quam Deus fidelium corde prospicitur. Nam et ipse mons fit Sion qui eum meruerit sincera mente conspicere.

3 *Ibi confregit potentias arcuum :*
Scutum et gladium et bellum. Diapsalma.

℣ Ibi, in illa scilicet pace, ubi Dominus pacis habitare dignatur; istic ista franguntur. Potentia arcuum, significat malitiam superborum. Scutum, hic significat concertationes diabolica fraude præsumptas; gladius, manifesta vulnera, bellum monstratur esse paci contrarium. Hæc omnia fracta erunt, veniente auctore pacis.

4 *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis :*
Turbati sunt ✣ omnes ⁝ insipientes corde.

℣ Illuminare dixit Dominum per æternos montes, quia ipse per prophetas atque apostolos dedit Christianum populum eorum prædicatione illuminari. Dicuntur autem illi montes æterni, quia perpetua et *incommutabili* sublimitate consistunt. Turbatos dicit insipientes, quoniam recedentes a vero lumine tenebrosa mundi desideria secuti sunt, et unde justi sunt illuminati, inde isti sunt turbati.

5 *Dormierunt somnum suum : et nihil invenerunt omnes viri*
Divitiarum in manibus suis.

℣ Dormierunt tanquam vigilantes habentes somnium in bonis actibus. Nihilque in manibus suis inveniuntur habuisse in futuro, qui divitias suas hic relinquunt, quas erogare pro se debuerunt.

6 *Ab increpatione tua, Deus Jacob :*
Dormitaverunt qui ascenderunt equos.

℣ Dormitasse dicit incredulos, qui sancta monita Domini (qui est Deus Jacob) audire contempserunt. Ipsi ascenderunt equos, quia in superbia elevati per illecebras istius mundi vagantur, quasi equis currentibus insiderent.

7 *Tu terribilis es et quis resistet tibi?*
Extunc ira tua.

Terribilem dicit esse Christum in illo judicio, quando in sede suæ majestatis apparebit, ubi nemo potest reproborum resistere, ubi cognoscunt Dominum omnia sceler*at*a damnare. Extunc dicit, id est tempore judicii, quæ etiam dies iræ dicitur (*Soph.* 1) : quia nihil ulterius per patientiam dissimulabitur, quando jam in impios vindicatur.

8 *De cœlo auditum fecisti judicium :*
Terra tremuit et quievit.

De cœlo Deus Pater judicium auditum fecit, quando Filium suum propter redemptionem humani generis in mundum misit. Terra tremuit, quia peccatores in adventu ejus perterriti, pro peccatis suis pœnitentiam egerunt, et de futuro a pravis operibus quieverunt. ℣ Vel, in extremo judicio de cœlo Christus veniens auditum fecit, id est faciet judicium,

9 *Cum exsurgeret in judicium Deus :*
Ut salvos faceret omnes mansuetos terræ. ✣ Diapsal ⁝.

℣ Exsurgere tractum est a judicibus mundi, qui, quando aliquid cum severitate censuerint, dicuntur exsurgere, quia commoti videntur commissa crimina vindicare. Mansueti terræ, sunt qui nullis vitiis istius mundi inflammantur.

10 *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi :*
Et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

℣ Cogitatio nostra confitetur Domino, quando peccata præterita satisfactione damnaverit. Reliquiæ cogitationum sunt, post effusas lacrymas, præteritorum criminum recordata pernicies et lamentatio. Hæc agit diem festum Deo, quando se ab illo interitu peccatorum sentit esse liberatum.

11 *Vovete et reddite Domino Deo vestro :*
Omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent munera.

12 *Terribili et ei qui aufert spiritum principum.*
Terribili apud reges terræ.

℣ Sunt quædam quæ, nisi voveamus, implere nulla lege constringimur, ut virginitatem servare, eremum petere, quotidie jejunare; sed, cum promissa fuerint, jubet esse reddenda Deo. In circuitu quippe res agitur, cum munera fidelium sacris altaribus offeruntur, hoc est circumeundo altare offeruntur.

℣ Terribilis, dicitur Deus non reprobis, nam si Deum metuerent vitam emendarent, sed devotis est terribilis et suavis. Qui aufert spiritum, scilicet superbiæ vel tumoris, utique ab illis regibus, qui corpus suum regere ac moderari Dei munere meruerunt, id est illi vovete et reddite, qui principum spiritum auferens, scilicet superbiæ, dat illis principibus elatis humilem spiritum, ut deinceps contremiscant ad sermones Dei, et sint vere reges terræ, id est corporis sui et aliorum; vel etiam reprobis terribilis in judicio, quando piis dulcis erit.

ORATIO EX PSAL. LXXV.

Cogitationibus te confitentibus effectum largire, terribilis Deus, ut a montibus æternis illuminati, dum resurrectionis tuæ gloriam suscipimus, futuri judicii ignominia careamus. Qui cum Patre, etc.

PSALMUS LXXVI.

ARGUMENTUM PSAL. LXXVI.

℣ Psalmus hic ad fidelium congregationem pertinet, quæ vitia hujus sæculi transiliens, ad illum finem pervenit cui nihil potest simile reperiri.

TT. *In finem pro Idithun ✣ psalmus Asaph ⁝.*

1 *Voce mea ad Dominum clamavi :*
Voce mea ad Deum et intendit mihi.

℣ Ille enim tantum clamat ad Deum, qui talia eum petit qualia se fidelibus daturum pollicetur. Nam qui eum pro rebus transitoriis rogat, non ad Deum clamare cognoscitur, quamvis ipsum petere videatur. Et intendit mihi, illius quippe intendere, liberare est, et tam magna conferre qualia non prævalet avidus precator expetere.

2 *In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum :*
Et non sum deceptus.

H Ista sententia talis est, ac si diceret : Filium perdidi, pauper factus sum, incensa est domus mea, non quæro illud quod perdidi, sed Dominum quæro ; si illum invenio, in ipso omnia habeo. C Manibus, operibus dicit bonis ; nocte, mundi hujus significat vitam. Ille revera non decipitur, cui promissa Dei complentur. H. Vel, non sum deceptus ab insidiis diaboli ; et vide. Iste in tribulatione Deum manibus quærit ; nos, quando tribulamur, nihil aliud nisi de tribulatione cogitamus et conquerimur.

3 *Renuit consolari, anima mea : memor fui Dei et delectatus sum :*
Et exercitatus sum et defecit spiritus meus.
Diapsalma.

C Consolari noluit in præsenti de rebus transitoriis et caducis, ut æternam consolationem acciperet in futuro. Delectatus sum. Nam cum Dei memores sumus, totius suavitatis munere replemur : Quod his evenit qui transitoriis nolunt consolari. Exercitatum se dicit in illa contemplatione divina : cum tractaret quali sapientia Deus cuncta disponat, defecit spiritus in ipsa consideratione tali, tam innumerabilia opera Dei, tam ingentia comprehendere non valens.

4 *Anticipaverunt vigilias oculi mei :*
Turbatus sum et non sum locutus.

H Anticipaverunt, id est antequam aliquis vigilaret ego vigilabam. Ergo monachus qui non vigilat, hunc versum non potest dicere : turbatus sum quasi homo ; non sum locutus, ut Christianum decet ; iracundiam in corde habui, sed eam in verbo non protuli. H Vel, turbatus sum, recordatione peccantium pro quibus crucior condolens. Et ideo causam turbationis subjungit :

5 *Cogitavi dies antiquos*
Et annos æternos ✣ in mente habui ⁝ .

C Cogitavi dies antiquos, Adæ videlicet, quibus humanum genus peccatis tenebatur obnoxium. Et annos æternos, quia sicut isti dies antiqui, in quibus sumus, momento pereunt, sic futuri dies et anni in cœlo perenni longævitate consistunt. In istis mors dominatur ; in illis vita regnat perpetua.

6 *Et meditatus sum nocte cum corde meo :*
✣ Et ⁝ exercitabar et scobebam spiritum meum.

C Meditatur etiam cum corde suo, qui animam facit suam aliquid cum ratione tractare. Exercemur vero, quando per cogitationes innumeras æstuamus. H Scobebam spiritum, hoc est fodiebam quasi agrum, ut ibi mitterem semen doctrinæ Dei. Et ita dicit etiam in epistola ad Sunniam et Fretulam Hieronymus, dicendum esse et scribendum esse, scilicet scobebam, id est scrutabar et fodiebam, quasi qui in agro herbas quærit.

A 7 *Nunquid in æternum projiciet Deus :*
✣ Et ⁝ non apponet ut complacitior sit adhuc ?

C Nunquid proficiet, scilicet genus humanum, ut non adventus sui miseratione ipsum adjuvet. Istud nunquid non est negantis sed affirmantis ; apponet enim, id est præstabit ut ei beneplacitum sit humanum genus. Adhuc exspectantis est non dolentis. H Hæc erat tota cogitatio mea : Deus hominem fecit, et vitam promisit ei æternam ; quomodo ergo de paradiso est ejectus, ut non adjiciat ut ei placeat adhuc ?

8 *Aut in finem misericordiam suam abscidet :*
A generatione in generationem ?

C Misericordia Dei est quod de Maria virgine nasci dignatus est. Hanc Dominus non abscidit a
B generatione, Judaica videlicet, in generationem gentium, H id est, nec a Judæis, nec a gentibus abscidit. C In finem vero significat plenitudinem temporis, de quo Joannes ait : Filioli, novissima hora est (*Joan.* II).

9 *Aut obliviscetur misereri Deus ?*
Aut continebit in ira sua misericordias suas ?
Diapsalma.

C Hinc pronuntiabat misereri Deum, quia ejus prævidebat adventum. Non etiam in ira continebit Deus misericordiam suam, sed in misericordia sua ab ira se potius abstinebit.

10 *Ut dixi : Nunc cœpi :*
Hæc mutatio dexteræ Excelsi.

C Dicit etiam : nunc cœpi, scilicet sapere vel intelligere, et quid sit illud quod nunc cœpit exponit, quia hoc cœpi intelligere quod sanctam commutationem dextera Domini, id est Christus consuevit in nobis operari, ut de conditione sæculi commutati, mereamur ejus filii nuncupari. H Vel hæc mutatio, quod juste perdito pie miseretur.

11 *Memor fui operum Domini :*
Quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

H Memor fui operum Dei quæ fecerat Moysi, vel aliis sanctis. C Memor ero ab initio quod fecit Adam ad imaginem suam, deinde quod oblationem Abel justi susceperat, et quod in arca Noe diversi generis animalia in mysterio Ecclesiæ salvavit, quod typum adventus sui in Isaac oblatione cœlesti pietate mon-
D stravit, et similia quæ ab initio mirabilia fuerunt, in quibus tamen omnibus Dei misericordia homini ostenditur.

12 *Et meditabor in omnibus operibus tuis :*
Et adinventionibus tuis exercebor.

H Tota mea cogitatio de virtutibus tuis est, et exercebor, C id est, in præceptis tuis salutaribus humili devotione versabor, vel meditabor in omnibus operibus, id est Scripturis divinis.

13 *Deus in sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus ✣ noster ⁝ ?*
Tu es Deus qui facis mirabilia.

14 *Notam fecisti in populis virtutem tuam : redemisti in brachio ✣ tuo populum tuum ⁝ .*

Filios Jacob et Joseph. *Diapsalma.*

C Sanctus, Christus est Dominus, idem ipse est via; qui juste dicitur via Patris, quia per ipsum quemadmodum Trinitas colitur accipimus. Dicit enim : Ite, baptisate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). H Dii dicuntur sancti secundum gratiam, tu vero naturaliter Deus es, et tu etiam ex natura solus facis mirabilia quotidie. Deus facit mirabilia, ut in latrone; heri latro, hodie Christianus. Alius heri fornicator, hodie continens; heri rapiebas aliena, hodie tua porrigis.

C Notam fecisti, scilicet cum in hunc mundum misisti Dominum Salvatorem, qui Dei virtus et Dei sapientia est (*I Cor.* I); et notus tantum corpore infidelibus populis, fidelibus autem et divinitate, ut est; Beati mundo corde. H C Redemit in brachio, id est in Filio. Filios Jacob, Judaicam plebem : et Joseph, gentilem populum; qui ei credere puro corde maluerunt. Joseph enim *augmentum* interpretatur, Judæi ergo præcesserunt, et nos adjuncti fidelibus sumus.

15 *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ et timuerunt :*
Et turbatæ sunt abyssi.

Viderunt te aquæ, id est, populi gentium credendo timuerunt; conturbatæ sunt abyssi, C hoc est humana corda tenebrosa quæ ista salubri turbatione conversa sunt. H Vel aquæ, mentes et animæ puræ sunt et timuerunt; sed timor non fuit de odio, C sed fide.

16 *Multitudo sonitus aquarum :*
Vocem dederunt nubes.

C Multitudo est sonitus aquarum, quando psalmodia dulcis effertur Domino, quando gemitibus et lacrymis culpa diluitur. Nubes significat prædicatores qui vocem dederunt cum præcepta Dei vulgaverunt per totum mundum, ex qua vulgatione sonitus iste aquarum provenit.

17 *Etenim sagittæ tuæ transeunt :*
Vox tonitrui tui in rota.

C Sagittas hic evangelistas dicit, qui prædicationibus suis devotos usque ad cordis intima medicinaliter transfoderunt, non inflicto vulnere sed salute. Per rotam orbem terrarum dicit, qui in speciem rotæ rotunditate concluditur, ubi vox prædicationis conspergitur. Sed illæ nubes illa tonitrua quid fecerint subditur.

18 *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ :*
Commota est et contremuit terra.

C Illuxerunt coruscationes, id est, divina præcepta veritatis lumine radiantia. Commotos et tremefactos illos dicit, qui verbum Dei fideliter audientes, ad emendationis studium Christi munere pervenerunt.

19 *In mari via tua et semitæ tuæ in aquis multis :*
Et vestigia tua non cognoscentur.

C In mari, id est, in cogitationibus hominum, quæ A velut mare fluctuant, ubi Christus habet vias, quando eos gratia sua sibi subdiderit. Aquæ multæ conversarum turba gentium, ubi sunt semitæ Dei, dum ad eos venire dignatur : quod dicit vestigia tua non cognoscentur, significat præsentiam corporalem quam populus Judaicus agnoscere noluit.

20 *Deduxisti sicut oves populum tuum*
In manu Moysi et Aaron.

C Deducti sunt enim populi Hebræorum in manu Moysi et Aaron, id est operatione, quam diversorum miraculorum novitate faciebant. Et benedixit sicut oves et non absolute, oves, sed sicut oves, qui non credendo facti sunt hædi. Moyses interpretatur assumptus. Aaron fortitudinis mons, quæ nomina ipsorum virtutes quas fecerant exprimunt.

B

ORATIO EX PSAL. LXXVI.

Mirabilium omnium operator immense, qui quondam aquas in aspectu tuo sistentes, deinceps in vina mutasti : te humiliter imploramus, ut suscepta voce clamoris nostri, misericordiam nobis (quam nunquam oblivisceris) largiaris. Qui cum Patre et Filio, etc.

PSALMUS LXXVII.

ARGUMENTUM PSAL. LXXVII.

C Vox prophetæ ad Judæos, enumerantis quanta munera Deus eis tribuerit, vel mirabilia ostenderit, qualisque in eis vindicta provenerit.

TT. *Intellectus Asaph.*

C Asaph, ut dictum est, Hebræa lingua synagogam, C Latine collectionem significat; sed quia intellectum præmisit, fidelem hic synagogam loqui posse declaravit.

1 *Attendite populo meus legem meam :*
Inclinate aurem vestram in verba oris mei.

C In hoc principio loquitur Deus, qui per Moysen legem dedit Hebræis. Attendit autem audita, qui res dictas devota mente perspexerit. Populus meus : illos dicit qui ejus mandatis obediebant. Inclinare cognoscitur aurem suam, qui toto corde vult audita percipere : unde sicut per hoc quod dixit attendite, intellectum jubet apponere, ita per hoc quod dicit, inclinate aurem, affectum audiendi *præcipit* habere. H Vel ista, et sequentis versus, verba sunt Christi.

D

2 *Aperiam in parabolis os meum :*
Loquar propositiones ab initio.

C Parabola enim Græco vocabulo dicitur similitudo : quando illud quod intelligi volumus, per aliquas comparationes indicamus. Propositiones : obscuras et abditas significat quæstiones, quæ adhibita disputatione solvendæ sunt. Quod vero dicit ab initio, videlicet Veteris Testamenti intellige.

3 *Quanta audivimus et cognovimus ea :*
Et patres nostri narraverunt nobis.

H Quanta audivimus : hoc pertinet ad apostolos. Et cognovimus ea : a patriarchis et prophetis. C Patres suos : Moysen et alios prophetas, qui de Domini adventu multa locuti sunt, dicit.

4 *Non sunt occultata a filiis eorum :*
In generatione altera.

C Non sunt occultata, scilicet a spiritalibus filiis, qui eorum imitatores fuerunt. Altera generatio, non Hebræorum, sed gentium significat congregationem.

5 *Narrantes laudes Domini et virtutes ejus :*
Et mirabilia ejus quæ fecit.

C Narrare quippe opera Domini laudasse est. Cujus facta dum narrantur, gloria semper augetur. Virtutes, liberationes dicit, quas fecit in populo cum eos de Pharaone liberavit : mirabilia vero, quod eos in deserto manna pavit, et modica et levissima concertatione gentes potentissimas subjecit.

6 *Et suscitavit testimonium in Jacob :*
Et legem posuit in Israel.

C Suscitatum esse testimonium in Jacob dicit : quando cum angelo colluctans, tactus uno femore claudicavit (*Gen.* XXXII) : quod significat Israeliticum populum, partim fidei firmitate, constare partim a sua salute discedere. Posuit legem in Israel, ut eos devotos esse suo Domino commoneret, hoc est quod superius dicit, aperiam in parabolis et loquar propositiones, quia iste versus figurate loquitur.

7 *Quanta mandavit patribus nostris*
Nota facere ea filiis suis :
Ut cognoscat generatio altera.

C Versus iste significat, per generationes hominum fuisse mandata Dei transmissa, ne quis putaret uni datum quod omnibus est concessum. C Altera hic generatio, extraneos significat non propinquos, et gentes non Judæos.

8 *Filii qui nascentur et exurgent :*
Et narrabunt filiis suis.

C Filii Christiani sunt, qui prædicationes sanctas ad animarum salutem conferendam suis posteris tradiderunt.

9 *Ut ponant in Deo spem suam : et non obliviscantur operum Dei :*
Et mandata ejus exquirant.

C Admonet hic, ut posteri spem suam non ponant in legem, quæ punit, sed in gratiam concessam, quæ liberat : et non obliviscantur operum Dei, H id est contemnant, sicut fecerunt perfidi Judæi, sed mandata ejus exquirant ut Christiani.

10 *Ne fiant sicut patres eorum :*
Generatio prava et exasperans.

H Hic notatur perfidia Judæorum, qui murmurabant semper in deserto contra Dominum. C Prava dicta : quia veritatem recipere noluerunt. H. Exasperantes : quia contra Dominum blasphemabant irritantes ad vindictam.

11 *Generatio quæ non direxit cor suum :*
Et non est creditus cum Deo spiritus ejus.

H Usque hodie perversus est Israel, et non est directus cum Deo Spiritus ejus, et quoniam non recepit Filium, propterea non recipit Spiritum sanctum. C Ille dirigit cor suum, qui ad divinas se corA rigit jussiones. A Illius vero Spiritus creditus est cum Deo, qui in Deum credit.

12 *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum :*
Conversi sunt in die belli.

C Ephrem vel Ephraim interpretatur frugifer : hic fuit filius Joseph junior, quem avus suus primario loco benedixit : ejus vero filii paterna benedictione crescentes (*Gen.* XLVIII), de fructu fidei corruerunt. Intenderunt arcum : cum admonente Moyse dixerunt, quæcunque locutus est Deus faciemus. Conversi vero sunt : quando Aaron dixerunt : Fac nobis deos quos adoremus (*Gen.* XXXII).

13 *Non custodierunt testamentum Dei.*
Et in lege ejus noluerunt ambulare.

C Non custodierunt testamentum Dei : ideo con-
B versi sunt in die belli.

14 *Et obliti sunt benefactorum ejus :*
Et mirabilium ejus quæ ostendit eis.

C Obliti sunt Judæi beneficiorum Dei et omnium signorum ejus.

15 *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti :*
In campo Taneos.

C Narrat enim facta miracula coram patribus eorum, id est Moyse, Aaron et aliis senioribus, ut et manifestis rebus constantius credere debuissent : et ideo etiam provinciam dixit et locum, ubi hæc facta sunt. Campus Tanis significat humile mandatum, quod in terris positus Christus docuit dicens : Discite a me, quia mitis sum et humilis (*Matth.* XI).

C 16 *Interrupit mare et perduxit eos :*
Et statuit aquas quasi in utrem.

C Ruptum est mare : quando in geminum latus permansit, ut non tam pelagus quam excisa rupes putaretur. Perduxit eos ad promissam, scilicet terram : statuit aquas, id est, ut sic staret unda immobilis : tanquam fuisset inclusa in vasis.

17 *Et deduxit eos in nube diei :*
Et tota nocte in illuminatione ignis.

C Nubes diei, mystice significat Dominum Christum : quia et ipse est verus dies, tamen perfidis celatus est nube carnis suæ. Et tota nocte : hic significat Christianos, quos custodit in nocte sæculi, claritate sui luminis.

18 *Interrupit petram in eremo :*
D *Et adaquavit eos velut in abysso multa.*

C Tunc interrupta est petra in eremo : quando percussit et fluxerunt aquæ ; ideo hoc, ut ostenderet universas creaturas ejus jussionibus obedire, prius aquas, hic petram. Adaquavit dixit : ut jumenta magis videretur significare, quam homines, qui tantis beneficiis gratias agere noluerunt. In abysso multa : copiam largissimæ undæ declaravit, quæ velut de abysso palagi, ita multa profluxit.

19 *Et eduxit aquam de petra :*
Et deduxit tanquam flumina aquas.

H C Petra hic significat Christum, in ligno crucis lancea percussum, de cujus latere sacramentum baptismatis profluxit.

20 *Et apposuerunt adhuc peccare ei :*
In ira concitaverunt excelsum in inaquoso.

C Apposuerunt, id est adjecerunt, ut inter tanta miracula non crederent. Peccare dixit non credere : quod nimis improbum constat esse delictum eis, qui de percep*tis gra*tias non retulerunt. In ira concitaverunt excelsum, qui tot miraculis irrigati, perfidiæ suæ sterilitate in eum credere nolebant : ut sic in inaquoso vel sicco, non tam locum ubi facta sunt miracula, quam mentem eorum significet.

21 *Et tentaverunt Deum in cordibus suis :*
Ut peterent escas animabus suis.

C Tentaverunt : tentare enim dicimus aliquid sermonibus dolosis postulare, ut videatur in verbis simplicitas, cum sit in corde malitia. Isti ergo animabus suis, non spiritales sed carnales escas, subdole poposcerunt.

22 *Et male locuti sunt de Deo :*
Dixerunt nunquid poterit Deus parare mensam in deserto ?

C Utique male locuti sunt, quia falsa, non credentes posse parare mensam in deserto, qui dat escam omni carni : sed mensa ista significat passionem, in qua reficimur esurientes.

23 *Quoniam percussit petram et fluxerunt aquæ :*
Et torrentes inundaverunt.

H Aquæ, mystice significant donum Spiritus sancti et fluenta divinæ prædicationis, a petra, hoc est a Christo prolata : vel aqua, apostolos : torrentes vero, reliquos Ecclesiæ doctores, ex quorum prædicatione sitim verbi Dei restringimus : vel Christo, qui est petra, percusso propter peccata nostra, fluxerunt aquæ baptismi et martyrii.

24 *Nunquid et panem poterit dare :*
Aut parare mensam populo suo?

H Diffidentia populi Judæorum addit : Nunquid et panem, etc., sed *et panem cœli posse sibi dari negantes, qui est Christus*, ita inquiunt : Quomodo potest hic nobis dare suam carnem ad manducandum? (*Joan.* VI.)

25 *Ideo audivit Dominus et distulit :*
Et ignis accensus est in Jacob : et ira ascendit in Israel.

C Deus enim cogitationes murmurationum, etiam fingua tacente, cognoscit : sed et vindictam distulit ideo, ne si vindicaret ad præsens, non crederetur potuisse murmurantes satiare. Iterum distulit vindictam, ut ostenderet patientiam. Et ignis accensus est in Jacob. Jacob, qui interpretatur supplantator, significat gentes, quæ supplantabant Judæos, quia illis intrantibus, illi expulsi sunt : in quibus accensus est ignis charitatis ; in Israel vero, id est populo Judæorum ascendit ira formidabilis.

26 *Quia non crediderunt : in + Deo :*
Nec speraverunt in salutari ejus.

C Dicit enim non credidisse eos in Deo suo : ut ostenderet eos pertinaces fuisse. Nec speraverunt in salutare ejus, id est in Salvatorem Dominum.

A 27 *Et mandavit nubibus desuper :*
Et januas cœli aperuit.

C Hoc quod sequitur, etsi per historiam videatur factum, oportet tamen ad Christum referri. Mandatum est igitur nubibus, id est prædicatoribus, ut per januas cœli, hoc est Scripturas sacras, prædicatio gloriosa adventum Salvatoris nuntiaret.

28 *Et pluit illis manna ad manducandum :*
Et panem cœli dedit eis.

C Manna interpretatur, quid est hoc ? quod sanctæ communioni corporis Christi decenter aptamus : quia dum admirando cibus assumitur iste, declarantur munera Dominici corporis Christi. Panis cœli Christus est, unde cœlestia escam spiritalem capiunt et delectatione inæstimabili perfruuntur.

B 29 *Panem angelorum manducavit + homo :*
Cibaria misit eis in abundantiam.

C Panis ergo angelorum bene dicitur Christus, quia videlicet ipsius laude pascuntur : verum hic panis, in cœlo replet angelos, nos pascit in terris. H Cibaria misit, ut jam non litteræ hordeo, sed spiritalis tritici dogmate satientur.

30 *Transtulit Austrum de cœlo :*
Et induxit in virtute sua Africum.

C Austrum enim et Africum ventos scimus esse meridianos : quibus flantibus, pigrum frigus expellitur, et aeris temperamenta præstantur ; sic et verba Domini, charitatis igne flagrantia, mundo salutarem præstiterunt temperantiam.

31 *Et pluit super eos sicut pulverem carnes :*
Et sicut arenam maris volatilia pennata. C

C Et pluit super eos carnes, id est pabula doctrinæ, unde fidelium animæ satiarentur. Pulvis hic significat subtilitatem intelligentiæ. Arena vero innumerabilem prudentiam significat, salsi maris sapore conditam. Sed pennata volatilia : cœlestia desideria, quibus anima velut carnibus repleta pinguescat. Arenam quoque maris dixit, quæ salsum saporem habet : nam est et fluviorum arena, quæ hunc saporem non habet. Vide itaque omnia ista, ad litteram nota, in parabolis dicta, dum ad Christum referuntur.

32 *Et ceciderunt in medio castrorum eorum :*
Circa tabernacula eorum.

C Castra enim a castitate dicta sunt, eo quod exercitus bellis occupatus, fœdo luxui non vacaret. Nobis autem significatur, quod intra septa sanctæ Ecclesiæ omnia superna munera possumus accipere, si expleri bona desideria nostra divino munere postulemus.

33 *Et manducaverunt et saturati sunt nimis :*
Et desiderium eorum attulit eis :
Non sunt fraudati a desiderio suo.

34 *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum :*
Et ira Dei ascendit super eos.

35 *Et occidit pingues eorum :*
Et electos Israel impedivit.

C Expleverunt desideria carnis, ratione jejuni, ventre pleni, sed mente vacuati. Fraus enim di-

citur, quasi fracta fides. Satiati sunt ergo ad suam ruinam, non ut inde viverent sed potius interirent.

C Adhuc escæ erant in ore, scilicet dum manna et coturnicum carnibus vescerentur (*Exod.* XXXII). Esca autem ab edendo dicta est. Tunc ira Dei ascendit : quando Dominus iratus Moysi dixit : Graviter peccavit populus iste vitulum conflando et adorando, nam eum colendo, mugituri erant in pœna, nam sequitur.

C Occidit pingues eorum, id est fortes Judæorum : propter peccatum vituli, quem fecit Aaron, occisi leguntur viginti tria millia eorum una die. Sicque factum est, ut electos Israel, pravitas peccantium impediret, ne venirent in terram promissionis. scilicet ipsum Moysen et Aaron.

36 *In omnibus his peccaverunt adhuc :*
Et non crediderunt in mirabilibus ejus.

H Peccavit adhuc ille populus, qui contra famulum Dei Moysen murmurabat : peccant quotidie iniqui, qui sacerdotibus Dei obedire contemnunt : et tandiu peccant, quousque deficiunt, et cum festinatione deficiunt.

37 *Et defecerunt in vanitate dies eorum :*
Et anni eorum cum festinatione.

C Dies eorum defecisse dicit, quasi tabe languida consumptos ; dies enim peccatorum cum festinatione transeunt, sicut legitur : Viri sanguinum et dolosi, non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV).

38 *Cum occideret eos quærebant eum et revertebantur :*
Et diluculo veniebant ad Deum.

C Non ipsi inquisierunt Deum, quos dicit occisos : sed exemplo talium populus reliquus supplicavit. Judaicus itaque populus tunc timuit, et exquisivit Deum, quando suos socios cernebat exstingui. Veniebant diluculo : H flagellati in peccatis revertebantur, et excusso infidelitatis somno, veniebant mane ut audirent verbum Dei.

39 *Et rememorati sunt quia Deus adjutor ✣ est : eorum :*
Et Deus excelsus redemptor eorum ✣ est :

C Memorati sunt : quando irascente Domino extrema castrorum divino igne consumpta sunt, quo facto, rogaverunt Moysen ut pro eis Dominum supplicaret (*Num.* XVI). H Intellexerunt nullum alium posse in tali periculo adjutorium ferre, nisi illum qui eos de servitute Ægypti liberavit.

40 *Et dilexerunt eum in ore suo :*
Et lingua sua mentiti sunt ei.

C Sic illis contingit qui se putant per solum timorem credere. Nam nisi Dominus metuatur, misto amore : toto corde non quæritur ; hoc enim peccatum est maximum, ut se dicat illi confiteri lingua, dum cordis ima dissentiant : quasi ille omnia non cognoscat, quæ aguntur in tenebris, qui scrutator est renum et cordium. H Dilexerunt autem ore, quando dicebant Moysi : Quæcunque præceperit Dominus faciemus.

41 *Cor autem eorum non erat rectum cum eo :*
Nec fideles habiti sunt in testimonio ejus.

C Nam et Dominus de ipsis per Isaiam dicit : Populus hic labiis me honorat, cor autem ipsorum longe est a me (*Isai.* XXIX). Fidelis est in testimonio Dei, qui eum veraciter diligit : fides autem dicta est ab eo quod fiant dicta.

42 *Ipse autem ✣ est misericors et propitius fiet peccatis eorum :*
Et non disperdet ✣ eos.

H Ipse autem est misericors : dum enim exspectat pœnitentiam, non statim punit delinquentem, quoniam peccatoris non vult mortem, sed conversionem (*Ezech.* XVIII).

43 *Et abundavit ut averteret iram suam :*
Et non accendit omnem iram suam.

C Abundavit : quando oravit pro Judæis in cruce positus, Pater, ignosce illis (*Luc.* XXIII) : sic istius supplicatione actum est, ut ita Dei in eis placaretur : propitius enim peccatis eorum factus est, cum ad ipsius satisfactionem in cruce, non quidem omnes, sed multi ex his redire meruerunt.

44 *Et recordatus est quia caro sunt :*
Spiritus vadens et non rediens.

H Scit enim Deus, quia caro semper resistit legi Dei. C Caro autem dicta est, quod chara sit animæ suæ. Spiritus vadens et non rediens (subaudiendum est) in hoc mundo : quoniam ad suum eum corpus in resurrectione constat esse rediturum ; unde mirabili brevitate hic hominis mors temporalis definitur, id est spiritus vadens et non rediens.

45 *Quoties exacerbaverunt eum in deserto.*
In ira concitaverunt eum in inaquoso.

H Incredulitate utique atque ariditate cordis sui exacerbaverunt in deserto.

46 *Et conversi sunt et tentaverunt Deum :*
Et sanctum Israel exacerbaverunt.

H Conversi sunt, scilicet retrorsum et acerbabant sanctum Israel, id est Moysen, qui Deum videbat mente et oculis : sed et nunc eum exacerbant, cum audierint quod Christum Dominum in carne nasciturum annuntiat.

47 *Non sunt recordati manus ejus :*
Die qua redemit eos ✣ de manu tribulantis.

C Recordari enim dictum est, revocare ad cor. Manus ejus, id est beneficiorum Domini, H qui eos liberavit de manu Pharaonis, qui figuraliter diabolum significat.

48 *Sicut posuit in Ægypto signa sua :*
Et prodigia sua in campo Taneos.

C Thaneos enim civitas est Ægypti, ubi sunt facta prodigia quæ leguntur. Prodigia vero dicta quasi porro dicentia, id est quæ præfigurabant esse aliqua ventura : omnes enim plagæ illæ aliquid significabant.

49 *At convertit in sanguinem flumina eorum :*
Et imbres eorum ne biberent.

C Hinc prima plaga inchoat Ægyptiorum : nam sicut aqua in vinum conversa legitur (*Joan.* II.)

quæ significat permutationem populorum in melius, ita hic, conversa in sanguinem, significat populum Judaicum in deterius permutatum. Imbrem dicit cœlestem prædicationem : quam similiter ait in sanguinem versam, ut eos qui spiritaliter intelligere deberent; intelligere carnaliter ostenderet, quomodo enim spiritaliter intelligerent, qui erant carnalibus sensibus occupati?

50 *Misit in eos cœnomyiam et comedit eos :*
Et ranam et disperdidit eos.

H In cœnomyia cynicorum sectam indicavit, quæ libidinem atque luxuriam summum prædicat bonum. C Rana est loquacissima vanitas hæreticorum : quæ commorata cœnosis sensibus, improbis clamoribus garrire non desinit.

51 *Et dedit ærugini fructus eorum :*
Et labores eorum locustæ.

C Ærugo est amor turpis, honestatem consumens, imminutione occulta. Locusta est malevola detractio, actus alienos invida oblocutione corrodens.

52 *Et occidit in grandine vineas eorum :*
Et moros eorum in pruina.

C Grando est comminatio Dei, qua verberat contumaces. Pruina : præcurrens anticipansque malitia, quæ labores alienos pervenire ad fructum non permittit.

53 *Et tradidit grandini jumenta eorum :*
Et possessionem eorum igni.

H In grandine, castigatio divina monstratur. C Morte pecudum stultorum significatur occasus. H Ab hac autem grandine et hæc jumenta occiduntur, ut eorum insipientia arguatur, qui divinum nomen bestiis indiderunt. C Ignis quoque immittitur, ut illuminentur corda credentium, et vitia depascantur. Sicut ait Dominus : Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? (*Luc.* XII.)

54 *Misit in eos iram indignationis suæ.*
indignationem et iram et tribulationem :
Immissionem per angelos malos.

C Ordo vindictæ verissima descriptione narratur. Prius enim Dominus peccatis hominum irascitur, quando nulla compunctione convertuntur : ac deinde malitiam hominis in sua indignatione et ira et tribulatione derelinquit, et postremo nudati defensione divina in prædam cadunt diaboli. Constat enim cuncta quæ creata sunt, Creatoris permissioni aut imperio subjacere. Dicit vero immissionem illam malorum, factam per angelos malos, scilicet indignationem, id est, tumorem superbiæ, iram audaciæ, tribulationem desperationis. H Ut qui divinis plagis non arguebantur, diabolicis insidiis tunderentur.

55 *Viam fecit semitæ iræ suæ : non pepercit a morte animarum eorum :*
Et jumenta eorum in morte conclusit.

H Viam habet divina ira, cum in peccati ultionem quis traditus, non liberat animam suam a supplicio gehennæ : vel cum insipientia (quæ jumentis est similis) in morte sempiterna concluditur. C Cum igitur dicit viam fecisse Dominum, qua possit ad vindictam infidelium pervenire, ostendit non posse ad eos venire vindictam, nisi fuerint Domini defensione privati : per mortem vero animarum, hominum intellige interitum eorum, qui in illa clade occisi sunt.

56 *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti :*
Primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

H Sicut hæc gesta in Ægypto referuntur, ita et Dominus principatus et potestates dæmoniorum, sive vitiorum, in hoc mundo delevit suo sancto adventu, et triumphavit in ligno sanctæ crucis, et ab eorum corde depulit : qui calliditati diabolicæ dediti erant, quia Cham *callliditas* interpretatur. C Per primitias vero omne primogenitum intellige : primitiæ quippe laborum ad totum pertinent quidquid humana possibilitas habere potuerat.

57 *Et abstulit sicut oves populum suum :*
Et perduxit eos tanquam gregem in deserto.

C Nam cum dixit oves et gregem, significat populum Christianum, qui in hoc sæculo tanquam in deserto pascitur, si mundanarum rerum desideria non sequatur : quamvis ad litteram Judæos in terram promissionis inductos, oves accipere possis; tamen quia in parabolis se locuturum dixit, Christianum populum his signatum, magis quam signum, intellectu amplecti debes; nam sequitur : Et eduxit, etc.

58 *Et eduxit eos in spe et non timuerunt :*
Et inimicos eorum operuit mare.

C Educti enim nos sumus in spe a terra Ægypti, id est a tenebris peccatorum, qui fidei lumen accepimus. Et inimicos operuit mare : cum nos abluebamur in baptismo, diabolus mergebatur in abysso cum ministris suis. Sic illis in figura omnia facta sunt (*I Cor.* X), ut ait Apostolus, quæ nostræ salutis indicia nuntiabant.

59 *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ :*
Montem quem acquisivit dextera ejus.

C Mons sanctificationis : sancta Ecclesia in latitudine fidei sublimata. Sive superna illa cœlestis Hierusalem, in quam populum Dei sua gratia Salvator introduxit. Ad litteram vero mons Sion, ubi circa quem templum fuit ædificatum, est mons sanctificationis.

60 *Et ejecit a facie eorum gentes :*
Et sorte divisit eis + terram in funiculo distributionis.

C Ejicit a facie nostra gentes, quando a nobis barbarici et immites fugantur errores : dividit terram, cum pro sua gratia unicuique beatam dederit portionem regni Dei : funiculus autem distributionis sic dictus est ab illis, qui terram tenso fune dividebant.

61 *Et habitare fecit in tabernaculis eorum :*
Tribus Israel.

C Mystice, tribubus Israel, id est videntibus Deum, dabit inhabitare tabernacula, quæ ante ruinam superbiæ adhuc innocentes angeli possidebant

62 *Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum :*
Et testimonia ejus non custodierunt.

C Nunc dicit contumaciam Judæorum, qui Dominum tentaverunt, et monita ejus non custodierunt : et quid eis irato Domino contigerit, ut talia inobedientes debeant exempla metuere.

63 *Et averterunt se et non servaverunt pactum : quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.*

H Averterunt se, quos nec virtus nec beneficia mollierunt divina ; sed sicut patres occiderunt prophetas, ita et isti ipsum Deum persequuntur (*Matth.* XXIII). C Arcus pravus : est malitia peccatorum, quæ non eminus vulnera jaculatur, sed in se magis spicula directa convertit ; quia dolosus dum nititur ingerere plagas, in se convertere potius suas probatur insidias. H Pravus enim arcus dicitur, qui jacula in tendentem se mittit, et dum contra inimicos sagittam putatur jacere, sauciat tenentem.

64 *In ira concitaverunt eum in collibus suis :*
Et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

C Colles, superbas et tumidas hominum cogitationes significant, quibus semper Dominus invenitur adversus. Ad æmulationem quoque eum provocabant, dum suum honorem idolis impendebant. H Relicto enim Deo servierunt idolis, adorantes etiam in montibus.

65 *Audivit Deus et sprevit :*
Et ad nihilum redegit valde Israel.

H Illos vero sprevit, qui tantum nomine et non visione Israel erant.

66 *Et repulit tabernaculum Silo :*
Tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus.

C Silo civitas erat, ubi arca Dei fuisse legitur constituta. Silo *avulsio* vel *dimissio ejus* interpretatur, et significat sacerdotium Judæorum a Deo reprobatum.

67 *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum :*
Et pulchritudinem eorum in manus inimici.

C Traditi sunt Judæi in captivitatem, quando ab Allophylis, id est Philisthæis, capta arca, sunt victi. Virtutem et fortitudinem, dicit arcam testamenti, per quam inter gentes videbantur invicti, et summa decoris laude esse præcipui.

68 *Et conclusit in gladio populum suum :*
Et hæreditatem suam sprevit.

C Consequens fuit ut populus gladio corrueret in ruinam, cui arcæ dignitas fuit ablata. Sprevit suam hæreditatem, quando pro scelerum suorum immanitate projecit populum quem elegerat.

69 *Juvenes eorum comedit ignis :*
Et virgines eorum non sunt lamentatæ.

C Ignem hic, iram bellantium debemus advertere. Lamentare, vacantis est : nam cum omnes imminentia pericula formidarent, nulli licuit alterius funeri justa persolvere. Lamenta enim dicta sunt intra lares monumenta, sicut antiquis mos erat sepelire.

70 *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt*
Et viduæ eorum non plorabantur.

C In ipsa igitur captivitate filii Heli sacerdotis, ab Allophylis leguntur gladio exstincti : quorum unius uxor vidua facta, post subitum partum morte præventa est (*I Reg.* IV) : et ita contigit ut minime ploraretur, dum universos interitus communis occuparet, licet et id aliis multis accidisse non dubitaretur.

71 *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus :*
Tanquam potens crapulatus a vino.

C Excitatur enim Dominus ad vindictam, nostris malis actibus provocatus ; cujus patientia dormitasse credebatur. Resurgens etiam Dominus a mortuis, tanquam vino passionis crapulatus. Ad litteram autem : crapulati et ebrii vino irasci consueverunt dum excitantur, et fortes se exhibere ; ita per similitudinem de Deo dictum est.

72 *Et percussit inimicos suos in posteriora :*
Opprobrium sempiternum dedit illis.

C Percussit Allophylos in posteriora, ut etiam vivi, a soricibus exsecrabili sorde roderentur (*I Reg.* V) : quod opprobrium permanet eis sempiternum. Sic peccatores in posteriora percutit, quando eis sua debita non relinquit ; et quasi a soricibus consumuntur, dum eos diaboli cohors inimica vallaverit.

73 *Et repulit tabernaculum Joseph :*
Et tribum Ephrem non elegit.

H C Hic reprobatio Judæorum atque hæreticorum, et electio narratur sanctæ Ecclesiæ. C Joseph interpretatur *augmentum*, quod hic in contrarium accipiendum est, quia constat esse repudiatum ; Ephrem *frugifer*, seu *ubertas*.

74 *Sed elegit tribum Juda :*
Montem Sion quem dilexit.

C Juda interpretatur *confitens*, sive *glorificans*. Illam tribum merito diligit, quæ et confessione fuit humilis et conversione laudabilis. H C Mons, significat sanctam Ecclesiam.

75 *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum :*
In terra quam fundavit in sæcula.

H Unicorni singularis potentia dicitur, H C et unicam Christi Ecclesiam, quam fundavit in sæcula, significat.

76 *Et elegit David servum suum : et sustulit eum de gregibus ovium :*
De postfetantes accepit eum.

H C David (interpretatur *manu fortis*, sive *desiderabilis*) Christum significat, ex populo Judæorum, velut de gregibus ovium, desumptum atque translatum ad populum pascendum Ecclesiæ. H Vel, qui de grege mortalium electus et sublevatus est, C et acceptus de post fetantes, id est, de loco qui est post fetantes, id est fecundas et fetosas oves, quia Christus pastor est ovium fecundarum, spiritualique gratia multos filios generantium in sancta fide et

ecclesia : pastor quippe sequitur oves, ideo dicitur post fetantes, non ante.

77 *Pascere Jacob servum suum :*
Et Israel hæreditatem suam.

℣ Possumus per Jacob intelligere populum Christianum, qui hic degit in terris, ℍ et supplantat vitia et carnalia desideria. ℣ Hæreditatem vero Israel futuram congregationem, quæ Domini contemplatione pascenda est.

78 *Et pavit eos in innocentia cordis sui :*
Et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

℣ Pavit enim Præceptor egregius, quos docere dignatus est, sicut ipse dixit : Non in solo pane vivit homo (*Matth.* IV). Intellectus vero manuum, actualem significat sanctitatem, ad quam fideles suos (prout ipse tribuit) gloriosa imitatione perduxit.

ORATIO EX PSAL. LXXVII.

Refice nos mannæ spiritalis alimento, opulentissime largitor Omnipotens, ut in sensum manuum tuarum directi, mereamur in monte tua acquisitum dextera, gloriari. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS LXXVIII.

ARGUMENTUM PSAL. LXXVIII.

℣ Vox Judæorum dicentium, quanta in persecutione Antiochi vel gentium pertulerint, Deique potentia supplicantium correctionis voto vindicari. ℍ Quæ tamen persecutio ad animam, quæ sæpe civitas scribitur, referenda est.

TT. *Psalmus Asaph.*

℣ Asaph significat *synagogam;* est ergo totus iste psalmus in lamentatione positus, qui futura tempora velut præterita deplorat. Deplorat vero Antiochi persecutionem, tempore Macchabæorum factam, tunc futuram, sed in spiritu prophetico quasi præteritam, propter certitudinem eventus.

1 *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuum :*
polluerunt templum sanctum tuum :
Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.

ℍ Propheta de persecutione gentilium adversus Ecclesiam Dei (quæ est hæreditas ejus), sive Hierusalem, dicit : Deus, etc. ℣ Gens enim dicta est, quod uno sit genere procreata. Polluerunt, cum impiæ gentes in sanctissimis Hierusalem et templi locis simulacra nefanda posuerunt. ℍ Sicut enim poma, cum maturescere cœperint, diligentius custodiuntur maturaque facilius devorantur, ita adversarius conscientem sibi animam custodit, donec ad plenum eam valeat devorare. Est enim Dei hæreditas anima sancta. In cujus figuram, terrenæ Hierusalem captivitatem deplorat Propheta.

2 *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli :*
Carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

℣ Dicendo Propheta : posuerunt morticina, martyres significat, qui in illa captivitate copiosa persecutione floruerunt, et elegerunt magis mori, quam cibis a Domino vetitis coinquinari. Sepelire, quia officium est pietatis, volatilibus ac bestiis abjicere magnæ crudelitatis constat exemplum.

3 *Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem :*
Et non erat qui sepeliret.

℣ Secundum litteram de populo dicit Judæorum, qui a gentibus non solum intra urbem, verum etiam circa muros civitatis est interemptus, quatenus officium sepulturæ nullus implere valuisset, dum par conditio omnes tam circa muros quam in corde civitatis involveret. ℍ Hæc quidem ante Christi adventum in Hierusalem acta sunt, sed passionem infantium figurarunt, ubi et carnes eorum bestiis et volucribus expositæ sunt, id est persecutoribus, et tanta sanguinis multitudo effusa est, ut vix omnium possent corpuscula sepeliri.

4 *Facti sumus opprobrium vicinis nostris :*
Subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.

℣ Dicit enim Hebræos fuisse in opprobrium et in derisum, qui prius fuerant Domini devotione reverendi. ℍ Opprobium etiam fuit sanctis his qui prius fratres fuerunt; qui meliores factos odii stimulo persequuntur.

5 *Usquequo, Domine, irasceris in finem :*
Accendetur velut ignis zelus tuus ?

℣ Rogat enim pium judicem, ne usque in finem irascatur genti Judaicæ, sed ut incenderetur zelus illius in eis, sicut in Mathathia (*I Mach.* II) : qui zelo paternæ traditionis incensus, quemdam Judæum idolis immolantem supra ipsas aras occidit.

6 *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt :*
Et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.

℣ Effunde iram super adversarios Judæorum; indignationem tuam abundanter emitte, ut sicut illi nos comprimunt, ita tuis viribus opprimantur. Nec vacat quod ante dixit in gentes, postea in regna; prius enim populis imprecatus est, deinde ipsis regnis, quæ talia fieri imperabant.

7 *Quia comederunt Jacob :*
Et locum ejus desolaverunt.

℣ Dicendo enim comederunt, sævitiam impiæ gentis ostendit; comederunt vero significat comedi fecerunt, dum cadavera mortuorum ferarum morsibus exposuerunt. Locum desolaverunt, cum pulcherrimam civitatem civium suorum habitatione nudaverunt.

8 *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum cito anticipent nos misericordiæ tuæ :*
Quia pauperes facti sumus nimis.

ℍ Præveniat nos, quæsumus, Domine, misericordia tua, qui est Unigenitus tuus ut veniens propitietur iniquitatibus nostris, et eruat nos a peccatis; pauperes enim facti sumus in mundo propter illum. ℣ Confessione itaque delictorum propitium sibi reddit judicem, et qui timet judicium Domini, anticipari se ejus misericordia recte desiderat, pauperesque factos dicit nimis; paupertas est enim nobis

bonorum, et non habemus quid offerre justitiæ, si non incipiat vigor æquitatis inquirere.

9 *Adjuva nos, Deus salutaris noster :*
Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

C Bene ergo infirmitatem suam intellexit qui Salvatorem medicum totis viribus invocavit. Et utiliter subdit : propter gloriam Dei, non propter aliquod suum proprium meritum. Ideo enim Salvator dicitur, quia in se sperantes salvat, et imminentes pœnas peccatorum commutat in præmia.

10 *Ne forte dicant in gentibus : Ubi est Deus eorum ?*
Et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

H Gentes spiritualiter, potestates adversæ sunt, quæ invalescunt adversum nos, dicentes : Ubi est Deus vester ? sicut pagani martyribus sæpe dixerunt. C Et innotescat, subaudiendum est vindicta, quam solet Dominus de perfidis facere, quando eos cogit prava desideria damnare. Cum vero dicit, coram oculis, celeritatem postulat ultionis, ut videat fieri quod aliquando novit posse concedi.

11 *Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est :*
Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

H Judicium hic invocat, quo sanguis martyrum exquiratur a Domino. Compeditos apostolos accipe, qui propter Christum colligati in carcere sunt (*Act.* v), et in exsilio sunt damnati. C Vel illos dicit, quos pro nomine Domini vinxerat irreligiosa gentilitas. Non autem amari cordis vindictam intelligas petitam, sed eam quæ ad conversionem respicit inimici. Est autem vindicatio, per quam jus ab injuria justa retributione defenditur.

12 *Secundum magnitudinem brachii tui :*
Posside filios mortificatorum.

H Filii mortificatorum, spiritualiter sunt fideles populi, per apostolorum prædicationem in Christo regenerati. C Vel, filii eorum, qui pro ejus religione morte puniti sunt, pro quibus orat Propheta ut parentum virtute proficiant, et ita eos Dominus possideat ne diaboli virtute seducantur.

13 *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum :*
Improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi, Domine.

C Non contra illos, sed pro illis rogat Ecclesia. Nam afflictio corporum salutem tribuit animarum. Septuplum, perfectionem significat cœlestis doni, quod accipimus, quando Spiritus sancti illuminatione complemur. Improperium, ut quia injurias fecerunt, dicant laudes nunc ; fuerunt incredduli, sint devoti ; exstiterunt superbi, fiant humiles. In sinu vero eorum, in animas eorum et animarum secreta intellige, ubi semper fit gloriosa conversio.

14 *Nos autem populus tuus et oves pascuæ tuæ :*
Confitebimur tibi in sæculum.

H Propter innocentiam autem, oves vocantur fideles, vel quia Christum pastorem habent. C Recte vocantur oves, qui ejus gloriam confitentes, in fidei firmitate permanserunt.

15 *In generatione et generatione :*
Annuntiabimus laudem tuam.

H In generatione, id est in propoetus ; et generatione, hoc est in Evangeliis, semper annuntiabuntur laudes Christi. C Vel in generatione ista hic Ecclesiæ, et generatione cœlesti in patria, cum omnibus beatis æternaliter laudabimus te.

ORATIO EX PSAL. LXXVIII.

Anticipa nos, Domine, misericordia tua, priusquam zelus iræ desæviat, ut adjuti patrociniis beatorum, quorum propter te sanguis effusus est, propitationem tuam cum peccatorum venia consequamur. Per Dominum nostrum, etc.

PSALMUS LXXIX.

ARGUMENTUM PSAL. LXXIX.

C. Vox Prophetæ de adventu Christi, et de vineæ, id est Ecclesiæ, dilatatione.

TT. *In finem pro his qui commutabuntur testimonium Asaph psalmus.*

C Finis legis Christus est. Asaph interpretatur *colligens*, et significat Christum et Ecclesiam. A quo omnes in fidem collecti immutantur, scilicet de pejoribus ad meliora, de vetustate ad novitatem vitæ (*Rom.* x).

1 *Qui regis Israel, intende :*
Qui deducis velut ovem Joseph.

C Recte igitur dicitur regem cœli regere Israel, quia ipsos propitius regit, qui eum puro corde respiciunt. Intende, ac si diceret : Super nos lumen tuæ pietatis infunde. Joseph, fidelem populum dicit, qui sic in caulam Dei deducitur, quasi oves ad pascua congregentur.

2 *Qui sedes super Cherubim, manifestare :*
Coram, Ephraim Benjamin et Manasse.

C Cherubim *plenitudo scientiæ* interpretatur, in qua Christum sedere manifestum est. Rogat, dum dicit manifestare, ut beneficio sanctæ incarnationis appareat. Ephraim vero interpretatur *fructificatio ;* Benjamin, *filius dexteræ ;* Manasses, *oblitus.* Has virtutes constat inesse Salvatori. Fructificavit nobis, quando surrexit ; filius dextræ, id est omnipotentis Patris ; oblitus dicitur, quando injuriarum suarum in cruce positus oblitus est, pro persequentibus orans (*Luc.* xxiii).

3 *Excita, Domine, potentiam tuam et veni :*
Ut salvos facias nos.

C Deprecatur tanto studiosius quanto novit maximam utilitatem nobis Domini incarnatione futuram, ut excitet potentiam, id est, ut veniat ad peccata humani generis abluenda. Quæ enim preces, vel quæ vota sufficiant illud expetere quod mundum possit a sua impietate salvare ?

4 *Deus, converte nos, et ostende faciem tuam :*
Et salvi erimus.

C Postulat enim se magnopere converti, quia se noverat esse distortum. Ostendit faciem Pater manifestatione Filii, cum ait : Ipsum audite (*Matth.* vii) ; in quo et salvati sumus, ideo dicit, et salvi erimus ;

vel ostendit, cum incarnavit. Nemini vero ostendit Deus faciem, nisi converso.

5 *Domine Deus virtutum :*
Quousque irasceris super orationem servi tui ?

C Juste Deum virtutum vocavit, qui solus prævalet de morte incredulitatis liberare. H Non irascitur Deus, si justitiam petamus ; sed putat conscientia delicti ob orationem nostram Deum irasci. C Et iratum Propheta credebat, quoniam humano generi subvenire tardabat ; ex quo innotescit pietas, et magnum desiderium Prophetæ.

6 *Cibabis nos pane lacrymarum :*
Et potum dabis nobis in lacrymis in mensura.

C Panis enim lacrymarum, vita est plena doloribus ; sed tamen in ea miseratione Dei cibamur, quando cladibus et ærumnis non exstinguimur, sed potius erudimur. Nullum itaque tempus a lacrymis ostendit posse esse vacuum quibus et ipsa refectio erat ploratio. In mensura, vero in distributo modulo dicit, ostendere volens illud Apostoli : quod Deus supra vires nostras tentari nos et vexari non permittit (*I Cor.* x).

7 *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris :*
Et inimici nostri subsannaverunt nos.

C Contradictio illa gentilis erat, quæ adversum prædicatores Christi pravis concionibus erigebatur. H Subsannabant inimici (id est hæretici) doctores Christi : similiter Judæi et infideles omnes, qui in circuitu Ecclesiæ obstrepunt, nosque impugnant.

8 *Deus virtutum, converte nos : et ostende faciem tuam.*
Et salvi erimus.

C Repetit versum, quia desiderantis mos est ea repetere quæ desiderat magnopere advenire. Ipsa est ergo facies, id est potentia Christi, per quam laqueos mortis evasimus ; ipsa denique quæ dignis et confitentibus cœlorum regna largitur.

9 *Vineam de Ægypto transtulisti :*
Ejecisti gentes et plantasti eam.

C Vineam dicit Hebræorum gentem, quam positam in typo constat Ecclesiæ. Vinea autem a *vitibus* dicta est ; hanc ex Ægypto deduxit magnis miraculis, et (expulsis gentibus, hoc est Amorrheis cæterisque finitimis eorum) tanquam mirabilis agricola eam plantavit. Per hanc autem, Ecclesia, ut dixi, intelligitur, quæ hic in sanctis optimos fructus affert, qui tribulationibus pressi, saporem dulcem emanant, et passionum sarculo fossi et putati, sicut vites, multiplicantur. Sola enim hoc proprium habet Ecclesia, ut persecutionibus crescat.

10 *Dux itineris fuisti in conspectu ejus :*
Et plantasti radices ejus, et implevit terram.

C Dux est Christus sanctæ Ecclesiæ Dei. Radices ejus sunt prophetæ cœlestis regis operatione plantati ; ex quibus illa felices palmites tendens, universum mundum, quasi amœnis fidei umbraculis, occupavit. Hoc est quod titulus dicit, de commutatis Judæis, ut vineam Judaicam commutatam intelligas in Christianam ; et quæ de Judaica hic dicuntur, impleta intelligas in vinea Christiana.

11 *Operuit montes umbra ejus :*
Et arbusta ejus cedros Dei.

H Hos Ecclesia protegit, qui in ejus esse gremio comprobantur, id est patriarchas et diversos doctores et apostolos. C Istos enim operit, quos nutrit, quoniam ejus umbra fructificat, et amplius facit crescere quos magis tegit. Unde cedros Dei, id est martyres, qui in Ecclesia inter altissima cacumina constituti sunt, ipsa quoque protegit Ecclesia.

12 *Extendit palmites suos usque ad mare :*
Et usque ad flumen propagines ejus.

C Palmites significant discipulos Domini, quibus ipse dixit : Ego vitis, vos palmites (*Joan.* xv). Mare, omnium gentium sanctissimam credulitatem. Extendit vero dicit, quoniam ab Hierosolymis hæc prædicatio in cunctas partes mundi extensa est. Propagines, filios regenerationis dicit, qui a flumine Jordane manaverunt, ubi Dominus baptizari dignatus est in exemplum nostræ salutis.

13 *Utquid destruxisti maceriam ejus*
Et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam.

C Nunc de vinea prima, id est Judææ gentis, miratur cur eam Deus dereliquerit, et ejus munitio eversa fuerit, id est, Dei defensio ablata. H Tunc enim munitio synagogæ deposita est, cum ei cæcitas contigit, donec plenitudo gentium subintraret (*Rom.* xi). C Vindemiant eam, id est, diripiunt qui prætergrediuntur, id est gentes, quæ viam, id est Christum, pertranseuntes, in idolorum sacrificiis jugiter permanebant. Quod etiam Isaias prædixit dicens : Destruam maceriam ejus, et erit in direptionem, etc. (*Isai.* v).

14 *Exterminavit eam aper de silva :*
Et singularis ferus depastus est eam.

C Aprum hunc Vespasianum principem Romanorum nonnulli intelligunt. Aper, dictus est ab eo, qui in locis asperis commoratur. Singularem autem ferum, Titum ejus filium memorat. H C Spiritualiter autem, aprum singularem, dic diabolum, qui de silva gentilium egressus, plebem Judaicam exterminavit propter incredulitatem.

15 *Deus virtutum, convertere :*
Respice de cœlo et vide et visita vineam istam.

C Petit hic Asaph ut supplices Judæos suos operis Agricola serenus aspiceret, et periclitantibus subveniret. Visita, adventum sanctæ incarnationis expostulat, ut præsente Cultore, vinea plantata proficiat. H Dicit igitur : Domine, Deus virtutum, convertere ab ira tua, et converte synagogam ad Ecclesiam.

16 *Et perfice eam quam plantavit dextera tua :*
Et super filium hominis quem confirmasti tibi.

H Et perfice eam, scilicet Ecclesiam quam plantavit dextera vel virtus, hoc est, Filius tuus in resurrectione sua fundavit. Et super filium hominis, id est filium Virginis, quem tibi confirmasti ac devicta

morte in tua dextera collocasti. H Perfice ergo eam, in vera fide, super te et Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum fundatam vineam, quem confirmasti tibi.

17 *Incensa igni et suffossa :*
Ab increpatione vultus tui peribunt.

C Incenditur igne aliquis cupiditatis, quando crimen nefandum commiserit. Effossa vero manu sunt, cum per operationem sceleratam aliis præparamus insidias, et decipere volumus nescientes, dum nos magis in ipsam foveam corruamus. Hæc ergo peccata peribunt ab increpatione vultus Dei, dum dicit : Ite in ignem æternum (*Matth.* XXV). H Vel incensa et suffossa, Synagoga est non credens.

18 *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ :*
Et super filium hominis quem confirmasti tibi.

C Fiat manus tua, id est, operatio sancta ad effectum promissa perducat. Filius hominis, ipse Christus est, qui etiam dextera Patris est, et confirmatus apud homines, sicut dicit in Evangelio : Hic est Filius meus dilectus (*Matth.* XVII). Operationem itaque sanctæ incarnationis exposcit.

19 *Et non discedimus a te :*
Vivificabis nos et nomen tuum invocabimus.

H Non discedimus, id est, si tibi fide adhæserimus, tunc pane illo, quem de cœlo misisti (*Joan.* VI), reficimur. C Et *ipsum* nomen invocabimus in oratione Dominica, H id est, eum cui dedisti nomen supra omne nomen (*Philip.* II). C Vel si miseris Filium incarnandum, non discedimus a te, qui tanto desiderio eum petivimus; et dum non discedimus, vivificabis nos, etc.

20 *Domine Deus virtutum, converte nos :*
Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

C In isto versu regulam totius religionis exponit, ubi primum est, ut nos Dominus convertat; deinde, ut ostendat faciem suam; tertio, ut salvos efficiat. Per istum quoque versum sub brevitate petimus quidquid nobis expedire monstratur.

ORATIO ET PSAL. LXXIX.

Visita, Domine, vineam tuam, quam de Ægypto tribulationum potenti dextera liberasti; ut respectu vultus tui vivificata, bonorum vitæ fructuum ubertate lætetur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS LXXX.

ARGUMENTUM PSAL. LXXX.

C Propheta fideles admonet ut multimodis vocibus Deum magnificent, et ne quisquam idola, sed solum Deum adoret.

TT. *In finem pro torcularibus Asaph ✠ quinti Sabbati.*

C Intentio tituli est ut, in finem, Christum designet; pro torcularibus, Ecclesiam; Asaph, congregationem fidelium; quinta Sabbati, baptizatos, nam quinta die ex aquis Deus animantia fecit, et in baptismo novus homo generatur.

1 *Exsultate Deo adjutori nostro :*
Jubilate Deo Jacob.

C Asaph iste, quem sæpe diximus synagogam, A populos commonet fideles, ut non desinant cum summa lætitia Deo laudes dicere, qui eos a sævis periculis dignatus est eripere. Deo adjutori nostro, contra fictitios deos gentilium dicit, qui juvare nec se possunt. Jubilare a *juvando*, id est delectando, dictum est. Jacob populum significat Christianum.

2 *Sumite psalmum et date tympanum ;*
Psalterium jucundum cum cithara.

C Psalmus enim ad divina verba pertinet intimanda. Et date *tympanum, id est operationes bonas. Addit : psalterium jucundum date*, id est, prædicationem sanctam cum cithara, id est carnis mortificatione vel operatione. Nam psalterium idem quod psalmus significat, et cithara idem quod tympanum.

B 3 *Buccinate in neomenia tuba ;*
In insigni die solemnitatis nostræ.

H Canebant Judæi tuba in Pascha, Pentecoste, et Scenopegia : nos præcipue in inchoatione evangelicæ prædicationis atque initio fidei, cum resurgimus in Christo, cum remissionem accipimus, et in dedicatione domus pectoris nostri, cum innovata fuerit post ruinam.

4 *Quia præceptum in Israel est :*
Et judicium Deo Jacob.

C Israel, populus electus, fide videns Deum; idem et Jacob, propter utramque plebem, ex circumcisione venientem et præputio. Christus enim utrumque fecit, et legem dedit, et judicium futurum suæ potestatis innotuit.

C 5 *Testimonium in Joseph posuit ✠ illud ; cum exiret de terra Ægypti :*
Linguam quam non noverat audivit.

C Joseph interpretatur *augmentatio ;* cujus nominis interpretatio testimonium est Hebræi populi, qui de terra Ægypti multiplicatus exivit. Et sicut ille per maris Rubri undas ejectus est, sic nos a terra Ægypti, id est, a vitiis carnalibus absoluti, regenerante sancta unda, renascimur. Et sicut illud mare fuit rubrum, ita aqua baptismi (quæ cum sanguine de latere Christi profluxit) rubra potest nuncupari. Audivit linguam, H C id est præcepta evangelica, quæ prius non novit.

6 *Divertit ab oneribus dorsum ejus ;*
Manus ejus in cophino servierunt.

D C Evertit Deus a dorso Christianorum opera peccatorum, quando felici humilitate prosternuntur. Cophinos dicimus, per quos sordium purgamenta abjicimus. Manus in ejs tenent, qui peccatorum immunditiis occupantur. Ab hac servitute liberamur, quando scelerum nostrum sordibus expiamur.

7 *In tribulatione invocasti me et liberavi te : exaudivi te in abscondito tempestatis :*
Probavi te apud aquam contradictionis. Diapsal.

H C Nunc introducitur persona Dei loquens ad populum. C Ipse enim nos de tribulatione liberat; ipse in abscondito angustiam nostræ tempestatis exaudit; sed probat nos in contradictionibus hæreticorum, qui resistentes, et voluntatem electorum mu-

tare conantes, velut venti flantes mentem concitant.

8 *Audi, populus meus, et contestabor te, Israel, si me audieris. Non erit in te Deus recens : Neque adorabis Deum alienum.*

C Ipse est populus Dei, qui nescit cum malis aliqua mistione morum confundi. Testificatur autem Deus, quando in futuro judicio unicuique dederit pro factorum suorum qualitate sententiam (*Matth.* XVI). Dixit quoque : Non erit in te Deus recens, ne Verbum Patris quisquam putaret esse sub tempore. Quoniam ipse est qui ante omne principium genitus de Patris substantia, æquali cum eo coæternitate consistit. Nec adorabis, ostendit ut pene par sit scelus, recentem Deum putare, et nefandis idolis servire.

9 *Ego enim sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti : Dilata os tuum et implebo illud.*

C Ego ipse, qui dudum eduxi te de terra Ægypti, nunc adveni per potentiam carnis, et educo de terra Ægypti, quando per regenerationis gratiam, a peccatis teterrimis liberabo te. Dilata os, id est, divulga et dissemina, confitendo vel admonendo quæ digna sunt auditu. H Vis comedere Dominum Deum tuum? dilata os tuum ; ipse hortatur nos ut eum comedamus. Quantum igitur dilataveris, tantum accipies. Si volueris, totum accipies ; si nolueris, saltem accipe partem. Totum accipit, qui omnia propter eum relinquens, sequitur eum.

10 *Et non audivit populus meus vocem meam ; Et Israel non intendit mihi.*

C Non audivit populus Judæorum, qui Christo Filio Dei credere noluit. H Ego sto ad ostium et pulso (*Apoc.* III) : volo ut aperias, et ingrediar, et aperire non vis.

11 *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum : Ibunt in adinventionibus suis.*

C Sequitur ultio digna peccatoris. Non enim dimittitur impunitus, qui a Domini defensione deseritur. Quia malorum omnium retributio est, tanta bonitate fraudari. Putat enim peccator genus esse beneficii, si suis voluptatibus permittitur expleri, cum in pœnam eorum dicat Apostolus : Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum (*Rom.* II). H Infelix qui a Deo non corripitur. Si quis peccans non percutitur, iste miser est ; ideo et illos dimisit, quia sæpe percussi, et disciplinam non receperunt.

12 *Si populus meus audisset me : Israel si in viis meis ambulasset.*

C Ideo suum dixit populum, quia ei legem dedit et miracula magna monstravit, ut culpa cresceret, cum in eum plebs electa peccasset. Ille autem ambulat in viis ejus, qui mandatis ejus non reperitur adversus.

13 *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem : Et super tribulantes eos misissem manum meam.*

C. Vide ergo, quod si Deo male agentes resistimus, ille nostris *non* contradicit inimicis, id est dæmonibus vel vitiis : sed tamen et justos quandoque tentari sinit. Sed justos sic tentari patitur, ut non deserat : impios autem tribulari permittit, ut se ab eis reddat alienum.

14 *Inimici Domini mentiti sunt ei : Et erit tempus eorum in sæcula.*

C Mentiuntur enim qui se bonis promissionibus obligantes, in pessimos iterum relabuntur errores. Addidit : in æternum erit tempus eorum, scilicet punitionis, quando illis dicitur : Ite in ignem æternum (*Matth.* XXV). H Inimici isti Judæi sunt, qui mentiti sunt, id est negaverunt Dominum. Et erit tempus conversionis eorum in sæcula, id est finem sæculi, quando omnis Israel salvabitur.

15 *Et cibavit illos ex adipe frumenti : Et de petra melle saturavit eos.*

C Adeps frumenti, sacramentum est corporis Christi. Quid enim adeps in frumento signat, nisi divinitatem in carne? Petra, Christus; mel, dulcedo ipsius, a quo omnes credentes prædicatione sancta satiantur ; sed perfidi jejuni fuerunt, qui auribus aggravatis, Christo obaudire noluerunt. Ad litteram : cibavit eos manna.

ORATIO EX PSAL. LXXX.

Dilata, Domine, supplicum ora, ad annuntiandum gloriam tuam, ut, Ægyptiis operibus retrorsum relictis, nominis tui confessione lætemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXXXI.

ARGUMENTUM PSAL. LXXXI.

C Propheta contra Judæos de Christi adventu loquitur, monens ut intelligant ipsum esse Christum, qui in assumptione carnis pauper esse videbatur.

TT. *Psalmus Asaph.*

C Asaph (quem pro significatione sui nominis in titulo constat appositum) contra Judæos, de Christi adventu, per totum loquitur psalmum, monens ut intelligant ipsum esse Christum, qui assumptione carnis pauper esse videbatur.

1 *Deus stetit in synagoga deorum : In medio autem deos dijudicat.*

C De corporali situ humanitatis Christi loquitur. Nam non potest dici a natura deitatis, stare vel sedere, qui nulla loci determinatione concluditur. Addit etiam deorum, ut evidentius de hominibus dictum adverteres, inter quos corporaliter habitasse cognoscitur Christus. H Deos appellat omnes præsides Ecclesiarum, quos Deus deorum non per alios, sed per semetipsum discernit ac judicat. C Vel apostolos et justos dicit deos, quos Deus dijudicat, id est discernit ab aliis. Possunt et angeli dii dici.

2 *Usquequo judicatis iniquitatem : Et facies peccatorum sumitis? Diapsalma.*

H Usquequo judicatis, Scribarum et Pharisæorum, sive quorumdam redarguit episcoporum pravitatem, qui personas accipientes, secundum faciem, et non secundum Deum judicant. *Ac si dicat* : Si

venerit pauper habens justum negotium, et iterum dives habens perversum, vos personam aspicitis non negotium ; judicium vero non consideratis, non causam, sed personas eorum qui causas habent.

3 *Judicate egeno et pupillo :*
Humilem et pauperem justificate.

℣ Admonet obnixius Judæos ut debuissent intelligere Christum, quem videbant, egenum propter nos factum et pauperem, cujus sunt omnia in cœlo et in terra. Pupillum, cui pater carnalis solatia non præbebat.

4 *Eripite pauperem : et egenum*
De manu peccatoris liberate.

℣ Commonentur hic ergo, qui manus suas in nece Domini minime polluerunt, ne desinant injuste traditum sceleratis eripere, qui paupertatem et indigentiam cum humanitate suscepit; ideo recte pauper dicitur et egenus.

5 *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant :*
Movebuntur omnia fundamenta terræ.

℣ Vera sententia est, quæ illos dicit non intellexisse auctorem luminis, qui in tenebris ambulabant, quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). Movebuntur fundamenta, signum dicit, quod in crucifixione Domini constat evenisse. Terra mota est, petræ scissæ sunt (*Matth.* XXVII). Sive quia illo tempore multi peccatores, id est terreni, viso tali miraculo, crediderunt, ut centurio.

6 *Ego dixi : Dii estis :*
Et filii Excelsi omnes.

℟ ℣ Videte qualis sit dignitas fidelibus dii vocari et filii. ℣ Omnes autem ejus filii vocantur, qui suis jussionibus acquiescunt. Iste ergo versus solos justos respicit.

7 *Vos autem sicut homines moriemini :*
Et sicut unus de principibus cadetis.

℣ Increpat etiam incredulos, qui mori potius per superbiam voluerunt, quam per obedientiam vivere. Dicendo autem : sicut homines, significat peccatores, qui nullo pretio sunt redempti, nec de peccatis liberi propter perfidiam. Unus de principibus significat diabolum, qui de cœlo projectus corruit, et pœnam suæ perversitatis invenit (*Apoc.* XII).

8 *Surge, Deus, judica terram :*
Quoniam tu hæreditabis ✣ *in omnibus gentibus.*

℣ Surge, dicitur illi, qui in sepulcro *triduanus* somno dormivit. Et judica eos, qui terrena sapiendo, merito terræ comparantur. Hæreditabis illam terram, scilicet quam beati possidebunt. ℟ Vel, hæreditabis per fidem, in omnibus gentibus, quia in omnem terram exivit sonus apostolorum (*Rom.* X) : et ex omnibus gentibus hæreditatem recipient in regno cœlorum.

ORATIO EX PSAL. LXXXI.

Da nobis, Domine, secundum præceptum tuum, ab iniquitatis judicio declinare, pauperumque necessitatibus subvenire, ut mereamur filiorum tuorum numero copulari. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXXXII.

ARGUMENTUM PSAL. LXXXII.

℣ Vox fidelium deprecantium ne a satellitibus Antichristi diutius Ecclesia torqueatur, sed cito eorum contumacia opprimatur.

TT. *Canticum psalmi Asaph.*

1 *Deus* ✣ *quis similis erit tibi* ⁝ :
Ne taceas neque compescaris, Deus.

℣ Quis enim similis erit ei, qui cœlum terramque, vel cuncta quæ in eis sunt, summa celeritate perfecit? quem vir iste contuebatur talem et tantum, et ideo, merito nullum ei similem esse profitetur. Ne taceas, in illo futuro adventu. Compescuit etiam virtutem suam, quando passus est, quasi reum se teneri et Pontio Pilato tradi. Ista in futuro judicio cessabunt, ubi potentia divinitatis elucescet

2 *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt :*
Et qui oderunt te extulerunt caput.

℣ Iste versiculus ad tempora Antichristi aptatur, quando inimici Dei tumultuosis seditionibus insonabunt. Sonuerunt vero dixit, et non ait, locuti sunt, ut eis negarentur verba hominum, qui voces rationabiles non habebant. Dicit extulerunt caput, dum capita potuisset dici; sed omnibus insanis unum est caput, Antichristus.

3 *Super populum tuum malignaverunt consilium :*
Et cogitaverunt adversus sanctos tuos.

Populus Dei est, qui præcepta veritatis toto nisu implere satagit. ℣ Addidit adversus sanctos, ut non solum mediocribus, verum etiam ipsis cœlestibus viris inferre conarentur exitium.

4 *Dixerunt : Venite, et disperdamus eos de gente :*
Et non memoretur nomen Israel ultra.

℣ Talem intentionem habebit Antichristus, ut Christianum nomen de orbe terrarum funditus deleatur, nesciens miser, quia, dum servos Christi necare cupit, sanctorum numerum assidua persecutione complebit. De gente significat populum Christianum, qui, quamvis ex pluribus gentibus sit collectus, unus tamen, quia de uno fonte baptismatis noscitur procreatus.

5 *Quoniam cogitaverunt unanimiter simul :*
Adversum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum et Ismahelitæ.

℟ O infelicitas! Non potest populus Dei tantum in bono habere concordiam quantum mali habent in malo. Videte ergo quid pugnet adversus sanctos. Tabernacula Idumæorum (qui *terreni* interpretantur), Ismahelitæ, qui *obedientes sibi* dicuntur, hoc est, quodcunque cor habuerit et mala cogitatio statim faciunt. ℣ Testamentum in Scripturis divinis, non illud solum dicitur, quod non valet nisi testatoribus mortuis, sed omne pactum et placitum, testamentum vocatur, etiam inter vivos.

6 *Moab et Agareni. Gebal et Ammon et Amalec :*
Alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

H Moab *ex patre* interpretatur, hoc est diabolo; Agareni, id est *advenæ*, scilicet populo Dei alieni; Gebal, *vallis vana* Ge dicitur *vallis;* bal, *vana*, quod est præsens mundus, in quo vanitas regnat. Ammon, *populus turbidus*, id est hæretici; C Amalec, *populus lingens*, id est fallaciter blandiens; H Alienigenæ, id est Philistini, qui dicuntur *cadentes potione*, hoc est qui inebriati sunt de calice diaboli. Tyrus dicitur *sor* Hebræa lingua, quod interpretatur *angustia animæ :* qui oppugnant populum Dei hi sunt. Sed videamus quem habeant principem. Sequitur enim :

7 *Etenim Assur venit cum illis :*
Facti sunt in adjutorium filiis Loth.
Diapsalma.

H Assur, pro ipso diabolo positus est. C Qui revera simul cum eis venit ad oppugnationem fidelium. H Loth *declinans* interpretatur; filii Loth, immundi spiritus. C Unde merito tale nomen in fine positum est, quod declinationem significaret : ac si diceret : Omnis hæc turba perditorum simul declinavit in malum; non est qui faciat bonum.

8 *Fac illis sicut Madian et Sisaræ :*
Sicut Jabin in torrente Cison.

C Madian, *declinans judicium ;* Sisara, *gaudii exclusio;* Jabin, *sapiens mundi;* Cison, *duritia eorum.* Qui omnes in torrente Cison et in Endor perierunt.

9 *Disperierunt in Endor :*
Facti sunt ut stercus terræ.

H Endor, id est *fons generationis*, scilicet carnalis, non baptismatis. C Facti sunt ut stercus terræ, dum cadavera eorum corporali putredine solverentur.

10 *Pone principes eorum sicut Oreb et Zeb :*
Et Zebee et Salmana.

H Oreb *foramen* interpretatur, in quod coluber ingreditur; Zeb, *lupus;* C Zebee, *victima*, H sive *hostia*, scilicet diaboli; Salmana, *perfectus in malitia.* C Hæc omnia exercitui aptat Antichristi. Qui nulla conversione salvandi sunt.

11 *Omnes principes eorum :*
Qui dixerunt ✣ *hæreditate* ⁘ *possideamus sanctuarium Dei.*

C Isti superius nominati dixerunt : Possideamus sanctuarium Dei, id est populum Christianum. H Sed non perfecerunt, quia Dominus pugnabat pro populo suo.

12 *Deus meus, pone illos ut rotam :*
Et sicut stipulam ante faciem venti.

C Impii enim dum mala cogitatione volvuntur, rotis fiunt similes, H non habentes ulla fundamenta in malis actibus. Sicut stipulam, C ut levitas peccantium, quasi vento meabili transferatur. Facies autem venti, præsentiam ejus significat.

A 13 *Sicut ignis qui comburit silvam :*
Et sicut flamma comburens montes.

C Ignem quoque et flammam, posuit tempus judicii, quando silvæ densissimæ peccatorum, et montes superbiæ concremantur. H Vel, silvam dixit steriles homines, qui frugibus carent. Sterilitas igitur pereat in eis, et superbia, quæ montium nomine significatur.

14 *Ita persequeris illos in tempestate tua :*
Et in ira tua turbabis eos.

C Ita persequeris eos, hoc respicit ad illa, quæ superius dixit : ut sic debeant exterminari, quemadmodum comparationem ante faciem venti commemorat. In tempestate, hoc est judicii tempore, quod tempestati merito comparatur. Primum, quia B improvisum est; deinde, quod subito fragore conturbat. Sæpe diximus iram divinitati non posse congruere, sed ab hominibus tractum est, qui quando sceleratos judicant, irato animo moventur.

15 *Imple facies eorum ignominia :*
✣ *Et quærent nomen tuum, Domine* ⁘.

C Nunc convertitur ad illos, qui sunt Domino crediturі; nam illorum facies impletur ignominia, qui peccatorum suorum non invenerunt laudatores, et statim quærunt invocare nomen Domini.

16 *Erubescant et conturbentur in sæculum* ✣ *sæculi* ⁘ :
Et confundantur et pereant.

H Pereant secundum hoc quod mali sunt, ut salventur in hoc quod bonum est. Perditio enim hæc, C non abolitionem sonat, sed salutem.

17 *Ut cognoscant quia nomen tibi Dominus :*
Tu solus Altissimus super omnem terram.

C Omnes enim cognoscent (sive ad mortem destinati seu ad vitam) omnipotentiam Dei : et quia ipse solus est Altissimus, dum ipsum cognoverint, et conversis parcere, et obduratos æterna ultione damnare.

ORATIO EX PSAL. LXXXII.

Discute a nobis, Domine, omnem superfluitatis errorem, ut, relictis gentibus vitiorum, te solum (qui super omnem terram Altissimus inhabitas) metuamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXXXIII.

D ARGUMENTUM PSAL. LXXXIII.

C Vox Ecclesiæ Deum vehementer desiderantis, beatum esse profitentis cui Dominus præstat auxilium.

TT. *In finem pro torcularibus. Filiis Core. Psalmus.*

C Tres sunt psalmi, qui pro torcularibus describuntur, scilicet octavus, et octogesimus, atque octogesimus tertius, et significat ad sanctam Trinitatem hoc mysterium Ecclesiæ pertinere, quod trini numeri repetitione sacratum est. Core *calvum* interpretari diximus, cujus nominis interpretatio denuntiat locum, ubi Christus crucifixus est : et ideo filii Core, Christiani vocantur. Ex quorum persona psalmus iste cantatur.

1 *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum :*
Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

H Multi desiderant possessiones, alii sæculi divitias, alii apparere in ecclesiis et gloriam habere; mihi solum hoc desiderium est : videre æterna tabernacula. Dilecta utique sunt, ubi congregatio virtutum est, non vitiorum. Concupiscit anima, hic est solus amor meus ac desiderium ut videam atria tua. C Deficit vero mens necessario in illud, quo directa ad præsens non valet pervenire. Considerabat enim ille cœlestia gaudia, sed ad ea e vestigio non poterat pervenire.

2 *Cor meum et caro mea :*
Exsultaverunt in Deum vivum.

C Hic advertendum est, quanta vir iste sanctitate fuerit præclarus : ut non solum ejus anima, verum etiam caro (quæ plus prævaricationis vitio probatur obnoxia) in exsultatione Dei, felici sorte proruperit, prævidens bona futuri sæculi, quæ confidebat se gratia Christi adipisci.

3 *Etenim passer invenit + sibi ⁝ domum :*
Et turtur nidum sibi, ubi reponat pullos suos.

C Passer est nimia velocitate celerrimus, habitans in foraminibus parietum, qui, dum habitationem invenerit, valde lætus exsultat; sic anima, dum in regno cœlorum mansionem suam senserit esse præparatam, gaudet. Turtur vero castissima avis est, qui una tantum est copulatione contentus, filiisque suis nidificare cognoscitur, et significat Ecclesiam, quæ, præter Christi Domini, alterius nescit habere consortium.

4 *Altaria tua, Domine virtutum :*
Rex meus et Deus meus.

C Altaria tua, ubi jungendum est quod in primo versu dictum est : quam amabilia sunt et dilecta sunt : ubi satietas semper magis incitat, nec beata esuries aliquando discedit. Rex a *regendo* dicitur, Deus vero a *creando*, quamvis et timorem nomen illud indicet.

5 *Beati qui habitant in domo tua :*
In sæcula sæculorum laudabunt te. Diapsalma.

C Qualis ergo illius sæculi ventura lætitia est, ubi datur copiose gaudere, et nunquam ab ea posse discedere, et sine fine Deum laudare?

6 *Beatus vir cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum :*
In loco quem posuit.

C Prodit hic labores colluctationesque difficiles, cum dicit, auxilium abs te. Et quia per liberum voluntatis arbitrium, Dei gratia adjutum, ascensio ista disponitur, adjecit : ascensus in corde ejus, quia, cum vicerit quis auxilio Dei libidinem, ascendit primum gradum; cum dominatus fuerit superbiæ, subit alterum; dum superaverit avaritiam, subit tertium, et tot gradibus evehitur quot vitiis fuerit absolutus. Vallis lacrymarum, humilitas est pœnitentis; locus quem posuit, regnum Dei significat futurum. Quem locum Deus posuit, ut mandata ejus custodientes, illic collocemur æternaliter.

7 *Etenim benedictiones dabit legislator : ibunt de virtute in virtutem :*
Videbitur Deus deorum in Sion.

H Legislator Christus est, qui dat benedictionem hic bene pugnantibus. Et ibunt de virtute in virtutem : qui hic fortes apparuerint, ibi robustiores fiunt. C Deus deorum dicitur, sicut Rex regum et Dominus dominantium. H Quanta lætitia est ire de virtute in virtutem, et hoc ipsum habere præmium ut Christum videre mereamur : Deum quippe videre infinita corona est. Non dicit autem : ibunt de imbecillitate in virtutem, sed de virtute in virtutem, quia nisi hic habuerimus virtutem, ibi majorem habere non possumus. Vis ibi coronari, hic pugna.

8 *Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam :*
Auribus percipe, Deus Jacob. Diapsalma.

C Deus virtutum, et Deus Jacob, ipse est Christus Jesus, qui inimicorum suorum esse clementissimus supplantator cognoscitur, quando eorum nequitias ad virtutum semitas facit pervenire directas. Dicitur vero Deus virtutum, quoniam ab ipso habemus ut eamus de virtute in virtutem, et ab ipso sunt solo omnes virtutes.

9 *Protector noster, aspice, Deus :*
Et respice in faciem christi tui.

H Respicit enim Pater in faciem Filii, quando in nos per suam gratiam respicere dignatur, quia Christus caput, nos membra ipsius sumus, et Christus in nobis est. Unde ipse ait : Qui vos recipit, me recipit (*Luc.* x). Et Apostolus : An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? (*II Cor.* XIII.) Quia itaque Christus in nobis est, in Christi faciem dicitur Pater respicere, cum in nos respicit, quia propter eum nos respicit.

10 *Quoniam melior est dies + una ⁝ in atriis tuis :*
Super millia.

C Dies ista æterna est, nec initium habet nec fine concluditur. H Una dies est perpetua, quia non habet noctem nec tenebras (*Apoc.* XXI). C Super millia, mundum istum significat, ubi millia dierum sustinet in finem, et ab uno illo vincitur, quidquid in istorum multiplicationibus aggregatur.

11 *Elegi abjectus esse in domo Dei mei :*
Magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

C Abjectus enim ille est, qui humana æstimatione habetur extremus; sed apud Deum honorabilis judicatur, qui propter nomen ipsius intra homines videtur esse despectus. Tabernacula peccatorum, vita præsens esse dignoscitur, vel gloria sæculi et pompa. H Volui itaque et elegi esse minimus in regno cœlorum magis quam in isto sæculo primus.

12 *Quia misericordiam et veritatem + diligit Deus ⁝ :*
Gratiam et gloriam dabit Dominus.

H Misericordia Dei est, quoniam ex peccatoribus efficit justos; veritas, quia non negavit justis præ-

mium. Promissam primo gratiam dat, cum peccator convertitur ad vitam; gratia enim dicta quasi *gratis data*. Dabit vero et gloriam, cum divino munere justificati, in futuro erimus consortes angelorum.

13 *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia :*
Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

C Ille enim est innocens qui nulli nocet : talis ergo non potest privari muneribus Christi. Domine virtutum, sub admiratione legendum est, id est, qui tanta facit quanta homines enarrare non possunt; beatus est quoque qui spem suam in æterna felicitate posuerit, H et qui se scit non offendisse Deum suum.

ORATIO EX PSAL. LXXXIII.

Tabernaculorum cœlestium fundator, æterne Deus, dispone, quæsumus, ascensus in cordibus nostris, quibus ad tua tabernacula mereamur sine lapsu peccati transcendere. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXXXIV.

ARGUMENTUM PSAL. LXXXIV.

C Deo Propheta gratias agit, quoniam de illa antiquitate Judaicæ nationis provenit populus ad culturam Domini Salvatoris, expetitque adventum Christi, in quo humana cæcitas fidei lumen accepit.

TT. *In finem filiis Core psalmus David.*

C Quid significat Core sæpe jam diximus. Hoc tamen hic commonere sufficiat, hunc psalmum dici C de illis, qui jam Domino Salvatori sincera mente crediderunt.

1 *Benedixisti, Domine, terram tuam :*
Avertisti captivitatem Jacob.

C Benedixisti terram, videlicet illam in tuo adventu, quæ in Adam multata est, id est, carnem quam dignatus est assumere, vel hominem. Per Jacob populum fidelem intellige qui liberatus est a captivitate diaboli, quando meruit Dei gratia salvari. H Vel, terram, id est beatam Virginem, vel peccatorem hominem, dum confitetur peccata sua, qui ante spinas et tribulos germinavit, postea, benedictione contritionis accepta, fructus affert pœnitentiæ.

2 *Remisisti iniquitatem plebis tuæ :*
Operuisti omnia peccata eorum. Diapsal.

C Remittere est debitum relaxare, non aliunde sed ex pietate, id est, non causæ alicujus interventu, sed mera pietate. Operuit vero peccata nostra, quando ad vindictam videre non voluit, sed indulsit, H vel virtutibus operuit.

3 *Mitigasti omnem iram tuam :*
Avertisti ab ira indignationis tuæ.

C Narrat culpas, quas in Dominum Judæorum perversitas exercuit. Ab ira se vertit, quando Judæorum interitum avertit, quando ad ægrotos medicus, et auctor salutis ad pestilentiæ plenos advenit; quod non solum ad unam gentem, sed ad beneficium totius orbis aptandum est. H Vel. hæc omnia supradicta A fecisti, dum Filium misisti incarnandum.

4 *Converte nos, Deus salutaris noster :*
Et averte iram tuam a nobis.

C Prius Propheta gratias egit pro præteritis peccatis dimissis, nunc rogat pro futuris, quia eos prævidebat in passione Christi magna scelera esse facturos : hoc dicit, converte, ut de persecutoribus defensores fiant, de blasphemis prædicatores, de contradictoribus discipuli.

5 *Nunquid in æternum irasceris nobis :*
+ Aut. : extendes iram tuam a generatione in generationem?

C Duas generationes ponit. Prima est, ut quibusdam placet, ab Adam usque ad Christum. Secunda, a Christo usque ad finem sæculi. Petit ergo, ut B quia priori generationi pro sua culpa juste irascitur Dominus, ne secundæ generationi item velit irasci et perpetua eam damnatione percellere.

6 *Deus, tu conversus vivificabis nos :*
Et plebs tua lætabitur in te.

C Ideo vivificabis nos, quia promittis conversionis votum, ut ad introitum vitæ pervenire possimus. Quod cum donaveris, tunc plebs illa pro spe lætabitur in te, quæ infeliciter gaudebat in se.

7 *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam :*
Et salutare tuum da nobis.

C Misericordia Patris, Salvator est, quem sibi, illustratione sacræ fidei, beata cohors poscebat ostendi. Addit, da nobis, ita scilicet ut in mente nostra cœlesti dono ita recipiatur, ut nullis tentationibus auferatur.

8 *Audiam quid loquatur + in me : Dominus Deus.*
Quoniam loquetur pacem in plebem suam.

C Intus enim loquitur Dominus, id est Spiritus sanctus, ut Psalmista foris fari posse videatur; intrinsecus audit, ut extrinsecus audiatur. Pax Dei, Christus est, quem locuturum dicit plebi suæ, id est sanctis, qui Deo probabili conversatione placuerunt.

9 *Et super sanctos suos :*
Et in eos qui convertuntur ad cor.

C Convertitur ad cor, qui relictis peccatis ad pœnitentiam se erigit, et felicia eligit Christi subire servitia, mundi pestifera libertate derelicta. H Con- D vertitur etiam ad cor, qui legem non corporaliter sed spiritualiter intelligere conatur.

10 *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius*
Ut inhabitet gloria in terra nostra.

C Judæi quamvis soli (accepta lege) vero Deo viderentur devoti, tamen carnaliter omnia facientes, diversis eum culpis irritabant. Ideo non vere dicti sunt timere, sed prope timere, qui legem ipsius carnaliter non spiritualiter acceperunt; et quamvis tales fuissent, tamen Dominus Salvator de ipsorum elegit carnaliter gente procreari, et versabatur gloria in terra illorum, id est Christus miraculis coruscans.

11 *Misericordia et veritas obviaverunt sibi :*
Justitia et pax osculatæ sunt.

℣ Christo enim præstante, duo testamenta in unius copulationis seriem adducta sunt. In novo enim misericordia est, in qua liberamur; in veteri veritas, ubi prophetarum annuntiatio verá continetur. Quæ sibi obviaverunt ad gratiam promissam perfectionis implendam. Osculatæ sunt pax et justitia, quæ idem significant; quod misericordia et veritas osculatæ sese sunt, id est in unam venerunt amabilis sententiæ concordiam. Qui amoris amplexus fieri solet, quando causa dilectionis homines, se post longum tempus videntes, osculantur.

12 *Veritas de terra orta est :*
Et justitia de cœlo prospexit.

℣ Veritas de terra orta est, quando ex Maria virgine Verbum caro factum est. Justitia prospexit : quando humano generi periclitanti Filius Dei subvenit. ℍ Justum enim erat ut Salvator misereretur populo suo.

13 *Etenim Dominus dabit benignitatem :*
Et terra nostra dabit fructum suum.

℣ Iste versiculus convenienter aptatur ad humilitatem pœnitentis; dat enim sua benignitate Deus affectum et amorem confessionis, id est imbrem lacrymarum, ut caro nostra, piis fletibus irrigata, fructum possit afferre pœnitentiæ. ℍ Vel Maria (quæ dicitur terra nostra, quia caro nostra) dedit fructum suum, et justum fructum dedit ; ideo ait : Justitia ante eum ambulabit.

14 *Justitia ante eum ambulabit :*
Et ponet in via gressus suos.

℣ Justitia enim ambulavit ante eos, quando, malorum suorum veritate recognita, remitti sibi humiliter petunt quod peccando perpetraverunt; tunc vere ponunt in via, id est in Christo, gressus suos, qui ante erraverunt in semitis detestabilibus.

ORATIO EX PSAL. LXXXIV.

Remitte, Domine, iniquitatem plebis tuæ; et ostende nobis misericordiam tuam, quæ nos in viam pacis, justitia præcedente, perducat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium, etc.

PSALMUS LXXXV.

ARGUMENTUM PSAL. LXXXV.

℣ Oratio Christi ad Patrem pro se, suisque membris quorum ipse caput est.

TT. *Oratio ✣ ipsi ⁝ David.*

℣ Oratio dicitur quasi *oris ratio :* per totum istum psalmum orat Christus ad Patrem pro se suisque membris, quorum ipse caput est.

1 *Inclina, Domine, aurem tuam :*
✣ Et ⁝ exaudime : quoniam inops et pauper sum ✣ ego ⁝

ℍ Juxta fragilitatem corporis assumpti, ad Patrem fundit orationem. ℭ Aurem, non istam corpoream, sed auditum illum spiritalem dicit, quo petentium vota cognoscit. Dicendo vero egenum esse et pauperem, conditionem quam susceperat humanitatis ostendit. Egenus etiam et pauper est, quisquis meruerit mundi istius perversitate vacuari, qualis veraciter fuit Christus.

2 *Custodi animam meam quoniam sanctus sum :*
Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

℣ Sanctus enim dictus veraciter Christus (quia mundi istius illecebras conversatione cœlestis vitæ calcavit) petit se salvum fieri a divinitate, ut nos instrueret salutem non esse constitutam in humanis viribus.

3 *Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die : lætifica animam servi tui :*
Quoniam ad te ✣ Domine ⁝ animam meam levavi.

℣ Unus atque idem Deus homo Christus Jesus petit misericordiam, qui donat illam : docens nos semper supplicare Deo, qui frequenti culpa delinquimus. Cum dicitur tota die, totius vitæ tempus ostenditur. Lætificari petit animam, fons hilaritatis, ex illa parte, qua servus est; servus vero dici vult, quoniam ex virgine Maria natus est, quæ ancillam Dei se esse fatebatur angelo nuntianti. Unde et in alio psalmo dicit : Ego servus tuus et filius ancillæ tuæ (*Psal.* CXV).

4 *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis :*
Et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

℣ Ostendit enim quid sit Deus, quia est suavis post amaritudinem hujus sæculi ad se revertentibus; mitis, quia sustinet peccatores; multæ misericordiæ, quia, licet sint nostra innumerosa peccata, multo abundantior est pietas; quæ tot relaxat offensas, et nulli negat se invocanti præsidium.

5 *Auribus percipe, Domine, orationem meam :*
Et intende voci deprecationis meæ.

℣ Percipe, cum dicit, vult non transitorie audiri, sed ut in illis finibus majestatis ejus oratio recondatur, sicut per aures ab homine memoriæ probatur infigi. Additumque est : intende voci ut intentus animus aperiret auditum.

6 *In die tribulationis meæ clamavi ad te.*
Quia exaudisti me.

ℍ In die tribulationis, hoc est in die passionis, clamavi, scilicet de cruce ; exaudisti, ut commendatum tibi spiritum meum restitueres.

7 *Non est similis tui in diis ✣ Domine ⁝ :*
Et non est secundum opera tua.

℣ Non est in diis similis tui dicendo, idola significat paganorum, quæ adhuc in mundo nefanda devotione colebantur : et non est secundum opera tua, scilicet tibi similis, qui fecisti cœlum et terram.

8 *Omnes gentes quas ✣ cunque ⁝ fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine :*
Et glorificabunt nomen tuum.

℣ Cum enim tunc sola esset Judaica gens, quæ unum Deum colere videbatur, prædicat omnes gentes, quæ idolis tenebantur obnoxiæ, ad culturam ejus esse venturas. ℍ Per passionem enim meam, cognoscent magnitudinem virtutis tuæ.

9 *Quoniam magnus + es tu ⁝ et faciens mirabilia :*
Tu + es ⁝ Deus solus.

C Magnus vero non potest dici nisi Deus solus, cujus potestati nullatenus potest aliquid comparari. Solus etiam dictus est, quia sancta Trinitas unus Deus est, tantum personis distincta, non naturæ discretione separata.

10 *Deduc me, Domine, in via tua : et ingrediar in veritate tua :*
Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

H C Illinc Propheta loquitur, vel Christus in persona membrorum. Via Domini, Christus, ipse est et veritas : in qua via et veritate Ecclesia ut ambulare possit, Deum deprecatur : sine cujus auxilio hoc implere non valet. Sic lætetur cor, ut sub timore lætetur, et sub spe timeat. In hoc sæculo qui judicem formidaverit, reus est : Deum qui timuerit, sanctus est. H Cum a mœrore facinorum eruditus fuero, tunc in te lætitia spirituali gaudebo.

11 *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo :*
Et glorificabo nomen tuum in æternum.

C Illa est vera confessio, quæ toto exprimitur mentis arcano : et ille confitetur ex toto corde, qui totam spem suam ponit in Deum. In æternum : illud significat, quod inter sanctos ejus laudes Domino jugiter personabit, dum in illa beatitudine promissa receperit.

12 *Quia misericordia tua magna + est ⁝ super me :*
Et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

H Agit populus fidelis gratias Deo, quoniam magna est misericordia ejus : suamque animam dicit esse liberatam ab inferno inferiori, id est, a pœna in qua peccatores damnantur. Superior infernus, peccatum est ; inferior, æterna pœna. A C Vel inferior infernus pœna damnatorum : superior limbus patrum, in quo inferiori dives positus inferno, Lazarum vidit positum in superiori (*Luc.* XVI).

13 *Deus, iniqui + in ⁝ surrexerunt super me : et synagoga potentium quæsierunt animam meam :*
Et non proposuerunt te in conspectu suo.

C Iterum Christus secundum humanitatem suam loquitur. Cum dicit iniquos, significat Judæos, qui insurrexerunt super eum, scilicet ut reum dicerent innocentem, suumque regem plebs insana trucidaret. Synagoga potentium, superborum est congregatio : qui belluino fremitu animam Christi adimere volebant. Addit vero. Et non proposuerunt, etc. Quicunque enim facinus perpetrat, Deum ante conspectum suum omnimodis non proponit : quoniam si illum haberet præsentem, protinus a cogitato facinore revocaretur.

14 *Et tu, Domine Deus, miserator et misericors :*
Patiens et multæ misericordiæ et verax.

C Miserator enim Deus est, quia singulis rebus misericordiam facit : misericors, quia semper pia est ipsa natura deitatis : patiens, quia peccatores sustinet : *multum misericors*, quia plus nobis remittit quam imbecillitas nostra promeretur : verax, quia A nescit promissa sua aliqua imbecillitate subducere, id est, subtrahere vel negare.

15 *Respice in me et miserere mei : da imperium tuum puero tuo :*
Et salvum fac filium ancillæ tuæ.

C Vox Christi secundum humanitatem ad Patrem : ipse est enim puer Domini, de quo Isaias ait : Ecce puer meus, suscipiam eum (*Isa.* XLII). Puer est Christus in Scripturis dictus, propter innocentiam mentis. Dicitur etiam filius ancillæ ; quæ angelo respondit se ancillam Dei esse dicens : Ecce ancilla Domini (*Luc.* I). Imperium vero intellige potestatem judicii : quia, eo teste, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium Filio dedit (*Joan.* V).

16 *Fac mecum signum in bono, ut videant qui oderunt me. Et confundantur : B*
Quoniam tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me.

C Signum dicitur ab eo quod ventura significet. Fac, Pater, signum in resurrectione, scilicet in bono, id est, in bonum credentium, et in confusionem negantium : vel in bonum, ut videant Judæi et confundantur de malo suo, et ita revertantur et credant. Adjuvisti, pertinet ad contradictionem Judæorum *altercantium*, et ad injusta certamina, in quibus illi semper veritatis testimonio superabantur. Consolatus es : ad persecutiones insanorum (quas ille velut tempestatis impetum patientissime sustinebat) respicit.

ORATIO EX PSAL. LXXXV.

C Lætifica, Domine, vultum familiæ tuæ, et erue animas nostras ex inferno inferiori, ut tui vultus contemplatione protecti, desideria carnis spiritali dominatione calcemus. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS LXXXVI.

ARGUMENTUM PSAL. LXXXVI.

C Vox Prophetæ de cœlesti Hierusalem, id est, Ecclesia Christi.

TT. *Filiis Core psalmus cantici.*

C Filii Core significant Christianos : psalmus autem de superioribus sonans, commonet nos cœlestia cogitare, et in eis hymnica exsultatione gaudere.

1 *Fundamenta ejus in montibus sanctis : D*
Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

C Fundamentum Ecclesiæ Christus est : qui sic eam continet, ut nulla possit quassatione titubare. In montibus sanctis : significat apostolos et prophetas, qui excellentia sanctitatis montes vocantur. Sion Hierusalem cœlestem significat : cujus portæ sunt fides, charitas, baptisma, pœnitentia, et quidquid in illam civitatem acquisitum populum introмittit. Sive, ut quidam volunt, duodecim apostolos significant. Tabernacula Jacob Ecclesiam catholicam significant, quæ semper hic affligitur. Merito supra istam, illa spiritalis et cœlestis diligi dicitur ; in qua jam nihil perturbationis esse declaratur.

2 *Gloriosa dicta sunt de te :*
Civitas Dei. Diapsalma.

D Civitas Dei, est sancta Ecclesia : de qua in omni serie Scripturarum gloriosa dicta sunt, et in omnibus prophetis. Isaias enim dixit : Surge, Hierusalem (*Isai.* LI) ; de qua et Salvator : Non potest, inquit, civitas super montem posita abscondi (*Matth.* V).

3 *Memor ero Raab et Babylonis :*
Scientium me.

D Raab interpretatur *superbia* vel *latitudo*. Unde per Raab, latitudo imperii Ecclesiæ designatur, sive latitudo peccati. Babylon, *confusio* : utraque autem significat plebem gentium, quæ ante adventum Christi, in spatiosis hujus sæculi viis per superbiam gradientes, confusioni idolorum et peccatorum traditæ fuerant, sed per misericordiam illuminatæ sunt. Dicit vero, scientium me : Non enim cujuslibet Raab et Babylonis memor erit in judicio Dominus : sed tantum scientium se, per fidem et charitatem. Translatio tamen Hebræa et Romana, scientibus me, habet.

4 *Ecce alienigenæ et Tyrus et populus Æthiopum :*
Hi fuerunt illic.

C Alienigenæ, sunt a Judaico populo extranei : et illis non credentibus, isti sunt recepti. H Et nos sumus isti alienigenæ, et Tyrus et populus Æthiopum. C Tyrus, significat angustiam pœnitentium, quæ ex contritione super peccatis procreatur populos Æthiopum, qui peccatorum fuerat obscuritate terrimus, sed in Dei civitatem collectus est.

5 *Nunquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea :*
Et ipse fundavit eam Altissimus?

Nunquid Sion, id est, quis hominum poterit dicere ipsi Sion : Quomodo nascetur homo in ea ? et tamen nascetur talis homo in ea, qui est Altissimus, scilicet Deus, et fundavit eam, scilicet Sion. Et homo natus est in ea. C Assumpta carne Deus est homo factus, et fundavit ipse synagogam, ut Deus, qui tantum putabatur homo.

6 *Dominus narravit in Scripturis populorum et principum :*
Horum qui fuerunt in ea. Diapsalma.

C Narravit Dominus frequenter in Evangelio, quod de ipso prædixerat Moyses (*Joan.* V). Ipsi sunt enim principes, Moyses et prophetæ, qui fuerunt in ea, id est in synagoga. H Vel in Sion, id est in Ecclesia, narravit in scripturis apostolorum qui fuerunt in carne viventes principes in ea.

7 *Sicut lætantium omnium :*
Habitatio est in te.

C Sicut lætantium : de illa incomprehensib .ætitia dicit, ubi æterna habitatio est fidelium. H Vel potius de Ecclesia hic dicitur : ubi non vere et plene lætantium, sed sicut lætantium est habitatio.

ORATIO EX PSAL. LXXXVI.

Fundamentum fidei nostræ Deus, qui in mentibus A sanctis, tanquam in excelsis montibus, æternitatis portas justitia muniente componis, concede nobis in te gloriose credere, atque ad redemptionem nostram hominem factum prædicabiliter confiteri. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS LXXXVII.

ARGUMENTUM PSAL. LXXXVII.

C Christus a Patre petens auxilium, contemptum suum refert, quem a Judæis erat perpessurus : asseritque mortuos non esse suscitandos, ut possint Domino confiteri, resurrectionem sibi celerrimam venire deposcens.

TT. *Canticum psalmi filiis Core in finem pro Melech ad respondendum, intellectus Eman Israelitæ.*

B C Melech interpretatur *chorus*, divina verba decantans. Eman, *frater ejus* : quo vocabulo Christus eos appellat, qui ejus præceptis obediunt. Israelitæ, *Deum videntes*, qui per obedientiam Dei luce radiant. Hieronymus in commentario Origenis, Melech, et Augustinus et Cassiodorus habent : verum in translatione Hieronymi ex Hebræo in Latinum, nec Amalech nec Melech, sed per chorum habetur : quod Hebraice dicitur Mahalat, nec Israelitæ sed Esraitæ. Cassiodorus tamen Augustinum sequens, Melech exposuit et Israelitæ, ubi in commentario Hieronymi Israelitæ scriptum invenitur, sed in Hebræo Esraite.

1 *Domine Deus salutis meæ :*
In die clamavi et nocte coram te.

C C Orat Christus ad Patrem, per id quod de virgine Maria natum est, designans humilitatem imbecillitatis humanæ, quam est dignatus assumere. In die, lætitiam significat : et nocte, adversitatem declarat : utroque enim tempore, Deum esse deprecandum demonstrat.

2 *Intret in conspectu tuo oratio mea :*
Inclina aurem tuam ad precem meam.

C Inclinat autem aurem suam Dominus, cum misericors dignatur audire, mirabili operatione suæ virtutis, non aure corporis.

3 *Quia repleta est malis anima mea :*
Et vita mea inferno appropinquavit.

C Malis dicit completam esse animam suam : D malis utique, non suis, qui peccata non habuit ; sed delictis mundi, quibus laborabat humanitas. Et vita mea inferno appropinquavit : hoc pertinet ad passionem Christi, ut in Evangelio, Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI).

4 *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum :*
Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

C Æstimatus sum : culpat eos, qui putabant eum mortuum fuisse communiter, ut moriuntur cæteri. Lacum dixit, vel locum sepulcri, vel inferni altissimam profunditatem. Factus sum : apud eos scilicet qui deitatem ejus insanis mentibus non credebant. Solus etiam inter mortuos liber fuit, quia ipse

quoque mortis claustra confregit. Ipsius enim tantum mors libera fuit, qui peccatum non fecit, et mors quoque ejus voluntaria fuit : et licet liber esset inter mortuos, tamen a dementibus æstimatus est sicut vulnerati, etc.

5 *Sicut vulnerati dormientes in sepulcris quorum non es memor amplius :*
Et ipsi de manu tua repulsi sunt.

C Adhuc enim de illis vanissimis dicit, qui putabant Deum, lancea vulneratum, occisum, pariter et sepultum, quasi unum ex hominibus sceleratis. Quorum non es memor, id est, de quibus non habes curam, quoniam peccatis facientibus, a te reddebantur alieni. Curam igitur intellige, quoad salutem eorum. Et ipsi repulsi sunt : hoc est, ipsi a manu Dei probantur expulsi, dum a gubernatione eius reddebantur alieni.

6 *Posuerunt me in lacu inferiori :*
In tenebrosis et umbra mortis.

C Lacus pro inferno ponitur, et pro sepultura foveali, et pro mundi istius profundissima calamitate : quod hic voluit intelligi. In tenebris, id est, sub oblivionis cæcitate. Umbra mortis, peccatorum indicat locum, dum eis gaudium non relucet, qui in perpetua suæ tristitiæ obscuritate manebunt.

7 *Super me confirmatus est furor tuus :*
Et omnes fluctus tuos induxisti super me. Diapsalma.

C Putabant Judæi per furorem Dei, Jesum Christum ad pericula passionis pervenisse : sicut dicebant, Liberet eum si vult (*Matth.* XXVII). H Per fluctus, iram furoris vult intelligi, quem Pater effusurus fuisset super omnes gentes. Super me induxisti : qui peccata eorum suscepi, sicut alibi ait : Propter peccata populi mei percussi eum (*Isa.* LIII).

8 *Longe fecisti notos meos a me :*
Posuerunt me abominationem sibi.

9 *Traditus sum et non egrediebar :*
Oculi mei languerunt præ inopia.

10 *Clamavi ad te, Domine, tota die :*
Expandi ad te manus meas.

C Notos enim apostolos appellat. Ille enim omnes notos habuit ex divinitate, ipse autem sciebatur a paucis. Isti ergo noti specialiter longe facti sunt, ut est scriptum : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis (*Zach.* XIII). In abominationem vero positus est tunc, quando crucifixo dicebant : Vah, qui destruis templum Dei (*Matth.* XXVII) : et similia.

C Traditus est a Juda cohortibus insanorum : verumtamen non est egressus, quando minime quod prævaleret ostendit, id est, quando deitatem occultabat. Sive, de custodia non est egressus. Languerunt oculi, id est apostoli. Præ inopia, quia necdum acceperunt spiritum sanctum : inopia dicitur a contrario, ubi nulla est copia.

C Clamavi ad te, Domine, tota die : hic distinctio est ponenda, ut ista continuatio totius diei ad orationem et bonorum actuum opus debeat pertinere. Expandi manus : per manus, opera bona vult intelligi, quas bonis actibus semper tetendit ad Deum. Nam si hæc cruci junxerimus, sequentia discrepabunt.

11 *Nunquid mortuis facies mirabilia :*
Aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi. Diapsalma.

C Nequaquam fecit mirabilia mortuis, id est, non credentibus. Illis solis mirabilia fiunt, qui magnalia Dei sub credulitate conspiciunt. Aut medici suscitabunt. Hoc dicitur negative : quia medici dum corporibus præbent curam, animas tamen peccatis mortuas resuscitare non valent : ut confessione verissima vivificentur, qui infidelitatis suæ vulnera pertulerunt : verum nec medici corporum, sine Dei munere, ægris salutem dare possunt.

12 *Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam :*
Et veritatem tuam in perditione.

C Sepulcrum enim significat infidelium mentes, et merito sepulcrum dicitur, ubi anima peccatis mortua continetur. Aut veritatem tuam narrat, qui est in perditione peccati? quia vivi et fideles, in actibus misericordiam narrare consueverunt. Et veritatem ille dicitur enarrare, qui eam invenitur in actibus custodire. Illos ergo notat qui non sunt vere crediturі, quorum guttur est sepulcrum patens (*Psal.* V).

13 *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua :*
Et justitia tua in terra oblivionis?

C Nunquid cognoscentur : quia omnis qui facit peccatum odit lucem. C Nec justitia Dei potest cognosci ab oppressis in terrena oblivione, id est, crassissima cordis cæcitate, et vitiorum densissima caligine.

14 *Et ego ad te, Domine, clamavi :*
Et mane oratio mea præveniet te.

C Dicendo autem, et ego, significat cum membris suis se clamasse, quorum ipse caput est. Mane quoque dixit prævenisse orationem suam : cum ante multa sæcula petebat Ecclesia, quæ adhuc exspectamus esse ventura. Non vero sic intelligamus, quod oratio gratiam Dei præveniat : quia et quod oramus, ex gratia est.

15 *Utquid, Domine, repellis orationem meam :*
Avertis faciem tuam a me?

C Repelli putamus orationem nostram, et avertere Deum faciem a nobis, quando vota nostra distulerit : et quamvis ille utilia faciat, nos tamen dilata graviter contristant : quod ex persona martyrum dictum non inconvenienter accipitur, qui talibus desideriis in hoc mundo fatigantur.

16 *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea :*
Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus.

C Pauper sum ego, hoc merito dicit Ecclesia, quæ in paupertate mundi et laboribus a sua juventute fatigatur. Exaltatus : quando quisque fidelium res humanas tumido corde cogitat. Humiliatus : cum ad confessionem pervenit. Confusus : cum mala quæ gessit in pœnitentia damnavit.

17 *In me transierunt iræ tuæ :*
Et terrores tui conturbaverunt me.

C Pulchre dictum est, transierunt : quia non mansuræ. Nam quando fidelis se affligit, iram Domini castigatus evadit. Terrores vero dicit venturi judicii, quos omnis caro peccatrix formidabit in judicio : sed etiam boni in hac vita perhorrescunt.

18 *Circumdederunt me sicut aqua tota die :*
Circumdederunt me simul.

C Circumdederunt me : utique delicta quæ legis et Evangelii districtione damnantur, merito quoque aquis comparata sunt, quæ nos copiosissima inundatione concludunt.

19 *Elongasti a me amicum et proximum :*
Et notos meos a miseria.

C Amicos dicit : qui honestis studiis morum in civitate conjuncti sunt; proximos vero, qui nobis parentelæ ordine sortiantur. Notos, qui nec amici, nec proximi sunt, sed sola visione vel opinione nos didicerunt : quæ genera hominum frequenter longe fecit a fidelibus formidata passio vel calamitas.

ORATIO EX PSAL. LXXXVII.

Redemptor omnium, ineffabilisque salutis nostræ Deus : qui pro nobis inferna penetrans, factus es inter mortuos liber, exaudi matutinam familiæ tuæ precem, et erue nos ab inimici insidiantis pessima servitute. Qui cum Patre et Filio, etc.

PSALMUS LXXXVIII.

ARGUMENTUM PSAL. LXXXVIII.

C Vox fidelium, misericordias Domini potentiamque laudantium

TT. *Intellectus Ethan Israelitæ.*

C Ethan interpretatur *robustus*. Israelita, *videns Deum*. Et quia psalmus iste erat laudes et promissiones Dei narraturus, ideo illi tale nomen est appositum, ut fidelium verborum indicaret immutabilem firmitatem.

1 *Misericordias Domini :*
In æternum cantabo.

H Illas enim misericordias, quibus hominem peccato mortuum visitare dignatus es per Filium, semper cantabo.

2 *In generatione et generatione :*
Annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

C In generatione et generatione : duos significat populos, Judaicum, scilicet, et gentilem : quibus se veritatem pronuntiaturum esse testatur. Et bene dictum est, in ore meo : quia quod ore progreditur, cito delabitur : quod vero in ore versatur, diutina celebratur devotione. H Veritas illa Christus est, sive promissiones Dei.

3 *Quoniam dixisti : In æternum misericordia ædificabitur :*
In cœlis præparabitur veritas tua in eis.

H Quoniam dixisti : Semper enim miseratio tua sublimatur, et nunquam destruetur. H A C In cœlis præparabitur, id est, in apostolis prædicabitur veritas tua. Hinc vox Patris, Disposui, etc.

A 4 *Disposui testamentum electis meis ; juravi David servo meo :*
Usque in æternum præparabo semen tuum.

H Disposui testamentum electis, id est, doctoribus Ecclesiarum : ut acquisitum per gratiam populum doceant vel informent. C Jurat vero justissime Deus, cum suo jure promittit omnia : juravit enim dicimus, jure oravit, id est, juste locutus est. Jurat quoque et ideo juste Deus : quia quod jurat semper potest implere, homo vero juste prohibetur jurare vel juramento promittere, quia non est in potestate sua quod pollicetur efficere. Præparatus quoque est Christus, qui ex semine David origine carnis descendit, usque in æternum Rex regum et Dominus dominantium (*Apoc.* XIX) : quod secundum B humanitatem intelligi oportet. H Vel semen, non solum Christus est, caput, sed et membra sua, scilicet credentes in eum.

5 *Et ædificabo in generatione et generationem :*
Sedem tuam. Diapsalma.

C Et ædificabo : ista pollicitatio ad Christum pertinet, sedes enim ejus est omnis sanctus, quem quasi splendidissimum thronum sua gratia insidet. H Vel thronus ejus Ecclesia est : in qua Christus sedet in æternum, et eadem sententia est cum priore, licet sint alia verba.

6 *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine :*
Etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.

C Confitebuntur cœli : qui sunt veri prædicatores, quantis miraculis Dominus mundum administret. C Et veritatem ejus : quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : confitentur, non ubique (sicut mirabilia sua) sed in Ecclesia sanctorum, ubi creditur veritas impleta, et Verbum caro factum. H Vel apostoli prædicant mirabilia in Christi Incarnatione et passione ostensa, et quæ per eum facta sunt, in congregatione sanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino :
Similis erit Domino in filiis Dei ?

C Nubes : prophetæ, apostoli et prædicatores sunt, qui per Spiritum sanctum populos compluebant ; sed tamen erant obnoxii in lege peccati. Nec inter filios Dei, id est sanctos, potuit habere æqualem. Quoniam ille per naturam est Filius Dei : sancti vero per gratiam, iste sine aliquo peccato : isti per D ipsum a peccato probantur exuti.

8 *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum :*
Magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.

H C Ipse enim Dominus, qui prædicatur a sanctis, magnus dicitur, quod Deus est : terribilis a potestate mirabili. Qui in circuitu ejus sunt : sancti, scilicet, qui dono ipsius ejus gratiæ proximantur, vitæ innocentia et sanctitate.

9 *Domine Deus virtutum, quis similis tibi ? Potens es, Domine :*
Et veritas tua in circuitu tuo.

C Quis similis tibi? quia virtutum et potestatum Dominus es. Sancti enim ditantur virtutibus, non

dominantur; tu autem illis rebus imperas, quibus te præstante alii præclari sunt. Tu ex te potens es; illi per te. Illi in veritate tua illuminati sunt; tibi autem veritas tua semper inest.

10 *Tu dominaris potestati maris:*
Motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

H Tu dominaris potestati maris, id est, hujus sæculi potestatibus. Motum autem, etc., quando feroces motus persecutionum in martyres et sanctos pro utilitate sanctorum convertis, ac mitigas tentationes quas commovent servis tuis persecutores. C Dicit vero, mitigas: ut tolerare possint, non dicit tollis; quoniam si eum motum persecutionum funditus tolleret, coronam martyres non haberent.

11 *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum:*
In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

H Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, id est, diabolum, clavis tuæ crucis sauciatum et humiliatum, suis spoliis abstractis. C Inimicos: infideles Judæos dicit: qui per innumeras gentes dispersi sunt, per brachium, id est per virtutem Domini Christi.

12 *Tui sunt cœli, et tua est terra: orbem ✣ terræ ⁘*
et plenitudinem ejus tu fundasti:
Aquilonem et mare tu creasti.

C Sensus istius versiculi talis est: cur voluerunt stulti in te sævire, in hoc mundo, cujus tu fundator es, Christe? Orbis terrarum pertinet ad totius mundi spatium: plenitudo ejus, ad omnes creaturas quæ in eo sunt. Per aquilonem diabolum intellige, qui dixit: Ponam sedem meam ad aquilonem (*Isa.* XIV). H Vel Antichristum, de quo ait Dominus ad Jeremiam: Ab aquilone pandetur omne malum (*Jer.* I). C Mare: sæculi hujus elatas et iniquas hominum potestates. Creatura enim non debet superbire Creatori, quia ab eo creata est.

13 *Thabor et Hermon ✣ in ⁘ nomine tuo exsultabunt:*
Tuum brachium cum potentia.

C H Thabor interpretatum dicitur *veniens lumen:* quod specialiter pertinet ad adventum Dei. Hermon vero *anathema ejus*, id est diaboli: quod veniente Domino suscepit a Christianis. Dignum enim fuit, ut præsente lumine, tenebrosus diabolus anathema esset; unde exsultabunt in nomine Dei sancti. Brachium cum potentia Christus est, qui facit quæ vult in cœlo et in terra. Illuminati igitur a te et diabolum abominantes exsultabunt in nomine tuo, tibi gloriam dantes.

14 *Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua:*
Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.

H Firmetur manus, id est, opera quæ facis in hoc mundo. C Exaltetur dextera, id est, clarificetur numerus prædestinatorum, qui est ad dexteram collocandus. Sedes quidem Dei sempiterna est et semper præparata, sed tunc nobis apparebit præparata quando ipsum cernimus judicare justitiam. H Vel sancti sedes Dei sunt, et nisi quis primus in se justitiam et judicium fecerit, non potest Dei fieri sedes.

15 *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam:*
Beatus populus qui scit jubilationem.

C Misericordia est, qua parcit conversis: veritas, qua promissa restituit. Beatus populus est qui intelligit vel scit jubilationem, id est, qui immensam lætitiam suam, non in propriis viribus, sed in Dei cognoscitur posuisse virtute. Jubilatio est copiosa mentis exsultatio, quæ verbis explicari non potest

16 *Deus, in lumine vultus tui ambulabunt:*
Et in nomine tuo exsultabunt tota die:
Et in justitia tua exaltabuntur.

C Nunc ponit primum eorum qui sciunt jubilationem. Ambulat in lumine vultus ejus populus Christianus, cum in contemplatione sanctæ Trinitatis jugiter perseverat: cum vero dicit, in nomine tuo, vetat in propria præsumptione gaudere. Tota die, totius vitæ tempus ostendit. Exaltabuntur in justitia Dei, quando in illa resurrectione ad dexteram fuerint collocati.

17 *Quia gloria virtutis eorum tu es:*
Et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

H Sicut enim eis beneplacita fuerunt tua præcepta: ita tibi beneplacitum est in eis, ut in te exaltetur cornu, id est virtus eorum

18 *Quia Domini est assumptio ✠ nostra ⁘:*
Et sancti Israel regis nostri.

C Nostra enim assumptio Domini est Incarnatio, quæ a sancto Israel probatur impleta, in qua spem habentes, de profundo peccatorum erigimur sursum: dum ipsius misericordia sublevante, in æterna collocamur gaudia.

19 *Tunc locutus es in visione sanctis tuis et dixisti:*
Posui adjutorium in potente: ✣ et ⁘ exaltavi electum de plebe mea.

C Nunc iterum propheta ad Patrem loquitur. Locutus est Deus prophetis reliquisque sanctis in visione, dum eos fecit aspicere quæ dicebant: unde videntes appellati sunt. Posuit adjutorium, id est ac si diceret: Pater perhibuit testimonium potenti, id est Filio, dicens: Glorificavi et iterum clarificabo (*Joan.* XII). Electum dicit Jesum Christum: de plebe, de gente Judæorum. Vel potens corpus Ecclesiæ dicitur, super quam Christum posuit regere. Vel (ut alia translatio habet) in vel super potentem. H Id est diabolum, ut contra vel super diabolum positus, opprimeret superbiam ejus.

20 *Inveni, David, servum meum:*
Oleo sancto meo unxi eum,

C Cum dicit, inveni David, Jesum Christum evidenter insinuat, quem superius potentem appellavit, et de quo alibi dicitur: Unxit te Deus oleo lætitiæ (*Psal.* XLIV).

21 *Manus enim mea auxiliabitur ei:*
Et brachium meum confirmabit eum.

C Manus, brachiumque, hic pro fortitudine Dei posita est: quæ firmavit humanitatem Christi in passione.

22 *Nihil proficiet inimicus in eo :*
Et filius iniquitatis non apponet nocere eum.

C Nihil proficiet inimicus, id est diabolus, qui est protervus inimicus humanitatis. Filius iniquitatis fuit Judas traditor, qui filius diaboli merito nuncupatur, qui est auctor omnis iniquitatis : qui intentioni Christi in nullo nocuerunt.

23 *Et concidam a facie ejus inimicos ejus :*
Et odientes eum in fugam convertam.

C Facies enim Christi, cum peccatores dignata fuerit intueri, a suis pravitatibus conciduntur. Convertuntur quoque in fugam : quando impia vita derelicta, ad Christi cœperint festinare remedia. Peccati enim memores sua facta refugiunt, et ad Domini beneficia convertuntur.

24 *Et veritas mea et misericordia mea cum ipso :*
Et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

C Veritas Patris est Filius. Pertinet hoc ad judicium : misericordia vero ad pietatem, quia peccata dimittit. Cornu significat invictissimam potestatem : de qua dicit, Data est mihi omnis potestas (*Matth.* XXVIII). H Vel veritas Christus : quæ a Patre audivit locutus est. Misericordia, quia sanat infirmos mente et corpore. Cornu : fortitudo Ecclesiæ ejus sanguine redemptæ dicitur.

25 *Et ponam in mari manum ejus :*
Et in fluminibus dexteram ejus.

C Mare significat universas gentes, in quibus Salvator noster gloriam dominationis accepit. H Et in fluminibus, id est, *super* principatus et potestates ipsius mundi potestatem ejus. Vel mare mundum C significat : manus, operationem ; vel flumina, aquas baptismi ostendunt.

26 *Ipse invocabit me Pater meus es tu :*
Deus meus et susceptor salutis meæ.

H Sæpius eum invocasse Patrem in Evangelio legimus (*Joan.* XVII) : ut est, Clarifica me Pater apud temetipsum ; et ibi, Pater in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII).

27 *Et ego primo genitum ponam illum :*
Excelsum + præ ⁝ regibus terræ.

C Est ergo primogenitus, ut in Evangelio. Ego sum A et Ω. Et dicit ponam, id est constituam. H Excelsum præ regibus terræ : hoc est regna mundi ei cuncta subjicio. Vel primogenitus ex mortuis dicitur : primogenitus quoque Patris æterni et matris Virginis.

28 *In æternum servabo illi misericordiam meam :*
Et testamentum meum fidele ipsi.

C Et hoc dicitur a forma servi, quia misericordiam Patris æterno honore suscepit : cui data est potestas in cœlo et in terra. Testamentum fidele est : quia quæcunque prophetæ de ipso prædixerunt, omnia completa sunt.

29 *Et ponam in sæculum + sæculi ⁝ semen ejus :*
Et thronum ejus sicut dies cœli.

C Sæculum sæculi significat æternitatem. Semen David Christus est, thronus ejus potestas est futuri judicii : in qua fulgebunt justi cœlesti claritate.

A 30 *Si autem ⁝ dereliquerint filii ejus legem meam :*
Et in judiciis meis non ambulaverint.

C Hos duos versus dicit de populo Christiano. Filii enim dicuntur Christiani quoniam Ecclesia matre ex aqua et Spiritu sancto regenerantur.

31 *Si justitias meas profanaverint :*
Et mandata mea non custodierint.

C Si justitias Christi, id est, mandata ejus non custodierint supra nominati filii, in subsequentibus eis digna promittitur evenire vindicta.

32 *Visitabo in virga iniquitates eorum :*
Et in verberibus peccata eorum.

C Visitat in virga, quando districte judicat, ut Apostolus ait, Quid vultis, in virga veniam ad vos? (*I Cor.* IV.) Visitat quoque in verberibus, quando in B nobis levius vindicatur quod delinquimus. Vel virga percutit, flagella vero verberant.

33 *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo :*
Neque nocebo in veritate mea.

C Superiora de membris dixit : nunc vero de capite loquitur. Dicit enim Pater : misericordiam suam non se a Christo dispergere, sed tota plenitudine condonare. Neque nocebo : nam et si inimici permissi sunt nocere, in veritate tamen Patris non est Filius læsus, cujus totum mundum *redemit* sanguine : et quia omnia veritatis ordine constat impleta in Christo, quæ Pater per prophetas dixit. Unde et addit : Non profanabo, etc.

34 *Neque profanabo testamentum meum :*
Et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. C

C Non profanavit Pater testamentum suum, id est, Scripturam sanctam mentiendo, sed rerum fide honorabile fecit : dum quæ progressa sunt de labiis ejus, id est, per sanctos prophetas, nulla falsitate destructa sunt.

35 *Semel juravi in sancto meo*
Si David mentiar : semen ejus in æternum manebit.

C Hominum consuetudo est frequenter jurare, ut eis aliquid possit credi : Deus autem semel jurat, qui nulla varietate temporis immutatur. Juramentum autem ejus diximus, ventura promittere. Si David mentiar, id est non mentiar, si enim est negative positum, quod etiam usus communis habet.

Semen Christi sunt omnes sancti et vere Christiani : qui in sancta conversatione usque in finem permanebunt hujus vitæ et post in æternum. D

36 *Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo : + et ⁝*
sicut luna perfecta in æternum :
Et testis in cœlo fidelis. Diapsalma.

C Thronus Dei anima fidelis est, in qua revera Christus insidet, atque lucet sicut sol : et sicut luna, id est, compago corporis nostri post resurrectionem clarificata. C Et testis fidelis : Christus est, qui testimonium perhibuit de veritate, quæ est ipse, et de opere Patris in mundo. Dicit vero eum in *cœlo esse : quia ibi post Ascensionem suam est. C Vel in cœlo, id est cœlesti homine* et sancto : in illo ipsa caro glorificata, testis est fidelis hujus promissionis impletæ, non in damnato homine.

37 *Tu vero repulisti et despexisti :*
Distulisti Christum tuum.

Hæc depulsio et despectio de regno Salomonis, facta est in posteris ejus :

Quod autem ait distulisti, non de Salomone, nec David dictum esse manifestum est, sed de Christo. A Quem a populo Judæorum Pater distulit, non abs tulit : quia reliquiæ salvæ fient in fine.

38 *Avertisti testamentum servi tui :*
Profanasti in terra sanctuarium ejus.

C Avertisti testamentum, id est, in aliam partem transtulisti : ut quod Judæis fuerat promissum, ad gentium utilitatem perveniret. Non enim eis remansit templum, sacerdotium, oblatio vel regnum : sed Christiani omnia plenissime sunt consecuti. Testamentum : hoc est promissio nativitatis Dei. Profanum, dictum est irreligiosum : quia veniente Christo, immolatio pecudum et observatio Sabbatorum submotæ sunt in terra, hoc est in toto orbe, ubi est Ecclesia Christi.

39 *Destruxisti omnes sepes ejus :*
Posuisti firmamentum ejus formidinem.

H Destruxit sepes, id est verba legis. C Firmamentum Judæorum : defensio est Dei et Christi, B quam in formidinem posuisti : ut culpis facientibus, ipsum Dominum formidarent, cujus solebant munitione vallari.

40 *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam :*
Factus est opprobrium vicinis suis.

A C Diripuerunt civitatem Hierusalem omnes transeuntes viam, hoc est gentes. C Merito quoque populus Judaicus factus est opprobrium vicinis : quoniam Christo credere noluit.

41 *Exaltasti dexteram deprimentium eum :*
Lætificasti omnes inimicos ejus.

C Exaltavit dexteram deprimentium : quando Judæi hostibus suis traditi, vastissimas cædes pertulerunt. Tunc enim lætus efficitur inimicus, quando coram eo humiliatur adversarius.

42 *Avertisti adjutorium gladii ejus :*
Et non es auxiliatus ei in bello :

C Avertit adjutorium gladii ejus : cum ille populus armatus sicut inermis factus est, ut cum prius pauci plures vincerent : plures post paucis resistere non valerent.

43 *Deduxisti eum ab emundatione :*
Et sedem ejus in terra collisisti.

A C Destruxisti enm, id est, removisti eos qui obstinatione mentis Christum spernere maluerunt. Eos enim ab emundatione, id est fide, quæ emundat corda, destruit, quos etiam damnare decrevit. Sedes etiam hic pro regno posita est : quæ merito dicitur in terra collisa, quando divisus populus in toto orbe est dispersus, ulterius regem et regnum non habiturus.

44 *Minorasti dies temporis ejus :*
Perfudisti eum confusione. Diapsalma.

C Minorati sunt dies regni Judaici ; quia pollicitationem Abrahæ promissam, de regni æternitate, habere non meruit. Confusi sunt etiam, scilicet sorde incredulitatis suæ, dum gentes ad suum Dominum converti vident, quem ipsi occiderunt.

45 *Usquequo, Domine, avertis in finem :*
Exardescet sicut ignis ira tua?

C Petit nunc Propheta Dominum ut Judaico populo miseratus indulgeat. In finem : sæculi terminum significat, quando Judæi convertentur. Exardescimus ira, cum vindicare disponimus : irascimur vero mediocriter, quando aliquem sermone corripimus. Adjecit itaque, sicut ignis, qui objecta consumit.

46 *Memorare quæ mea substantia : nunquid enim vane constituisti*
Omnes filios hominum?

C Rogat Propheta, ut istam carnem, peccatis obnoxiam, adventus sui gloria liberare dignetur ; quia non est ad hoc creata, ut eam permitteret, quasi vanum aliquid, interire.

47 *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem :*
Eruet animam suam de manu inferi? Diapsalma.

C Quis est homo : interrogative legendum est : ubi subaudiendum : nullus. Omnes enim homines, sive justi, sive peccatores, mortem videbunt : quæ B primo homini inflicta est lege peccati. Eruet animam? hic similiter subaudiendum nullus. De manu, id est, de potestate inferi : quæ a nullo de ista potestate potest eripi : nisi per illum, qui moriendo prostravit mortem.

48 *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine :*
Sicut jurasti David in veritate tua?

C Ubi sunt misericordiæ? non sub dolore dicitur, sed quasi tardans Dominus postulatur, ut cito præstet : quod eum noverat esse facturum. Antiquas dicit : quas Abrahæ fecisse sciebat ; antiquas enim non diceret, nisi ante Davidica tempora factas esse cognosceret.

49 *Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum :*
Quod continui in sinu meo multarum gentium.

C Obprobrium contigit servis Dei : quando gentes amore idolorum persequebantur Christianos : hoc erat in sinu Christianorum, id est, in secreto mentis affectu ; quia palam timebant loqui, unde probabantur exstingui.

50 *Quod exprobraverunt inimici tui, Domine :*
Quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

H Exprobraverunt : Judæi videlicet et Pharisæi. C Ipsa est commutatio Christi : qua obstinatos deseruit, et fideles ad dona suæ pietatis ascivit.

51 *Benedictus Dominus in æternum :*
Fiat, fiat.

C Benedictus Dominus : contra maledictiones gentilium positum est, quoniam quæ dicunt illi caduca sunt. Laus autem Domini permanet in æternum. Sequitur, fiat, fiat : ut de tantis promissionibus nemo dubitaret, ubi confirmatio iterata succederet.

ORATIO EX PSAL. LXXXVIII.

Erue, Domine, animas nostras, de manu inferi

qui pro nobis inferna fortiter confregisti : ut tuas misericordias decantantes, et a confusione criminum, et a morte perpetua liberemur. Qui cum Patre et Filio, etc.

PSALMUS LXXXIX.

ARGUMENTUM PSAL. LXXXIX.

C Oratio fidelium populorum pro Ecclesia ad Deum.

TT. *Oratio Moysi hominis Dei.*

1 *Domine, refugium ℣ tu ✝ factus es nobis :*
A generatione et generatione.

C Moyses ille venerabilis, in typo sanctæ Ecclesiæ, quam præfiguratione gestabat, Domino fusa oratione gratias agit, qui factus est illi refugium : cum ab universis periculis noscitur esse liberatus. Verum ut hoc non tantum de uno homine, sed de universali Ecclesia adverteres nobis posuit, non mihi. A generatione dicit illud tempus, ex quo cœptum est genus humanum. Progenie : usque in finem sæculi significat, ac si diceret semper.

2 *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis :*
A sæculo et usque in sæculum tu es Deus.

C Montes, hic ponamus potestates cœlorum eximias : ac si dicat : Tu es antequam cœlestia terrenaque formares. A sæculo et usque in sæculum æternitatem debemus advertere. Tu es : competenter Deo dicitur, quia non habet præteritum nec futurum : sic enim Moysi dixit : Ego sum qui sum (*Exod.* III).

3 *Ne avertas hominem in humilitatem :*
Et dixisti : Convertimini filii, hominum.

C Ne avertas hominem in humilitatem, id est, ne in mundi istius concupiscentiam ambitionemque projicias. Merito ergo petit, ne deserantur homines in lubricis lapsibus, quibus dictum est : Convertimini.

4 *Quoniam mille anni ante oculos tuos :*
Tanquam dies hesterna quæ præteriit.

C Mille enim anni, non solum pauci sunt ante oculos Dei, sed omnino tanquam hesterna dies habentur præteriti. Finitum quoque pro infinito posuit, id est, mille pro omnibus.

5 *Et custodia in nocte :*
Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt.

C Pulchre autem humanam vitam nocturnis comparavit excubiis : ubi totum sub obscuritate et trepidatione geritur, quando mens hominum vitiis carnalibus circumdata pulsatur. Custodia vero nocturna tribus horis expletur : quatuor enim custodiæ noctem complent.

6 *Mane sicut herba transeat : mane floreat et transeat :*
Vespere decidat, induret et arescat.

H C Mane : infantia et pueritia sive adolescentia nuncupatur, vesperum vero senectutem hominis appellat. H Mane nostrum non stat, sed transit, id est, juventus nostra, et perit a senectute : nec ipsum vesperum manet, sed decidit.

7 *Quia defecimus in ira tua :*
Et in furore tuo turbati sumus.

C Defecimus enim dictum est, id est, humana sumus infirmitate fatigati. Conturbati sumus : cogitata mortis formidine quam omnes timemus. H Nongentis et amplius annis vivebamus : et ecce in brevem vitam nostra vita contracta est, quia defecimus in ira tua.

8 *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo :*
sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

H Posuisti, etc. : hoc est, te latet nihil de peccatis nostris. Sæculum nostrum in illuminatione. C Quia statim ut delinquimus, vindictam exspectamus. H Quidquid etiam in secreto nos facere putamus, illuminatione tua et in oculis tuis patet. Habet enim Hebræa veritas : vita nostra in illuminatione vultus tui.

9 *Quoniam omnes dies nostri defecerunt :*
✝ Et ✝ in ira tua defecimus.

10 *Anni nostri sicut aranea meditabuntur :*
Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.

C Brevitatem humanæ vitæ dicit propter iram Domini provenisse. Nam quod dicit, omnes dies nostri defecerunt, ad annos pertinet innumerabiles ; quod autem sequitur, et in ira tua defecimus, ad tribulationes ærumnasque respicit, quas in ipsa vita parvissima sustinemus.

C Aranea est animal debile ac tenuissimum, quod transeuntibus muscis, ad escam sibi præparandam, quædam retia dolosa contexit : sic anni eorum, qui sceleratis operibus dediti sunt, inanibus et subdolis machinationibus occupantur. Aranea dicta, quod sit arida, nimisque subtilis. Meditabuntur vero, non operabuntur dixit, quoniam sub nullo fructu operum, sed inani meditatione vixerunt.

11 *Si autem in potentatibus octoginta anni :*
Et amplius eorum labor et dolor.

H Licet hoc secundum historiam, de brevitate humanæ vitæ, non incongrue accipi debeat : tamen uterque numerus a spiritali sacro non vacat. H C Septuagesimus denique numerus legem (*Num.* LXX, LXXX) : Octuagesimus Evangelium significat. C Quisquis enim hic legis præcepta et evangelicæ institutionis excedit : labori in præsenti, et dolori in futuro implicatur.

12 *Quoniam supervenit mansuetudo*
Et corripiemur.

C Supervenit autem mansuetudo, id est Jesus Christus : nosque corripit et emendat, si testamentum ejus implere non satagimus.

13 *Quis novit potestatem iræ tuæ :*
Et præ timore tuo iram tuam dinumerare ?

14 *Dexteram tuam sic notam fac :*
Et eruditos corde in sapientia.

C Nam sicut præmia Dei plenissime nequeunt intelligi : ita nec mensura vindictæ prævalet apprehendi. Bene vero addidit, præ timore : sicut et alius propheta ait : Consideravi opera tua et expavi.

℣ Dexteram enim dicit, Dominum Salvatorem petens : ut ipse illis notus fiat, per quem omnia profutura discimus. Et eruditos, etc., id est, intellectum habentes in Dominum Christum. Eruditus dicitur quasi ex omni rure elicitus. Ipse enim est Dei virtus et sapientia Patris, quem hic postulat, non corporeis oculis, sed erudito corde cognoscere.

15 *Convertere, Domine, usquequo :*
Et deprecabilis esto super servos tuos.

℣ Postulat Propheta Dominum, ut justitiam suam alqua lenitate temperet, quatenus exorari possit a peccatoribus, quibus juste noscebatur iratus. Il Usquequo tu, quem prophetæ dixerunt venturum, tardaveris, Domine?

16 *Repleti sumus mane misericordia tua :*
Et exsultavimus et delectati sumus in omnibus diebus nostris.

℣ Repletum se dicit a misericordia mane, id est, lucida contemplatione Dei. Quoniam vir sanctus Domini prævidebat adventum : necesse fuit ut cor ejus exsultaret in laude, et delectaretur omnibus diebus vitæ suæ.

17 *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti :*
Annis quibus vidimus mala.

℣ Narrat Propheta se esse lætum in illis tribulationibus, per quas humiliandum populum salutariter sentiebat. Sciebat enim fidelibus viris noxiam esse superbiam : et ideo lætatur in tribulationibus per quas humilitas custoditur.

18 *Respice in servos tuos et in opera tua :*
Et dirige filios eorum.

℣ Considera hic, quibus verbis pietatem boni judicis invitavit : ut primo diceret : Respice in servos tuos, deinde in opera tua : quatenus et si factis suis veniam non mererentur accipere, eam per opera Creatoris impetrarent. Quod argumentum apud rhetores dicitur a laude judicis.

19 *Et si splendor Domini Dei nostri super nos : et opera manuum nostrarum dirige super nos :*
℣ *Et opus manuum nostrarum dirige* ⁝ .

℣ Splendor Domini super nos est, quando crucis ejus impressione decoramur. Opera nostra dirigit super nos, quando donat nobis veniam peccatorum, ut cum fuerimus perversi, efficiamur ejus correctione rectissimi. A Vel opera manuum nostrarum diriguntur super nos, quando ea non pro terrenarum rerum mercede facimus. Et opus manuum nostrarum, id est charitatem : dirige super nos, ut omnia opera nostra sint unum opus charitatis : quia ipsa est finis præcepti et omnium operum nostrorum (*I Tim.* 1).

ORATIO EX PSAL. LXXXIX.

Luciflui sideris sator, omnipotens Deus, qui novam mundo lucem, fugata nocte, restitues : satia nos, quæsumus, remittente misericordia tua, ut omnes peccatorum obscuritates, te illuminante, pellamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

PSALMUS XC.

ARGUMENTUM PSAL. XC.

℣ Propheta prædicit omnem fidelem Dei adjutorio circumdari : laudemque Christi denuntiat.

TT. ✣ *Laus cantici David :*

℣ Laus cantici est divina laudatio. David enim hic ipsum prophetam dicit, qui primam partem hujus psalmi suavi relatione dicturus est. Et hunc hymnum dæmonibus pia confidentia semper opponimus, ut a nobis potius inde vincantur, unde contra Creatorem aliquid doloso dicere tentaverunt.

1 *Qui habitat in adjutorio Altissimi :*
In protectione Dei ✣ cœli ⁝ *commorabitur.*

℣ Qui habitat, habitare enim est permanentis non discedentis. Qui tantam igitur spem, non in propriis viribus ponit, sed in Altissimi voluntate constituit, talis vir protegitur a Domino cœli. Dicit enim, qui hic habitat, illic commorabitur, hoc est, qui in isto sæculo ab ipso non discedit, in illo semper mansurus est.

2 *Dicet Domino : Susceptor meus ✣ es tu* ⁝ *et refugium meum, Deus meus :*
Sperabo in eum.

℣ Hoc dicet ille, qui sibi solum credit utile, quod dignatur superna pietas præstare. Cum dicit vero, susceptor meus, totum se confirmat in ejus beneficia projecisse. Refugium cum dicit, nullum sibi aliud esse profitetur auxilium ; sed quando hujus sæculi tempestatibus quatitur, ad portum divinæ misericordiæ se confugere velle testatur.

3 *Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium :*
Et a verbo aspero.

℣ Sperabo in eum : causam dicit cur in eum sperare debeat ; quia ipse nos ab inimicorum, sive spiritualium, sive carnalium, potest liberare versutiis : qui laqueos ponunt (ut venatores) quibus possint ignorantes dolosis insidiis irretire. Verbum asperum est, omne verbum quod contra regulas divinas dictum est.

4 ✣ *In* ⁝ *scapulis suis obumbrabit tibi :*
Et sub pennis ejus sperabis.

℣ Scapulæ Dei : sunt operationes mirabilium, per quas velut quibusdam humeris virtus divina monstratur. Pennæ sunt monita prophetarum : quæ si recipiantur pura mente, fideles animas ad cœlos usque perducunt. *Et si* quæras quid ista obumbratio præstet : dico, ut per diem sol non urat te neque luna per noctem.

5 *Scuto circumdabit te veritas ejus :*
Non timebis a timore nocturno.

℣ Circumdat nos veritas scuto, id est, Christus sua protectione, ne ardentibus sagittis diaboli percutiamur. Non timebimus a timore nocturno, id est, diabolum qui semper in tenebris est ut percutiat. Sive hoc dicit, licet in errore fueris, qui nox est, tamen non timebis sub scuto veritatis : quia proteget te illud.

6 *A sagitta volante in die : a negotio perambulante in tenebris :*
Ab incursu et dæmonio meridiano.

C Sagitta volans per diem : manifesta est persecutio tyrannorum. Negotium in tenebris : pravum studium eorum intellige. Dæmonium meridianum : periculum maximum est, fervore persecutionis accensum, ubi ruina plerumque metuitur, quando infirmitas humana superatur. Ruina autem certe dicta est, quasi repetens ima.

7 *Cadent a latere tuo mille : et decem millia a dextris tuis :*
Ad te autem non appropinquabit.

C Mille a latere ejus dicit casuros : ab illa scilicet summitate judicationis, qua judicabunt sancti cum Christo, ut assessores. Illi enim inde cadunt, qui falsa præsumptione illud sibi promittunt. Sed quoniam pauci hoc faciunt, ideo subdit, a dextris decem millia : quia multi putant se ad dexteram collocandos falsa opinatione, cum hoc in suis meritis non habeant. Ad te non appropinquabit, scilicet quilibet qui sibi regnum Dei fallaciter pollicebatur, et ad remedium pœnitentiæ non currebat : ponit vero pro infinito numero numerum finitum.

8 *Verumtamen oculis tuis considerabis :*
Et retributionem peccatorum videbis.

C Oculis tuis : dixit divinum illum conspectum, quo hominum merita judicantur. Illa enim consideratio, retributio erit meritorum. Videbis, id est videri facies. Illa ergo meritorum in judicio Dei discretio, oculorum Dei consideratio dicitur.

9 *Quoniam tu es, Domine, spes mea*
Altissimum posuisti refugium tuum.

C Quoniam tu es, Domine, spes mea : quia resurgente Domino, spem retributionis reliqua membra perceperunt. Verum etiam Dominus Salvator, per id quod mortuus est, refugium suum noscitur in Altissimo posuisse, unde merito Ecclesia sequitur ejus exemplum, eum sibi refugium ponens, quem ille habuit.

10 *Non accedet ad te malum :*
Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

C Licet Christus a Judæis convicia pertulisset, tamen nihil mali corpori suo appropinquare voluit. Hic enim flagellum positum est, quod delicta castigat, tale Christo non appropinquavit : quia nihil castigandum et flagellandum habuit, unde hypallage est : quia ipse malo aut flagello non appropinquavit : quæ scientia in littera psalmi vertitur : Flagellum quoque pro opere flagello digno ponitur.

11 *Quoniam angelis + suis : mandavit de te :*
Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

C Nam quod legitur angelis esse mandatum, ut eum debeant custodire, humanæ infirmitatis est. Unde et dicitur in Evangelio : Apparuit illi angelus de cœlo confortans eum (*Luc.* XXII). Et ut ipsam humanitatis naturam perfectissimam declararet, adjecit : Ne forte offendas.

12 *In manibus portabunt te :*
Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

C Ne offendas, id est, ne in legem quæ in lapideis tabulis scripta videbatur, incurreret : qui venerat gentes legem et evangelicam doctrinam edocere (*Matth.* V), id est, ne solvat legem, sed impleat.

13 *Super aspidem et basiliscum ambulabis :*
+ Et conculcabis leonem et draconem.

C Nam ista nomina diabolo aptantur. Aspis est enim, dum occulte percutit : basiliscus, cum palam venena disseminat : leo, dum persequitur innocentes : draco, cum negligentes impia voracite deglutit. Verum hæc omnia, glorioso adventu Domini, pedibus ipsius prostrata jacuerunt.

14 *Quoniam in me speravit liberabo eum :*
Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

C Hunc ergo beatum virum, qui habitat in adjutorio Altissimi, liberatum dicit; quoniam spem suam in ipsius virtute reposuit : et ideo etiam protectum ab omnibus insidiis diaboli. Cognoscit nomen Patris, qui Filium non putat esse minorem Patre.

15 *Clamavit ad me et exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione :*

C Exauditur, qui clamat ad Dominum, dum ei præmia profutura concedit. Dicit cum ipso sum, dum, scilicet mens, in angustiis devota ferventius tribulatur. Ereptus utique ex hoc mundo, glorificandus est justus, quando in illa beatitudine collocatur : ubi jam tribulatio locum non habebit.

16 *Eripiam eum et glorificabo + eum :*
Longitudine dierum replebo eum :
Et ostendam illi salutare meum.

C Longitudo enim dierum vita est æterna quam nullus terminat finis. Ostendam illi salutare : hoc est enim quod fidelibus in summa remuneratione promittitur, quia salutare Christum Dominum contuentur, ubi totum desiderium spem ue beatorum implet.

ORATIO EX PSAL. XC.

Præsta nobis, Domine, per invocationem nominis tui, aspidis et basilisci lethalia venena calcare : ut ostenso nobis salutari tuo, adversus insidias inimici, spiritalis clypei umbraculo muniamur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS XCI.

ARGUMENTUM PSAL. XCI.

C Vox Ecclesiæ, de exaltatione justorum et perditione impiorum.

TT. *Psalmus cantici in die Sabbati.*

C Psalmus cantici : admonet nos ut in universis actibus nostris, divinitati gratias referre debeamus. Dies Sabbati : *requies* interpretatur, per quam commonemur ab omni prava actione cessare.

1 *Bonum est confiteri Domino :*
Et psallere nomini tuo, Altissime.

H Bonum est confiteri : hoc est, primum age pœnitentiam et dele peccata, deinde psalle Altissimo.

2 *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam :*
Et veritatem tuam per noctem.

℣ Mirabiliter vita nostra duobus conclusa est sermonibus. Mane significat gaudium : et tunc misericordias ipsius annuntiare debemus. Nox indicat tristitiam : et similiter tunc in tribulationibus, veritatem ipsius præcipimur annuntiare, quia juste et merito patimur. Sicut enim in prosperis misericordia ostenditur, qua dat indignis, et malis bonus est : ita in adversis veritas monstratur, qua dixit peccatores puniendos.

3 *In decachordo psalterio :*
Cum cantico in cithara.

℣ Decachordum psalterium, decem præcepta legis sunt. Canticum et cithara est gaudium boni operis, id est eleemosynarum jucunda largitio. Cithara vero cantat, qui opera bona perficit sine asperitate tristitiæ.

4 *Quia delectasti me, Domine, in factura tua :*
Et in operibus manuum tuarum exsultabo.

℣ Delectatam se dicit mater Ecclesia, in factura Domini : quoniam quidquid boni acceperit, non suis meritis, sed suo Domino applicavit. Et exsultare se in Dei operibus, non vero in sua felicitate, sed in ipsius voluntate profitetur, ut ait Apostolus : Ipsius enim figmentum sumus (*Ephes.* II).

5 *Quam magnificata sunt opera tua, Domine !*
Nimis profundæ sunt cogitationes tuæ.

℣ Obstupescit Propheta vehementius ipsa opera et Domini magnificentiam. Nimis profundæ sunt factæ cogitationes ejus : ut sicut diabolus per superbiam corruit, ita humanum genus beneficio humilitatis possit absolvi. Quis hoc et similia profundabit ?

6 *Vir insipiens non cognoscet :*
Et stultus non intelliget hæc.

℣ Est vir insipiens, qui cœlesti sapientia evacuatus, et humanis versutiis probatur esse plenissimus : iste non cognoscit opera Dei; quia casuale credit quod geritur. Sicut quidam philosophi dixerunt : Stultus autem utique est, qui nec divina recognoscit, nec ipsos sæculi actus intelligit, quos vulgo brutos vocamus.

7 *Cum exorti fuerint peccatores sicut fenum :*
Et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.

℣ Dicit enim hic florere peccatores sicut fenum : sed in illo judicio eos asserit celeriter interire, et ibi cum ad judicium venerint, humanis conspectibus apparebunt corda eorum aliis, quæ hic apparere non potuerunt.

8 *Ut intereant in sæculum + sæculi :*
Tu autem Altissimus in æternum, Domine.

℣ Sequitur causa cur appareant : non utique ad gloriam, sed ut intereant. Pulchre enim exposita est pœna damnatorum : non enim sic pereunt, ut esse jam desinant, sed in sæculum sæculi deficiunt, qui nunquam a suis afflictionibus exuuntur. Tu autem Altissimus : subaudiendum est permanebis. ‖ Et nihil est bonum nisi quod æternum est. Quodcunque bonum finem habet, nec inter bona numerandum est. Quid enim prodest si ante diem rex fui, hodie in carcere morior : omne quod est præteritum et finem habet, nihil est.

9 *+ Quoniam : ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt :*
Et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

℣ Inimici Dei sunt dæmonum cultores, et quicunque præceptis ejus obviare satagunt. Illi enim dispergentur, quando a grege Domini fuerint segregati.

10 *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum :*
Et senectus mea in misericordia uberi.

℣ Hic enim unicornis, exaltationem significat unitatis. Illa enim unitas, fortitudo sublimis est, ubi sanctorum gloria decorat Ecclesiam. Senectus candidum caput habet : quæ similitudo datur recte Ecclesiæ; quoniam omnia merita sanctorum, tanquam cani capitis purissima luce fulgebunt, cujus senectus ad vitam ducit perpetuam.

11 *Et despexit oculus meus inimicos meos :*
Et insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

℣ Inimici sunt, scilicet Ecclesiæ, operarii iniquitatis, quos tunc despicit Deus, quando in sinistra parte segregatos se esse cognoscunt. Insurgentes sunt malignantes divites, qui hic paupertatem despiciunt. Hos audient aures hominum fidelium : quando dicunt, Quid nobis profuit superbia nostra ? (*Sap.* V.)

12 *Justus ut palma florebit :*
Ut cedrus Libani multiplicabitur.

℣ Justus recte comparatur palmæ, hæc enim super terras hispida est : sed ubi ad superna processerit, dulcissimorum fructuum suavitate completur. Et dicta est palma : quasi pacis alumna. Sic vita justorum duris est in hoc mundo laboribus plena, sed in supernis est pulcherrima. Cedrus lignum bene olens, ad pondera portanda aptissimum et fortissimum, et multum palma celsius crescens (quod maxime in Libano celsius invenitur) justos significat repletos bonis operibus.

13 *Plantati in domo Domini :*
In atriis domus Dei nostri florebunt.

℣ Plantatio, hic prædestinatio Dei intelligitur : quia nisi quis in ea plantatus fuerit, crementum felicissimum non habebit. Atrium enim initium dicitur mansionis : ibi florebit justus, quando in illo initio resurrectionis audita felicitate gaudebit, id est, quando dicere audiet : Venite, benedicti, etc.

14 *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi :*
Et bene patientes erunt ut annuntient.

℣ Senecta hominum arida est : Ecclesia vero tunc magis incipit esse uberrima, quando ad finem sæculi fuerit Domino miserante perducta. Bene patientes erunt : quia passiones beatorum cœlorum regna conquirunt. *Et tunc* annuntient quoniam justus est Dominus, et quoniam rectus est, etc.

15 *Quoniam rectus Dominus Deus noster :*
Et non est iniquitas in eo.

C Quoniam rectus Dominus : qui servis suis promissa complevit, et non est in eo iniquitas : ut in hoc mundo permisisset periclitari martyrio, quos ibi non coronasset præmio.

ORATIO EX PSAL. XCI.

Exsultatio æterna sanctorum, Deus, qui justos diversis bonorum refectos impendiis, florere in palmiferis atriis immarcessibiliter facis, quæsumus, ut remissis molibus delictorum, eorum nobis societatem dignanter impertias. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XCII.

ARGUMENTUM PSAL. XCII.

C Laus Ecclesiæ, de Incarnatione et de regno Christi

TT. ✣ *Laus cantici ipsi David in die ante Sabbatum quando fundata est terra* ⁝.

C Canticum ad laudem pertinet divinitatis. Ipsi David : Christo aptatur. In die ante Sabbatum : sexta feria est, quæ Sabbatum præcedit. Terra hic hominem significat, cui dicitur : Terra es et in terram ibis (*Gen.* III) : quem inter initia rerum sexto Creator condidit.

1 *Dominus regnavit, decorem indutus est :*
Indutus est Dominus fortitudinem et præcinxit se.

C Considerans Propheta quæ ventura erant, regnaturum esse Dominum, cum magna exsultatione concelebrat. Decorem induit, id est, pulchritudinem suæ majestatis ostendit : quando transfiguratus est in monte coram discipulis (*Matth.* XVII). Indutus est Dominus fortitudinem : quia diabolum oppressit. H Et præcinxit se : cum multitudine angelica circumdatus remeavit ad Patrem (*Act.* I).

2 *Etenim firmavit orbem* ✣ *terræ* ⁝ :
Qui non commovebitur.

C Firmavit orbem terræ, id est, Ecclesiam (ut in Evangelio : Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [*Matth.* XVI]) quæ non commovebitur ullatenus, quamvis persecutione frequenter vexetur.

3 *Parata sedes tua ex tunc :*
A sæculo tu es.

C Parata est sedes, id est, mens fidelium ; sicut est (*Isa.* LXVI) : Super quem requiescit Spiritus meus, nisi super humilem et trementem verba mea et quietum ? Ex tunc, id est, ab Incarnatione Christi. A sæculo : deitatem (quæ coæterna regnans cum Patre, nescit esse sub tempore) ostendit in Christo.

4 *Elevaverunt flumina, Domine :*
Elevaverunt flumina vocem suam.

C Flumina Domini sunt, videlicet apostoli, qui de Spiritu sancto potati sunt, quæ merito voces elevasse dicta sunt, quoniam auctori suas laudes salutariter obtulerunt.

A 5 ✣ *Elevaverunt flumina fluctus suos* ⁝ :
A vocibus aquarum multarum.

C Elevaverunt flumina fluctus, id est, apostoli sermones irriguos : ipsosque in prædicationibus erexere sanctissimis. A vocibus aquarum : gentes significat, quæ ad catholicam fidem Deum laudando conveniunt.

6 *Mirabiles elationes maris :*
Mirabilis in altis Dominus.

C Elationes maris : sapientes populos in Ecclesia catholica significat : quorum mirabiles elationes tunc fiunt, quando in mandatis Dei firma mente consistunt. Mirabilis in altis Dominus. H Quando residet ad dexteram Patris.

7 *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis :*
B *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum*

C Testimonia enim prophetarum nimis credibilia facta sunt : quia Incarnatione Domini revelata sunt, quæ in sacris libris tenebantur occulta. Domus est utique universalis Ecclesia, hanc decet sanctitudo, id est, copiosa benedictio Christi adventus, quo adventu eam sic ornat, ut nunquam deserat. Longitudo dierum : æternitatem significat. Nam, sicut quidam dixit, Longitudo non est, in qua est aliquid extremum.

ORATIO EX PSAL. XCII.

Domine omnipotens, qui paterna præcinctus virtute cœlum, mare, terramque locasti, exaudi supplices tuos, et da credulitatem in testimoniis tuis,
C indue nos fortitudinem et decorem sanctificationis. Qui cum Patre et Filio, etc

PSALMUS XCIII.

ARGUMENTUM PSAL. XCIII.

C Oratio fidelium, ut a persecutoribus : qui Deum ignorant : liberentur.

✣ TT. *Psalmus David quarta Sabbati* ⁝.

C Psalmus : sanctam significat operationem, quarta Sabbati : feria quarta est, in quo die luminaria in firmamentum cœli facta narrantur. Sic in Ecclesia sunt fundati electi, de quorum patientia psalmus iste plurimum narrat.

1 *Deus ultionum, Dominus :*
Deus ultionum libere egit.

D C Deus enim terribile nomen est : quoniam ex Græco, quod significat timorem, descendit. Ultionum Dominus est, qui judicaturus erit mundum, et ultionibus justis affliget obstinatos. Libere egit, id est, nullo impediente totum mundum judicabit.

2 *Exaltare, qui judicas terram* ⁝ :
Redde retributionem superbis.

C Tunc exaltatus est coram discipulis : quando eum in majestate sua ad gloriam constat resurrexisse perpetuam. Judicabit terram : quando majestatis suæ ditione judicabit terrenos homines. Superbi autem illi sunt, qui in sua malignitate deficiunt. Illis ergo retributio redditur, cum audierint : Ite in ignem.

3 *Usquequo peccatores, Domine :*
Usquequo peccatores gloriabuntur ?

H Non sufficit eis peccatores esse, sed etiam in peccatis gloriantur. Prima quippe infelicitas est, peccare : secunda, in fine vitæ pœnitentiam non agere, quod gloriabundis in malitia evenire solet. C Qui in die judicii, si hic non emendant, gloriari non possunt. Dicit ergo, quousque gloriantur? quasi diceret usque ad finem vitæ, quia, postea cessabit gloriatio et malitia.

4 *Effabuntur et loquentur iniquitatem :*
Loquentur omnes qui operantur injustitiam.

C Qui sunt qui loquuntur iniquitatem, nisi illi qui dicunt : Quid nobis proderit si juste vixerimus ? aut quid illis profuit, qui in hac vita conversati sunt innocenter, qui ut cæteri mortui sunt ?

5 *Populum tuum, Domine, humiliaverunt :*
Et hæreditatem tuam vexaverunt.

C Per populum, viros dicit fideles, quos dicit humiliatos : quoniam Deo contumelias fieri audiebant, necesse est enim devotum famulum dolore cruciari, quando aliquid irreverentissimum de Deo audierit. Hæreditatem dicit populos Christianos : quos innumeris cladibus a superbis persecutoribus constat esse vexatos.

6 *Viduam et advenam interfecerunt :*
Et pupillos occiderunt.

H Vidua : secundum tropologiam est anima peccatrix, quæ Deum verum amisit. Pupilli vero illi sunt, qui Patrem Deum non habent quos hæretici interficiunt : sicut et pravi divites, cæteros humiles affligunt.

7 *Et dixerunt : Non videbit Dominus :*
Nec intelliget Deus Jacob.

C Æstimant enim dementes, Deum non vidisse mala illorum cum peccant, quando se non sentiunt sub celeritate percelli : dum ille pius moderator exclamat : Nolo mortem peccatoris (*Ezech.* XXXIII). Deus Jacob : dicitur Deus Christiani populi.

8 *Intelligite, insipientes in populo :*
Et stulti, aliquando sapite.

C Insipientes illos appellat, qui in Ecclesia constituti, felicitate hujus sæculi gaudent. Stulti autem dicit sapite, id est, vos qui veræ religionis expertes, blasphematis aperte, dicentes Deum nec videre nec intelligere hominum facta : vos, inquam, stulti et dementes, advertite pietatem Dei.

9 *Qui plantavit aurem non audiet :*
Aut qui finxit oculum non considerat ?

C Isti versus increpative legendi sunt. Ostendunt enim in Deo esse virtutes audiendi videndique ; ac si dicat : Qui tibi plantavit aurem non audiet ? audiet vere. Et qui finxit oculum ad videndum non videt ? H Certe totus oculus est, *qui* omnia videt : totus manus est, quia omnia operatur : et quidquid membra nostra valent, ipse operatur.

10 *Qui corripit gentes non arguet :*
Qui docet hominem scientiam ?

C Qui corripit gentes, id est, qui erudit gentes A per legem suam et prophetas, non arguet ? arguet utique. Qui docet hominem scientiam, ipse non habet ? habet videlicet : quia plenitudo scientiæ in Deo est.

11 *Dominus scit cogitationes hominum :*
Quoniam vanæ sunt.

C Cogitationes enim talium hominum omnino vanissimæ sunt : quas Dominus novit, quia ipsi per se nosse non possunt, *qui* pravis cogitationibus occupantur. Vanum enim dicimus, quidquid a veritate discedit, quidquid utilem non habet fructum.

12 *Beatus homo quem tu erudieris, Domine :*
Et de lege tua docueris eum.

C Contra vanos, bene ponitur beatus. Quia sicut B illi caducis cogitationibus eluduntur, ita justi doctrinæ cœlestis veritate firmantur, fiuntque revera beati, quoniam munera cœlestis sapientiæ perceperunt. H Unde certe felix, quia Deo magistro utitur. De lege, id est, Scripturis sanctis. Lectio quoque illius Scripturæ sanctæ mitigat tribulationes ; unde sequitur : Ut mitiges, etc.

13 *Ut mitiges ÷ ei ⁝ a diebus malis :*
Donec fodiatur peccatori fovea.

C Constat esse beneficium sanctæ legis, ut in adversis istius mundi Christianus discat patientiam, qua omnia ei mitigantur adversa. Dies mali præsens mundus est, in quo justus exspectat tolerande per patientiam adversa, donec omnibus peccatoribus C fovea damnationis præparetur æterna.

14 *Quia non repellet Dominus plebem suam :*
Et hæreditatem suam non derelinquet.

C Plebem suam, dicit fidelissimos Christianos, qui ad Dominum tota mentis intentione festinant. Hæreditas est humana, quæ ad successorem prioris Domini morte transfertur, sed licet hæreditas Christi sit suo sancto sanguine acquisita, tamen nunquam perdit suum auctorem, sed cum ipso possidetur semper.

15 *Quoadusque justitia convertetur in judicium :*
Et qui juxta illam ? omnes qui recto sunt corde
÷ Diapsalma ⁝.

C Tunc convertetur justitia hominum in judicium, quando sedentibus apostolis super duodecim sedes D dabuntur justis præmia æterna, et justi judicabunt impios. Et qui juxta illam (interrogando dicit) scilicet justitiam ? Respondet, omnes recto corde.

16 *Quis consurget mihi adversus malignantes ?*
÷ Aut ⁝ quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?

C Testatur enim Christus sibi solum Deum esse adjutorem contra malignos spiritus. Et interrogative legendum est : quis consurget? id est nemo pro me adversus dæmones certaturus assistet, dum potius homines eos malis imitationibus subsequantur. Aut quis stabit? id est nullus stabit in acie certaturus, quasi diversis jaculis vulnerandus, ut non defendendo sed patiendo sten.

17 *Nisi quia Dominus adjuvit me :*
Paulominus habitavit in inferno anima mea.

C Dicit enim : nisi quia Dominus, vox Christi in persona membrorum, ac si dicat : In illam foveam protinus incidissem, in qua peccatores certum est posse demergi. Paulominus habitaverat, id est, vanis persuasionibus potuisset decipi anima mea, nisi meruisset a Domino liberari.

18 *Si dicebam : Motus est pes meus :*
Misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

C Hic beneficium celerrimæ confessionis ostenditur, ut cum se homo lapsum in peccatis confitetur, statim munera divina dimittendi peccata subsequuntur. Si igitur dicebam : Motus est pes meus, id est peccavi, quam statim dixi vero corde, misericordia tua adjuvabat me. Tantum valet accelerata confessio, ut ante remittatur peccatum quam puniatur.

19 *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo :*
Consolationes tuæ lætificaverunt animam meam

H Secundum multitudinem, id est, quantum fuit pondus pœnitentiæ, tantus fuit numerus consolationum. Quia quando egi pœnitentiam et sustinui tribulationem in præsenti vita, tunc consolari gaudebam in futura, et quanto magis egi pœnitentiam, tanto magis consolatus es me. Unam fudi lacrymam, unam merui consolationem ; decem fudi lacrymas, decem merui consolationes. Quot patimur vulnera, tot meremur et coronas, et magnitudo tribulationum magnitudo præmiorum est.

20 *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis :*
Qui fingis laborem in præcepto?

C Nunquid ? negative legendum est. Sedes iniquitatis est mundi hujus voluptuosa possessio, quæ Domino adhærere non potest. Præceptum enim Domini habet : Beati qui lugent et qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam istorum est regnum cœlorum (*Matth.* v). Et præceptum Domini in præsenti sæculo laborem et dolorem habet, non requiem nec gaudium. Quia arcta et angusta via est quæ ducit ad vitam. Fingere enim plasmare dicimus, et qui mentitur, aliquid sibi plasmare videtur. Hic autem fingere Deo attribuitur, ille formavit laborem in præcepto. H Nemo enim dormiens coronatur.

21 *Captabunt in animam justi :*
Et sanguinem innocentem condemnabunt.

C Captabunt enim dixit, quasi captiose tractabunt, quia veram causam criminis in martyribus persecutores invenire non possunt. Et sanguinem innocentem : ad Christum hoc potest referri, quia vere innocens pro nostra redemptione sententiam injustæ condemnationis accepit.

22 *Et factus est Dominus mihi in refugium :*
Et Deus meus in adjutorium spei meæ.

C Hic ostendit nihil valere persecutiones hominum contra Christum vel contra martyres, et eo tempore magis dicit divinum sibi provenisse refugium, quando superbia humanæ persecutionis studio inflata est. Quia per hanc illa beatitudo coronalis palmæ præparatur. Et Deus meus in adjutorium spei meæ. Quoniam hic adhuc spem habemus, non rem tenemus : sed spem in futuro relinquimus, quia jam nostrum desiderium possidemus.

23 *Et reddet illis iniquitatem ipsorum :*
Et in malitia eorum disperdet eos :
Disperdet illos : Dominus Deus noster.

C Et reddet illis, id est retribuet malis secundum vota nequitiæ suæ, et nota quod hoc nomen, malitia, est capax omnium criminum, sicut charitas est capax omnium virtutum. Disperdet eos, id est, a suo regno alienos efficiet.

ORATIO EX PSAL. XCIII.

Erudi nos, Domine, secundum benevolentias legis tuæ, et esto nobis in tribulatione refugium, qui hominibus prudenter insinuas scientiam, ne derelinquant. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS XCIV.

ARGUMENTUM PSAL. XCIV.

C Propheta incitat populos ad laudem Dei venire.

TT. *Laus cantici ipsi David* : :

C Laus, vocis significat devotionem ; canticum, hilaritatem mentis. Quod utrumque in opere psalmodiæ debet esse sociatum. Ipsi David, significat Christum, cui laus ista cantatur

1 *Venite, exsultemus Domino.*
Jubilemus Deo salutari nostro.

C Venite enim illis dicitur qui longe positi sentiuntur, qui se necdum fidei integritate populo fideli junxerunt. Est autem exsultatio hujus sæculi, quæ occupat animas infideles. Ideo addidit Deo, de quo vera est exsultatio. Jubilare esse magnum modum lætitiæ, cui sermo non sufficit, sæpe diximus.

2 *Præoccupemus faciem ejus in confessione :*
Et in psalmis jubilemus ei.

C Præoccupare, est aliquid ante facere, quam ille possit videre qui creditur advenire. Faciem, dicit conspectum Christi in judicio, id est ut confiteamur facinora nostra ante judicialem ejus adventum. Jubilemus in psalmis, H scilicet in cordibus nostris psallentes, id est gratias agentes.

3 *Quoniam Deus magnus Dominus :*
Et rex magnus super omnes deos.

C Dicendo enim, quoniam Deus magnus ostendit illum esse potentiorem ; magnus quippe hic non dicitur, nisi qui summæ potestatis arcem tenere monstratur. Deos etiam homines sanctos appellat super quos Dominus rex magnus est, quoniam creat omnia et regit universa.

4 *Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ :*
Et altitudines montium ipsius sunt.

C Fines terræ ad gentes pertinet universas, quæ Christo fideli devotione subjectæ sunt. Altitudines montium, potestates sæculi honoresque terreni sunt, qui tamen Domino subjecti sunt, et ideo ipsius esse dicuntur. H Pugillo enim, id est, potestate concludit omnem latitudinem terræ.

5 *Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud :*
Et siccam manus ejus formaverunt.

C Mare significat gentes, quæ in hoc sæculo variis vitiorum flatibus commoventur; arida, populus fidelis est, fontes fidei adhuc sitiens : quos dono suæ misericordiæ *fundare* dignatus est Christus. His omnibus jungendum est : jubilemus ei.

6 *Venite, adoremus et procidamus*
Et ploremus ante Dominum qui fecit nos : quia ipse est Dominus Deus noster.

C Hortatur nunc Christianum populum Propheta ad satisfactionem pœnitentiæ. Adoremus, id est, corporis inflexione incurvemus. Procidamus, ut ante ipsum nos prosternamus, totaque membrorum effusione tendamur. Ante Deum plorare, est pios fletus effundere, et pessima facta damnare. Nam si tota cordis puritate deprecemur, facile nos qui fecit, et reficit. Et causam triplicem hujus adorationis subjicit, quoniam ipse fecit nos, etc.

7 *Et nos populus pascuæ ejus :*
Et oves manus ejus.

C Dicit enim quid sint fideles, utique oves pascuæ Domini. Quia æternis deliciis felici sorte sa; tiantur.

8 *Hodie si vocem ejus audieritis :*
Nolite obdurare corda vestra.

C Hic subdit unam conditionem necessario prærequisitam ad hoc, ut sint homines vere oves Christi, dicens : Hodie si vocem ejus audieritis. Nam qui vocem Domini non audit, non grex dicitur ejus, nec in pascuis ejus collocatur. Hodie vero pro quolibet tempore positum est, velut dicatur : Quocunque tempore vel die, ejus vocem audieritis, nolite obdurare corda vestra.

9 *Sicut in irritatione :*
Secundum diem tentationis in deserto.

C Tentatio enim Judaica contra Moysen gravi murmuratione surrexit, dicens nec escam sibi in deserto dari, nec aquam potabilem divina largitate concedi. Quapropter culpa parentum istis repetitur, ut debita vindicta timeatur.

10 *Ubi tentaverunt me patres vestri :*
Probaverunt et viderunt opera mea.

C Ubi, significat in deserto. Ibi apparuit potestas Dei, quando esca venit ex aere potusque ex lapide. Ibi probaverunt opera mea : quando manna pluit esurientibus, quando coturnicum multitudo venit et aquas lapis dedit (*Exod.* xvi). Et viderunt; hoc ipsis improperium dicitur. Nam viderunt et tamen non crediderunt.

11 *Quadraginta annis offensus fui generationi illi :*
Et dixi : Semper errant corde.

A Quadraginta annis, omne tempus vitæ præsentis significat; denarius etenim numerus perfectus est, qui dum ad quatuor mundi partes adjungitur, ad quadragenarium usque pervenit

A 12 *Et isti non cognoverunt vias meas :*
ut juravi in ira mea.
Si introibunt in requiem meam.

C Et isti non cognoverunt vias, quia quadraginta annorum tempore beneficia Dei scire noluerunt. Duobus modis jurare dicitur Deus : jurat placatus atque mitis; hic autem jurare dicitur iratus, quia vindictam noscitur comminari. Quid est aliud in requiem Dei non introire, nisi perpetua tormenta suscipere. Negative igitur legendum est, si introibunt, id est non introibunt.

ORATIO EX PSAL. XCIV.

Salutare eximium omnium populorum, Domine, respice propitius super oves gregis tui, eisque impertiens sal prudentiæ, introducere easdem innoxias sempiternam digneris in requiem. Qui cum Patre et Filio et Spiritu, etc.

B

PSALMUS XCV

ARGUMENTUM PSAL. XCV.

C Laus fidelium de Christi Incarnatione et de exaltatione Ecclesiæ.

TT. ✣ *Quando domus ædificabatur post captivitat canticum hinc David* .

H C Domus enim ista est universalis Ecclesia, in qua Christus inhabitat. Quæ destructa ædificatur, quando anima post captivitatem peccati, ad intelligentiam veritatis cœperit Domino præstante remeare; nec ædificari desinet, donec usque ad finem sæculi prædestinatorum numerus impleatur.

C H Totum quippe mysterium hujus psalmi in titulo est; tota vitæ nostræ sacramenta et salus in titulo sunt.

1 *Cantate Domino canticum novum :*
Cantate Domino, omnis terra.

C Cantat enim Domino canticum novum qui, vetere homine deposito, per gratiam baptismatis feliciter innovatur. Omnis terra, catholicam significat Ecclesiam, quæ per cunctum orbem noscitur esse diffusa. Nova domus novum meretur canticum. Innovata anima canticum innovet.

2 *Cantate Domino et benedicite nomini ejus :*
Annuntiate de die in diem salutare ejus.

C Nomen enim Dei benedicimus, quando nostrum salutare per omnia confitemur. De die in diem nuntiatur, quando adventum Christi et prophetæ promiserant, et evangelistæ venisse declararunt. Ita factum est ut duo cœlestes dies annuntiasse ejus gloriam comprobentur, scilicet Vetus Testamentum et Novum. H Christus enim in utroque lucet. Nolite eum tantum in Veteri nuntiare, ne sitis Judæi : nec solum in Novo, ne sitis Manichæi, sed in utroque laudate eum.

D

3 *Annuntiate inter gentes gloriam ejus :*
In omnibus populis mirabilia ejus.

C Dominus enim salvator nuntiandus erat, et per gentes quoque prædicanda erat gloria ejus, quia tanti miraculi prædicabant auctorem. Mirabilia ejus : significat arcanum incarnationis Christi, qui

dum sit altissimus, factus est pro nobis humillimus.

4 *Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis. Terribilis est super omnes deos.*

C Magnus, ad potestatem pertinet, quia cunctis potentior est : laudabilis, ad pietatem, quia nos redemit; nimis, ad utrumque pertinet, quia nec quantum magnus, nec quantum laudabilis sit potest explicari. Deos hic debemus advertere quos sibi gentilitas composuit.

5 *Quoniam omnes dii gentium dæmonia : Dominus autem cœlos fecit.*

C Dæmonia sunt enim quæ nulli præstant bona, sed in se credentes semper decipiunt, dicti dæmones, quasi scientes. Sed quoniam scientia illa dici B non potest, quæ Creatoris non obsecundat arbitrio, eos ita scientes debemus accipere, quasi non intelligentes, sicut et Apostolus sapientiam mundi stultitiam vocat (*I Cor.* I). Deus cœlos fecit, id est, apostolos et sanctos viros instituit, qui dæmonibus imperare consueverunt.

6 *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.*

C Confessionem siquidem, bene sequitur pulchritudo. Quia nemo potest esse pulcher, nisi fuerit Dei miseratione mundatus : fœdos nos faciunt peccata, sed pœnitentia reddit decoros. Sanctimonia et magnificentia, id est honor et beatitudo. In sanctificatione, id est in illa voce Christi : Venite, benedicti. Vel melius, A in sanctificatione gratiæ, qua sanctificat et ita magnificat nos. Noli ante magnificari quam sanctificari (quia illud est ruere), sed ante sanctificare, et ita a Deo non a te magnificaberis.

7 *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem : Afferte Domino gloriam nomini ejus.*

C Patria dicta est, quasi patris atria. Significat enim patria gentium omnem generalitatem Christianorum, quam admonet ut Domino gloriam afferat et honorem. Afferunt utique gloriam nomini ejus qui studio devotionis et bonæ voluntatis commutantur in melius, et consubstantialem Trinitatem per omnia confitentur. Laus enim et honor est Domini, bona conversatio servi, unde Salvator ait : Sic luceat operationis bonæ lux vestra coram hominibus, ut glorificetur pater vester in cœlis (*Matth.* V).

8 *Tollite hostias et introite in atria ejus : Adorate Dominum in atrio sancto ejus.*

C Hostias, hic dicit, conscientiæ puræ libamina. Unde non sanguis, sed piæ lacrymæ currunt, hoc est cor contritum. Vel opera misericordiæ. Atria autem Domini sunt apostoli vel prophetæ, per quos fidelis populus intrat ad Deum. Tunc revera Christus adoratur, quando in atria Ecclesiæ catholicæ pervenitur.

9 *Commoveatur a facie ejus universa terra ; Dicite in gentibus + quia : Dominus regnavit.*

C Tunc enim terra commovetur, quando peccator, terrena vitia derelinquens, ad pœnitentiam fuerit Domino miserante perductus. Dominus regnavit per tropæum crucis in genere humano. Unde et Romana translatio, ex septuaginta Interpretibus facta habet : regnavit a ligno. Sive regnavit, id est, apparuit in carne regnaturus qui semper regnavit. H Vel, regnavit in animabus commotis per pœnitentiam.

10 *Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur : Judicabit populos in æquitate.*

C Tunc correxit orbem, quando per regulam fidei paganorum corda convertit. Qui, scilicet orbis, non commovebitur, quia in soliditate veræ fidei consistit. Populos, hic fideles homines vult intelligi, qui judicandi sunt sub tranquillitate supernæ misericordiæ, quando eis præmia promissa restituit. Et æquitas pertinet ad beatos, ira ad pœnas perpetuas impiorum.

11 *Lætentur cœli et exsultet terra : commoveatur mare et plenitudo ejus : Gaudebunt campi et omnia quæ in eis sunt.*

C Cœli, apostolos, prophetas et prædicatores; terra, auditores conversos; mare, mundum significat. Campos vero viros dicit, non superbia tumidos, non asperos iracundia, sed mansuetos lenitate- C que plenissimos, qui gaudent, quando conversationis dona susceperint. Omnia, universitatem gentium significat.

12 *Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini quia venit : Quoniam venit : judicare terram.*

C Tunc exsultabunt, id est in secundo adventu Christi, quando judicaturus est mundum, exsultabunt omnia ligna silvarum, id est gentes, quæ prius fuerant steriles, velut ligna silvarum, ad culturam fructiferam tunc perductæ, ante faciem Domini magno gaudio sunt lætaturæ. Quoniam venit : per hoc illum nos adventum tantum voluit intelligere, quem adhuc noscimur exspectare. H Ideo certe ista ligna gaudebunt, quia non sunt obnoxia combustioni; D peccatores enim subdet pœnis; justos præmiis remunerabit æternis.

13 *Judicabit orbem terræ in æquitate : Et populos in veritate sua.*

Primo venit ut judicetur, postea venturus est ut judicet.

ORATIO EX PSAL. XCV.

Factor cœli et terræ, creator Deus quem omnis terra cantici novi modulatione persultat, precamur, ut sicut te a ligno regnante supplices confitemur, ita, amisso omni gentilitatis errore, futuri adventus tui gloriam, intentis sensibus præstolemur. Qui cum Patre et Filio, etc.

PSALMUS XCVI.

ARGUMENTUM PSAL. XCVI.

C Propneta de primo Christi adventu dicit, admonens fideles in eo lætari, et increpans eos qui idola venerantur.

TT. *Psalmus ✣ ipsi David : quando terra ejus restituta est.*

C Terra David, caro Christi est, quæ post soporem mortis lege communi restaurata est in gloria munere singulari resurrectionis. Vel certe, terra, est Ecclesia, id est corpus Christi mysticum, *omnes, scilicet fideles.*

1 *Dominus regnavit, exsultet terra :*
Lætentur insulæ multæ.

C Dominus regnavit, quis ergo alter colendus est, nisi ille qui solus cognoscitur imperare? Exsultet terra, id est genus humanum, in sua reparatione. Lætentur insulæ, id est ecclesiæ gentium. Dicit vero multæ non omnes, propter hæreticas pravitates.

2 *Nubes et caligo in circuitu ejus :*
Justitia et judicium correctio sedis ejus.

C In hoc versu, qualis sit Dominus impiis vel religiosis narratur. Nubilosus et caliginosus est indevotis, dum tenebrosa corda nulla claritate resplendent. Justitia vero et judicium, his qui in eum credunt, et sedes ejus effici meruerunt; qui bene correctio vocantur, quia pravitate exuti, et recti, et Dei sedes facti sunt.

3 *Ignis ante ipsum præcedet :*
Et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

C Ante adventum Domini ignis præcessit, quando a prædicatione prophetarum corda infidelium fremuerunt, ita ut, ardore iracundiæ succensi, de prædicantium nece tractarent. Et inflammabit, scilicet impios adversus electos. In circuitu, quia dum pauci essent electi, erat adversariorum circumdans innumerabilis multitudo.

4 *Alluxerunt fulgura ejus orbi terræ :*
Vidit et commota est terra.

C Alluxerunt fulgura ejus, id est prædicationes prophetarum vel miracula sanctorum. Commota est terra, hoc est terreni perterriti in novitate prædicationis, ut se intelligerent idola insensata colere, dum haberent adorabilem summum Creatorem.

5 *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini :*
A facie Domini ⁝ omnis terra.

C Montes fluxerunt, hoc est, potentes hujus sæculi cognito Domino humiliati sunt. Omnis terra, id est potestates sæculi, pagani seu hæretici, qui, ab errore vocati a Domino, damnantes superstitiosum votum suum, magis divinum eligunt subire servitium.

6 *Annuntiaverunt cæli justitiam ejus :*
Et viderunt omnes populi gloriam ejus.

C Cœli, apostoli vel prædicatores, quorum sanctis prædicationibus, justitia Dei innotuit mundo. Viderunt : hic non carnalibus oculis sed cordis lumine debemus accipere; gloria enim audiri non videri A solet. Vel, ut quidam volunt, viderunt gloriam, id est Christum qui est gloria Patris.

7 *Confundantur omnes qui adorant sculptilia :*
Qui gloriantur in simulacris suis.

C Increpat hic cultores idolorum. Idolum dictum est, quod ipsum sit dolum, id est hominum falsitate repertum. Simulacrum, a *simulatione sacra* compositum, eo quod illis detur honor alienus. Sic utraque fugienda ipsorum nominum interpretatione declarantur.

8 *Adorate eum, omnes angeli ejus :*
Audivit et lætata est Sion.

C Bonus enim angelus adoret Deum, qui recto corde suum cognoscit auctorem, nec se ab hominibus adorari permittit; sed malus angelus se adorari B satagit (*Apoc.* XIX). Audivit Sion, id est, Ecclesia catholica puro corde judicia Domini percepit, et ideo lætata est. Nam qui verbum Dei subdola mente audit, quia contra voluntatem suam quod non credit audit, tristis abscedit (*Matth.* IV).

9 *Et exsultaverunt filiæ Judæ.*
Propter judicia tua, Domine.

C Filiæ Judæ significant religiosas mentes probatasque personas; quæ ideo filiæ Judæ dicuntur, quoniam Christo confiteri et credere maluerunt qui ex Juda descendit. Propter judicia, scilicet quia tristitiam servorum tuorum convertis in gaudium, et superbum eis diabolum virtutis humilitate prosternis.

10 *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem* C *terram :*
Nimis exaltatus es super omnes deos.

C Terra hic, peccatores; deos, justos homines debemus advertere. Per hæc enim duo, significat Christum et terrenis creaturis et cœlestibus imperare.

11 *Qui diligitis Dominum, odite malum :*
Custodit ✣ Dominus ⁝ animas sanctorum suorum :
de manu peccatorum liberabit eos.

C Hic bonos alloquitur et fideles, ut a malitia diaboli segregentur. Ipse enim jure dicitur malus, per quem venit omne malum. Et ne quis diabolum timuisset offendere, sequitur : custodit Dominus animas sanctorum. Liberat etiam animas de manu peccatorum, quando eas non sinit aliqua pravitate sub- D verti. Ne vero Dominum corpora sanctorum a pœnis custodire intelligeres (qui passim tradit ad pœnas, ut martyribus reddat coronas), dixit, animas sanctorum.

12 *Lux orta est justo :*
Et rectis corde lætitia.

C Justo dicit ortam esse lucem, id est verissimam fidem, ut illuminatus talia credat quæ eum ad cœlorum regna perducant. Rectis corde oritur lætitia; quando Deo præstante talia gerunt quæ sibi profutura cognoscunt.

13 *Lætamini, justi, in Domino :*
Et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

C Admonet hic justos, non in humano desiderio, aut in hujus sæculi ruinosa jactantia, sed in Domino

lætari. Confitentur justi memoriam sanctitatis ejus, quando in illo regno perpetuo fuerint collocati, recordantes de quanta clade hujus sæculi Deo miserante sunt subtracti. A

ORATIO EX PSAL. XCVI.

Custos animarum sanctarum, Deus, cujus regnum est pars perfecta justorum, concede prophetias evangelicasque coruscationes pectoribus nostris inseri, et si quid est obtectum velamine prisco, Spiritu sancto revelante pandatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium, etc.

PSALMUS XCVII.

ARGUMENTUM PSAL. XCVII.

C Propheta commonet populum Christianum cantici novi exsultatione lætari, quando mirabilis est Christi concessus adventus.

TT. *Psalmus ✣ ipsi David :*

1 *Cantate Domino canticum novum :*
Quia mirabilia fecit.

C Novus enim homo cantare debet canticum novum, non ille vetustus, qui necdum Adæ peccata deponens in eis perseverat. Novum canticum est de Domini Incarnatione narrare vel cantare. Novum quia nunquam aliquid simile mundus audivit. Fecit mirabilia, quando cæcis lumen, claudis gressum donavit.

2 *Salvavit sibi dextera ejus :*
Et brachium sanctum ejus.

H Christus enim, dextera et brachium dicitur. Dextera pro virtute, brachium pro robore hic ponitur. Ipse salvavit hominem dextera sua in salutem, qui suo vitio perierat. C Sive semetipsum salvavit qui dixit, Potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam (*Joan.* x).

3 *Notum fecit Dominus salutare suum*
In conspectu gentium revelavit justitiam suam.

B Notum fecit Dominus salutare, id est Dominum Salvatorem, qui salutaris recte dicitur, quia omnis salutis est auctor. Et revelavit justitiam, id est Christum, qui prius sub quodam velamine prædicatus fuerat a prophetis. Quo subducto in ejus adventu, ipsa facies veritatis apparuit. H Vel justitiam vitæ, quæ incredulitate hominum fuit obscurata.

4 *Recordatus est misericordiæ suæ :*
Et veritatis suæ domui Israel.

H Recordatus est misericordiæ, in populo, scilicet gentium. Et veritatis suæ, quoad populum Judæorum, scilicet opere complens quod patriarchis promiserat.

5 *Viderunt omnes termini terræ :*
Salutare Dei nostri.

C Viderunt omnes, id est mente conspexerunt, quod per totum mundum constat effectum. Quæ visio non nisi ad fidem est referenda, ut nobis possit veritas constare verborum ; per fidem enim omnes termini terræ viderunt Jesum.

6 *Jubilate Domino, omnis terra :*
Cantate et exsultate et psallite.

C Jubilate, dictum, est cum magna delectatione in gaudium vocis prosilire. Omnis terra, designat universam Ecclesiam. Cantare, est officio oris laudes personare ; exsultare, cum magno amore animi vota declarare ; psallere, bonis operibus Dei mandata complere.

7 *Psallite Domino in cithara, ✣ in cithara ⁝ et voce psalmi :*
In tubis ✣ ductilibus ⁝ et voce tubæ corneæ.

H Psallit Domino in cithara qui omnibus membris se castum præbuerit ; non potest autem esse sonus citharæ perfectus, si una chorda defuerit ; sic etiam homo, si uno crimini capitali subjacebit, non psallit Domino in cithara, quia una chorda deest, nec est perfectus citharæ sonus. C Vox psalmi quoque ad B laudationem divinam pertinet. Tubæ ductiles, significant fideles, qui diversis passionibus tunsi, Deo largiente, clarius sonuerunt. Vox tubæ corneæ, est fixa tolerantia patientiæ, quæ ut cornu perseverat.

8 *Jubilate in conspectu regis Domini : moveatur mare et plenitudo ejus :*
Orbis ✣ terrarum et qui habitant in eo :

C Dixit jubilandum esse, nunc ostendit ubi, quia ante regem. Commovetur mare, quando in futuro judicio impiorum pectora a recordatione delictorum commoventur. Et plenitudo ejus, merito dicitur, quia multa peccata commiserunt. Orbis terrarum movebitur, quando in novam faciem veniet, ut prædictum est : erit cœlum novum et terra nova (*II Petr.* III). Et qui habitant, id est homines in eo.

C 9 *Flumina plaudent manu simul : montes exsultabunt a conspectu Domini :*
Quoniam venit judicare terram.

C Flumina : sanctos viros significat, qui bona pera cœlesti ubertate manaverunt. Simul, id est cum Domino Salvatore, cui prædicta opera exhibuerunt. H Montes, apostoli. C Qui exsultabunt in conspectu Domini, in judicatione futura, quoniam venit, scilicet judicare peccatores, qui terrena semper vitia concupiscunt, et ideo terra recte dicuntur.

10 *Judicabit orbem ✣ terrarum ⁝ in justitia.*
Et populos in æquitate.

C Isti sub justitia judicandi sunt, qui nulla remissione liberabuntur a sua pertinacia. Illi vero populi in æquitate judicandi sunt, quoniam ibi præmia re- D cipiunt, qui hic propter nomen Domini gravissima pericula pertulerunt.

ORATIO EX PSAL. XCVII.

Immitte, Domine, salutare tuum mentibus nostris, qui revelasti justitiam tuam gentibus universis, ut qui quondam judicari venisti pro perditis, misericordiam, cum adveneris, pro quibus judicatus es, largiaris. Qui cum Patre et Filio, etc.

PSALMUS XCVIII.

ARGUMENTUM PSAL. XCVIII.

C Propheta commonet populos Christo Domino confiteri, eumque adorare, quia suis fidelibus propitius existit.

TT. ✣ *Psalmus David* ⁝ :

C Per David enim, et personam loquentis advertimus, et Christum, manu fortem et desiderabilem sentimus. Ipsius enim honor, in hoc psalmo, regnum potentiaque cantatur

1 *Dominus regnavit, irascantur populi :*
Qui sedes super Cherubim : moveatur terra.

C Cum psalmo dicit, Dominus regnavit, exponit quoniam gloriam suæ resurrectionis ostendit. Ille enim, qui resurrexit nempe, ipse regnavit. Irascantur populi, H vel Judæi vel gentiles non credentes, C nihil ultra Christo nocituri. Cherubim, Hebræum, significat plenitudinem scientiæ, ubi quasi in throno suo Deum manifestat sedere. Moveatur terra, postulat peccatores ad conversionem commoveri ; H quandiu enim terra, id est peccator, immobilis est, sanari non potest. Quando vero mota fuerit et intremuerit propter peccata, sanitatem recipit. Unde alibi dicitur : Sana contritiones ejus, quia mota est (*Psal.* LIX).

2 *Dominus in Sion magnus :*
Et excelsus super omnes populos.

C Sion interpretatur *speculatio*, id est Ecclesia, in qua Dominus spiritaliter inesse monstratur ; et ille, quem contemperunt perversa mente, rex et excelsus super omnes populos eminet.

3 *Confiteantur nomini tuo magno. Quoniam terribile et sanctum est :*
Et honor regis judicium diligit.

C Magnum dictum est nomen Christi, quia ubique diffamatum est ; terribile, quia ipse venturus est judicare vivos et mortuos ; sanctum, quia immaculata et cœlesti conversatione permansit. Honor regis est gloriosa prædicatio, quam illi semper offerimus, confitendo ipsius justum judicium. Vel, diligit, honor, id est, cultus quo Deum honoramus ; amat, id est requirit diligentem advertentiam, deliberationem, sui ipsius judicium et vilitatem, atque Dei reverentiam.

4 *Tu parasti directiones :*
Judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

H Præparavit Deus directiones in populis, sed ipsi proprio vitio depravati sunt. C Judicium fecit in populo fideli, quando ei donavit bonum malumque discernere ; justitiam vero, cum relictis idolis, creatori suo meruit deservire. In Jacob, id est in unoquoque fideli.

5 *Exaltate Dominum Deum nostrum :*
Et adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est.

Commonet Propheta devotos populos, prædicando magnificare et exaltare nomen Domini, et adorare scabellum, H A C id est corpus Christi, quod de Maria virgine assumpsit. C Scabellum, humanitas divinitatis intelligitur. Pedes ejus, stabilitatem divinitatis significat. Quoniam sanctum est, scilicet corpus Christi, et gloriosum, et adorabile.

6 *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus :*
Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.

C Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus. Quamvis Moyses sacerdos esse alibi non legatur. H Et quamvis illorum unus legis, alter sacerdotii teneat regulam, tamen, uterque sacerdotali præconio, vel in legalibus vel in vestris tintinnabulis adventum Domini nuntiavit.

C Samuel unxit David in regem, tamen non accepit officium sacerdotis, quia erat de tribu Ephraim, unde sacerdotes fieri non licebat, et ideo non inter sacerdotes, sed inter eos qui invocant nomen Domini ponitur hic. Levita vero fuit, quia illud linium Ephod portavit. H Quod significat posse candidum effici, qui per pœnitentiam nomen Dei invocans, nigredinem peccati lacrymis diluerit.

7 *Invocabant Dominum et ipse exaudiebat eos :*
In columna nubis loquebatur ad eos.

C Quantum valeat sinceritas orationis, in brevitate declaratum est, quia fideliter Deum invocantes efficaciter audiebat. In columna nubis loquebatur tunc illis, nobis autem per sanctum scabellum, id est, per incarnationem, et loqui et apparere dignatus est.

8 *Custodiebant testimonia ejus :*
Et præceptum quod dedit illis.

C Reddit causas quare eos Dominus exaudire dignaretur. Ipse enim Christus vere illum diligit, qui ejus mandata custodit, ut ipse ait : Si me diligitis, mandata mea servate (*Joan.* XIV). Testimonium vero hic dicitur : per signa aliqua præcedentis rei posita significatio. Sicut in lege dixit : Hoc erit vobis in testimonium (*Deut.* VI).

9 *Domine, Deus noster, tu exaudiebas, eos Deus, tu propitius fuisti eis :*
Et ulciscens in ✣ omnes ⁝ *adinventiones eorum.*

C Dicendo tu exaudiebas eos, tu eis propitius fuisti, ostendit quidem desideria sanctorum in bonis petitionibus fuisse completa. Et ulciscens in omnes, etc., ne eis humana elatio subripere potuisset. Nam quamvis aliqui sancti sunt et fideles viri, tamen oportet in eis vindicare pro tempore, ne cor eorum posse videatur ad superbiam deduci. Adinventiones vero eorum, intellige studia eorum et operationes deficientes. H Vel in bonum accipe ulciscens, ut Deus ulcisci intelligatur in adinventiones, id est, contra adinventiones eorum facientes, quia placitæ erant Domino eorum actiones et adinventiones.

10 *Exaltate Dominum Deum nostrum et adorate in monte sancto ejus :*
Quoniam sanctus Dominus Deus noster.

C Notandum est enim quod sanctum Dominum in monte sancto præcipit adorandum, quoniam sicut laus ejus non convenit ori pravo, ita nec ejus culturæ loci potest congruere turpitudo.

ORATIO EX PSAL. XCVIII.

Sublimis throni Domine te et oramus et quæsumus, ut columna nobis luminis refulgente, modum

sacerdotalis ordinis te custode servemus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS XCIX.

ARGUMENTUM PSAL. XCIX.

C Admonet Propheta universitatem Dominum exsultando laudare.

TT. *Psalmus* ✣ *David in confessione* ⁘.

C Confessio enim quasi confacio dicitur, sive pœnitentia sive laus multorum ore celebrata. Quæ ideo sic dicitur, ut ad plurimos pertinere modo monstretur. *Con* enim simul significare notum est.

1 *Jubilate Deo, omnis terra :*
Servite Domino in lætitia.

C Jubilatio est enim magno mentis gaudio commoveri, non tamen in articulata verba prorumpere, et sub jucunditate Domino famulari. Omnis terra, non ad tellurem referendum est, sed allegorice ad homines constat intelligi. Ista lætitia utique charitas est, de qua Apostolus ait : Non inflatur, non agit perperam (*I Cor.* XIII); non enim murmurantes Domino servire debemus, quia sic Deum non diligimus.

2 *Introite in conspectu ejus :*
In exsultatione.

H Introite, id est, non jocis turpibus dissolvimini, sed omnia quæ facitis in gloriam Dei facite. In exsultatione, C hoc est, ut gaudia tunc sumatis humilitatis, quando superbis omnibus probatur esse terribilis.

3 *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus :*
Ipse fecit nos et non ipsi nos.

C Scitote, hoc est intelligite, o Judæi, quod iste Dominus, quem Filium Dei minime credidistis, ipse est Deus, qui fecit cœlum et terram, qui nos quoque ad suam imaginem plasmavit. H Et non solum corporaliter, sed in novum hominem recreavit; et hoc non nostro merito, sed suo dono.

4 *Populus ejus et oves pascuæ ejus introite portas ejus in confessione.*
Atria ejus : in hymnis confitemini illi.

H Venit ad populum fidelem, per comparationes pulcherrimas ostendens quid sint. Oves, quia sunt simplices, et ipse earum pastor est verus. Pascuæ ejus, id est, divinarum Scripturarum dulcis epulatio. Portæ Domini, sunt humilis pœnitentia, baptismum sacrum, et charitas et alia bona opera et sancta. Atria ejus, ut hic subaudias intrate, significat prophetas et evangelistas, et quicunque recte prædicaverunt. Dicta enim illorum, Domini constat esse atria : quia per illos et illa ad eum itur, et ipse, si devota mente perquiritur, in eis invenitur.

5 *Laudate nomen ejus quoniam suavis est Dominus :*
In æternum misericordia ejus : et usque in generationem et generationem veritas ejus.

C Reddit causam quare prædicandum et laudandum est nomen Christi, quoniam suavis est. Suavitas enim ista nescit habere fastidium. In æternum, quia cum semel præstiterit æterna futura bona, semper ab ipso servantur illæsa. Sæculum sæculi, A sive in generationem et generationem. Et istud significat sæculum quod nunc agitur, et illud quod credimus esse venturum, id est, sæculum in beatorum gaudio. Hic enim veritas Dei impletur, et promissa ejus in patria veritate complentur.

ORATIO EX PSAL. XCIX.

Jubilamus tibi, Domine æterne, in lætitia et exsultatione, poscentes, ut dum portæ pectorum nostrorum in tuis laudibus reserantur, semper ad misericordiam veritatemque pandantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS C.

ARGUMENTUM PSAL. C.

C Ecclesia Dei, judicium et misericordiam de- B cantat, seque non cum iniquis sed cum fidelibus habitare congaudet.

TT. *Psalmus ipsi David.*

C Ipsi David ubi ponitur, totum Christi virtutibus applicatur, ut nihil de isto terreno rege intelligas, sed omnia de illo cœlesti fuisse dicta cognoscas.

1 *Misericordiam et judicium*
Cantabo tibi, Domine.

2 *Psallam et intelligam in via immaculata :*
Quando venies ad me.

C Audiant utique misericordem Dominum peccatores, qui desperant de salute; intelligant superbi judicem, qui malum suum non æstimant esse puniendum; in his enim duobus sermonibus et cuncta opera Dei et totius Ecclesiæ ædificatio probatur esse nar- C rata. Omnia enim Dei opera sunt misericordia et judicium, id est, veritas, in quibus duobus omnes virtutes comprehenduntur. H Admonet Propheta, ut quisquis quod psallit intelligat, et sensus ipsius psalmum contempletur, et non vagetur mens foras ut ore quidem videatur psallere, mens autem sine fructu sit. In via immaculata, C quia Christus non habuit peccata, qui hunc mundum immaculatis gressibus ambulavit, et ideo ait : Ego in hoc mundo sine macula ambulabo, ut veniat ad me immaculatum. H Quando venies, de secundo ejus adventu dicit, quando revertens Dominus, facta hominum exquirit.

3 *Perambulabam in innocentia cordis mei :*
In medio domus meæ.

D H Nihil sic placere Deo ut simplicitatem et innocentiam. C Hinc datur intelligi, quod propter simplicitatem gratissimam, in specie columbæ Spiritus sanctus apparuit : et propter mansuetudinem, agnum se vocari Filius Dei elegit, per hoc utique designans, æternam sapientiam habitare in pectoribus placidis et humilibus.

4 *Non proponebam ante oculos meos rem injustam.*
Facientes prævaricationes odivi.

5 *Non adhæsit mihi cor pravum :*
Declinantem a me malignum non cognoscebam

C Juste ergo dicit sancta congregatio, ante oculos cordis sui se non posuisse rem injustam, quam de penetrabilibus suæ mentis excluserat. Recte si

quidem res illas videre negamur, quas nullis delectationibus intuemur. Prævaricationes odivi. quia prævaricationes hominum jugiter habui odiosas, nam quamvis ante faciem nostram veniant, tamen non sunt in conspectu mentis nostræ.

C Cor pravum enim adhærere non potest, nisi ligatis funibus peccatorum. Declinantem a me, id est hæreticum, qui pravis doctrinis a catholica fide dissentit, non cognoscebam : cum se etiam baptizatum asserat, non tamen in eo agnoscitur divina dilectio, qui blasphemus probatur a Domino. H Vel quicunque malus Christianus per malignum accipitur.

6 *Detrahentem secreto proximo suo :*
Hunc persequebar.

C Detrahit hæreticus secreto, quando absentem catholicum aliqua oblocutione dilacerat, nec audet palam contendere, qui se novit irrationabilia vindicare. Hos dicit persequendos, ut ad studia veritatis concitentur. H Vel de quolibet detrahente intellige.

7 *Superbo oculo et insatiabili corde :*
Cum hoc non edebam.

C Superbo oculo est, qui est prætumidus prava voluntate. Insatiabili corde (*I Cor.* 5) : qui non recedit a blasphemiis. Illos in tantum dicit vitandos, ut nec cum ipsis debeamus inire convivium, ne aures Christianorum abominandis inquinentur sermonibus.

8 *Oculi mei ad fideles terræ ut sedeant mecum :*
Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.

C Profitetur se nunc sancta congregatio : illos cordis oculos sociare cum sanctis, quos avertebat a pessimis. Fideles terræ sunt Christiani, qui per totum mundum habitant, et sedent simul in unitate fidei. Ambulans in via, hæc est vera et manifesta probatio Christianorum, et in sua vita clarescere, et bonorum ministrorum conversatione gaudere, sicut supra dixit : Cum sancto sanctus eris (*Psal.* XVII). Et quamvis hoc a laicis non sit exceptum, tamen specialiter probatur sacerdotibus impositum, ut tales ministros habeant, qui divinis regulis non repugnent.

9 *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam :*
Qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.

C Negat enim fidelis populus, cum superbis sibi fuisse aliquam portionem. Unde cognoscimus nos debere habere talia in subjectos judicia, ut nullatenus pessimis hominibus faveamus : nec nobis grati videantur, qui morum pravitate vitandi sunt. Non direxit, id est, non profecit : illos enim dicimus dirigere, qui accedendo proficiunt, vel aliqua prosperitate meliorantur. Quod istis non contingit, qui *tortuosis* student *semitis* ambulare.

10 *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ :*
Ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

C Postquam dixit malorum se fugisse consortia, exponit nunc quemadmodum de penetrabilibus suis expulerit illam partem tyrannicam, scilicet pravam dæmonum suggestionem. In matutinis : in ipsis videlicet initiis, cum nobis suggestiones diabolicæ cœperint velut dubia crepuscula apparere, tunc oratione debent ejici, ne paulatim noxiæ crescentes, velut dies nebulosissima, comprehendant. Peccatores terræ sunt dæmones, qui sic juste dicuntur, quoniam peccatores faciunt. Civitatem Dei : animam piam patres esse dixerunt, unde diabolus disperditur, cum a sua intentione removetur.

ORATIO EX PSAL. C.

Incomprehensibilis virtute, Deus, qui tuis famulis misericordiam atque judicium clementer insinuas, concede nobis fideles intelligere, rectamque viam ingredi, vel a vanitate exsecrabilis superbiæ declinare. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CI.

ARGUMENTUM PSAL. CI.

C Propheta dicit de persona cujuslibet pauperis justi, ut Dominus ad ejus preces attendat.

TT. Oratio pauperis cum anxius fuerit et coram Domino effuderit precem suam.

H Pauper est Christianus, non hujus mundi carens divitiis, sed spiritu pauper. C Sive etiam egens in hoc sæculo, sed locuples in Deo, vitiis vacuus, virtutibus plenus. Anxius est, qui in gravi discrimine positus, nullam partem quam sequi debeat, novit eligere. Coram Domino : talem vult orationem intelligi, quæ de animæ sæculis ante pedes regios, quasi aurei metalli copia decora fundatur.

1 *Domine exaudi orationem meam :*
Et clamor meus ad te veniat.

C Videns propheta ante adventum Domini humanos crescere errores, personam pauperis convenienter assumpsit. Primo enim posuit orationem, et adjecit clamorem, ut cognosceres crevisse studia supplicationis, cujus orationem in clamorem prorupisse sentires.

2 *Non avertas faciem tuam a me :*
In quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam :

C Supplicat itaque pauper iste, ne a conspectu Dei reddatur alienus. In quacunque die, id est quocunque tempore urgebatur vulneribus peccatorum, vel cum eum detestabilis premebat inimicus. Inclina aurem, id est, præbe auditum. Auris Dei pro clementia ponitur, qua preces supplicum benignus exaudit. Auris enim ab auditu dicta est. Licet enim omnes videat, omnesque audiat, solos tamen eos audire dicitur, quibus præstare dignatur.

3 *In quacunque die invocavero te :*
Velociter exaudi me

H In quacunque die pro præsentibus pressuris

orat, ut ab his divina contemplatione eripiatur. Et jam confidentius petit, ut celerius mereatur audiri. Nam qui velocitatem postulat, de ejus clementia non diffidit.

4 *Quia defecerunt sicut fumus dies mei :*
Et ossa mea sicut cremium aruerunt.

C Merito ergo dies peccatorum, globis fumiferis comparantur. Et maxime ad superbiam mundi respicit, quæ, quanto plus extollitur ut fumus, tanto amplius evanescit. H Ossa : significat animi fortitudinem, si ergo quod est in me forte, hoc aruit et infirmum factum est, quanto magis quæ per naturam infirma sunt, ut caro. C Nam qui se pavescit in futuro arsurum, ipsius incendii pavore jam frigitur quasi in frixorio.

5 *Percussus sum ut fenum et aruit cor meum :*
Quia oblitus sum comedere panem meum.

C Bene genus humanum feno comparatur, quod et viriditatis habet lætitiam, et percussum facile sentit injuriam. Sic cum in lege Dei consistimus, tanquam viridissimum fenum vegetamur : mox vero ut ab ejus præceptis fuerimus diabolica falce succisi, statim arescimus. Reddit quoque causam cur ejus cor aruit, quia non comedit panem spiritalem, id est Christum, propter peccatum.

6 *A voce gemitus mei :*
Adhæsit os meum carni meæ.

C In illo enim gemitu affligebatur iste pauper, quem mundi amatores potius irridebant. Ideo addidit mei, ut se a mundanis desideriis monstraret abstractum. H Discant pœnitentes quomodo agant pœnitentiam, ab isto paupere. Videant quid dicat, adhæsit, etc : ac si dixisset : Iste pauper, ita maceravi memetipsum, ut sine carne essem. Et adhæsit cutis ossibus meis : carnem, pro pelle dixit.

7 *Similis factus sum pelicano solitudinis :*
Factus sum sicut nycticorax in domicilio.

C Pelicanus avis est Ægyptia similis ciconiis in granditate corporis, quæ delectatione solitaria se consolatur, et naturali macie semper confecta est, tenso enim intestino per viscera, quidquid escarum accipit, sine aliqua decoctione transmittit : et significat eremitas. Nycticorax, id est nocticorvus, quem quidam bubonem, quidam noctuam vocant, quæ quærit escas in nocte : ita et pœnitens isto nocturno tempore escas animæ quærit modulando, retinens se domicilio a publica visione remotum.

8 *Vigilavi :*
Et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

C Passer est avis parva sagacitate sollicita, nec facile irretitur laqueis ; quæ ad domorum fastigia *cucurrit*, ne fetus perdat. Cui comparantur qui se conferunt ad septa Ecclesiæ Dei, et in ejus fastigio vigilant, ac ibi tutissime perseverant. Ilæ autem aves genere discrepantes et consuetudinum qualitate dissimiles, per hyperbolen hominibus comparantur. Quod argumentum dicitur ex majore ad minus : major est homo quam passer.

9 *Tota die exprobrabant mihi inimici mei :*
Et qui laudabant me adversum me jurabant.

C Diabolicæ constat esse malitiæ, ut servos (Dei quos apertis terroribus tyranni superare non valent) derisoria magis increpatione flectant, sic enim est consuetudo perversis, bonos prius in vita sæculari laudare, post jurejurando detestari, cum eos pœnitentia affligi conspiciunt.

10 *Quia cinerem tanquam panem manducabam,*
Et poculum meum cum fletu miscebam.

Manducavit Christus cinerem ut panem : quia peccatores pœnitentes ad se convertit. C Vel cinerem, id est, reliquias peccatorum et parva peccata consumebam vera pœnitentia : ne quid esset residuum, quod impediret meritum regni cœlorum. Et poculum meum : tunc enim animæ meæ penetralia, cœlestis ille potus ingreditur, quando piis fletibus irrigatur ; H vel in cinere intingebam panem meum, et sic comedebam. Si ergo propheta hoc fecit : nos quid faciamus? et poculum cum lacrymis miscebam : et nihil mihi suave erat, neque panis, neque poculum, sed tantum veniam et cœlestem panem, Christum desiderabam.

11 *A facie iræ et indignationis tuæ :*
Quia elevans allisisti me.

C Ira et indignatio faciem non habent corporalem : sed timentibus sub imaginatione semper apparent. Ira ad ultionem pertinet : indignatio, ad motum animi mediocrem. Elevat autem Deus suis beneficiis peccatores, quando illis opes confert, et honorem concedit : et dum ex hoc extolluntur, omnia eripit, ut non pereant sed humilientur et cognoscant unde et illa habuerint.

12 *Dies mei sicut umbra declinaverunt :*
Et ego sicut fenum arui.

C Pulcherrime dixit iste pœnitens, post prævaricationem Adæ, dies declinasse suos : quia ipse declinavit a Domino. Tanto enim quisque imminuitur, quanto ab illa plenitudine lucis segregatur, consequensque fuit, ut cujus declinabant dies, sicut fenum arescere debuisset : beneficio enim vitali unde vegetabatur subtracto, in ariditatem perducitur peccati.

13 *Tu autem, Domine, in æternum permanes :*
Et memoriale tuum in generatione et generationem.

C Post dignissimam satisfactionem peccatorum, pœnitens venit ad laudes Dei. Fecit autem laudis initium pauper iste, ab adventu Domini, per quem mundum noverat esse salvandum. Memoriale : dictum est salutare promissum de Domini incarnatione venturum : quod per infinita perseverat sæcula, nec aliqua potest immutare oblivio.

14 *Tu exsurgens misereberis Sion :*
Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

C Exsurgens dicitur : quasi dormienti, quia diutius subvenire distulerat. Sion mons est, per quem significatur Ecclesia : cui misertus est Deus, quando eam de gentibus collegit, et sua doctrina fundavit.

℟ Confidat ergo qui agit pœnitentiam, quoniam venit tempus miserendi et salvandi.

15 *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus :*
Et terræ ejus miserebuntur.

℣ Servos Domini apostolos dicit. Isti beneplacitos habuerunt lapides ejus, id est Christianos, quando in eis prædicationem suam fructuosam esse cernebant. Terræ ejus miserebuntur, quia per gratiam Dei mundandi erant, qui terrena tantum sapiebant, et labe terrena sordebant.

16 *Et timebunt gentes nomen tuum, Domine :*
Et omnes reges terræ gloriam tuam.

℣ Postquam enim adventus Christi salutaris infulsit, gentes conversæ sunt per timorem. Ipsi quoque gloriam Domini verissime cognoscunt, qui in firmitate fidei consistunt. Reges etenim sunt qui corpora sua rite regunt, divinis ea regulis infrenantes. ℟ Vel reges qui prius idola metuebant et dæmoniorum nomina invocabant, nunc nomen tuum venerabuntur.

17 *Quia ædificavit Dominus Sion :*
Et videbitur in gloria sua.

℣ Ædificata est Sion, hoc est mater Ecclesia de vivis lapidibus fabricata. Iste etiam Dominus, qui ædificavit Sion, videbitur in gloria sua, quando, in die judicii, hædos *sequestrat* ab agnis (*I Petr.* II).

18 *Respexit in orationem humilium :*
Et non sprevit precem eorum.

℣ Dicit etiam respexisse Dominum orationem pauperum, id est fidelium; quia ille omnia incorporalia contuetur, cujus oculis nihil probatur occultum, hoc est autem ipsius respicere, scilicet non *spernere.*

19 *Scribantur hæc in generatione altera :*
Et populus qui creabitur laudabit Dominum.

℟ Scribantur hæc in generatione altera, hoc est in Novo Testamento, et populus, utique Christianus, qui prius peccatis mortuus, in eo est per gratiam baptismi recreatus, iste videlicet laudabit Dominum. ℣ Novo, scilicet cantico : ut est, Cantate Domino canticum novum.

20 *Quia prospexit de excelso sancto suo :*
Dominus de cœlo + in ⁝ terram aspexit

℣ Prospexit de excelso, id est de cœlo : dum fragilitatem nostræ humanitatis assumpsit. Inde igitur aspexit in terram, id est ad nostri corporis fragilitatem, quæ mundi vitiis tenebatur obnoxia.

21 . *Ut audiret gemitus compeditorum :*
Ut solveret filios interemptorum.

℣ Illi autem compediti sive vinculati, sunt viri sancti vinculis mandatorum astricti, quos gementes atque ad se clamantes Dominus audire dignatus est : ut mundum propriis peccatis irretitum, beneficio suæ miserationis absolveret : et filios interemptorum (qui diabolica fraude perempti sunt) a paternis erroribus divina fortitudine liberaret.

22 *Ut annuntiant in Sion nomen Domini :*
Et laudem ejus in Hierusalem.

℣ Annuntiatum est nomen Domini Christi in Sion : dum ibi primum diversis linguis magnalia Dei loquebantur apostoli (*Act.* II). Hinc factum est, ut a locali Hierusalem per Ecclesiam generalem pia præcepta Dei decurrerent.

23 *In conveniendo populos in unum et reges :*
Ut serviant Domino.

24 *Respondit ei in via virtutis suæ :*
Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

℣ Ideo dicit *venire* populos in unum, ut virtus catholicæ unitatis ostendatur. Addit et reges, sive, ut alia habet translatio, regna terrarum, ut serviant Domino cœlorum. Tunc magis libera : quando auctori suo fuerint fideli servitute ligata.

℟ Respondit Christo vocanti ad virtutum opera sancta Ecclesia, in tribulationibus constituta. In via virtutis, id est religionis suæ : non lingua, sed vita; non voce, sed fide; non clamore, sed corde, cupiens agnoscere finem sæculi, ut cito ad illam beatitudinem, quam Dominus promisit pervenire mereatur. Dicit vero dies omnes Ecclesiæ usque ad finem sæculi, paucitatem dierum, respiciens ad æternitatem, quia quodcunque finiendum est, non debemus dicere longum.

25 *Ne revoces me in dimidio dierum meorum :*
In generatione et generationem anni tui.

℣ Revocatur enim in dimidio dierum suorum, qui ad antiqua delicta revertitur : significat enim dierum dimidium, ipsam juventutem, in qua lubrica voluptas appetitur, et ætatis fervore crimina plus amantur. Per annos æternitatem Domini.

26 *Initio + tu, Domine ⁝ , terram fundasti :*
Et opera manuum tuarum + sunt ⁝ cœli.

℣ Cum dicit initio : ostendit quia Creator ante creaturas suas, sine aliquo initio, cognoscitur exstitisse. Per manus : hic virtutem jussionis debemus accipere, sicut scriptum est : Ipse dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt (*Psal.* XXXII).

27 *Ipsi peribunt, tu autem permanes :*
Et omnes sicut vestimentum veterascent.

℟ Ipsi peribunt : juxta illud, cœlum et terra transibunt (*Matth.* XXIV). ℣ Tu autem permanebis, in gloria majestatis. Vestimentum, ad carnis fragilitatem videtur aptandum, hoc enim veterascet, quod more vestis morte consumitur.

28 *Et sicut operiorium mutabis eos et mutabuntur :*
Tu autem + idem ⁝ ipse es : et anni tui non deficient.

℣ Operiorium cœlos forsitan debemus advertere, qui ad vicem velaminis, terras operiunt; qui similiter ut alia commutantur, postea sub æternitate mansuri. Idem : positum est contra illa quæ dicta sunt; quoniam, dum illa sint commutabilia, Dominus semper immutabilis perseverat.

29 *Filii servorum tuorum habitabunt :*
Et semen eorum in sæculum dirigetur.

℣ Filios : dicit discipulos apostolorum, quos per fidei uterum, sancta prædicatione genuerunt. Inhabitabunt : habitatio hæc locum beatitudinis significat : semen, opera fidelium, quæ in hoc mundo sé-

minantur, ut in illa æternitate, eorum laudabilis fructus appareat.

ORATIO EX PSAL. CI.

Exorabilis, Domine, intende in orationem supplicum tuorum, ut qui in peccatis detenti, tanquam fenum aruimus, respectu cœlestis misericordiæ sublevemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CII.

ARGUMENTUM PSAL. CII.

C Propheta universitatem ad Dei laudes hortando : de beneficiorum plurimorum, quæ suis fidelibus administrat, munere gratulatur.

TT. ✣ *Ipsi* ⁝ *David.*

C Ipsi David positum est : ne terrenum regem David *intelligeres.* Significat enim Christum, sicut sæpe jam dictum est. Totus hic psalmus Domini laude repletus est. Est enim lucidus tituli sui claritate, consimilis ut sine difficultate continentiam ejus intelligere debeamus.

1 *Benedic, anima mea, Domino :*
Et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.

C Loquitur propheta ad animam suam, ut cum fuerit diversis cladibus liberata, beneficiorum omnium recordetur auctorem : ne sibi aut alteri putet esse tribuendum quod a solo Deo constat concessum. Interiora : sunt cogitatio recta, virtutesque rationis.

2 *Benedic, anima mea, Domino :*
Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

H Multas retributiones præstitit nobis Dominus. C Ut qui eramus digni pœna, dignos nos fecit esse honore : quod oblivisci nulli fas est. Quæ vero sint istæ retributiones et beneficia, consequenter enarrat, et ut homo cogitans beneficia ipsius, tota mente collaudat. Ille enim laudare nunquam desinit, qui collata beneficia non potest oblivisci.

3 *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis :*
Qui sanat omnes infirmitates tuas.

C Primo enim fit propitius peccatis nostris : quando, remissis delictis, in pace dignatur suscipere peccatores. Sanat infirmitates : dum securitas et immortalitas in resurrectione conceditur fidelibus.

4 *Qui redimit de interitu vitam tuam :*
Qui coronat te ✣ *in* ⁝ *misericordia et miserationibus.*

C Redimit de interitu vitam : quando nos ab æterna morte submoverit, ut non audiamus : Ite in ignem æternum. Coronat in misericordia : quando jam beatis præmia digna restituerit. H Præcurrente enim misericordia, dat victoriam, ut tribuat palma, unde et dictum est : Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos (*Psal.* v). Scuto itaque coronat, dum protegit et defendit, et sic coronat. Scutum ergo misericordia est : quod enim protegit, non meriti nostri est, sed ejus misericordiæ.

A 5 *Qui replet in bonis desiderium tuum :*
Renovabitur ut aquilæ juventus tua.

C Reple : cum eis dicitur : Venite, benedicti. Ideo vero aquilæ exemplum introducitur, quia huic avi jam ætate provecta, tantum supernum labium cornea inflexione nasutum crescit, ut escas non valeat solita libertate decerpere. Quæ intelligens unde ei periculum vitæ possit accedere, dicitur os suum in saxo expolire, usquequo valeat manducare, et ita in antiquam valetudinem escarum solita perceptione revocatur. Sic anima, si non desinit peccata sua expolire in petra, id est in Christo, in pristinam sanitatem revertitur, recipere enim tunc valet cibos salutares.

6 *Faciens misericordias Dominus :*
B *Et judicium omnibus injuriam patientibus.*

C Illis autem misericordias facit, qui miserti fuerint, ut in Evangelio ait : Beati misericordes (*Matth.* v), etc. Judicium illis promittit, qui patientiæ munere decorantur, quibus et dicitur, Mihi vindictam et ego retribuam (*Deut.* XXXII). Judicium enim hic vindictam intellige.

7 *Notas fecit vias suas Moysi :*
Filiis Israel voluntates suas.

C Notas fecit Moysi vias, ut perfectæ fidei gradibus vias Domini ambularet, et ejus justitiam legemque conscriberet, et mores doceret. Filiis Israel voluntates suas innotuit, non vias : quia multi eorum viam Domini declinare præsumpserunt, voluntatem quippe noverunt, sed præcepta servare, et viam ire
C noluerunt, ideo non dicitur vias eis innotuisse, sed voluntates.

8 *Misericors et miserator Dominus :*
Longanimis et multum misericors.

C Misericors est, qui natura sua clementissimus approbatur : miserator, qui misericordiæ suæ dona largitur. Nullus autem misericors, nisi qui et patiens esse probatur. Ideo addit longanimis, id est, patiens et sustinens peccatores longo tempore. Denique subdit, multum misericors; quia etiam se blasphemantibus, solem oriri facit, et tribuit eis et conservat vitæ spiritum.

9 *Non in perpetuum irascetur :*
Neque in æternum comminabitur.

C Non *ullis* in perpetuum irascitur, qui devoti in
D satisfactione esse cognoscuntur : nec eis comminabitur, qui cum tota mente diligunt.

10 *Non secundum peccata nostra fecit nobis :*
Neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

H Non secundum peccata nostra fecit; quia quam merebamur, nobis meliora indulsit. Nec secundum iniquitates retribuet. C Quoniam ita pius est supplicantibus ut pœnitentem statim resolvat a peccatis.

11 *Quoniam secundum altitudinem cœli a terra :*
Corroboravit misericordiam suam super timentes se :

C Qua comparatione significatur, quia sicut cœlum

terras operit, et necessaria beneficia homini tribuit : modo pluvias, modo serena, modo ventos : ita et misericordia Dei nostræ fragilitati diversa beneficia præstat; sustinet enim ut corrigat, flagellat ut erudiat; probat ut præstet; et, ut breviter dicamus, si fas est ut cœlum non operiat terras, potest fieri ut Dominus non protegat sibi purissime servientes.

12 *Quantum distat ortus ab occidente :*
Longe fecit a nobis iniquitates nostras.

C Oriens significat regnum Dei, occasus vero gehennam, quæ tantum dissocia est a sede beatorum, quantum dicit ille pauper in sinu Abrahæ (*Luc.* XVI). Inter nos et vos chaos magnum firmatum est. Vel oriens est initium bonæ vitæ nostræ; occasus, malæ conversationis effectus.

13 *Quomodo miseretur pater filiorum misertus est* B
Dominus timentibus se :
Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

C Pater enim carnalis, qui bene vult filium suum erudiri, frequenter eum corripit ac flagellat : sic Dominus flagellat omnem filium quem recipit, et timentes se ad studium bonæ voluntatis adducit (*Prov.* III). Quoniam ipse cognovit : quod nosmetipsos ab illa naturali dignitate dejecimus, figmentum esse monstramur et Creatoris factura.

14 *Recordatus est quoniam pulvis sumus : homo sicut fenum.*
Dies ejus : tanquam flos agri sic efflorebit.

H Ac si diceret : Non irasceris ut conteras, sed recordare quod vasa figuli sumus, quæ semel confracta, reparari nisi per te non possunt. C His ergo C rebus transitoriis, humanitas comparatur, quæ pulchrescit ut flos et fenum agri : sed non ad vitam longissimam perducitur. Ac si quæreres : Quid est homo? et respondetur : Est cujus dies sunt sicut fenum, et qui ut flos agri effloret, sed statim flos decidit, quoniam spiritus, etc.

15 *Quoniam spiritus pertransibit in illo et non subsistet :*
Et non cognoscet amplius locum suum.

C Describit enim adhuc quid sit homo, id est spiritus pertransiens, scilicet mundum præsentem, in quo diutissime non potest permanere. Non cognoscet amplius locum suum : hoc est in hoc sæculum non potest redire, ut suam vitam possit iterare.

16 *Misericordia autem Domini ab æterno et usque* D
in æternum :
Super timentes eum.

C Reddimur enim per misericordiam absolute perpetui, quamvis per nos simus fragiles et caduci. Et usque in æternum : designat æternitatem Dei, quoniam et ille ante sæcula, et in sæculo, et post illud sæculum, misericors monstratur. Video vero illam perpetuam misericordiam solum in timentes eum protendi.

17 *At justitia illius in filios filiorum :*
His qui servant testamentum ejus.

C Filios filiorum : uniuscujusque actus debemus advertere. Qui Domini præcepta custodiunt, qui A mandata ejus operibus implent, hi generant opera, opera vero retributionem pariunt in beatitudine æterna.

18 *Et memores sunt mandatorum ipsius :*
Ad faciendum ea.

C Memoria est enim mandatorum ejus, per quam animus repetit quæ audit, et visa factaque cognoscit. Isti enim sunt filii supra dicti, qui mandatorum ejus operibus sunt memores, non studio cantilenæ. Nam et si quis psalterium totum voce reddat, memor ejus non est nisi quæ præcipiuntur effecerit : ideo enim dicta sunt ut fiant, non ut sola vociferatione cantentur.

19 *Dominus in cœlo paravit sedem suam :*
Et regnum ipsius omnibus dominabitur

C Paravit sedem suam : hoc ad illud pertinet quod Christus ascendit in cœlum, unde venturus est judicare vivos et mortuos. Dicit vero ipsum dominaturum, qui paravit sedem suam, ne putarent pagani dæmones suos esse ullo modo regnaturos.

20 *Benedicite Domino angeli ejus potentes virtute :*
Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus

C Commonet etiam angelos et spiritales substantias, ad ministerium tantæ majestatis accedere. Ipsi autem virtute possunt, qui ejus jussis obediunt. Virtus enim hic pro virtute morali, non pro potentia accipitur. Ad audiendam vocem, scilicet ut sint humiles, non superbi, ipsi enim sunt digni benedicere, qui suum et cognoscunt et venerantur auctorem.

21 *Benedicite Domino omnes virtutes ejus :*
Ministri ejus qui facitis voluntatem ejus.

H Admonet benedicere *Deum virtutes* ejus, id est qui virtute illius roborati, verbum Ecclesiis prædicatione ministratis. C Vel quoniam prius potentes virtute admonuit benedicere Deum, qui faciunt verbum ejus : ne verbum quod verberato aere ab hominibus proferri solet intelligeres, addidit : qui facitis voluntatem ejus, angelis enim, Domini verbum, est voluntas ejus.

22 *Benedicite Domino omnia opera ejus in omni loco dominationis ejus :*
Benedic, anima mea, Domino.

H Nam cum totum opus Domini sit cœlestis terrenaque creatura, admonet ut omnia debeant suum benedicere auctorem. In omni loco : significat Ecclesiam, quæ per totum mundum erat Domino præstante creditura. Nam si eum semper benedicimus, ab eo jugiter custodimur. Ideo digna est admonitio, quæ contra omnes casus tanquam clypeus inexpugnabilis assumatur.

ORATIO EX PSAL. CII.

Sana, Domine, languores populi tui, qui semper peccatoribus sicut pater filiis misereris : ut exempti ab interitu mortis perpetuæ, te anima nostra benedicat, et vita clarificet. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CIII.

ARGUMENTUM PSAL. CIII

C. Vox Ecclesiæ magnificantis Deum, et innumerabilia opera narrando collaudantis.

TT. ✣ *Ipsi David* ⁘

C David hic tantum ad personam loquentis adhibetur, cæterum omnia constat de Domino Salvatore narranda, qui in principio fecit cœlum et terram.

1 *Benedic, anima mea, Domino :*
Deus meus, magnificatus es vehementer.

C Invitat propheta semetipsum ad benedicendum Deum : benedicere Deum, est ejus magnalia confiteri; magnificatur Deus apud homines, quando eis magnus atque excelsus claruerit, ut ipsum Creatorem ad Redemptorem atque judicem sentiant : vehementer vero magnificatur, quando ab eo qui heri blasphemus fuit hodie converso prædicatur.

2 *Confessionem et decorem induisti :*
Amictus lumine sicut vestimento.

C Induit decorem : quando assumpsit carnem mortalem. Induit vero confessionem, cum eo veniente recesserunt perfidi a cultu simulacrorum, et confessio ac decus supernæ majestatis per mundum innotuit. Lumen autem Ecclesiam significat, quæ recte velut vestis advertitur Domini Salvatoris, non habens maculam neque rugam.

3 *Extendens cœlum sicut pellem :*
Qui tegis aquis superiora ejus.

C Cœlum hic omnem justum debemus advertere, cujus superiora, id est fidelis anima, aquis baptismi salutaribus emundata, irrigatur. Vel cœlum extenditur : cum publicani et meretrices admittuntur. Cœlum enim tantum justorum est per justitiam, sed factum est ex gratiæ largitate etiam peccantium. A Vel cœlum, ut dictum est, prædicatores dicit : qui ut pellis extenti sunt, per prædicationem eorum in omni terra, et sicut mortuorum animalium major est usus pellium, ita, mortuis apostelis, amplius doctrina eorum prædicationis in usum venit Ecclesiæ. Aquæ vero, sunt gratiæ infusio et charitas vel spiritualis sensus.

4 *Qui ponis nubem ascensum tuum :*
Qui ambulas super pennas ventorum.

H C Posuit nubem : quando Dominus post resurrectionem videntibus apostolis ascendit in cœlum. Ambulat super pennas ventorum : dum suas voluntates velocius operatur, quam potest excursus esse ventorum. Sive magis ventos, justorum animas debemus accipere, qui utroque Testamento perdocti, velut duabus alis ad superna gaudia transferuntur. Super quos ambulat, dum in eis misericordiam suæ operationis ostendit. Per nubem etiam prædicatores accipi possunt, per quos in membris Christus ascendit dum peccata dimittunt eorum auditores.

5 *Qui facis angelos tuos spiritus :*
✣ E ⁘ tministros tuos ignem urentem.

G Angelus dicitur Græca lingua, qui Latina nuntius interpretatur, nam quando mittuntur angeli A sunt, qui tamen natura spiritus esse noscuntur. Talis est ordo verborum : qui spiritus *suos*, facit angelos. Minister Dei est omnis qui divinas exsequitur voluntates, talis enim vir ignis cœlestis efficitur, quando verbo prædicationis peccantium nequitias urere et consumere posse monstratur.

6 *Qui fundasti terram super stabilitatem suam :*
Non inclinabitur in sæculum sæculi

C Fundavit Christus terram, quando solidavit Ecclesiam. Super stabilitatem, id est super se, qui est immobile fundamentum. Non inclinabitur : si jugiter supra eum manserimus, nullatenus inclinamur.

7 *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus :*
Super montes stabunt aquæ.

B C Abyssus enim dicitur, aquarum copiosissima multitudo, quæ significat persecutores, quia sicut pallium subjecta cooperit, ita illi mundum fetidissima superstitione texerunt. Steterunt aquæ super montes : id est sanctos (qui montes fidei firmitate vocati sunt) quando eos diversis pœnis affligebant, aquæ enim sicut et abyssi, hic impios significant.

8 *Ab increpatione tua fugient :*
A voce tonitrui tui formidabunt.

C Fugient abyssi, id est superstitiosi, ab increpatione apostolorum. A voce tonitrui, id est prædicationis, quando diabolum periturum audierunt cum sequacibus suis.

9 *Ascendunt montes et descendunt campi :*
In locum quem fundasti eis.

C C Ascendunt montes, id est superbi et impii, quandiu permisit eos Dominus : atque iterum, quando placuit fecit in con*vallium* humilitate sedere. Montes erant, cum sævirent : campi, cum placati resederant : in locum, id est in Ecclesiam, ubi eis servire licebat

10 *Terminum posuisti, quem non transgredientur :*
Neque convertentur operire terram.

C Terminus quippe, scilicet ritus et superstitionis paganorum, est adventus Domini Christi : cujus religione crescente, cuncta idololatria cum suis auctoribus corruerunt. Neque convertentur : H In flagitia, quibus prius vixerant. C Vel melius non convertentur : ut humanum genus superstitionum suarum inundatione operiant.

D 11 *Qui emittis fontes in convallibus :*
Inter medium ⁘ montium pertransibunt ✣ aquæ

C Fontes : hic Scripturam divinam debemus intelligere, quæ in convalles, id est in homines humiles exæstuant. Montes : hæreticos significat ac superbos, inter quos Scripturæ perenni ubertate decurrunt : quia eas hic audire bonis malisque commune est. Pertransibunt : quia tales non contingunt istæ aquæ, id est, non rigant ad aliquem fructum.

12 *Potabunt omnes bestiæ agri :*
Exspectabunt onagri in siti sua.

C Bestias agri : gentes intellige, quæ potandæ erant aquis, quas in Evangelio Dominus Samaritanæ pollicitus est. Onager silvester asinus est, significans

J dæos, qui satiari poculo vitali nolunt, sed exspectant in siti donec plenitudo gentium intraverit.

13 *Super ea volucres cœli habitabunt :*
De medio petrarum dabunt vocem.

C Volucres cœli : animas sanctas pontificum vult intelligi, qui supra populos Domini, sanctis prædicationibus habitant. De medio petrarum dabunt vocem : quando apostolorum et prophetarum exemplis, aliqua prædicare noscuntur, id est de illorum traditione sua dicta firmare.

14 *Rigans montes de superioribus suis :*
De fructu operum tuorum satiabitur terra.

H Rigans montes, hoc est apostolos. De superioribus : effundens super eos Spiritum sanctum. Satiabitur terra, id est, terreni de beneficiis largitionis B Christi. C Vel montes : quilibet Ecclesiæ boni prælati, irrigantur cœlesti doctrina : et eorum doctrina et vita, terreni in melius mutati, satiantur.

15 *Producens fenum jumentis :*
Et herbam servituti hominum.

C Admonet propheta, ut terra illa, cœlesti imbre satiata, producat fenum, id est eleemosynas faciat, jumentis, id est pauperibus, his qui passim petunt. Herbam vero servituti hominum : hoc est, ut illi necessaria tribuantur, de quo scriptum est : Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenies justum cui eam tradas, id est, præ verecundia et patientia non petenti. A Vel ministris Ecclesiæ verbum Dei ministrantibus et pauperibus.

16 *Ut educas panem de terra :*
Et vinum lætificet cor hominis.

C Panis noster est Christus, qui de terra producitur, quando aliquid indigentibus, ejus amore præstatur. Vinum lætificat cor : id est mentem, cum fuerit sacratum in sanguinem Christi et honorifice acceptum, quia nihil ibi culpabile reperitur.

17 *Ut exhilaret faciem in oleo :*
Et vanis cor hominis confirmet.

C Exhilaratur facies quoque in oleo : cum regali chrismate ungitur. H Vel misericordia exhilarat in oleo facies justorum coram Deo. Panis hic ad animam referendus est, qui perfectos efficit Christianos. A Christus ille panis est, sive justitia.

18 *Saturabuntur ligna campi + et ⁝ cedri*
Libani quas plantavit :
Illic passeres nidificabunt.

H Saturabuntur : de vera religione Christi. Ligna, id est rationabiles homines. Cedri : excelsiores merito sancti, quos plantavit in unitate ecclesiasticæ fidei. C Passer minuta avis est et cautissima nimis : et significat monachorum parvitatem, qui in cedris, id est in hæreditate potentium, velut in quibusdam ramis, nidos, id est monasteria, sibi ædificare monstrantur : eorumque robore sustentati, velut passeres, laudes Domini assidua voce frequentant : cœlestis in terra vita, imitatio fidelium angelorum, in carne præter carnem vivere.

A 19 *Herodii domus dux est eorum : montes excelsi cervis.*
Petra refugium erinaciis.

H Herodius major est omnium volatilium, qui aquilam vincit et comedit : et significat hominem sanctum, habitantem in domo Dei, adjutorium præstantem aliis ad vincendum diabolum. Aquila enim sæpe pro diabolo ponitur. C Cervus significat fideles, qui serpentem devorant, id est diabolum, cum nequitiam ejus ad laudem Dei convertunt : habitant in montibus, id est apostolis et prophetis. Erinacius vero est, quem vocamus ericium, animal timidum, natura armatum, in saxis habitans ne inveniatur : et peccatorem significat, qui, futurum judicium metuens, ad petram Christum refugit. B

20 *Fecit lunam in tempore :*
Sol cognovit occasum suum.

C Luna significat Ecclesiam : quæ in temporibus facta est, quando eam minui contingit et crescere. Sol : Christus, ille cognovit occasum suum, id est gloriam suæ passionis, cum discipulis diceret : Venit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum (*Matth.* xxvi).

21 *Posuisti tenebras et facta est nox :*
In ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.

C Posuit tenebras : in tempore passionis, quando sol obscuratus est. Nox etiam illis fuit, qui carnaliter Christum in cruce intuendo comiter æstimabant mori. In hac nocte bestiæ exierunt : *id est dæmones quærentes aliquos devorare.* H *Quando et nobis sol justitiæ occidit, omnia tenebræ sunt, et tunc in nos pertranseunt* istæ bestiæ silvæ, diaboli scilicet. C

22 *+ Catuli ⁝ leonum rugientes ut rapiant :*
Et quærant a Deo escam sibi.

C Leones : diabolos significant propter crudelitatem. Catuli (dicti eo quod calleant sensu narium) significant ministros diaboli, qui rugiunt ut nocentem perdant. Quærunt vero istam escam a Deo : nemo enim immundis spiritibus rapi potest, nisi qui, sua exigente culpa, a Deo fuerit derelictus. Nihil enim a quoquam fieri potest, nisi quod ipse secreto judicio, aut ad probationem aut vindictam faciendum esse permiserit.

D 23 *Ortus est sol, et congregati sunt :*
Et in cubilibus suis collocabuntur.

C Tunc ortus est sol : quando Christus resurrexit, et tunc satellites diaboli congregati, ejus majestatem minime sustinentes, se in suis cubilibus, id est in pertinacium pectoribus collocabant. Sol est dictus : quod solus ita lucet, ut ex eo dies fiat.

24 *Exibit homo ad opus suum :*
Et ad operationem suam usque ad vesperam.

C Iste enim usus est mortalium : ut quandiu hic sumus, veniente die diversis occupemur actionibus : unus colit agrum, alter se bellis exercet : iste discit, ille docet : et quidquid mortalitas agit, probatur concludi vespera, id est fine sæculi.

25 *Quam magnificata sunt opera tua, Domine : omnia in sapientia fecisti :*
Impleta est terra possessione tua.

C Admirando enim dicit propheta, quam magnificata sunt, nam non solum hoc hominis arduum (quia excedit humanum sensum operatio Christi), verum etiam ipsis angelis probatur immensum. Ista igitur sapientia Filius est Patris. Terra : significat Ecclesiam, quæ repleta est quando universalis Domino deservit Ecclesia : possessio enim populum fidelem in Ecclesia significat, unde et alia translatio habet, impleta est terra creatura tua, scilicet ista in novitate vitæ generata in baptismo.

26 *Hoc mare magnum et spatiosum manibus : Illic reptilia quorum non est numerus.*

C Mare enim : præsentem mundum significat, ubi malitia dæmonum, velut quibusdam fluctibus, voluntas animarum instabilis commovetur. Mare dictum est a *meando*, quod semper eat et redeat. Illic reptilia, id est spiritus maligni, nobis innumerabiles, a Deo tamen comprehendi possunt.

27 *Animalia pusilla cum magnis : Illic naves pertransibunt.*

C Animalia pusilla : quia inter ipsos spiritus malos, et majores esse nequitiæ probantur et minores. Per naves, signantur Ecclesiæ, quæ periculosos fluctus mundi, per lignum gloriosæ crucis evadunt, portantes populos *credentes*.

28 *Draco iste quem formasti ad illudendum ei : omnia a te exspectant.*
Ut des illis escam in tempore.

C Draco iste : aperte significat diabolum, qui vere draco dicitur, propter venenum, quod Evæ primæ mulieri male suadendo inspiravit, qui suis peccatis ita formatus est, ut ei illuderetur ab angelis. Sed cum draco spiritalis sit, cujus esca deceptio hominum est, non omnino tamen timeas atrocem : quia nisi Domino permittente, non prævalet quidquam sua potestate perficere. Exspectat igitur escam a Deo permittente, sicut et alia omnia.

29 *Dante te illis colligent : Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.*

C Exponit adhuc, ut *cuni* diabolica iniquitate vexamur, non illum credamus ex sua potestate præsumere; sed potius ad illum recurramus, sine cujus permissu nihil facere potest, et celerius victus abscedit. Dicit enim, dante te illis : ut intelligas, quia nisi datum fuerit illis, colligere non valebunt. Manus significat potestatem per quam abunde cuncta replet, et mirabiliter universa disponit.

30 *Avertente autem te faciem turbabuntur : Auferes spiritum eorum et deficient : Et in pulverem suum revertentur.*

C De illis modo dicit, qui concessa Dei munera sibi applicant, non Deo, ab his ergo talibus cum averterit Deus faciem, nudati a præsidio turbantur. Auferes spiritum superbiæ : ut, accepto Spiritu sancto, innoventur et recreentur. Et in pulverem suum redeant, id est, ad humilem confessionem peccatorum in qua indigentiam suæ fragilitatis agnoscant, et ita tibi deficientes, ad conversionem saluberrimam redeant, qui in suis præsumptionibus errabant.

31 *Emitte Spiritum tuum et creabuntur : Et renovabis faciem terræ.*

C Emitte Spiritum tuum, id est ut reparentur in melius. Recreati sunt utique, qui se pulverem humiliter agnoverunt. Renovabitur facies; quando de vetustate peccatorum emundatur peccator.

32 *Sit gloria Domini in sæculum : Lætabitur Dominus in operibus suis.*

C Sit gloria Domini : non cujuslibet alterius. In sæculum, id est in æternum, quia laudis ejus nullus est finis. H Lætitia est Domini, quando nos creatura ipsius benedicimus eum in die resurrectionis.

33 *Qui respicit terram et facit eam tremere : Qui tangit montes et fumigant.*

C De illis dicit, qui per Dei gratiam illuminati, peccata sua præterita contremiscunt. Montes hic peccatores dicit, qui dum fuerint indignatione Domini percussi, tunc ad salutares lacrymas currunt, et quosdam fumiferos globos tristitiæ emittunt, tanquam incensum suavitatis.

34 *Cantabo Domino in vita mea : Psallam Deo meo quandiu sum.*

C Cum ait cantabo in vita mea : tempus signat, cum in hoc mundo degere videbatur; cum vero adjecit, psallam Deo meo, scilicet in futuro sæculo ubi et esse perpetuum est, et psalmodia non habet finem.

35 *Jucundum sit ei eloquium meum : Ego vero delectabor in Domino.*

C Sic enim Deo fit jucunda nostra laudatio : si nos delectemur in Domino. Quia amans diligitur, negligens spernitur, desiderans sustinetur.

36 *Deficiant peccatores a terra et iniqui ita ut non sint : Benedic, anima mea, Domino.*

C Deficiunt a terra peccatores, cum terrena cupiditate privati, per Dei gratiam ad meliora studia concitantur. Simili modo et iniqui deficiunt, quando mali jam esse desinunt. Benedic, anima mea, dignum initium psalmi, et finis dignus, illum semper benedicere, a quo cognoscimus nos semper dona recipere.

ORATIO EX PSAL. CIII.

Inclyte omnipotens Deus, qui fructu opulenti terram aridam satiasti, da nobis spiritali mente ascensum tuæ gloriæ contueri, ut dum te in cœlis suspicimus, illa semper quæ sunt cœlestia, meditemur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CIV.

ARGUMENTUM PSAL. CIV.

C Propheta monet fideles ne spem in istis transitoriis ponant : sed patriarcharum viam tenentes, Deum spiritaliter semper exquirant.

TT. *Alleluia.*

C Hoc verbi decus a præsenti psalmo fecit ini

tium, nec ante a quoquam reperis positum, quamvis multi scriptores fuerint primitus Hebræorum. Scire autem debemus alleluia neutri generis esse definitum. Quod et sanctus Hieronymus in expositione ejusdem psalmi evidenter designat. Et unum atque integrum manere debet in translatione, quod nullius linguæ præsumptione mutatum est. Alleluia vero apud Hebræos, dicitur, *laudate Deum*, *alle* enim *laudate*, *ia* quippe significat *invisibilem Deum*.

1 *Confitemini Domino et invocate nomen ejus :*
Annuntiate inter gentes opera ejus.

C Confitemini Domino, id est laudate eum, et bonis factis gratiam divinitatis vobis acquirite. Annuntiate, hoc evangelistis convenit et apostolis, et nunc sacerdotibus, ut magnalia Christi annuntient. Cum vero dicit, confitemini, et postea subdit : invocate, docet invocare Deum volentes prius ejus laudes confiteri.

2 *Cantate ei et psallite ei :*
Narrate omnia mirabilia ejus.

C Cantate, ad hymnos pertinet offerendos; psallite, ad pia opera exercenda. Omnia significat ista quæ dicturus est. Non est enim humanarum virium omnia mirabilia narrare, sed significat a toto partem.

3 *Laudamini in nomine sancto ejus :*
Lætetur cor quærentium Dominum.

C Non enim vetat ut laudemur, quia actibus bonis non potest res ista denegari; sed ut in Domino laudemur præcipit, qui præstat illa quæ bene gerimus. Lætetur cor, etc. Inde, scilicet lætetur cor, si Dominum quærit et prædicatur in Domino; non autem si de suo posse laudatur.

4 *Quærite Dominum et confirmamini :*
Quærite faciem ejus semper.

C Hortatur ut se ad præmia futura confirment qui eum quærere delegerunt. Ista autem inquisitio non est ullo tempore finienda, quoniam addit, semper. Faciem vero, præsentiam ejus dicit.

5 *Mementote mirabilium ejus quæ fecit :*
Prodigia et judicia oris ejus.

C Mirabilia itaque pertinent ad divisionem maris Rubri; prodigia, ad plagas quas misit in Ægyptum; judicia oris, quoniam cuncta complevit quæ Moysi suo famulo promisit. Judicavit enim Pharaonem et populum suum, sicut Moysi dixit.

6 *Semen Abraham servi ejus :*
Filii Jacob electi ejus.

C Hic subaudiendum est, quod supra dixit, mementote. Merito vero servos dicit contumaces Judæos, quoniam, perfidia faciente, filii esse noluerunt. Filios vero Jacob, significat fidelissimos Christianos, qui hæredes esse merentur Domini.

7 *Ipse Dominus Deus noster :*
In universa terra judicia ejus.

C Dicendo ipse Dominus Deus noster, commonet hic illum intelligi debere esse Deum, quem Judæorum populi crucifigendum esse decreverunt, et ejus A judicia per universum mundum esse facienda, non in sola Judæa.

8 *Memor fuit in sæculum testamenti sui :*
Verbi quod mandavit in mille generationes.

C Memor fuit in sæculum, cum promissa complevit. Testamenti sui, prophetarum signat prædicationes, quas de Verbi incarnatione prædixerunt. Mandare est per alium aliquid dicere, quod per eos fecit, cum datum est eis futura prophetare. Mille generationes, finem sæculi significat.

9 *Quod deposuit ad Abraham :*
Et juramenti sui ad Isaac.

C Hoc ad illud respondet, quod superius dixi, testamenti sui. Quod disposuit, illa enim quæ in Veteri Testamento Abrahæ et Isaac patriarchis promissa sunt, disposita dicuntur et jurata ut firma ostendantur. B

10 *Et statuit illud Jacob in præceptum :*
Et Israel in testamentum æternum.

C Illud testamentum sic dispositum, statuit Jacob, id est, firmavit in præceptum, id est, in novum testamentum, quod proprie dicitur æternum, quia nullum illi aliud aliquando succedit, in quo est omnium promissorum completa perfectio

11 *Dicens : Tibi dabo terram Chanaan :*
Funiculum hæreditatis vestræ.

C Chanaan interpretatur *humilis*. Ergo convenienter significat accepturos esse Christianos terram humilium, id est beatorum. Funiculus hæreditatis, mundi hujus dicit tortuosas angustias, quas Dominus pro salute nostra sua passione dissolvit. Nam carnis illius susceptio, nostra probatur esse hæreditas. C

12 *Cum essent numero brevi :*
Paucissimi et incolæ ejus.

C Nunc enumerat quanta patriarchis virtus divina præstiterit.

13 *Et pertransierunt de gente in gentem*
Et de regno ad populum alterum.

H Pertransierunt, non de captivitate Judæorum hoc, sed de Abraham dicit, qui exiit de terra Chaldæorum, et venit in Mesopotamiam, de Mesopotamia in terram promissionis, et iterum in Ægyptum. Multa regna transimus, ut perveniamus ad terram repromissionis; et ita de regno Ægypti, hujus mundi, ad alterum populum in cœlis. D

14 *Non reliquit hominem nocere eis :*
Et corripuit pro eis reges.

H Non reliquit Pharaonem, ut noceret Abraham in Sara (*Gen.* xii): nec Abimelech (*Gen.* xx), Isaac in Rebecca (*Gen.* xxvi): sed corripuit Pharaonem et Abimelech pro eis.

15 *Nolite tangere christos meos :*
Et in prophetis meis nolite malignari.

H Ecce ante legem patriarchæ, non uncti unguento regali, christi dicuntur. Christi autem sunt, qui Spiritu sancto unguntur. Erubescant ergo Judæi, qui dicunt non posse Dominum Jesum Christum vocari, quia non fuit unctus regali unguento) cum et

illi christi dicantur, qui longe ante Saul (a quo regalis ista et materialis cœpit unctio) fuerunt.

16 *Et vocavit famem super terram :*
+ Et ⁝ omne firmamentum panis contrivit.

C Vocavit famem : tempore Pharaonis, quando in Ægypto septem annis fames grassata est (*Gen.* XLI). Et omne firmamentum, id est fructum triticeum perduxit ad nihilum ; hominum enim firmamentum panis est, cum supra dixerit : et panis cor hominis confirmat (*Psal.* CIII).

17 *Misit ante eos virum :*
In servum venundatus est Joseph.

C Misit Joseph ante patriarchas, quos superius memoravit. Qui bene vir dicitur, quia ut vir viriliter cuncta sustinuit. Ordo autem verborum talis est : misit ante eos virum Joseph, qui in servum venundatus est.

18 *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus.*
Ferrum pertransiit animam ejus :
Donec veniret verbum ejus.

C A Putiphar præposito Pharaonis Joseph missus est in carcerem : compedes autem accepisse non legitur, sed fieri potuit ut qui in carcere retrusus est ferreis nexibus ligaretur. Pertransiit animam ipsius ferrum, quando in has missus est angustias, ne inter mala, quæ injuste passus est, prævalerent et crimina falsitatis; ferrum autem hic indicat tribulationem duræ necessitatis. Donec veniret verbum a rege Pharaone, qui eum liberavit, vel verbum Joseph interpretandi somnia, quod verbum quærebatur a rege in eo et eum liberavit. Quod verbum, Dei fuit potius quam Joseph

19 *Eloquium Domini inflammavit eum : misit rex et solvit eum :*
Princeps populorum et dimisit eum.

C Inflammavit utique eum intus lumen cœlestis flammæ ut futura diceret cum fiducia veritatis. Misit rex, Pharao solvit a reatu quo tenebatur obstrictus, ipse est princeps, dictus Pharao scilicet, quem superius regem dixit, ille dimisit eum claustra exire carceris (*Gen.* XLI).

20 *Constituit eum dominum domus suæ :*
Et principem omnis possessionis suæ.

C Constituit dominum et principem, quando eum fecit currum ascendere et præconis voce nuntiari, hunc secundum dominum esse post regem et principem totius Ægypti.

21 *Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum :*
Et senes ejus prudentiam doceret.

C Credebat Pharao quod erudire posset principes suos, ut et ipsi somniorum interpretes esse merentur, et ideo eum eis præfecit, non solum ut regeret, sed et doceret, nesciens eum, a quo somniorum scientia est, Deum solum docere.

22 *Et intravit Israel + in ⁝ Ægyptum :*
Et Jacob accola fuit in terra Cham.

C Jubente Pharaone, cognatio Joseph ad terras Ægypti deducta est. Et Jacob, diversitate nominum, dicta suæ revelationis variavit. Ideo nunc Israel, nunc Jacob, unum et eumdem dicit. Chanaan vero fuit filius Cham, nepos Noe, ex quo Ægyptii traxerunt originem. Nostra vero translatio Cham habet ; sed Romana, quam hic sequitur, Chanaan.

23 *Et auxit populum suum vehementer :*
Et firmavit eum super inimicos ejus.

H Auxit populum suum, fecunditate nascendi ; confirmavit, quando illis crescentibus Ægyptiorum turba notissimis plagis vehementer afflicta est

24 *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus :*
Et dolum facerent in servos ejus.

C Convertit Deus Ægyptiorum cor ad odium contra Israeliticum populum, præstando illis felicia. Et dolum facerent : consequens erat ut post conceptum odium sæviens populus ad dolosas machinas perveniret, ut fuit in lateribus præceptis, duplicando opus, et paleas negando, et similibus (*Exod.* I).

25 *Misit Moysen servum suum :*
Aaron quem elegit ipsum.

C Istos ad Pharaonem, quasi quosdam testes, constat a Deo destinatos, ut populum sibi placitum abire permisisset illæsum.

26 *Posuit in eis verba signorum suorum et prodigiorum :*
In terra Cham.

C Signa sunt quasi aliqua vestigia futurarum sive præteritarum rerum ; prodigia vero pertinent ad mirabiles eventus, qui in ordine rerum prius non fuerunt, prodigium est enim dictum ab eo quod porro dicat. Itaque ista mirabilia tunc facta porro et procul dicebant populo Christiano aliquid ex eis intelligendum.

27 *Misit tenebras et obscuravit :*
Et non exacerbavit sermones suos.

C Leguntur tenebras inter plagas Ægyptii pertulisse, sed potius intelligamus corda eorum fuisse obscurata, qui Domini præcepta contemnebant. Exacerbaverunt sermones, significat *acerbe* acceperunt, aut certe injuriosis abominationibus respuerunt, et ita exponit translationem Romanam, quæ habet quia exacerbaverunt ; sed nostra habet non exacerbavit, scilicet Deus, id est non irritavit, sed complevit sermones suos miraculis eos confirmans.

28 *Convertit aquas eorum in sanguinem :*
Et occidit pisces eorum.

C Convertit enim aquas in sanguinem, quoniam erant inter fluenta maris Rubri perituri. Pisces occisi sunt, ne spes vivendi hominibus relicta videretur, quando etiam pisces mortui sunt. Qui in nativo elemento isto nutriti sunt.

29 *Addidit terra eorum ranas :*
In penetrabilibus regum ipsorum.

H In ranis poetarum carmina designantur, qui a catholica regula discrepantes corda terrenorum regum fabulis replent deceptionum.

30 *Dixit et venit cynomya et ciniphes :*
In omnibus finibus eorum.

C Cynomya significat muscam caninam, quæ cæteris muscis mordacior est et importunitate sua

volentior; ciniphes, genus culicum fixis aculeis permolestum.

31 *Posuit pluvias eorum grandinem :*
Ignem comburentem in terra ipsorum.

C Posuit, id est decrevit, ut pluvia quæ ad fecunditatem terris datur converteretur in grandinis noxiam vastitatem. Ignis vero comburens significat fulmina, quæ solent excitata tempestate desævire.

32 *Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum :*
Et contrivit lignum finium eorum.

C *Quod* dicit percussit, ad grandinem vel ignem comburentem refer, ne autem tantum ficulneas putares percussas, addidit omne lignum, ut et sata non dubitares eversa, ubi arborum quoque robora cognosceres fuisse contrita. Majora enim continent intellectum minorum.

33 *Dixit et venit locusta :*
Et bruchus, cujus non erat numerus.

C Locusta est mater bruchi, quem mala fecunditate progenerat quæ ad illam prædam, quasi convocatus exercitus, cum sua prole descendit.

34 *Et comedit omne fenum in terra eorum :*

℣ *Et comedit* ⁝ *omnem* ✣ *fructum terræ eorum :*

C Et ne crederes inaniter adductum illum exercitum, dicit omnem fructum consumptum esse terræ.

35 *Et percussit omne primogenitum in terra eorum :*
Primitias omnis laboris eorum.

C Venit ad septimam plagam in hoc psalmo positam. Movet etiam aliquos, cur in isto psalmo septem tantum, cum in Exodi narratione decem, narrantur. Sed hoc factum est ideo, quia septem beneficia Dominum Hebræo populo præstitisse statim dicturus est : præmisit totidem plagas Ægyptios accepisse. A Vel quia laudanti, de pluribus pauca attigisse, sufficit; narranti vero, omnia commemorare opus est.

36 *Et reduxit eos cum argento et auro :*
Et non erat in tribubus eorum infirmus.

C Aurum et argentum Israeliticum populum ab Ægyptiis discedentem ex præcepto Dei legimus accepisse (*Exod.* xi), ut non repentina subreptio, sed longæ operationis merces esse videatur. Et sequitur secundum beneficium, quia ibi etiam nullus ex jussione ejus infirmitate corporea potuit affligi.

37 *Lætata est Ægyptus in profectione* ✣ *eorum ;*
Quia incubuit timor eorum super eos.

C Tunc qui in Ægypto remanserant, omnino lætati sunt, quando illi dimersi sunt, qui ad insequendos Hebræos ire decreverant. Cur? Quia similia minime pertulerunt. Et timebant, quia et ipsa elementa pro eis pugnabant, ut aqua maris, aer tenebrosus, ignis comburens, etc. Vel, lætata est Ægyptus propter spem liberationis a morte. Ideo enim eos exire A coegerunt, ne iterum homines et primogenita interficerentur.

38 *Expandit nubem in protectione* ✣ *eorum* ⁝ :
Et ignem ut liceret ✣ *eis* ⁝ *per noctem.*

C Nubes data est, ut solis temperaret ardorem; ignis concessus est, ut tenebrarum potuisset auferre caliginem. Et hoc est tertium beneficium, quod Israelitico populo constat esse concessum.

39 *Petierunt et venit coturnix :*
Et pane cœli saturavit eos.

C Superata sunt desideria petentium. Carnes petit, et coturnices accepit (*Exod.* vi) (tam enim in quadrupedibus quam volatilibus carnes sunt sine dubio dulciores), insuper et panem cœli acceperunt (*Num.* xi). Sunt enim ista Exodi lectione notissima, B quando coturnices in modum densissimorum imbrium depluerunt; manna quoque, ut Judaicus populus satiaretur depluit, quod hic panem cœli dicit (et optime) in figura sacramenti dictus est cœli panis. Manna enim dicitur, *quid est hoc?* et tanquam quærenti responderetur, dictum est : Panis cœlestis; illo saturavit eos.

40 *Disrupit petram et fluxerunt aquæ :*
Abierunt in sicco flumina.

C Hoc quoque in figura gerebatur Domini Christi, ut petra aquas profudisset irriguas. Christus enim Dominus petra spiritalis est (*I Cor.* x), qui vitales aquas emanat. Quæ abierunt in sicco, id est, in gentium peccatores, qui merito sicci dicuntur, qu delictis urentibus siccabantur, sed imbre Domini C virente in novum hominem pullularunt.

41 *Quoniam memor fuit verbi sancti sui :*
✣ *Quod habui* ⁝ *ad Abraham puerum suum.*

H Memor fuit verbi, quod implevit de semine ejus, id est de Christo promissionem suam quam Abrahæ promisit (*Gen.* xv). C Vel causam miraculorum dictorum nunc subdit. Ideo enim dicuntur facta, quoniam Abrahæ constat fuisse promissa.

42 *Et eduxit populum suum in exsultatione :*
✣ *Et* ⁝ *electos suos in lætitia.*

C Eduxit electos suos in lætitia, quoniam illi qui murmuraverunt Domini furore percussi sunt, illos ergo non dicitur eduxisse, quos in eremo culpis exigentibus prostravit.

43 *Et dedit illis regiones gentium :*
Et labores populorum possederunt. D

C Venit nunc ad septimum beneficium, quod enim dicit regiones gentium, ad possessionem videtur pertinere terrarum; labores vero populorum, ad divitias longo tempore congregatas

44 *Ut custodiant justificationes ejus :*
Et legem ejus requirant.

C justificationes Christi sunt, ut Deum toto corde diligamus, proximos ut nos amemus, patrem veneremur. Lex vero ejus fuit die Sabbato requiesci, in pascha agnum immolari. Sed hæc spiritaliter sunt quærenda, ideo enim addidit, requirant.

ORATIO EX PSAL. CIV.

Invocantes nomen tuum, Domine, deprecamur, ut

qui patres nostros, virtute tui nominis præeunte, angelicis pastibus refecisti, nos quoque mysticis dapibus foveas ac reformes. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CV.

ARGUMENTUM PSAL. CV.

℣ Hic introducitur confitens populus Hebræorum, cum, relicta patrum perfidia, ad pietatem Domini ipso miserante perductus est.

TT. *Alleluia alleluia*

℣ Hic introducitur confitens populus Hebræorum, qui, relicta perfidia patrum suorum, ad pietatem Domini ipso miserante perductus est (123), ut intelligamus, cum fuerint conversi, et ipsos alleluia merito pro sua redemptione cantare.

1 *Confitemini Domino quoniam bonus :*
Quoniam in sæculum misericordia ejus.

℣ Confessio ista ad medicinam pœnitudinis est applicanda, sed et ad præconia Domini pertinere non dubium est; quando major gloria pietatis est parcere confitenti quam sine offensione viventi præstare. Bonus enim dicitur recte Dominus, quia exspectat errantem, et pascit delinquentem. In sæculum autem, vitæ hujus significat cursum, ubi miseri sunt quicunque delinquunt.

2 *Quis loquetur potentias Domini :*
Auditas faciet omnes laudes ejus?

℣ Quis enim significat nullum. Cui enim aut ingenium suppetit ad cogitandum, aut lingua ad depromendum, ut lingua possit referre magnitudinem tantæ majestatis? Auditas faciet, et hic quoque subaudiendum est, quis : Illa enim possunt audiri, quæ probantur et dici.

3 *Beati qui custodiunt judicium :*
Et faciunt justitiam in omni tempore.

℣ Custodit enim judicium qui inter alios recte judicat. Justitiam autem facit, qui eam in opere demonstrat. Merito ergo isti tales beati dicti sunt, qui præcepta Dei pura mente custodiunt omni tempore. Qui enim perseveraverit usque in finem hic salvus erit (*Matth.* x).

4 *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui :*
Visita nos in salutari tuo.

℣ Orant devoti, ut inter eos debeant æstimari, qui Domino fideli opere placuerunt. Optant se visitari a Deo, cujus adventu se noverant esse salvandos. ℍ Salutaris, Filius est Patris. ℣ Ipse est salutare, de quo beatus Simeon ait : Viderunt oculi mei Salutare tuum (*Luc.* II).

5 *Ad videndum in bonitate electorum tuorum : ad lætandum in lætitia gentis tuæ :*
Ut lauderis cum hæreditate tua.

℣ Petit populus prædictus a salutari Domino visitari, ut bonitatem ejus videret, quam electis suis erat suo munere præstaturus. Cum, vel in lætitia suæ gentis, ipsa est gens Domini, quæ de gentium est diversitate collecta, ut esset grex unus et pastor unus. ℍ Ut lauderis a nobis Judæis, præcepta tua servantibus, cum hæreditate tua, scilicet gentili populo tibi credituro, ut simus cum eis unus populus, laudans te æternaliter; vidit enim te Abraham pater noster, et gavisus est (*Joan.* VIII); videamus et nos, et laudantes gaudeamus.

6 *Peccavimus cum patribus nostris :*
Injuste egimus iniquitatem fecimus.

℣ Dubium non est istum populum ea peccata gemere, quæ ex nequitia patrum suorum probatur sustinere. Cum majoribus enim suis peccant, qui se ab eorum delictis non separant, hoc est autem peccavimus, quod injuste egimus, quod iniquitatem fecimus.

7 *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua :*
Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

℣ Duo sunt quæ beneficia collata commendant, intellectus et memoria quod utrumque in perfidis fuisse denegatur. Videbant enim plagas Ægyptiorum, et beneficia Dei, sed qua causa fierent non agnoscebant, nec memores erant misericordiæ Dei, videntes enim exercitum Pharaonis, credebant se subsidia evadendi perdidisse antequam mare divideretur, immemores priorum mirabilium.

8 *Et irritaverunt ascendentes in mare :*
Mare Rubrum.

℣ Irritaverunt, id est placatum Deum iracundum sibimet reddiderunt. Ascendentes, hoc constat dictum positione loci, quoniam Ægyptus cunctis regionibus perhibetur esse humilior, et ideo inde ascendentes petierunt loca altiora.

9 *Et salvavit eos propter nomen suum :*
Ut notam faceret potentiam suam.

℣ Dicendo propter nomen suum, designat Dominum Salvatorem, cujus vocabulo convenit, salvare periclitantes. Notam fecit potentiam suam, utique oculis spiritali cogitatione videntibus

10 *Et increpuit mare Rubrum et exsiccatum est :*
Et deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

℣ Increpationem vocavit occultum divinitatis imperium, quia mare in Exodo voce Domini non legimus increpatum. Siccatum est mare, non per totum, sed tantum quantum illis tunc iter aperiret. Desertum dicitur, et est in abyssis, quando aquarum inundatione deseruntur, ac sic aruit illa via fluentorum ut usque ad iter pulvereum potuisset pervenire. Propter quod deserto comparantur abyssi istæ.

11 *Et salvavit eos de manu odientium*
Et redemit eos de manu inimici.

℣ Salvavit enim Christus humanum genus a cohorte dæmonum, quæ plebem humanam stimulo

(123) Non mirum hic videatur, si bis eadem verba redeant, siquidem hanc singularem repetitionem, quam emendaverat Cochleus, argumentum sumens ex Cassiodoro, exigit editio ex autographo S. Brunonis et uno ms. excusa, aliisque editionibus anteponenda.

peccatorum et odit et percutit. Redemit peccatores obnoxios, pretioso sanguine, ab imperio diaboli, hoc est de manu inimici. Ad litteram enim illud dici non videtur, non enim Ægyptiis pretium dedit cum liberasset Judæos, quod tamen redemit, significat, prophetice igitur dictum habeatur.

12 *Et operit aqua tribulantes eos :*
Unus ex eis non remansit.

H Hæc nunc similitudo in nostro baptismo fit, ubi abluitur homo aquis, et perit diabolus cum satellitibus suis. C Ad litteram enim planum est intelligere historiam noscenti.

13 *Et crediderunt* ✣ in ⁘ *verbis ejus :*
Et laudaverunt laudem ejus.

C Et crediderunt, duritiam in hoc cordis demonstrat, quod non ante eventum rei, sed post factum *miraculorum* credere maluerunt. Et laudaverunt, scilicet canentes : Cantemus Domino, gloriose enim honoratus est (*Exod.* xv).

14 *Cito* ✣ *fecerunt* ⁘ *obliti sunt operum ejus :*
Non sustinuerunt consilium ejus.

C Cito fecerunt, ac si diceret : Summa celeritate mutati sunt, ut qui Domino de collatis mirabilibus laudes canebant, post, nefandas murmurationes assumebant. Consilium mutaverunt in peccatum, dum prius desperarent quam ejus parata beneficia provenissent. Petierunt enim escam sub diffidentia, quamvis ante, nullam famem essent passi, divina semper largitate pasti. Ita hodie multi, dum sibi nimia festinatione provident, incauti divinitatis dispositionem anticipant.

15 *Et concupierunt concupiscentiam in deserto :*
Et tentaverunt Deum in inaquoso.

C Et concupierunt concupiscentias, cum postulabant sibi dari sub murmurationibus aquam et comessationem in deserto (*Exod.* xv). Ostendit enim geminatio verborum nimietatem desiderii. Et tentaverunt in inaquoso. H Siccitas enim eis erat, quia non agnoscebant irrigationem sancti Spiritus in columna nubis, quæ præcedebat eos.

16 *Et dedit eis petitionem ipsorum :*
Et misit saturitatem in animas eorum.

C Duobus enim modis animam dicimus satiatam, cum escis corporalibus pro carnis infirmitate reficitur, et cum spiritali jocunditate completur. Sed hic animas eorum dicit carnibus potuque saginatas, ut eorum voluntas desperata rebus emergentibus vinceretur.

17 *Et irritaverunt Moysen in castris :*
Aaron sanctum Domini.

C Saturitatem ventris secuta est seditio, quæ plerumque periculorum perniciosorum causas excitat. Irritari, aliquem dicimus ad iracundiam provocari, irritaverunt enim viros sanctos Dathan et Abiron ad interitum suum (*Num.* xvi), quia per invidiam loquebantur, quod Domino displicebat. Et hoc congrue inter laudes Dei ponitur, quia suos famulos vindicasse declaratur.

18 *Aperta est terra et deglutivit Dathan :*
Et operuit super congregationem Abiron.

H Aperta est terra, facta sunt hæc secundum litteram, sed et nunc vorat eos terra, qui terrena sapiunt ; et recedunt a mandatis Dei ; quos non illuminat gratia Spiritus sancti, sed accendit flamma peccati.

19 *Et exarsit ignis in synagoga eorum :*
Flamma combussit peccatores.

C Exarsit ignis hoc factum est supra, ducentos viginti quinquaginta socios Dathan et Abiron, qui eorum infeliciter vota secuti sunt. Flamma dicta est a flagello comarum suarum. Synagoga, vero hic congregationem sociorum Dathan et Abiron significat.

20 ✣ *Et* ⁘ *fecerunt vitulum in Choreb :*
Et adoraverunt sculptile.

C Choreb interpretatur *calvaria*, ubi postea Judæi Dominum crucifixerunt, ut in eodem nomine, jam tunc in illo deserto Choreb, culturam Dei nefanda præsumptione violarent, quorum posteritas erat in loco calvariæ crucifixura Dominum. Adoraverunt sculptile, non in deserto, sed in terra postea promissionis.

21 *Et mutaverunt gloriam suam : in similitudinem vituli*
Comedentis fenum.

C Gloria eorum fuit adorata divinitas, quam infelici commutatione perdentes, usque ad hoc pervenire meruerunt, ut deserentes cœli terræque Creatorem, Deum sibi facerent, similitudinem vituli fenum comedentis.

22 *Obliti sunt Deum qui salvavit eos :*
Qui fecit magnalia in Ægypto mirabilia.
In terra Cham : terribilia in mare Rubro.

H Obliti sunt Deum : qui verberavit multis plagis Ægyptum, ut suum populum liberaret : et miracula in terra Cham sive Chanaan fecit, cum ejectis gentibus ipsos in eorum terra plantavit. Terribiliaque fecit in mari, cum Pharaone exstincto sic cum populis præbebat incessum.

23 *Et dixit ut disperderet eos :*
Si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.

H Attende hoc, o sacerdos : perisset enim populus, nisi mitigasset Moyses iram Dei : et tu cum videris populum delinquentem, annuntia ei delicta sua : et *sta in* fractione, id est in periculo rogans Dominum, ut avertatur furor ejus ab eis.

24 *Ut averteret iram ejus ne disperderet eos :*
Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

C Pro nihilo habuerunt terram : quia semper carnaliter visa et audita cogitabant, sed adverte quam bona illa terra fuerit, ut desiderabilis esse diceretur. H Terra enim viventium est, quam desiderabilem dicit : quam pro nihilo habebant, quia istam transitoriam diligebant. C Vel terra ista sancta corporalis, propter mysteria redemptionis nostræ desiderabilis intelligentibus fuit : illis vero nulla, qui in ea nihil spirituale senserunt.

25 *Non crediderunt verbo ejus :*
Et murmuraverunt in tabernaculis suis :
Non exaudierunt vocem Domini.

C Non crediderunt in verbo ejus : Filium significat, cui plebs nefandissima non credebat. Vel hoc ad litteram, quia ideo murmurabant, quia ejus promissionibus minime credere maluerunt. Dum murmurationes exercebant, vocem Domini nullatenus audierunt. In tabernaculis vero dicit : ut hoc contigisse videretur, non laborantibus, sed otiosis. Majus enim crimen est, cum murmurare contigit otiosis.

26 *Et elevavit manum suam super eos :*
Ut prosterneret eos in deserto.

C Elevavit manum : hic justitia Domini præmittitur, ut secuta pietas majore gloria sentiatur. Dicit enim insurrexisse Domini potestatem, ut vindicaret B in excedentibus, eosque prosterneret, et alia quæ sequuntur faceret.

27 *Et ut dejiceret semen eorum in nationibus :*
Et dispergeret eos in regionibus.

H Dispersi sunt enim Judæi in diversis partibus, ut aliquando humiliati, suum Dominum plebs castigata cognosceret. Sed et ille dispergitur, cujus sensus omni vento inanis gloriæ vel cupiditatis circumfertur.

28 *Et initiati sunt Beelphegor :*
Et comederunt sacrificia mortuorum.

H Et initiati sunt, id est, qui Deo se consecrare debuerunt, idolo Beelphegor initiati, id est consecrati sunt : et qui panem vivum esurire debuerunt, mortuorum sacrificia comederunt. C

29 *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis :*
Et multiplicata est in eis ruina.

H Irritaverunt eum in adinventionibus suis, scilicet perversis, et idolorum ruina multipliciter est facta. A Vel multiplicata est in eis ruina : quia pro gravioribus suis peccatis gravius vastabantur.

30 *Et stetit Phinees et placavit :*
Et cessavit quassatio.

C Stetit Phinees : hoc verbum stetit, soliditatem mentis ostendit, qui ex zelo divino fornicatores occidit. H Sic debet sacerdos cui animæ commissæ sunt, evaginare gladium, id est proferre verbum, et occidere fornicationem et concupiscentias in utroque sexu, ut sibi reputetur ad justitiam.

31 *Et reputatum est ei in justitiam :* D
In generatione et generatione usque in sempiternum.

C Reputabatur illi sacerdoti Phinees ad justitiam, id quod superius dixit, hic et in futuro sæculo, sed et sacerdoti cuilibet vitia corrigenti reputatur ad æternam justitiam

32 *Et irritaverunt eum ad aquam contradictionis : et vexatus est Moyses propter eos :*
Quia exacerbaverunt spiritum ejus.

H Aqua contradictionis, aquæ baptismi accipiuntur, ad quas diabolo contradicitur et operibus ejus, post quas si quis se coinquinaverit vitiis, sacerdos vexabitur pro eo, eo quod exacerbaverit Spiritum A Dei, quem ille prædicat : sicut Paulus dicebat : Quis infirmatur et ego non infirmor? (*II Cor.* XI.)

33 *Et distinxit ✣ in ⁘ labiis suis :*
Non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis.

H Et distinxit in labiis suis, ut jugiter supplicaret pro eis. C Vel distinxit dictum illud diffidentiæ, a priori mentis constantia. Non disperdiderunt gentes, quia postquam terram promissionis populus intravit, oblitus mandatorum Dei et præceptorum ejus, quibus præceperat debere eos propter idolorum culturas occidere, cum illis se gentibus magis vetita societate conjunxit.

34 *Et commisti sunt inter gentes : et didicerunt opera eorum : et servierunt sculptilibus eorum :*
Et factum est illis in scandalum.

C Commisti sunt itaque vetita societate inter gentes, ut se eorum superstitione polluerent, factumque est illis in scandalum. Scandalum nomen Græcum est, significans *sinistrum*, eo quod eorum mentes in lævam partem perversa imitatione deduxit. Ecce facta est terra promissionis in scandalum, quæ fuit in magnum præmium Domino largiente collata. Unde monemur recte uti beneficiis divina largitate collatis, ne magis inde pereamus unde sublevati fuisse cognoscimur.

35 *Et immolaverunt filios suos et filias suas :*
Dæmoniis.

H Immolaverun: filios suos et filias suas dæmoniis. Hoc intelligendum est moraliter, sensus et animas suas. C Vel ad litteram, non illi qui terram promissionis sunt ingressi, sed posteritas eorum.

36 *Et effuderunt sanguinem innocentem.*
Sanguinem filiorum suorum et filiarum ✣ suarum ⁘ :
Quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

C Effuderunt sanguinem, non autem legitur ab Hebræis, terram promissionis ingressis, effusum sanguinem humanum in sacrificiis dæmonum ; tamen ab ætate sequenti hoc fieri posse non dubium est. Et ne putarentur extranei fuisse illi innocentes quorum sanguinem effuderant, addidit filiorum suorum et filiarum suarum, ut contra eos cresceret invidia, et scelus grandesceret ; et ut amplius grandesceret, addidit sculptilibus istum innocentem sanguinem effusum. Auxesis enim figura ista apud Græcos dicitur, quando vel laus vel crimen adjectis dictionibus increscit et augetur.

37 *Et interfecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum :*
Et fornicati sunt in adinventionibus suis.

C Interfectam igitur terram, debemus crudeles homines accipere, qui se magis iniqua devotione trucidabant interficiendo filios. Tropica enim locutione interfecta terra, dicuntur terreni homines, suis malis actionibus in anima interempti. Et hoc faciendo etiam dicuntur fornicati, nam illi fornicati videntur in Domino, qui se adulterinis polluerunt superstitionibus.

38 *Et iratus est furore Dominus in populum suum :*
Et abominatus est hæreditatem suam.

C Tropica locutione iratus furore Dominus dicitur. Et iratus est furore Dominus, H quia reliquit eum, et quæ quondam fuerat plebs Dei, facta est caterva diaboli. C Abominatio autem et Dei aversio malorum omnium constat extremum, quia dum illud quod continet subducitur, necesse est ut earum rerum quæ continentur ruina protinus sequatur.

39 *Et tradidit eos in manus gentium :*
Et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

C Traditi sunt enim opprobrio servitutis, *qui* gloriari videbantur in idolis. Dominati sunt eorum qui oderunt eos, gravis valde dominatio, nam qui semper odit semper iratus est ; qui vero semper iratus est, implacabilis est. Durissima igitur est servitus B servire semper infenso.

40 *Et tribulaverunt eos inimici eorum.*
Et humiliati sunt sub manibus eorum :
Sæpe liberavit eos.

C Et tribulaverunt eos, recta vicissitudo, ut qui amanti Domino servire noluerunt, odientibus inimicis justo judicio probarentur esse subjecti. Sæpe liberavit, ut intelligamus ipsum et bona promittere, et flagellatis denuo subvenire. Promisit enim beneficia, et humana non cessavit iniquitas, intulit vindictam, et afflictis iterare dignatus est clementiam.

41 *Ipsi autem exacerbaverunt eum : in consilio suo :*
Et humiliati sunt in iniquitatibus suis.

H Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo, quod habuerunt, ut eo relicto idolis servirent. Et humiliati sunt, non a Deo, sed a delictis suis humiliabantur.

42 *Et vidit cum tribularentur .*
Et audivit orationem eorum.

H Et vidit cum tribularentur, præcucurrit enim solita miseratio clementis Dei, quæ conversos in orationibus protinus audivit. Docet enim et te, quod si conversus ingemueris, protinus appropinquant celsis auribus ejus preces humilitatis tuæ.

43 *Et memor fuit testamenti sui :*
Et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

H Memor fuit testamenti, quod cum Abraham in initio fidei nostræ pepigit ; C quod absconditum erat in prophetis, sed in tempore Evangelii revelatum est. Pœnituit autem more humanitatis dicitur, H quia semper super pœnitentes pœnitet Deus, dum mala quæ locutus fuerat ut faceret non facit. C Pœnitet ergo tunc Deus, quando *nos* pœnitentes cognoscit ; talis enim ille nobis efficitur, quales *nos sibi* esse probaverit. Est ergo Dei pœnitentia hic, non dolor de imprudenter facto, sed remissio pœnæ peccati.

44 *Et dedit eos in misericordias :*
In conspectu omnium qui ceperant eos.

C In misericordias datos eos dicit, quia diversa A charismatum munera susceperunt ; alii enim prophetæ, alii apostoli, alii martyres, alii confessores, ex ipso populo gratia Dei floruerunt. Vel ad litteram, gentiles eis placabiles fecit, qui captivarunt eos, ut sæpe etiam liberos darent, quos ante captivos tenebant.

45 *Salvos fac nos, Domine, Deus noster :*
Et congrega nos de nationibus.

H Salvos nos fac, ne nobis vitia dominentur. Et congrega nos, quia gens Hebræorum in regionibus nationum est dispersa. C Populus enim iste, cui ab initio psalmi verba dedimus, nunc Deum deprecatur, ut Ecclesiam suam de gentium congregatione perficiat.

46 *Ut confiteamur nomino sancto tuo :*
Et gloriemur in laude tua.

C Ut confiteamur nomini tuo, id est Filio utique tuo, qui et nomen et laus tua est. C Et gloriemur, non in humana jactantia, sed in te, ubi est revera fixa gloria et sine fine lætitia.

47 *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et usque in sæculum :*
Et dicet omnis populus : Fiat fiat.

H Merito benedictus in sæcula, per quem facta sunt sæcula, non solum facta sed etiam redempta. Qui et nunc nos recreare dignetur in salutari, id est in Christo Jesu Domino nostro, qui est in sæcula benedictus. C Dicit vero ab isto sæculo usque ad illud perpetuum sæculum Deum benedicendum, ut continuata laus nunquam debeat habere C fastidium.

ORATIO EX PSAL. CV.

Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, et a peccati servitute nos discussos salutaris tui visitatione salvifica. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CVI.

ARGUMENTUM PSAL. CVI.

C Hic commonetur populus Christianus ut pro collatis sibi beneficiis laudes Domino reddat.

TT. *Alleluia.*

1 *Confitemini Domino quoniam bonus :*
Quoniam in sæculum misericordia ejus.

C Confitemini Domino, commonet Propheta et D prodere peccata sua, et laudes Domini personare. Dicit vero quoniam bonus, ut peccatoribus sit confidentia post satisfactionem pro Domino supplicare. In sæculum, hoc est in æternum, quia nullum tempus est, quod ab ejus misericordia reperiatur exceptum.

2 *Dicant qui redempti sunt a Domino :*
Quos redemit de manu inimici : et de regionibus congregavit eos.

C Dicant utique alleluia, quod titulus ait, et se jucundis exsultationibus consolentur, qui ad Domini gratiam venire meruerunt ; significat tamen specialiter populum gentium, qui Dei sanguine redempti, et de potestate inimici, id est diaboli, ipsius miseratione

tione sublati sunt; qui de diversis regionibus vocati sunt, vel qui redempti sunt in passione Christi.

3 *A solis ortu et occasu :*
Ab aquilone et mari.

C A solis ortu, cum tres cardines mundi designaverit, pro quarto, id est pro australi posuit mare, ab illa parte volens intelligi Oceanum, qui cunctum mundi marginem dicitur circuire.

4 *Erraverunt in solitudine in inaquoso :*
Viam civitatis habitaculi non invenerunt.

C Erraverunt gentes in superstitiosa doctrina, aridi de vera doctrina, et in solitudine, cum nullos verissimos doctores adhuc habere probarentur. Et viam civitatis, id est, opera quibus pervenitur ad cœlestem Hierusalem non invenerunt.

5 *Esurientes et sitientes :*
Anima eorum in ipsis defecit.

C Esurientes et sitientes, curiosissimos viros sæculi hujus significat, qui semitas veritatis diversis opinionibus exquirebant, sed quoniam non crediderant vero auctori, in vera sapientia non poterant inveniri. Defecit anima in ipsis, utique cum laboribus atque studiis eorum animositas lassata succubuit.

6 *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur :*
Et de necessitatibus eorum eripuit eos.

C Superioribus versiculis descripsit errantes, nunc refert de redeuntibus ad dona Dei. Clamaverunt, significat magno desiderio quæsierunt. H Tunc quoque exaudimur ab eo, quando non simplex vox sed tribulatio clamat ad Deum. Sed vide quid clamor iste præstiterit, quia de necessitatibus eripuit eos, et semitas veritatis agnoscere fecit.

7 *Et eduxit eos in viam rectam :*
Ut irent in civitatem habitationis.

C Et eduxit eos in viam rectam, scilicet Christus, quatenus qui pridem invio errore vagabantur, accepta via sanctissimæ religionis, credentes in Christum ad Ecclesiæ beata atria feliciter pervenirent.

8 *Confiteantur Domino misericordiæ ejus :*
Et mirabilia ejus filiis hominum.

C Dignum et justum est semper confiteri *pio* Domino, qui nos sua misericordia et a periculis liberat, et splendore suæ pietatis illuminat. Mirabilia ejus, quæ fecit in mundo, per evangelistas et apostolos, posteris dicit esse prædicanda.

9 *Quia satiavit animam inanem :*
Et animam esurientem satiavit bonis.

C Tunc erant animæ gentilium inanes et vacuæ, quando bonis fructibus ex cultu idolorum erant privatæ, postea esurientes satiatæ sunt, quando Domini miseratione commonitæ, vota sua ad pœnitentiæ studia transtulerunt.

10 *Sedentes in tenebris et umbra mortis :*
Vinctos in mendicitate et ferro.

C Sedebant gentes in tenebris, quoniam vacuatæ lumine fidei. Cum dicit sedentes, ostendit eas longo situ ibidem fuisse versatas. Umbra mortis, tam istius A sæculi vita vitiosa. Vinctæ in mendicitate, id est in ligentia boni operis, ligatæ funibus peccatorum. Ferrum significat duritiam malorum.

11 *Quia exacerbaverunt eloquia Dei :*
Et consilium Altissimi irritaverunt.

C Quia exacerbaverunt, exponit enim quemadmodum peccaverunt illi qui sedebant in tenebris; quia contra Domini eloquia facientes, in ejus regulis vivere respuebant, et ideo ejus consilia irritaverunt. H Quæ eis dederat ut eligerent vitam. C Fuit etiam Dei justum consilium, saluberrima medicina, ut morbus ille contrario remedio curaretur; superbia mentis, angustia cordis.

12 *Et humiliatum est in laboribus cor eorum.*
Infirmati sunt nec fuit qui adjuvaret.

B C Humiliatum est cor eorum in tribulationibus et angustiis, ut qui in prosperitatibus superbi exstiterunt, in tribulationibus et laboribus humiliarentur. Infirmati sunt, id est a sæculi præsumptione dejecti sunt. Nec fuit qui adjuvaret, subaudiendum, alter, nemo enim præstat periclitanti, nisi cui omnipotens Deus præceperit subveniri.

13 *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur :*
Et de necessitatibus eorum liberavit eos.

C Clamaverunt ad Dominum, scilicet propria delicta confitentes. Silebant prius in elatione positi et velut insensata pecora nullum salutare verbum fundebant. Compunctio facta est, et tunc vocem utilem reddiderunt, id est et liberavit eos qui premebantur C servitute diaboli.

14 *Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis :*
Et vincula eorum disrupit.

D Eduxit eos de tenebris, id est de cæcitate perfidiæ. Umbra mortis est vita peccatis maculata, quæ illius futuræ mortis teterrimam portat imaginem. Disrupit vincula, sic diaboli tyrannica potestas Christo veniente disrupta est, ut nunquam in illam quæ fuit dominationem redire prævaleat.

15 *Confiteantur Domino misericordiæ ejus :*
Et mirabilia ejus filiis hominum.

C Admonet enim Liberatori gratias agere, quia januas peccatorum et malorum omnium claustra virtus divina confregit.

16 *Quia contrivit portas æreas :*
Et vectes ferreos confregit. D

C Portæ æreæ, sunt consuetudines hominum vitiosæ, quæ nos ita in peccatorum atriis recludunt ut exeundi nequeant præbere licentiam. Vectes autem ferreos, spiritus immundos dicit, qui illas januas peccatorum, ne exire liceat, circumdatas observare et claudere non cessant. Hæc enim duo metalla pro fortitudine delictorum videntur esse adhibita.

17 *Suscepit eos de via iniquitatis eorum :*
Propter injustitias enim suas humiliati sunt.

H Suscepit, id est liberavit Christus, quos obseraverat diabolus validissimis seris vitiorum. Propter injustitias enim suas humilitati sunt, ut exaltarentur in Christo.

18 *Omnem escam abominata est anima eorum :*
Et appropinquaverunt ✣ usque ⁘ ad portas mortis.

C Hic escam spiritalem, legem Dei, scilicet et salutaria præcepta debemus advertere, unde fidelis anima vivit ; de qua iniquorum mens exitiosa fame jejuna est. Gravis morbus, exsecranda calamitas, divinæ legis appetentiam non habere. Nam unde potest vivere, qui suam vitam cœperit non amare ? Illinc factum est ut ad illa claustra mortifera veniretur, nisi Domini miseratione essent liberati.

19 *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur :*
Et de necessitatibus eorum liberavit eos.

C Istum versum constat esse repetitum, quoniam in simili causa unam decuit esse sententiam.

20 *Misit verbum suum et sanavit eos :*
Et eripuit eos de interioribus ✣ eorum ⁘.

H Misit Verbum suum, id est Pater Filium, qui nos reficeret et sanaret. Et eripuit eos de interitionibus in quibus se ipsi dimerserant. C Ecce qualis languor, spirituales delicias Verbi Dei et prophetarum fastidire, ut sola cœlestis medici præsentia, scilicet Christi, tale potuisset periculum ægritudinis amputare.

21 *Confiteantur Domino misericordiæ ejus :*
Et mirabilia ejus filiis hominum.

Quarta psalmi sectio repetitis versibus introitur. Commonet autem sacerdotes ut Domino confiteantur, id est ut sacrificent illi, et mirabilia ejus non desinant populis prædicare.

22 *Et sacrificent sacrificium laudis :*
Et annuntient opera ejus in exsultatione.

C Domino sacrificium *reddidit*, qui lætus hostiam laudis obtulerit. Multo enim præstantius est, cum bonis actibus psalmodiæ illi jubilationes offerre, quam pecudum victimas immolare. Et opera ejus, id est, beneficia ejus prædicatores proferant in exsultatione. Illa enim celerius credere acquiescimus, quæ videmus doctores fixa et grata mente prædicare.

23 *Qui descendunt mare in navibus :*
Facientes operationem in aquis multis.

C Qui descendunt mare, significat sacerdotes, qui sæculi istius procellosa descendunt. H In navibus, id est in Ecclesiis, quæ Christum portant, et a fluctibus hujus mundi tunduntur. Facientes operationem, C id est prædicant populis Christianis, qui aquis multis designantur.

24 *Ipsi viderunt opera Domini :*
Et mirabilia ejus in profundo.

C Ipsi viderunt, ipsi prædicatores, qui ejus opera spiritali intelligentia cognoverunt. In profundo ; H in profunda enim caligine per eorum prædicationem lumen veritatis illuxit, ut viderent in tenebris densissimis clarere lumen, Deo operante, verissimæ Trinitatis.

25 *Dixit et stetit spiritus procellæ :*
Et exaltati sunt fluctus ejus.

C Spiritus procellæ significat tempestates tribulationum nostrarum, quas Deus pia miseratione A suspendit, ne malis crescentibus obruamur. Et exaltati sunt fluctus in mentibus humanis, quando putamus meritis nostris attribui, unde videmus nos sola divina gratia posse liberari.

26 *Ascendunt usque ad cœlos et decendunt usque ad abyssos :*
Anima eorum in malis tabescebat.

C Ascendunt etiam isti fluctus usque ad cœlos, quando sæculi elationibus eriguntur, descendunt vero usque ad abyssos, cum in desperationem pervenerunt. Tabescebat anima in malis, id est in formidine, et in recordatione malorum quæ gessit ; in bono enim hic ponitur tabescere. H Ascendunt, audiendo : descendunt, timendo.

B 27 *Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius :*
Et omnis sapientia eorum devorata est.

C Turbati sunt, ad confusionem pertinet sensus. Commoti sunt : ad iras protinus evomendas. Motique sunt ut ebrius. H. Quia nihil stabile, nihil sobrium eorum sensus habebat. Sapientia eorum devorata est. C Quia turbatis mentibus non prævalet apparere, in quibus ante videbatur inesse sapientia ; sapientia enim non potest nisi apud quietos et imperturbatos animos inveniri. C H Bene ergo eorum dicitur sapientia devorata, qui ante sibi videbantur doctores, sed jam conturbati a sapientia Dei, se stultos fuisse cognoscunt. Sic olim draco Moysi deglutivit dracones Ægyptiorum (*Exod.* 7).

C 28 *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur :*
Et dè necessitatibus eorum eduxit eos.

H Clamaverunt ad Dominum, ut linquentes luxuriosam ebrietatem, sapientiam Dei sequerentur. C Ecce *illud* velut ebrii quorum sapientia deglutita videbatur, clamore salubri ad vitalia consilia redierunt, et ad Dominum conversi, cœperunt jam esse sobrii. Et eduxit eos de necessitatibus eorum modo, qui sequitur, allegorica descriptione.

29 *Et statuit procellam ejus in auram :*
Et siluerunt fluctus ejus.

C Et statuit procellam ejus in auram, id est, tempestas illa sævissima (quæ ab humana fragilitate non poterat sustineri) in auras jussa disparuit. Et siluerunt fluctus ejus, id est, H pœnitentiam agentibus in tranquillitatem conversi sunt, quia C confestim fragor ille sævientium malorum imperio dominantis obmutuit. D

30 *✣ Et ⁘ lætati sunt quia siluerunt :*
Et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

C Lætati sunt, dicit quod solet post pericula navigantibus evenire, ut se gaudeant ab ingenti clade liberatos, quando ad portum cœperint venire tutissimum, id est ad Christum. Portus enim a portandis navibus dictus est, et animus æstuantis in Christo portatur quietus. H Quiescentibus tentationum fluctibus, lætantur inquietati et liberati, et deducet Deus liberatos in portum voluntatis eorum eos, scilicet qui integram voluntatem in eum converterunt, ipse enim est verus portus.

31 *Confiteantur Domino misericordiæ ejus :*
Et mirabilia ejus filiis hominum.

C Inspice hic quod eumdem versum quarto repetivit, ut quadrifaria illa mundi divisio, quam superius dixit a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari his concordans partibus redderetur, quatenus confessio fidelis ubique eadem, ubique celeberrima cantaretur : ut, sicut ubique est una ecclesia, una sit et ubique confessio. H Confiteantur Domino misericordiæ ejus, quibus protegit humanum genus et mirabilia facta filiis hominum, quia mirabiliter compescit hos fluctus.

32 ✠ *Et exaltent eum in Ecclesia plebis :*
Et in cathedra seniorum laudent eum.

C Ecclesiam hic nobilem illam et vera religione pollentem dicit, quæ Dominum religiosis actibus B semper exaltat. Et in cathedra hic omnes doctores præcepit laudes Domini personare, qui in cathedra seniorum resident, id est, qui successores veterum pontificum esse meruerunt. H Et laudent eum in cathedra seniorum, non in illa in qua Scribæ et Pharisæi sederunt, qui legentes legem, non intellexerunt in ea Dominum nuntiatum, sed in illa, in qua eum vel prophetæ vel patriarchæ spiritali oculo contemplantes, cognoverunt in miraculis, vel oraculis cecinerunt.

33 *Posuit flumina in desertum :*
Et exitus aquarum in sitim.

C Nunc causam confessionis et exaltationis subdit, quia, Judæis reprobatis, omnis aquarum Spiritus sancti plenitudo venit ad populum Christianum. Illa C siquidem flumina, id est prophetæ vel apostoli, non credentibus Judæis, ad deserta gentium transierunt, et velut fons irriguus derivatus, ad gentes omnis divinus sermo est translatus. Et exitus aquarum in sitim, id est in gentes, ut quæ prius fuerant siccatæ ariditate peccati, cœlestes aquas sitienter haurirent. H Merito exaltent et laudent Deum, qui in Ecclesia quæ prius fuerat desertum et odio habita posuit apostolos, qui eam et consolarentur alloquio, et alluvio fecundarent. Dedit et in animas sitientes verbum exitus prædicationum, et terram corporis, quæ prius protulit spinas amaritudinis, fructibus replevit æternis.

34 *Terram fructiferam in salsuginem :*
A malitia inhabitantium in ea.

C Terra enim fructifera Judæa erat, quando superna religione florebat, sed facta est salsa, cum Dei præcepta contempsit. Humor enim salsus fructibus probatur adversus, quia ubicunque dominatus fuerit, germen fecunditatis intercipit. Quod illis contigit propter malitiam eorum, qui Dei tabernaculum subdolis mentibus habitare videbantur.

35 *Posuit desertum in stagna aquarum :*
Et terram sine aqua in exitus aquarum.

C Iste versus pertinet ad populum Christianum ; quorum siccitati data est unda salutaris sacri baptismatis. Stagna, enim pro fontibus Ecclesiarum arbitror posita ; stagna siquidem a *stando* dicta sunt.

A Terra sine aqua, incredula significat corda gentilium, quæ, post, irrigata unda baptismatis et sancta prædicatione floruerunt. H Posuit desertum in stagna aquarum, præbens in Ecclesia baptismum. Et terram sine aqua in exitus aquarum, id est, prædicatores in nationum ariditate constituit. Et collocavit illic esurientes, ut bonis cœlestibus reficerentur.

36 *Et collocavit illic esurientes :*
Et constituerunt civitatem habitationis.

C Collocavit illic esurientes, id est, qui Domini munera nimis gloriosa aviditate complexi sunt. Civitas habitationis Ecclesia catholica est, in qua firmiter se constituunt qui supernis jussionibus obediunt.

37 *Et seminaverunt agros et plantaverunt vineas :*
Et fecerunt fructum nativitatis.

C Seminant agros et plantant vineas, qui corpora sua mundatis sentibus peccatorum, cœlesti institutione purificant. Fructus a *fruendo* dicitur, et ideo qui fructum spiritalem faciunt, benedictione Dei perfruuntur. Quos vero infecundos invenerit, abscindet ut sterilem ficulneam (*Luc.* XIII). Ager vero ab *agendo* dictus est, quod ibi diversa victus causa peragantur.

38 *Et benedixit eis et multiplicati sunt nimis :*
Et jumenta eorum non minoravit.

H Benedixit enim Deus illis, qui se a pravis cogitationibus custodiunt. C Et multiplicati sunt nimis, fecunditate meritorum. Jumenta simplices homines debemus accipere, fidei probitate pollentes, non dissertitudine gloriosos, sed meliores vita quam lingua, plurimum valentes, non lingua, sed corde ; hi non sunt minorati, sed in melius reparati, quoniam magnam Dei gratiam sunt consecuti. H Benedixit apostolis, quia quæ erant placita ei faciebant semper, sicut et in manu Joseph benedixit omnia Deus

39 *Et pauci facti sunt :*
Et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.

C In his duobus versiculis describit illos qui, hæretica pravitate decepti, Ecclesiam Dei relinquunt. Isti ergo pauci sunt, quamvis multi sibi videantur ; nam ad illam universalem Ecclesiam comparati, D omnimodis probantur exigui. Vexati, quando eos diabolicæ insidiæ perculerunt, hos dolor et tribulatio subsequitur, quoniam auctorem salutis reliquisse noscuntur. H De Judæis exponit, quos dicit paucos factos, eo quod in ipsis non sint deinceps opera Dei multiplicata, et vexati a tribulatione malorum, quia insontem iniqui sunt persecuti, super quorum principes effusa est contemptio : ut qui Dominum contempserant ipsi contemnerentur, et errare fecit eos in invio Satanæ.

40 *Effusa est contemptio super principes :*
Et errare fecit eos in invio et non in via.

C Hic breviter hæreticorum sacerdotes designati sunt, super quos contemptio effusa est, quia non salutari doctrina, sed tantum mortifera loquacitate

contendunt. Hi per invios labuntur errores; quippe qui viam salutis deserunt, et tortuosis semitis immorantur, et ita littera Cassiodori habet contentio et ejus expositio. Sed omnes translationes, et Origenis et Hieronymi et Augustini littera habent contemptio, et ita exponitur ab eis, H ut qui Dominum contempserant ipsi contemnerentur. A Vel principes esse voluerunt, contempti sunt et ab Ecclesia reprobati, ut sal infatuatum.

41 *Et adjuvit pauperem de inopia :*
Et posuit sicut oves familias.

C Redit ad humiles catholicos. Adjuvit pauperem, H id est, populum Christianum dapibus satiavit æternis. Et posuit sicut oves familias, ut audientes vocem veri pastoris fide sequantur. C Iste autem pauper est, qui, mundanis illecebris derelictis, ad cœlestis misericordiæ januam pulsat, ut in illam Dei familiam mereatur admitti, quæ, sicut oves innoxiæ, simplicitatis honore decoratur.

42 *Videbunt recti et lætabuntur :*
Et omnis iniquitas oppillabit os suum.

H Videbunt recti, quorum sunt isti prædicatione conversi. Et omnis iniquitas, id est, diabolus sive Judæi et hæretici commutescunt, C quando electis Domini non erit quod possit opponi.

43 *Quis sapiens et custodiet hæc?*
Et intelliget misericordias Domini.

C Quis sapiens? ac si diceret : Qui vere sapiens est custodit ista quæ dicta sunt, ut Christi se magis velit esse pauperem quam hæreticorum principem. H Si enim sapienter consideres, et spiritaliter intelligas, videbis in hoc psalmo misericordias petitas et clementer indultas. C Vel videbis in cœlo misericordias, et intelliges clementer indultas, id est, accipies misericordias in præmio, quæ nullo possunt tempore terminari. A Vel intelliget misericordias Domini, non merita sua, non vires suas, non potentiam, sed totum sibi, quidquid boni habet, misericordia Domini largitum, et gentes ex misericordia ad fidem venisse, et omnes salvatos et salvandos sola misericordia esse beatos, propter quod toties jussit Domino misericordias ejus confiteri.

ORATIO EX PSAL. CVI.

Confitemur, Domine, misericordias tuas, quas jugiter circa nostras exerces inopias, precantes ut, qui, exaltatus in Ecclesiis, resides ad dexteram Patris in throno, nobis tantæ miserationis et intelligere et custodire concedas arcanum. Qui vivis et regnas, etc.

PSALMUS CVII.

ARGUMENTUM PSAL. CVII.

C Christus Patri gratias agit, quod post passionis triumphum perpetuam resurrexit in gloriam.

TT. *Canticum psalmi David.*

C Canticum enim frequenter diximus ad divinarum rerum contemplationem referri; psalmum vero ad operas actuales, quæ tamen divinis noscuntur convenire mandatis. David significat regem Christum, qui per totum psalmum loquitur.

A 1 *Paratum cor meum, Deus : paratum cor meum :*
Cantabo et psallam in gloria mea.

C Paratus enim Christus semper erat ad talia, qui ad præconia Patris perficienda obstaculum peccati non habebat. Sequitur : Cantabo et psalmum dicam. Merito ille de se talia dicebat, cujus sermo et actus divinis regulis consonabant. Ipsa autem geminatio confidentiam promissionis ostendit, dum bis dicit, paratum cor meum. H Paratus sum non solum opere, sed etiam corde et sensu, cantabo ergo in corde et psallam in opere. Si in psalterio una chorda rupta fuerit, exterminatur psalterium; et si in actibus nostris unum præceptum prætergressi fuerimus, psalterium nostrum rumpitur.

B Psallam igitur in gloria mea, quod enim tibi, Deus, psallo vel canto, non tibi gratiam, sed mihi facio, quoniam bonorum meorum non eges (*Psal.* xv). Igitur quod tibi servio, gloria mea est; si enim vel jejuno, vel in sacco jaceo pro peccatis meis, facto hoc tantum tibi præsto, quod animam meam salvam facit. De quo, ut bonus medicus, gaudes, gaudes de sanatione mea, et ego gaudeo de utilitate mea.

2 *Exsurge, psalterium et cithara :*
Exsurgam diluculo.

C Exsurge, gloria mea, quæ per psalterium indicatur et citharam. Psalterium ad morum pertinet probitatem; cithara ad afflictionem corporis, per hæc ostendens et actus laudabiles et gloriosissimam passionem. Exsurgam diluculo, hoc de resurrectione C Christi potest intelligi et de membris ejus et quolibet fideli. Qui in Ecclesia Domini laudaturus assistit operibus piis; nam, licet profunda nocte laudet, diluculo præconii Dei irradiatur.

3 *Confitebor tibi in populis, Domine :*
Et psallam tibi in nationibus.

C Confiteri se dicit in populo Judæorum, ubi propria voce locutus est; psallere autem in gentibus, ad quas directi apostoli Domini præcepta impleverunt, et ideo dicit se videlicet psallere quod per ministros suos cognoscitur effecisse. H Confitebor tibi in populis, id est Judæis, qui primo crediderunt, deinde etiam in nationibus gentium.

4 *Quoniam magna super cœlos misericordia tua :*
Et usque ad nubes veritas tua.

D C Magnificata est misericordia usque ad cœlos, quando supernæ potestates ejus beneficiis perfruuntur. Usque ad nubes quando prædicatores velut imbriferæ nubes infideles populos irrigabant. H Quia magna misericordia tua super cœlos, non est creatura quæ non indigeat misericordia Dei, etiam Gabriel, Michael, Cherubim, Seraphim. Non detraho angelis, sed Creatorem prædico, de quo et angeli gaudent, scilicet quod Creator prædicatur. Vel misericordia tua de terra elevat ad cœlos.

5 *Exaltare super cœlos, Deus : et super omnem terram gloria tua :*
Ut liberentur dilecti tui.

C Exaltare super cœlos, Deus, ut cujus misericor-

dia cœlestia continentur, justum est ut super cœlos A
r debeat exaltari. Et super omnem terram, cum exaltatus fuero, H id est, quando crucifixus ero, omnia traham ad me (*Joan.* XII). Ut liberentur dilecti, ideo crucifigitur Dominus, et exaltatur ut liberentur dilecti, factum est enim ut petivimus; ille exaltatus est, et nos liberati sumus. Exaltare super cœlos, Deus non exaltatur nisi super cœlos, non exaltatur super terram; quando enim terreni sumus, non exaltamus Deum, sed quando sumus conversatione cœlestes.

6 *Salvum fac dextera tua et exaudi me :*
Deus locutus est in sancto suo.

C Salvum fac, salvum se fieri deprecatur in passione, ut credentium turba liberaretur. Deus locutus est in sancto suo, id est Filio, ut Verbum caro B
factum una voluntate cum Patre loqueretur.

7 *Exultabo et dividam Sichimam :*
Et convallem tabernaculorum dimetiar.

H Sichima interpretatur *humeri*, humeri autem, significat opera, sensus ergo talis est : propterea crucifigor, ut opera mea dividam sanctis meis. C Vel, post resurrectionem suam lætaturum se et divisurum dicit opera, id est, gratias suas apostolis et fidelibus. Et addit, convallem tabernaculorum, quod significat humilitatem ecclesiarum. Hanc ergo humilitatem metitus est Dominus, quando unicuique fidelium, prout voluit, dona distribuit.

8 *Meus est Galaad et meus est Manasses :*
Et Ephraim susceptio capitis mei.

C Galaad, interpretatur *transmigratio*, qua migratione gentes Domini vocatione compunctæ ad Deum feliciter migraverunt. Manasses, *oblivio* ; quo verbo significat populum Judæorum, qui oblitus beneficia divina Christum crucifixit, qui tamen sua miseratione ad ejus culturam remeavit. Sic utrumque populum, nominum istorum commemoratione, suum esse testatur. H C Ephrem, *fructificatio* dicitur, et significat spineam coronam ; hæc enim fertilis ultra omnes fructus fuit, quoniam nos liberavit ista humilitate, et susceptionem pro corona posuit.

9 *Juda, rex meus :*
Moab lebes spei meæ.

C Judam regem suum dixit, quia de ejus stirpe descendit. H Moab *ex patre* dicitur, *mo* enim interpretatum dicitur *ex* ; *ab* vero, *pater*, quod est, *ex patre*. Et quis est ille qui est ex patre? ille est qui malis operibus perdidit patrem, nec reversus est ad patrem, diabolus, scilicet ; significat enim diabolum qui lebes spei Domini est. Lebes interpretatur *olla*. Quomodo olla spei Domini est ? sic est, ut qui non recte ambulant tradantur diabolo, ut ab ipso cruciati convertantur ad Dominum.

10 *In Idumæam extendam calceamentum meum :*
Mihi alienigenæ amici facti sunt.

H Idumæa interpretatur *terrena*, misericors enim Deus non solum cœlestia vult possidere, sed et terrena. C Extendens calceamentum, id est, legem suam et Evangelium, mundum universali prædicatione complevit, alienigenæ enim gentes sunt

11 *Quis deducet me in civitatem munitam :*
Quis deducet me usque in Idumæam ?

C Quis deducet me, a parte humanitatis aptissima interrogatio præmittitur, ut consequens responsio subsequatur. H C Civitas munita forte significat infernum, quem nulla vis humana potuit aperire, nisi qui portas ejus fregit. Ista civitas ad egrediendum munita est, aperta est ad introeundum. H Idumæa quoque interpretatur sanguinea, significans locum pœnarum, ubi interficiuntur animæ peccatorum.

12 *Nonne tu, Deus, qui repulisti nos :*
Et non exibis, Deus, in virtutibus nostris.

C Quis enim claustrum mortis infringeret, quis B
januas munitæ civitatis aperiret, nisi ipse Christus? Repulisti, caput cum membris loquitur, id est *distulisti*, quia et ipsum Christum ad glorificationem suam constat esse dilatum, cum in hac vita demoraretur. Et non egredieris, tempus illud significat, quando tentus a Judæis, sputa et flagella sustinuit. Tunc enim si voluisset divinitas illa repulisset, sed distulit miraculum ostendere, ut ordinem proficuæ passionis impleret.

13 *Da nobis auxilium de tribulatione :*
Quia vana salus hominis.

C Da nobis auxilium, humanitas Christi hic clamat cum membris suis, quatenus tandem aliquando tempestas hujus sæculi conquiescat. Quia vana salus hominis, id est, H maledictus homo qui spem
C suam ponit in hominem (*Jer.* XVII), quia non habemus spem nisi in Deo.

14 *In Deo faciemus virtutem :*
Et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

H In Deo faciemus virtutem, ipse erit virtus nostra, ipse panis noster qui cor confortat, ipse et rector noster. Et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros, quia ipse nos coronat et diabolum superat, ipse pugnat in nobis, magis autem ipse vincit in nobis.

ORATIO EX PSAL. CVII.

Præpara tibi, Domine, cor nostrum ad confitendum nomini tuo, ut te intelligentes surrexisse diluculo, illuc tendamus merito quo tu eluces victor in regno. Qui vivis et regnas, etc.

PSALMUS CVIII.

ARGUMENTUM PSAL. CVIII.

C Christus increpat Judæos, qui sibi mala pro bonis reddiderunt, et Judæ atque ipsius populi narrat interitum.

TT. *In finem psalmus David.*

C Iste psalmus referendus est ad regem supernum : quoniam omnes sermones ejus tendunt ad Christum Dominum.

1 *Deus laudem meam ne tacueris :*
Quia os peccatoris et dolosi super me apertum est.

C Dominus Salvator secundum humanitatem, laudem resurrectionis suæ petit non taceri, dicens : Deus, laudem meam ne tacueris, id est, ne tacere facias,

decuit enim (quoniam inimici mendacia loquebantur, dicentes : Discipuli furati sunt eum (*Matth.* XXVIII), ut contra eos toto orbe testimonia resurrectionis caneremus : ut Judæi agnoscant reatum perversitatis propriæ. Apertum utique os : contumelias designari, quas pertulit a Judæis ; nam, licet nomine unum dicat singulariter, intellectu tamen plurimi esse noscuntur in uno populo.

2 *Locuti sunt adversum me lingua dolosa :*
Et sermonibus odii circumdederunt me :
Et expugnaverunt me gratis.

C Locuti sunt igitur lingua dolosa : cum verbis dolosis sanctam Domini simplicitatem appetebant, dicentes : Licet censum dari Cæsari? (*Matth.* XXII). Et sermonibus odii : quando iniqua conspiratione Pilato dicebant : Crucifige, crucifige. Expugnaverunt gratis : nam sicut justi amant Deum gratis, cum eum non propter aliquod temporale, sed tantum propter suam bonitatem diligunt : ita impii gratis exsecrantur, quia causam odii in eo reperire non possunt. H Vel gratis, id est, sine causa vel sine utilitate, qui enim aliquem persequitur et nihil proficit, non assequitur intentionem suam ; gratis, id est, frustra persecutus dicitur.

3 *Pro eo ut ⁂ me ⁝ diligerent detrahebant mihi :*
Ego autem orabam.

H Pro eo ut me diligerent, id est, pro beneficiis quæ in eos contuleram, ipsi contumelias mihi fecerunt, et retribuebant mala mihi pro bonis. Ego autem orabam : Domine, ne statuas illis hoc peccatum (*Luc.* XXIII). H C Tres sunt peccatorum gradus, primus non reddere bona pro bonis ; secundus reddere mala pro malis ; tertius et pessimus, tribuere mala pro bonis. Illam Judæi extremam et vitiosissimam partem elegerunt. E contra virtutis tres gradus adverte. Primus impendere bona pro bonis ; secundus malum non reddere pro malo ; tertius et perfectissimus bonum tribuere pro malo. Et sicut Judæi pessimum vitiorum gradum elegerunt ; ita Christus summum illum bonitatis gradum tenere voluit, ut etiam in cruce oraret pro crucifixoribus. H Ego autem orabam : Pater, ignosce illis ; non vindictam orabam, sed eorum salutem.

4 *Et posuerunt adversum me mala pro bonis :*
Et odium pro dilectione mea.

H Posuerunt adversum me mala : ille rogabat pro crucifigentibus, illi dicebant : Vah qui destruis templum hoc, salva temetipsum (*Matth.* XXVII). Et odium pro dilectione : Considera, o Christiane et monache, si Christus pro crucifigentibus se orabat : nos pro fratribus nostris quid facere debeamus.

5 *Constitue super eum peccatorem.*
Et diabolus stet a dextris ejus.

C Prædixit Propheta certissimus futurorum, supra Judam traditorem constituendum esse diabolum : qui merito peccator dicitur, quoniam peccatum traditionis ab ipso sumpsit initium. Addit, et diabolus stet a dextris ejus : Non potuit dexteram habere liberam, qui totus scelera partis sinistræ perficiebat. Sic unusquisque facere dicitur : sicut est iste qui ejus dexteram tenet.

6 *Cum judicatur exeat condemnatus :*
Et oratio ejus fiat in peccatum.

C Hoc dicitur de futuro judicio : quando peccatores damnandi sunt a voce judicantis dicentis : Discedite a me, maledicti. Exeat, scilicet ex congregatione justorum. H Oportebat orationem ipsius esse in pœnitentiam, et versa est in peccatum. Audiant hæretici et manichæi, licet orent, tamen eorum oratio vertitur in peccatum. Pœnitentia quoque Judæ, id est suspensio, majus peccatum proditione factum est : magis enim Dominum offendit, qui se suspendit, quam qui Dominum prodidit.

7 *Fiant dies ejus pauci :*
Et episcopatum ejus accipiat alter.

H Dies ejus pauci sunt : quoniam recessit ab ipso sol justitiæ, et tenebræ ei multiplicatæ sunt. C Vel quia non tandiu in apostolatu vixit, sicut alii apostoli. Et episcopatum ejus accepit alter (*Act.* I), ne numerus sacratissimus apostolorum, Juda mortuo, rumperetur. Episcopatus summus in Ecclesia gradus : Latine *superinspectio* dicitur.

8 *Fiant filii ejus orphani :*
Et uxor ejus vidua.

A C Quamvis alibi non legatur Judam uxorem habuisse vel filios, tamen ex ista prophetia eum habuisse datur intelligi. Illo enim mortuo sine dubio contigit, et ut vidua fieret uxor ejus relicta, et filii orphani, cum patre caruissent. Spiritaliter vero sunt *filii ejus dicti Judæi, qui eum in illa traditione secuti sunt.* H Et synagoga uxor Judæ, quæ a viro Christo repudiata, Judæ traditori relicta est. C vel uxor voluntas ejus dici potest, de qua opera generamus, quæ filii dici possunt.

9 *Nutantes transferantur filii ejus et mendicent :*
Ejiciantur de habitationibus suis.

H Nutantes fuerunt Judæi post crucifixionem Domini, quia non sunt in suis locis. Mendicitatem hic dicit rerum spiritalium, non enim habent prophetas, non habent legem, non sacerdotium, non sacrificium : sed vere mendici sunt facti indigentia bonarum rerum. Quod figuratum est in Cain, de quo dicitur, Exiit a facie Dei et habitavit in terra Naid (*Gen.* IV) : Naid autem interpretatur *commotio* : egressus ergo a facie Dei, non stetit, sed habitavit in commotione et instabilitate.

10 *Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus :*
⁂Et ⁝ diripiant alieni labores ejus.

H Fenerator : hic diabolus accipitur. Hoc nunc optativo modo prophetatur Judæ, ut detur in potestatem diaboli, ut omnibus bonis exuatur. C Alieni quoque sunt immundi spiritus, quibus diabolus tanquam mancipiis imperat ad nocendum. Isti labores diripiunt, mandata Dei transgredientium : dum percepta licentia eos bonis omnibus privaverint. H Sive alieni Romani fuerunt, qui eos vastando, labores et divitias diripuerunt.

11 *Non sit illi adjutor :*
Nec sit qui misereatur pupillis ejus.

H Non sit illi adjutor. Illo tempore habuit populus Judæorum adjutorem, quando fuit in Babylonica captivitate septuaginta annis, habuit enim ibi Ezechiel et Daniel prophetas : et quamvis tunc colerent idola, tamen eorum Deus miserebatur. Nunc autem quadringenti anni sunt a Christi occisione, et non colunt idola : quare dereliquit eos Dominus, quia Christum occiderunt, et ideo non est eis adjutor. C Pupilli vero dicti sunt quasi pusilli, qui parvitate ætatis ad se regendos probantur infirmi.

12 *Fiant nati ejus in interitum :*
In generatione una deleatur nomen ejus.

H O prophetia, o sacramentum prophetiæ ! in generatione una deleatur nomen Judæorum : post passionem Domini quadraginta duo anni transierunt, et populus ille deletus est, ac Hierosolyma destructa est : sed in hoc clementia Dei erat, quia quadraginta duos annos dedit eis ad pœnitendum, postea nullus remansit ex eis in illa regione.

13 *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini :*
Et peccatum matris ejus non deleatur.

H Judas maledicitur, ut in Juda Judæi maledicantur. Peccaverunt Judæi in deserto, sed Deus illis dimisit, nunc precatur, ut illis reputetur quod tunc peccarunt, tanquam novum scelus, in interitum. C Peccatum matris : est nota proterritas synagogæ, quæ prophetas occidit : et ex illa parte genitrix proditoris dicta est, quia innocentium sanguinem fudit : non ex illa parte ejus mater dicitur, qua viros sanctos protulit, sed qua (ut dictum est) sanguinem fudit : in qua parte eam Judas ut filius imitatus est.

14 *Fiant contra Dominum semper. Et dispereat de terra memoria eorum :*
Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.

C Fiunt ergo peccatores contra Dominum semper, quando de regno ejus alienati, et ab eo divisi, in gehennam mittendi sunt, nam cum ille sit æterna beatitudo, contra ipsum dicuntur fieri, qui perenni ultione damnantur. Disperit autem memoria eorum de terra viventium : qui in beata patria non videntur, nec ullam ulterius misericordiam consequuntur. Pro eo quod non est, etc. Dicit causam ultionis justissimæ : quoniam pietatem non potest invenire, qui eam aliis contemnit impendere, per singularem vero numerum, non ipsum Judam solum, sed totum populum in Judæ delicto unum debemus accipere.

15 *Et persecutus est hominem inopem et mendicum :*
Et compunctum corde mortificare.

C More autem suo pauperem se Dominus et mendicum esse memorat : mendicus de nostro, dives de suo. H Compunctum corde : ut in Evangelio : Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* xxvi). Aliter : hoc dolebat, quia eum persequentes nolebant pœnitentiam agere. A C Vel, quia compunctio proprio de peccatis est, de Christi membris accipitur : ut Stephano et Paulo et aliis quos Judæi persecuti sunt in Christo.

16 *Et dilexit maledictionem, et veniet ei :*
Et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.

C Adhuc de perfido populo dicit : quia dilexit maledictionem, quando ait : Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* xxvii). Noluit benedictionem : quando ab illuminato dictum est illis, Nunquid et vos vultis discipuli ejus fieri ? (*Joan.* ix.) At illi (quasi sub maledicto acerrimo provocati) dicebant, Tu sis discipulus ejus, nos autem Moysi. Quo dicto, prolongata est ab eis benedictio, quando illis derelictis venit ad gentium fidem.

17 *Et induit maledictionem sicut vestimentum :*
et intravit sicut aqua in interiora ejus.
Et sicut oleum in ossibus ejus.

C Induit se prædictus populus maledictione sicut vestimento : quando, instigante diabolo, consensum præbuit, ut Dominum Pontio Pilato tradere maluisset. Ibi enim indutus est quasi onere vestis : ubi tali voluntate se involvit. Intravit vero sicut aqua maledictio : quando deliberavit facere, quod ei fuerat iniquissima inspiratione suggestum, quando enim aqua visceribus infirmis recipitur, semper ingreditur ad nocendum. Oleum hic significat delectationem facinoris : unde et tertio influxit iniquitas in ossa ut oleum, quando effectum rei inaudita perversitate complevit, ut jam non in interiora solum carnis, sed etiam ossium venerit.

18 *Fiat ei sicut vestimentum quo operitur :*
Et sicut zona qua semper præcingitur.

C Supra dixit induit, quod pertinet ad tunicam : nunc dicit operitur, quod videtur pallio convenire. Geminata enim vestis significat onera ingentium peccatorum. Et sicut zona qua semper præcingitur, qua similitudine dicit, sic peccatis illigantibus fuisse istum populum constrictum, ut nunquam a suis oneribus obstinationis perfidia gravatus exueretur. Istæ vestes sunt, quæ peccatoribus ardere faciunt, non calere : quæ in flammam mittunt, non a frigore defendunt.

19 *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum :*
Et qui loquuntur mala adversus animam meam.

C Hunc versum non solum contra Judæos, sed et contra omnes perfidos debemus accipere. Detrahunt enim Filio apud Patrem Ariani, qui eum minorem esse dicunt. Loquuntur et mala adversus animam Domini Apollinaristæ, qui dicunt ejus deitatem carnem solam hominis suscepisse non animam.

20 *Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum :*
Quia suavis est misericordia tua.

C Et tu, Domine : hoc est : si Judas tradidit, si Judæus crucifixit : tu fac misericordiam, ut contra illa quæ facta sunt resurrectio gloriosa proveniat. Sive ideo dicit mecum : quia omnia quæ facit Pater operatur et Filius. Suavis est enim misericordia in vasis misericordiæ (*Rom.* ix), quam misericordiam

in istis vasis simul facit Pater et Filius et Spiritus sanctus : vel suavis, in carnis assumptione.

21 *Libera me quia egenus et pauper ego sum :*
Et cor meum conturbatum est intra me.

C Libera me, in passione sævissima Judæorum. Egenum et pauperem se dicit ex humilitate carnis. Cor conturbatum est, sicut ipse professus est : Tristis est anima mea usque ad mortem (*Marc.* XIV).

22 *Sicut umbra cum declinat ablatus sum :*
Et excussus sum sicut locusta.

C Hic velocitatem persecutionis ostendit : quoniam tanta celeritate de medio discipulorum raptus est, quanta velocitate solet umbra noctis discedere, veniente solis lumine. Excussus sicut locusta : quæ manus apprehendentis evitans, quibusdam saltibus evolat. H C Sic Christus a persecutionibus crebris fugiens, loca videbatur diversa mutare, ne zelum suum populus impleret, antequam ipse mori voluisset.

23 *Genua mea infirmata sunt a jejunio :*
Et caro mea immutata est propter oleum.

A Genua fortes videntur mihi in Ecclesia, ut fuerunt apostoli. Ergo, C infirmata sunt genua : quando apostoli ejus in passione sunt dispersi. Quid enim potuit esse infirmius, quam ut Petrus negaret, et reliqua turba fidelium latuisset? H Oleum hic imago est claritatis Dei. C Sive gratia divina, quæ carnis infirmitatem in gloriam immortalitatis commutavit. A Oleum illud est plenitudo gratiæ in Christo : quæ mortuam humanam naturam in gloriam resurrectionis mutavit.

24 *Ego factus sum opprobrium illis :*
Viderunt me et moverunt capita sua.

C Factus est Christus in opprobrium Judæorum dicentium : Vah qui destruis templum Dei (*Matth.* XXVII), et cætera, quæ insanis mentibus videbantur opprobria : sed ipsa fuerunt quæ nobis probata sunt conferre medicinam. Moverunt capita : ad consuetudinem pertinet nimis irascentium, quia illi turbulenta capitis commotione minantur.

25 *Adjuva me, Domine Deus meus :*
Salvum me fac secundum misericordiam tuam.

C Adjuvari se petit suscepta infirmitas. H C Ipse enim misericordiam petit, qui et auxilium tribuit : rogat ut homo, præstat ut Deus : petit ergo resurrectionem corporis.

26 *Et sciant quia manus tua hæc :*
Et tu, Domine, fecisti eam.

H Et sciant, id est intelligant Judæi : quoniam non ipsi prævaluerunt in Christo, sed sua et Patris voluntas erat, ut sustineret crucem pro nobis, quia manus tua hæc. C Id est potestas tua, et subaudiendum operata est hæc. H Vel manus tua hæc est, scilicet in passione mea et resurrectione. A Et hoc sciant postea credentes in me : qui nunc persequuntur me.

27 *Maledicent illi et tu benedices :*
qui insurgunt in me confundantur :
Servus autem tuus lætabitur.

C Maledicent illi : scilicet qui moventes capita transeuntes blasphemabant enm. Pater Filium benedixit, cum ait : Et clarificavi et iterum clarificabo (*Joan.* XII). Insurrexerunt Judæi adversus Dominum, ut eum neci traderent. Confusi sunt : quando resurrectionis ejus miracula cognoverunt. Servus : secundum hominem, ut Isaias ait : Ecce servus meus, suscipiam eum (*Isa.* XLII). H Maledicent illi : usque hodie hoc fit illi maledicunt in synagoga ; Christus benedicit in Ecclesia.

28 *Induantur qui detrahunt mihi pudore :*
Et operiantur sicut diploide confusione sua.

H C Induantur pudore detractores : hoc est ut intelligant errorem et confundantur pudore, et inde incipiant venire ad pœnitentiam. Qui enim pudore induitur, prope est saluti : si quis enim vere confunditur, incipit pœnitere. H A C Diplois : genus est pallii, scilicet duplex pallium. C Petit ergo, ut utriusque legis intelligentia vestiantur, qui nunc utroque (faciente perfidia) nudati sunt. Confessio enim Judæorum est, legem non intelligere, quæ toties Salvatorem præcinuit advenire. Sive diploide, id est duplici confusione, scilicet ante Deum et homines.

29 *Confitebor Domino nimis in ore meo :*
Et in medio multorum laudabo eum.

C Hoc dicitur a parte membrorum : quoniam post resurrectionem sancta Dei Ecclesia, toto orbe diffusa, Deum deprecatur et ore et confessione. In medio multorum : ipsam quoque Ecclesiam designat, quæ, circumpositis adhuc perfidis, non desinit Deo confiteri. A Nimis dici solet (consuetudine sermonis Latini) quod plus est quam debet. Cui contrarium est parum : quod minus est quam debet. Sed nimis, Græce agan dicitur. Iste autem versus, agan non habet, sed habet aian : quod quandoque valde, quandoque nimis, quidam nostri interpretati sunt, sed nimis pro eo quod est valde intelligatur : unde et translatio Hebræa non habet nimis sed vehementer.

30 *Qui astitit a dextris pauperis :*
Ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

C Dicit sibi astitisse Patrem a dextris : quia peccata non habuit, sed et fidelibus assistit, cum delicta remiserit. Salva facta est a persequentibus anima ejus : quando persecutorum nequitiis nulla pravitate consensit.

ORATIO EX PSAL. CVIII.

Unice miserationis, Deus, maledictioni subjacere qui dignatus es ut nos a maledicto legis erueres, quæsumus, ut facias nobiscum misericordiam propter nomen tuum, et digneris nos a persequentibus vitiis et a malorum obtrectationibus liberare. Qui vivis et regnas, etc.

PSALMUS CIX

ARGUMENTUM PSAL. CIX.

C Psalmus hic de incarnatione Domini, et de ejus deitate plenissime breviterque decantat.

TT. *Psalmus David.*

1 *Dixit Dominus Domino meo :*
Sede a dextris meis.

C Sanctissimus Propheta, in secretum evectus altissimæ contemplationis, in primo versu naturam deitatis ostendit simul et humanitatis. Cum dicit, Dixit Dominus : naturam deitatis ostendit. Domino meo : de cœterno Filio dixit, qui Dominus David et filius dicitur, quia ex semine ejus ortus est. Sede a dextris meis : victori Filio, et per incarnationem totius mundi triumphatori, confessus offertur : ut per hunc situm, susceptæ humanitatis gloria declaretur. H Ideo autem dicit dexteram Filio datam : ne videatur major qui jubet et dicit Sede, quam ille cui jubetur.

2 *Donec ponam inimicos tuos :*
Scabellum pedum tuorum.

C Scabellum dictum est quod scandatur, id est ascendatur. Donec : finitum est pro infinito *positum*, est enim usus Scripturæ, illud verbum et pro brevi tempore dicere, et pro æternitate depromere. Pedes autem Domini æternam ejus stabilitatem significat, his enim pedibus inimici illi subjiciuntur, qui, derelictis vitiorum peccatis, ad Dominum se convertunt, et tanquam scabellum pedibus, ita ejus prædicationibus se subdunt.

3 *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*
Dominare in medio inimicorum tuorum.

C Virga virtutis : est sceptrum regiæ potestatis, qua sustentat fideles et affligit incredulos. Tuæ dixit : quia potestas illi deitatis suæ propria est et coæterna. Hanc emittit *Dominus ex Sion : qui est utique omnipotens Pater, Dominus autem ex Sion dicitur* et Filius. Tunc autem dominatur, quando ad ipsum delinquentium turba convertitur. H Dominare dixit : non dixit interfice inimicos, sed dominare, id est, fac qui inimici et alieni erant, tui esse incipiant, id est, dignare esse Dominus inimicorum tuorum.

4 *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum :*
Ex utero ante luciferum genui te.

C Hic omnipotens Pater de omnipotenti Filio dicit, Tecum principium. Pater enim principium est, et Filius principium : verum non duo principia, sed sicut unus Deus, ita unum est principium. In die : æternitatem significat, ibi unus est dies, ubi jam a beatis claritas divina conspicitur. Splendores autem sunt sanctorum : quando in resurrectione lucebunt sicut angeli Dei. Ex utero dicit Pater Filium, id est, ex arcano substantiæ meæ, ex ipsa scilicet deitate. H Cum vero dicit, ante luciferum : unam creaturam nominat, et omnes creaturas indicat eum præcedere. Non etiam Pater potuit se aliter Patrem esse indicare, nisi humanis verbis loqueretur, Genui te, et ex utero. Quod autem dicit, ex utero, nulli scandalum faciat, Pater enim uterum non habet : sed non potest se aliter indicare Patrem, nisi hominis verbis locutus fuerit : ut contra Arium non creatura, quæ manu fit, Christus credatur : sed Dei naturalis A Filius, qui ex utero nascitur, non adoptivus.

5 *Juravit Dominus et non pœnitebit eum :*
Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

H C Cum enim juravit Dominus, non ei qui ante luciferum genitus est, sed ei jurat, qui post luciferum natus ex Virgine est. Nec pœnitebit eum ; C Quoniam de tanta ac tali dispensatione, cuncta gavisa sunt. Tu es sacerdos : hoc Christo veraciter aptari decet, qui corpus ac sanguinem suum, in panis ac vini erogatione, salubriter nobis consecravit. Sacerdos proprie dicitur Christus, qui semel se pro nobis immolandum obtulit (*Hebr.* IX). Solus etiam Deus licite jurat, quia solus potest exhibere quod promittit : homo non potest nisi Deo adjuvante.

B 6 *Dominus a dextris tuis :*
Confregit in die iræ suæ reges.

C H Dominus a dextris tuis. Dicitur in principio, Sede a dextris meis : si ipse ad dexteram Patris sedet, quomodo rursum Pater sedet ad dexteram Filii ? C Quod ideo dictum est, ut cum hæc vicissitudo æqualis ponitur, majus hic aut minus aliquid, nullo modo sentiatur. H Id est quod æqualis Filio Pater ostendatur. C Reges : illos significat, qui in unum convenerunt adversus Christum : hos confregit, quando eorum superbiam prostravit.

7 *Judicabit in nationibus implebit ruinas :*
Conquassabit capita in terra multorum.

C Judicare nationes perhibet, propter peccata communia. Implet autem ruinas : quando de cordi- C bus humanis facit peccata corruere, et emendatione saluberrima disperire. Capita quassabit : illorum utique qui caput non habent Christum, sed diabolum : cum fuerint correcti, capite suo sine dubitatione quassantur. Terra multorum est, quæ peccatores abundanter enutrit. H Vel multorum dicit : quo ad vindictam damnationis, non omnium (ut spem non auferat) sed multorum dixit : si enim omnium dixisset, nemo vitam speraret.

8 *De torrente in via bibet :*
Propterea exaltabit caput.

C Torrens fuit turbulenta persecutio Judæorum, de qua Dominus Christus bibit in via, id est in hac vita, dum eam in corpore pertulit. Exaltabit caput. H Id est qui se humiliaverat, ipse non alius exaltavit D sibi caput, qui est omnium caput.

ORATIO EX PSAL. CIX.

Ante luciferum genite, qui es principium totius creaturæ, rogamus et quæsumus, ut sicut sanctis pedibus tuis inimicos ad dexteram Patris residens subjecisti, ita nos tuis officiis dignos habeas ablata damnatione peccati. Qui vivis et regnas, etc.

PSALMUS CX.

ARGUMENTUM PSAL. CX.

C Congregatio justorum undique collecta confiteri ac laudare Deum se dicit.

TT. *Alleluia.*

C Quamvis hoc nomen laudis alleluia, generale

esse videatur : tamen ibi maxime apponitur, ubi magna exsultatione gaudetur.

1 *Confitebor ✣ tibi ⁝ Domine, in toto corde meo : In consilio justorum et congregatione.*

C Confitentur et qui peccata deplorant, et qui Christo gratias referunt : sed illud in lacrymis, istud in gaudio est. Hic autem profusa lætitia exsultat populus fidelis, quamdam imaginem futuri sæculi designans, ubi laudes Domini semper devota mente concelebrant, ubi et verba et istæ voces continuæ sunt. Consilium justorum est, A quod justi consulunt. Justi autem consulunt, Deum laudare, et illi servire pro æternis bonis, laudat ergo et confitetur in consilio justorum, qui non temere, sed ex ratione et deliberatione sancta, pro æternis laudat, sicut omnes justi faciunt. Congregatio vero : est corona beata de diversis partibus mundi adunata.

2 *Magna opera Domini :*
Exquisita in omnes voluntates ejus.

H Magna opera Domini : rectos dicit, qui ante peccatores erant. C Quid enim magnificentius quam de impio facere justum, de hoste filium ? Exquisita, id est singulariter exacta, cui simile nihil potest reperiri. Sinit enim et diabolum sævire, ut ex iniquitate illius, fidelissimos sibi servos inveniat. Ita et in omnibus fit secundum omnes voluntates ejus exquisitissime, ut in singulis vel melius etiam cogitari aliquid non possit.

3 *Confessio et magnificentia opus ejus ⁝ .*
Et justitia ejus manet in sæculum ✣ sæculi :

C Confessio, id est, laus et gloria et magnificentia opus ejus. Laudabilia enim sunt valde et decora, quæ Dominus fecit. Justitia ejus manet in sæculum sæculi, cum peccatoribus dicit : Ite in ignem æternum (*Matth.* xxv) ; vel quando fideles vocaverit : Venite, benedicti (*Ibid.*); sic in utraque parte, justitia Dei perpetua et incommutabilis perseverat.

4 *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus :*
Escam dedit timentibus se.

Memoriam ergo fecit mirabilium, quando plurima nova mirabilia et inusitata monstravit. Misericors, naturam ejus pietatis ostendit ; miserator, cum in adventu suo humano generi larga pietate subvenit ; dedit escam, cibum utique spiritalem, quis enim escam communem putet fidelibus ad præmium datam, quæ et peccatoribus passim cognoscitur attributa ? H Escam ergo dedit, id est, panem qui de cœlo descendit.

5 *Memor erit in sæculum testamenti sui :*
Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

C In sæculum, æternitatem significat, quia verba testamenti sui, solidissima veritate custodit, quia sicut in Veteri Testamento Christus promissus est, ita in Novo venit. Virtus operum fuit, quam in Evangelio dicit : Cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt (*Matth.* xi). Illam virtutem annuntiavit populo suo Christiano, ut ex ea intelligant eum esse Deum credentes, et causa sequitur. A

6 *Ut det illis hæreditatem gentium :*
Opera manuum ejus veritas et judicium.

C Dedit autem eis, id est populo Christiano, hæreditatem gentium : quando Ecclesiam de cunctis nationibus vivis lapidibus fabricavit. Opus ejus veritas et judicium ; veritas, quod fidelibus promissa restituit ; judicium, quod impiis minatur futura quæ debentur malis supplicia.

7 *Fidelia omnia mandata ejus. Confirmata in sæculum sæculi.*
Facta in veritate et æquitate.

C Fidelia ejus mandata sunt, quoniam nullo mendacio dicta variantur, sed firmiter nos custodiunt, B cum ea custodire Dei auxilio festinamus. Confirmata, nescit enim sermo titubare, quem veritas loquitur. Facta dixit esse in veritate, quia dicta complentur, et æquitate, quoniam pondere justitiæ proferuntur ; habent enim omnia mandata ejus et veritatem et æquitatem justitiæ.

8 *Redemptionem misit Dominus populo suo .*
Mandavit in æternum testamentum suum.

C Misit enim Filium Pater ad redimendum genus humanum. Mandavit in æternum, mandare dicimus, absentibus verba per medias destinare personas. Quod factum constat, quando testamentum novum per apostolos transmisit ad gentes, ut usque in æternum a successoribus prædicaretur ; non enim ei succedit aliud testamentum sicut veteri novum successit. C Merito ergo æternum dicitur, quod nullo alio indigere cognoscitur.

9 *Sanctum et terribile nomen ejus .*
Initium sapientiæ timor Domini.

C Sanctum, nomen pertinet ad incarnationem sicut ait : Custodi animam meam quoniam sanctus sum (*Psal.* lxxxv). Terribile, ad omnipotentiam deitatis. Hæc duo conjuncta sunt, ne nos aut solus amor negligentes reddat, aut tantus timor desperatos efficiat. Quid vero sit timor ostendit, scilicet initium sapientiæ.

10 *Intellectus bonus omnibus facientibus eum :*
Laudatio ejus manet in sæculum ✣ sæculi ⁝ .

C Iste ergo intellectus bonus, id est, verus et salutaris, qui in timore Domini probatur intentus ; D utilis atque fructuosus est, quoniam inde nascitur quod ad perennem gloriam perducere probatur. Laudatio ejus digna est, quia peccatores liberat hic, et in futuro coronat ; laudatio vero ejus non claudit termino, quia nec finem habere potest beneficium datum. H C Merito ergo in titulo alleluia scriptum est, quia et laudem Dei fecit initium, et in ejus laude finitus est psalmus.

ORATIO EX PSAL. CX.

Sanctorum omnium gloriosa confessio, tribue nobis timorem nominis tui (quod esse initium sapientiæ prædixisti), ut tuorum admisti conciliis, misericordiæ tuæ dapibus saginemur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXI.

ARGUMENTUM PSAL. CXI.

C Propheta loquitur de beatitudine justi, et de incarnatione Christi, atque damnatione impiorum.

TT. *Alleluia + conversionis Aggæi et Zachariæ* ⁘.

C Ideo huic titulo conversionis, seu reversionis Aggæi et Zachariæ intexitur, quia sicut illi, a Babylonica captivitate reversi, templum Domini reparari videntes, laudes Domini magna profuderunt exsultatione, ita post peccatorum absolutionem, a captivitate diaboli reversi in Dei gratiam, perfectissima debeant Christiani alacritate cantare. Ostendit enim psalmus iste, post liberationem delictorum, quanta sint bona fidelium et quæ retributio peccatorum.

1 *Beatus vir qui timet Dominum :*
In mandatis ejus volet nimis.

H Nondum dicit, beatus vir qui diligit Dominum ; virorum enim est incipientium timere Deum ; perfectorum autem, diligere. In mandatis ejus volet nimis, qui enim timet Dominum, et qui beatus est, mandata ipsius libenter custodit et facit. Sed vide quia etiam non dixit, mandata ejus facit, sed volet nimis. Multi enim etiam faciunt mandata, sed timore pœnæ, non voluntatis cupiditate. Beatus autem etiam vult ea, et cupit ea facere.

2 *Potens in terra erit semen ejus :*
Generatio rectorum benedicetur.

C Quæramus autem, in qua terra justi potentes dicantur effici, quia hic probantur esse derisui. In illa, scilicet in qua cum Domino regnaturi sunt sancti. Semen vero, opera significat bona, quæ hic velut semina jaciuntur, ut fructus futuræ messis adolescat. Generatio quoque rectorum, non est ista carnis, sed illa quæ imitatione justorum, per similitudinem operum noscitur esse propagata.

3 *Gloria et divitiæ in domo ejus :*
Et justitia ejus manet in sæculum + sæculi ⁘.

C Beati domus, est mentis secretum, ubi divitias sanctas et gloriam perpetuam reponit, quisquis Domini præcepta compleverit. Justitia autem hominis dicitur, quæ Domino largiente præstatur, et ne aliquis se existimaret Dei præcepta servando fieri temporaliter beatum, addidit, manet in sæculum sæculi. Causam vero istius beatitudinis subdit : Exortum est, etc.

4 *Exortum est in tenebris lumen rectis :*
Misericors et miserator et justus.

C Venit enim lux, quæ superat omnem lucem, et ut gratior esset ista lux, addidit in tenebris, sed intus sunt in corde istæ tenebræ, ubi sol mundanus non potest accedere, quas illud lumen expulit quod mortem vicit. Misericors, scilicet his qui confitentur ei ; qui vero contemnunt, ipsum justum judicem sustinebunt.

5 *Jocundus homo qui miseretur et commodat :*
disponet sermones suos in judicio :
Quia in æternum non commovebitur.

C Jocundus homo hic dicitur, non tam hominibus acceptus, quam Deo gratus. Qui miseretur, id est, qui egentibus bona sua tribuit. Commodare autem videtur, quando dat homo temporalia et recepturus est æterna. Disponet, vero dicit. id est tranquillo animo judicabit : quomodo talentum sibi a Domino traditum duplicet. Ipse ergo disponit sermones suos, qui se bona Dei geminasse probaverit, dicens : Domine, quinque talenta tradidisti mihi (*Matth.* xxv). Non commovebitur, id est a gloria Domini nullatenus separabitur. H C Disponit etiam sermones in judicio, qui divinas Scripturas prædicat discrete, ut non projiciat margaritas ante porcos (*Matth.* vii), nec bonis quæ capere possunt tacendo subtrahat.

6 *In memoria æterna erit justus :*
Ab auditione mala non timebit.

C In memoria æterna erit justus, quia vocatur ad præmium, impiis enim dicitur : Nescio vos. Ab illo auditu malo non timebit, quem audituri sunt impii : Ite in ignem æternum ; malus enim illis ille auditus videtur, qui justa severitate puniendi sunt.

7 *Paratum cor ejus sperare in Domino :*
Confirmatum est cor ejus : non commovebitur
Donec despiciat inimicos suos.

C Cor enim hic positum est pro affectu rectæ mentis. Confirmatum est ergo cor justi, cum nulla sæculi felicitate mollescit. Donec despiciat inimicos, id est in illa futura judicatione despecti sunt omnimodo adversarii, qui hic despexerunt justos. In hoc enim mundo Deus patitur justos suos videre inimicos suos potentes esse, ut ibi eos possint humiliatos aspicere. H Vel inimicos, id est peccata, hæreticos, diabolum et potestates ejus, peccatores, scilicet despiciet.

8 *Dispersit dedit pauperibus :*
Justitia ejus manet in sæculum + sæculi ⁘ :
Cornu ejus exaltabitur in gloria.

C Dispersit, hæc sententia pertinet ad illud præceptum : Vade et vende omnia et da pauperibus (*Matth.* xix). Qui hæc fecerit, justitiam operatur, quia Domini præcepta complevit. H Et ista manet in sæculum sæculi, id est opera ipsa permanent. C Vel quia præmium eorum æternaliter manet, dicuntur manere in sæculum sæculi. H Cornu ejus, id est, regnum ipsius exaltabitur in gloria, quia cum Domino semper regnabit. C Cornu enim pro potestate ponitur, sive pro regno, sicut dicit Daniel : Quatuor autem cornua, quatuor regna sunt.

9 *Peccator videbit et irascetur : dentibus suis fremet et tabescet.*
Desiderium peccatorum peribit.

C Videbit peccator in die judicii remunerare Dominum electos suos. Tunc que irascetur, quoniam pro sua malignitate punitur, fremet quoque et se jam mordet suis dentibus atque se proprio dolore castigat, exigens a se cruciatus, quos hic cogebat sustinere innoxios ; et tabescet, in perditione sua, et peccatorum desideria succisa marcescent.

ORATIO EX PSAL. CXI.

Lumen perpetuum rectorum cordium, Deus, con-

cede nobis diligere, tua gloria jocundari, et sic dispergere in hoc sæculo ut caveamus auditum asperum in futuro. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXII.

ARGUMENTUM PSAL. CXII.

C Propheta monet devotos ut laudes Deo jugiter a cunctis mundi partibus dicant.

TT. *Alleluia.*

C Ecce verba tituli sui subsequens psalmus exponit, nam cum sit, alleluia, laudate Dominum, ita et ipse facit initium, ut suo initio exponat titulum H Et hic psalmus docet, ut, deposita veteri malitia (*I Petr.* II), tanquam modo geniti infantes in Dei laudibus gloriemur.

1 *Laudate, pueri, Dominum :*
Laudate nomen Domini.

C Pueri, dicti sunt omnes fideles innocentes, a puritate mentis atque a simplicitate cordis; non enim hic ætas est electa, sed puritas. Laudat nomen Domini, qui virtutes ejus sancta prædicatione concelebrat, Dominum vero laudat, qui cum probabili actione commendat.

2 *Sit nomen Domini benedictum :*
Ex hoc nunc et usque in sæculum.

H Sit nomen Domini benedictum, benedictum fuit ante, tantum in una gente Judæorum, quia illi tantum benedicebant et credebant, sed modo in omnibus gentibus creditur et benedicitur; ex hoc, scilicet tempore quo credere cœperunt; nunc, id est in præsenti, in sæculum, hoc est sine fine.

3 *A solis ortu usque ad occasum :*
Laudabile nomen Domini.

C A solis ortu, per cursum enim solis hic declaratus est totus mundus, et quasi per quamdam lineam significatus est mundus, qui designat Ecclesiam, in qua per totum mundum præconia Christi personare monstrat debere fideles.

4 *Excelsus super omnes gentes Dominus :*
Et super cœlos gloria ejus.

C Excelsus super omnes gentes, id est, super homines carnales. Cœlos vero spiritales debemus accipere, ut supra omnes creaturas Altissimus sentiatur, qui cunctarum rerum conditor esse dignoscitur.

5 *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat :*
Et humilia respicit in cœlo et in terra?

Quis sicut Dominus, H C Ac si dicat, nullus talis. Qui habitat in cœlis, H id est in sanctis. Et humilia respicit, ut ipse dixit : Super quem requiescit Spiritus meus, nisi super humilem? In cœlo et in terra, C sic in cœlo et in terra humilitas Deo placita reperitur, sicut superbia probatur exosa (*Isai.* LXVI), ubi ergo elati credunt locum habere superbiam, cum cœlum et terram ab humilitate videant occupatam?

A 6 *Suscitans a terra inopem :*
Et de stercore erigens pauperem.

C Hoc beneficium non soli sibi inopes et pauperes vindicent, nam de stercore et paupertate erigitur, quisquis de hac labe corporis per Dei gratiam sublevatur. Rex denique mundanus inops est munerum Dei, et in stercore volvitur, cui carnis vitia dominantur.

7 *Ut collocet eum cum principibus.*
Cum principibus populi sui.

C Principes autem populi sunt patriarchæ et prophetæ, apostoli et quicunque Deo probabili conversatione placuerunt; ibi enim collocabitur pauper et inops Christi. Addit populi sui, quod significat Ecclesiam. Non autem principatum hic honorem, hominum suffragatione conquisitum, intelligas, sed
B illum qui Domino largiente præstatur, qui humilitate altus est.

8 *Qui habitare facit sterilem in domo :*
Matrem filiorum lætantem.

C Fuit enim sterilis sancta Ecclesia ante adventum sponsi sui, sed facta est mater læta filiorum, prædicatione apostolorum, aqua et Spiritu sancto regenerans, quam Dominus in domo sua, H id est seipsa habitare facit. C Lætantem de partu, scilicet et numerositate sanctorum.

ORATIO EX PSAL. CXII.

Laudantes benedictum nomen tuum, omnipotens Deus, rogamus, ut in sinu matris Ecclesiæ collocatos, charitatis tuæ facias stabilitate connecti. Per
C Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXIII.

ARGUMENTUM PSAL. CXIII.

C Memorat Propheta quæ beneficia Dominus Hebræis præstiterit et populo Christiano; et idola gentium vana esse demonstrat.

TT. *Alleluia.*

C Commemorat Propheta quæ beneficia Dominus Hebræis præstiterit; et idola gentium vana esse demonstrat, et exponit consequenter quantum sit vitalis et saluberrima religio Domini propriis cultoribus.

1 *In exitu Israel de Ægypto :*
Domus Jacob de populo barbaro.

D C Hic exitum illum debemus accipere, quando nos a peccatorum vinculis contingit exire. Tunc enim ab Ægyptiorum, id est tenebris ignorantiæ et turba dæmonum liberamur. Barbarus autem a *barba* et *rure* dictus est, quod nunquam in urbe vixerit, sed semper ut fera in agris habitasse noscatur. Domus autem Jacob efficimur, quando præcepta Dei servamus. H Jacob enim *supplantator* interpretatur, et nos primo debemus supplantare vitia, et confiteri ea, sive fidem Trinitatis, quod Judas interpretatur.

2 *Facta est Judæa sanctificatio ejus*
Israel potestas ejus.

C Judam dicimus non solum ad Hebræorum nationem, sed et ad omnes fideles posse respicere. Veras

enim Judas Salvator est Dominus, in quo potestas Israelitarum, id est, *videntium Deum* noscitur perpetua esse. Itaque qui eum circumciso corde sequuntur, Israel appellantur veraciter. Israel enim *vir videns Deum* interpretatur, A vel verius videns Deum.

3 *Mare vidit et fugit :*
Jordanis conversus est retrorsum.

C Mare, id est gentilitas, vidit sanctos supplantatores vitiorum, id est prædicatores, et fugit, id est, non potuit resistere apostolis, quia Deus in illis erat. Jordanis interpretatur *descensio eorum*, scilicet baptizatorum, qui descendunt in baptismum, id est, humiliantur baptizati, illi conversi sunt retrorsum, A scilicet ad Deum unde orti erant, et a quo per peccata recesserunt. H Multi enim qui crediderunt, B quando viderunt martyres passos, conversi sunt retrorsum, id est a gentilitate ad fidem, et factus est illis Deus ante quem post tergum posuerunt; et sic posteriorum peccatorum obliti, in ea quæ sunt ante extenderunt (*Philip.* III).

4 *Montes exsultaverunt ut arietes : :*
Et colles sicut agni ovium.

C Montes, apostolos dicit qui exsultaverunt in operibus suis, tanquam arietis, id est prædicatores, ad caulas Domini fidelem gregem ducentes. Colles dicti sunt a *colendo*, et significat mediocres ab apostolis conversos, colentes Dominum in veritate.

5 *Quid est tibi : mare quod fugisti?*
Et tu Jordanis quia conversus es retrorsum?

H Propheta semetipsum interrogat, et ipse respondet, ac si dicat : Quid tibi fuit gentilitas quod fugisti? et tu Jordanis, hoc est, et vobis Christianis quid fuit, quod conversi fuistis retrorsum? scio quia vidistis sanctos prædicatores et timuistis

6 *Montes exsultastis sicut arietes :*
Et colles sicut agni ovium?

H Exsultaverunt montes, id est, sancti prædicatores, quando viderunt illos conversos, qui ante blasphemi fuerunt. Exsultaverunt arietes, id est, principes gregum, qui generant greges, id sunt apostoli, quorum unus ait : Filioli mei, quos iterum parturio (*Gal.* IV); et iterum ait : Per Evangelium vos genui (*I Cor.* IV).

7 *A facie Domini mota est terra :*
A facie Dei Jacob.

C Commota est terra, audite, conversi, audite, fideles Christiani, commotionem istam, id est permutationem, quæ humanæ terræ feliciter evenit, non tremore montium, sed prospera conversione populorum, ut in culturam Dei conversa, fixa permaneret. Et ista est competens utrisque versibus præcedentibus secuta responsio, quia uterque versus quæsitive legendus est secundum Cassiodorum.

8 *Qui convertit petram in stagna aquarum :*
Et rupem in fontes aquarum.

C Petram, hic Judæorum duritiam dicit, quam in sacra baptismatis stagna convertit, cum eos ad religionem fecit venire tranquillam. Rupes, hoc est arida et dura corda gentilium, divini eloquii manare fecit fontes irriguos.

9 *Non nobis, Domine, non nobis :*
Sed nomini tuo da gloriam.

C Non nobis, Domine, nam cum bona largiatur immeritis, ipsius gloriæ probatur esse, non aliunde, quod concedit. Et est affectuosa et nimis vera petitio, ut propter nomen suum præstaret humano generi utilia, qui non poterat in peccatoribus invenire merita ulla. Unde et subdit : Super etc., propter misericordiam et veritatem da gloriam nomini tuo, et fac mirabilia.

10 *Super misericordia tua et veritate tua :*
Ne + quando : dicant gentes : Ubi est Deus eorum ?

C Misericordia est enim, cum miseris ac delinquentibus peccata demittit; veritas, cum beatitudis promissa restituit. Ubi est Deus eorum? ita dicunt persecutores justorum. Nam quoties martyres affliguntur, ipsa est vox tyrannorum. Ubi est Deus eorum? quasi non possit eripere, quos ut coronet, tormenta patitur sustinere. Et propter hoc etiam fecit Deus mirabilia in filiis Israel, ut non dicerent gentes : Ubi est Deus eorum?

11 *Deus autem noster in cœlo :*
Omnia quæcunque voluit fecit. Diapsalma.

C Contra dementium verba, qui dicunt : Ubi est Deus tuus, veracissima infertur scientia, Deum nostrum esse in cœlo, et omnia quæcunque vult, in cœlo et in terra perficere posse.

C 12 *Simulacra gentium argentum et aurum :*
Opera manuum hominum.

H Simulacrum ideo dicitur, quia ad similitudinem alicujus hominis fabricatur. C Nam licet inveniantur ænea et lignea simulacra, tamen illud elegit utilius, quod gentilitas judicabat reverentius adorandum, ut erubescerent colere viliora, quorum et prætiosa probantur irrisa.

13 *Os habent et non loquentur :*
Oculos habent et non videbunt.

C Os habent, verissime his versibus notati et irrisi sunt idolorum cultores. Nam quid rogo, opus fuit illis os, qui loqui non poterant, quid oculi, qui nihil valebant conspicere? et alia membra, quibus exercere nullum opus valebant, quid proderant?

D 14 *Aures habent et non audient :*
Nares habent et non odorabunt.

C Quid etiam auris profuit illi, qui non erat auditurus? quid naris, qui nullatenus fragrantia sentiebat? Nares a *gnaritate* dictæ sunt, quod nos faciant odoratus agnoscere.

15 *Manus habent et non palpabunt. Pedes habent et non ambulabunt :*
Non clamabunt in gutture suo.

C Quid quoque prosunt manus illi, qui res palpabiles ignorabat? quid pes, qui se movere non poterat? Additur irrisio, non clamabunt, quia bestiæ et muta animalia voces habent, sed confusus clamor istorum est. Ista autem simulacra, nec humanum et

articulatum clamorem, nec confusum, ut bestiæ habent.

16 *Similes illis fiant qui faciunt ea :*
Et omnes qui confidunt in eis.

C Similes illis fiunt qui decreverunt talia sequi : insensibilia sequuntur et insensibiles facti sunt. Quisquis enim sequitur pravos mores alterius, in illis confusus male obligatur. Cultores igitur et eorum fabricatores pari culpa constringuntur. *Similis enim* est iniquitas, alios suis operibus decipere et culturis se pessimis obligare.

17 *✣ Domus ⁝ Israel speravit in Domino :*
Adjutor eorum et protector eorum est.

C Domus Israel, ecclesiam significat, quæ mente videt Deum. Adjutor, quia carne laborantes in hoc mundo, in quantum utile novit, adjuvat. Protector, B quoniam animas sanctas nulla sinit diabolica fraude subverti.

18 *Domus Aaron speravit in Domino :*
Adjutor eorum et protector eorum est.

C Domus quoque Aaron, Christi fideles sunt, quia fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo (*Apoc.* I); et iterum : Vos autem genus electum, regale sacerdotium (*I Petr.* II). Quia Aaron in populo Judæorum primus sacerdos electus est : Quod ergo prius generaliter dixit, hoc nunc de sacerdotibus decora iteratione retexuit, ut excelsus ordo pontificum speciali præconio laudaretur.

19 *Qui timent Dominum speraverunt in Domino :*
Adjutor eorum et protector eorum est.

H Qui timent Dominum, omnes qui timent illum C et amant et sperant in eum, vera protectione protegit, et defendit illos. C Exponit ergo quod superius dixit : domus Israel et domus Aaron. Ipsi enim sunt qui timent Dominum, et sperant in eo, duo enim ista sunt, quæ beatos faciunt, quos etiam consequitur quod dixit ut eis et adjutor sit Dominus et protector.

20 *Dominus memor fuit nostri :*
Et benedixit ✣ nobis ⁝ Diapsalma.

C Cum dicit memor fuit nostri, gratiam divinæ pietatis ostendit, quoniam Filium suum incarnari misit, qui ideo venit, ut errantes populos doceret, et conversos sua benedictione salvaret. H Memor ergo fuit nostri, cum nos liberavit, et Filium misit, et benedixit nos omni benedictione spiritali.

21 *. Benedixit domui Israel :*
Benedixit domui Aaron.

C Benedixit domui Israel de sancta Maria virgine nascendo. Benedixit domui Aaron, sacerdotii honore præcinctus, ut de ipso in alio psalmo dictum est? Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX).

22 *Benedixit ✣ omnibus ⁝ qui timent Dominum :*
Pusillis cum majoribus.

C Benedixit omnibus, hoc fecit in *piscatoribus*, hoc in regibus. Nec ullum genus hominum ei credens probatur exceptum, quod sit ab ejus munere alienum. Post speciales ergo benedictiones, ad generales hic descendit, ubi simul omnes benedicuntur. H Pusilli, id est inferiores merito, majores quoque merito benedicuntur.

23 *Adjiciat Dominus super vos :*
Super vos ⁝ et super filios vestros.

C Adjiciat, sive benedictionem, seu adjiciat numero nostro populos fideles, quod et in nostris temporibus facit, et usque in finem sæculi non desinit operari, quousque omnes fideles, in unum gregem collecti, simul gaudeant. H Vel adjiciat alios prædicatores suos super vos, quia primitus pauci fuerunt, postea multi facti sunt.

24 *Benedicti vos a Domino .*
Qui fecit cœlum et terram.

H C Benedicti vos, scilicet justi et sancti, Domino. C Vide genus benedictionis; Domino posuit, quia ipsa est perfecta benedictio, non sibi præparati sed Domino, unde futura beatitudo provenire potest. Per cœlum et terram, pusillos et majores significat.

25 *Cœlum cœli a Domino :*
Terram autem dedit filiis hominum.

H Cœlum altius apostolos signat, quia ab ipso Christo audierunt prædicationem, et illuminationem Spiritus sancti acceperunt. Cœlum iterum sunt successores apostolorum, quos illi prædicaverunt. Terra simplices significat, qui terreni erant, lacte nutriti, non adhuc solido cibo (*I Cor.* III). C Cœlum autem dictum est, quod intra se cælet universa.

26 *Non mortui laudabunt te, Domine :*
Neque omnes qui descendunt in infernum.

C Non mortui : hoc sunt peccatores, peccator enim cum venerit in profundum malorum contemnit. Neque omnes (hoc est habitatores inferni) laudabunt nomen Domini.

27 *Sed nos ✣ qui vivimus ⁝ benedicimus Domino :*
Ex hoc nunc et usque in sæculum.

C Vivorum enim est Dominus sive Deus, ut in Evangelio legitur, non mortuorum (*Matth.* XXII). Vivorum vero accipiendum est, non ista vita viventium communi bonis malisque, sed illa de qua dicitur, Placebo Domino in regione vivorum (*Psal.* CXIV). H Nos enim fideles qui vivimus, id est qui fidem rectam tenemus et opera habemus, laudamus Domi- D num. Ex hoc, scilicet, quo incœpimus intelligere. Nunc, hoc est modo, usque in sæculum, id est sine fine.

ORATIO EX PSAL. CXIII.

Ineffabile lumen Trinitas Deus, qui fluenta Jordanis aspectu luminis terruisti, præsta, ut quos ablutos sacro baptismate renovasti, nunquam patiaris a vetitis simulacrorum idolis maculari. Qui vivis et regnas, etc.

PSALMUS CXIV.

ARGUMENTUM PSAL. CXIV.

C Propheta, ostendens se de profunda fovea peccatorum esse liberatum, gratias agit Deo quoniam exauditum esse se cognoscit.

TT. *Alleluia.*

1 *Dilexi : quoniam exaudiet Dominus*
Vocem orationis meæ.

C David non in amplitudine regni, aut mundi felicitate lætus exsultat, sed gaudet orationem suam in angustiis a clementissimo Domino fuisse susceptam; quod sibi prodesse perpetuo sentiebat. In eo ergo quod dicit : Dilexi, testatur se habuisse dilectionem Dei in corde. H Sed vide quod non dicit : Diligam, sed dilexi. Non promisit se facere, sed fecisse. Sed quare dilexit? quoniam exaudiet me in tribulationibus orantem. Nec dicit quoniam exaudivit, sed quoniam exaudiet. Magna itaque fuit ista dilectio.

2 *Quia inclinavit aurem suam mihi :*
Et in diebus meis invocabo.

C Auris, dicta est ab auditu quam merito ad nos inclinare, dicitur Deus, quia ut nos dignetur audire, nulla humana merita ad ipsum videntur attingere : inclinavit autem aurem pietatis, quando incarnatus est. Et quia circa se uberem sensit pietatem, cum in multis tribulationis esset constitutus, in diebus suis se dicit invocaturum; nostros enim dies illos dicimus, ubi propria iniquitate peccamus, et anxios dolores in pravis cogitationibus sustinemus.

3 *Circumdederunt me dolores mortis :*
Et pericula inferni invenerunt me.

H Dolores mortis, malæ cogitationes sunt. Pericula inferni, opera prava, quæ animam circumdantes peccare suadent. In primis enim dolor et parturitio; hic autem, scilicet in operibus pravis, periculum est vicinum morti.

4 *Tribulationem et dolorem inveni .*
℣ Et ℟ nomen Domini invocavi.

H Sanctus quisque non requiem sed tribulationem quærit; novit enim quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, quæ non confundit (*Rom.* v). Et nomen Domini invocavi. C Quo præstante, et dolor et tribulatio vincerentur celebriter. H Rem itaque novam dicit : non dicit : Requiem inveni aut saturitatem, sed tribulationem. Quæsivit ergo tribulationem, non enim invenitur, nisi quod quæritur.

5 *O Domine, libera animam meam. Misericors*
Dominus et justus :
Et Deus noster miseretur.

C Cum dicit Propheta : libera animam meam, confitetur eam sine dubio esse semper captivam. Misericors, quia inclinavit illi aurem suam, justus, quoniam corripuit peccatorem ad veniam requirendam. Miseretur, cum recipit filium quem flagellat (*Prov.* III).

6 *Custodiens parvulos Dominus :*
Humiliatus sum et liberavit me.

C Parvuli sunt, qui certissime sibi videntur exigui, sed Domini largitate grandescunt. Quos custodit eximius pastor, cum eos a rapacis lupi incursione defendit; quod facit quando eos humiliatos invenit.

A 7 *Convertere, anima mea, in requiem tuam :*
Quia Dominus benefecit tibi.

C Cantet hoc populus devotus, qui pretioso sanguine est redemptus, qui ad desideratam requiem pervenire Domini largitate promeruit, ideo animam suam hortatur Propheta, ut convertatur ad Dominum, unde illi et tranquilla venit requies, et abolitio peccatorum. Suam vero requiem dicit conscientiæ, quæ illi data est per gratiam, non meritorum compensatione possessa. Ideo addit, quia Dominus benefecit tibi. H Requies etiam nostra Christus est. Si quando in angustia fuerimus peccati, dicamus : Convertere, anima mea, in requiem tuam.

8 *Quia eripuit animam meam de morte :*
Oculos meos a lacrymis.
B *Pedes meos a lapsu.*

C Nunc causas ponit cur dixerit quia Dominus benefecit tibi. Eripuit, beneficium divinæ virtutis ostendit. Quia nisi per ejus potestatem, nullus valuisset a morte perpetua liberari. Oculos meos a lacrymis. H id est, ploravi, ut rideam; luxi, ut in sempiternum gaudeam; qui enim in præsenti non plorat, in futuro lacrymabitur. C Cum dicit a lapsu, ostendit lubricum et pronum esse peccatum, unde se credit ereptum. H C Illam autem ereptionem, a morte, a lacrymis, a lapsu, dicit Propheta præscientiæ virtute, de futuro in regione vivorum, hic enim non plene ab his eripimur.

9 *Placebo Domino :*
In regione vivorum.
C

C Placebo, dixit, scilicet jam securus, quamvis enim et hic Domino placeant justi, tamen insecuri; securi autem tunc justi placebunt Domino, quando ulterius de peccatorum adversitate nil metuent. In regione vivorum, id est in congregatione sanctorum, ubi omnis vivens revera colligitur et a sorte morientium separatur.

ORATIO EX PSAL. CXIV.

Ablutor peccaminum, Domine, quia nimium te fideliter invocantem velociter consolaris, rogamus, ut nos a periculis inferni erutos, in regione vivorum, ablata peccati morte, restituas. Qui vivis et regnas, etc.

PSALMUS CXV.

D

ARGUMENTUM PSAL. CXV.

C Vox martyrum invictorum, qui gloriosam mortem pro Christi nomine sustinuerunt.

TT. *Alleluia.*

C Alleluia, vox fidelium, sermo beatorum, modulatio sancta canentium. Unde et auditus delinitur, et anima fessa recreatur.

1 *Credidi, propter quod locutus sum :*
Ego ℣ autem ℟ humiliatus sum nimis.

H Credidi, quid? quia prior psalmus ita finivit; placebo Domino, hoc credidi, et ideo hoc locutus sum : Ego autem humiliatus sum nimis, quia considerabam meipsum, quod terra et cinis sum, et tamen Dei misericordia ero in regione vivorum. Ideo

merito humiliatus sum nimis, admirans Domini misericordiam. A C Vel credidi, contra illos dicit, qui divina loquuntur antequam opere credunt, quibus Deus dicit : Quare tu enarras justitias meas? (*Psal.* XLIX.) Propter illos dicit : Ego credidi, propter quod, scilicet quia credidi, locutus sum *divina mysteria.* A *Vel, quia perfecte credidi, locutus sum;* non enim perfecte credidit, qui non loquitur quod credit, et ore non confitetur. Sed quia etiam ore locutus sum quod credidi, humiliatus sum nimis, id est multa passus propter verbum Dei. C Ideo ergo se dicit humiliatum, quia crescente sancta religione ipsi martyres, qui propter fidem locuti sunt, videbantur pœnis temporalibus nimis subjacere.

2 *Ego dixi in excessu meo :*
Omnis homo mendax.

C Ego dixi in excessu meo, id est raptu mentis in divinam contemplationem. Magna siquidem prudentia est, ut sibi aliquis imprudens esse videatur, et quando carnis fragilitate mendaces sumus, nostrum esse fateamur; quando veraces, divinis muneribus applicemus. Quia omnis homo mendax, A, id est peccator; et ex se mendax, ex Deo verax, ut enim in persecutionibus a fide non recedat, ex Deo est.

3 *Quid retribuam Domino :*
Pro omnibus quæ retribuit mihi?

C Retribuere dicimus, quando et bonis bona reddimus, et malis bona præstamus. Dominus enim nobis bonum pro malo retribuit, quando ille alapis cæsus, spem nobis resurrectionis tribuit, et cœlorum C regna promisit, et pro peccatis nostris passionem sustinuit.

4 *Calicem salutaris accipiam :*
Et nomen Domini invocabo.

C Digna promissio, si Dei munere promittitur; sed si in humanis viribus ponitur, periculosa præsumptio. Calicem enim, id est passionem et martyrium in desiderio accipiam. Quis autem potest confessoribus tormentorum patientiam dare nisi Christus, qui calicem passionis pro nobis dignatus est accipere? Et nomen Domini invocavi, cujus fretus auxilio se credebat complere quod voluit. Ideo enim invocabo nomen Domini, quia sine ejus auxilio calicem accipere non valeo.

5 ℣ *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus :*
Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

A C Vota mea, quæ desiderio concepi patiendi, postea reddam in actu coram omni populo, ut exemplum patiendi capiant a me. Et hoc ideo faciam, quia pretiosa mors est sanctorum in conspectu Domini. H Vota vero sunt martyrum orationes. C Bene dicitur mors sanctorum pretiosa, quæ sanguine Domine noscitur esse comparata. Illius enim passione glorificata est, ut in conspectu esset eximia, et ut sit pretiosa, non divitiis efficitur oblatis, sed effusione sanguinis comparatur. O mors vitalis, o in- A teritus ambiendus, o transitus gloriosus, quæ membra Christi imitatores sui capitis facis.

6 ℣ *O Domine quia ego servus tuus : ego servus tuus :*
℟ *Et : filius ancillæ tuæ :*

C O Domine, admiratur se talia beneficia suscepisse, qualia ipse Dominus pro redemptione mundi est dignatus assumere. Adjecit, et filius ancillæ tuæ, ut humilitatem, triplicatis confessionibus, bis se servum et tertio filium ancillæ dicendo, indicaret. Dicendo vero se filium ancillæ, filium se Ecclesiæ confessus est; quæ est ancilla, dum servit; sponsa, dum jungitur.

7 *Disrupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis :*
℣ *Et nomen Domini invocabo.*

B C Disrupisti, virtutem hic exponit martyrii, cujus impetu triumphali disrumpuntur omnia vincula peccatorum. Nulla enim macula in homine remanere potest, quam pius sanguis non abluerit. Hic autem versus tantam virtutem habere creditus est, ut diceretur ab aliquibus, posse omnibus peccata dimitti, si eum in fine vitæ suæ, tertia congeminent confessione. Et quia disrupta sunt peccatorum vincula, recte se hostiam dicit sacrificare laudis. Nimis enim acceptum est Deo sacrificium, gratiarum actio.

8 *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : in atriis domus Domini.*
In medio tui Jerusalem.

C Cum dicit, vota mea Domino reddam, seipsum offerre vicem pollicetur. Omnium enim fidelium votum est, Christo se offerre, et in ejus Ecclesia recta credulitate consistere. In conspectu, dignum est ut publice debeat laudari, qui pati pro omnium salute dignatus est. In atriis domus Domini, id est in Ecclesia, et adhuc aptius ipsam nominat Ecclesiam dicens : In medio Jerusalem, ubi pax conquiescit, et unitas populi contemplatione Dei lætatur.

ORATIO EX PSAL. CXV.

Talis sit, quæsumus, Domine, vita supplicum, sicut est in conspectu tuo mors pretiosa sanctorum, ut a vinculis peccati liberi, mereamur futuræ Jerusalem gaudia prælibare. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXVI.

D

ARGUMENTUM PSAL. CXVI.

C Iste psalmus personæ martyrum convenit, qui gloriosa passione perfuncti, omnes gentes ad Domini laudes excitant.

TT. *Alleluia.*

1 *Laudate Dominum omnes gentes :*
Laudate eum omnes populi.

C Clamat chorus ille sanctorum, omnes gentes Dominum laudare debere. Collaudatio est omnium fidelium in unum redacta laudatio. Commonentur enim omnes gentes generaliter laudare Dominum, ne quis dicat se esse in judicio Dei prætermissum.

2 *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus :*

Et veritas Domini ✣ manet ⁝ in æternum.

C Confirmata est misericordia ejus in populo Christiano, quando qui præstitit, ipse nos sua misericordia custodit. Hic veritas Domini, Filius significatur, sicut ipse ait, « Ego sum via et veritas et vita (*Joan.* XIV). » Convenit enim et saluti nostræ et veritati confiteri coæternum et consubstantialem per omnia Patri Filium.

ORATIO EX PSAL. CXVI.

Omnipotentissime Dominator, qui ab omnium gentium ore laudaris, precamur, ut dilates veritate tua mentem nostram, et confirmes super nos misericordiam tuam. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXVII.

ARGUMENTUM PSAL. CXVII.

C Vox fidelium Domino confitentium, et in eo solummodo confidentium, qui aperiri sibi portas justitiæ deprecantur, de angulari lapide, hoc est Domino Salvatore, subjungentes.

TT. *Alleluia.*

C In principio quippe istius psalmi, quatuor versus pari fine concludit, ut evangelico numero totum mundum uni Domino laudes reddere debere commoneret; hoc et in centesimo tricesimo quinto psalmo per omnes versus absolute facturus est.

1 *Confitemini Domino quoniam bonus :*
Quoniam in sæculum misericordia ejus.

H Confessio hæc non ad peccatorum remissionem, sed ad laudem pertinet deitatis. Quoniam bonus, C solus ille proprie dicitur et per se bonus, qui bonos facit implere quod boni sunt. In sæculum autem, perpetuitatem significat futuram, ubi unum est sæculum et una dies, nec permutatio ulla succedit.

2 *Dicat ✣ nunc ⁝ Israel quoniam bonus:*
Quoniam in sæculum misericordia ejus.

H Dicat nunc Israel, id est *vir videns Deum*, qui prius cæcabatur delictis, nunc autem mente serena Dei gloriam contemplatur.

3 *Dicat ✣ nunc : domus Aaron ⁝ :*
Quoniam in sæculum misericordia ejus.

H Dicat nunc domus Aaron, quæ ante idolis immolaverat, nunc autem Altissimi illecta bonitate, sacerdotium dignum gerit animæ suæ.

4 *Dicant ✣ nunc ⁝ qui timent Dominum :*
Quoniam in sæculum misericordia ejus.

H Dicant nunc qui timent Dominum, id est vos qui prius simulacra muta et surda metuebatis, nunc omnipotentis Domini misericordiam decantate cum reverentia timoris.

5 *De tribulatione invocavi Dominum :*
Et exaudivit me in latitudine Dominus.

C Tribulatio præsentis sæculi finietur; latitudo autem beatitudinis terminum nescit. Eripit latitudo gaudiorum æternorum de temporalibus malis, et quos in hac mundi brevitate gravabat tribulationum angustia, latissima præmiorum gaudia excipient.

A 6 *Dominus mihi adjutor :*
Non timebo quid faciat mihi homo.

C Dominus mihi adjutor, nam cum se dicit auxilio Domini, hominem non timere, carnales designat inimicos, qui visibiliter religiosorum hominum propositum persequuntur.

7 *Dominus mihi adjutor :*
Et ego despiciam inimicos meos.

H Dominus mihi adjutor, ideo despiciam hæreticos. C Vel Judæos vel etiam diabolum cum cæteris ministris suis.

8 *Bonum est confidere in Domino :*
Quam confidere in homine.

C Confidere enim in solum Deum debemus, non in hominem; illum, scilicet qui veraciter promittit, non B istum qui fallaci præsumptione se decipit, dicens : Facio quod volo, nec Dominum meæ voluntatis habeo.

9 *Bonum est sperare in Domino :*
Quam sperare in principibus.

H Bonum est sperare in Domino, qui vitam largitur æternam, quam in principibus, quorum potestas cum hoc mundo dilabitur. C Principem etiam hic diabolum intelligere possimus, ut est illud : Venit enim princeps mundi hujus et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV).

10 *Omnes gentes circuierunt me :*
Et in nomine Domini ✠ quia : ultus sum ✣ in ⁝ eos.

C Vox Ecclesiæ de persecutione gentium, quæ prius persequebantur caput, quod est Christus; C deinde, ejus corpus, quod est Ecclesia. Quod vero dixit gentes, et subjunxit genus masculinum : ultus sum in eos, sive ad intellectum pertinet, quia in gentibus populi significant, sive schema est exallage, id est, immutatio, quoniam genus nominis immutavit. Ultus vero in eos est, quando conversi de se pœnitentiæ pœnas exegerunt, quas pridem innocentibus ingerebant.

11 *Circumdantes circumdederunt me :*
Et in nomine Domini ✠ quia ⁝ ultus sum ✣ in ⁝ eos.

C Circumdantes, Judæi videlicet, in passione Christum. In quibus tamen est in nomine Domini vindicatus, quando multi ex eis pœnitentes, post mala quæ fecerant, meruerunt sumere vocabula D Christianorum.

12 *Circumdederunt me sicut apes : et exarserunt sicut ignis in spinis :*
Et in nomine Domini ✠ quia : ultus sum in eos.

C Ipse enim Christus a sævientibus Judæis circumdatus, per totum mundum mella passionis suæ profudit. Apes dicta, quasi a pedibus, eo quod sine pedibus nascitur. H Ipsi exarserunt in invidia sua, dum me exurere voluerunt. C Spinæ significant peccata populi; sed in eis vindicatum est, quando de illo melle et ipsi suavissime repleti sunt. Factum est Judæis ut apibus, quæ favum circumdantes, mel in domibus cereis recondunt, et cum putant sibi

victualia reponere, faciunt unde homines possint sua desideria satiare : ita Judæi amaris conatibus, fecerunt rem cuncto orbi dulcissimam.

13 *Impulsus eversus sum ut caderem:*
Et Dominus suscepit me.

C Impulsus enim ille cadit, cui Domini fortitudo subtrahitur. Sed corpus fidelium impulsum ut caderet, non cecidit nec cadit, quia dextera Domini tenetur. Dicit se ergo non cecidisse, etiam eversum, quia susceptione Domini firmatus est. Ideo enim fideles tormentis traditi sunt, et eversi a quiete temporali, ut caderent a fide, sed Dominus suscepit eos, ne a fide caderent.

14 *Fortitudo mea et laus mea Dominus:*
Et factus est mihi in salutem.

C Non potest impulsus cadere, cui auxilium Domini videtur fortitudinem præstare ; ipse enim est fortitudo, et laudatio, atque æterna beatorum salus.

15 *Vox exsultationis et salutis :*
In tabernaculis justorum.

C Chorus ille fidelium lætus exsultat in tabernaculis justorum, id est in humani pectoris secretis, ubi semper sancti læti sunt, quamvis forinsecus affligantur. Ibi ergo exsultabant, quando eorum persecutores putabant eos mœrore confici et tribulatione consumi. Et ut agnosceres unde eis illud gaudium fuerit, subdit : dextera, etc.

16 *Dextera Domini fecit virtutem :*
Dextera Domini exaltavit me :
Dextera Domini fecit virtutem.

C Dextera Domini, id est Christus, per quem Pater virtutem operatus est, in exaltatione sanctorum. Exaltat enim Christus sanctos, quando terrenis hominibus cœlorum regna concedit, et ita in terrenis hominibus fecit virtutem. Quid enim potentius quam mortales induere immortalitatem, et de hoste fortissimo infirmis dare victoriam?

17 *Non moriar, sed vivam :*
Et narrabo opera Domini.

C Non moriar, vox fidelium contra persecutores, id est non moriar, ut tu putas, sed vivam vita quam nescis, ad quam mente prætumidi pervenire non possunt. Narrabo opera, quia tolerantia martyrum per totam Ecclesiam vulgata est.

18 *Castigans castigavit me Dominus :*
Et morti non tradidit me.

H Castigat nos Dominus ad emendationem multis verberibus, ut probatos eruat a morte perpetua. C Solus enim non morti traditur, cujus hic commissa vitia purgantur : ille etenim se hic bene castigatum esse commemorat. Ne ergo sibi aliquid persecutorum superbia vindicaret, tormenta ipsorum castigationem Domini esse confirmat.

19 *Aperite mihi portas justitiæ : ingressus in eas confitebor Domino :*
Hæc porta Domini. Justi intrabunt in eam

C Quibus autem dicitur, Aperite, nisi prophetis atque apostolis, qui cœlorum claves mysticis virtutibus acceperunt? per has enim doctrinæ introducti januas, intus jam positi, veraciter Domino confitemur. H C Hæc porta Christus est, per quam introitur ad Patrem, ut ipse ait : Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV). C Portas itaque apostolos dixit et prophetas, sed quia istæ aperiunt per et ad Christum, unam portam subdit, per quam omnes (et qui portæ dicti sunt) introierunt. H Sed nemo in eam ingreditur nisi justus.

20 *Confitebor tibi quoniam exaudisti me :*
Et factus es mihi in salutem.

C Vox ista est lætantis populi. H Cujus vulnera peccati Christus sanavit, et factus dicitur in salutem ; vel quibus contra iniquum hostem factus est in salutem, quando Redemptor gentium oculis humanis apparuit.

21 *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes :*
Hic factus est in caput anguli.

C Ideo Christus dicitur lapis angularis, quia duos ad se populos, e diverso venientes, in unam soliditatis gratiam colligavit, quem Judæi reprobabant (*Ephes.* II). Angulus enim dictus est ex Græco sermone, id est a *goni*, quod Latine dicitur *genu*, hoc enim inflexum speciem anguli conformi qualitate restituit. Judæi ædificabant, H id est litteram legis erigebant. C Vel ædificabant, dum olim soli in verum Deum credebant.

22 *A Domino factum est istud :*
Et est mirabile in oculis nostris

C Cum enim memorat istud a Domino factum, natura humanitatis ostenditur. H C Mirabilis est iste lapis in oculis fidelium, qui non solum eum corporaliter vident, verum etiam illuminati mente conspiciunt. Viderunt et Judæi, sed non mirabilem, quia solam intuebantur carnem, non deitatem intus conspiciebant, propter quod et ait, nostris, scilicet fidelium oculis.

23 *Hæc est dies quam fecit Dominus :*
Exsultemus et lætemur in ea.

C Nam licet Deus cunctos dies creaverit, singulariter tamen diem fecisse dicitur, qui Christi nativitate sacratus est, in quo merito exsultare convenit et lætari, quoniam in eo diabolus jus perdidit, et salutem mundus accepit.

24 *O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare :*
Benedictus qui venturus es in nomine Domini.

H O Domine, salvum me fac, scilicet ad te venientem. C Ut hic eripiar de morte peccatorum, et illic collocer in requie sempiterna. Prosperari est aliquod asperum tranquillum facere, dolores ergo, quos hic amore Domini sustinent, ibi sine dubio prosperantur, quando jam ad gaudia æterna perveniunt. Illum constat esse benedictum, id est Dominum Christum, qui ad nos venire dignatus est, in nomine Domini. Sicut in Evangelio : Ego veni in nomine Patris mei et non me accepistis (*Joan.* V) ; si alius, scilicet Antichristus, venerit in nomine non Domini sed sui, illum accipietis.

25 *Benediximus vobis de domo Domini :*
Deus Dominus et illuxit nobis.

H Benediximus vobis, sancti de cœlesti Hierusalem parvulis Ecclesiæ benedicunt. C Vel apostoli et Ecclesiæ prælati dicunt ad populum fidelem, Benediximus vobis de domo Domini, id est Ecclesia catholica, unde salutare baptisma venit, et sancta communicatio procedit. Unde et omnis benedictio procedit, et Dominus Deus sua resurrectione illuminavit tenebras nostras.

26 *Constituite diem solemnem in condensis :*
Usque ad cornu altaris.

C Constituite dicit, id est deliberata sententia custodite, et prompta voluntate diem solemnem, qui honore Dei et sanctorum confessione sacratus est. In condensis, hoc est, in frequentationibus crebris, quas turba in veneratione Dei condensat. Usque ad cornu altaris, id est ut non recedant antequam ad altare Dei digni communicent. Per hoc ergo prohibetur (quod multis in usu est) audita Evangelii lectione discedere.

27 *Deus meus ✠ es ⁝ tu et confitebor tibi :*
Deus meus ✠ es ⁝ tu et exaltabo te.

C Rectum est enim ut Deum esse nostrum dicamus, quem pura mente non cessamus adorare. Quod autem dicit, confitebor, ad gratiarum pertinet actionem. Exaltabo te, quia exaltatur Deus per prædicationem sanctorum.

28 *✠ Confitebor tibi, quoniam exaudisti me ⁝ :*
✠ Et factus es mihi in salutem ⁝.

H Confitebor tibi, Domine, quoniam audisti me, et factus es mihi in salutem, scilicet ut cum sanctis tuis me in cœlesti Hierusalem sociares.

29 *Confitemini Domino quoniam bonus :*
Quoniam in sæculum misericordia ejus.

C Hic quoque versus in capite psalmi probatur esse jam dictus, ut sicut a Christo fecit initium, ita ipsi concordare videatur et finis, ipse enim dixit : Ego sum alpha et omega (*Apoc.* 1), et ita in omni vita nostra, confessionem nos oportet assumere, et in ipsius delectatione finire.

ORATIO EX PSAL. CXVII.

Consolatio tribulationum nostrarum, piissime Domine, qui justorum tabernacula lætitia et exsultatione perfundis, exalta Ecclesiam tuam virtute potentis dextræ, qua fiat porta justitiæ, et ita se angulari stabilitate connectat, ut tua miseratione refulgeat. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXVIII.

ARGUMENTUM PSAL. CXVIII.

C Per totum hunc psalmum universalis sanctorum chorus eloquitur, qui ab initio mundi fuerunt, sive sunt, sive futuri esse creduntur, inter quos reperiuntur apostoli, prophetæ, martyres, confessores, ecclesiastici ordines, et omnes qui sancta Domino integritate famulantur. Est autem Hebræis elementis tali ordine depictus : ut ab unaquaque littera octoni versus incipiant, quorum prima littera, Aleph, interpretatur doctrina. B Et primo immaculatis via Domini : æterna beatitudo promittitur.

TT. *Alleluia.*

H Aleph, doctrina.

1 *Beati immaculati in via :*
Qui ambulant in lege Domini.

C Videamus nunc, quæ in hoc cœlesti paradiso poma nascantur spiritalia. Sancti enim immaculati fiunt, quando indulgentiæ munera consequuntur, aliter enim et per se est nemo immaculatus nisi solus Deus; ille enim solus naturaliter immaculatus est. In via, id est in Christo. Ibi enim ambulare justorum est, non pedibus corporeis sed recta actione. In lege Domini, id est, qui aut non peccant aut per gratiam Dei se emendant, et digna sibi satisfactione prospiciunt. Nec vacat quod dicit, in lege Domini, ut distingueret a lege peccati, in qua peccatores ambulant.

2 *Beati qui scrutantur testimonia ejus :*
In toto corde exquirunt eum.

H Beati qui scrutantur, scilicet ut intelligant, cum peccaverint, coram testibus deliquisse, ut legem Dei testem suorum peccatorum cognoscant. In toto corde exquirunt eum, H id est non leviter vel segniter. C Sed qui totum cor suum ad Scripturas sanctas ponunt non ad falsitatis ambitum (ut hæretici) nec mundana gaudia concupiscunt : ideo præmisit, qui ambulant in lege Domini ; deinde, qui scrutantur, quia non est dignus scrutari testimonia Dei, nisi qui se probabili cognoscitur actione tractare.

3 *Non enim qui operantur iniquitatem :*
In viis ejus ambulaverunt.

C Merito enim dicuntur in viis Domini non ambulare, qui operantur iniquitatem. Operatio enim iniquitatis est consensus malorum : qui tamen a cordibus sanctorum, dono Dei probatur alienus.

4 *Tu mandasti :*
Mandata tua custodiri nimis.

C Ista enim est Dominicæ jussionis veneranda præceptio, ut mandata ejus non solum sedule, sed et nimie custodiantur. Istud autem nimis, significat multum atque infinitum, quapropter vires nostras excedere, divina *militia* est : quia totum ibi nimium decet, quoniam et illud infinitum est, quod nobis tribui postulamus.

5 *Utinam dirigantur viæ meæ :*
Ad custodiendas justificationes tuas.

C Utinam : verbum semper optantis est. Viæ autem actus significant, quos in hac vita peragimus. Sed dum dicit dirigantur : ostendit quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, nostras vias esse tortuosas. Verum etiam dum addit, ad custodiendas, etc., quod superius optavit, hic aperuit ; quia nemo poterat pervenire ad custodiendas justificationes Domini, nisi misericordia Domini probetur attribui.

6 *Tunc non confundar :*
Cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

C Tunc non confundar, scilicet si mandata Dei perspexero universa. Perspicere autem, est mandata

Dei semper ante oculos habere, ut si quid tortum committitur, protinus corrigatur. Cum dicit in omnibus: in nullo commonet esse peccandum, sicut scriptum est: Si quis de lege minimum non fecerit, reus est totius legis (*Jac.* II).

7 *Confitebor tibi in directione cordis:*
In eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

C Hæc confessio laudem significat. Directio cordis, est regula sancta fidei: cum qua eum confiteri non potest hæreticorum distorta versutia. Cum dicit didici: indicat a beatis Patribus sibi traditam disciplinam, non studio perversitatis inventam. Judicia justitiæ sunt, quia famulos suos liberavit diabolica persecutione laborantes.

8 *Justificationes tuas custodiam:*
Non me derelinquas usquequaque.

C Promittit se sancta Ecclesia justificationes Domini custodire: et quoniam noverat tentationes diabolicas undique circuire, petit se statim a Domino custodiri, ne possit locum nocendi hostilis atrocitas invenire.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Exponit fidelis populus in sermonibus Domini: quibus delectationibus perfruatur, ostendens se esse domum Domini et receptaculum mandatorum ejus, cujus mysterium secunda littera continet.

H Beth: domus.

9 *In quo corrigit adolescentior viam suam?*
In custodiendo sermones suos.

In quo corrigit. H Hic Propheta non solum longævam ætatem dicit corrigendam: verum etiam adolescentiam edocet erudiendam, et ita custodire divinos sermones: ut etiam si vetus culpa defleta sit, caveat nunc ne cogitatio ad peccandum ulla consentiat. C Custodit enim Dei sermones: non qui tantum eos memoria retinet, sed qui actione tenet.

10 *In toto corde meo exquisivi te:*
Ne repellas me a mandatis tuis.

C Hoc quoque *manus* est Domini: quod se eum asserit toto corde exquisisse. Non enim quæreret quis Deum, nisi inquisitus ab eo fuisset. Ne repellas me: rogat eum, ne ab intelligentia legis divinæ velut indignus repellatur. H Vide igitur, ut non ex parte, sed toto corde Deum requiras: ne a mandatis ejus repellaris.

11 *In corde meo abscondi eloquia tua:*
Ut non peccem tibi.

C In corde meo abscondi eloquia tua. H C Nam sicut decet fidelibus præcepta Dei prædicare: sic non credentibus oportet abscondi, sicut in Evangelio, Ne dederitis sanctum canibus (*Matth.* VII), nec margaritas porcis. C Est enim peccati genus, obstinatis eloquia Domini prædicare.

12 *Benedictus es, Domine:*
Doce me justificationes tuas.

A Benedictus es, Domine: hic benedictio laudem significat. Nam cum nos benedicimus Deum, ejus facta laudamus: cum ille benedicit nos, sanctificat. Doce me, hoc est præsta mihi facere, unde A electos tuos justificare consuevisti, id est da mihi ut non solum mente sciam et intelligam justificationes tuas, sed doce me facere quod intelligo.

13 *In labiis meis: pronuntiavi*
Omnia judicia oris tui.

C Chorus ille sanctorum pronuntiasse se dicit judicia omnia oris Domini, quæ locutus per prophetas et apostolos, et quæ ore Christus suo prædicavit. Omnia autem judicia significat, quæ scripta vel dicta didicit. Cæterum universaliter non potest pronuntiari, quod nulla notitia prævalet apprehendi: figuraliter ergo pro parte totum dixit.

14 *In via testimoniorum tuorum delectatus sum:*
Sicut in omnibus divitiis.

C Via testimoniorum: est Dominus Christus, in B quo se lætaturum chorus sanctorum narrat. Hic autem divitias spirituales debemus accipere, de quibus Apostolus: Quoniam in omnibus divites facti estis in ipso, in omni verbo, etc. (*I Cor.* I).

15 *In mandatis tuis exercebor*
Et considerabo vias tuas.

H Exercebor; exercitatio assiduitas operis est. C Exercetur enim in mandatis divinis, qui frequenti operatione ea implere studuerit, et sic ad intellectus ejus penetralia pervenire meretur. Nemo enim tantum secretum conspicere meretur, nisi cui datum fuerit, bona conversatione cœlestis se beneficiis proximare. H Vias vero dicit, propheticas apostolicasque doctrinas.

16 *In justificationibus tuis meditabor:* C
Non obliviscar sermones tuos.

C Meditari enim dicit justificationes Dei: ne possit, quod retineri expedit, ullo modo oblivisci.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C H Postulat populus sanctus (qui in terra incolæ sunt) retribui gratiam quam in primo parente amiserant; sed et persecutoribus eorum restituendum dicit esse quod agunt.

B Gimel: tributio vel plenitudo.

17 *Retribue servo tuo: vivifica me*
Et custodiam sermones tuos.

C Retribue siquidem dicit, non meritis redde, sed iterum da: ut qui præstitisti petitionis affectum, effectum et operationem quoque postulationis attribue. Servus enim Christi dici non potest, nisi qui non suis meritis, sed divinæ gratiæ reputat, quod boni aliquid facit. Divina autem mandata custodire, revera viventis est. Sicut econtra mortuus dicitur in Evangelio, qui mandata non servat: dicente Domino: Sine mortuos sepelire mortuos suos (*Matth.* VIII). D

18 *Revela oculos meos:*
Et considerabo mirabilia de lege tua.

C Revelare dictum est removere velum, quodam enim operimento ignorantiæ, interior aspectus obducitur: et nisi misericordia ipsius fuerit hoc velamen ablatum, Scripturas sanctas lumine cordis non possumus intueri. Mirabilia enim legis sunt spiritualia

sensu contenta mysteria. H Quæ, nisi litteræ velamen abducatur, intelligere non possumus.

19 *Incola ego sum in terra :*
Non abscondas a me mandata tua.

C In hac terra justi sunt incolæ, qui propriam in mundo non habent mansionem mentis, ut ait Apostolus : Nostra conversatio in cœlis est (*Phil.* III). Mandata enim diximus : Diliges Dominum Deum tuum ; et similia. Hæc rogat ut ei nullatenus celentur, quæ peccatoribus absconsa probantur.

20 *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas :*
In omni tempore.

C Potest enim et infidelis, ad aliquod tempus rem bonam concupiscere : sed hoc constat tantum perfectis convenire, quod addidit, omni tempore. Hoc B est autem concupiscere, quod desiderare (nemo enim desiderat, nisi qui concupiscit), quapropter plenissimam voluntatem indicat geminata professio, scilicet concupiscentiæ et desiderii

21 *Increpasti superbos :*
Maledicti qui declinant a mandatis tuis.

H Increpasti superbos : ut eos ad humilitatem sanctam, quam docuisti, reduceres. Vel per doctores tuos increpas malos homines. Maledicti sunt qui declinant a mandatis Dei : sed tunc pleniter maledicti erunt, quando dicturus erit : Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). C Increpare autem dicimus, quasi de taciturnitate crepare, et in mordacia dicta prosilire, quod Deus per Scripturas divinas frequenter facit.

22 *Aufer a me opprobrium et contemptum :*
Quia testimonia tua exquisivi.

C Intuendum est quare petunt martyres a se opprobria removeri, unde se noverant coronari. Sed hæc oratio pro persecutoribus funditur, ut convertantur. Quia, dum conversi fuerint, tollitur martyribus opprobrium : quando et persecutores ipsam religionem colunt, quam in sanctis persequendam esse putaverunt.

23 *Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur :*
Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

H Quod hic loquitur Propheta de se, futurum in apostolis reliquisque martyribus vidit : qui multa D coram regibus et præsidibus, Domino nuntiante, perpessi sunt : qui exercebantur in justis operibus et Dei justificationibus, etiam usque ad sectionem cervicum. C Exercebantur etiam in tormentis ad provectum suum, non cruciabantur ad pœnam : dum sensum doloris sui, æterni præmii cogitationibus molliebant, et eis tormenta ad gaudia æterna proficerent.

24 *Nam et testimonia tua meditatio mea est :*
Et consilium meum justificationes tuæ.

H Erant sanctis testimonia Christi meditatio, utique in his pressuris. Et justificationes ejus fuerunt consilium eorum, quia eis vitam pollicentur æternam. C Consilium itaque inventum est contra A malignantium consilium, et contra improbos furores et dolores, scilicet testimonia Domini meditata. Eorum quippe cogitatio quodammodo mitigat dolores.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

B Plebs fidelis, paupertate mundana constricta, januam se veris divitiis aperit : et frequenti meditatione, quasi tabulas, sua præcordia Dei manda is exhibet.

H B Daleth : pauper vel tabulæ vel janua.

25 *Adhæsit pavimento anima mea :*
Vivifica me secundum verbum tuum.

C Adhæsisse se dicit carni suæ : quod vitiosum esse non dubium est, anima enim si adhæreat corpori, delictis favet. H Ideo ne delictum invalescat in me, peto a te vivificari, sciens quoniam concupiscentia carnis mortem operatur. C Pavimentum igitur pro corpore ponitur. Est enim pavimentum soli alicujus in levitatem maximam constructa soliditas : et corpus nostrum simili nitore levigatur

26 *Vias meas enuntiavi et exaudisti me :*
Doce me justificationes tuas.

H Vias meas, id est opera peccati mei. Enuntiavi : per confessionem. Et exaudisti me : quia remisisti mihi peccata mea, nunc doctrinam indulge, quam in justificationibus tuis edocear. C Et doce me justificationes tuas : non ad audiendum sed ad faciendum, ille enim divinarum rerum doctus ostenditur, qui sibi credita fecisse monstratur.

27 *Viam justificationum tuarum instrue me :*
C *Et exercebor in mirabilibus tuis.*

H Viam justificationum, id est, justificationes quas legis littera protulit, spiritaliter capiam. Et exercebor in mirabilibus, id est in apostolicis, cæterisque doctrinis ecclesiasticis, quæ in ea lege sunt figuratæ. C Præbent enim intellecta miraculum : quando sic in præsenti sunt posita, ut longe futura significare videantur.

28 *Dormitavit anima mea præ tædio :*
Confirma me in verbis tuis.

H Dormitavit anima : in hujus habitaculi mortalis statione. Præ tædio : imbecillitatis corporeæ. Confirma me : ut, ablato somno peccati, instanter in his præceptis invigilem. C Dormire obliviosi atque socordis est, dormitare vero fessi et exspectantis. Hanc autem dormitationem Cassianus accediam vocat

29 *Viam iniquitatis amove a me :*
Et in lege tua miserere mei.

H Viam iniquitatis (id est, desiderium illud per quod ad peccandum venitur) amove a me. Et in lege tua : apud te enim hæc lex constituta est, ut semper miserearis.

30 *Viam veritatis elegi :*
Judicia tua non sum oblitus.

H Viam veritatis elegi, id est, Christum Dei Filium, quem audivi venturum in mundum. Illa judicia non sum oblitus : quæ in Evangelio proferens ait : Hoc est judicium, ut qui credit in Filium habeat

vitam æternam (*Joan.* vi). C Eligere autem est de multis *elegere unum.*

31 *Adhæsi testimoniis tuis, Domine :*
Noli me confundere.

H Quia adhæsi testimoniis tuis : quia his adhærens, anteriorum facinorum indulgentiam merui : ideo peto, adjuva me, ne iterum in priora peccata reincidam, et ita ne me patiaris de iteratione peccati confundi, et in judicio deinde tuo palam verecundiam pati.

32 *Viam mandatorum tuorum cucurri :*
Cum dilatasti cor meum.

H Cucurri viam : quando multa patiebar propter verbum tuum, ob spem futuræ beatitudinis. Dilatasti cor meum, scilicet in latitudine charitatis et spei et fidei. C Vel dicitur dilatatum, scientiæ latitudine. Cum enim anima lumen veritatis accipit, in multifarias agnitiones aperitur, et latior redditur virtutibus cognitis.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Beata plebs expetit : ut in lege Domini ejus debeat munere custodiri. B Et bene, suscipiens appellatur : quæ dicit Da mihi intellectum. Ipsa quoque jure vocatur, quæ in eadem semper intentione persistens, a vanitate sæculi oculos avertit.

B He H B Ipsa vel suscipiens.

33 *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum :*
Et exquiram eam semper.

H Propheta in persona Ecclesiæ dicit : Legem, id est, Christum pone mihi (lex enim Christus est), ac si dicat : Temetipsum pone mihi, hoc est venire digneris, et exquiram te semper : ut tua mandata custodiam. C Vel quia superius dixit, in lege tua miserere mei (quod dictum est de Veteri Testamento, quod nullum potuit salvare per se) nunc dicit de lege Novi Testamenti, quam cupit venire.

34 *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam :*
Et custodiam illam in toto corde meo.

C Omnis enim intellectus a Deo tribuitur, sed tamen nonnunquam ad studia prava deflectitur. H Sed hic rogat Ecclesia, ut intelligat discretionem inter bonum et malum, inter litteram et sensum : ut custodiat illam in toto corde, id est, ex tota dilectione. C Sed cum prius dixit, viam mandatorum cucurri, quid est quod iterum petit, quæ se prius accepisse memoravit, scilicet legem, mandatorumque viam? quia dona Domini continue sunt petenda, ut conserventur : semper enim dat qui donata conservat.

35 *Deduc me in semita mandatorum tuorum :*
Quia ipsam volui.

H Semita minor est quam via, hoc est arcta et angusta via, id sunt mandata arctiora, quæ ducunt ad vitam, quia lata et spatiosa via ducit ad mortem (*Matth.* vii). Quia ipsam volui : ac si dicat : Non concupivi aliud nisi tua mandata implere. C Semita, Novum Testamentum est : via, Vetus, spiritualem enim gratiam petit, quæ ad cœlum ducit.

36 *Inclina cor meum in testimonia tua :*
Et non in avaritiam.

C Inclinari cor suum petit in testimonia Domini, ubi non per rapacem avaritiam, sed per laudabilem humilitatem præstante Domino pervenitur, sciensque cohors illa sanctorum, avaritiam capacem esse vitiorum, ideo hanc postulat a se amoveri. Avaritia est enim flagrans omnino desiderium rerum temporalium.

37 *Averte oculos meos ne videant vanitatem :*
In via tua vivifica me.

C Deprecatur plebs beata, ut oculos cordis averta a mundanis delectationibus, quia nos per oculos peccare non dubium est, dum in ambitione diversarum rerum traducimur. Sed additur apta petitio, ut in via sua, id est in Christo vivificare dignetur. Hic notantur illi, qui diversis spectaculis occupantur, qui mulierum fœdo amore rapiuntur, a quibus oculos avertere nolunt.

38 *Statue servo tuo eloquium tuum :*
In timore tuo.

C Statue dicit, quasi stare fac, id est infige, consolida atque confirma, ne sanctum eloquium possimus fugaci oblivione amittere. Quia plurimi eloquia Domini suscipiunt negligenter, et tanquam fabulas inutiles audire declinant, ideo addidit, in timore tuo, ubi nunquam culpa acquiritur, nec ad desidiæ discrimina pervenitur.

39 *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum :*
Quia judicia tua jucunda.

A C Jure ergo postulat sibi amputari opprobrium, quod ex suspicione venit. Sæpe enim aliquem judicamus talem ex suspicione, qualis non est, et invenimur mendaces, et incurrimus ita opprobrium, tale opprobrium et confusionem petit amoveri, unde reus poterat inveniri. Suspicio enim sæpissime probatur incerta, quæ vero Christiano non convenit. Et sic exponendo oportet quod poni conjunctionaliter. Judicia tua jucunda, primo confessus est infirmitatem suam, nunc Domini laudat judicia, cujus verbum verum est veraque sententia. Ideo amator veritatis merito sibi jucundum dicit Domini eloquium, per quod requiem et coronam se novit acquisiturum.

40 *Ecce concupivi mandata tua :*
In æquitate tua vivifica me.

D C In hoc enim versu sancta cohors se dicit consecutam plenitudinem gratiarum, quia concupivit vera mandata Dei, quæ veram prudentiam conferunt et salutem. Æquitas autem est verbum Patris, in quo se vivificari postulat.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Postulat congregatio sancta salutarem sibi Dominum debere concedi, ut inimicos de tanta remuneratione confundat, et in lege Domini assidua meditatione proficiat. B Ipse ergo Dominus et Salvator, Vau litteræ vocabulo designatur, id est et ipse, videlicet cui dicitur, tu autem idem ipse es, id est æternus.

B Nota quam pulchre quinta littera, ipsa sexta

nuncupetur, et ipse videlicet cui dicitur : Tu autem idem ipse es (*Psal.* CI), id est æternus. In cujus fide etiam Ecclesia ipsa esse, id est una eademque devotione semper hic et in futuro cum eo regnare promeruit.

H B Vau : Et ipse.

41 *Et veniat super me misericordia tua, Domine :*
Salutare tuum secundum eloquium tuum.

C Precatur ergo sancta congregatio, ut supra eam Dominus Salvator adveniat, qui est misericordia peccatorum, et vita fidelium. Salutare ecce ut Christum esse misericordiam istam esse ostenderet, addidit salutare tuum. Qui bene salutare dicitur, per quem salus gentibus venit, qui mundo ægrotanti medicinam suæ pietatis attribuit. Secundum eloquium, id est secundum promissionem quam per prophetas pollicitus es.

42 *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum :*
Quia speravi in sermonibus tuis.

C Exprobrant enim verbo qui Filium dicunt esse minorem. Vel, qui cum carne passum minime crediderunt. Utique etiam ideo dicit respondendum. Quia speravit in sermonibus Dei quibus dixit : Cum veneritis ante reges et principes, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis quid loquamini (*Matth.* X). Exprobrant etiam infideles martyribus in passione et tormentis verbum fidei dicentes : Ubi est Deus vester?

43 *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque :*
Quia in judiciis tuis supersperavi.

C Et ne auferas hoc verbum fidei, de quo Apostolus ait : Hoc est verbum quod prædicamus (*I Cor.* I). Rogat ergo, ut confessionem veritatis de ejus ore nullæ pœnæ, nullus terror extorqueat, sed constanter in fide maneat. Iniqui enim cum molestantur, desperant; sancti autem viri si affligantur, spem magis suæ dilectionis accipiunt.

A C Sed cum dicit, usquequaque, significat verbum veritatis ad tempus aliquibus fuisse ablatum, ut Petro ter neganti, sed non usquequaque ablatum sibi fuit, quando culpam fletibus diluit et sanguinis effusione mundavit.

44 *Et custodiam legem tuam semper :*
In sæculum et in sæculum + sæculi .

C Custodire se legem dicit Domini semper, quia in ipsa variari nefandum est. Interdum semper ponitur usque ad finem hujus sæculi : sed hic cum dicit in sæculum sæculi, illam perennitatem significat, quæ non habet finem. Novit enim consuetudinem angelorum et potestatuum, Dominum sine fine laudare.

45 *Et ambulabam in latitudine :*
Quia mandata tua exquisivi.

C Latitudo autem ista est charitas, de qua scriptum est : Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris (*Rom.* V). Quam ideo meruit, quia mandatorum intelligentiam quæsivit. H Diligenter enim exquisivit, et scrutatus est ad hoc, ut crederet et intelligeret.

A 46 *Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum :*
Et non confundebar.

C Loquebar de testimoniis Dei, quoniam petierat et acceperat, ut responderet exprobrantibus sibi verbum. Qua firmitate roboratus, inter reges sæculi non se dicit esse confusum, sed veritatem quam mente conceperat, intrepidis sermonibus proferebat. Confunditur autem ille, cujus per ratiocinationem dicta vincuntur; ad verecundiam autem venire non potest, qui veritatis ipsius testimonio roboratur.

47 *Et meditabar in mandatis tuis :*
Quæ dilexi.

C Hic ostendit frequentatæ meditationis ardorem, B meditari enim mandata non potest, nisi qui ea assidua lectione cucurrit, et ut evidentius hanc frequentiam declararet, addidit, quæ dilexi : negligere enim nunquam potest homo ea quæ diligit.

48 *Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi :*
Et exercebar in justificationibus tuis.

C Levare autem manus, significat bonis operibus occupari. Ille levat manus ad mandata, qui facit eleemosynas, quas fieri jubent mandata. Exercetur in justificationibus, qui quærit boni operis frequentationem proficere. H Vel qui in his, quæ per litteram indicabantur, spiritualem intellectum conatur invenire.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Chorus sanctorum, spem promissionum Domini, sensibus nostris commendans, asserit fideles adversa mundi sustinere, quibus æterna vita promittitur. B Ista ergo vita quæ hic in spe, illic in re percipitur, olivæ nomine quam Zai littera designat exprimitur; quia et hic sanctorum facies exhilaratur in oleo, et illic perfectius Spiritus sancti æterna visione pinguescit. Nomen autem fornicationis congruit peccatoribus derelinquentibus legem Domini.

B Zai, oliva vel fornicatio.

B Et quia septiformis est Spiritus sancti gratia, recte septima littera vocitatur oliv

49 *Memor esto verbi tui servo tuo*
In quo mihi spem dedisti.

D C Ex humana consuetudine, memor esto, dicitur Deo, qui nihil potest ullatenus oblivisci. Non ergo hoc dicit, quia dignum erat in illa majestate ponere injuriam oblivionis, sed precatur, ut cito servo suo conferat promissionem, quam in Evangelio promisit. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). Servo tuo, subaudiendum implere promissum. In quo mihi (id est in illa, scilicet promissione verbi tui) spem dedisti.

50 *Hæc me consolata est in humilitate mea :*
Quia eloquium tuum vivificavit me.

C Cum dicit hæc me consolata est, ostendit inter ærumnas sæculi, hoc sibi fuisse solatii : ut in præsenti vita affligeretur, et de futura promissione gau-

deret. In humilitate: quia sancta probatur humilitas omnia pro Christo patienter sustinere. Quia eloquium tuum vivificavit. Causam consolationis suæ ponit: promissio quippe tanti judicis firmavit animam sustinentis, et spes consolationis vivificavit afflictum.

51 *Superbi inique agebant usquequaque.*
A lege autem: tua non declinavi.

C Superbos, id est malignos atque tyrannos crudeliter egisse commemorat: qui non vivificandi sed potius mortificandi sunt. A lege tua non declinavi, scilicet ut illi putabant, qui persequebantur innoxios: sed significat se in veritatis mansisse jugiter sententia.

52 *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine:*
Et consolatus sum.

C Memor est judiciorum: qui plectibilia non præsumit perpetrare peccata. Quia metu pœnarum revocatur, qui Domini judicii recordatur. A sæculo: significat cum administrari cœptus est mundus. Consolatus sum: quia nunquam deserit suos famulos divina virtus.

53 *Defectio tenuit me pro peccatoribus:*
Derelinquentibus legem tuam.

C Necesse est enim, ut sanctum virum alterius culpa contristet, et se dolore defecisse dicat, dum animus pius desiderat salvos fieri universos: et quem non optat excedere, affligitur, cum ei pœnas cognoverit imminere: unde sancta cohors martyrum, non tantum pœnis suis, quantum tyrannicis torquebatur excessibus. H Ideo non vult quemquam peccare, sed omnes cupit viam veritatis agnoscere.

54 *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ*
In loco peregrinationis meæ.

C Cum dicit cantabiles: significat psalmodiam cum magna delectatione peragendam. Cantus enim semper relevat labores, et non sinit subripere tædium animo. Locus peregrinationis, est mundus ubi peregrinantur omnes qui Domino Christo devoti sunt.

55 *Memor fui in nocte nominis tui, Domine:*
Et custodivi legem tuam.

A C Per noctem mundum istum significari posse non dubium est, in quo peccatorum regnat obscuritas. C Sed utinam oculos corporeos clauderet, et non cordis lumina periculosius excæcaret. In hac enim nocte memor est nominis Dei: qui beneficia ipsius non suis meritis, sed divinis muneribus applicat: et per hoc legem Dei custodit. A Vel in nocte adversitatis: ubi magis gratias agere oportet quam in die prosperitatis.

56 *Hæc facta est mihi:*
Quia justificationes tuas exquisivi.

C Hæc, scilicet nox facta est mihi, subaudi consolatio. Sequitur causa, quare illi nox facta sit consolatio: quia justificationes tuas exquisivi. Tuas dici non meas: et ideo mundi tenebris non potuit obcæcari, quia illi nox tribulationum facta est, id est ad utilitatem et profectum facta est. Hoc enim alicui fieri dicimus quod frugi illi est.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

H B Agmen beatum desiderat videre faciem Domini: quia ejus mandatis noscitur obsecutum. B Et quia hoc desiderium in resurrectionis gloria perficietur, octava littera, vitæ vocabulo gaudet.

H B Heth: vita.

Heth vita: quæ in divinis Scripturis reperitur: qui est Christus.

57 *Portio mea, Domine:*
Dixi custodire legem tuam.

C Portio a parte dicta est: illius enim partis sumus, cujus voluntatibus obedimus: unde merito portio piorum Deus dicitur. Dixi, id est, statui, decrevi atque promisi, præcepta Dei servare: unde et factus est in Domini portione.

B 58 *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo:*
Miserere mei secundum eloquium tuum.

C Postulat enim plebs fidelis debere compleri misericordiam adventus Christi, quo mundo poterat salutaris apparere. Secundum eloquium, illud scilicet quo promittit sanctis suam beatam nimis et incomparabilem per omnia visionem.

59 *Cogitavi vias meas:*
Et converti pedes meos in testimonia tua.

C Ordinem humanæ conversationis exponit. Prius enim est vias suas cogitare, id est actus humanos districtius pensare, et sic ad Domini mandata pedes suos convertere: in quibus si aliquis ambulat, potest firma habere vestigia. Dicendo pedes meos converti: ostendit primitus fuisse perversos.

C 60 *Paratus sum et non sum turbatus:*
Ut custodiam mandata tua.

C Paratum se ad præcepta Dei custodienda ille testatur, qui nec persecutores metuit, et illecebras hujus sæculi a suis sensibus effugavit. Non sum turbatus, ad tribulationem sustinendam propter Christum (improvisa enim conturbant: sed deliberata sententia animum perturbari non sinit). Infert etiam ad quod paratum se esse dicebat, scilicet ut mandata Dei custodiret: quia sic integre servantur, cum adversitas nulla metuitur.

61 *Funes peccatorum circumplexi sunt me.*
Et legem tuam non sum oblitus.

C Cum dicit funes peccatorum: ostendit tot laqueos esse, quot peccata committimus: et hoc referendum est ad corporis pravitatem, fieri enim potuit ut caro delictorum funibus ligaretur, animus autem incentivis vitiis reluctans, legis Dei non fuisset oblitus. Funes autem, sunt implicita et tortuosa ligamina: talia etiam sunt peccata quibus se delinquentes semper astringunt.

D

62 *Media nocte surgebam ad confitendum tibi:*
Super judicia justificationis tuæ.

C Media nocte: scit enim hoc tempore primogenita Ægyptiorum percussa (*Exod.* XII); scit Petri et Pauli vincula resoluta; scit quoque sponsum media nocte esse venturum (*Act.* XII): ideo eodem tempore surgit ad laudes, ne inter fatuas virgines ei janua clausa remaneat (*Matth.* XXV). Nec vacat quod

dicit surgebam; quia surgit qui semper ad Dei præconia festinat. Ad confitendum, id est, ad laudandum judicia justitiæ Christi.

63 *Particeps ego sum omnium timentium te :*
Et custodientium mandata tua.

C Quisquis enim in novitate vitæ ambulaverit erit particeps Christi. Et quia *dixit* omnium timentium, ne illos tantum advertisses, qui Dei judicia servili timore formidant, addit et custodientium mandata tua : qui devotissimi comprobantur, timore castissimo et amore reverendo.

64 *Misericordia Domini plena est terra :*
Justificationes tuas doce me.

C Misericordia Domini cum dicit plenam esse terram : ostendit utique dilatatione Christianæ fidei : quam sic misericorditer implevit, ut undique vanissimæ superstitionis nomen evacuasse doceatur. Justificationes tuas doce me, H hoc est tua mandata, ut illa intelligam et prædicem et opere impleam.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Populus beatus gratias agit, humiliatum se fuisse, ut ad justificationes Domini perveniret, B nomenque litteræ præsentis exponens : bonum suum dicit, verbum Dei humiliter meditari.

H B, Theth, bonum.

65 *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine :*
Secundum verbum tuum.

A C Nunc collata sibi a Domino munera profitetur. Bonus quippe Dominus servis suis tribuit bonitatem. Et quæ sit illa bonitas subter exponit, dum dicit : Bonum mihi quod humiliasti me : de afflictione enim salutari gratias agit, non de felicitate mundana. Intellexit enim bonitatem illam debere dici unde proficitur, non unde inani exsultatione gaudetur. Sic bonitatem facit medicus cum secat vulnera, sic pater cum cædit filium. Secundum verbum tuum : illud, scilicet quo dicitur, Qui se humiliat exaltabitur (*Matth.* XXIII). H Vel bonitatem fecisti : quando in carne nos redemisti. Secundum verbum tuum : quod promisisti Abrahæ aliisque patriarchis.

66 *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me :*
Quia mandatis tuis credidi.

C Docet autem Deus bonitatem inspirando desiderium charitatis, docet disciplinam, cum patientiam in tribulatione donat, docet scientiam, ut sciat homo discernere inter bonum et malum, inter vitam et mortem. Credidi, C id est præceptis tuis obedivi, H vel opere implevi. Præmittit autem scientiæ disciplinam, ut quis primitus in se facere debeat disciplinam, et postea docendo in aliis.

67 *Priusque humiliarer ego deliqui :*
Propterea eloquium tuum custodivi.

C Vide quomodo in hoc versu humana vita describatur. Prius enim peccasse se dicit, cum teneretur originali vitio obnoxius, post humiliatum se esse professus est, ut culpa careret quam contraxerat in radice peccati; ad postremum custodivit Dei elo- A quium, quia meruit humiliari, sicut ait Apostolus : Humilibus autem dat gratiam (*1 Petr.* v). Et, ut excedentium licentiam cohiberet, post humiliationem suam, eloquium Domini, id est sanctas Scripturas se dicit ejus dono custodisse.

68 *Bonus es tu :*
Et in bonitate tua doce me justificationes tuas.

C Petit bonum magistrum, ut in sua bonitate dignetur docere discipulum, ut justificationes, quas lectione didicerat, opere sciret. Tunc enim perfecte discuntur mandata cum fiunt.

69 *Multiplicata est super me iniquitas superborum :*
Ego autem in toto corde scrutabor mandata tua.

C Dicit enim multiplicatam super se persequentium iniquitatem, et ideo petit ne pœnis gravibus superbo- B rum ejus devota humilitas macularetur, sed potius quantum illi contenderent sanctos seducere, tantum isti viderentur mandatis Dominicis adhærere, et mandatorum scrutatores amplius effici. Et ita factum est ut qui pœnis temporalibus sanctos vincere tentaverunt, et a lege Dei dividere nisi sunt, tanto illos mandatorum scrutatores amplius effecerunt.

70 *Coagulatum est sicut lac cor eorum :*
Ego vero legem tuam meditatus sum.

C Per lac coagulatum, vult intelligi conduratam superborum iniquitatem, quæ more lactis in crassiorem substantiam fuerat contracta. Lac autem dictum a liquore, quia de interna substantia naturali liquore decurrat, *a* enim in *i* convertitur ut amicus inimicus, et his similia. Ego vero legem tuam, C id est quantum illi in malo durescebant, tantum iste a lege Dei segregari non poterat.

71 *Bonum mihi quia humiliasti me*
Ut discam justificationes tuas.

C Bonum sibi dicit quod pœnis sævientium subdebatur, non præsentia cogitans, sed futura desiderans. Cœperat enim de illa dulcedine gustare cœlesti, quæ omnes suavitates excedit. Talis siquidem humilitas cœlestis Hierusalem tangit gloriosa fastigia. Nam sicut superbia mergit ad tartarum, ita ista humilitas tollit ad cœlum. Ut discam justificationes tuas, id est ut facerem quod docuisti. Tunc enim perfecte discitur, quando præcepta Dei fideli actione monstrantur.

72 *Bonum mihi lex oris tui :* D
Super millia auri et argenti.

C Cum dicit lex oris tui, non jam prophetarum nec apostolorum, sed præcepta evangelica, sibi testatur pretiosissima, quæ sunt ore Christi prolata. Super millia, quasi diceret super omnia millia auri et argenti, quod infinitum atque incomprehensibile est, sic enim dilectio ista tanta meruit judicari, ut nulla res potuisset ei æquari, ut auri argentique omnis copia posset vilescere, millia auri et argenti dixit, quidquid enim dixeris, semper excedit. Ideo facta est comparatio absque similitudine, pretium sine modo, amor sine fine.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Cohors gloriosa petit intellectum mandato-

sibimet debere concedi, ut veræ vitæ munere perfruatur, expetensque ut Domini misericordia fiat immaculata, ne possit in illa judicatione confundi. B Et recte scientia vel principium nuncupatur littera, in qua fideles ab illo capiendi quærunt intellectum a quo vivendi sumpserunt exordium.

H B Ioth, scientia vel principium.

73 *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me*
Da mihi intellectum ut discam mandata tua.

C Manus tuæ operationis Dei virtutem ostendunt. Et quod additur, fecerunt me, ut quidam volunt, fecerunt ad animam pertinere; plasmaverunt, ad corpus quod de limo terræ cognoscitur esse formatum. Justa voce clamat factura auctori : Da mihi intellectum, a quo cognoscor esse plasmata. Sed qualem? non istum de quo sibi homines esse videntur sapientes, sed quo Domini mandata cognoscat, ut quem Adam per inobedientiam perdiderat, cohors sancta per obedientiam adipiscatur. Istum ergo purum contemplabilem et devotum, quem ante peccatum Adam possidebat, petit intellectum, H quo mandata Dei intelliguntur et custodiuntur

74 *Qui timent te videbunt me et lætabuntur :*
Quia in verba tua supersperavi.

H Qui timent te, vox Ecclesiæ, id est illi qui timent Deum, et alios vident Dei mandata observare, magna lætitia lætabuntur, quia in verbo tuo spero, H C, id est in Christo, C ubi nunquam decipit spes. Petit ergo Ecclesia talia in se fieri, unde omnium devotio possit augeri, ad imitationem enim rerum laudabilium, proposita semper exempla proficiunt, quasi diceret : Si illam gratiam mihi contuleris, ut diligenter faciam et perficiam præcepta tua, videbunt hoc qui timent te, etc.

75 *Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua :*
Et in veritate tua humiliasti me.

H Æquitas, Christi est, ut peccatores arguat pro delictis; veritas, ut superbos humiliet a prosperitatibus suis. Ergo quia me humiliasti ut corrigeres, fiat nunc misericordia tua ut consoletur me. C Cognovi ergo dicit, id est, expertus sum, scilicet in meis passionibus et beneficiis, quod omnia æqua sunt judicia tua in puniendo et parcendo.

76 *Fiat misericordia tua ut consoletur me .*
Secundum eloquium tuum servo tuo.

C Consolatio est enim, quando miseriarum patientiam donat, tormenta sua retemperat, et afflicti animi mœrores promissione beatitudinis confortat. Secundum eloquium, subjunge : fiat, id est secundum promissionem, qua spopondit in Evangelio se passuros tormenta minime relicturum.

77 *Veniant mihi miserationes tuæ et vivam .*
Quia lex tua meditatio mea est .

C Per miserationes Christi, vitam se vult consequi æternam, quia sola illa bene dicitur vita, quam nulla molestia sollicitat, nec mors suspecta contristat. Quia lex tua, illa enim meditatio beatos facit, quæ operibus bonis cœlorum regna conquirit. Non ergo per istam solam meditationem beati efficimur, A quæ lectionis repetitione tractatur, sed quæ operibus impletur

78 *Confundantur superbi quia injuste iniquitatem fecerunt in me :*
Ego autem exercebor in mandatis tuis.

C Confundantur, ad emendationem pertinet, non ad supplicium, tunc enim bene confunditur conscientia peccantis, quando mala pristina propria voluntate damnantur, et incipit odisse quod antea videbatur diligere. Quia iniquitatem fecerunt in me, quid enim injustius quam eos velle persequi, qui mandatis Dei videbantur occupari? Ego autem exercebor, ponit salutare remedium, scilicet exercitium mandatorum contra persecutores crudeles, sola enim patientia in tormentis vincit illos.

B 79 *Convertantur mihi timentes te :*
Et qui noverunt testimonia tua.

C Convertantur mihi, id est ad te; ad Dominum enim bene intelligitur converti, qui in ecclesiastica congregatione cœperit versari. Et qui noverunt, id est quos lectio divina jam imbuit, sed necdum opera salutaris instruxit. Tales sunt incipientes bene vivere quos petit sic converti

80 *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis :*
Ut non confundar.

H Hic cor pro anima ponitur, ac si dicat : Fiat anima mea sine peccato mortali, et hoc in justificationibus, id est ut non sim reus in justificationibus, sed mundus a transgressione earum. Vel, ut sim C immaculatus, et hoc non ex me, sed justificationibus tuis. Ut non confundar, hoc est, ut non habeam confusionem æternam. Confundantur quidem superbi ad correctionem, et non confundar ego ad pœnam æternam.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Peregrinus in hac terra populus nimium desiderium suum in adventu Domini confitetur, enumerans quantam superborum insecutionem pertulerit. B Cujus mentis devotio per Caph litteram designatur, quæ *manus* interpretatur, per quam opera vel cordis vel corporis exprimuntur.

H B Caph, manus.

B Caph autem, ita *manus* interpretatur ut ejusdem manus palmam sive volam significet, id est non D contractam eam, sed apertam expansisque digitis insinuet. Ideo manus opera, vel corporis, vel cordis, vel ipsius amoris interni, significat. Apertio vero ejus significat id quod Propheta commendat, dicens : Revela Domino viam tuam et spera in eum, etc. (*Psal.* xxxvi).

81 *Defecit in salutare tuum anima mea :*
Et in verbum tuum supersperavi.

C Defecit anima mea, significat lassata est atque fatigata, quod per nimia solet evenire desideria. Mos enim iste humanitatis est, ut, quod omnino concupiscimus, in eo lassari atque deficere videamur. Sed, ut intelligatur quo defectus iste pergat, addit : In salutare, quod Hebræa lingua dicitur Jesus,

et ne aliquis ita exponendum et sentiendum dubitaret, adjunxit : Et in verbum tuum, id est unigenitum Filium, qui est Dei virtus

82 *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum :*
Dicentes. Quando consolaberis me ?

Defecerunt oculi cordis ; et vide, in eloquium, non ab eloquio, defecisse. Deficere enim ab eloquio Dei est totius boni privatio ; in eloquium vero ejus deficere, semper augeri est. Dicentes, cum lingua loqui soleat, dicit oculos locutos, ut ostendat luminosa cordis desideria, silentioso quodam sermone proclamare, et præ clamore ardentissimo deficere, et tam diu se dicit defectum istum pertulisse, donec exspectata incarnatio Dei cordis appareret aspectibus

83 *Quia factus sum sicut uter in pruina :*
Justificationes tuas non sum oblitus.

C Causam cur adjuvandum se et consolandum petat hic ponit. Uter enim, corpus mortale significat ; pruina, cœleste beneficium conversionis ostendit, per quam evenit ut caro nostra lasciviens afflictione pœnitentiæ contrahatur. Uter igitur in pruina, nativo colore desertus, glaciali rigore contrahitur ; sic corpus sanctorum, incentivo vitiorum calore vacuatum, beneficio conversionis attrahitur ; et cum sic fuerit feliciter maceratum, provenit quod sequitur, ut justificationes Dei nullatenus valeant oblivisci.

84 *Quot sunt dies servi tui :*
Quando facies de persequentibus me judicium.

C Sciens cœtus sanctorum usque ad finem mundi se tentationibus diaboli subjacere, interrogat quando mundus iste finiatur, ut de persecutoribus, id est diabolo cum ministris præparata ultio compleatur, non quia vitæ suæ tempus volebat agnoscere, sed celeritatem futuri postulabat judicii, in quo jam beatis erit requies et gaudium sine fine mansurum.

85 *Narraverunt mihi iniqui fabulationes :*
Sed ut non lex tua.

H A C Iniqui, sunt hæretici vel Judæi vel gentiles philosophi. C Quorum doctrina inanibus fabulis est comparata, quia a lege Dei omnino discrepat, et a catholica veritate discedit.

86 *Omnia mandata tua veritas :*
Iniqui persecuti sunt me, adjuva me.

C Veritas enim semper verum loquitur, sed perfidi eam quibusdam nebulis obcæcare contenduni. Et persecuti sunt, jubendo perversa, falsa suadendo. Adjecit, adjuva me, quasi contra immanem belluam et hostem crudelissimum se adjuvari postulat contra sic fabulantes.

87 *Paulominus consummaverunt me in terra :*
Ego autem non dereliqui mandata tua.

C Dum dicit paulominus, et nimietatem persecutionis ostendit, et se tamen non defecisse Dei munere declaravit. In terra, in hoc sæculo. Ego autem non dereliqui mandata tua, scilicet quia suam constantiam in martyrio usque in finem vitæ ostendit et tenuit.

A 88 *Secundum misericordiam tuam vivifica me :*
Et custodiam testimonia oris tui.

C Vivifica me, dixit secundum misericordiam, id est, in illa vita æterna constitue, ubi sanctorum vita est. Ut custodiam, H vel ea quæ in lege mandasti, vel illa quæ in evangeliis protulisti. A Nullo modo martyres testimonia Dei, id est martyria, martyr enim *testis* dicitur, custodirent, nisi Domini misericordia Dei vivificarentur ; vivificati sunt enim, ne amando vitam negarent vitam, et negando vitam amitterent vitam ; ac sic qui pro vita veritatem deserere noluerunt moriendo pro veritate vixerunt.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Plebs fidelis, virtutem Domini factaque de-
B scribens, dicit omnia temporalia posse finiri, mandata vero ejus nequaquam terminum reperire, B quorum disciplinæ subdita proclamat : In æternum non oblivisear justificationes tuas

A B Lamech, disciplina.

B Et ideo Lamech *disciplinam* sonat, quia Dei disciplinæ plebs fidelis libentissime subdita est.

89 *In æternum, Domine :*
Verbum tuum permanet in cœlo.

C Permanet igitur verbum Dei in æternum in cœlo, id est, in unoquoque sancto, quos de morte facit vivere, id est, per mortem temporalem vivere æternaliter ; est enim in illis cœlum, vel illi sunt cœlum, qui se cœlesti conversatione tractare noscuntur. Vel, in cœlo, id est, in angelis, in quibus
C Deus habitat. Manet igitur in illis semper verbum Dei, quia illi jugiter in Dei ministerio et laude firmissima deliberatione consistunt.

90 *In generatione et generatione veritas tua :*
Fundasti terram et permanet.

H C In generatione et generatione, tempora significat quibus duo populi Domino crediderunt, unus legis et prophetarum, alius Evangelii et apostolorum, C in quibus est veritas, id est, ipse Dominus Christus. Fundasti terram, hoc est constituisti sanctos, qui sic fundati sunt, ut in Christi credulitate permaneant. Et hæc est causa cur in generatione veritas est, quia fundata est terra, id est, credentes. Si enim ipse non fundasset sic terram, id est confir-
D masset, nec prior generatio nec sequens vel credere in Christum, vel permanere in fide potuisset.

91 *Ordinatione tua perseverat dies*
Quoniam omnia serviunt tibi.

C Quoties singulari numero dies ponitur, venturus ille significatur, qui unus atque æternus est, et non habet noctem ; de quo scriptum est : Et erit illis Dominus lumen æternum (*Apoc.* XXI). Et ne quis, quomodo hoc fieri posset, interrogaret dubitando, adjecit omnia servire Creatori, qui pro sua voluntate et temporalia et æterna disponit.

92 *Nisi quod lex tua meditatio mea est :*
Tunc forte periissem in humilitate mea.

C Meditatio quippe legis est illa quæ præcepit vel cogitare vel facere, ut interiore quasi consiliario

firmatus tormenta possit sævientia intrepidus superare. In humilitate, in afflictionibus dicit, quas pia voluntate toleravit, a quibus se gaudet ereptum, quando meruit ad sanctum pervenire martyrium. Humilitas ista a quibusdam necessitate subitur, ab aliis, ut a sanctis, voluntate suscipitur.

93 *In æternum non obliviscar justificationes tuas.*
Quia in ipsis vivificasti me.

C Nullus enim fidelium debet oblivisci illorum beneficiorum Domini, a quibus vitale munus noscitur accepisse, hæc autem beneficia sunt justificationes, quæ nobis vitam animæ præstiterunt in fide. Possunt enim fortasse alia memoriæ decidere, beneficium autem nullus fidelium obliviscitur, in quo vita præstatur.

94 *Tuus sum ego salvum me fac.*
Quoniam justificationes tuas exquisivi.

C Tuus sum ego, non potest dicere vere qui se novit peccato servire. Servus enim vitiorum non meretur Dominum habere sanctorum. Illud autem considera, quod dum professa fuerit cohors sancta se esse Domini, adhuc petit ut salva fiat, utique in illa judicatione futura, cum beati intrant in requiem sempiternam. Sed quare salus ista petatur assidue, subter adjunxit dicens : Quoniam justificationes tuas exquisivi. Alii honores, alii mundi gaudia, alii connubia quærunt, ego justificationes tuas.

95 *Me exspectaverunt peccatores ut perderent me :*
Testimonia tua intellexi.

C Me exspectaverunt, scilicet mali suasores blandiendo. Quod agebant, ut meam animam vulnere pravitatis sauciarent. Ostendit vero per hoc quod ait, exspectaverunt, pœnam martyrii non fuisse acceleratam et præcipitatam, ut gravior fieret pœna protracta quam subitanea ; gravior est enim ista persecutio, quæ et coronam martyrii suspendit, et mortem animæ suadere non desinit. Sed intelligens iste testimonium Dei non poterat ad vitia nefanda perduci, unde illi soli a tali periculo liberantur qui Domini illuminatione firmantur. Intellexi autem exponatur, id est, operatus sum, sicut in alio psalmo dicitur : Beatus qui intelligit super egenum (*Psal.* XL), id est, subvenit egeno. Ille enim qui operatur secundum testimonia, non potest ad vitia, ut diximus, nefanda perduci.

96 *Omni consummationi vidi finem :*
Latum mandatum tuum nimis.

C Consummatio est enim omnium virtutum perfectio, cui consummationi Christus est finis, quem se vidisse dicit, cum eum illuminata mente credidit esse venturum. Latum mandatum significat charitatem, quam circa Deum habere jubemur et proximum. Nam quid latius esse dici potest, quam quod universam legem et prophetarum dicta concludit ? Nam, ut Salvator docuit, in his duobus mandatis charitatis lex omnis et prophetæ pendent (*Matth.* XXII). Il Prævidit ergo Propheta in spiritu Christum omnia consummasse, quæ scripta sunt de eo in lege, pro- A phetis et psalmis. Propter quod in cruce dixit : Consummatum est (*Joan.* XIX).

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Populus beatus prophetarum atque Evangelii meditatione proficiens super docentes se ac seniores, asserit se divina intellexisse mandata, B quod ergo mem interpretatur *ex quo :* significat ex quo, hoc est quod dicitur Il B : Quomodo dilexi legem tuam, Domine ? id est, ex quo affectu dulcedinis et amoris, ut significet ex intimo. Quod vero dicitur ex ipsis : significat ex ipsis Domini mandatis eorumdem concipiendum amorem, unde dicit, a mandatis tuis intellexi.

Il B Mem, ex quo vel ex ipsis.

97 *Quomodo dilexi legem tuam, Domine :*
B *Tota die meditatio mea est.*

C Dicendo, quomodo, promittit se dicturum quemadmodum legem Dei præcipua intentione et voluntate dilexerit. Tota die, continuum tempus significat, meditatur enim toto vitæ tempore legem Dei, qui omnia quæ facit, in laudem Dei agit. Si quis enim cum timore Dei cibos temperanter accipit, si somnos convenienter carpit, legem Dei meditatur in omnibus, quoniam se honesta et probabili actione commendat.

98 *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo :*
Quia in æternum mihi est.

C Inimici intelligendi sunt obstinati Judæi, hæretici et pagani, qui præcepta Dei non operantur. C Supra istos prudentem se dicit effectum, quoniam jussa Dei devotus implevit. Sed unde factus prudens fuerit, addidit : tuo mandato. Quoniam dum illi obedivit fideliter, cunctos errantes transcendit. Adjecit : quia in æternum mihi est, scilicet mandatum tuum, scilicet dilectio Dei et proximi.

99 *Super omnes docentes me intellexi :*
Quia testimonia tua meditatio mea est.

C Intendamus hic superiorem versum, ubi non dixit, supra patres, sed super inimicos ; hic autem arguit magistros, scilicet Pharisæos, quia ad litteram se tenentes, spiritalem intelligentiam negligebant. Supra tales igitur omnes doctores, merito cohors sancta se melius intellexisse dicit, quia sinceram Dei doctrinam accepit, sed et cur melius D intellexerit, causam dicit, quia testimonia tua meditatio mea est.

100 *Super senes intellexi :*
Quia mandata tua quæsivi.

Super senes intellexi. Senes dicit hic, non canos mente, sed corpore. Vult igitur dicere, melius intellexit populus novus (qui feliciter Christum suscepit) quam senior ille Judaicus, qui eum contemnendum judicavit. Quare intellexit super seniores addidit, videlicet : Quia mandata tua exquisivi : non hominum perversorum mandata servavi.

101 *Ab omni via mala prohibui pedes meos :*
Ut custodiam verba tua.

C Ab omni via mala : significat hæreticorum [ra

vas suasiones, quibus illi blandiuntur : vel omnium malorum prava opera. Pedes autem meos : significat assensum mentis, qui nos quodam vestigio ducit ad culpam : nisi pietas Dei nos abstraxerit. Ut verba tua custodiam : aliter enim verba Dei custodire non poterat, nisi cum illa pestifera suasio probatur expulsa.

102 *A judiciis tuis non declinavi :*
Quia tu legem posuisti mihi.

C A judiciis tuis dicit, id est ab illo quod tua voluntas constituit et vivendi regulam dedit, ab eo utique non declinavi. Quia tu legem posuisti mihi : hoc est Evangelium, quod totius plenitudinis donavit effectum : non ergo lex vetus (quæ officium pædagogi habet) hic accipitur.

103 *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua :*
Super mel ori meo.

C Quam dulcia, id est plus omnibus dulcia et maxime dulcia. Quia H transito melle (vel alio cibo) per palatum, nullum habet ultra saporem : eloquia vero Dei (sive in ore, sive in faucibus, vel in arcano abditi pectoris) semper dulcia sunt meditantibus ea. C Cum enim omnis gustus corporalis sit in palato et faucibus tantum, eloquia tamen Domini deglutita in cordis dulcescunt faucibus.

104 *A mandatis tuis intellexi :*
Propterea odivi omnem viam iniquitatis.

C Legem enim Dei edoctus, intellexit scriptum illud : Fili, noli ambulare cum impiis (*Prov.* 1). Item audierat : Perdidisti omnes qui fornicantur abs te (*Psal.* LXXII), talia quippe in mandatis Dei dum audisset, viam iniquitatis intellexit omnimodis exsecrandum, quæ justo Domino placere non poterat.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Cohors beata, pedibus suis Dominici verbi lumen radiare congaudens. B Expetit *retributiones* Domini perpetuas : ob quas hæc littera sempiterni nomen accepit. Porro quod piscis interpretatur : ostendit eum qui in fluctibus sæculi lumen verbi requirit.

H B Nun, sempiternum vel piscis.

105 *Lucerna pedibus meis verbum tuum :*
Et lumen semitis meis.

C Testatur beata cohors, pedibus suis verbum Dei (id est Scripturas sanctas) lucere, ne absentia veri luminis incidat in ruinam : quam per suam providentiam vitare non poterat. Et lumen semitis meis : H Ut hoc lumine præeunte, dum semitas vitæ istius gradimur, ad illam quæ vera via est perducamur. Lucerna ergo Scriptura sancta dicitur prophetarum : et Evangeliorum lumen, vel utrumque lumen et lucerna.

106 *Juravi et statui :*
Custodire judicia justitiæ tuæ.

C Jurare est enim jure orare, id est æquitatem dicere : ne velit quispiam quod promisit, in partem alteram declinare. Jurare igitur hic non significat sacramentum præstare (in quo invocando divinitatem veritatis testem adducimus), sed jurare est firmiter in animo constituere bonum propositum implere. Judicia vero justitiæ sunt : cum exaltat humiles, dejicit superbos.

107 *Humiliatus sum usquequaque :*
Domine, vivifica me secundum verbum tuum.

C Deum se dicunt membra Christi usquequaque humiliata : ostendunt multarum persecutionum se sustinuisse pericula, et ex humilitate sua secundum promissiones Dei vivificari se petunt. Verbum enim illud dici potest : Venite ad me, omnes qui laboratis, etc. (*Matth.* XI).

108 *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine :*
Et judicia tua doce me.

C Oris autem voluntaria sacrificia seu beneplacita sunt : devotionem laudis offerre, non alicujus mundanæ utilitatis, sed propriæ voluntatis intuitu. Illa ergo petit ut reddantur accepta Deo : quatenus hac oblatione placatus, judicia sua eum doceat, quæ fidelibus mentibus dignatur aperire.

109 *Anima mea in manibus meis semper :*
Et legem tuam non sum oblitus.

H Anima mea in manibus meis : hoc est, quia animam meam in bonis operibus (secundum quod lex tua jubet) paratam semper habeo : vel quia paratus sum martyrium propter te sustinere. C Hoc ubique semper præcipitur, hoc specialiter commonemur, ut sic redeamus ad legem : ne discedamus a lege. Per manus itaque, vel operationes, vel potestas intelligitur, vel promptitudo ad martyrium et passionem.

110 *Posuerunt peccatores laqueum mihi :*
Et de mandatis tuis non erravi.

H Quid sunt isti laquei : nisi tendiculæ diaboli vel suggestiones ejus? C In hac enim silva mundi, tot laqueos invenis, quot vitia contueris. Sequitur remedium, quod cognoscitur *contra ista venena pugnare*, scilicet quia a mandatis Dei minime declinavi. Ab illis enim qui non declinat, ulla deceptione non capitur : quia juxta ipsa mandata, non in ipsis insidiæ sunt. H Laqueus enim juxta viam, non in via ponitur : et si egressus de via fueris mandatorum, cades in laqueum.

111 *Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum :*
Quia exsultatio cordis mei sunt.

C Ista hæreditas lucrativa æterna possessio est. Testimonia, sanctissima præcepta sunt. Merito exsultationem sui cordis esse dicebat hæreditatem regni cœlestis : ipse enim meretur ad eam pervenire, quod probatur de tali acquisitione gaudere. H Testimonia enim et præcepta tua, hæc sunt hæreditas justi, hic et in futurum in æternum.

112 *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum :*
Propter retributionem.

H Inclinavi cor meum, scilicet ad humilitatem. Inclinavi enim, id est humiliavi cor meum, ut te intelligere meruissem : quia superbi non inclinant cor suum in humilitatem. Et addit ad quid inclinaverit, scilicet ad faciendas justificationes : hoc est tua

mandata, quæ ego propter retributionem vitæ æternæ facere propria voluntate decrevi.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Catholicum examen iniquos odio sibi fuisse dicit, legem vero Domini se dilexisse : petitque ille sanctus populus, ut ab eo susceptus, mala sæculi evadat. B Nomenque litteræ exponit, cum dicit, Adjuva me et salvus ero.

H B Samech adjutorium.

113 *Iniquos odio habui :*
Et legem tuam dilexi.

H Iniquos odio habui : non naturam (qua homines erant) sed vitia et peccata, quibus legi Dei contrarii fuerant : quam ego diligo sicut tu præcepisti, ut opere impleam.

114 *Adjutor et susceptor meus es tu :*
Et in verbum tuum supersperavi.

H Adjutor in præsenti : susceptor, in sæculo futuro. C Adjutor : pertinet ad implenda mandata, quoniam sine ejus adjutorio, nec inchoare quidquam boni possumus, nec implere valemus. Vel susceptor : quando nostram naturam assumpsit. Et in verbum tuum speravi. H Hoc est in Christum. C Qui est præsidium summum.

115 *Declinate a me, maligni :*
Et scrutabor mandata Dei mei.

H Declinate a me, maligni : hoc sunt dæmones vitiaque et peccata, quandiu enim ipsi tibi tendiculas præparant, et suggestiones pessimas : non potes scrutari mandata Dei tui. C Nec ad ea scrutanda idonei inveniri possumus : nisi in eis totis animæ viribus occupemur. H Unde si volueris tu quoque perfectam agere pœnitentiam : segrega te a consortio omnium malorum, et in alium locum fuge.

116 *Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam :*
Et non confundas me ab exspectatione mea.

C Petit se sancta cohors effugatis perfidis a Domino suscipi, ut possit ejus promissione salvari. Cum dicit vivam : futurum tempus ostendit. Hic enim vere non vivitur, ubi fragilitate carnis peccatur. Exspectatio quoque sanctorum est : cœlorum regna et angelorum consortia, promereri, et (quod supra totum est) ipsum jugiter videre, qui in beatorum solet semper corde dulcescere.

117 *Adjuva me et salvus ero :*
Et meditabor in justificationibus tuis semper.

H Auxilium rogat in anima Propheta sibi venire de Christo. Addit : et meditabor in justificationibus tuis. C Causam reddit obsequii. Quia quandiu in hoc sæculo sumus, et a peccatis liberi esse non possumus : decet nos in ista semper justificatione (quæ fit in confessione peccatorum) prosternere, et ejus voluntatem meditari.

118 *Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis :*
Quia injusta cogitatio eorum.

C Merito ergo spernuntur a Domino, qui ab ejus justificatione (quæ fit in confessione peccatorum) discedunt, eorum quippe cogitatio injusta est, ut velle peccare, et justissimo judici satisfacere nolle. A Merito igitur superbi spernuntur a Domino, qui remedio pœnitentiæ sanari despiciunt et justificari.

119 *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ :*
Ideo dilexi testimonia tua.

H Prævaricantes fuerunt omnes, qui ante adventum Christi erant : quia sub debito *tenebantur* prævaricationis Adæ primi hominis, et omnes ad infernum descendebant. Ideo dilexi : ne in his prævaricator appaream.

120 *Confige timore tuo carnes meas :*
A judiciis enim tuis timui.

C Precatur ergo sanctus Apostolus, configi se timore Domini : ut moriendo vivat, qui prius vivendo moriebatur. Felix qui clavo isto configitur, qui tali vulnere sauciatur ; ipso clavo confixus erat, qui dicebat : Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (*Phil.* I). H Timore itaque judicii, carnem Deus configit illius, qui omnes concupiscentias carnis crucifigens, cum Christo commori et consepeliri cupit (*Rom.* VI) ; ut secum resurgere et convivere æternaliter possit. B

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Membra Domini in æternum viventia petunt sacræ incarnationis adventum. B Ille enim, scilicet Christus, est fons vivus qui quæritur : iste oculus mundus qui quærit.

H B Ain, fons sive oculus.

121 *Feci judicium et justitiam :*
Non tradas me calumniantibus me.

C Facit enim judicium, quisquis judicat contra se, et pravitates suas ante examen Domini justa exsecratione condemnat. Sed ne hoc judicium adulatorium magis quam verum putares, addidit : et justitiam : quoniam per illam nos judicamus, quando delictorum nostrorum vindices sumus. Ne tradas me : petit populus sanctus, ne tradatur persequentibus se, id est, diabolo et ejus ministris : quibus ideo irascebantur immundi spiritus, quia videbant suasiones suas et immissiones damnari. C

122 *Suscipe servum tuum in bonum :*
Non calumnientur me superbi.

C Domini enim misericordia suscipimur : quando peccatorum nostrorum *compulsione* percutimur. Servus enim a servando dicitur : quod cum captum, Domini sui manus miserata : ab imminenti interitu servaverit. Et iste, a periculo animæ Christi miseratione liberatus, ejus se servum dicit. Ne calumnientur, scilicet immundi spiritus, qui nobis improbe adversantur et nos calumniantur : quia et cum ipsi nos decipiant, tamen et cum hoc nos semper accusant. D

123 *Oculi mei defecerunt in salutare tuum :*
Et in eloquium justitiæ tuæ.

C Cordis enim oculos dicit defecisse, propter adventum Christi, quem tanto desiderio exspectabat : ut nullam requiem habere potuisset exspectando. Salutare Christus est. Et in eloquium justitiæ, id

est evangelica verba, quæ dicturus erat populo A credituro.

134 *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam :*
Et justificationes tuas doce me.

C Misericordiam supra se fieri petit : quia justum est ut jugiter rogetur, qui si non petatur offenditur. Servo tuo : quia statim corruit, qui alterius esse voluerit. Et vide quod justificationes se doceri postulavit, quas jam devotus accepit. Et per totum psalmum frequenter petit uno loco, quod alio se accepisse fatetur : ut Deus quod dedit conservet, et quia petendi nunquam debet esse fastidium. Hanc enim assiduitatem et oratio Dominica designat, quæ dicit : Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

135 *Servus tuus + sum ; ego.*
Da mihi intellectum ut sciam testimonia tua.

C Servus tuus sum, da mihi : qui solitus es donare, quæ juste ac fiducialiter peteris. Ut sciam, id est ut accepta retineam. Scire enim illud est, quod in nostram notitiam veniens, nulla oblivione deletur. Et quamvis omnia expedientia continuis precibus sint a Domino postulanda, maxime tamen divinarum Scripturarum intellectus jugiter petendus est : qui quanto plus percipitur, tanto suavior invenitur.

126 *Tempus faciendi, Domine :*
Dissipaverunt legem tuam.

A Clamat populus fidelis, tempus faciendi : hoc est ut mundo appareas, peccata dissolvas, ipsum diabolum prosternas. Addit causam faciendi quod petivit. Quia dissipaverunt Judæi legem, quam ille eis inviolabiliter custodire præcepit. Dissipare enim legem, est aliter vivere quam lex præcipit, et facere quod lex damnat.

127 *Ideo dilexi mandata tua :*
Super aurum et topazion.

H Sicut enim aurum cunctorum metallorum pretium præcellit, ita topazius (omnium gemmarum in se habens pulchritudines) omnium vincit honores, ideo Propheta super omnia hæc mandata Dei dilexit : quia in his adventum Domini, qui mundum redemit, nuntiatum invenit.

128 *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar :*
Omnem viam iniquam odio habui.

C Qui legem Dei diligebat super aurum et gemmas, necesse fuit ut ad omnia mandata ejus directus appareret : et congruum fuit ut odisset omnem iniquam viam, qui meruit amare rectissimam. Iniqua enim via est, quæ nos ducit ad vitia : recta, quæ ad salutem trahit et virtutes, indulgentiamque tribuit et salutem.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

B Sanctus populus asserit se aperuisse os suum, attraxisse spiritum, ut ejus audiatur oratio. (C Et ideo littera vocabulum oris accepit) in qua parvulus quisque et humilis introitum cordis aperit, et spiritum divinæ charitatis et pietatis imbibit.

H B Phe, os ab ore non ab osse.

129 *Mirabilia testimonia tua + Domine ; :*
Ideo scrutata est ea anima mea.

C Diffinitionem testimoniorum uno verbo complexus est, dicens mirabilia. Mirabilia plane : quoniam per ea cœlestis virtus hominibus terrenis innotuit : et nosse dederunt parvulis, unde angeli beata delectatione complentur. Hæc semper scrutari licet, et assidua meditatione perquiri : non illud timeri quod dicit : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris (*Eccle.* III) : altiora enim dici non possunt, quæ ut perquirerentur edicta sunt.

130 *Declaratio sermonum tuorum illuminat :*
Et intellectum dat parvulis.

C Sermones Dei sunt : quos justorum prophetavit B auctoritas, ut est : Ecce virgo concipiet (*Isai.* VII). Et alibi : Videbit omnis caro salutare Dei (*Isai.* XL). Istos sermones declaravit illuminatione adventus sui : *quia per ipsum manifesta facta sunt*, quæ sacris litteris tenebantur abscondita. Parvuli sunt, non ætate dicti sed de simplicitate et humilitate conscientiæ.

131 *Os meum aperui et attraxi spiritum :*
Quia mandata tua desiderabam.

C Os enim dicit mentis introitum : qui tunc aperitur, quando aliquid discere curamus. Attrahit spiritum, id est virtutem faciendi, quam per se non poterat adipisci. Attrahitur enim spiritus, quando mens salutaris desiderii completur affectu, et incipit firma mente velle quod ante appetivit. Quia mandata tua : ardorem siquidem mandatorum habuisse C se innuit, ideo enim aperuit os, quia desiderabat mandata.

132 *Aspice in me et miserere mei :*
Secundum judicium diligentium nomen tuum.

C Frequenter Dominus aspicit iratus, ut perdat : sicut Sodomam. Aspicit etiam propitius : ut in muneribus fecit Abel. Et ideo ne in partem susciperetur adversam : adjunxit, et miserere mei. Judicium quippe Dei est : ut nomen suum diligentibus largiatur auxilium misericordiæ. Sic, et secundum illud judicium, sibi petit misereri.

133 *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum :*
Et non dominetur mei omnis injustitia.

C Gressus significat motus animæ : nam sicut per D gressus corporis de loco ad locum transferimur, ita et in illis, quibusdam passibus, sive ad meliora, sive ad pejora progredimur. Secundum eloquium : petit sese sancta cohors dirigi (id est, secundum jussa et præcepta) quibus observatis fit, ut nulla illi injustitia dominari potuisset. Et vide quam caute petat : non enim petit, ut a nulla iniquitate pulsetur, quia hoc communi lege hic fieri non potest : fieri vero potest ut non dominetur, non solum aliqua, sed omnis iniquitas.

134 *Redime me a calumniis hominum :*
Et custodiam mandata tua.

C Calumniæ sunt hominum contra honorem veritatis controversiæ, vel *jurgia requisitæ* : quas mo-

rito cohors sancta precabatur a se auferri, ut, amotis adversitatibus, mandata Dei posset indagare. Est enim calumnia commentum aliquod periculosæ falsitatis objectum : quod bonis semper hominibus studio perversitatis objicitur, ut recta conscientia actum ab eis, decolorare conantes, criminari valeant. Vel brevius. H A Calumnia est falsa criminis objectio.

135 *Faciem tuam illumina super servum tuum :*
Et doce me justificationes tuas.

C Desiderat sancta cohors Salvatoris adventum cujus *facie* illuminata sunt tenebrosa peccata, *et qui vitam* confert mortuis et certissima remedia desperatis. Vel ita illumina, ut illuminatam faciem tuam, non velatam conspicere possim. Legem enim Moyse ferente, in faciem ejus Judæi conspicere non poterant (*Exod.* XXXIV) : quia velatis legem cordibus audiebant. Vultus enim Moysi fulgor erat legis : quem quia Judæi conspicere non valebant, velabat vultum et ita respicere valuerunt. Illud velum cordis hic auferri petit, ut claram legis veritatem agnoscere possit.

136 *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei :*
Quia non custodierunt legem tuam.

C Exitus aquarum : significat lacrymas copiosas : quas tunc profundimus, quando peccatorum nostrorum recordatione mordemur. Nam si mandata Domini custodiremus, lætitiam utique haberemus, non ardorem plorationis. Et vide, quia per oculos dicit satisfactionem venisse ; per quos frequenter illecebras hujus sæculi attrahimus : ut merito per illos culpa mundetur, per quos et excessus admittitur.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Cohors sanctorum, carnis suæ triumphatrix, secundum hujus litteræ nomen justitiam Domini confitetur : et eloquia ejus ignita, continua se dicit dilectione venerari

H C Sade, justitia.

137 *Justus es, Domine :*
Et rectum judicium tuum.

C Justus es, Domine : qui jubes peccatores se affligere, ut eos debeat tua medicina salvare : justum est enim, ut delinquens per satisfactionem corrigatur, et justitia Dei humili confessione declaretur : suis enim meritis putaretur datum si peccator jugiter floreret illæsus.

138 *Mandasti justitiam testimonia tua :*
Et veritatem tuam nimis.

C Mandasti, id est præcepisti, scilicet observari nimis, id est valde. Testimonia vero sunt, quæ sub testificatione sunt prolata, id est præcepta. Hæc continent justitiam et veritatem : justitiam, quoniam æqualiter omnia discernunt : veritatem, quia promissa retribuunt. H Vel omnia quæ mandante te patimur, justa, recta ac vera sunt : quia aut pro peccatis nostris ingruunt, aut ut probati manifestemur eveniunt. A Vel dicit testimonia Dei esse justitiam et veritatem : justum enim se probat mandando, et verum, et ideo vult custodiri nimis.

A 139 *Tabescere me fecit zelus meus :*
Quia obliti sunt verba tua inimici mei.

C Tabes est alicujus morbi contracta necessitas : quæ nos facit paulatim defluere, dum corporis soliditatem consumit : quod sibi accidisse testatur, cum non patiebatur perfidorum laceratione violari legem Domini. Et hic zelus est bonus. Quandoque etiam in malo ponitur, ut ibi : Zelus et invidia comedit domum Jacob.

140 *Ignitum eloquium tuum vehementer :*
Et servus tuus dilexit illud.

C Ignitum est eloquium Domini : *quia purgat* mortalium corda, mundana fece sordentia vehementer. Et ut hoc non ad mortem crederes, sed ad salutem, addidit. Et servus tuus dilexit illud : B utique diligebat quod vitam conferre noverat et honorem, non quod mortem afferret. C Et sicut eloquium præceptorum peccata consumit : ita peccantem, si convertatur, illuminat.

141 *Adolescentulus sum ego et contemptus :*
Justificationes tuas non sum oblitus.

H Iste versiculus ad populum Christianum referendus est : qui prius contemptus, et de domo patris ejectus, recolens justificationes Dei, primogenita prioris accipiens, prior effectus est.

142 *Justitia tua justitia in æternum :*
Et lex tua veritas.

C Hic versus justitiam Domini et legem ab hominum justitia et lege discernit. Hominum enim justitia (quantacunque sit) temporalis est. Justitia C autem Dei in æternum manet : quia quisquis eam custodierit æterna felicitate gaudebit. Ita et de lege sentiendum, quicunque eam intelligere meruerit, cœlesti veritate completur : veritas enim legis Christus est.

143 *Tribulatio et angustia invenerunt me :*
Mandata tua meditatio mea est.

C Tribulatio et angustia : sanctis viris magna sunt munera, quia norunt se pondere talium compressos exsudare peccata, et tendere ad gaudia æterna. Invenerunt me : quasi exspectantem, quasi fixum et ad earum certamina præparatum. Subjungit vero illud adjutorium, unde se noverat in diversis passionibus curatum, dicens : Mandata tua, etc. : quoniam semper in divinis Scripturis erat animus D occupatus.

144 *Æquitas testimonia tua in æternum :*
Intellectum da mihi et vivam.

H Æquitas testimonia Dei sunt : quia æque omnia discernunt, propterea vivificari se postulat, ut pro eorum intelligentia vitam possit capere sempiternam. C Breviter itaque definivit testimonia Dei, esse æquitatem in æternum contra tribulationes et angustias (quæ temporalia esse noscuntur) ut tali spe temporales angustiæ contemnerentur.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Reverentissimus chorus (juxta hujus litteræ nomen), in toto corde suo clamat ad Dominum, justificationes ejus sedulus exquirens.

H B Coph, vocatio.

145 *Clamavi in toto corde, exaudi me, Domine: Justificationes tuas requiram.*

C Hunc clamorem non corporeæ vocis, sed spiritalis mentis intellige. C Est enim iste clamor devotæ mentis affectus, qui magna cordis intentione profertur. Cogitationes illas enim exaudivit Altissimus, quæ pia intentione volvuntur. In toto corde dicitur: ne putares aliud cogitandum, quando clamatur ad Dominum. In sola enim religiosa cogitatione debet totus spiritus occupari, ne mens divisa nequeat quod postulat impetrare. Et intende quid clamat: Non divitias, honores, voluptates, sed justificationes tuas requiram: non lectione tantum sed opere.

146 *Clamavi ad te salvum me fac: Et custodiam mandata tua.*

C Clamavi ad te: ad illum enim clamat, qui petitionem suam digne toto cordis affectu effudit. Cum dicit, salvum me fac: in anima vult intelligi, non in corpore, non enim corporis salutem petere poterat, qui libenter corporeis passionibus subjacebat.

147 *Præveni immaturitate et clamavi: Quia in verba tua superesperavi.*

C Præveni immaturitate: quisquis in annis puerilibus anticipat modestiam senectutis, et ante facit gravissimam mentem, quam possit annorum numerositate canescere. Quia in verba tua (id est in Filium) sperare non destiti. A Vel in verba prophetarum et Dei, potentis facere quod promisit: promisit enim in verbis suis Redemptorem missurum.

148 *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: Ut meditarer eloquia tua.*

C Prævenerunt oculi mei: significat oculos cordis ante credidisse venturo in carne Domino, quam ejus irradiaret adventus. Christus enim est dies, ejusque adventus et incarnatio diluculum est: diluculum enim initium diei significat. Ut meditarer: causam reddidit cur ante diluculum mens ejus surrexerit, non ut agrum coleret, sed ut Dei meditaretur eloquia.

149 *Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine: Secundum judicium tuum vivifica me.*

C Petit suam vocem exaudiri secundum illam misericordiam, quæ ex miseris beatos fecit, ex captivis liberos, ex mortuis vivos. Quod autem addidit vivifica me: confitetur se mortuum esse lege peccati. Vivificari enim non potest: nisi qui in se propriam non habet vitam. Quod vero dicit secundum judicium, intellige illud, quo supplicantibus parcit, et se damnantes absolvit.

150 *Appropinquaverunt persequentes me iniquitate: A lege autem tua longe facti sunt.*

A C Appropinquant enim persequentes: quando post omnia usque ad lacerationes carnis videntur accedere. H Iniquitate autem appropinquant, id est cum iniquitate (hoc est inique). Quoniam patiebantur martyres mala pro bonis. A lege autem, isti scilicet persecutores, longe, etc., quia H A C quanto ad sanctorum pœnas appropinquabant: tanto a lege Domini recedebant. Si vero textus alicujus habeat iniquitati vel inique, idem sensus redit: qui enim justos persequitur, propinquat iniquitati et inique agit.

151 *Prope es tu, Domine: Et omnes viæ tuæ veritas.*

C Dum dicit prope es tu, Domine: confitetur eum ubique præsentem, et eum nosse si perversa gerimus, nec declinare eum posse cum fugimus. Una est ergo salus, ad ipsum festinare: quem non possis effugere. Et omnes viæ tuæ: Judæus hoc non potest loqui, qui noluit credere veritati: potest vero B dicere qui Christo credit et mandata ejus custodit. A Etiam in tormentis, quod illa non immerito patiatur, sed verum sit Dei in hoc judicium. Sic Esther, sic Daniel, sic tres in camino, sic omnes sancti confitentur (*Dan.* III).

152 *Initio cognovi de testimoniis tuis: Quia in æternum fundasti ea.*

C Initio (significat a rudimentis sæculi, quando a justo Abel nomen cepit esse sanctorum: qui innocens a nefario fratre, in exemplum Salvatoris, occisus est [*Gen.* IV]) dicit Ecclesia, Cognovi de testimoniis: A scilicet quibus testatus es te daturum Redemptorem et regnum æternum. Quia in æternum fundata sunt. A C Quippe quæ ad fundamentum Christum pertinebant. Ipse enim fundamentum est, C in quo omnia dicta et scripta Legis et prophetarum et Evangelii fundata sunt (*Ephes.* II). C Unde evidenter cognoscitur, ab antiquis mente conspectum Christum.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Populus, vitiorum victor, se petit vivificari, quoniam mandata Domini summo studio exquisivit: principium quoque verborum Domini testatur esse veritatem, et hoc est caput quod præsens littera ostendit.

H B Res, caput.

153 *Vide humilitatem meam et eripe me: Quia legem tuam non sum oblitus.*

A Vide humilitatem meam et eripe me: Quamvis D ista vox videatur martyrum: tamen nemo eam a se putet alienam, qui in Christi corpore est constitutus. Et eripe me. C Scilicet de necessitate pœnarum, et de periculo mortis (de quibus beati martyres se liberari petunt) vel de periculo peccatorum. Quia legem tuam. H A C Scilicet qua dixisti: Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (*Matth.* XXIII).

154 *Judica judicium meum et redime me: Propter eloquium tuum vivifica me.*

A C Petit chorus sanctorum judicium suum, id est causam, qua se tribulant et persequuntur injuste dæmones, a Domino judicari, et se ab ipsis redimi. Addidit, propter eloquium tuum, C illud,

scilicet ubi promittit : Qui credit in me non morietur (*Joan.* XI).

155 *Longe a peccatoribus salus :*
Quia justificationes tuas non exquisierunt.

H C Merito ergo a salute facti sunt longe Judæi, qui respuerunt salutis auctorem et justificationes legis non intelligebant, quia Christum in eis non agnoverunt. A Vel etiam, a quibuslibet peccatoribus legem Dei spernentibus, longe est salus.

156 *Misericordiæ tuæ multæ, Domine :*
Secundum judicium tuum vivifica me.

C Miserationes Domini sunt, per quas afflictis et et sauciis diversis modis subvenire dignatur. Secundum judicium tuum vivifica me, H ne inveniatur in me quod judicium mortis assumat, C quia nec sine judicio miseretur, nec sine misericordia, judicat. Ideo B quando miseretur judicat, et quando judicat miseretur.

157 *Multi qui persequuntur me et tribulant me*
A testimoniis tuis non declinavi.

C Narrat enim injurias sive persecutiones, unde numerus electorum crescit, verum inter omnia nullatenus se a testimoniis Dei declinasse testatus est.

158 *Vidi prævaricantes et tabescebam :*
Quia eloquia tua non custodierunt.

C Vidi aliquos in persecutionibus fidem, quam tenuerunt, abnegantes. Quod cohors sancta aspiciens affligebatur, dolens se socios fidei perdidisse; sed unde tabescebat ostendit, quia prævaricator nequaquam eloquia evangelica custodivit, scilicet : Qui C perseveraverit usque in finem hic salvus erit (*Matth.* X). H Vel Judæi prævaricatores sunt, qui dixerunt ad Moysen : Omnia quæcunque dixerit Dominus faciemus (*Exod.* XXIV) : et non fecerunt. Et nos, in baptismo diabolo et operibus ejus renuntiantes, et renuntiata facientes, prævaricantes sumus. De quo sancti vehementer dolent.

159 *Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine :*
In misericordia tua vivifica me.

C Bene dicit, dilexi mandata, scilicet martyrii pœnas usque ad mortem perferendo, Dominus enim animorum qualitates gratius respicit quam cruciatum carnis. Oportet ergo hilarem martyrem esse. Merito ergo vivificandum se petebat in beata vita a Domino, qui vitam hujus sæculi pro vera religione D contempserat.

160 *Principium verborum tuorum veritas :*
In æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

C Illud principium, mihi videtur significare initium Scripturarum divinarum, scilicet. In principio creavit Deus cœlum et terram. Illud enim, principium verborum Dei, probatur esse perfectio totius veritatis. Et sicut in principio vera est Scriptura, ita in fine. Veritas enim, quæ a principio vera loquitur, etiam verba sua usque ad finem vera ostendit dicens : Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Matth.* XXIV). Judicia vero iustitiæ ipsius erunt sine dubitatione perpetua, A quando ejus sententiam, nec tempus aliquod mutabit, nec res ulla subvertit. Judicia vero illa putat, quando dicetur : Venite, benedicti Patris mei, etc., et : Ite, maledicti in ignem æternum (*Matth.* XXV). Hæc judicia in æternum fixa manebunt. Sic in uno versu et initia nostræ fidei et adhuc ventura conclusit, omnia in veritate complenda. A Vel verba tua a veritate tua æterna procedunt, et ita eorum principium est veritas. Et quoniam ab illa ve itate procedunt, veracia sunt et neminem fallunt. Et quoniam neminem fallunt, et eis pronuntiatur judicia justitiæ tuæ, scilicet vita justo, pœna impio, in æternum erunt ista judicia justitiæ tuæ vera, et manebunt in æternum, hi, in vita, isti, in pœna.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Sanctorum cœtus persecutiones sævientium pro charitate Domini sibi dicit esse gratissimas. B, dentes autem, quos hujus litteræ nomen exprimit vel sanctorum intellige, qui Dominum laudant, vel persecutorum, de quibus dicitur : Filii hominum, dentes eorum arma et sagitta.

H B *Sin, dentes.*

161 *Principes persecuti sunt me gratis :*
Et a verbis tuis formidavit cor meum.

C Principes, hic persecutores debemus accipere ; sic enim et diabolum principem dicimus, qui sibi primatum in sceleribus vindicavit. Gratis, quia sancti martyres nec eis tributa dari prohibuerunt, nec obedientiam subtraxerunt, verum etiam pro eis oraverunt. Illi quoque non timentes eorum persecutionem, Dei formidabant præterire præcepta, unde subdit : Et a verbis tuis formidavit. H Formidavit a verbo illo, quo ait : Qui me negaverit coram hominibus, negabo et eum coram Patre meo (*Luc.* IX).

162 *Lætabor ego super eloquia tua :*
Sicut qui invenit spolia multa.

C Ipse denique populus Christianus lætatus est, tanquam qui invenit spolia multa, quando eloquia Dei Judæis non credentibus, ad utilitatem proprlæ salutis, eripuit. Eloquia quoque sunt Dei H quibus dixit : Cum vos persequentur, et maledicent, et dicent omne malum adversum vos mentientes propter me gaudet (*Matth.* V). Et totum Evangelium eloquia Dei sunt, C et omnes sacræ admonitiones.

163 *Iniquitatem odio habui et abominatus sum :*
Legem autem tuam dilexi.

C Dicit se odisse iniquitatem, quod fas est, non nominem iniquum ; atque eam sic abominatum fuisse ut longe redderet eam a se alienam, quatenus legem Dei perfecta voluntate diligeret.

164 *Septies in die laudem dixi tibi:*
Super judicia justitiæ tuæ.

H Septies laudat Deum per diem, cujus mens perdurans in pleno splendore ad illum septimum diem festinat, qui est Sabbatum Sabbatorum, id est requies æterna. C Vel ad litteram, horas et vices septem, quibus Ecclesia Deum laudat, significat scilicet matutinam, tertiam, sextam, nonam, lucernariam, completoriam, et nocturnas. A C Vel

omne tempus significat, ut est dictum alibi : benedicam Dominum omni tempore (*Psal.* xxxiii). Super judicia, C quia parcit videlicet supplicanti, et sic pius humilibus est ut non solum culpas dimittat, sed etiam præmia æterna eis largiatur.

165 *Pax multa diligentibus legem tuam :*
Et non est illis scandalum.

C Pax multa, scilicet mentis, et puritas et fidei copia, Cæterum tribulationibus in hoc mundo subjacet qui legem diligit et se famulum Dei profitetur, in quibus tranquilla mente manet. A Et non est illis scandalum, scilicet lex Dei, id est non scandalizantur in lege, ubi eam non intelligunt, scilicet potius venerantur, et se non intelligere et magnum aliquid latere ibi affirmant. Nec etiam est diligentibus Dei legem scandalum quidquid homines agant, B id est non scandalizantur in malis hominum operibus, ut cadant, etiam si religiosos peccare videant, ipsi non peccant.

166 *Exspectabam salutare tuum, Domine :*
Et mandata tua dilexi.

A C Exspectabant adventum Christi sancti patres veteris legis. Et mandata ejus dilexerunt, id est Deum et proximum diligebant. Exspectant et justi novæ legis, salutarem Christi secundum adventum, ut secum in gloria coronentur. Exspectat ergo tota Ecclesia, quæ Dei mandata diligit, Jesum Dominum salutare omnium.

167 *Custodivit anima mea testimonia tua :*
Et dilexit ea vehementer.

C Custodivit, ad tolerantiam pertinet martyrii. C
A Custodiuntur enim Dei testimonia, dum non negantur : hoc est martyrum officium. C Dilexi, vero ad charitatem pertinet, tormentis omnibus fortiorem, quæ flammas vincit, gladios superat, et cœlesti virtute cuncta transcendit. Ideo autem, vehementer, dicit, quia perfecta dilectio non habet modum, sed totius animi nisibus explicatur, ita ut nec tempore aliquo cesset, nec animi torpore lentescat.

168 *Servavi mandata tua et testimonia tua*
Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

H Servat mandata et testimonia, qui vias Dei recto cursu incedit, nec quidquam in actu, vel dicto, aut cogitatu agit, quod divina contemplatione habeatur indignum. Quia omnes viæ meæ; C ideo se dicit servasse mandata, quia omnes vias ejus dignatus est Dominus intendere, ut non suis viribus, divinæ potentiæ suum posse deputaret. Fuissent enim viæ ejus cæca nocte confusæ, nisi verum lumen eas dignaretur aspicere. Negatur ergo ei errorem prævalere potuisse qui se profitetur respicere auctorem luminis.

ARGUMENTUM SEQUENTIUM OCTO VERSUUM.

C B Sanctorum chorus quantum ad finem psalmi vicinus est, tantum se Christo desiderat proximari, atque ideo adventum Domini Salvatoris desiderans petit ut ovem perditam revocare pietatis suæ munere dignetur. B Ipse est ergo nobis omnium consummatio virtutum, quia quicunque eum videre me- A ruerit, nil ultra quærere habebit. Ipsius est signum quo redempti canimus : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.

H B *Thau : signum, vel consummatio.*

169 *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo*
Domine :
Juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

C Cum petit cohors sanctorum orationem suam conspectui Dominico propinquare, ostendit multum esse longe ab eodem Deo præsentiam peccatorum, quoniam illi nulla fiunt proxima, nisi quæ fuerunt sanctitate purgata. Petit itaque ut secundum eloquium Dei sapiat, ne vanitate et perversitate humanæ prudentiæ submergatur. A Vel secundum eloquium, id est promissum; promisit enim : Intellectum tibi dabo et instruam te (*Psal.* xxxi). H Da mihi igitur talem intellectum, ut nihil aliud quam quod oportet exorem. C Non enim intellectum mundanum petit. B

170 *Intret postulatio mea in conspectu tuo :*
Secundum eloquium tuum eripe me.

C Gradatim ascendit sancta petitio; nam qui ante dixerat : appropinquet, nunc dicit : intret, prius enim fuerat ut appropinquaret, deinde ut ad conspectum Dei intrare potuisset, quatenus omnia per ipsius gratiam cognoscamus impleri, et nihil applicemus humanæ virtuti, et qui ante dixit : secundum eloquium tuum da intellectum, hic dicit : eripe me etiam, scilicet secundum affectum, ut superna desiderem.

171 *Eructabunt labia mea hymnum :*
Cum docueris me justificationes tuas.

C Eructabunt labia hymnum, quando Spiritu Dei repleta sunt, et ad supernum intellectum disponitur sermo sensus divini. Cum docueris me, promittit enim gratiam suæ devotionis cum Domini dona susceperit. H Si enim per puram conscientiam reserata fuerint a te labia mea tunc dignum laudationis proferunt hymnum.

172 *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum :*
Quia omnia mandata tua æquitas.

C Nihil est enim aliud in eloquiis tuis, Domine, nisi pax et æquitas, et vita. Hoc corde credam, hoc labiis loquar, hoc lingua pronuntiem. C Nimis enim culpabile est, relictis divinis eloquiis, ad ineptas mundi fabulas et otiosa verba transire, quæ non solum non prosunt, sed et obsunt, Domino dicente : D De omni verbo otioso reddent homines rationem (*Matth.* xii).

173 *Fiat manus tua ut salvet me :*
Quoniam mandata tua elegi.

C Dum dicit, fiat manus tua, designat Dominum Salvatorem, per quem facta sunt et reguntur universa. Postulat ergo venire Dominum Salvatorem. Quod autem dicit, elegi mandata tua, omnia se pericula propter amorem Dei postposuisse testatur.

174 *Concupivi salutare tuum, Domine :*
Et lex tua meditatio mea est.

A C Salutare Patris Christus est, qui nos salvavit. Hunc et veteres sancti concupierunt, et nunc Ecclesia concupiscit videre æternaliter in dextera Patris.

Ideo enim legem tuam semper meditor, quoniam in ea video quem exspecto.

175 *Vivet anima mea et laudabit te :*
Et judicia tua adjuvabunt me.

C Promittens Ecclesia animam suam in æternum vivere, quam noverat salutariter credidisse, laudabo, inquit, te cantico scilicet novo, quod homo ille salutariter innovatus canere debet. Judicia vero illa dicit se adjuvare, quæ se in famulis suis facturum promisit, scilicet : Venite, benedicti Patris. Tunc enim perfecte credit se adjuvandum, quando erit justorum numerus ad dexteram collocandus.

176 *Erravi sicut ovis quæ periit :*
Quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

C Vox illa Ecclesiæ est et omnium electorum, sicut et totus psalmus iste. Ait enim ille homo generalis, qui in Adam erraverat, et ad caulas Dei per se redire non poterat, quoniam munus illud sapientiæ perdiderat quod habebat : Erravi quasi, a via tua discessi, et vitiorum invias solitudines cæcus intravi. Sicut ovis, ovis ista unica est cunctorum fidelium congregatio. Et bene dictum est, quæ perierat, ut agnosceres illam misericordia Dei fuisse reparatam. Quære, Christo Domino dicitur, quoniam te humana imbecillitas non potest perquirere. Additur quoque requisitionis causa : quia mandata, etc.; quoniam iste juste requiritur qui mandata Dei non probatur oblitus.

ORATIO EX PSAL. CXVIII.

Palma totius beatitudinis, Deus, qui fideles tuos, ut in lege tua ambulent, testimonia tua scrutentur, mandata custodiant salubris provisor informas, concede nobis justificationes tuas toto corde quærere, eloquia intelligere, mirabilia prædicare ut qui hactenus quasi perditæ oves erravimus tuis piis humeris restituti paradiso gloriemur. Qui vivis et regnas, etc.

PSALMUS CXIX.

ARGUMENTUM PSAL. CXIX.

C B Cantica graduum cantica ascensionum sunt, quibus ad superna conscenditur. Propheta clamat ad Dominum, ut liberetur ab iniquis, vehementerque affligitur quod, in hac vita diutius commorans, malorum permistione prægravatur.

TT. *Canticum graduum.*

C Novi quidem tituli et mirabiles inchoantur : Canticum graduum. Cum gradus audimus in psalmis, non corporeis gressibus suspicemur subeundos, sed mentis accipiamus ascensum. Ideo enim præmissum est canticum, ut hoc potius ad animæ provectum applicare debeamus. Et gradus isti humilitatis sunt ascensus, quorum primus est relictio et confessio peccatorum. A Nihil enim aliud in istis canticis docemur quam ascendere in corde, in affectu bono, in fide, et spe, et charitate, in desiderio vitæ æternæ.

1 *Ad Dominum cum tribularer clamavi*
Et exaudivit me.

C Primus itaque gradus virtutum incipit, in quo Propheta confessione lacrymabili petit se de mundi istius tribulatione liberari. Quapropter et auditum se dicit, quoniam in tribulatione clamavit. Dominus enim nescit differre, quem compuncto corde sibi senserit supplicare. Quæ vero sit tribulatio, a qua se liberari petit, subditur : Domine, libera animam meam, etc.

2 *Domine libera animam meam a labiis iniquis :*
✣ Et ⁝ a lingua dolosa.

C Petit se liberari Propheta, ab iniquis suasionibus, unde humanum genus corrui. Nam, cum venisset serpens ad Evam, dixit per labia iniqua : B Cur non manducetis de hoc ligno (*Gen.* III). Cumque illa respondisset a Deo fuisse prohibitum, ait per linguam dolosam : Manducate et eritis sicut dii (*Ibid.*).

3 *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi :*
Ad linguam dolosam ?

C Revertitur Propheta ad interrogationem suam. Quærit contra facinus tam immanissimum quale remedium sibi crederet esse præstandum, sed, ne tardaret Christi auxilium, medicina sequitur postulata, versu sequenti :

4 *Sagittæ potentis acutæ :*
Cum carbonibus desolatoriis.

C Ecce illud remedium invenit quod labia iniqua destruat : Sagittæ potentis acutæ, verba sunt divinæ C legis, quibus corda adversantium velut quibusdam jaculis transforantur. Carbones desolatorii, hoc est digne compunctionis, quæ solitudinem et devastationem et desolationem in mente facit peccatorum, et purgat livorem peccatorum. A Vel, carbones, isti sunt exemplaris vita sanctorum.

5 *Hei mihi ! quia incolatus meus prolongatus est ;*
habitavi cum habitantibus Cedar :
Multum incola fuit anima mea.

C Hei ! sermo dolentis est, quod hujus mundi prolixitate fatigetur. Quam querelam sanctos habuisse non dubium est. Incolatus, significat peregrinationem; incola est enim, qui ad tempus terram colit alienam, et a patria sua longe disjunctus est. Quod de illis merito dicitur, quorum conversatio in cœlis D est (*Philip.* III). Cedar, Hebræum, interpretatur *tenebræ*, et significat præsentem mundum, in quo malitia regnat, et amatores ipsius tenebrosis actibus involutos. Multum incola fuit, quia sanctorum mens hic incolatum patitur ubi sub nullo gaudio habitare cognoscitur.

6 *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus :*
Cum loquebar illis impugnabant me ✣ gratis ⁝.

C Ille enim odit pacem qui non amat Christum. Eram pacificus cum pacis, scilicet inimicis, illud implens evangelicum : Diligite inimicos vestros (*Matth.* V). Loquebatur etiam pacificus, non injurians, sed impugnabatur gratis, dum contentiones fallaces patefieret ab inflammata iniquitate.

ORATIO EX PSAL. CXIX.

Tribulationum nostrarum optime mitigator, Deus, libera animas fidelium a labiis detrahentium, in quorum ut adjutoriis spiritalibus præmunitæ, nullis impugnationibus aggraventur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXX.

ARGUMENTUM PSAL. CXX.

C Propheta, ad sanctorum merita oculos elevans, petit eorum adjuvari precibus, ne mens ejus hostili impugnatione succumbat, indubitanter sibi promittens quod se integre postulare cognoscit.

TT. *Canticum graduum.*

Canticum, ad scientiam pertinet; graduum vero, ad actionem. Ille enim bene ambulat qui et cantat cum scientia et profectione graduum, id est ecclesiastica operatione graditur.

1 *Levavi oculos meos in montes :*
Unde veniet auxilium mihi.

C Ad secundum gradum justus iste venit, in quo post humilem peccatorum confessionem et tribulationem, ausus est levare oculos ad montes. Oculos suos Propheta levasse se dicit, hoc est ad contemplationem aliquam se ostendit fuisse provectum. Spiritaliter, oculos cordis, seu ad sanctos viros, seu ad libros divinos, vel ad sublimes angelos credatur elevasse, qui magnitudine et firmitate sua vere montes sunt, unde etiam competens exspectatur auxilium. Sed ne forsitan spem nostram solum in sanctos poneremus, consequenter unde nobis veraciter venire possit auxilium sequens versus ostendit.

2 *Auxilium meum a Domino :*
Qui fecit cœlum et terram.

C Auxilium meum a Domino, et ne putares alterum Dominum, quoniam hoc æquivocum nomen est, dicit : Qui fecit cœlum et terram, significans Verbum per quod facta sunt omnia. Ab illo est verum auxilium a quo est sanctis ut nobis auxilientur.

3 *Non det in commotionem pedem tuum :*
Neque dormitet qui custodit te.

C Pes enim, pars ultima corporis. Qui, mentis imperio nos permutatione locorum transponens, significat cogitationes nostras, per quas in bonas malasque partes accedimus. Hos pedes optat Propheta ne lubricatione peccatorum vertantur, ne, stante corpore, ruinam sustineat in corde. Dormitare dicitur Deus, quando nos in ejus fide deficimus; in quo ejus fides non dormit vigilat Christus. Dum ergo nos in fide Deum non respicimus, nobis ejus defensio subtrahitur.

4 *Ecce non dormitabit neque dormiet :*
Qui custodit Israel.

C Si fueris Israel, vid est vir Deum videns, non dormitat tibi Deus. Ergo supra eos, qui Deum pura mente vident, Deus non dicitur dormitare, quia revera talis in nobis aspectus ejus redditur, qualis in ipso fuerit nostræ mentis intuitus. Israel enim interpretatur, *vir videns Deum*. Igitur qui in eum A recte credit, erit veracissimus Israel, cui Deus non dormitabit custodiens eum.

5 *Dominus custodit te :*
Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

H Dominus custodit te, ipse qui fecit cœlum et terram, quia dii, qui eam non fecerunt, pereunt ex ea. Dominus protectio tua super manum dexteram tuam, ille te protegit, ne opus tuum dexterum, id est bonum, pars impediat inimica, id est diabolus. Per dexteram igitur hic spiritalia bona intelliguntur, quæ per sinistra, id est temporalia impediuntur, nisi Deus custodiat.

6 *Per diem sol non uret te :*
Neque luna per noctem.

B H Justus nec in prosperis uri, id est elevari valet, nec in adversis dejici vitæ præsentis. Et vide idem, quod in sole et luna significatur, per diem noctemque significari. A C Vel, uri, scandalizari intelligitur. Qui igitur nec in bonis nec malis actibus proximi scandalizatur, non uritur nec die nec nocte.

7 *Dominus custodit te ab omni malo :*
Custodiat animam tuam + Dominus ⁝ .

H Dominus custodit te, ab omnibus insidiis inimici. Custodit animam, ne ei pars dominetur adversæ potestatis. Per malum igitur hic accipe, non temporalia corporis incommoda, quæ amatores hujus sæculi æstimant esse gravissima, sed illud malum quod divinam gratiam tollit animam perdit. Deus enim permittit sanctissimos etiam viros doloribus C ingentibus cruciari; animam vero custodit, ideo addit; custodiat, etc.

8 *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum :*
Ex hoc nunc et usque in sæculum.

C Dominus custodiat introitum, hoc est de martyribus dictum, quorum introitus a Domino custodiendus est, ne aut violentia tormentorum cedant, aut blandimentis seducantur. Et exitum, ibi est tota perfectio, quando usque ad finem vitæ permanet in eis vera confessio. Ex hoc nunc, etc., quoniam quicunque perseveraverit æterna beneficia possidebit, H id est non solum in hac vita custoditur, sed, et post, ab æterna pœna.

ORATIO EX PSAL. CXX.

D Protege plebem tuam, non dormitans neque dormiens, Domine Deus, Israel protector, et, ne uramur per diem, tu nos a scandalis hujus mundi defende. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXXI.

ARGUMENTUM PSAL. CXXI.

C B. Gaudet Propheta se commonitum ad supernam Hierusalem esse venturum, ubi jam sancti secura prosperitate consistunt loquiturque ad cives Hierusalem pacis eis abundantiam optans.

TT. *Canticum graduum.*

1 *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi :*
In domum Domini ibimus.

H Venit ad tertium gradum, quo jam non solum

elevat ad montes oculos, verum, spe concepta, lætatur se iturum ad montes, et sanctorum societatem, et cœlestem Hierusalem. C Quærendum vero est quis ad Prophetam hæc dixit quibus se lætatum esse testatur, videlicet Spiritus sanctus, qui cordi ejus tacita voce loquebatur, non sermone, sed divino spiramine. H Vel, dicta sunt, in prophetis, et lege, et apostolis. C Domus hæc justos tantum recipit, angelos continet. Quæ est cœlestis Hierusalem, in qua creaturarum omnium auctor conspicitur.

2 *Stantes erant pedes nostri :*
In atriis tuis ✠ Hierusalem

C Dicit se Propheta stare in illa cœlesti domo, ad quam desiderat summo studio pervenire. Ibi enim statur, ubi semper firma voluntate consistitur. Atrium est introitus domus, in quo commanere nequeunt habitantes. Hic autem atria pro interioribus ponuntur, et pars pro toto.

3 *Hierusalem quæ ædificatur ut civitas :*
Cujus participatio ejus in idipsum.

C Ædificatur plane cœlestis Hierusalem quotidie vivis lapidibus, id est martyribus, confessoribus, et qui Domino sincera mente deserviunt. Addit vero, ut civitas, quatenus similitudinem civitatis in illa esse monstraret. Nam, cum sit omnis civitas dicta a *civibus*, illa tamen verius civitas dicitur, quæ unanimes cives continet. Cujus participatio, etc., H C id est, civitatis ipsius participatio est in Dominum Salvatorem, qui est proprie idipsum, quod significat æternitatem, quæ nunquam desinit esse quod est, sed semper uno eodemque modo est virtus indefecta, unde, et supra dixit : Tu autem idem ipse es (*Psal.* CI), et Moysi ait : Ego sum qui sum (*Exod.* III), qua propter soli Creatori convenit esse idipsum.

4 *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini*
testimonium Israel :
Ad confitendum nomini Domini.

C Dicendo illuc, significat civitatem Hierusalem, ad quam beati semper ascendunt, qui jugi exercitatione proficiunt. Tribus, id est sancti, qui Christum Deum esse confessi sunt verum. Ut vero ab infidelibus tribus istas segregaret, addidit tribus Domini. Quæ ejus non dicerentur, nisi pura mente credidissent. Alias enim tribus non credentes, scilicet constat esse diaboli. Verum quales essent istæ tribus Domini, breviter indicat dicens : testimonium Israel, hoc est ipsius vel ipsi Israel, vel quod est ipse Israel, hoc est qui testimonium præbent sanctitati, id est, sibi ipsis quod sint Israel, id est videntes Deum et sancti testantur enim hoc actibus suis. Et hoc non ad laudandum se, sed ad confitendum dicit, id est ad laudandum Dominum, est enim verum testimonium Israel, laudes Domini devotissima mente cantare. Illud vero testimonium post hanc vitam magis erit quam hic.

5 *Quia illic sederunt sedes in judicio:*
Sedes ✠ super ⁝ domum David.

C Illic sederunt, qui ascenderunt et cum Domino judicabunt. Honorabilis sessio, admiranda dignitas A per Dei gratiam homines judices fieri, qui fuerant peccatis facientibus rei. Merito sancti viri sedes Dei sunt, quia in ipsis sedendo, eos gratia suæ majestatis illuminat. Sedes super domum David, id est super familiam Christi. Sederunt vero, præteritum pro futuro posuit, quia de ultimo judicio loquitur.

6 *Rogate ⁝ quæ : ad pacem ✠ sunt ⁝ Hierusalem :*
Et abundantia diligentibus te.

H A C Rogate, significat hic non, supplicate, sed interrogate : Unde rogate, id est interrogate quæ ad pacem pertineant hujus civitatis, H Et sequimini eam, ut per dilectionem pacis, fructum consequamini æternæ beatitudinis. Abundantia est illi cœlestium bonorum, qui relictis caducis Deum super B omnia diligit; C vel, omnia bona in cœlesti Hierusalem abundare manifestum est.

7 *Fiat pax in virtute tua :*
✠ Et ⁝ abundantia in turribus tuis.

C Pax enim a *parcendo* sive a *pascendo* dicta est, talis enim pax illic Christi miseratione confertur quam nulla bella concutiunt, nec seditio ulla perturbat. Turres, autem hic significat martyres, qui, oppositione sui corporis, civitatem Dei pia confessione defendunt, et, quasi eminentia ædificia, ita hostibus fidei repugnare noscuntur.

8 *Propter fratres meos et proximos meos :*
Loquebar pacem de te.

C Monet ergo Propheta ut non propter laudes aut commoda sua quisque doceat, sed propter fratres et C proximos laboret. Pacem vero intellige Ecclesiæ, quam sancti docent in vinculo charitatis servandam. Sed, de te cum dicit, ad Hierusalem se significat loqui, in qua sanctorum cœtus est, id est, adunatio beatorum et summa pax.

9 *Propter domum Domini Dei nostri :*
Quæsivi bona tibi.

C Domus Domini, est Hierusalem, in qua Deus est ad quem bene refertur, quidquid dilectionis impenditur. A Vel propter istam domum hic, scilicet Ecclesiam, ut illic proficerent qui sunt adhuc peregrini, quæsivi et operatus sum docendo.

ORATIO EX PSAL. CXXI.

Ambulantibus in atriis domus tuæ, omnipotens Deus, pacis abundantiam largiri dignare, ut dum te D tota aviditate cordium confitemur, bona tua in cœlestibus capiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXXII.

ARGUMENTUM PSAL. CXXII.

C Propheta, qui prius ad sanctos, oculos levavit, nunc ad ipsum Dominum lumina cordis erexi, petens ut ei Dominus suum donet suffragium; quia instigatione diabolica ab insultantibus adversa patiebatur multa.

TT. *Canticum graduum.*

1 *Ad te levavi oculos meos :*
Qui habitas in cœlis.

C Qui in primo dixerat, ad Dominum cum tribu-

larer clamavi, et in secundo cantico oculos ad montes levavi, lætatus quoque; fuerat quod ingressus in domum Dei sibi fuit repromissus: nunc ad majus proficit, ut etiam ad ipsum Dominum oculos levare audeat. C Levant enim oculos suos sancti (in quacunque tribulatione positi) ad Dominum, et ad illum respiciunt, a quo se veraciter posse salvari confidunt. H Illuc enim oculos levant, quo tendunt et pervenire desiderant.

2 *Ecce sicut oculi servorum:*
In manibus dominorum suorum.

C Attendunt servi ad manus dominorum: sive quando per eos desiderant enutriri: seu quando pro culpis suis jubentur vapulare, donec audiant, parce. Sic nos convenit facere, ut oculos nostros levemus semper ad Deum, cum aliquam indigentiam sustinemus, vel cum pro aliquibus verberamur excessibus. A Manus quippe potestatem significat.

3 *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ:*
Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum,
donec misereatur nostri.

C Sic etenim attendit ancilla in manibus dominæ suæ, sicut servi in manibus dominorum: et ita dum dicitur, oculi nostri sexum utrumque concludit. Donec, hic semper significat, quamvis temporaliter dictum esse videatur. Sicut et in Evangelio dictum est: Non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum (*Matth.* I): quam constat virum nullo cognovisse tempore: ubi similiter pro omni tempore ponitur. Nunquid enim postquam misertus est Dominus, oculi nostri ad eum non erunt?

4 *Miserere nostri, Domine, miserere nostri:*
Quia multum repleti sumus despectione.

C Vox martyrum gemina petitione sibi miserendum deplorat: quia corpora eorum in passionibus, anima laborabat opprobriis. Multum repleti: significat abundantiam passionum, quam tamen se cupide ac libenter pertulisse testatur. Despiciuntur enim sancti a malis, et verberibus lacerantur, flammis exuruntur, gurgitibus merguntur altissimis.

5 ✣ *Quia* ⁝ *multum repleta est anima nostra:*
Opprobrium abundantibus.
Et despectio superbis.

C Omnes qui secundum Christum pie volunt vivere, opprobrium patiuntur ab illis, qui de terrena felicitate atque abundantia mundana superbiunt (*II Tim.* III). C Quia semper divites, pauperes: superbi despiciunt humiles. Non dixit autem divitibus sed abundantibus, ut in malitia abundantes acciereS.

ORATIO EX PSAL. CXXII.

Cœlorum habitator, Deus: ad te levamus oculos nostros, precantes, ut confutatis opprobriis superborum, misericordiam nobis solitam clementer indulgeas. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXXIII.

ARGUMENTUM PSAL. CXXIII.

C Sancti confessores fatentur se de tot ærumnis sæculi, Dei miseratione liberatos: aguntque gratias, quod non sunt decepti a persecutoribus, sed insidiis eorum contritis erepti.

TT. *Canticum graduum.*

C Isti enim gradus in illo sunt itinere constituti, ubi ipse rex patriæ viam se agnoscitur præbuisse: quam si ipso præstante fideliter atque humiliter gradiamur, ad ejus sancta tribunalia pervenimus.

1 *Nisi* ✣ *quia* ⁝ *Dominus erat in nobis dicat nunc Israel:*
Nisi ✣ *quia* ⁝ *Dominus erat in nobis.*

C Vox sanctorum martyrum, in beatitudine jam in Domino exsultantium et dicentium, se nullatenus potuisse inflicta pericula superare, nisi quod Dominus erat in illis. Dicat nunc Israel: præcipiunt quodammodo sancti martyres réliquis piis justisque hominibus, ut unde ipsi fuerant salvati gratias secum agant. Hæc est enim charitatis et unitatis virtus, ut si quid uni prosperum acciderit, omnes sibi provenisse congaudeant: rursum si quid contrarium ingeritur, universi sibi accidisse condoleant. A C Quintum igitur gradum ascendunt, qui in spe fixa: cum sanctis martyribus jam cœlo coronatis, se exsultant invictos tribulationibus coronandos.

2 *Cum exsurgerent homines in nos:*
Forte vivos deglutissent nos.

C Cum exsurgerent homines (scelerati, scilicet, vivos deglutissent nos: humana consuetudo non est, vivos deglutire: sed vivi deglutimur, cum in hæreticas pravitates aut in foveam culparum demergimur. C Vivi enim dicuntur, qui in fide Christi adhuc sunt: mortui, qui a fide decesserunt: quod sanctis viris potuisset accidere, nisi eos virtus superna liberasset.

3 *Cum irasceretur furor eorum in nos:*
Forsitan aqua absorbuisset nos.

C Cum irasceretur, dixit, quia causas justissimas non habebant, ira enim et invidia judicio carent, dum voluntates suas mente præcipiti subsequuntur. Aqua hic iniquos populos vel paganos significat: hi servos Dei absorbere cupiebant, cum in suas deorum suorum culturas eos perducere nitebantur: sed eos virtus divina liberavit. Aquam vero dixerunt antiqui, a qua sunt omnia, credentes ex ea omnia procreata.

4 *Torrentem pertransivit anima nostra:*
Forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

H Torrens est mors carnis, per quam sancti martyres transeuntes, in refrigerium sunt introducti. A C Vel passio tribulatio et persecutio malorum. C Intolerabilis aqua dicitur, quando nostra infirmitas cogitatur sine Dei adjutorio. Nam peccatorum gurgites criminumque tempestates, tolerare quis non valet, nisi cum confugerit ad defensionem Christi: fiunt enim omnia tolerabilia, cum Deus in nobis habitat: tunc enim nec error subripit, nec luxuria trahit, nec superbia ventosa prævalet, nec hostis maligni suggestio.

5 *Benedictus Dominus :*
Qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

H Dentes hic numerositatem signat vitiorum, a quibus ne capiamur, gratia Dei eruimur.

6 *Anima nostra sicut passer erepta est :*
De laqueo venantium.

7 *Laqueus contritus est :*
Et nos liberati sumus.

H Tenduntur nobis laquei, in concupiscentiis ac diversis astutiæ diabolicæ dolis. Sed contrito diabolo sub pedibus nostris (qui nobis laqueus est) sicut passer sapiens et astutus, evolamus ab illo.

8 *Adjutorium nostrum in nomine Domini :*
Qui fecit cœlum et terram.

H Adjutorium nostrum in nomine Domini : hoc est nomen quod est super omne nomen, hujus nominis adjutorio, mortis vincuntur laquei, si in illo maneamus affixi.

C Bene ergo in quinto gradu dicuntur, qui corporeos in passione sensus Domino juvante superare valuerunt.

ORATIO EX PSAL. CXXIII.

Conclude, Domine, hiantia ora malorum, qui sævis obtrectationum dentibus vorare nituntur : ut qui de nostra virtute difficillimus, nominis tui adjutorio muniamur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXXIV.

ARGUMENTUM PSAL. CXXIV.

C Clamat propheta nobis in Domino confidendum, ne laboremus incassum : petens : ut rectis prosperitas, pravis vindicta proveniat.

TT. *Canticum graduum.*

C Quamvis scala ista salutaris, competenti remedio videatur esse constructa : nulla tamen firmitate consistimus, nisi illic Domini regimine teneamur : quæ tamen ascensio fit mente, non corpore. Nam in uno magis loco sedentes, et cellulæ situ reclusi, efficacius istos gradus ascendimus quam si per hominum ora volitemus.

1 *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion : non commovebitur in æternum*
Qui habitat in Hierusalem.

A Sextum gradum ascendit, qui omnimodis in Domino confidens, nec prosperitate malorum hominum titubat in fide de Deo : sed fixis gressibus iter in altum continuat. H Sion, id est speculatio : significat sanctam electorum congregationem, in altitudine contemplationis positam. Mons (juxta Danielem) Dominus Christus (*Dan.* II) : qui in eum totam spem ponit, non commovebitur in æternum : quia conformis efficitur corpori gloriæ Christi. C Hic quoque Hierusalem, cœlestem esse patriam advertimus (quæ est visio pacis) de qua nullus potest commoveri qui meruit in ea constitui.

2 *Montes in circuitu ejus : et Dominus in circuitu populi sui.*
Ex hoc nunc et usque in sæculum.

C Hic enim montes, viros sanctos designant : qui Hierusalem illam cœlestem inhabitant. Et Dominus A in circuitu : ille enim circuit auxilio æternæ defensionis eos, quos sibi fideles esse cognoscit. Ex hoc nunc : istud sæculum significat. Usque in sæculum : illud dicit sæculum, ubi jam sanctis in majestate sui luminis apparebit. Sed cur præbeatur ista defensio consequenter exponitur.

3 *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum :*
Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas :

C Virga : boni malique potestas significatur, hic autem in malam partem accipi manifestum est. Sors justorum : est religio Christiana, supra quam non sinit Christus virgam peccatorum (id est iniquam potestatem tyrannorum) diutius insurgere, ne B Ecclesiam Dei possint longissima persecutione conterere. Ut non extendant ad iniquitatem manus suas, H id est, ut non cogitent : quid mihi prodest quod justus sum, si semper persequuntur me iniqui? hoc est : ut sustineant malos, et non faciant mala : non enim diu relinquit Deus talem virgam super justos, licet diu videatur imbecillis.

4 *Benefac, Domine :*
Bonis et rectis corde.

C Optat igitur propheta his fieri bonum, qui nesciunt a Domino prava voluntate separari. Recti corde sunt, qui Deum sequuntur, et non præire contendunt. H Et qui suam voluntatem divinæ voluntati conformant, non divinam voluntatem ad suam cur- C vare volunt.

5 *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem :*
Pax super Israel.

C Pulchre definita sunt opera iniquitatis : esse obligatio, quæ nos vinculis pravitatis innectit, ut esse liberi nequeamus, cum talibus tantisque laqueis constringimur. Declinantes, id est, jussa Dei non persequentes. Pari enim sententia pereunt, et qui declinare jussa Domini, et operari malitiam vello contendunt. Pax super Israel : hæc pax iste Salvator est, qui semper defendit se videntes. H Qui etiam auferens maceriam inimicitiæ Judæorum et gentium, fecit utraque in credentibus unum, quod D erat ante divisum (*Ephes.* II)

ORATIO EX PSAL. CXXIIII.

Repelle, Domine, nequitias insurgentium, a sorte justorum : ut qui in te toto corde confidunt, nullis tentationum imbribus quatiantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium, etc.

PSALMUS CXXV.

ARGUMENTUM PSAL. CXXV.

C Sanctissimi viri Domini miseratione liberati, gratias agunt : quod de obnoxietate sævissima peccatorum, in tantam gratiam sunt recepti, ut inter gentes probarentur esse laudabiles : deprecantes ut captivitas eorum converteretur in gaudium.

TT. *Canticum graduum.*

1 *In convertendo Dominus captivitatem Sion :*
Facti sumus sicut consolati.

H Captivitas Sion fuit, cum Ecclesia premeretur a cultura idolorum : sed conversa est in libertatem, quando adventu Domini, inferni vincula disrupta sunt. C Vide autem quod non dicit, facti sumus consolati, sed facti sumus sicut consolati : quia illa captivitate explosa, non reddit nos omnino securos, donec in isto corpore mortali versamur, sed in beata Hierusalem erit certa et perfecta consolatio.

2 *Tunc repletum est gaudio os nostrum :*
Et lingua nostra in exsultatione.

C Tunc repletum est os (id est cordis arcanum) gaudio : in adventu Domini Salvatoris, cum commutavit captivitatem nostram in gaudium. Et lingua in exsultatione : cui talia Domini munere præstabantur.

3 *Tunc dicent inter gentes :*
Magnificavit Dominus facere cum eis.

C Non autem dicit gentes, sed inter gentes : quia in adventu Domini gentes universaliter non crediderunt : sed inter gentes erant, ex gentibus fideles facti, cum quibus Dominum magnalia facere cernebant adhuc gentiles infideles.

4 *Magnificavit Dominus facere nobiscum :*
Facti sumus lætantes.

C Et ne putares gentiles (dicentes de fidelibus, magnificavit Dominus) falsum dixisse, confirmant fideles eorum dictum dicentes. Magnificavit Dominus, id est decrevit magnos nos ostendere gentibus donatione virtutum. Facti sumus (utique de tanta gratia) lætantes.

5 *Convertere, Domine, captivitatem nostram :*
Sicut torrens in austro.

C Postulant populi fideles sua iterum peccata dimitti. Sicut torrens. H A Etenim flante Austro (qui est ventus calidus) solvuntur glacies, et impletum aquis torrentem facit currere : sic flante Spiritu sancto, accepta remissione per lamenta, solvuntur peccata nostra. A C Torrens enim dicimus flumina hiemalia, et peccata nostra quæ frigidantia corda congelant : quæ calore Spiritus sancti solvuntur in lacrymas. Sed ut nobis sensus possit constare plenitudo : pronuntiandum est convertere, id est converte (quia deponens est verbum antiquum convertere) captivitatem nostram : sicut torrens in Austro convertitur in liquorem.

6 *Qui seminant in lacrymis,*
In exsultatione metent.

C Spiritalis seminatio semper in lacrymis est : aut enim sancti deplorant præterita peccata, aut cruciantur timore futurorum, aut persecutionibus agitantur : sed qui tale semen seminant, metent gaudia futuræ promissionis. Econtra peccatores in gaudio seminant, et metunt in lacrymis.

7 *Euntes ibant et flebant :*
Mittentes semina sua.

C Euntes sancti bona operando. Flebant : quando pauperes aspiciebant frigore constrictos, inopia sæva maceratos, mittentes semina sua. Sua dicit : ut de propriis laboribus, non de rapinis eleemosynas facere debere cognoscas. Mittentes vero : intellige præmittentes in cœlum, quo ante, nostra acta perveniunt quam nos : illa enim sunt thesaurus noster in cœlo condendus. H Vel euntes (prædicando verbum Dei) flebant : super duritia cordis non credentium.

8 *Venientes autem venient in exsultatione :*
Portantes manipulos suos.

C Venientes : illi veniunt in exsultatione, quibus jam misericordia divina præstatur : qui hic taliter egerunt, qualiter Dei jussa præcipiunt : et fecerunt manipulos, id est, fructuosissimas actiones. Et felix ille, qui triticeis ponderibus ingravatur : ne levitas stipularum, vota messoris eludat, et tunc attendat inanitatem laboris sui, quando jam non prævalet operari.

ORATIO EX PSAL. CXXV.

Consolare, Domine, populum tuum, et libera nos a captivitate pessimorum vitiorum : ut quod hic in lacrymis serimus, te retribuente cum gaudio metamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXXVI.

ARGUMENTUM PSAL. CXXVI.

C Providens propheta Novi Testamenti gratiam : docet ne quis propriis viribus aliquid boni applicet : sed Domino largitori. Loquitur etiam de ipso Domino et apostolis, vel quicunque ipsius mandata perficiunt.

TT. *Canticum graduum Salomoni.*

Salomon interpretatur pacificus, et significat Dominum, de quo Apostolus ait : Ipse est pax nostra (*Ephes.* II). Domus hujus Salomonis : Christi Ecclesia, quæ et civitas est ejus.

1 *Nisi Dominus ædificaverit domum :*
In vanum laboraverunt qui ædificant eam.

C Ædificant domum, qui in unumquemque Christianum, veritatem fidei fabricare contendunt : ipsi enim sunt domus quibus dicit Apostolus, vos enim estis templum Dei (*I Cor.* III). Sed isti, si suis viribus ædificare se putant, laborare videntur in vanum, nisi gratia Dei donet verissimæ credulitatis effectum.

2 *Nisi Dominus custodierit civitatem :*
Frustra vigilat qui custodit eam.

C Civitas enim Domini Hierusalem intelligitur cœlestis, cujus pars adhuc peregrinatur in terris : in qua episcopi vigilare super gregem suum contendunt, ut pervigili cura eam custodiant : quibus idem dicitur, quod ædificantibus : ne credant solas humanas vigilias prævalere, cum sola divinitas incursionis pericula possit arcere.

3 *Vanum est vobis ante lucem surgere : + surgite :*
postquam sederitis.
Qui manducatis panem doloris.

C Adhuc ipsos doctores alloquitur, ut efficacius

corrigatur populus, dum videt etiam magistros præmonitos. Illi autem ante lucem surgere quærunt : qui neglecta humilitate Christi, prius volunt exaltari quam humiliari. Surgite, id est, prius humiliationem sustinete, et post ascensum præmia quærite gaudiorum. Panem doloris : perfecti comedunt Christiani, cum se lacrymis fidelibus castigant : de quibus alius psalmus dicit. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes (*Psal.* XLI). Illis enim dolor panis est, qui se de afflictione reficiunt, et de mundana tristitia consolantur. Et sequitur quando debeant surgere, qui jussi sunt ante sedere. Tunc enim surgent, cum dederit dilectis, etc., id est, cum mortui fuerint, non ante mortem.

4 *Cum dederit dilectis suis somnum ecce hæreditas Domini :*
Filii merces fructus ventris.

C Dilecti sunt Dei, qui eum nimia charitate perquirunt. H Cum illi accepto quietis somno ab hoc sæculo discedunt, tunc fiunt hæreditas Domini : quia jam subjacent tentationibus, tunc non. Et merces fructus ventris : C id est uteri *virginalis* partus. Merces illius fructus est omnis homo qui cum Deo perenniter gaudebit : et ista merces dicta est hæreditas, non autem deitatis sed humanitatis merces dicitur, ut in secundo psalmo dicitur, postula a me, etc.

5 *Sicut sagittæ in manu potentis :*
Ita filii excussorum.

C Sagittæ : sancti apostoli vel cæteri prædicatores. In manu potentis, id est in potestate Christi transmissi ad prædicandum. Sicut enim telum vel sagitta missa a potente, rectissima et cito venit ad destinatum locum : ita apostoli in omnem terram missi, cito quo mittebantur pervenerunt et jussa impleverunt. Ita et filii excussorum : in loco, scilicet prophetarum succedentes, et eorum prophetiam interpretando et explanando discutientes. Discutere *est tectum* aliquod palam facere, prophetæ ergo excussores dicuntur, quoniam secreta cœlestia mundo propalarunt. Illorum filii : apostoli sunt, quia eorum *dictis* credentes, quodammodo fide generati sunt.

6 *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis :*
Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

C Ilos ergo apostolos, beatos dicit, cum eorum labor ad gloriosa vota pervenerit. H Vel ille homo populus beatus est : qui implevit suum desiderium ex ipsis apostolis, id est, ex prædicatione eorum conversus, ea quæ prædicata sunt, scilicet æterna desiderat, et implevit jam hoc desiderium opere. Vel desiderium ex ipsis implet, qui quod ipsi desiderabant, scilicet esse in beatitudine æterna, et ipse desiderat. C Porta civitatis Hierusalem, Christus est : in ipsa enim loquitur qui recta prædicat de Domino. Tali ergo loco prius peccatores et infideles exire facit, et devotos introire. Fideles enim prædicatores non confundentur in porta, quia eis aperitur : malis vero clauditur, ideo confundentur.

ORATIO EX PSAL. CXXVI.

Domorum spiritalium ædificator, Deus ut nos custodias deprecamur, imple in te desiderium nostrum : et electis tuis nos adjunge pro meritis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXXVII.

ARGUMENTUM PSAL. CXXVII.

C Propheta bona timentium Deum enumerans, eos benedicit, ut æterna gaudia consequantur.

TT. *Canticum graduum.*

C Quam sit magnificus nonus gradus, ipse numerus declarat : qui trina protentus triplicatione, sanctum nobis Trinitatis culmen ostendit.

1 *Beati omnes qui timent Dominum :*
Qui ambulant in viis ejus.

C Primo timorem Domini ab hujus sæculi terrore divisit. Dicendo enim beati omnes qui timent Dominum, ostendit non esse beatos, qui hujus mundi pericula in amissione temporalium rerum sollicita mente formidant. Cum viis pluraliter dicit : apostolos et prophetas significat, per quos venitur ad unam viam, id est Christum. Soli igitur isti, sancto illo Dei timore Dominum timent, qui ambulant in viis ejus, id est præceptis, et in his quæ prophetæ apostoli et evangelistæ prædicaverunt. In sequentibus versibus tribus, enumerat utilitates timoris Domini.

2 *Labores manuum tuarum quia manducabis :*
Beatus es et bene tibi erit.

C Labores manuum : remuneratio est bonorum operum. Et ne istud pabulum carneum putares, addidit. Beatus es : nemo enim de carnali comestione beatus efficitur, nisi qui spiritali dono saginatur. Bene tibi erit : cum acceperis quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod Deus se diligenter præparavit (*Isa.* LXIV).

3 *Uxor tua sicut vitis abundans :*
In lateribus domus tuæ.

C Uxor dicta est quasi ut soror : quapropter uxorem hic sapientiam debemus advertere. Vitis vero mater est uvarum, quæ dulcia vina profundens, corda nostra recreat. Sic et sapientia fructus inferens jocundos, suavi nos delectatione lætificat. Latera, duo testamenta sunt : domus, propria cogitatio. Mens enim in cogitatione sua quasi in æde defigitur. Cujus cogitationis duo latera, legem et Evangelium accipe : in quibus mens sancta quasi in duobus ædis lateribus firmata solidatur.

4 *Filii tui sicut novellæ olivarum :*
In circuitu mensæ tuæ.

Filii tui : H Id est actus boni, assistentes in circuitu Scripturæ et doctrinæ cœlestis, cum pinguedine pacis et obumbratione virtutis. C Vel filii utrumque sexum significat, spiritualiter cœlesti verbo genitum : et mensa, Domini altare, ubi cœlesti pane saginantur.

5 *Ecce sic benedicetur homo :*
Qui timet Dominum.

C Cum dicit, ecce sic : significat sicut superius expositum est, sic enim meretur benedici, qui suum timet auctorem.

6 *Benedicat tibi Dominus ex Sion :*
Et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

C Dicit enim, benedicat te Dominus ex Sion, id est Christus qui in hoc monte hominibus apparere dignatus est : et pro nominis sui qualitate, tanquam pastori optimo semper ascribitur : Sion enim speculatio interpretatur : Hierusalem indicatur visio pacis. Optat ergo ut in Hierusalem videat cuncta quæ bona sunt. Sed ne crederes in cœlesti Hierusalem temporaliter ista bona videri, addidit, omnibus die- B bus vitæ tuæ, id est vitæ æternæ.

7 *Et videas filios filiorum tuorum :*
Pacem super Israel.

C Filios enim filiorum : signat nepotes. Quod utique beatis viris contingere potest, qui prædicationibus sanctis populos multos generant. Pax est Dominus Salvator : qui insidet illam beatam Hierusalem, et cuncta bona facit, et beata, quæcunque majestatis suæ virtute complectitur : illam pacem videas, non solum filios filiorum.

ORATIO EX PSAL. CXXVII.

Timentibus nomen tuum, Domine, beatitudinem largire perpetuam : ut talis nobis actio, talisque sit vita, quæ celsum de bonis fructibus meritum reportet ad sidera. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc. C

PSALMUS CXXVIII.

ARGUMENTUM PSAL. CXXVIII.

C R Propheta monet Ecclesiam, ut dicat quot certamina a suis pertulerit hostibus (ne quis fidelium de propriis tribulationibus desperet) prædicens eisdem inimicis, quod eis in judicio futuro esse venturum noverat.

TT. *Canticum graduum.*

C Docet hic propheta toleranter nos sæculi molestias sustinere, quando Ecclesiæ crebras fuisse passiones comprobat.

1 *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea :*
Dicat nunc Israel.

C Admonet propheta Israel, id est Ecclesiam, ut dicat bella sua. Sæpe : hic signat frequentiam passionum. A juventute : significat quando a fratre perverso justus Abel occisus est (*Gen.* IV), et cæteri deinceps quamplurimi : ipsius quoque passione Christi expugnata est Ecclesia. Dicat nunc Israel (id est in hoc sæculo, quando tempus est pœnitentiæ) ut instruantur reliqui fideles, patienter hic ferre persecutiones : quia in futura vita non expugnatur sanctus. Istud quoque dicat nunc Israel, per tres versus sequentes subaudiendum est.

2 *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea :*
Etenim non potuerunt mihi.

C Bene dicit Ecclesia expugnatam se a juventute A sua : ut intelligas nunquam finitam Ecclesiam esse persecutione improborum, quæ ita sæpe est expugnata : crescit enim persecutionibus, suaque contritione grandescit : nam si hic sanctos viros amittit, futuræ patriæ acquirit. Non potest igitur finiri, quæ suis detrimentis augetur : unde non potuisse tamen sibi prævalere dicit eos, quos superius se expugnasse commemorat : quia nunquam eis consensit ad malum.

3 *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores :*
Prolongaverunt iniquitatem suam.

C Fabricatum : vero supra dorsum suum Ecclesia testatur a peccatoribus : qui dolos facere festinant, et occultas suasiones, quasi in dorsum Ecclesiæ (ubi videri non possunt) agunt : qui sic occulte avertere B a sancta fide aliquos moliuntur, ut vel paucos decipiant, qui Ecclesiam totam subvertere non potuerunt. Prolongatas quoque dicit ipsas insidias, quas assidue hostes ingerebant fidelibus : prolongata est enim hæc iniquitas ab Abel usque huc, et in finem usque sæculi prolongabitur.

4 *Dominus justus concidet cervices peccatorum :*
Confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

C Cervices : pro superbia posuit, quam concidit Dominus in illis sic expugnantibus : cum eos ad misericordiam per humilitatem et satisfactionem redire permittit. Confundantur : in extremo judicio, qui jam per pœnitentiam nolunt confundi. Et con- C vertantur retro : ad pœnam æternam : ipsi enim, id est, obstinati ipsi oderunt Sion, id est Ecclesiam.

5 *Fiant sicut fenum tectorum :*
Quod priusquam evellatur exaruit.

C Fenum in tectis antiquis crescens, ante tempus collectionis arescit et perit : quia nulla firma radice viguit. Itaque comparantur peccatores illi caduco feno, quoniam et hic frequenter dispereunt, antequam de hac luce tollantur : nascuntur enim in cacuminibus superbiæ, ubi nulla soliditate consistunt. Il Nec ullum granum bonitatis proferunt.

6 *De quo non implebit manum suam qui metet :*
Et sinum suum qui manipulos colliget.

C Metentes, angeli sunt, qui ultimo die judicii frumentum electorum in horreo cœlestis patriæ re- D condunt : sed de istis (hoc est superbis) manum non implent, quia eos a societate sanctorum reprobatos segregant. De istis enim supra dictum est, venient in exsultatione ferentes manipulos suos : de injustis hic dicitur, quod nec manum plenam fructibus comportent. Manus ad operationem ; sinus ad conscientiam pertinet. In malorum enim actibus, neutrum frugi aliquid potest inveniri.

7 *Et non dixerunt qui præteribant benedictio Domini super vos :*
Benediximus vobis in nomine Domini.

C Prætereuntes : sunt sancti Dei, qui hunc mundum prætereunt, quia pro nihilo habent, et ad illa cœlestia toto amore transeunt : a quibus, sceleratis inaniter operantibus, nulla benedictio præstatur.

Sed ne ista benedictio putaretur humanis viribus applicanda, addit, benediximus vobis, etc : ipsa est etiam firma et vera benedictio, quæ sub Domini commemoratione agitur, a quo venit omne quod expedit.

ORATIO EX PSAL. CXXVIII.

Ab omnium impugnantium nequitiis, Ecclesiam tuam Domine, dextera tuæ potentiæ defende : ut inimicis retrorsum conversis, sacris a te benedictionibus repleatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXXIX.

ARGUMENTUM PSAL. CXXIX.

C Clamat propheta ad Dominum, ut a peccatorum profundo liberetur : benevolentiam boni judicis quærens de calamitatibus indicatis.

TT. *Canticum graduum.*

1 *De profundis clamavi ad te Domine :*
Domine, exaudi vocem meam.

C Profundum est quasi porro fundum, cujus ima omnino demersa sunt. De isto profundo gloriosas effudit lacrymas Petrus, publicanus pectora tutudit (*Luc.* XVIII), Jonas tacitus vociferavit (*Joan.* II). Domine, exaudi : sic cum de profundo oravit, ad altissimi Redemptoris celeriter dona pervenit. Est ergo illud profundum, profunda humilitas pœnitentiæ.

2 *Fiant aures tuæ intendentes :*
In vocem deprecationis meæ.

H Non hic carnalem aurem propheta postulat (sciens Deum incorporeum esse), sed virtutem, qua suos exaudire dignatur, exposcit.

3 *Si iniquitates observaveris, Domine :*
Domine, quis sustinebit ?

C Iniquitatem vult intelligi omne peccatum, quod potest aliqua pravitate committi : iniquum enim est, quod justum non est. Videns ergo propheta nullum esse, qui non aut cogitationibus excedat, aut vacuo sermone delinquat, aut inani actu occupetur : dicit justitiæ ipsius humanum genus non sufficere, nisi misericordiæ præstet auxilium : nemo enim solam Dei justitiam sustinere posset.

4 *Quia apud te propitiatio est :*
Et propter legem tuam sustinui te, Domine.

C Territus igitur justitia Dei, ad patronam misericordiam convolat. Non est enim in nostris actibus ut mereamur absolvi, sed ipsius propitiationis est, ut confitentem reum liberare dignetur. Hæc est autem lex, id est, evangelica jussio, per quam se jure credebat esse salvandum. Sustinuit : indicat charitatem, quæ totam sustinet, et perfectos efficit Christianos. Vel lex tua : lex est miserendi pœnitentibus.

5 *Sustinuit anima mea in verbo ejus :*
Speravit anima mea in Domino.

C Sustinuit anima mea in verbo ejus : quia incarnationem Domini credebat esse venturam. Christus enim verbum istud est, quod sustinendo interim, patienter exspectavit. Et quod non dixit transitorium aliquod verbum, exponit sequenter, dicens illud verbum Dominum : Speravit anima mea in Domino, scilicet qui est verbum Patris, speravit enim anima mea, quod futuris temporibus de Maria virgine, propter interitum generis humani auferendum, nasci dignaretur.

6 *A custodia matutina usque ad noctem :*
Speret Israel in Domino.

C A custodia matutina : Custodia matutina est resurrectio Christi, qui custodientibus sepulcrum militibus matutino tempore surrexit, ex quo enim Christus resurrexit a mortuis, spes Ecclesiæ confirmata est in Domino. Usque ad noctem, id est, usque in finem mundi.

7 *Quia apud Dominum misericordia :*
Et copiosa apud eum redemptio.

C Reddita est causa mirabilis, quare Israel debuisset in Domino sperare : quia in ejus manu misericordia est, quæ potest ex perverso facere justum, ex imbecillo immortalem, ex carneo angelis similem. Addidit etiam et copiosa redemptio : H Quia non auro nec argento, sed pretioso sanguine nos redemit. H Vel copiosa dicit, ne quisquam desperaret de venia, arbitrans non usque ad ipsum redemptionis pretium posse pervenire.

8 *Et ipse redimet Israel :*
Ex omnibus iniquitatibus ejus.

C Redemit itaque Israel : sanguine pretioso, qui purificat non cruentat, qui non maculat sed emundat ab omnibus maculis. Sed cum dicit ipse : ostendit præter ipsum evadendi impossibilitatem : et alium nullum potuisse nos redimere.

ORATIO EX PSAL. CXXIX.

Intendant quæsumus, Domine, pietatis tuæ aures in orationem supplicum, quia apud te propitiatio est peccatorum : ut non observes iniquitates nostras, sed impertias nobis misericordias tuas. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXXX.

ARGUMENTUM PSAL. CXXX.

C Exemplo suo propheta humilitatem Christianum populum docens, pœnam ei gravissimam ponit, si mandata Domini non cum summa humilitate susceperit : hortaturque Israelem jugiter sperare in Domino, quatenus sæculi adversa valeat tolerare.

TT. *Canticum graduum.*

C Totus hic psalmus de mansuetudine atque humilitate cantatur : eoque fit, ut quos labor præmissæ confessionis afflixerat, dulcedo gloriosæ devotionis reficiat.

1 *Domine, non est exaltatum cor meum :*
Neque elati sunt oculi mei.

C Taliter hic hypotheticus syllogismus enascitur : est enim sensus, si non exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei : a superbia videlicet reddor alienus. Attamen non est exaltatum cor meum, neque oculi elati sunt. A superbia igitur reddor alienus

Et sic cum propheta negat de se vitiosa, confitetur omnino laudanda.

2 *Neque ambulavi in magnis*
Neque in mirabilibus super me.

C Ambulavit Pilatus in magnis, qui dixit Christo, nescis quia potestatem habeo dimittendi te (*Joan.* XIX): ambulant in mirabilibus qui de virtutibus quas a Deo acceperunt gloriantur, aut miracula quærunt, non vitam miraculosam.

3 *Si non humiliter sentiebam:*
Sed exaltavi animam meam.

C Dicit se non superbe Scripturas meditatum, monet ergo propheta divinas Scripturas simplici ac puro corde ab unoquoque esse meditandas: non ut Ariani et Manichæi. Iste ergo se dicit humiliter sensisse, ut Apostolus ait: Noli altum sapere sed time (*Rom.* XI). Negat, iterum exaltatam animam ad culmen superbiæ, sed non negat elevatam ad prædicationes divinas. In illis enim rebus animam levare fas est unde cœlesti pane pascatur: in illis superbis exquisitionibus non licet, ubi mors reperitur.

4 *Sicut ablactatus est supra matre sua:*
Ita retributio in anima mea.

C Ablactati dicuntur qui sunt a lacte prohibiti. Et merito talis est facta comparatio, quia sicut infantes ubera materna sugunt, ita fideles parvuli simplicitate Scripturæ divinæ nutriuntur, donec præparentur ad solidum cibum. Est ordo autem verborum talis, si non humiliter sentiebam, sicut ablactatus sub matre sua, sed exaltavi animam meam: tunc ita retribues, id est si ego te præsumpsi contemnere, tunc merito videatis me abjicere.

5 *Speret Israel in Domino:*
Ex hoc nunc et usque in sæculum.

C Docet propheta unumquemque fidelium, ut confidentiam suam semper in Dominum ponat, dicit enim, ex hoc nunc, id est, a præsenti tempore usque ad æternitatem futuram: cum unum sæculum erit et vicissitudo temporum in unitatem perpetuam mutabitur.

ORATIO EX PSAL. CXXX.

Ne permittas nos exaltari in superbiis sæculi, omnipotens Pater: sed qui mitis es et humilis corde (*Matth.* XI), pater [pariter] doce nos humilibus tibi placitis consentire. Qui vivis et regnas, Deus, etc.

PSALMUS CXXXI.

ARGUMENTUM PSAL. CXXXI.

C Hic psalmus Incarnationis Dominicæ sacramenta describit: cujus adventus Ecclesiam benedicat, sacerdotes glorificet, inimicos confundat, et super ipsum Dominum floreat sanctificatio æterna justitiæ.

TT. *Canticum graduum.*

C Cum prophetam omnia cantica graduum ad provectum spei celsioris evexerint: istud tamen eum omnimodis elevavit, *quia* incarnationis Dominicæ sacramenta describit.

1 *Memento Domine, David:*
Et omnis mansuetudinis ejus.

C Memento enim illi dicitur ex humano more, qui nihil aliquando potuit oblivisci, cui omne præteritum et futurum præsens est. Ille autem David manu fortis et desiderabilis est Dominus Christus. Et omnis mansuetudinis ejus: per quod virtus immensæ patientiæ ejus ostenditur.

2 *Sicut juravit Domino:*
Votum vovit Deo Jacob.

C Juravit Dominus, scilicet Christus, id est, jure oravit secundum etymologiam: hoc est veraciter firmeque promisit, promisit vero se redempturum humanum genus. Quos ostendit, quando Petro ait: Mitte gladium tuum in locum suum. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? (*Joan.* XVIII.) Et hoc idem quod promisit, dicitur vovisse: votum itaque Filii fuit, ut per adventum incarnationis ejus reconciliaret Patri genus humanum: hoc tamen votum non est a Patre et Spiritu sancto divisum, quia eorum hoc unum est votum.

3 *Si introiero in tabernaculum domus meæ*
Si ascendero in lectum strati mei.

C Tabernaculum dicit cœlestem habitationem, ubi post resurrectionem assumpta carne videntibus apostolis ascendit. Lectus ipsius, est requies intelligenda, beatissimæ, scilicet passionis consummatio: quia consummata passione requies erat. Promittit enim se Christus non ascensurum in cœlum, nec carni suæ requiem illam daturum, donec quæ Patri promisit impleverit.

4 *Si dedero somnum oculis meis:*
Et palpebris meis dormitationem.

C Somnus iste intelligendus est requies mortis: quia triduana tantum pausatione susceptus est, et nullam corpori corruptionem intulit sed quietem. Palpebræ a palpando dictæ sunt: quæ nisi tremula quadam remissione quieverint, somnus oculos non potest introire. Et idem aliis verbis repetitum sequitur: quoniam revera tempora capitis nostri requiem habere non possunt, quando oculi crebris motibus agitati vigilare noscuntur.

5 *Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino*
Tabernaculum Deo Jacob.

H Nec requiem se temporibus dedisse profitetur, priusquam in homine dignum Domino Patri locum, vel Ecclesiæ congregationem construeret sua resurrectione. C Quia locus ejus est tabernaculum pectoris Christiani, et atria Ecclesiæ catholicæ, quæ ille tanquam cœlum semper inhabitat. Et ipse invenit, qui quæsivit ovem perditam: ipse reperit, qui construxit tabernaculum sibi ex nobis et in nobis.

6 *Ecce audivimus eam in Ephrata:*
Invenimus eam in campis silvæ.

C Audivimus eam scilicet promissionem implendam. Ephrata ipsa est Bethlehem: unde evidenter apparet auditum fuisse, nasciturum Dominum in

Bethlehem, Michæa propheta dicente : Et tu Bethlehem Ephrata nequaquam es minima ; ex te enim exiet dux Christus (*Mich.* v). Campi silvæ : corda sunt gentium, quæ ex peccatis prius silvestribus et dumosis cubilia fuerunt dæmonum, nunc campi vocitantur Domino colente et exstirpante. Campi a capacitate et spatio diffuso dicti sunt.

7 *Introibimus in tabernaculum ejus :*
Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.

H Nos introibimus in tabernaculum Dei : qui in adunatione Ecclesiæ per Dominum congregamur. C Pedes significant evangelicas jussiones : ibi enim steterunt pedes ejus, ubi fidei veritas dignoscitur esse fundata : stant enim Domini pedes æterna soliditate veritatis fixi. H Ibi ergo adorabimus, ubi apostolicæ prædicationes audiuntur, quæ sustentant totum corpus Ecclesiæ : locus itaque iste, Ecclesia est.

8 *Surge, Domine, in requiem tuam :*
Tu et arca sanctificationis *tuæ.*

H C Surge, Domine, id est ab inferis revertere in deitatis tuæ beatitudinem sempiternam. C Tuam dico quam tibi tua majestas attribuit. Tu et arca, hoc est Ecclesia, quam sanctificare dignatus es. Ideo vero Propheta ad Christum dicit : surge, quia jam spiritu prævidit omnia impleta in prædestinatione, quæ superius Christus promisit. H Quasi diceret : jam explesti juramentum, reddidisti votum, invenisti locum Deo, jam produxisti ex latere tuo Ecclesiam ; exsurge nunc, revertere in tabernaculum et requiem tuam.

9 *Sacerdotes tui induantur justitia :*
Et sancti tui exsultent

H Sacerdotes Dei induantur justitia, ut lorica justitiæ muniti (*Ephes.* VI), non saucientur a jaculis inimici. C Et sancti tui exsultent qui Christum in baptismo induerunt. A Vel, omnes sancti, sacerdotes dicti sunt, regali illo sacerdotio fidei et charitatis decorati.

10 *Propter David servum tuum :*
Non avertas faciem Christi tui.

H Propter illum qui ex semine David formam servilem suscepit, non avertatur claritas imaginis tuæ a sanctis, in quibus inhabitet Christus, sed illuminet eos. A C Vel petit Propheta ut a gente Judæorum non avertat faciem suam, propter mortem Christi. Exaudita est oratio, quia multi de gente illa salvi sunt (*Act.* XXI), ut apostoli et alii multi.

11 *Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eum :*
De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

C Quid enim firmius potest dici quam quando ille jurat per quem juratur. Ille promittit qui non potest falli. Frustrare est in irritum promissa deducere, quod hic merito denegat posse evenire ubi locus esse deceptioni non potuit. Fructus est ventris, doctrina Christi cœlestis, de qua populus Christianus est generatus, sedens super sedem ejus, quando similia mandata illius docere probatur. Successores itaque Christi, apostoli et alii positi sunt super sedem Christi qui fuerunt fructus prædicationis Christi, verbo illius geniti. Per David igitur Christus intelligitur, cui Pater hoc juravit, id est, firmiter promisit secundum humanitatem.

12 *Si custodierint filii tui, testamentum meum :*
Et testimonia mea hæc quæ docebo eos.

C Dicitur etiam et hoc de apostolis et Christianis, qui filii Dei dici meruerunt integritate fidei, si testamentum Dei omnemque doctrinam pura devotione custodiant. Sedere semper in cœlestibus et æternaliter, hoc est usque in sæculum, scilicet futurum in cœlo, cujus non erit finis.

13 *Et filii eorum usque in sæculum :*
Sedebunt super sedem tuam.

H Sedebunt et filii nostri, hoc est rememorabuntur opera bona, quæ ob amorem illius operati sumus in conspectu ejus.

14 *Quoniam elegit Dominus Sion :*
Elegit eam in habitationem sibi.

H Sion, sancta Ecclesia, in ipsa enim requiescit Dominus, id est, in cordibus electorum suorum, id est, in sanctis animabus, sacramentis cœlestibus sanctificatis.

15 *Hæc requies mea in sæculum sæculi :*
Hic habitabo quoniam elegi eam.

C Ipsa est enim requies Dominum ipsum speciale tabernaculum in religiosis hominum pectoribus insidere, et sic ubique esse, ut in his dicatur immensus et incomprehensibilis habitare.

16 *Viduam ejus benedicens benedicam :*
Pauperes ejus saturabo panibus.

A Vox Patris de Filio suo, viduam ejus, etc. A C Vidua Christi dicitur Ecclesia, quæ omni auxilio mundano destituta, solam spem suam ponit in Domino. Quam benedicens benedicit qui jugi eam benedictione sanctificat. Revera pauperes Christi cœlesti pane saginantur, quoniam in mundanis copiis semper esuriunt, de quibus dicitur. Beati pauperes spiritu (*Matth.* V).

17 *Sacerdotes ejus induam salutari :*
Et sancti ejus exsultatione exsultabunt.

C Sacerdotes Dei induuntur salutari, quando Dominum Salvatorem summa fidei integritate recipiunt, et ipsius misericordia vestiuntur. Exsultatione exsultabunt, perpetuam lætitiam vult significare sanctorum.

18 *Illic producam cornu David :*
Paravi lucernam Christo meo.

C Illic, cum dicitur, illa beatitudinis requies designatur, de qua superius dixit : Hæc requies mea, etc. Cornu David, fortitudo potestatis Christi in illa judicatione monstranda est, ubi ab ipso sanctis æterna præmia conceduntur. Paravi lucernam, H, A C id est Joannem Baptistam, vel ejus lumen prædicationis, scilicet Joannis Baptistæ, qui fuit vera lucerna Christi (*Joan.* V).

19 *Inimicos ejus induam confusione:*
Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

C Sicut sacerdotes Dei induuntur salutari, ita inimici ejus, hoc est hæretici vel pagani, vel quicunque contra ejus instituta vixerunt, confusionis velamine vestiuntur, quando illi audiunt: Venite, benedicti; isti autem: Ite in ignem æternum. Efflorebit autem dixit, ad exprimendam sanctitatem gloriosæ incarnationis; floruit enim in Christo paterna semper sanctificatio, quidquid egit vel quidquid pertulit.

ORATIO EX PSAL. CXXXI.

In omni ingressu nostro, memor esto nostri, omnipotens Deus, indue nos sacerdotali justitia, ut induci mereamur in tabernacula sempiterna. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXXXII.

ARGUMENTUM PSAL. CXXXII.

C Post præcedentis psalmi gloriosissimam prædicationem, Propheta beatam prædicat unitatem, ut qui se Christiana religione constringunt in una charitatis convenientia perseverent.

TT. *Canticum graduum.*

1 *Ecce quam bonum et quam jucundum:*
Habitare fratres in unum.

H Hic duo posuit, bonum, scilicet et jucundum, et, quod sibi videbatur esse contrarium, uno sermone conjunxit, cum martyrium sit bonum non jucundum; voluptas jucunda non bona. C Dicendo autem fratres in unum, significat non carnales fratres, sed eos qui fidei societate sub uno patre sunt constituti, quibus est cor unum et anima una (*Act.* IV).

2 *Sicut unguentum in capite:*
Quod descendit in barbam, barbam Aaron.

C Unguentum in capite, est Spiritus sanctus, qui descendit supra Christum in baptismo in specie columbæ (*Matth.* III); qui est caput corporis Ecclesiæ. Quod descendit in barbam, id est idem ipse Spiritus in apostolos, qui barba bene dicti sunt, quoniam viriliter fixi sub Christo suo capite velut barba perseverant. Addidit Aaron qui Christi speciem gestabat in suo sacerdotio, ut non cujuscunque hominis barbam, sed Christi intelligeres.

3 *Quod descendit in ora vestimenti ejus:*
Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

C Per oram vestimenti Dei significatur Ecclesia, in cujus ora descendit unctio ista, quia usque in finem sæculi descendit Spiritus sanctus super *eam* in baptismo, suaque miseratione sanctificat. H Hermon, Hebræum nomen est montis ultra Jordanem fluvium constituti, et interpretatur *anathema*, significatque populum Judæorum a Deo reprobatum. Ros Hermon, divina Scriptura, quæ prius Judæis credita est, et postea ad montem Sion, id est Christi Ecclesiam, transcendit, A vel fides et gratia Dei. Ros, iste est a Judæa in gentes descendens, quæ nunc speculantur fide Deum, et ideo Sion sunt.

A 4 *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem:*
+ Et: vitam usque in sæculum.

C Illic, scilicet in Sion, id est in Ecclesia, quæ fratrum adunatione consistit. Mandavit benedictionem, hoc est misit Salvatorem, qui credentium est vita et *beatitudo* perpetua. C Nulla, non discordantibus benedictio præstatur. Illic ergo ubi concordia est benedictio Dei mandatur.

ORATIO EX PSAL. CXXXII.

Infunde, Domine, in Ecclesiam tuam, charitatem nostræ fraternitatis et pacis, ut, rore unguenti spiritalis aspersi, benedictionis tuæ gratia jucundemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXXXIII.

B ARGUMENTUM PSAL. CXXXIII.

C Post mutuæ dilectionis monita, nunc consequenter suadet ut felix adunatio in laudes Domini flagrantissimo charitatis studio concitetur.

TT *Canticum graduum.*

1 *Ecce + nunc : benedicite Domino:*
Omnes servi Domini.

C Ecce, dictum est, ut rebus certis atque perfectis non solum sermo, sed etiam articularis præstaretur ostensio. Sed, nunc, dictum est, id est in æterna patria, quia, tot gradibus ascensis, solus ille laudari debuit, mirabiliter qui tanta concessit. Tunc enim majori studio prædicandus est Dominus, quando facit sua largitate securos. Vel, nunc, id est, in præsenti vita, ubi exercendus est animus, C ut in futuro æternis laudibus occupetur. Benedicite, id est, laudate, quia nos illum benedicendo laudamus, ille nos benedicendo sanctificat. H Servi Domini sunt quibus ira non imperat, quibus peccata non regnant, quibus non dominantur vitia.

2 *Qui statis in domo Domini:*
+ In atriis domus Dei nostri : .

C Illi stant in domo Domini, quorum animus in religione Dei firmo vestigio perseverat. Atrium, est ingressus mansionis significans eos qui meruerunt esse, *vel in penetralibus*, jam sunt vel in ingressu sanctæ Dei Ecclesiæ Dei nostri, id est, non quem gentilitas colit, sed quem vera religio confitetur.

D 3 *In noctibus extollite manus vestras in sancta:*
Et benedicite Domino.

C In noctibus significat terminum istius mundi, tempus quod semper tribulationibus obscuratur. Ibi enim levandæ sunt manus ubi meretur bona operatio auxilium Domini. Cum dicit, extollite, hoc est uberius eleemosynam et bona opera facite. Addidit vero, in sancta, scilicet Ecclesia, vel in sancto, scilicet Christo, ut in Hebræo est, vel in sancta opera, quæ solum in Ecclesia sancta sunt. Illam enim solam eleemosynam Christus accipit, quam ejus nomine, id est, in sancta Ecclesia fidelis Christianus obtulerit. Sed, ne quis sibi aliquid arroget, Dominum dicit esse benedicendum, quia ipse dat et animam misericordem, et substantiam largiorem.

4 *Benedicat te Dominus ex Sion :*
Qui fecit cœlum et terram.

H Istum versiculum Spiritus sanctus loquitur, sive Propheta, ad illum, qui per quindecim gradus ascendit ad benedictionem, ut recipiat mercedem. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram, ad distinctionem eorum dicit. Qui sunt dii falsi.

ORATIO EX PSAL. CXXXIII.

Benedicentes te, Domine, deprecamur, ut nos mundi hujus nocte contectos, illuminare digneris quatenus dum manus nostras in bonis operibus elevamus, benedictionem a te largissimam consequamur. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXXXIV.

ARGUMENTUM PSAL. CXXXIV.

C Propheta laudes Domino dicit, esse solvendas, magnalia ipsius diversa commemorans destruensque falsitatem idolorum cultores redarguit.

TT. *Alleluia.*

C Perascensis gradibus usque ad illam summitatem, quæ securos efficit Christianos, congrue nimis ponitur, alleluia, ut laudibus Domini perfruatur sancta Ecclesia, cui tale munus noscitur esse præparatum. Quapropter sinceris mentibus alleluia dicamus, ut illi sancto populo, per divinam gratiam misceamur.

1 *Laudate nomen Domini :*
Laudate, servi, Dominum.

H Laudate nomen Domini, quod per fidem cognovistis esse super omne nomen. Laudate servi, C id est qui servi ipsius estis prona voluntate devoti et dimisistis servire diabolo.

2 *Qui statis in domo Domini :*
In atriis domus Dei nostri.

C Qui statis, hoc est qui perseveranti voluntate in ejus credulitate consistis. Atrium dicitur amplissimæ domus primus ingressus, ubi habitantes focos facere solebant. Et ab atro fumo appellata sunt atria, quasi *atra*, illos enim Deum benedicere in his verbis debere dicit, qui in primum membrum domus Dominicæ videntur ingressi.

3 *Laudate Dominum quia bonus Dominus.*
Psallite nomini ejus quoniam suave est :

H Considerate quod, laudate tertio posuit, ut, per laudis similem qualitatem, sanctæ Trinitatis indivisibilem unitatem nobis ostenderet. Quoniam bonus, qui non solum bonus sed optimus. Psallere vero ad bonas operationes corporis refertur, ut in hac conversatione Dominum videamur de nostra probitate laudare.

4 *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus*
Israel in possessionem sibi.

C Elegit itaque Jacob Dominus, dum populum Ecclesiæ diversarum gentium adunavit. Possidet Israel, quando in illa resurrectione beatorum, ipse in omnibus habitare probatur.

A 5 *Quoniam ego cognovi quod magnus est Dominus,*
Et Deus noster præ omnibus diis.

C Videbat enim vir sanctissimus majestatem illam, mirabilem, virtutibus cœlorum imperantem, et illius magnitudinem revelante spiritu cognovit, merito præ omnibus diis magnum Dominum dixit, a quo cuncta creata sunt. Non autem deos dixit : quod eos deos crederet, quos stulta gentilitas adorabat ; sed, quia ipsi eos deos dicebant, quos suggillando eorum vocabulo commemorat.

6 *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo*
et in terra :
In mari et in omnibus abyssis.

C Cœlum, positum est, pro cunctis cœlestibus,
B terra, pro omnibus quæ in humo gignuntur ; mare, pro istis sinibus, quos commeantium discursus invisitat ; abyssus, Oceanum significat, qui propter altitudinem suam nobis ignotus est. In his omnibus voluntas Dei sine dubitatione completur.

7 *E ducens nubes ab extremo terræ :*
Fulgura in pluviam fecit.

C Si sequentia ad litteram accipis, vera sunt. Sed, quia de Hebræo populo dicit inferius, convenit hæc quoque hominibus applicare. A C Educens nubes, id est, elevans prophetas ab humili proposito, et fecit pervenire ad fastigium prædicationis. Fulgura, sunt prophetarum prædicationes, cum terrendo percutiunt peccatores, et pluviæ fiunt, cum diluunt delin-
C quentes a peccatis, et imbrem salutarem infundunt, unde spirituales fructus germinent.

8 *Qui producit ventos de thesauris suis :*
Qui percussit primogenita Ægypti ab homine
usque ad pecus

C Ventos, apostolos dicit, quorum prædicatio totum mundum tanquam ventus celerrimus percurrit. De thesauris, H id est, de arcanis cœlestibus. C Primogenita mundi percutit Deus quasi Ægypti, quando natos homines originali peccato sua potentiæ inspiratione correxit. Ab homine, id est, prudentioribus hujus sæculi usque ad mansuetos ac simplices viros ; omnes enim, ni per gratia Domini liberentur a diabolo, velut Pharaonis impia dominatione deprimuntur.

D 9 *Emisit signa et prodigia in medio tui, Ægypte :*
In Pharaonem et in omnes servos ejus.

C Misit signa, quando in passione Christi terra tremuit, saxa disrupta sunt. Dictum est signum ab eo quod significet, sicut vestigio viso, transisse animal cujus vestigium est cogitamus, prodigia quasi porro dicia, id est, longe prædicentia ; quæ tunc facit, cum animas fideles per aliqua signa præmissa convertit. Pharao *dissipatio* interpretatur, et diabolum significat. In omnes servos ejus, id est, in illos qui illi serviunt ; illius enim servi sumus cui spontanea mente servimus. Submergitur enim cum servis suis diabolus, quando salutari fonte baptismi populus a diaboli errore liberatur.

10 *Qui percussit gentes multas :*
Et occidit reges fortes.

C Gentes, dicit catervas vitiorum. Has percutimus, quando satisfactione per pœnitentiam vulneramus; quod enim est illis vulnus, nobis salus est. Reges fortes, spiritus immundos dicit, quos occidit Dominus, cum nos mundat a delictis, et illos facit a nobis extraneos.

11 *Sehon regem Amorrhæorum et Og regem Basan :*
Et omnia regna Chanaan.

C Sehon interpretatur *tentatio oculorum;* Amorrhæi, *amaricantes.* Vere amara sunt vitia, quæ nos ab illa beatitudine jucundissima deducunt. Hæc habent regem diabolum, qui est tentatio oculorum, quando se transformat in angelum lucis (*II Cor.* XI), ut per speciem boni devotos decipiat. Ista Deus occidit, quando nos a talium servitute *liberaverit.* Og, *conclusio;* Basan, *confusio* interpretatur. Merito ergo confusionis rex conclusio perhibetur. Diabolus enim nobis conclusit regnum cœleste, et in confusionem dejecit. H Chanaan, *commotio* interpretatur, quia diaboli illa regna commovent nos a Deo. C Quæ ille occidit, qui crucem pro omnium salute suscepit.

12 *Et dedit terram eorum hæreditatem :*
Hæreditatem Israel populo suo.

C Terra, illa est quam sine dubio Christiani æterna pace possidebunt in hæreditatem. Ideo addit, hæreditatem Israel populo suo; ista ergo hæreditas beatitudinis est ipsa perpetuitas, H in quam nos sua gratia ascivit.

13 *Domine nomen tuum in æternum :*
Domine, memoriale tuum in generatione et generationem.

C Precatur ergo, ut humano generi nomen ejus semper debeat permanere quatenus ab adventu Christi usque ad finem sæculi semper dici et esse debeant Christiani. H Vel, illo nomine in æternum permanente, hoc nobis sit hæreditas sempiterna. C Memoriale Dei est quidquid in Scripturis sanctis commonitione saluberrima continetur. Sæculum sæculi significat diem sempiternum; ubi enim nos habemus, generatione et generatione, Cassiodori translatio habet, in sæculum sæculi. H Vel, generatione et generatione, scilicet Judæorum et Christianorum, ut, quod legis umbra præfiguravit, in Evangelio agnoscatur. A Vel, in hoc sæculo et futuro.

14 *Quia judicabit Dominus populum suum*
Et in servis suis deprecabitur.

C Judicabit, id est damnabit Dominus Judæos non credentes, quia noluerunt esse ipsius, quos de cunctis elegit nationibus ad possidendum. Et in servis suis, id est fidelibus, quibus dictum est. Qui credit in me, non judicabitur, sed transit de morte ad vitam (*Joan.* XI). In illis deprecabitur, id est propitiabitur, quibus æterna promissa dat. Ab illis deprecatur quos et exaudit.

A 15 *Simulacra gentium argentum et aurum :*
Opera manuum hominum.

C Designantur autem hic simulacra per illud unde sunt, id est aurum et argentum, metallorum, scilicet qualitate formata, ad irrisionem gentium. Bene enim gentiles irridentur, cum putant deos suos homini præstare quod capiunt ab homine, scilicet aurum, argentum, etc. Melius enim consulerent sibi homines, ea frangentes; tunc enim aliquid prosunt, si ad pecunias translata descendunt. Unde Deus eorum non exaudit integer, sed præstat potius imminutus.

16 *Os habent et non loquentur :*
Oculos habent et non videbunt.

C Quid prodest os quod non loquitur? quid oculus qui non videt? Vocabula enim sunt vana, non officia
B profutura.

17 *Aures habent et non audient*
Neque enim est spiritus in ore ipsorum.

C Quid prodest auris quæ non audit? quid nares quæ non odorant? nomina vana sine rebus, præsumptio caduca. Quæ utilitas manus quæ non palpat? quid pes qui non movetur? quid guttur quod non sonat? noxia sunt deliramenta, non veritas firma. Abunde enim gentium simulacra derisa sunt.

8 *Similes illis fiant qui faciunt ea :*
Et omnes qui confidunt in eis.

C Dignum est enim ut careant collatis sensibus qui deos insensatos sibimet effecerunt. Et intuere quoniam fabricatores et cultores omnes idolorum una complectitur damnatione, dum dicit, qui faciunt
C et qui confidunt in eis.

19 *Domus Israel benedicite Domino :*
Domus Aaron, benedicite Domino.

C Admonet hic ut vero Domino debeant personare laudes fidelium. Per Israel, omnis justus significatur qui divina contemplatione gratulatur. In Aaron, sacerdotes sancti significantur.

20 *Domus Levi benedicite Domino :*
Qui timetis Dominum, benedicite Domino.

C In Levi etiam, sancti ministri, id est diaconi significantur; ad postremum, qui Domino in qualibet conversatione famulantur. Sic omnis populus Deo devotus per diversas partes Deum laudate præcipitur.

D 21 *Benedictus Dominus ex Sion :*
Qui habitat in Hierusalem.

C Benedictus Dominus, id est Christus, qui est Sion; id est suam Ecclesiam sancta incarnatione visitavit. Ipse est qui habitat in Hierusalem, quæ diversorum sanctorum congregatione construitur, et regis sui præsentia, felicitate lætatur æterna.

ORATIO EX PSAL. CXXXIV.

Suavitatis eximiæ Deus quem omnis terra produlcedinis benignitate collaudat rogamus ut, abluto a nobis vanæ superstitionis errore, tuis voluntatibus connectamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXXXV.

ARGUMENTUM PSAL. CXXXV.

C Magnificentiam Domini Propheta declarans miracula refert quæ fecerit in Ægypto et gente Judæorum, misericordiam ejus sæpius nobis inculcans, quia, illius est misericordia, omne quod possumus, et clementia, omne quod vivimus.

TT. *Alleluia.*

C Mirabilis psalmus, et nimia virtute profundus. Cujus enim virtutis sit, in Paralipomenon ostenditur, ubi ait : Cum cœpissent Deum laudare et dicere : Confitemini Domino, etc., implebatur domus nube et caligine, ita quod nec sacerdotes poterant stare et ministrare propter caliginem; compleverat enim gloria Domini domum Dei (*II Paral.* v). Nam B licet in omnibus psalmis, si pure cantantur, certum sit adesse divinam præsentiam, hoc tamen magis creditur quod legis auctoritate firmatur.

1 *Confitemini Domino quoniam bonus :*
Quoniam in æternum misericordia ejus.

C Confitemini, tam confessio peccatorum quam laudis intelligitur. *Quod* vero misericordia, in singulis versibus repetitur, hoc indicat, quia omnia quæ dicuntur, ex misericordia Dei procedunt, sine qua nec esse nec valere possumus. Quapropter nec ab ore nostro debet nec a corde discedere, quatenus et ipsa dignetur nos jugi tuitione servare. Bonus, vero dicitur, quoniam laudes suas clementer audit, et supplicantibus miseratus indulget. Addit, in æternum misericordia ejus, quia hic præstat ut C recreet; parcit, ut corrigat; et in futuro misericordiam tribuit, ut coronet.

2 *Confitemini Deo deorum :*
Quoniam in æternum misericordia ejus.

C Deus ille deorum est, cui nullus similis invenitur. Et non potest Deus deorum, nisi sola Trinitas sancta, nuncupari.

3 *Confitemini Domino Dominorum :*
Quoniam in æternum, etc.

C Dominus dominorum ille solus est, cui cuncta deserviunt. Ipse est etiam sanctus sanctorum, ipse rex regum et omnium potestatum.

4 *Qui facit mirabilia magna solus :*
Quoniam.

A C Per istos omnes versus, usque in finem subaudiendum est : confitemini, ut nobis plena possit constare sententia. Dicit itaque solum illum fecisse mirabilia, quasi et non per Angelos et apostolos fecerit mirabilia, sed hic memorat ista mirabilia fecisse solum, quando verbo suo conditiones rerum fabricasse monstratur, quas sine ministerio fecit creaturæ, unde sequitur : Qui fecit, etc.

5 *Qui fecit cœlos in intellectu :*
Quoniam.

C In intellectu ergo cœlos fecit, quia nulla confusione, nulla inordinatione, nulla informitate creati sunt, sed distincti atque compositi, in sapientia creatoris sui peracti sunt.

A 6 *Qui firmavit terram super aquas.*
Quoniam.

C Firmavit terram super aquas, scilicet sacri baptismatis. Terra nostra, hoc est corpus nostrum, reficitur, dum stabilitate religionis firmatur. Sive ad litteram, super aquas, id est juxta aquas. Vel etiam, superiorem aquis una parte sui.

7 *Qui fecit luminaria magna :*
Quoniam.

C Etsi ad litteram de astris verum sit, spiritaliter tamen magna luminaria fecit, cum Angelos ac Potestates, Thronos, Dominationes creavit : *quæ pie*tate sanctissima cœlesti lumine irradian

8 *Solem in potestatem diei :*
Quoniam.

C Potestas diei : est adventus solis, *quia* per eum omnibus declaratur visibilis creatura. Potest et de Christo dici, qui illuminat mentium tenebras.

9 *Lunam et stellas in potestatem noctis :*
Quoniam.

C Lunam, Ecclesiam debemus accipere : stellas, ejus diversos ordines, ut sunt episcopi, presbyteri, diaconi : qui velut stellæ cœlesti noscuntur conversatione radiare. Qui in potestatem noctis, id est istius sæculi dati sunt : ut per eos caliginosa relucent corda mortalium.

10 *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum :*
Quoniam.

C Quoniam historia nota est, videamus quid hic possit spiritualiter intelligi. Percussit Christus primitiva Ægypti : quando istius sæculi damnavit gloriam, quæ putabatur esse præcipua. Nam luxus et superbia ac avaritia, quasi primitiva sunt mundi : ipsa enim primo generat pessimus venter, et velut charos filios amplectitur, dum rerum istarum cupiditate gratulatur. Hæc percussit dum damnavit.

11 *Qui eduxit Israel de medio eorum :*
Quoniam.

C Per medium enim Ægyptiorum eduxit Israel : quando sanctos suos a conversatione liberavit pessimorum, et a mundi istius teterrima habitatione in lucem suæ veritatis adducit.

D 12 *In manu potenti et brachio excelso*
Quoniam.

C Manus fortis : ad invincibilem pertinet actionem. Brachium excelsum : ad omnipotentiam Domini singularem, quæ semper demonstrat omnium rerum auctorem.

13 *Qui divisit mare Rubrum in divisiones*
Quoniam.

C Rubrum mare : est istius sæculi permista profunditas : quam multis divisionibus transimus, quando conversi ad terram viventium festinamus, alter enim per eleemosynas, *alter per assiduas orationes, alter per virginitatem, alter per charitatem* transit ad Deum.

14 ✣ *Et ⁝ eduxit Israel per medium ejus:*
Quoniam.

C Et eduxit Israel: quoniam iste versiculus repetitus est, expositio superius dicta sufficiat.

15 *Et excussit Pharaonem, et virtutem ejus in mari Rubro ;*
Quoniam.

C Et excussit Pharaonem, id est, diabolum cum ministris suis, in fonte salutis, id est baptismi: ubi eos suæ potentiæ virtute removet. Excussit autem dixit (hoc est quasi pulverem projecit) ut de celeritate et virtutem divinitatis ostenderet, et illos terrenas sordes esse monstraret.

16 *Qui transduxit populum suum per desertum :*
Quoniam.

C Desertus enim dicitur mundus: qui divina electione privatus fuit, et merito sic vocatur, quia ad se venientem non recepit auctorem. Illi ergo a Christo per eum transducuntur, qui illæsi a malis ejus pertranseunt.

17 *Qui percussit reges magnos*
Quoniam in æternum.

C Percussit reges magnos: quando in corde nostro cœlestis medicus impia desideria exstinxit: tunc enim nos vivimus, dum illa moriuntur: Econtrario necesse est nos succumbere, si contingat illa superare.

18 *Et occidit reges fortes:*
Quoniam in æternum.

C Reges fortes occidit: quando a nobis expellit dæmonia, immissione varia grassantia: quorum voluntas mala tunc exstinguitur, si fidelium animæ ab eorum potestate tollantur.

19 *Seon regem Amorrhæorum:*
Quoniam.

C Seon quidem interpretatur tentatio oculorum, ve arbor infructuosa. Amorrhæus, exacerbatio, quæ omnia videntur ad diabolum pertinere. Ipse est enim arbor infructuosa, ipse est exacerbatio. Sed hæc in nobis Dominus occidit, quando nos ad instituta sua morum sanctitate perduxerit.

20 *Et Og, regem Basan:*
Quoniam.

C Og: conclusio seu coacervans interpretatum dicitur. Basan: confusio, et diabolum significat. Qui recte confusio dicitur: quoniam suos sequaces confundit, et ipse in judicio Dei de beatitudine discedit confusus: ipse quoque peccata nostra coacervat ut accuset, et viam ad Deum concludit ne videatur.

21 ✣ *Et dedit terram eorum hæreditatem ⁝ :*
Quoniam.

C Data est terra illa æternæ beatitudinis populo Christiano, quæ fuerat pollicita Judæis. Illis enim in sua iniquitate projectis, sanctis ac fidelibus promissa hæreditatis præmia conferuntur.

22 *Hæreditatem Israel servo suo:*
Quoniam

C Cum dicit servo suo, id est Christiano populo. A Illos enim sequestrat: qui jussionibus ejus restiterunt, sive Judæos, sive Christianos.

23 *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri:*
Quoniam.

C Ipse enim Christus monstravit nobis et humilitatis viam, et patientiæ disciplinam. Quapropter in humilitate positorum memor fuit: quando in adventu suo eos proprio cruore liberavit. Tunc quoque latius cœpit desiderari humilitas, quando eam in se Dominus Salvator ostendit.

24 *Et redemit nos ab inimicis nostris:*
Quoniam.

C Redemit enim nos a diversis injuriis, de potestate diaboli, quando alapis cæsus, flagellatus, verberatus est et sanguinem in pretium dedit.

B 25 *Qui dat escam omni carni:*
Quoniam.

C Dat escam carni: cum suos fideles corpore et sanguine suo saginare et satiare dignatur. Si etiam ad litteram intelligas, sua misericordia omnia tenet et cibat.

26 *Confitemini Deo cœli:*
Quoniam in æternum.

C Confitemini Deo cœli, id est debitas ei reddite laudes, qui nos a terrenis ad cœlestia commutavit.

27 ✣ *Confitemini Domino dominorum :*
Quoniam ⁝ .

C Memorat iterum in fine, per ipsum versum quem in capite posuit, esse confitendum: ne quid præter ejus laudem et misericordiam agi posse crederetur. C

ORATIO EX PSAL. CXXXV.

Memor humanitatis nostræ miserere, omnipotens Deus; ut qui quondam patribus nostris terram adversariorum in hæreditatem donasti: nos a peccatis liberos cum tua hæreditate constitue. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXXXVI.

ARGUMENTUM PSAL. CXXXVI.

B Tripliciter hic psalmus intelligi potest: de captivitate Judaica in Babylone: et de peccatoribus ab Ecclesia ejectis: et de ea ejectione, qua primi nostri parentes de paradiso expulsi sunt.

TT. ✣ *David psalmus ⁝*

D 1 *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus :*
Dum recordaremur Sion.

H Babylon: confusio interpretatur, et significat præsentem mundum. Flumen ⁝ significat unumquemque pulchrum ad horam, cujus flos sicut flumen transit. C Supra flumina sedent fideles: qui captivitatem in hoc mundo patiuntur, et suspirantes desiderio patriæ cœlestis Hierusalem, amaras lacrymas fundunt.

2 *In salicibus in medio ejus :*
Suspendimus organa nostra.

H Salix est lignum infructuosum, et dicitur quod si quis ex illa accipiat potionem aut manducet, filios

non facit. Organum autem, hominis corpus est. Sicut enim organum ex multis fistulis compositum est, ita corpus nostrum ex multis organis et membris : per ipsum quoque tactum manibus, hoc est per opera, melos et cantica et hymnos referimus Deo. Dicitur iterum salix radicem non habere, tamen si abscinditur et secus aquam plantatur, statim virescit : sic peccator, licet peccaverit et ecciderit, tamen si sit secus aquam, id est, si legit sacras Scripturas, viret anima ejus.

3 *Quia illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos :*
Verba cantionum.

H Dæmones qui deceperunt nos et captivos duxerunt, nunc quasi gloriantes et deridentes dicunt nobis, reddite verbum de fide vestra, et quemadmodum quando eratis in Hierusalem, id est paradiso, hymnum dicebatis Deo, ita nunc canite. C Tenet quippe nos lex peccati in membris nostris captivos secundum mentem, ut non quod volumus faciamus, sed quod nolumus.

4 *Et qui abduxerunt nos*
Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

C Et qui abduxerunt nos, id est concupiscentiæ carnales (quæ nos jure captivitatis illaqueant) frequenter suadent, ut verba psalmodiæ in locis immundis canere debeamus.

5 *Quomodo cantabimus canticum Domini :*
In terra aliena?

C Quomodo cantabimus? illis respondendum est : nos in peccatis constituti. In terra aliena, id est inter actus vitiosos, qui sunt a Deo alieni. Canticum Domino. H Peccator etenim non debet cantare, sed lugere peccata sua. Non potest enim nisi sanctu vere Deum laudare (*Psal.* XLIX; *Eccli.* XV).

6 *Si oblitus fuero tui Hierusalem :*
Oblivioni detur dextera mea.

C Astringit itaque se Propheta duris conditionibus et vinculis, non ab ejus mente discedere cœlestem Hierusalem, quæ est regio beatorum. Quam qui hic obliviscitur in regnum Dei minime collocatur. H Dextera, quippe bonorum sunt opera recta. Si vis semper in memoria Dei esse, opera fac dexteræ.

7 *Adhæreat lingua mea faucibus meis :*
Si non meminero tui.

C Nunc proponitur secunda pœnalis conditio. Quid enim probatur deterius esse, quam illud non posse loqui, unde consuevit medicina præstari? psalmodia est enim consolatio flentium, cura dolentium, sanitas ægrotorum, hoc animæ remedium, hoc miserorum omnium cognoscitur esse suffugium. Recordari igitur semper Christi debes, ne tali munere priveris.

8 ✠ *Si non proposuero Hierusalem :*
In principio lætitiæ meæ.

C Principium lætitiæ est semper validum, semper amplissimum, quoniam in ipsis initiis voluntas accenditur gaudiorum. Omnia enim subita violenta sunt, et quod diuturnum in hoc sæculo fuerit, intepescit. Vel, principium lætitiæ, Filius natus est Dei

A 9 *Memor esto, Domine, filiorum Edom.*
In die Hierusalem.

C Edom, alii *sanguineum*, alii *terrenum* interpretantur. H Quis ergo est, nisi diabolus? diabolus est enim qui decipit genus humanum, cui petit Propheta retribui, ut sentiat pœnam quam ipse sua malitia homini adduxit, trahens et adducens in Babylonem.

10 *Qui dicunt : Exinanite, exinanite :*
Usque ad fundamentum in ea.

C Verba ista filiorum sunt Edom, persequentium populum Christianum; qui persequebantur usque ad fundamentum, id est usque ad mortem martyrii. Dicere autem, exinanite, est dicere, lucem temporalem eripite. A similitudine cisternæ tracta sunt verba; quæ quanto plus exhauritur, tanto magis
B exinanitur. Verum quid prodest malis usque ad fundamentum, quod Christus est, exinanire Christianorum temporalia, dum fundamentum Christum eripere non possint, neque æterna bona minuere?

11 *Filia Babylonis misera :*
Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.

C Filia Babylonis, caro nostra est, quæ confusionem nobis ingerit peccatorum, quæ misera est dicta, quia illicitis concupiscentiis semper *sauciat* animam vulnere peccatorum. Cui retribuere, est eam jejuniis et diversis tribulationibus subditam facere virtutibus, quæ nos concupiscentiis suis concitavit ad vitia, ut quæ traxit ad culpam, adjutorio Dei perducatur ad gloriam.

C 12 *Beatus qui tenebit :*
Et allidet parvulos suos ad petram.

C Adhuc loquitur ad ipsam carnem, beatum esse commemorans, qui filios ejus, id est vitia nocentia tenet et cohibet, et non permittit sibi nocere. Et allidet ad petram, id est ad Christum, ut non moretur tenens, ne voluptas blanda *subripiat*, sed ut statim confracta dispereant quæ nos teterrimis motibus instigabant.

ORATIO EX PSAL. CXXXVI.

Captivitatum nostrarum potentissime Absolutor, concede nobis laudes tuas spiritali canere concentu, ut, quos onus noxæ ante fecit exsules, alleviatio potentis dexteræ cœlestes restituat cives. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

D

PSALMUS CXXXVII.

ARGUMENTUM PSAL. CXXXVII.

C Universalis Ecclesia Domini beneficia sibi attributa collaudans monet ut reges terræ Deum confiteantur excelsum, oratque ne peccatores conversos despiciat, quos creare dignatus est.

TT. ✠ *Ipsi David.*

C Quamvis David Christum significet, tamen addendo, ipsi, plus indicat. Ipsi enim reverentius pronuntiandum est, quasi altissimo, quasi omnipotenti, quasi cœlesti regi. Et tunc David jungendum est; quod vocabulum non ex deitate sumitur, sed per assumptæ carnis originem venire monstratur.

1 *Confitebor tibi Domine in toto corde meo :*
℣ Quoniam audisti verba oris mei ℟.

H Si quis pro omnibus vitiis et passionibus animæ suæ agit pœnitentiam, iste confitetur ex toto corde. Si quis vero pro uno vitio confitetur, puta quia avarus est, hoc confitetur, non autem confitetur, quia fornicator aut detractor est, quia non in toto corde confitetur, non auditur a Deo. C Considerat autem meritum orationis, ut omnia verba sua profiteatur audita.

2 *In conspectu angelorum psallam tibi :*
Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo.

H Vide perfectionem pœnitentis, quia post confessionem et pœnitentiam cum angelis meretur psallere et gratias agere Deo. C Templum orationis, est beatæ incarnationis adventus, quem quotidie adorat Ecclesia, dum corpus et sanguinem ipsius in sacramento veneratur; sed illa adoratio perfecta est quam confessio beata comitatur.

3 *Super misericordia tua et veritate tua :*
Quoniam magnificasti super ✠ omne ℟ nomen sanctum tuum.

C Misericordia est, quod sine cujusquam meritis ad liberandos nos venire dignatus est. Veritas, quia prophetarum suorum promissa complevit. Magnificatum est nomen, cum nobis culturæ ipsius virtus innotuit. H Peccator audiat misericordiam; justus autem et superbus audiat veritatem.

4 *In quacunque die invocavero te exaudi me :*
Multiplicabis in anima mea virtutem.

C Dies hic lucida petitio sinceraque est, quam non cupiditas nec ulla avaritia nubilat, sed de illo sole lucet, qui omnes caligines mortalitatis emundat. In talibus petitionibus devotus populus se audiri precatur. H Multiplicabis, id est multis sollicitudinibus subjacere animam facis. C Per hoc enim ostendit se innumera passurum contra quæ tam multiplicia virtutum petit auxilia.

5 *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ :*
Quia audierunt omnia verba oris tui.

C Reges terræ sunt qui corporibus suis divinitatis munere dominantur. Nam ille vere rex non dicitur, qui vitiis servire monstratur. Quia audierunt, audire enim ad illos pertinet qui obedientes esse noscuntur. Illos enim non dicimus audisse quos contumaces sacris jussionibus esse scimus.

6 *Et cantent in viis Domini :*
Quoniam magna est gloria Domini.

H Viæ Domini, sunt misericordia et veritas, quas cantare et laudare regibus et religiosis et vere Christianis passionum animæ et concupiscentiarum rectoribus præcipitur. Gloria quippe Domini est, ut sæculum respuentes, ejus laudes cantare non desinant.

7 *Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit :*
Et alta a longe cognoscit.

C Cum enim sit Dominus excelsus, tamen humilia respicit, ne quis subjectorum putaret, non se ab excelso Domino respici, cum se cognosceret magna devotione prosterni. Alta, superba significat; quæ ideo longe cognoscit, quoniam ejus gratiæ minime proximantur. Et ne putarent superbi, quia alti sunt, se Deum non videre, ait, cognoscit.

8 *Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me ✠ et ℟ super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam :*
Et salvum me fecit dextera tua.

C Vivificatur ergo populus, id est lætificatur, dum enim in diversis angustiis fuerit constitutus, æternorum gaudiorum suavitate recordans reficitur. Sciens enim aurum igne probari, et premium maximum post labores dari, et tribulationes Domini virtute superandas, lætatur in tribulationibus, et in mente vivificatur. Extendit manum super iram, quando illi inimici conversi hic gravius tribulantur, quam contristaverant subjectos humiles, et incipiunt se juste persequi, qui prius innocentibus parcere noluerunt. Dextera vero virtus dicitur, et Christus est.

9 *Dominus retribuet pro me : Domine, misericordia tua in sæculum :*
Opera manuum tuarum ne despicias.

C Dominus retribuet, perfecta nimis et qualem fundere monemur oratio est, causam suam Domino commendare, qui novit unicuique digna rependere. Et ut non irato animo dictum putares, addit : Domine misericordia tua, etc., quam facis etiam in nostros persecutores, dum eos conversos pro fide tua multa pati facis. Pertinet ergo quod dicit, misericordia, ad illos qui nos persequuntur. Opera manuum, id est inimicos nostros, quia et ipsi sunt opera manuum tuarum. Ideo ergo rogat pius populus pro inimicis suis, ut eis miseratus indulgeat, qui in se peccaverunt persequendo, ut indulgentia percepta convertantur.

ORATIO EX PSAL. CXXXVII.

Multiplica Domine, virtutem tuam in animabus supplicum, ut, dum in templo sancto jugiter adoramus, in conspectu tuo cum sanctis angelis gloriemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXXXVIII

ARGUMENTUM PSAL. CXXXVIII.

C Christus ad Patrem de pausatione et resurrectione sua loquitur, potentiam paternæ divinitatis exponens, quia in eo, quod homo est, nusquam ab ejus notitia se possit abscondere, ac super omnem asserens sanctorum confortatum esse principatum.

TT. *In finem psalmus David.*

C Totus hic psalmus, ad Christi Domini personam referendus est, *et* ad Patrem, quoniam de pausatione sua et resurrectione loquitur. A Potest vero et de pœnitente exponi.

1 *Domine, probasti me et cognovisti me :*
Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.

C Probavit Pater Filium, quando manifestam fecit humilitatem ipsius, cum a Joanne baptizari vo-

luit. Cognovit eum, id est ostendit, quando dixit : Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui : ipsum audite (*Matth.* XVII). Bene autem appellata, sessio, mors est Salvatoris, in qua non pœna, sed requies fuit. A Vel, probasti me, in passione : et cognovisti, id est cognitum fecisti, in resurrectione. Repetit enim in quo cognitum eum fecerit, in sessione scilicet, id est passione, quia sedens se humiliat, et Christus humiliavit se usque ad mortem crucis, et in resurrectione notum omnibus fecit, ita probavit, id est probatum ostendit et cognitum Filium suum pater æternus.

2 *Intellexisti cogitationes meas de longe :*
Semitam meam et funiculum meum investigasti.

C A longe, hic non locum, sed tempus significat, quia non solum facta nostra prævidet, verum cogitationes nostras, antequam nos ipsi existimamus, agnoscit. Semitæ pertinent ad tacitas cogitationes, funiculus ad justa judicia.

3 *Et omnes vias meas prævidisti*
Quia non est sermo in lingua mea.

C Viæ ad actus pertinent humanos. Prævisæ vero adeo sunt viæ ejus, id est opera, ut *et prophetata longe ante noscantur Christi opera*, sicut de Christi mansuetudine Isaias dixit : Sicut ovis ad occisionem ductus est, etc. (*Isa.* LIII). Non est sermo, utique falsitatis, quia nunquam sub aliqua falsitate locutus est Christus.

4 *Ecce, Domine + tu ⁝ cognovisti omnia novissima et antiqua :*
+ Tu ⁝ formasti me et posuisti super me manum tuam.

C *Quod* dicit cognovisti omnia novissima, hoc pertinet ad incarnationem ipsius, quæ facta est novissimis temporibus (*Gal.* IV) ; ut Paulus ait. Et Johannes ait : Filioli, novissima hora est (*I Joan.* II). Antiqua, id est æterna, quæ nec initio nec fine claudantur. Formasti me, significat, genuisti. Posuit Pater manum super eum, cum in ipso virtutem suæ majestatis ostendit.

5 *Mirabilis facta est scientia tua ex me :*
Confortata est et non potero ad eam.

C Scientia Patris est, quæ per Christum ubique terrarum prædicata est. Quæ est facta mirabilis per Christum, dum terrigenis sacramenta sacræ legis narrata sunt. Nec potero ad eam, ex humanitate et infirmitate carnis loquitur, ut in alio loco : Pater major me est (*Joan.* XIV) : ut sit sensus : Humanam naturam, quam assumpsi, divinæ substantiæ adæquare non possum. A Vel pœnitens, peccatis suis a divina contemplatione dejectus, illam dicit supra suam fragilitatem confortatam, mirabiliterque excelsam.

6 *Quo ibo a spiritu tuo :*
Et quo a facie tua fugiam ?

C Dicendo, quo ibo : significat naturam humanitatis non ex se habere quo fugiat, cum spiritus sanctus ubique sit totus. Facies autem : substantiam deitatis significat, quæ omnia complectitur, omnia A contuetur, omnia penetrat. A Vel pœnitens quærit locum, quo fugiat ab ira Dei.

7 *Si ascendero in cœlum, tu illic es :*
Si descendero in infernum, ades.

C Ait autem per id quod homo est : si ascendero in cœlum, tu illic es, scilicet ubi erat ad dexteram Patris collocandus. Descendit quoque in infernum, cum disrupit infernorum loca, et piissimus redemptor humano generi subvenit. Ades, quoniam triduana celeritate surrexit. A Vel pœnitens ait, si superbiero me extollens, ibi me punis ; et si in profundum peccatorum descendero, et ibi vindicas.

8 *Si sumpsero pennas + meas ⁝ diluculo :*
+ Et : habitavero in extremis maris.

C Pennas suas, dicit celeritatem divinæ majestatis, quoniam sanctum corpus ad superna elevavit. B Dum quoque dicit, meas, intellige gloriam propriæ potestatis, quia propria potestate deitas, non angelico adjutorio humanitatem ad dexteram Patris collocavit. Has pennas cum sumpserat diluculo resurrectionis, et habitavit in extremis maris, hoc est supra istius sæculi amplissimum finem manus paterna deduxit. A Vel, pennæ, duo præcepta sunt charitatis, quibus mane a peccatis surgens pœnitens habitat in extremis sæculi, id est in gaudio cœlesti. Quod post finem hujus vitæ datur, et tamen jam in eo spe habitatur.

9 *Etenim illic manus tua deducet me :*
Et tenebit me dextera tua.

C Deduxit Christum paterna manus, qui est dextera Patris, qui assumptam humanitatem et sibi unitam per æterna sæcula continebit. C

10 *Et dixi. Forsitan tenebræ conculcabunt me :*
Et nox illuminatio mea in deliciis meis.

C Iste versus sub ironia pronuntiandus est, quomodo enim cum tenebræ conculcare poterant qui est lux mundi ? sed ille potius tenebras conculcavit, cum cæcitatem primi hominis luce suæ misericordiæ reparavit. Nox, significat inferni claustrum, quod certe illuminavit, cum potestatem diaboli contrivit. Deliciæ, paradisum significat, ad quem animæ sanctorum præstante Domino reversæ sunt. A Vel pœnitentis verba sunt, a tenebrosis actibus male suadentium seduci timentis.

11 *+ Quia ⁝ tenebræ non obscurabuntur a te : et nox sicut dies illuminabitur :*
Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. D

C Causa redditur cur nox sit illuminatio in deliciis. Tenebras dicit mystica et profunda quæque divinarum Scripturarum, quæ non obscurabuntur, sed illuminantur a Domino, et quæ fuerant quasi nox, sub mystica complexione prophetarum tenebrosa dicta, in adventu Domini patuerunt. Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus, quia in utroque veritas fuit, seu cum obscura, sive cum illuminata viderentur. A Vel pœnitens ait : tenebræ peccatorum non redduntur a te magis obscuræ, sed a me, dum peccatum excusare volo ; tu vero, si confessus fuero, illuminas noctem et tenebras.

13 *Quia tu possedisti renes meos :*
Suscepisti me de utero matris meæ.

C Renes significat fortitudinem corporalem, unde merito dicit renes suos esse a Patre possessos, quoniam cœlestis justitiæ firmitate consistens, peccatum fragilis corporis ignoravit. De utero vero matris, id est de Synagogæ sinu, dicit se susceptum a deitate Patris, quæ in eo cum Patre una est. Nam si de virginali utero velis accipere, non solum quando est de castissimo utero egressus, sed, et quando Spiritu sancto conceptus est, a Domino probatur assumptus. A Vel verba pœnitentis sunt.

13 *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es :*
mirabilia opera tua :
Et anima mea cognoscet nimis.

C Terribiliter enim magnificatus est Pater, quando B in passione Christi terra tremuit, saxa disrupta sunt, sepulcra patuerunt. Necesseque fuit illum mirabilem cognoscere, quem tantorum beneficiorum piissimum largitorem cernebat Christi humanitas. Vel pœnitens dicit in conversione peccatorum Deum terribiliter magnificari et mirabiliter. Et sequentes versus de pœnitente exponere vales.

14 *Non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto :*
Et substantia mea in inferioribus terræ.

C Per os enim significat sacramenta divina, quæ ante adventum Domini, occulta fuerunt, ut baptismum sacrum, et corpus et sanguis Domini, quæ eo veniente claruerunt. Inferiora terræ, fuerunt gentium culturæ. Sed ipsis facta est nota substantia Salvatoris Dei, quando, in ipso intelligentes divinitatem, eum devotis mentibus per apostolicam doctrinam Deum esse crediderunt. Terra itaque humanum genus est, cujus partes superiores, Judæi fuerunt recte credendo ante Christi nativitatem, et partes ejus inferiores, gentes terram adorantes et lapides. Quæ nunc fide factæ sunt superiores.

15 *Imperfectum meum viderunt oculi tui : et in libro tuo omnes scribentur :*
Dies formabuntur et nemo in eis.

C Dixit, ex persona Ecclesiæ, suum imperfectum Patrem vidisse, quia illa usque ad finem sæculi congregabitur et perficietur, sed deitas ista jam vidit quæ adhuc futura post longis temporibus servantur. Et in libro scribentur, qui æterna felicitate gaudebunt. Dies formabuntur, id est sancti in perpetua felicitate. Nemo in eis, subaudiendum est, informabitur, id est informis et defectuosus erit in cœlesti patria, quia omnis infirmitas carnis consumpta disperibit.

16 *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus :*
Nimis confortatus est principatus eorum.

C Amicos, dicit sanctos apostolos. Nimis, valde significat. Confortatus est principatus eorum, quem præstante Domino perceperunt intantum ut arietes gregum et principes fidelium meruerint esse populorum.

A 17 *Dinumerabo eos et super arenam multiplicabuntur :*
Exsurrexi et adhuc sum tecum.

C Arena maris, significat Judæos propter ariditatem fidei; arena enim est dicta ab *ariditate*, promittit ergo Christus se dinumeraturum populum fidelem, qui numerosior populo Judaico invenitur. Exsurrexi, a pausatione dormitionis. Adhuc tecum sum, non quod aliquando ab ipso dividendus sit, sed qui modo nobis est invisibilis, ad dexteram Patris in cœlestibus residens, omnibus postea gentibus apparebit.

18 *Si occideris Deus peccatores :*
Viri sanguinum declinate a me.
19 *Quia dicitis in cogitatione :*
Accipient in vanitate civitates suas.

C Occidit Deus peccatorem, cum moritur peccato, ut vivat Deo : ut Paulus ait : Mortuus sum legi, ut vivam Christo (*Gal.* II). Viri sanguinum, sunt qui carnaliter vivunt, et quæ sunt sanguinis peragunt, quibus dicitur : Declinate a me. A C Videtur autem sic connecti verborum ordo : Si occideris Deus peccatores, accipient in vanitate civitates suas, C id est, *si peccat*ores a malis cogitationibus in bona studia transferas, priores consuetudines et peccata, in quibus habitabant, in vano accipient, id est vanas respuent, et dicent his qui adhuc in illis vanis et malis permanent : Declinate a me, quia dicitis in cogitationibus, id est loquimini in mente et murmuratis contra illa, quæ vobis Spiritus sancti virtute C prædicata sunt, ideoque quia sic loquimini in cogitatione contra Deum, declinate a me. C Quia dicitis, id est contra illa murmuratis quæ virtute Spiritus sancti vobis prædicata sunt.

20 *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam :*
Et super inimicos tuos tabescebam ?

C Merito nostros adversarios jubemur diligere, quos nos nostro vitio contingit offendere ; Dei vero inimici, quando obstinati sunt, competenti et religiosa exsecratione damnantur, quoniam cum ab ipso creati sint, ipsique debeant omne quod vivunt, suo tamen contumaces redduntur auctori, ideo juste tales horrendi sunt, qui et suorum beneficiorum memores non fuerunt. Tabescere, hoc verbum indicium est magni doloris, tabescere enim illos dicimus, qui curis jugibus affliguntur, et pene usque ad D interitum vitæ corpore deficiente perveniunt.

21 *Perfecto odio oderam illos :*
Inimici facti sunt mihi.

C Perfectum est odium, homines diligere, et eorum vitia semper odire, odium quippe dictum est quasi oris repudium. Inimicos factos etiam sibi dicit, qui contrarii paternis jussionibus exstiterunt, ut ostenderet unitatem suæ divinitatis cum Patre.

22 *Proba me, Deus, et scito cor meum :*
Interroga me et cognosce semitas meas.

C Proba me, istud nemo potest dicere, nisi ille solus qui peccata non fecit Christus. Scito cor, quia te derelinquere in persecutione non novi. Interroga,

ad inquisitionem pertinet minutissimam, præmisit enim, scito cor meum. *Sciens vero acute interrogat, et falli non potest, quia nemo scienti interrogatus potest negare quæ gessit.* Semitæ ad operationes pertinet bonas, quas ille jugiter gessit et cœlesti sanctitate transegit.

23 *Et vide si via iniquitatis in me est :*
Et deduc me in via æterna.

C Merito ergo humana in Christo substantia petit se, deduci in æterna via, quæ declinavit a via iniquitatis, id est ab actibus diabolicis. Quod vero dicit, vide *si* est, intellige, non dubitatione prolatum, sed scientiæ securitate, quasi diceret, vide si est, id est, videbis quod non est.

ORATIO EX PSAL. CXXXVIII.

Celi terræque prospector, Deus, quo moriente, illuminata sunt tartara, quo resurgente, sanctorum est multitudo gavisa, quo ascendente, angelorum exsultavit caterva, precamur tantæ gloriæ excellentem virtutem, ut directi in via æterna, illo tueamur brachio, quo honorabiles amici tui tecum gloriantur in cœlo. Qui vivis, etc.

PSALMUS CXXXIX.

ARGUMENTUM PSAL. CXXXIX.

C Ecclesia Dominum deprecatur, ut ab iniquo diabolo liberetur : vindictam dicens in futuro judicio super eos venturam, qui pauperes ejus insanis motibus persequuntur.

TT. *In finem psalmus David.*

C In finem, Dominum significat Salvatorem, qui est finis legis ad justitiam omni credenti (*Rom.* x) : Qui nobis in hoc psalmo, quasi præconis voce, judex terribilis, omnipotens, pius quoque, et nimium desiderabilis advenire prædicitur.

1 *Eripe me, Domine, ab homine malo :*
A viro iniquo eripe me.

C Sciens mater Ecclesia quanta in membris suis ab insidiis diaboli pateretur clamat ad Dominum, qui solus potest ejus superare nequitias, ut ab ipsius multiplici tentatione liberetur. Hominem malum, appellat diabolum. Vir iniquus est homo sequax diaboli. Duo enim simul epitheta uni personæ non poterant convenire, quod eloquentiæ lege prohibitum sit.

2 *Qui cogitaverunt iniquitates in corde :*
Tota die constituebant prælia.

C Graviora sunt semper pericula, quæ habentur occulta. Significat per hoc vero hæreticos, qui pravis dogmatibus in sacrilega certamina proruperunt. Tota die, ait ut eorum nequitiam continuam monstraret, ut nulla eos lassitudo, nulla temporis longinquitas mitigaret.

3 *Acuerunt linguas suas sicut serpentes :*
Venenum aspidum sub labiis eorum. Diapsalma.

C Per linguas significat verba hæreticorum, quibus vulnerare contendunt corda fidelium. Venenum aspidum, H quoniam videntur amicitiæ verba habere, et plena sunt veneno mortifero.

4 *Custodi me, Domine, de manu peccatoris :*
Ab hominibus iniquis eripe me.

C Peccator : iterum diabolum significat, qui multis dolis, multis fallit insidiis. Sequuntur etiam ejus ministri : quoniam quod non possunt per se occulte inspirando mentibus nostris, per suos sequaces publice conantur implere.

5 *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos :*
Absconderunt superbi laqueum mihi.

C Supplantari proprie dicimur : quando plantis nostris terra subducitur, ut in tenebrosis cavernis graviter incidamus : quod nobis facit diabolus, cum peccatorum foveas parat. Superbi : hæretici sunt, qui pravis dogmatibus populos decipere potius quam docere festinant, et laqueos ponunt sanctæ plebi : quando eos vanis enigmatibus obligare contendunt.

6 *Et funes extenderunt in laqueum :*
Juxta iter scandalum posuerunt mihi. Diapsalma.

C Extenderunt ipsi funes, id est tortuosas et dolosas objectiones, quibus capiant sensus humanos : ut quasi pedibus laqueum, ita mentibus tendere probentur scandalum. Juxta iter dicit : quoniam non capiunt nisi illos qui a recto virtutum calle discedunt. Laqueus aut funis ideo positus est : quia vincula sua gravius semper astringit, nec amplexus ejus aliqua lenitate dilabitur, cum nodosis quibusdam sinibus illaqueata concludit.

7 *Dixi Domino, Deus meus es tu :*
Exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

C Orat Ecclesia ne pessimis tradatur insidiis : dicit enim Ecclesia, resplendens purissima fide gentibus advocata, quæ sanctam Trinitatem veracissima fide confitetur, dixi Domino, etc. Sequitur, exaudi, Domine, vocem, etc., suffecisset dicere, exaudi deprecationem meam : sed altius quid innotescere volens, dixit, vocem deprecationis meæ. Vox enim deprecationis : est puritas orationis, et clamor ille tacitus qui ascendit ad Dominum. Sanctæ enim operationis vox, est rerum ipsarum loquacissimus clamor : non hominibus notus, sed soli Deo cognitus, unde et tacenti Moysi dicitur, quid clamas ad me ? (*Exod.* xiv.) et Cain dicitur, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra (*Gen.* iv).

8 *Domine Domine, virtus salutis meæ :*
Obumbrasti super caput meum in die belli.

C Repetitio ista, Domine, Domine, piæ precationis affectum ostendit. Cum autem dicit, virtus salutis meæ : patientiam perseverantiamque in certamine, demonstrat Domini esse donum. Virtus enim a viriditate dicta, quæ nescit aliquo labore marcescere. Caput autem suum obumbratum cum dicit Ecclesia, significat beatam Domini passionem : qui sic obumbratus est in ea (hoc est defensus,) ut nec animus ejus confusionem, nec caro ipsius corruptionis injuriam sustineret. In die autem belli : bene dictum est, in die passionis ejus et mortis. quia diabolo

victo, inferno fracto, captivi liberati sunt, et triumphans de morte rediit.

9 *Non tradas, Domine, desiderium* ✣ *meum* ⁝ *peccatori : cogitaverunt contra me ne derelinquas me :*

Ne forte exaltentur. Diapsalma.

C Traditur enim peccatori (id est diabolo) desiderium istius qui concupiscentias carnis perficit : talis enim non nisi quod diabolus vult desiderat, et ideo in desideriis suis diabolo traditur ad possidendum. Et quia inimici cogitaverunt (consilium scilicet faciendo) contra me : juste peto, Domine, ne derelinquas me. Et subinfertur causa justissima petitionis et exauditionis : ne exaltentur impii in perditione justorum.

10 *Caput circuitus eorum :*

Labor labiorum ipsorum operiet eos.

A C Deus obumbrat super caput justorum, sed malorum caput operit labor labiorum. Ordo verborum talis est, caput eorum circuitus, scilicet est, id est caput impiorum est diabolus, qui semper circuit quærens quem devoret (*I Petr.* v). Labor vero labiorum : est prolatum ore mendacium, quod semper laboriose fingitur, quoniam exquisita machinatione formatur. Veritas enim sine labore dicitur, quia sine difficultate profertur. A Vel ipsius circuitus eorum caput est superbia, quæ provenit ex labore labiorum, id est mendacio.

11 *Cadent super eos carbones : in ignem dejicies eos :*

In miseriis non subsistent.

C Carbones ignis : sunt pœnitentiæ cruciatus, quod tamen incendium nascitur ex imbre lacrymarum. In ignem dejiciuntur : quando jam flamma charitatis accensi, fervere sanctis operibus incipiunt : his evenit, ut in peccatorum miseriis non subsistant : quoniam jam in bonam partem transferuntur.

12 *Vir linguosus non dirigetur in terra :*

Virum injustum mala capient in interitum.

C Vir linguosus : est qui multa inutiliter verba profert, qui non dirigitur : quia multiloquio non effugiet peccatum. Injustus vir est, qui divinas regulas contemnens, propriæ voluntatis fervore traducitur (*Prov.* x) : illum mala capient, quia semper sibi noxia cogitat, qui præcepta Domini declinat.

13 *Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis :*

✣ *Et* ⁝ *vindictam pauperum.*

C Faciet ergo judicium inopum, quando in illa vocatione, promissa illis retribuit : et tunc vindicent pauperes, cum eorum persecutores a suo sancto separabit regno.

14 *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo :*

Et habitabunt recti cum vultu tuo.

H Quid enim vultus Dei, nisi Christus Filius ejus? nisi cogitatio divinitatis ipsius? C Cum ipso etiam Dei vultu, justi in æternum habitabunt, cum (ut ait Apostolus) non per speculum, sed facie ad faciem contuebuntur eum (*I Cor.* XIII). Vide autem quod A justi, cum persecutionem patiuntur, confitentur laudes Deo (tunc enim magna virtus est, laudare Deum) et facilius discedit inimicus et tribulatio, et videbunt faciem Dei post vitam istam tales æternaliter.

ORATIO EX PSAL. CXXXIX.

Virtus salutis nostræ, Deus, defende Ecclesiam tuam a dissidentium veneno mortifero, ut a te obumbrati nunquam obligemur a laqueis inimici. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXL.

ARGUMENTUM PSAL. CXL.

C Propheta supplicat, ut inter mundanos actus a diversis liberetur erroribus, ne in peccatorum retiacula cadat.

B TT. *Psalmus David.*

1 *Domine, clamavi ad te, exaudi me :*

Intende voci meæ dum clamavero ad te.

C Domine, clamavi. Volens propheta affectum orationis continuæ humano generi infundere, duo tempora videtur discrepantia posuisse : clamavi de præterito dicit, quod perfectam significat orationem : et iterum clamavero, quod utique de futuro constat positum : ut sicut nullum tempus a culpis est vacuum, ita a devotis precibus nunquam est cessandum.

2 *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

C C Dirigatur ad te oratio mea sicut incensum, hoc est ut est recta veniat ad te oratio mea in odore virtutum, non habens sordes aut vitia. C Incensum est odoriferi pigmenti suavis adustio, et spiritualiter hic. H Incensum, orationes sanctorum sunt (*Apoc.* VIII). C Sacrificium vespertinum fortasse significat illam oblationem, quam in fine vitæ Domino solet offerre religiosa devotio, et ideo nullus desperet, si ultimo *sua* peccata lacrymarum fonte detergat. Elevatio vero manuum opera pia significat : sic remissio earumdem, cessationem a bono opere. Vespera quoque nostra, tempus prope finem vitæ hujus significat.

3 *Pone, Domine, custodiam ori meo :*

Et ostium circumstantiæ labiis meis.

D C Petit propheta, ne quid tale dicat, quod pervenire debeat ad reatum. Ostium quippe ab obstando dictum est. Illud ergo vidit Propheta magnis precibus esse muniendum, unde tam facile noverat venire peccatum : quod si fragilitate peccaverit, saltem hoc precatur ne illud excuset, unde sequitur :

4 *Non declines cor meum in verba malitiæ :*

Ad excusandas excusationes in peccatis.

C Verba malitiæ sunt, ut quis post peccatum suum falso ad excusationes confugiat, quia consuetudo est peccantium, quando deprehensi fuerint, primum se aliqua falsitate excusare, et cum fuerint inde convicti, alias assumunt excusationes cum peccato falsitatis (nequando veritati acquiescat inve-

recunda protervitas), modo enim tempori, modo necessitati, modo aliis imputando quod peccant : hoc autem maximum vitium est quo homines laborant.

5 *Cum hominibus operantibus iniquitatem :*
Et non communicabo cum electis eorum.

H Petit et hic propheta, a collegio liberari eorum qui operantur iniquitatem. Sicut enim Dominus habet electos suos sanctos : ita et diabolus habet electos suos, sicut principes hæreticorum, qui apud reprobos electi putantur : sed et omnes electi in scelere, electi diaboli dicuntur. C Et communicabo : refertur tam ad operantes homines iniquitatem, quam ad electos eorum. H Vel prima pars hujus versiculi combinanda est cum præcedenti versu : ut sit sensus, non declines, etc., ad excusandas, etc., cum hominibus operantibus iniquitatem.

6 *Corripiet me justus in misericordia et increpabit me :*
Oleum ✣ autem ⁘ peccatoris non impinguet caput meum.

C Prælegit vir sanctus justorum increpationes, peccantium blandimentis. Quæ autem sit correptio justi intimavit dicens, in misericordia : quoniam vir sanctus non in ira corripit, sed per dilectionem increpat : melius est enim corripi a justo, quam laudari a peccatore. Oleum enim peccatoris : adulatio est deceptoris et ficti amoris, periculosa est adulatio, quæ excludere potest hominem a regno Dei.

7 *Quoniam adhuc ✣ et ⁘ oratio mea in beneplacitis eorum.*
Absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

H Quoniam adhuc, etc., : ipsi in beneplacitis suis manent. Ego autem pro ipsis orabam ut converterentur. C Vel se adhuc imperfectum ostendit : quando orando talia sibi provenire cupiebat, quæ malis erant beneplacita. Et secundum primum intellectum Christus pro inimicis suis ut converterentur Patrem orabat. Absorpti sunt, id est convicti judices Judæorum, scilicet vel gentilium, ut Plato, Aristoteles, sive hæreticorum, quando sunt per fidem juncti petræ, id est Christo, et segregati a diabolo. A Sive juncti, id est comparati : videntur enim philosophi aliquid dicere : sed scripta eorum comparata divinæ Scripturæ absorbentur, nihil sunt, et velut stulta jacent.

8 *Audient verba mea quoniam potuerunt :*
Sicut crassitudo terræ erepta est super terram.

C Verba sua ab hæreticis et tyrannis dicit audita, quæ præsentis libri textus eloquitur (quantis enim in eis locis increpantur ut debeant corrigi), potuerunt ergo toties admoniti cognoscere Dei voluntatem. Crassitudo autem terræ est superbia tyrannorum, quæ grassabatur in sanctos martyres.

9 *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum : quia ad te, Domine, Domine, oculi mei :*
In te speravi, non auferas animam meam.

C Martyres : ossa fidelium dicit esse propheta : quia constat eos Christianæ fidei esse validissima firmamenta. Secus infernum dicit : vide proprietatem verborum, non ait in infernum : quia licet mori communi sorte videantur, tamen vita illis conceditur æterna. Non auferas animam meam, scilicet a bonis tuis : sed spes mea in te sit, et oculi mei semper te intendant.

10 *Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi :*
Et a scandalis operantium iniquitatem.

C Per laqueos et scandala : totius mundi mala breviter propheta complexus est : a quibus se supplicat custodiri, ne per insidias eorum possit decipi. H Semper etiam nobis laqueos ponunt dæmones : vitia enim vicina sunt virtutibus. In elecmosyna laqueum ponunt : si ut videar facio. Cervis ponuntur retia, et sancti cervi sunt, spinas transilientes, et alti cornibus, et serpentes interficiunt.

11 *Cadent in retiaculo ejus peccatores :*
Singulariter sum ego donec transeam.

C Retiacula dicta, quasi retinentia. In diaboli retiacula cadit, qui peccatorum suorum abscisionem non facit. Singularis est, qui cum pessimis hominibus non ambulat combinatus, id est ligatus, qui Trinitatem sanctam unum Deum confitetur, qui spem suam in solo Deo ponit. Donec transeam, id est quandiu in hoc mundo fuero commoratus, hoc enim sæculum beati velut viantes transire dicuntur, quia in ipso non tenentur aliqua mundi delectatione. A Vel Christus dicit, singularis, id est solus sum donec transeam, id est moriar, tunc enim cum granum frumenti in terra mortuum fuerit, non manet solum, sed multum fructum affert (*Joan.* XII), quia multi postea crediderunt et omnis terra Christo.

ORATIO EX PSAL. CXL

Pone, Domine, custodiam ori nostro, ne inania proferamus, ut misericordia tua correpti, ab omnibus iniquitatum scandalis protegamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXLI.

ARGUMENTUM PSAL. CXLI.

C Christus ad Patrem clamat, dolos Judaicæ persecutionis exponens : liberarique se de inferno deprecatur : quoniam omnium sanctorum fides in ejus resurrectione pendebat.

TT. *Intellectus David cum esset in spelunca oratio.*

C Psalmi causa præsenti titulo continetur. David enim filius Jesse, Saulem principem fugit, et cum in spelunca lateret, oravit (*I Reg.* XXIV), quod Dominum Christum in corpore ante passionem suam significabat esse facturum. H Quoniam enim in titulo ponitur intellectus David, spiritualiter ostendit David intelligendum et psalmum. Saul igitur spiritualiter diabolus. Spelunca, mundus est iste, in quo diabolus non immittit aliquid boni, sed solum stercus et putridum. Est enim spelunca tenebrosa, et mundus iste tenebrosus peccatis est, nec in eo sancti perfectum lumen habent, quod erit in alio mundo, Christus tamen lumen venit in hunc mundum, et ex

parte illuminavit. Et sicut David absconsus est in spelunca Sauli, ita Dominus Jesus diabolo in hoc mundo, et persecutionem passus est sicut David.

1 *Voce mea ad Dominum clamavi :*
Voce mea ad Dominum deprecatus sum.

H Voce mea ad Dominum : omnia verba hæc in humilitate corporali loquitur, ut se verum hominem manifestet. C Et ne clamor intelligeretur transitorius, *addidit deprecatus sum*, quod frequentata supplicatione peragitur. Est enim deprecari frequenter supplicare.

2 *Effundo in conspectu ejus orationem meam :*
℣ Et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

C Quam pura, quam suavis oratio, quæ in conspectu Patris, velut perspicui fontis copia fundebatur? fundebatur certe non ut ad ima defluereat, sed ut perveniret ejus oratio ad altitudinem supernæ pietatis. Pronuntiat tribulationes ante Patrem, ut indulgentiam pro nostris possit obtinere peccatis. Et nota quod in his duobus versibus quatuor modis oratum est secundum hortationem Apostoli, ubi jubet primo fieri precationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones (*I Tim.* II)

3 *In deficiendo ex me spiritum meum :*
Et tu cognovisti semitas meas.

C Quod dicit in deficiendo spiritum, hoc a parte membrorum debemus accipere. Vel ita in deficiendo, etc., hoc ex superioribus pendet, ac si diceret : Tribulationem meam ante ipsum pronuntio, cum defecit ex me spiritus meus. H Cognovit Pater semitas, id est, doctrinas quas docuit.

4 *In via hac qua ambulabam :*
Absconderunt laqueum mihi.

C Diabolus juxta viam abscondit laqueum, ut eos decipiat, qui rectas semitas declinare præsumunt, Christus vero (quia nunquam a sua sanctitate discessit) necesse fuit ut in ipsa via rectitudinis tentamenta pateretur invalida, ut in Evangelio legitur.

5 *Considerabam ad dexteram et videbam :*
Et non erat qui cognosceret me.

C Considerabam ad dexteram, illud tempus facit intelligi, quando ibat ad crucem, quia nullum illic fidelium potuit intueri. Ideo vero non sunt visi ad dexteram stare, quia carnali metu dispersi sunt (*Matth.* IV). Et non erat qui cognosceret : illam videlicet deitatem quæ hæc omnia in assumpta carne voluntarie sustinebat.

6 *Periit fuga a me :*
℣ Et non est qui requirat animam meam.

C Periit fuga a Christo, cum se impiorum manibus permisit occidi. Et nemo quæsivit animam ejus, dum illi nulla consolatio præberetur, sed solus ad passionem relictus est, qui erat pro omnium salute moriturus.

7 *Clamavi ad te, Domine : dixi, tu es spes mea.*
Portio mea in terra viventium.

C Clamavit spemque suam posuit in Dominum cum dixit : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII). Portio mea, probat hoc specialiter locus ille, quando latroni dixit : Amen, dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso (*Ibid.*), hoc est in terra viventium; paradisus enim est terra viventium, quam soli beati introibunt.

8 *Intende ad deprecationem meam :*
Quia humiliatus sum nimis.

C Merito dicit, humiliatus sum nimis, quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiens : et adhuc amplius humiliatus est, factus obediens usque ad mortem crucis (*Phil.* II). Nam quemadmodum crucifigi potuisset, nisi se humiliasset, naturam nostram assumendo, qui cœlum terramque creavit ?

9 *Libera me a persequentibus ℣ me :*
Quia confortati sunt super me.

C Orat, ut reverentiam Patri exhiberet, qui se liberare poterat. Orat ergo, ut a persequentibus Judæis divina virtute liberetur, qui adeo corporaliter fortiores fuerant ut et manus injicerent in eum, et de ejus morte gauderent; sed hoc miseri fecerunt, non considerantes virtutem divinæ potestatis in eo.

10 *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo :*
Me exspectant justi donec retribuas mihi.

H C Dicens, educ de custodia, scilicet inferni animam meam, petit Patrem, a parte qua mortuus est, qua et postea de imis penetrabilibus ad superna est translatus, ut de carcere inferni animam celeriter educat ad corporis resurrectionem. Et hoc ad confitendum nomini suo, ista enim confessio laudis Patri exhibita a fidelibus ostenditur, quando eum resurrectionis miraculo de inferni carcere constat edutum. Exspectant justi, H id est apostoli, vel reliqui sancti. Donec retribuas mihi, claritatem illam quam habui priusquam mundus fieret (*Joan.* XVII). C Vel, donec retribuas pro passione resurrectionem. Exspectant illo triduo apostoli et alii.

ORATIO EX PSAL. CXLI.

Deprecantes, Domine, voce humili pietatem tuam *exposcimus*, ut adjuti a te, spes nostra, portionem cum electis tuis in terra viventium sortiamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXLII.

ARGUMENTUM PSAL. CXLII.

C Propheta, ex persona uniuscujusque fidelis supplicans sibi Domini misericordiam subvenire, rogat Dominum Christum, ne cum suo servo velit inire judicium, velociterque se petit pervenire ad veniam, ne inimicorum traderetur insidiis.

TT. *Psalmus David. ℣ quando filius suus eum persequebatur.*

C David, significat Christum; persequens ejus filius, populum Judæorum, vel Judam proditorem significat.

1 *Domine, exaudi orationem meam :*
Auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua : exaudi me in tua justitia.

H Domine, exaudi, verba humilia et plena humi-

litatis et misericordiæ, quæ ad aures Domini pervenire merentur. C Veritas enim et justitia ipsius est, ne cum rogante disceptet, nec ad judicium illum trahat qui se hic prius ipse condemnat. Superbos enim Dominus ad examen adducit, qui se bona putant habere negotia.

2 *Et non intres in judicium cum servo tuo :*
Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

C Nec moveat quod judici dicitur, non intres in judicium cum servo tuo. H Quantumvis enim quis sit justus, quamlibet perfectus, non potest intrare in judicium Domini, nisi sit cum misericordia conditum, stellæ enim non sunt mundæ in conspectu ejus. C Omnis vivens omnem hominem significat, etiam quemlibet infantem nondum baptizatum, ut Job ait : Nemo mundus ante te, nec infans unius diei (*Job* xv), id est nemo liber esse potest, nisi per divinam gratiam. Ideo nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob justificabuntur in conspectu Dei.

3 ✣ *Quia* ⁝ *persecutus est inimicus animam meam :*
Humiliavit in terra vitam meam.

H C Inimicus, diabolus qui persequitur humanum genus. C Humiliatur autem in terra, cujus vita carnalibus delectationibus polluitur, non humilitate probabili, sed declinatione vitiosa.

4 *Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi :*
et anxiatus est in me spiritus meus :
In me turbatum est cor meum.

H Collocantur in tenebrosis factis peccatores, et sunt mortui sæculi. Sed *sunt sicut* mortui, dum pœnitere incipiunt; nondum enim mortuus est, quia in pœnitentia stat. Si quis autem peccans non agit pœnitentiam, hic mortuus est sæculi, et non sicut mortuus, sed perfectus mortuus, usquedum non egerit pœnitentiam. Anxiatus est spiritus, quia scriptum est : si solum suspiraveris de peccatis tuis, salvus eris. Turbatum est cor, id est conscientia mea, quia peccavi. C Vel, anxiatus spiritus, vicinitatem periculi indicat. Et turbatum cor, humanam sapientiam testatur confusam, ut spem suam de cætero in Domino poneret, cum virium suarum confidentiam non haberet.

5 *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum*
in omnibus operibus tuis :
In factis manuum tuarum meditabar.

C Juste cor ejus fuerat turbatum, quoniam memor erat ingentium peccatorum priorum. Ipsi enim dies antiqui, sunt veteris illius hominis antiquitate fuscati. Opera Domini dicit, quibus cœlum terramque fundavit ; patriarchis bona fecit, et populum per mare transtulit Hebræorum. Quæ se dicit frequenter iterasse memoria et lectione, ut excluderet amaritudinem mundi suavitas lectionis. Quod exemplum pro maximo remedio positum credamus, ut nos quoque similis possit medicina salvare.

6 *Expandi manus meas ad te :*
Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Diapsal.

℣ Hic extensione manuum, Christum in cruce designavit. Unde et qui expansis manibus orat, illam crucem Redemptoris imitatur. Quæ, licet a perfidis Judæis data est Christo ad pœnam, tamen concessa est credentibus ad salutem. Sequitur comparatio, in qua dicit : sic animam suam desiderare Deum, quem admodum sicca terra copiosas pluvias. Dicit enim tibi, scilicet non alteri, talis est anima mea, id est soli Deo sitiens inhæret.

7 *Velociter exaudi me, Domine :*
Defecit spiritus meus.

C Petit sibi pœnitens iste imbrem misericordiæ celerrime subvenire, et ut velocius potuisset audiri, defecisse dicit in se spiritum suum. Quod his contingit, qui passionum diversarum pondere prægravantur.

8 *Non avertas faciem tuam a me :*
Et similis ero descendentibus in lacum.

C Convenit enim misericordiæ Dei, ut humiles respiciat qui superborum corda contemnit. Lacus hic infernum significat. Petit ergo, ne superbis similis fiat, qui hic peccata sua deplorat, quoniam, si illis similis fiat, pariter quoque cum eis descendet in lacum.

9 *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam :*
Quia in te speravi.

C Auditam misericordiam, clementiam dicit Dei toto orbe notissimam, qua supplicantibus præstat et indulget afflictis. Mane, tempus veniæ designat; nam post noctem peccatorum merito mane dicitur, quando culpa laxatur. Causam quoque exaudilionis addit, quia in te, qui sperantem decipere non potes, speravi. Vel, mane, tempus resurrectionis Christi ostendit.

10 *Notam fac mihi viam in qua ambulem :*
Quia ad te levavi animam meam.

C Cum a Deo petit sibi viam notam fieri, ostendit quod hæc via hominibus habetur incognita. Illius enim lucerna et lumen hoc iter ostendit, qui illuminat omnem hominem, sicut superius dixit. Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris. Rogat ergo Propheta, ut ei viam salutis ostendat, et sic notam semper habeat, ne de ejus corde aliquando discedat. Et subditur solemnis confessio, quia ad te, etc. Illud enim nos postulata facit mereri, si animam nostram non inclinemus ad mundum, sed semper levemus ad Deum.

11. *Eripe me de inimicis meis, Domine ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam :*
Quia Deus meus ✣ es tu ⁝ .

C Inimici nostri sunt dæmones : qui jugiter circumdant fideles, ut eis possint spem divinitatis auferre. Ad eum confugit, qui ejus jussionibus obedit. Doce me : nolebat prorsus errare, qui tanti magistri cupiebat esse discipulus, et ejus voluntati obedire. Et causam et rationem addit, quoniam Deus meus es : ideo juste a clementissimo te peto.

12 *Spiritus tuus bonus deducet me in terra recta :*
Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.

H C Spiritus bonus : designatur per hoc nomen, Deum esse Spiritum sanctum ; scriptum est enim : Nemo bonus, nisi solus Deus (*Matth.* XIX). Igitur si Spiritus sanctus bonus dicitur Deus, necessario est. C Qui nos deducit in terra recta : quando corpus nostrum suis regulis subdit. Vel terra recta est in futuro sæculo, ubi recti ambulabunt. Propter nomen tuum, etc., nam quamvis, omnia gratis Christus donet : justitiæ ipsius est supplicantes justificare et vivificare. Ideo non dicit in æquitate mea, sed tua : quia non meritis meis, sed nominis Christi gratia.

13 *Educes de tribulatione animam meam :*
Et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

C Educuntur de tribulatione tanquam de carceribus sanctæ animæ : quando concessa venia de isto sæculo ubi tribulantur, præcipiuntur exire. In misericordia autem disperduntur inimici : quando studio compunctionis de sceleratis cogitationibus abstrahuntur ; quod ad illos pertinet, qui pœnas debitas remedio supplicationis evadunt.

14 *Et perdes omnes qui tribulant animam meam :*
Quoniam ego servus tuus sum.

C Hic dicit esse perdendos diabolum et omnes impios in futuro judicio, qui in sua obstinatione moriuntur. Illi tribulabant prius justos viros, quia eos famulos Dei esse noscebant : et necesse est illos in judicio perire, qui innocentes viros ideo persequuntur, quia Dei esse famulos cognoscunt.

ORATIO EX PSAL. CXLII.

Deus qui matutinam sacræ resurrectionis tuæ auditam fecisti jucunditatem, cum ex inferno rediens, replesti terram gaudiis, quam reliqueras in obscuris : rogamus potentiæ tuæ ineffabilem majestatem, ut sicut tunc catervam apostolicam gaudere sacra fecisti in anastasi, ita hanc Ecclesiam, tuam misericordiam expansis manibus flagitantem, splendore cœlestis jubaris illustrare digneris. Qui cum Patre et Filio, etc.

PSALMUS CXLIII

ARGUMENTUM PSAL. CXLII.

C Bellum istud Davidicum, ad designandum certamen Domini Salvatoris est præmissum : ut sicut iste Goliam saxei teli dimicatione prostravit ; ita per petram (quæ est Christus) fortitudo diabolica vinceretur.

TT. *David ✣ ad Goliam* ⁝ .

1 *Benedictus Deus meus qui docet manus meas ad prælium :*
✣ Et ⁝ *digitos meos ad bellum.*

H C Bellum utique dicit spiritale non carnale, quo anima justi adversus dæmones et passiones carnales invisibiliter dimicat. C Manus operationem significant : digiti, salutaria consilia : quæ de corde nostro velut quidam radii prosiliunt, dum aliqua subtilitate causas necessarias obtinere contendunt. A Quandoque etiam digiti Trinitatem indicant, ut ibi : Qui appendit tribus digitis molem terræ (*Isa.* XL), quandoque Spiritum sanctum, ut ibi : Accepit Moyses duas tabulas scriptas digito Dei (*Exod.* XXXIV).

2 *Misericordia mea et refugium meum :*
Susceptor meus et liberator meus.

C Misericordiam fecit Dominus *cum* David : quando eum de fratribus suis ultimum, per Samuelem ad regale culmen elegit (*I Reg.* XVI). Refugium : quando ei consilium dedit, ut hostem suum petra dejiceret, quem gladio non poterat. Susceptor : quando fecit eum a Saule suscipi in generum. Liberator : cum eum a periculo regiæ indignationis eripuit.

3 *Protector meus et in ipso speravi :*
Qui subdis populum meum sub me.

B C Protector : quando in spelunca latens, in Saulem regem jus ultionis accepit. Et in ipso speravi : a tali spe scit vir sanctus non esse cessandum. Subdis populos : quia multis populis imperaturus erat.

4 *Domine, quid est homo quia innotuisti ei :*
✣ Aut ⁝ *filius hominis quia reputas eum ?*

C Sub interrogatione et despectu pronuntiandum est, quid est homo ? quasi pulvis : qui vento flante nullam habet firmitatem. Quia innotuisti ei, id est inæstimabile deitatis arcanum, per assumptam carnem rectis fide ostendisti. Simili modo interrogandum est : aut filius hominis ? et item respondeatur quoniam reputas eum ; utique in ovibus tuis, in numero prædestinatorum C

5 *Homo vanitati similis factus est :*
Dies ejus sicut umbra prætereunt.

C Exponit breviter quod superius dixit, quid est homo ? Adam enim quando creatus est, simplex, purus et verax et immortalis fuit : sed postquam peccavit, factus est vanitati similis : quoniam et mutabilis et mortalis effectus est, vanum enim illud dicimus, quod de sua substantia cadens, in auras tenues evanescit : ut umbra, ut fumus ; unde addidit : Dies ejus sicut umbra prætereunt ; sicut umbra præterit, sic hominum vita post peccatum Adæ, nisi fuerit confessione reparata.

6 *Domine, inclina cœlos tuos et descende :*
Tange montes et fumigabunt.

D C Inclinatio cœlorum fuit : quando ad hominem virtus et honor supernorum descendit, scilicet Dei Filius. Montes hic superbos dicit : quos Dominus tetigit, quando eis compunctionem tribuit. Fumigabunt : cum crebris suspiriis sua peccata plorabunt, crassus enim fumus ore vomitur, cum se in planctum homo commoverit.

7 *Fulgura coruscationem et dissipabis eos :*
Emitte sagittas tuas et conturbabis eos.

C Fulgura coruscationis dedit : quando tenebrosis peccatoribus, prophetarum prædicatione lumen suæ veritatis infudit. Dissipavit autem, dispersit significat, ut qui ante fuerant cultores idolorum, sibinde ad Ecclesiæ septa confugerent. Sagittas apostolos dicit, qui prædicationum veritate (quasi

jacula pennata) hominum pectora transfoderunt. Et conturbabis, scilicet bona contritionis turbatione: quia sic prius turbati, postea læti erunt. Eos autem, ad montes referendum est.

8 *Emitte manum tuam de alto: eripe me et libera me de aquis multis:*
Et de manu filiorum alienorum.

C Hic ad Patrem verba convertit, manum dicit Dominum Salvatorem, quem venire deprecatur, ut liberaret mundum de alto, id est de potestatis excelso, ubi cum Patre regnat parilitate virtutis et unitate substantiæ. De aquis autem, id est de populis undosis, et quasi procella sævissima concitatis. De manu filiorum: de his qui fidelibus parcere nesciunt, quia de diabolo generantur qui filiis Dei adversantur. Recte igitur diaboli filii alieni dicuntur a filiis Dei: quia hæreditatem cum ipsis in cœlo nullam habent.

9 *Quorum os locutum est vanitatem:*
Et dextera eorum dextera iniquitatis.

C Os eorum vana loquitur: quoniam a divinis regulis discrepare præsumunt, vanum est enim omne quidquid veritati contrarium est. Dextera reproborum: prosperitas ipsorum, unde elevati licentiam sibi peccandi assumunt.

10 *Deus canticum novum cantabo tibi:*
In psalterio decachordo psallam tibi.

C Novum merito dicitur Christi canticum, quia dum a Judæis non sit receptus (quibus fuerat ut veniret promissus), transivit ad gentes. Novum est etiam, quod nos corpore et sanguine suo saginare dignatur. Decem chordarum psalterium, decalogus est datus tribubus Hebræorum.

11 *Qui das salutem regibus: qui redemisti David servum tuum:*
De gladio maligno eripe me.

C Reges, homines justos significat et veraces, qui regunt corpora sua. Istis dat salutem, cum eos liberos a vitiis facit. Redemit, de pugna *Goliæ*: vel spiritualiter, de vitiis. De gladio maligno: quia gladius diaboli malignus est, quoniam dividit a bonis: benignus autem Christi, quoniam separat a malis.

12 *Et erue me de manu filiorum alienorum:*
Quorum os locutum est vanitatem:
Et dextera eorum dextera iniquitatis.

C Hunc versum jam diximus: quem ideo repetit, ut detestabiliores iniquos homines reddat ipsa geminatio: et maxime nunc de hæreticis verba intelligenda sunt, licet enim sequentia sicut et præcedentia ad litteram vera sint intellecta: quia tamen litteralis sensus apertus est, mystice aliqua carpenda sunt.

13 *Quorum filii sicut novellæ plantationes:*
A juventute sua.

C Filios enim dicit, qui generantur prædicatione pravi dogmatis. Isti novellis plantationibus comparantur: quia nulla veteri et a Patribus tradita prædicatione viguerunt, sed novis erroribus (a patribus ipsorum traditis) pullularunt. H *Plantatio enim hæreticorum non est vetus, sed novella. Non est enim de veteri lege*, non de prophetis, non de apostolis, sed de novis magistris suborta.

14 *Filiæ eorum compositæ:*
Circum ornatæ ut similitudo templi.

H Filiæ eorum (hoc est verba hæreticorum) compositæ (id est, ornata a sapientia sæculari), sed quia filiæ sunt non filii, vires non habent. Circum ornatæ ut similitudo templi: et pulchre dixit similitudo templi: non enim habent veram Ecclesiam aut templum, sed similitudinem Ecclesiæ. C Quippe similitudo non habet veritatem: sed alicujus rei subsistentis portat imaginem.

15 *Promptuaria eorum plena:*
Eructantia ex hoc in illud.

C Promptuaria sunt: quæ cellaria vulgus appellat, et hæreticorum corda significat: ubi diversarum rerum species, vel doctrinarum epulæ repositæ sunt: et inde emittunt diversas eructationes pessimas. Quos si auctoritate convincas, ad interpretationum nequitias transferuntur: cum inde quoque fuerint Domino juvante superati, ad sophistarum se versutias calumniasque convertunt: et ita ex una parte vertunt se in aliam, semper vagi et instabiles: quia radicem nequeunt habere veritatis.

16 *Oves eorum fetosæ abundantes in egressibus suis:*
Boves eorum crassi.

C Secundum litteram hi fetosa dicuntur habere pecora: dum ipsi fide steriles esse doceantur. Abundans quippe dictus est, ab unda, quasi redundans. Ipsa quoque pecora, quæ habere cernuntur, non dixit eos in ingressibus, sed in egressibus possidere: quia totum ab eis egreditur, quando ipsi quoque perituri esse monstrantur. H Pulchre quoque dixit boves eorum crassi: quorum Deus venter est, et gloria eorum in confusione (*Philip.* III).

17 *Non est ruina maceriæ: neque transitus*
Neque clamor in plateis eorum.

H Non est ruina: difficile enim hæreticum invenis imperitum. Omnes enim magistri sunt, et scientia sæculari instructi, et immuniti doctrinis apostolorum. Si tecum disputant: verba eorum brevia sunt, sic artificioso sermone conclusa, ut evadere inde difficile sit. Cum enim te ligaverint et clauserint syllogismis suis, et quasi maceriam syllogismum texerint: teneris inclusus: non potes exire: non est ruina neque transitus. Cum eis consenseris, et ibi conclusus fueris: eris in plateis eorum, et in lata via, quæ ad infernum ducit: et non in angusta via, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII), quæ est transitus sanctorum. Neque clamor Jesu (qui ad se omnes vocat) in plateis hæreticorum est: sed in angusta via est.

18 *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt:*
Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.

H Multi nescientes, beatos tales putant, et dicunt beatum populum cui hæc sunt. Nos autem dicamus, beatus populus, cujus est Dominus Deus ejus. Quia

ille est beatus, qui pro omnibus divitiis habet Christum, et illum diligit, *et ei dominatur.*

ORATIO EX PSAL. CXLIII.

Doce nos, Domine, spiritalibus armis, noxialibus culpis resistere : ne vanitati mundanæ subjecti, a tui juris dominatione pellamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

PSALMUS CXLIV.

ARGUMENTUM PSAL. CXLIV.

C Laudationem Domini propheta variis narrationibus explicat.

TT. *Laudatio David.*

1 *Exaltabo te, Deus, meus rex :*
Et benedicam nomini tuo in sæculum
Et in sæculum + sæculi ⁝ .

C Exaltabo te dictum est : notum faciam te, prædicando quod es. Nam quemadmodum putetur aliqua laude Deus altior fieri, cum divina perfectio non possit augeri ? H Sed æqualem Patri credo te. C Rex meus : professio fidei est ; quoniam ab ipso se dicebat regi, cui se noverat pura mente famulari. Benedicere vero nomini : est per psalmodiæ gratiam supplicare : quod qui fecerit, et in æternitate eum laudare merebitur ; ideo subditur et in sæculum sæculi, ubi nullus est finis.

2 *Per singulos dies benedicam tibi :*
Et laudabo nomen tuum in sæculum et in sæculum + sæculi ⁝ .

C Qui hic per singulos dies benedicit Deum : ibi in illo æterno uno die (qui venturus est) cum beatis continua exsultatione laudabit.

3 *Magnus Dominus et laudabilis nimis :*
Et magnitudinis ejus non est finis.

H Magnus Dominus : quia sine fine magnus, sine fine laudabilis. C Cujus virtus inexplicabilis, cujus pietas incomprehensibilis, cujus sapientia ineffabilis, cujus vera *diffinitio* est, finem in sanctis laudibus non habere.

4 *Generatio et generatio laudabit opera tua :*
Et potentiam tuam pronuntiabunt.

C Generatio et generatio : ad duos populos debet applicari, unus Hebræorum est, alter ex gentibus. Ipsi sunt enim, qui Domini beneficia susceperunt, et merito ejus potentiam laudando pronuntiant.

5 *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur :*
Et mirabilia tua narrabunt.

H Ipsi enim duo populi, ejus magnificentiam ac mirabilia, quæ quotidie Christus in Ecclesia operatur, pio ore pronuntiant.

6 *Et virtutem terribilium tuorum dicent :*
Et magnitudinem tuam narrabunt.

H Virtus Christi est terribilis, cum in impiis ulciscetur, ut in Pharaone. Magnitudo est, cum justi eruuntur, ut frequenter Israel ab adversariis erutus est.

7 *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt :*
Et justitia tua exsultabunt.

H Eructabunt ipsi suavitatem Christi, qua eos fo- A vere dignatus est. Et justitia exsultabunt : qua in impiis ulciscetur.

8 *Miserator et misericors Dominus :*
Patiens et multum misericors.

C Quod misericors dicitur, naturæ ipsius virtus est : quod miserator, causa salutis est nostræ fragilitati. Patiens : cum excessus humanos (propter quos debuimus puniri) per patientiam sustinet. Multum misericors : ut ipse ait : Nolo mortem peccatoris.

9 *Suavis Dominus universis :*
Et miserationes ejus super omnia opera ejus.

C Quid enim magnificentius, quam suavem esse universis, qui tamen devotis mentibus munera ipsius gustaverunt. Sed dicis cur ergo peccatores damnat, qui opera sua non fecerunt ? Misericordia enim sua B dicitur esse super omnia opera ejus, scilicet Dei. Illud enim per misericordiam coronat, quod in nobis gratia sua operatur. Illud vero damnat, quod diabolo machinante construitur. Unde opera Domini semper eliguntur : nostra vero vel diaboli, sine dubitatione damnantur.

10 *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua*
Et sancti tui benedicant tibi.

H Confiteantur tibi, Domine, scilicet ut per sanctos, qui te jugiter benedicunt et laudant, intelligaris omnium esse rerum conditor et creator. C Vel omnia opera (etiam lapides et insensata) sua admirabili dispositione Deum eorum factorem prædicant.

11 *Gloriam regni tui dicent :*
Et potentiam tuam loquentur.

C H Gloriam regni tui dicent, id est prædicant, ut ab omnibus ameris et clarificeris. Et potentiam tuam loquentur, ut ab omnibus timearis. H C Omnia igitur creata indicant quanta gloria ei debeatur, qui incogitabili et incomprehensibili sapientia ea creavit, et potentiam ejus infinitam ostendunt.

12 *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam :*
Et gloriam magnificentiæ regni tui.

C Sanctis enim prædicationibus nota est facta potentia Dei et gloria regni ejus, ne ignoratus minus forsitan quæreretur. Nota facta est potentia, dum diversas virtutes apostoli invocato ejus nomine perfecerunt.

13 *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum :* D
Et dominatio tua in omni generatione et generatione.

H Regnum tuum regnum omnium, omnia enim sæcula dominatione tui regni volvuntur. C Vel, non sicut alia mundi regna aliquo tempore durat, sed toto mundi tempore. Et non solum toto tempore, verum etiam post, æternaliter ; unde et idem clarius repetitur : et dominatio tua, id est, perpetuitas æterna, quæ permanet in omni generatione et generatione. A Vel, regnum omnium sæculorum, et in omni generatione et generatione, est regnum cœleste, ubi de omni generatione et sæculo una generatio erit æterna, et unum solum æternaliter gloriosum regnum.

14 ✠ *Fidelis Dominus in omnibus viis suis* ⁝ :
Et sanctus in omnibus operibus suis.

H Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, cum omnia quæ per prophetas locutus est adimplevit. Sanctus, ut sicut ille sanctus est, ita et nos, qui opera ejus sumus, sancti efficiamur in illo.

15 *Allevat Dominus omnes qui corruunt :*
Et erigit omnes elisos.

C Ipse enim allevat ruentes, qui adhuc minime corruerunt. Ipse erigit elisos, qui jam ruinam sustinuisse noscuntur. Et merito ipse hæc facere dicitur, quoniam ne cadamus, ipso custode defendimur, ut vero prostrati surgere valeamus, virtute ipsius nihilominus sublevamur.

16 *Oculi omnium in te sperant :*
Et tu das escam illorum in tempore opportuno.

H Oculi omnium, id est sanctorum interior aspectus in illo futuro tempore retributiones, quas exspectat, suscipit. C Vel etiam de omnibus rebus accipi potest, sed tunc esca, uniuscujusque rei continentia debet intelligi : Alia enim corporalia, alia spiritualia expetunt, sed his omnibus una esca est, largitas dispensata.

17 *Aperis* ✠ *tu* ⁝ *manum tuam :*
Et imples omne animal benedictione.

H Aperit manum, et implet omne animal, id est omnem animam, sua benedictione, quæ maledictiones et opprobria mundi pro nomine ejus sustinuit. C Vel, quia in manu ejus est omnis esca, intelligimus per manum ejus, potestatem, in qua omnium creaturarum vita constituta est et esse. Sed melius est ut solum rationale animal intelligamus, quod revera constat posse benedici.

18 *Justus Dominus in omnibus viis suis :*
Et sanctus in omnibus operibus suis.

C Justus vere Dominus est, quia, cum nos verberat, æquitatem facit, quia peccatis digna restituit. Viæ pertinent ad dispositionem ; operatio ad effectum, apud nos ; apud illum vero, hoc est velle quod facere, hoc disponere quod jubere. Sanctus vero, et pium significat, et patientem, et bonorum omnium largitorem, quoniam quidquid ab illo efficitur, virtutum laude completur.

19 *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum :*
✠ *Omnibus invocantibus eum* ⁝ *in veritate.*

H Prope est Dominus his, qui eum fide et operatione invocant, ut ipse ait : Ego sum Deus de prope, et non Deus de longe. C Prope autem dicitur, id est, proximus, quando est propitius ; iratus vero, longinquus. Nam præsentia ejus semper et ubique est. Si enim ascendero in cœlum, illic es, etc. (*Psal.* CXXXVIII). Sed quoniam et illi invocant, qui sua cupiunt vana et nociva desideria impleri, additum est, in veritate, quia solus veraciter invocat, qui ab eo petit quæ ipse postulanda docuit et profutura novit.

A 20 *Voluntatem timentium se faciet : et deprecationem eorum exaudiet.*
Et salvos faciet eos.

H Voluntatem timentium se facit Dominus, dum eos eripit, vel ab instigatione diaboli, qui eum puro corde deprecantur, vel ab ardore peccati.

21 *Custodit Dominus omnes diligentes se :*
Et omnes peccatores disperdet.

H Custodit Dominus eos, qui eum diligunt, et qui dilectionem ejus mundanis dilectionibus prætulerunt. Illos vero disperdet, qui ejus amori amorem sæculi præposuerunt. C Omnes vero dicens disperdendos peccatores, eos dicit qui in sua obstinatione persistunt.

22 *Laudationem Domini loquetur os meum :*
B *Et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum et in sæculum* ✠ *sæculi* ⁝ .

H Loquetur os meum laudem Domini, nunc et in futuro retributionis tempore. Et benedicat omnis caro, hoc est omne corpus Ecclesiæ. Quod nos sumus, qui Dominum laudare, benedicere, extollere et prædicare debemus. Dicit autem os suum, cordis arcanum, unde se Propheta noverat libenter audiri. Carnem quoque per synecdochen dixit totum hominem.

ORATIO EX PSAL. CXLIV.

Regnator omnium sanctorum, Domine, qui spiritalem cibum omni animæ opportuno ministras in tempore, concede nobis te perpetualiter benedicere, C tuamque potentiam cum electis tuis fiducialiter exaltare. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXLV.

ARGUMENTUM PSAL. CXLV.

C Propheta dicit in hominibus minime confidendum, sed totam spem in Domino esse ponendam, ne aliquid ab eo peteretur tepide, si et alius crederetur posse præstare.

TT. *Alleluia.*

1 *Lauda anima mea Dominum : laudabo Dominum in vita mea :*
Psallam *Deo meo quandiu fuero.*

C Hortatur Psalmista suaviter animam laudare Dominum, ut explosis cogitationibus supervacuis, D in ipso tantum negotio totis viribus occupetur. Laudabo, dixit, ut futurum tempus ostenderet, quando angelis justisque hominibus sors ista communis est. Psallam quandiu fuero, scilicet in præsenti, quod ad bona opera pertinet. H Vide etiam, quando juste aliquid agimus, sumus ; quando peccamus, esse desistimus. Unde dicit laudabo quandiu ero, quia non est laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV).

2 *Nolite confidere in principibus :*
In filiis hominum in quibus non est salus.

C Nolite confidere, id est nec in dæmonibus, qui principes dicuntur ; nec in hominibus est præsumendum, solus enim est filius hominis, qui tribuit unicuique salutem. H Intellige nihilominus etiam de

sæculi potestatibus, noli confidere *in imperatore*, non in præfectis, non in judicibus sæculi, qui sunt filii hominum et in eis non est salus.

3 *Exibit spiritus ejus et revertetur in terram suam : In illa die peribunt omnes cogitationes eorum :*

C Causam ponit cur in istis non sit confidendum. Hic spiritum animam debemus accipere. Egressa itaque illa *de* claustro corporis, revertitur caro in terram, unde sumpsit initium ; ideo enim addidit suam, quia inde fuit procreata. Illo *die* peribunt, tempore, scilicet mortis, humanæ cogitationes, quæ se in diversos ambitus prius extendebant. H Tunc quoque peribit omnis principum et hominum confidentia, et cogitationes illorum qui in eis sperabant.

4 *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus :*
Spes ejus in domino Deo ipsius :
Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.

C Israel, id est vir videns Deum (quod vocabulum ad omnes electos competenter aptatur) adjutor est illis, qui ipso donante gradus virtutum ascendere nituntur. Qui fecit cœlum et terram, quid potest esse magnificentius quam cœlum et terram fecisse et omnia quæ in eis sunt? H Qui ergo fecit cœlum et terram (in quorum comparatione homo est secundum conditionem carnis quasi formica) hominem potest liberare quem fecit. Ideo bene spes nostra in eo.

5 *Qui custodit veritatem in sæculum : facit judicium injuriam patientibus*
Dat escam esurientibus.

C Qui custodit veritatem : ipse est, scilicet Dominus Jesus Christus : qui facit judicium, quoniam verus est judex, et gubernator æternus, et vindicat injuriam patientis : et dat escam esurientibus, id est qui esuriunt audire verbum Dei. H Dat quoque (si ad litteram intelligas) cibum corporum : dat et cibum, corpus suum in sacramento : dat denique cibum doctrinam cœlestem, sed solum esurientibus : talis etiam solvit compeditos.

6 *Dominus solvit compeditos.*
Dominus illuminat cæcos.

H C Dominus solvit : qui prius ligati erant in peccatis suis, postea ad Christum conversi per ipsum soluti sunt. Dominus illuminat cæcos : C Vitiosi enim omnes cæci sunt (quia peccatorum obscuritatibus implicantur), hos illuminat ille solus, qui illuminat omnem hominem.

7 *Dominus erigit elisos :*
Dominus diligit justos.

C Dominus erigit : nec hoc quoque dubium est, quia elisos Christus erigit. Nam cum diabolus elidat : Dominus sublevat. Cujus etiam est justos diligere, nisi qui eos prævalet in æterna beatitudine collocare?

8 *Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet :*
Et viam peccatorum disperdet.

C Dominus custodit advenas, id est qui de Babylonia (diaboli civitate) ad Hierusalem (civitatem Dei) confugerint. Pupillos et viduas dicit : qui Dominum pura mente respiciunt, humanis solatiis destituti. Hos recipit Christus ad vindicandos, et exterminabit diabolum (qui est via peccatorum, sicut Christus est via justorum) et omnes in ea via eum imitantes.

9 *Regnabit Dominus in sæcula Deus tuus Sion : In generatione et generatione.*

C Erit tunc regnaturus perfecte in sanctis : quando erit (sicut scriptum est) : Deus omnia in omnibus (*Coloss.* III.) Hic enim quamvis in sanctis regnet : non tamen perfecte : quia corda eorum interdum inanibus cogitationibus occupantur. In Sion, id est Ecclesia in futura beatitudine : regnabit enim ipse, et cum ea, et in eadem, qui est benedictus in sæcula. H Vel regnabit : in generatione Judæorum, et generatione Christianorum : vel in generatione ista Ecclesiæ, et generatione ventura in cœlo.

ORATIO EX PSAL. CXLV.

Gloriose, omnipotens Deus : in quem beatorum animæ totam spei confidentiam ponunt : concede nobis, ut adjutorio tuo illuminati, valeamus te jugiter mente pura diligere. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PSALMUS CXLVI.

ARGUMENTUM PSAL. CXLVI.

C Hortatur Propheta populum devotum laudare Dominum, qui supplicantibus beneficia profutura concedit : quoniam qui de suis viribus confidunt, ei placere non possunt.

TT. ✣ *Alleluia* ⁝.

1 *Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus : Deo nostro sit jucunda ✣ decoraque ⁝ laudatio.*

H Laudate Dominum : non dixit bonus psalmus, sed absolute bonum, id est bonum est psallere et laudare Dominum. Sed noveris hic Hieronymum, non nostram translationem secutum, sed gallicanam quæ habet : Quoniam bonum psalmus : psallere vero non voce, sed corde dicit. Quanti enim bonam vocem habent : sed quoniam peccatores sunt male psallunt. C Tunc est enim Dommo jucunda laudatio : quando in unam societatem vox et vita convenerint. Nam quale est, ut psalmus castitatem dicat, et cantor se ab obscenitate non retrahat? unde non potest a Domino bene percipi : quod contraria inter se noscitur adversitate luctari. H Bene ergo psallit, qui cantat in corde et conscientia : fitque Deo jucunda, non voce, sed conscientia laudatio.

2 *Ædificans Hierusalem Dominus : Dispersiones Israel congregabit.*

C Ædificat Dominus civitatem Hierusalem : quando dispersiones Israelis congregans (quæ in toto mundo habitare noscuntur), de vivis lapidibus cœlestem construit civitatem : sicut scriptum est : Et mittet angelos suos, cum tuba et voce magna ; et congregabit electos a quatuor angulis terræ (*Matth.* XXIV.) H Vel etiam jam ædificat : dum sanat contritos corde, et alia facit quæ sequuntur.

3 *Qui sanat contritos corde :*
Et alligat contritiones eorum.

C Quando enim cœlestis medicus pœnitentium corda invenerit gravi afflictione contrita : ea (quasi quadam fascia sua pietate superducta) constringit atque consolidat, et ad firmissimam spem sanitatis adducit.

4 *Qui numerat multitudinem stellarum :*
Et omnibus eis nomina vocans.

C Qui numerat stellas, id est sanctos viros. Illi enim lucent velut astra in nocte hujus sæculi : *quia* meruerunt in numero sanctorum congregari. Scimus etiam a Deo posse sanctorum nomina vocari, quando eos legimus in cœlo esse conscriptos. Vel etiam ad litteram de stellis materialibus firmamenti accipi potest.

5 *Magnus Dominus noster et magna virtus ejus :*
Et sapientiæ ejus non est numerus.

C Magnus Dominus noster : utique cujus nec facta numerari, nec laus prævalet apprehendi. Virtus etiam magna : quia singularis, quia Omnipotens, quia rerum omnium gubernator et conditor : cujus sapientiæ numerus non prævalet ullo modo comprehendi. Numerus enim hic pro fine ponitur : quod enim numeratur finitur.

6 *Suscipiens mansuetos Dominus :*
Humilians + autem ⁝ peccatores usque ad terram.

C Mansueti : *sunt patientes* afflicti per multas tribulationes. Rectum quoque est ut hi suscipiantur in cœlum, superbi dejiciantur in terram : ut permutatione vicaria unde humilis levatus est, inde superbus corruat :

7 *Præcinite Domino in confessione :*
Psallite Deo nostro in cithara :

C Illis dicitur præcinite, qui adhuc tacere noscuntur : et quomodo et cui canendum sit ostendit, dum subdit : Domino in confessione. Cithara autem : significat virtutes, consona operatione præcinentes : quæ tunc veram citharam reddunt, quando nulla rupta est chorda, id est virtus. Quomodo enim integra esset cithara, una chorda rupta? nec sonus perfectus redditur, dum rupta non sonat.

8 *Qui operit cœlum nubibus :*
Et parat terræ pluviam.

C Cœlum : sanctam prophetiam congruenter advertimus. Hanc divina provisione obscuritas, similis nubibus, tegit : ut sensus incitet nostros ad quærendum, dum gratius acciptur ad quod fatigato desiderio pervenitur. Sed quid istæ nubes parturiunt? scilicet copiam pluviarum, hoc est fontes divinæ prædicationis irriguos : quamvis et ista ad litteram sint vera et salubriter intelligenda.

9 *Qui producit in montibus fenum : + et herbam*
Servituti hominum ⁝ .

C Et hoc quoque spiritualiter accipi recte potest. Nam montes, viros significant sanctos : in quibus Dominus fenum producit (id est prædicationem robustam), herbamque, id est monita molliora, unde simplicia jumenta pascantur.

A 10 *Qui dat jumentis escam ipsorum :*
+ Et ⁝ pullis corvorum invocantibus eum.

C Jumenta : ecclesiasticos signant greges : qui competenti refectione pascuntur, alii lacte, alii cibo solido. Corvi : sunt irreligiosi viri et pagani, qui peccatorum nigredine vestiuntur. Pulli vero corvorum (filii paganorum, vel aliorum hominum malorum) pascuntur a Deo, dum Deum invocant quem patres eorum contempserant : unde addit non omnibus eorum pullis et filiis dat fidei escam, sed invocantibus eum : quoniam soli ipsi eum invocant, qui regulas Scripturarum nulla hæretica pravitate subvertunt.

11 *Non in fortitudine equi voluntatem habebit :*
Neque in tibiis veri beneplacitum erit ei.

B C Equus : superbum hominem atque tumidum significat, cui divinitas non potest esse placabilis, quoniam mansuetos eligit. H Tibiæ hic (sicut et femora) libidinem significant : quæ ullo modo in viro aut in femina Deo placere non potest. Potest autem et per equi fortitudinem et tibias præsumptio de viribus suis intelligi ; non enim placet vir Deo in virtute sua, sed in timore Dei, ut sequens verbum indicat.

12 *Beneplacitum est Dominio super timentes eum :*
Et + in eis ⁝ qui sperant super misericordia
ejus.

C Beneplacitum est itaque Domino in eis qui eum formidant, sed non degeneri timore. Multi enim timent : sed quia desperant de misericordia ejus, C minime diliguntur : sicut Judas. Ille timor Deo probatur acceptus, qui cum amore maximo et pia spe conjungitur. Timeat ergo unusquisque, ne peccet : amet ut supplicet, ne tamen desperet.

ORATIO EX PSAL. CXLVI.

Ædificator cœlestis Hierusalem, Deus, qui multitudinem stellarum et concludis numero, et nominatim singula vocas, sana, quæsumus, contritos corde, dispersos congrega, atque nos innumerabili sapientia tua locuple. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CXLVII.

ARGUMENTUM PSAL. CXLVII.

C Propheta Hierusalem, id est, supernam alloquitur civitatem : ut secura jam reddita in civibus D suis, Dominum jugi exsultatione collaudet : enumeratque quanta populo suo pius miserator indulserit.

TT. + *Alleluia* :

C. Ad consuetum quidem alleluia revertimur : sed nullatenus repetiisse fastidium sit, cujus verbi tantus honor est, ut cum sit in Hebræa lingua reconditum, nullo tamen constet alio sermone translatum : hoc Græcus, hoc Latinus, hoc Chaldæus, hoc Syrus, hoc Persa, hoc Arabs, hoc tenet natio cuncta terrarum et pia devotione veneratur : hoc ergo et nos pura mente canamus.

1 *Lauda, Hierusalem, Dominum :*
Lauda Deum tuum, Sion.

C Hierusalem (sicut sæpe dictum est) interpreta-

tur *visio pacis* : quæ proprie ad illam civitatem pertinet, quæ vitiorum et scandalorum consortia non habebit. Sion quoque *speculatio* interpretatur : in illa enim Dei civitate videbimus eum sicuti est : unde merito hæc duo nomina futuræ civitati conveniunt.

2 *Quoniam confortavit seras portarum tuarum :*
Benedixit filiis tuis in te.

C Cum enim seras confortatas dicit esse portarum, clausas januas beatæ civitatis ostendit : quod tunc accidit, quando sponsus intravit (et quæ paratæ sunt cum eo) ad nuptias, ut in Evangelio de virginibus dicitur (*Matth.* xxv) : nec quisquam ulterius sanctus exibit, nec aliquis postea novus intrabit. Magna est quidem ibi benedictio filiorum. Dicitur autem in te : quia nunquam ab illa exire poterunt, quia æterno munere consecrantur.

3 *Qui posuit fines tuos pacem :*
℣. *Et* ℟. *adipe frumenti satiat te.*

C Sicut autem beata Hierusalem pacem possidet : sic infelix Babylon dolorum pugnam procul dubio sustinebit. Adipem quippe frumenti, dicit ipsam contubilem deitatem : unde sic justorum sensus reficitur, ut omnem societatem superare noscatur.

4 *Qui emittit eloquium suum terræ :*
Velociter currit sermo ejus.

C Eloquium Domini, Verbum Patris est : quod ad terras misit, quando humilitatem piæ incarnationis assumpsit. Tunc sic cucurrit sermo ejus velociter, ut sanctæ Trinitatis agnitio, mirabili velocitate mundum compleverit, idolorum cultores veritatis ipsius manifestatione convertens.

5 *Qui dat nivem sicut lanam :*
Nebulam sicut cinerem spargit.

C Qui dat nivem sicut lanam : dat dicit, id est facit : quod fit utique, quando frigidissima peccatis corda mortalium, ad ardorem satisfactionis adduxerit. Nix est homo, cum recedit a Domino : lana, cum ad ejus venerit medicinam. Nebula : significat omne peccatum, quod semper caliginosa obscuritate peragitur. Sed velut cinis dispergitur : dum pura confessione ex Christi gratia dissipatur.

6 *Mittit crystallum suum sicut buccellas :*
Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ?

C Crystallus est in modum vitri glacies, per multas hiemes condurata, et in duritiam saxi perducta substantia. H C Cui comparantur : qui frigore perfidiæ constricti, per singulos dies congelascunt. Hos *emittit* Dominus sicut buccellas : quando conversos prædicare sua facit magnalia, unde populus esuriens cœlesti pane vescatur. Ante faciem, id est præsentiam frigoris ejus dicitur, non quod ab ipso frigus illud veniat, sed fieri forte *permittit*, ut est : Induravit Deus cor Pharaonis (*Exod.* x). Ante illud frigus, quod ipse Deus non removet, nemo potest subsistere, nemo illud potest sustinere.

7 *Emittet verbum suum et liquefaciet ea :*
Flabit spiritus ejus et fluent aquæ.

H C Veniente verbo, id est prædicatione, Dei liquefacit ea ut compuncti inciplant agere pœnitentiam. Flabit spiritus, id est, Dei calor amoris. Fluent aquæ, id est, profundunt fluenta spiritalis beneficii. Sicut factum est de persecutore Saulo, sic fit hodie de plurimis.

8 *Qui annuntiat verbum suum Jacob :*
Justitias et judicia sua Israel.

C Per Jacob et Israel, significatur Ecclesia, nam et modo Israelita est quicunque est fidelis, et ante Jacob, fuit qui Domino pura devotione complacuit; illi enim verbum suum, illi noscitur pronuntiasse justitias.

9 *Non fecit taliter omni nationi :*
Et judicia sua non manifestavit ℣. *eis* ℟.

C Non fecit taliter, quia licet omnes gentes religio Christiana complexa sit, tamen nulli facie ad faciem loculus est, aut mare divisit, nisi tantum Israelitico populo : A vel nationi Jacob, qui ex Abraham descendit, in cujus fide omnes Christiani sunt. Illi nationi soli manifestavit judicia sua.

ORATIO EX PSAL. CXLVII.

Conforta, Domine, portas Ecclesiæ tuæ, et pone terminis ejus pacem, eique adipem spiritalis tritici dignanter attribue. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

PSALMUM CXLVIII.

ARGUMENTUM PSAL. CXLVIII.

C Propheta per paucorum commemorationem creaturarum omnes creaturas ad Domini laudes hortatur, rationales et intellectuales per se, intellectu autem vel sensu carentes, per illas utique, quæ opera Domini sapientissima consideratione collaudant.

TT. *Alleluia.*

1 *Laudate Dominum de cœlis :*
Laudate eum in excelsis.

C Quia dignum est, ut creatura suum laudet Creatorem, ait : Laudate Dominum. H Ad laudem Dei sola hominum natura non sufficit, jungantur et cœli. Non autem dixit, laudate cœli, sed vos qui estis in cœlis, hoc est throni, dominationes, principatus, potestates, et cætera in excelsis, id est excelsi, digne laudate Excelsum.

2 *Laudate eum, omnes angeli ejus :*
Laudate eum, omnes virtutes ejus.

C Laudate eum, omnes angeli ejus, quod angelus Græca lingua, Latine *nuntius* interpretatur; angelus enim officii nomine dicitur, non naturæ. Omnes virtutes ejus, hoc generale nomen est, ibi enim concluduntur omnia quæ dignitate cœlestis militiæ grandescunt.

3 *Laudate eum, sol et luna :*
Laudate eum, omnes stellæ et lumen.

H Ideo sol, et luna, et stellæ laudant eum, quæ a suo officio et servitio non recedunt; et servitium ipsorum laus Dei est. Addit, lumen, ut quomodo de invisibilibus dixit, laudate, omnes virtutes, sic de visibilibus dicit, laudate eum, omne quod lucet.

4 *Laudate eum, cæli cælorum :*

Et aquæ quæ super cœlos sunt
Laudent nomen Domini.

C Quamvis in Genesi unum cœlum factum esse legerimus, tamen in Paulo et hic plurali nuncupantur numero. Aquæ vero, quæ super cœlos sunt, istas esse quæ depluunt non dubium est, nam dicitur et in Genesi : Cataractæ cœli apertæ sunt (*Gen.* VII). Dicit vero, laudent nomen Domini, et præcipit ex operibus suis Dominum debere laudari. Et quid dignius, quam quod conditio rerum proprium laudet auctorem?

5 *Quia ipse dixit, et facta sunt : :*
Ipse mandavit et creata sunt.

C Dicendo ipse, Dominum significat Salvatorem. Ipse enim est Verbum caro factum, cujus jussione cuncta creata sunt. Distant autem facere et creare; facere enim possumus et nos, qui creare non possumus. Et ideo quia dixit, facta sunt, quod est generale verbum, addidit quod erat divinitatis proprium, scilicet creata sunt. Mandavit, significat constituit atque formavit.

6 *Statuit ea in sæculum et in sæculum et sæculi : :*
Præceptum posuit et non præteribit.

C Statuit ea, declarat potentiam Domini, virtutemque ejus, ut dubium non sit omnipotentem esse Dominum, quando quæ ille constituit nulla mutabilitate vertuntur. Præceptum, legem dicit sive conditionem, ut omnia sub ipsius potestate esse noscantur. Ideo addidit, et non præteribit; præterire non potest, quod Omnipotens statuit et veritas promisit.

7 *Laudate Dominum de terra :*
Dracones et omnes abyssi.

C Dracones et abyssos mystice personas truculentas et validas debemus accipere, quæ hic in bonum conversæ, in illa patria Dominicis laudibus gloriantur. Quamvis etiam secundum litteram intelligendo, dracones venenosi, Deum laudent ut aliæ creaturæ.

8 *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum :*
Quæ faciunt verbum ejus.

C Ignis, grando, nix, glacies, mystice significant homines, qui in hoc sæculo ex turbulentis sunt et pessimis studiis conversi ad Dominum. Et spiritus procellarum sunt, qui ex tempestuosis et improbis operibus ad confessionis gratiam venire meruerunt.

9 *Montes et omnes colles :*
Ligna fructifera et omnes cedri.

C Montes, homines significat prætumida potestate sublimes; colles, mediocres; ligna fructifera, eos qui ex duritia peccatorum conversi, fructus morum faciunt. Cedri, absolute superbos significat.

10 *Bestiæ et universa pecora :*
Serpentes et volucres pennatæ.

C Bestiæ, crudeles significat et indomitos; universa pecora, communem plebem; serpentes, venenosos et callidos : volucres, philosophos, qui cogitationum velocitate, naturas discurrunt significant, A de quibus omnibus sibi Christus parat electos, qui in illa resurrectione et laude, angelorum possint cœtibus congregari.

11 *Reges terræ et omnes populi :*
Principes et omnes judices terræ.

C Reges, sanctos viros significant, qui semet regunt; omnes populi, turbas, quæ ad Deum conveniunt; principes, potestates excelsas advertimus; judices, nobiles et potentes. Hi enim ut frequenter evenit, subito mundi potestate derelicta, diligunt Domini servitia subire.

12 *Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini :*
Quia exaltatum est nomen ejus solius.

C Juvenes, qui ætatis natura ferventes, ad modestiæ temperamenta se convertunt. Seniores cum B junioribus : permistam significat ætatem. Quia de omni sexu, et de omni ætate, potens Dominus est evocare quos vult. Causa hic laudis justissima ponitur, quia exaltatum, etc.; exaltatum est enim, dum illi, sicut dicit Apostolus, omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II).

13 *Confessio ejus super cœlum et terram :*
Et exaltavit cornu populi sui.

C Confessio ejus super cœlum et terram. Hæc confessio laudem illam significat, quæ illi post finem sæculi istius ab omnibus in beatitudine creaturis absolvitur rationabilibus. Quod autem dicit, super cœlum et terram, significat quod nec cœlestia nec terrestria laudibus Dei possunt æqualia repe- C riri. Exaltavit cornu, id est potestatem, quia populus fidelis ibi exaltabitur, ubi omnis gloria præstatur.

14 *Hymnus omnibus sanctis ejus :*
Filiis Israel populo appropinquanti sibi.

C Hymnus omnibus : vox ista promissio est et totius beatitudinis summa perfectio. Et quibus sanctis? filiis Israel, qui non solum genere, sed fide nomen istud habere merebantur.

ORATIO EX PSAL. CXLVIII.

Excelsorum omnium *supereminens* et excelsa potestas, Deus, concede famulis tuis, ut, sicut cuncta quæ cernimus te jubente creata sunt, ita quæ præcipis te custode serventur. Per Dominum nostrum D Jesum, etc.

PSALMUS CXLIX

ARGUMENTUM PSAL. CXLIX.

C Canticum novum Propheta Domino Christo dicit esse cantandum, qui de toto orbe terrarum universalem Hierusalem construxit sua pietate; et gaudia sanctorum virtutesque describens vindictam peccantium, gloriam dicit esse justorum.

TT. *Alleluia.*

1 *Cantate Domino canticum novum :*
Laus ejus in Ecclesia sanctorum.

C Nam Propheta, in hoc mundo tantum corpore constitutus, intellectu et fide in illa patria cum angelica multitudine miscebatur, in quam commonet

beatum populum canticum novum cantare. Canticum autem novum, est sanctæ incarnationis arcanum, nativitas mirabilis, etc. Laus ejus, sive in ista Ecclesia, sive in illa cœlesti Hierusalem.

2 *Lætetur Israel in eo qui fecit eum :*
✣ Et ⁝ filiæ Sion exsultent in rege suo.

C Israel et Sion, diversa vocabula, sed virtus una sanctorum est. Nam Israel interpretatur *vir videns Deum;* Sion, *speculatio,* quod utrumque ad beatum populum pertinet, qui lætari et exsultare in rege suo Christo Domino commonetur.

3 *Laudent nomen ejus in choro :*
In tympano et psalterio psallant ei.

C Qualis sit iste chorus, alius psalmus exponit : A solis ortu usque ad occasum laudate nomen Domini (*Psal.* CXII). Chorus est igitur, qui a mundi B initio, de numerositate hominum congregatur in fide, et nisi in illa beata patria, non potest esse totus collectus. Tympanum et psalterium, probabiles actus significant, qui ad divina munera referuntur, quoniam actus isti, hic illis rebus significati, et hic exercitati, faciunt nos alibi Deum æternaliter laudare.

4 *Quia beneplacitum est Domino in populo suo :*
Et exaltabit mansuetos in salutem.

C Tunc beneplacitum est Domino in suo populo, quando illum fecerit perfecta suavitate gaudere. Mansueti, sunt patientes, qui diversas hic nequitias pro Dei regno pertulerunt. Quos exaltabit in salutem, id est in vitam æternam.

5 *Exsultabunt sancti in gloria :* C
Lætabuntur in cubilibus suis.

C Ibi enim est exsultatio et lætitia sanctorum ubi sic bonum Dominum se habere cognoscunt, ut reis donet veniam, peccantibus gratiam, non merentibus gloriam sempiternam. In cubilibus autem, id est in secreto cordis, ubi solus ille cognoscit qui donare dignatus est. H Vel, in cubilibus, in cœlesti patria. Quia hic in cubili sancti plorant, et rigant lectum lacrymis (*Psal.* VI).

6 *Exsultationes Dei in gutture eorum :*
Et gladii ancipites in manibus eorum.

C Habent exsultationes in gutture sancti, quoniam sive cogitatione, sive in lingua laudare non desinunt, a quo æterna dona percipiunt. Anceps gladius, sermo Domini Salvatoris; ideo anceps quod duo continet Testamenta. In manibus, id est potestate sanctorum, sicut legitur : Factus est sermo Domini in manu Aggei prophetæ (*Agg.* I). D

7 *Ad faciendam vindictam in nationibus :*
Increpationes in populis.

C Ad faciendum vindictam, ista enim tunc vere fiunt, quando cum Domino judicabunt sedentes super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX).

8 *Ad alligandos reges eorum in compedibus :*
Et nobiles eorum in manicis ferreis.

C Exponit iste versus quid ille gladius faciat bis acutus, alligat reges terræ in compedibus, unde non A sit liberum exire; vincula quoque ferrea supra mundi nobiles ponit, ut et gravia sint cum portantur, et nexus eorum rumpere nulla virtute prævaleant in æterna damnatione.

9 *Ut faciant in eis judicium conscriptum :*
Gloria ✣ hæc ⁝ est omnibus sanctis ejus.

C Ut faciant in eis judicium conscriptum, utique quod dicet Apostolus : Quoniam angelos judicabimus (*I Cor.* VI). Et ne solos apostolos judicaturos putares, adjecit : Gloria hæc est omnibus sanctis ejus, omnes enim sancti cum Christo judicant, qui ejus regulis non repugnant. C Conscriptum judicium : hoc est, ut sic eos judicent, quomodo in Scripturis sanctis digestum est.

ORATIO EX PSAL. CXLIX.

Auctor totius bonitatis, Deus (qui omnem mansuetudinem te humiliter confitentem exaltas), præsta, ut sicut sanctos exsultare facis in gloria, ita præsentem Ecclesiam custodire digneris ab hujus sæculi delectationibus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

PSALMUS CL.

ARGUMENTUM PSAL. CL.

B Admonetur civitas Dei, ut de mundi ambitu congregata, Domino laudes et ore cantet et animo. C B Quinquagesimus psalmus, est de pœnitentia; centesimus, de misericordia et judicio; centesimus quinquagesimus, de Dei laude in sanctis ejus. Sic enim ad æternam tendimus vitam : primitus nostra peccata damnando : deinde bene vivendo : ut post condemnatam malam vitam, et gestam bonam, mereamur æternam. Vocati enim renuntiamus diabolo per pœnitentiam, ne sub jugo ejus remaneamus; justificati sanamur per misericordiam, ne judicium, timeamus; glorificati transimus in vitam æternam, ubi Dominum sine fine laudamus.

TT. *Alleluia.*

1 *Laudate Dominum in sanctis ejus :*
Laudate eum in firmamento virtutis ejus.

H Laudate Dominum in sanctis : quod eos post celebratum judicium in æternitatis gloria collocabit. Laudate eum in firmamento : eo quod omni infirmitate sublata, firmamentum sanctis æternæ virtutis invexerit. C Docet autem qualiter sanctos laudare oportet : scilicet ut non ipsi, sed Dominus debeat de eorum prædicatione glorificari.

2 *Laudate eum in virtutibus ejus :*
Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

H Laudate eum in virtutibus : pro eo quod mortem potentialiter immortalitate consumens, incommutabilis vitæ his contribuerit gloriam. Laudate eum secundum multitudinem : quia suis tribuit tantam gloriam, qualem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II). C Vel secundum multitudinem magnitudinis ejus : cujus (ut alius psalmus dixit) non est finis (*Psal.* CXLIV). Ideo æternaliter et sine fine laudandus præcipitur, qui secundum multitudinem magnitudinis laudari jubetur.

3 *Laudate eum in sono tubæ :*
Laudate eum in psalterio et cithara.

C Hinc instrumenta ponuntur musica aliqua, significabili modo in ordine : ut tuba concrepet, regi : psalterium canat, Deo : cithara cum reliquis, sponso : quæ omnia figuraliter dicuntur laudes Domini personare. H In psalterio enim et cithara, vel decalogus opere servatus, vel mortificatio carnis (quæ citharæ nomine intelligitur) designatur : quia enim mortificatam carnem in se vivificaverit, jure laudatur in cithara, et in psalterio : quoniam decalogi *observatione* coronam æternam assecutus est.

4 *Laudate eum in tympano et choro :*
Laudate eum in chordis et organo.

H Laudate eum in tympano, id est, in mortificatione carnis, et concordia charitatis, et in spiritalibus præceptis.

5 *Laudate eum in cymbalis + bene : sonantibus :*
Laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

H Impletur hæc laus in cymbalis : quando corruptione carnis sanguinisque depulsa, conformati ad imaginem Creatoris, omni plenitudine spei completa, resplendent in regno Patris. Omnis spiritus : in illo igitur regno, non caro, nec sanguis, non corruptio, sed homo jam spiritalis totus effectus, Deum in spiritu (qui spiritus est) laudare jam non desinat. A Jubet Deus se laudari in sanctis : in firmamento virtutis, etc., et quæ sunt illa omnia ? vos, sancti ejus : virtus ejus estis, sed quam fecit in vobis : vos, firmamentum virtutis et multitudo magnitudinis ejus, C quam fecit et ostendit in vobis : vos estis tuba, psalterium, cithara et tympanum, chordæ et organum, et cymbala jubilationis bene sonantia, quia consonantia : vos estis hæc omnia. Nihil hic vile, nihil transitorium, nihil ludicre cogitetur. Et quia sapere secundum carnem mors est : omnis spiritus laudet Dominum.

ORATIO EX PSAL. CL.

Harmoniæ nostræ suavissimum melos, qui nostri pectoris modulamina, nunc flatibus, nunc fidibus præcipis exerceri, præsta, ut dum illa spiritali concinimus affectu, perpetualibus choris inserti, te *cum sanctis omnibus* collaudemus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

FINIT LIBER PSALMORUM, NUMERO CENTUM QUINQUAGINTA.

PSALMUS CLI (*apocryphus*).

ARGUMENTUM HUJUS PSALMI.

B Hic psalmus proprie inscribitur Davidi, extra numerum psalmorum, cum pugnavit cum Goliat.

1 *Pusillus eram inter fratres meos :*
Et adolescentior in domo patris mei.
2 *Pascebam oves patris mei :*
Manus meæ fecerunt organum :
Digiti mei aptaverunt psalterium :
Et quis annuntiavit Domino meo ?
3 *Ipse Dominus, ipse omnium exauditor :*
Ipse misit angelum suum.
Et tulit me de ovibus patris mei :
Et unxit me in misericordia unctionis suæ.
4 *Fratres mei boni et magni :*
Et non fuit beneplacitum in eis Domino.
5 *Exivi alienigenæ obviam :*
Et maledixit mihi in simulacris suis.
6 *Ego autem evaginato ab eo gladio ipsius amputavi caput ejus :*
Et abstuli opprobrium a filiis Israel.

SANCTI BRUNONIS

EPISCOPI HERBIPOLENSIS

COMMENTARIUS IN CANTICA.

CANTICUM ISAIÆ PROPHETÆ.

CAPITULO XII.

1 *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi :*
Conversus est furor tuus et consolatus es me.

H Hoc est, qui prius ex Ægypto per siccum mare pergentes in solitudine dixistis : Cantemus Domino, (*Exod.* xv), et reliqua nunc iterum percusso Ægypto, quia blasphemavit Dominum, et flumine illius arefacto atque conciso et humiliato, glorificate Deum et dicite : Confitebor tibi, Domine, etc. Nato enim Domino, quando in orbe Romano *primo* facta est descriptio (*Luc.* II), Augustus Cæsar Romanorum regum Ægypti destruxit, et omnis Ægyptus in rivis D septem percussus est, et Nilus aquarum multarum, qui prius uno fluens alveo intransmeabilis erat, in septem partes concisus est, ut calceatis pedibus transiretur, ideo glorifica.? Dominum qui in Ægyptum vindicavit peccata sua, et dicite : Confitebor tibi, Domine, id est laudabo te, vel pœnitentiam agam, quoniam iratus es mihi, propter peccatum meum. Conversus est furor tuus, id est indignatio tua. Consolatus es me per absolutionem peccatorum.

2 *Ecce Deus Salvator meus :*
Fiducialiter agam et non timebo.

Vox fidelium Judæorum. Ecce Deus Salvator meus, qui nobis promissus est in prop'etis, qui nobis sa-

iutem dedit. Fiducialiter agam et non timebo, id est, fidem habeo in illum quod me liberet, et fiducialiter prædicabo illum, id est sine timore.

3 *Quia fortitudo mea et laus mea Dominus :*
Et factus est mihi in salutem.

Quia fortitudo mea et laus mea Dominus, quia fortem me facit adversus insidias inimici, ipsum laudabo Filium Dei. Et factus est mihi in salutem : id est secundum divinitatem non est factus, sed genitus a Patre, in fine vero temporum, factus est in salutem æternam.

4 *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris :*
Et dicetis in illa die : Confitemini Domino et invocate nomen ejus.

Vox prophetarum ad populum Judaicum. Haurietis aquas in gaudio, id est, doctrinam Evangelii et apostolorum in lætitia accipietis. De fontibus Salvatoris, fontes Jesu fuerunt apostoli et evangelistæ. Et dicetis in illa die, o vos apostoli, scilicet gentibus, vestris sequacibus, in illo tempore, ut laudent Dominum : Confitemini Domino et invocate nomen ejus, subauditur, ut ab ipso salvemini.

5 *Notas facite in populis adinventiones ejus :*
Mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

Vox apostolorum ad gentiles, qui jam crediderunt, notas facite in populis adhuc non credentibus, adinventiones ejus. Adinventiones Christi, superbos humiliare, humiles exaltare ; vel, peccatores justificare, et obstinatos damnare. Mementote quoniam excelsum est nomen ejus, sicut scriptum est : Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit eum, etc. (*Philip.* II).

6 *Cantate Domino quoniam magnifice fecit :*
Annuntiate hoc in universa terra.

Cantate Domino, id est laudate Dominum, quoniam magnifice fecit, scilicet hominem assumendo, a mortuis resurgendo, in cœlos ascendendo. Annuntiate hoc in universa terra, id est in omnibus gentibus, quod assumpserit hominem.

7 *Exsulta et lauda, habitatio Sion :*
Quia magnus in medio tui sanctus Israel.

H Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus. O (124). Habitator Sion, exsulta et lauda Deum tuum, quia magnus et sanctus Israel, id est Jesus Christus Deus tuus, qui tuus ante videbatur Deus, et modicis Judææ terræ claudebatur angustiis, nunc implevit omnem terram, et invocatur in universis gentibus. Aliter : Sion, id est Ecclesia, lauda, quia sanctus Israel in medio tui habitat Christus Dominus.

CANTICUM EZECHIÆ REGIS.

ISA. CAPITULO XXXVIII.

H Ne elevaretur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos infirmatur, et vidit se esse moriturum, et convertit faciem suam ad parietem templi, ne lacrymas suas ostenderet aliis, et flevit fletu magno, propter promissionem Dei ad David, quam videbat in sua morte perituram, quia tunc non habebat filios, et desperabat Christum de suo semine nasciturum. Qui post redditam sibi sanitatem ita conscripsit : Ego dixi : In dimidio, etc. ; quæ scriptura non dicitur proprie oratio, sed gratiarum actio pro beneficio quod suscepit.

1 *Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi :*
Quæsivi residuum annorum meorum.

H Ego dixi, narrat quid tempore languoris tacitus cogitaret. Dixi, inquit, desperatione in corde meo. Vadam ad portas inferi, id est vel mortis, vel tartari, de quibus dicitur : Qui exaltas me de portis mortis, (*Psal.* IX) et reliqua, ad quas in dimidio cursu vitæ et errorum tenebris ducentur viri sanguinum et dolosi, qui non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV) ; non enim implent opera virtutum, nec pœnitent delictorum suorum. Aliter : Ego dixi. In dimidio dierum meorum, id est in medio cursu vitæ meæ, id est in juventute, vadam ad portas inferi, id est descendam ad infernum, sicut cæteri sancti. Quæsivi residuum annorum meorum, id est non me putans ultra victurum, postulavi ut concederetur mihi tempus vitæ quod residuum erat.

2 *Dixi : Non videbo Dominum Deum in terra viventium :*
Non aspiciam hominem ultra et habitatorem quietis.

Dixi : Non videbo, subauditur, si descendero in infernum, non videbo Deum in societate sanctorum. In terra viventium. H Ergo regio sanctorum ipsa est quæ vocatur terra viventium. Hoc est autem omne quod metuit, ne salutare Dei, ductus ad inferos non mereatur aspicere. Non aspiciam hominem ultra et habitatorem quietis. Quod nos olim propter verbi ambigoitatem sequenti versiculo junximus. Sermo enim Hebraicus, si legitur edel, *requiem* significat : si vero eled *occidentem* significat. Timet ergo ne cum sanctis D. i hominibus non habitet in requie, ne generatio illius instar tabernaculi dissolvatur, ne in telæ similitudinem in ipso lucis exordio præcidatur, et nequaquam de semine ejus Christus oriatur.

3 *Generatio mea ablata est et convoluta est a me :*
Quasi tabernaculum pastorum.

Generatio mea, id est procreatio filiorum meorum, avulsa et remota est. Quasi, id est, sicut amovetur tabernaculum pastorum. Tribus modis dolebat iste vir sanctus, vel quia sciebat se descensurum ad infernum propter peccatum, vel quia sciebat se non visurum ibi Dominum, vel certe, quia sine filiis adhuc erat, non nasciturum Dominum de semine suo, qui erat illi promissus, timebat.

4 *Præcisa est velut a texente vita mea :*
Dum adhuc ordirer succidit me.
De mane usque ad vesperam finies me.

Præcisa est vita, id est cursus vitæ meæ. Dum adhuc ordirer, id est dum essem juvenis, succidit me. De mane usque ad vesperam finies me, aut enim levius habebo, aut finem vitæ accipiam.

(124) Id est Origenes.

5 *Sperabam usque ad mane :*
Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

H Sperabam usque mane, sicut Job, in die noctem, et in tenebris lucem exspectabat (*Job* xvii), mutatione temporum putans mutari posse supplicia. Hoc verum esse novit qui magnis febribus æstuat, cujus ignis internus, ut leo omnia ossa consumit, nec se putat præ doloris magnitudine ultra victurum. Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea, id est omnem fortitudinem meam.

6 *De mane usque ad vesperam finies me : sicut pullus hirundinis sic clamabo :*
Meditabor ut columba.

Sicut pullus hirundinis sic clamabo, id est sicut hirundo sic gemo. Aliter. Sicut pullus hirundinis, mors imminens et languor incumbens et dolor, ut B leo ossa mea frangebat; sed ego ut hirundo et columba, fletibus et gemitibus dies noctesque jungebam, et a Deo solo qui subvenire potuit, præstolabar auxilium : cui dicebam, plus patior quam mea poscunt merita, sed si quid erravi, convertar ad melius. Clamat pullus hirundinis ad matrem pro cibo, gemit columba : ita ego ad Deum meum faciam propter peccata mea, donec misereatur mei.

7 *Attenuati sunt oculi mei :*
Suspicientes in excelso.

Attenuati sunt oculi mei, id est defecerunt lacrymarum effusione. Suspicientes in excelso, id est veniam postulantes.

8 *Domine, vim patior, sponde pro me :*
Quid dicam aut quid respondebit mihi. Cum ipse fecerit?

Domine, vim patior, id est infirmitas mea major est quam fragilitas mea possit ferre. Sponde pro me, id est tu esto fidejussor, ut sanitate recepta ad priora vitia non redeam. Quid dicam, aut quid respondebit mihi? subintellige ipse Dominus. H Cum ipse fecerit vel imposuerit ipsam infirmitatem. Aliter. Tu sponde pro me, non est enim volentis, (*Rom.* ix) et reliqua. Et rursum in se revertitur, quid dicam, quidve causabor contra te factorem meum? aut quid respondebit mihi? quia ipse fecit quod voluit : Omnia igitur sustinenda sunt quæcunque decreverit. Vel, cum ipse fecerit mecum misericordiam, et veniam spoponderit.

9 *Recogitabo tibi omnes annos meos :*
In amaritudine animæ meæ.

H Recogitabo omnes annos meos, scilicet prosperitatis atque lætitiæ meæ recordabor in amaritudine animæ meæ, id est cum essem in amaritudine infirmitatis. Nulla res enim longa mortalium est, omnisque felicitas sæculi, dum tenetur amittitur; cum enim tempus tribulationis advenerit, omnis præterita sæculi felicitas nihil adjuvat sustinentem. Ergo Ezechias reputare se dicit omnes annos regni sui et præteritæ, ut putabat, beatitudinis in præsenti amaritudine. Et quia jam securus est nec patitur quæ refert, de humano statu philosophatur et dicit : Domine, etc.

A 10 *Domine, si sic vivitur et in talibus vita spiritus mei corripies me et vivificabis me :*
Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

H Domine, si sic vivitur, id est si sic est vita hominis ut infirmetur, et in talibus, subintellige varietatibus infirmitatum, vita spiritus mei, id est vita animæ meæ est, corripies me, subintellige infirmitatem dando, et vivificabis me, iterum sanando, ecce in pace amaritudo, etc., id est ecce in pace populi mei et civitatis meæ est mihi amaritudo amarissima; illis, scilicet populis, de liberatione gaudentibus, et me per mortem recedente, quia ipsi liberati sunt a Sennacherib, ego solus limina mortis intravi.

11 *Tu autem eruisti animam meam ut non periret :*
Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. B

H Tu autem eruisti animam meam, subintellige de inferno, ut non periret. Et projecisti post tergum tuum omnia peccata mea, ne videres illa ad damnandum me, sed ad indulgendum. Vel etiam in præsenti eruisti vitam meam.

12 *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te :*
Non exspectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.

H Quia non infernus confitebitur tibi, id est qui in inferno sunt non laudabunt te, id est diabolus, neque mors laudabit te. Non exspectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam, id est *non exspectabunt veritatem judicii*, sed misericordiam liberationis, maxime cum Christus ad inferna descendit C ut vinctos liberaret.

13 *Vivens vivens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie :*
Pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur. Quisquis vivendo vivit, in cœlesti patria, ipse laudabit te sicut et ego hodie, subintellige laudo. Pater filiis notam faciet veritatem tuam. H Patrem se vocat, et subjectos sibi, filios; vel, omnem ætatem post se futuram, et non a se generatos, quia Manassen pessimum genuit, qui non legitur Dominum benedixisse et veritatem Domini confessus esse, sed maledixisse Deo sanctos ejus persequendo. Veritatem tuam, id est D veritatem misericordiæ tuæ. Confessio hic non pro pœnitentia, sed pro gloria et laude accipitur. Et ita pater filiis notam faciet veritatem tuam, ut per singulas successiones, Dei veritas et justitia posteris prædicetur.

14 *Domine salvum me fac :*
Et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

H Domine, salvum me fac, ab omnibus adversis. Et psalmos nostros, id est psalmodiam laudis, cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ, id est quandiu vixerimus omnes qui in te credimus, tuoque auxilio liberati sumus.

CANTICUM ANNÆ.

REGUM LIBRI I, CAPITULO II.

1 *Exultavit cor meum in Domino :*
Et exaltatum est cornu meum in Deo meo.

H Dicat Ecclesia Christi, civitas regis magni, gratia plena, prole fecunda, dicat quod tanto ante, de se prophetatum per os hujus piæ matris agnoscit. Exsultavit cor meum. *Addidit, in Domino, quia non in se, sed in Domino exsultavit. Et exaltatum est cornu meum in Deo meo. Vero exaltatum cornu meum, quia non in se sed in Domino suo exaltatum est, et in alio loco* dicit, exaltabuntur cornua justi (*Psal.* LXXIV); quia de crucis Christi apicibus, justis conferuntur hæc cornua : in his ventilabimus atque destruemus adversarias potestates, animæ nostræ insidiantes. Aliter : Exsultavit cor meum in Domino, id est B mens mea. Et exaltatum cornu meum, id est filius meus in Deo meo.

2 *Dilatatum est os meum super inimicos meos :*
Quia lætata sum in salutari tuo.

Dilatatum est os meum super inimicos meos, subintellige Judæos et hæreticos, quia super illos dilatatum est os Ecclesiæ, quæ coram Judæis et infidelibus sine prohibitione loquitur secundum Evangelium. Aliter : A dilatatum est os meum, quia et in angustiis pressurarum sermo Dei non est alligatus (*II Timoth.* II), nec in præconibus alligatis. Et lætata sum in salutari tuo. Christus iste est Jesus.

3 *Non est sanctus ut est Dominus :*
Neque enim est alius extra te : et non est fortis C
sicut Deus noster.

Non est sanctus, subintellige aliquis, sicut Deus Pater. Neque enim est alius extra te, scilicet Deus verus. Et non est fortis, subaudi alius Deus immutabilis, sicut tu cum Filio et Spiritu sancto. H Vel non est sanctus ut est Dominus et justus, etc., tanquam sanctus et sanctificans, justus et justificans. Non est sanctus extra et præter te, quia nemo fit nisi abs te.

4 *Nolite multiplicare loqui*
Sublimia : gloriantes.

RABANUS. Vox Ecclesiæ : Nolite multiplicare loqui, id est nolite gloriari in sapientia legis, sublimia intellige verba, gloriantes. Et Salomon dicit : Altiora te ne quæsieris (*Eccli.* III), et alibi : Dominus in cœlo et tu in terra (*Eccle.* V) : ideo sint pauci sermones tui. D

5 *Recedant vetera de ore vestro :*
Quia Deus scientiarum Dominus : et ipsi præparantur cogitationes.

Recedant vetera, id est veteres traditiones. Quoniam Deus scientiarum Dominus, id est non solum dat scientiam sanctis, sed et ipsi præparantur cogitationes, id est manifestæ sunt. Aliter. H Recedant vetera, hoc est, magniloquium non exeat de ore vestro. Quia Deus scientiarum Dominus est : hæc dicuntur de se præsumentibus, qui se justos putant, et ideo superbi et justitiæ Dei non sunt subjecti, quia de suo putant non de Deo posse se placere ; atque ideo arbiter conscientiarum Dominus, et ipse A videns cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, si hominum sunt, et ab illo non sunt a quo ipsi homines sunt, sinit superbos cadere, humiles exaltari.

6 *Arcus fortium superatus est :*
Et infirmi accincti sunt robore.

Arcus fortium superatus est, id est potentia Ægyptiorum in signis Moysi, vel potestas Judæorum. Et infirmi accincti robore sunt, id est. Judæi liberati a servitute Ægypti, vel gentiles fortitudine fidei.

7 *Repleti prius pro panibus se locaverunt :*
Famelici saturati sunt.

H Repleti prius pro panibus se locaverunt, id est gentiles non habentes prius doctrinam. Judæi enim repleti sunt prius panibus, id est doctrina Veteris Testamenti, et pro panibus se locaverunt, id est pro B doctrina Christi se seperaverunt a consortio fidelium, Aliter, se locaverunt, id est diabolo tradiderunt se pro doctrinis suis, nolentes communicare corpori Christi.

8 *Donec sterilis peperit plurimos :*
Et quæ multos habebat filios infirmata est.

Donec sterilis peperit plurimos, id est gentilitas peperit plurimos filios. Et Judæa infirmata est, in pariendo filios Dei.

9 *Dominus mortificat et vivificat :*
Deducit ad inferos et reducit.

Dominus mortificat et vivificat, Pater mortificavit Filium permittens illum tradi quem vivificavit resurgendo. H Deducit ad inferos et reducit, id est deduxit animam Filii cum jucunditate ad inferos et C reduxit.

10 *Dominus pauperem facit et ditat :*
Humiliat et sublimat.

Dominus pauperem facit, cum dicit : Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes (*Matth.* XIX). Et ditat, generando in illo virtutes, et reddendo centuplum. Humiliat, sanctos in præsenti, et sublimat, in futuro.

11 *Suscitans de pulvere egenum :*
Et de stercore erigens pauperem.

H Suscitans de pulvere egenum, id est de corruptione Christum, quia caro ejus non vidit corruptionem (*Psal.* XV). De stercore erigens pauperem, id est apostolos. Aliter, suscitans a terra pauperem, id est Christum, qui propter nos pauper factus est D cum dives esset, ut ejus paupertate vel morte ditaremur (*II Cor.* VIII). Egenus quippe idem qui pauper. Stercus autem, unde erectus est, rectissime intelliguntur persecutores Judæi.

12 *Ut sedeat cum principibus :*
Et solium gloriæ teneat.

H Ut sedeat cum principibus, id est cum apostolis in judicio. Et solium gloriæ teneat, id est ut ad dexteram Patris sedeat Christus, vel teneant apostoli sedem gloriæ, quam Dominus eis tribuit.

13 *Domini enim sunt cardines terræ :*
Et posuit super eos orbem.

Domini sunt enim cardines terræ, id est fines qui sunt apostoli, quia in omnem terram exivit sonus

eorum (*Psal.* XVIII). Et posuit super eos orbem, id est sanctam Ecclesiam super doctrinam apostolorum.

14 *Pedes sanctorum suorum servabit : et impii in tenebris conticescent :*
Quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

Pedes sanctorum suorum, id est sensus vel opera servabit ne peccent. Impii in tenebris conticescent, Judæi, scilicet hæretici et falsi Christiani, qui vagantur offendendo, discurruntque simul cum dæmonibus. Quia non in fortitudine sua roborabitur vir, id est nemo fortis in propria fortitudine convalescit. Aliter, pedes sanctorum, hoc est electorum suorum opera, in viam justitiæ dirigit. Et impii in tenebris conticescent, quia mittentur in tenebras exteriores, ubi conticescent, id est ab arrogantia superbiæ suæ cessabunt. Quia non in fortitudine sua roborabitur B vir, hoc est in fortitudine propria, sed in virtute divina potest esse vir, id est populus credentium.

15 *Dominum formidabunt adversarii ejus :*
Et super ipsos in cœlis tonabit.

Dominum formidabunt adversarii ejus, id est dæmones vel homines impii. Et super ipsos, subaudi impios ; tonat, in præsenti in libris comminans eis æterna supplicia, vel in futuro grandines et coruscationes.

16 *Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo :*
Et sublimabit cornu Christi sui.

H Dominus judicabit fines terræ, in die judicii omnes habitantes in terra, vel unumquemque secundum opera sua, quando de hac luce migraverit in regnum patriæ cœlestis. Et dabit imperium regi, id est corpori suo, quod est Ecclesia. Quæ propter unctionem baptismi rex appellatur, sicut appellabantur in Veteri Testamento qui unguebantur reges. Et sublimabit cornu Christi sui, id est potentiam sanctæ Ecclesiæ, quæ unctionem sancti Spiritus accepit in baptismo manus impositione. Aliter, Dominus judicabit fines, id est extrema opera hominis, in quibus inventus fuerit, non solum priora. Et dabit imperium regi suo, hoc est populo Christiano, quia dat eis virtutem qua carnem sicut reges regant. Et sublimabit cornu christi : omnes quippe unctos ejus chrismate, recte christos dicere possumus ; quod tamen totum cum suo capite corpus, unus est D Christus

CANTICUM MOYSI.

EXODI CAPITULO XV.

1 *Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est :*
Equum et ascensorem projecit in mare.

Cantemus, id est laudemus, quia magnificatus est in signis Ægypti. Sed gloriose magnificatus est, equites et ascensores eorum in mare dejiciendo, Pharaonem videlicet et exercitum ejus. Spiritualiter illa laus laudem significat, quæ nunc agitur in Ecclesia. Laudaverunt illi Dominum, laudemus et nos, dicit Ecclesia, quia, O magnificatus est Christus in A carnis assumptione, et nascendo de Maria virgine, et diabolum per mortem crucis vincendo, equum et ascensorem dejiciendo in mare, id est diabolum et ministros ejus in infernum dejiciendo, sed resurgendo et in cœlum ascendendo, gloriose magnificatus est.

2 *Fortitudo mea et laus mea Dominus :*
Et factus est mihi in salutem.

Fortitudo mea Dominus, dicit Moyses, quia fortes nos fecit adversus insidias inimicorum nostrorum. Laus nostra est, ipsum laudate, qui factus est nobis in salutem, nos redimendo, liberans nos de servitute Pharaonis. Spiritualiter fortitudo est Dominus sanctæ Ecclesiæ, quia ipsam fortem facit ad toleranda adversa hujus mundi.

3 *Iste Deus meus et glorificabo eum :*
Deus patris mei et exaltabo eum.

Iste est Deus, id est Christus, et glorificabo, hoc est laudabo eum. Deus patris mei, Abraham scilicet et exaltabo eum, id est magnum prædicabo. Fuerunt hæretici qui dixerunt duos esse deos, unum Veteris Testamenti, alterum Novi : Deum Veteris Testamenti dicebant esse justum et crudelem, eo quod juste præciperet, et eos qui peccabant interimi præciperet dicens : Si quis hoc vel illud fecerit morte moriatur. Deum vero Novi Testamenti dicebant justum et misericordem, eo quod peccantes ad pœnitentiam provocaret dicens : Pœnitentiam agite. Sed omnes isti mentiti sunt, ostendente Moyse ipsum C Deum esse Veteris Testamenti quem et Novi.

4 *Dominus quasi vir pugnator. Omnipotens nomen ejus :*
Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare.

Dominus quasi vir, tunc Pharaonem, nunc diabolum debellando. Omnipotens, quia solus omnia potest. Currus Pharaonis, etc., omnia quidem quæ hic dicuntur et facta sunt in Pharaone tunc, etiam postea per Christum in antiquo perfecta sunt hoste : Quæ etiam prophetico spiritu hic prædicuntur futura quasi præterita :

5 *Electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro : abyssi operuerunt eos :*
Descenderunt in profundum quasi lapis.

Electi principes, id est principalia vitia pariter cum minimis subruuntur. Abyssi operuerunt eos, id est gehenna, in quam quasi lapis descenderunt. Quia et ille et iste, Pharao scilicet et diabolus, gravati duritia peccatorum lapides vivi non erant.

6 *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine : dextera tua, Domine, percussit inimicum :*
Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios meos.

Dextera tua, Domine, magnificata est, hoc est, dexteram tuam, Domine, id est Filium tuum Christum magnificemus in fortitudine victoriæ, qui percussit inimicum libertatis nostræ, deponens eum de dominio deceptorum.

7 *Misisti iram tuam quæ devoravit eos sicut stipulam :*
Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.

Misisti iram tuam, Iram. id est vindictam, non tamen ira deitatis turbatur. Quæ devoravit eos sicut stipulam, quia sicut facile ignis stipulam consumit, sic facile erat Deo eos submergere. Et in spiritu furoris tui, quia patientibus furor videtur, cum sit æquum judicium.

8 *Stetit unda fluens :*
Congregatæ sunt abyssi in medio mari.

Stetit unda fluens, id est vel maris divisi vel Jordanis ut legitur (*Exod.* XIV). Congregatæ sunt abyssi, ne nocerent justos et necarent injustos.

9 *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam :*
Dividam spolia, implebitur anima mea.

Dixit inimicus, id est Pharao : Persequar, etc., ista enim sunt verba Pharaonis vel diaboli, quibus tamen fortior superveniens spolia abstulit (*Luc.* IX).

10 *Evaginabo gladium meum :*
Interficiet eos manus mea.

Evaginabo gladium meum, id est gladios, et manus, id est potentia mea vel multitudo exercitus, interficiet eos. Ita dicit et diabolus. Evaginabo gladium, id est, aperiam omnes fallendi modos, et interficiet eos spiritualiter manus mea.

11 *Flavit spiritus tuus et operuit eos mare ;*
Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

Flavit spiritus tuus : spiritu enim fortitudinis tuæ submersi sunt. Quasi plumbum : flexibiles ad malum, et gravati a malitia, ne possint ad bonum animam elevare.

12 *Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui ? magnificus in sanctitate :*
Terribilis atque laudabilis et faciens mirabilia.

Quis similis tui ? magna faciens (quia sanctus es) terribilis (judicando), atque laudabilis (dimittendo peccata pœnitentibus), et faciens mirabilia : in cruce et in peccatorum conversione.

13 *Extendisti manum tuam :*
Et devoravit eos terra.

Extendisti manum, id est virtutem tuam, et devoravit eos terra, id est arena vel peccata terrena. O Vel terra devorantur, qui semper terrena faciunt, de terra loquuntur, litigant, terram desiderant, et luxuriæ dediti, voluptatem quærunt corporis.

14 *Dux fuisti in misericordia tua :*
Populo quem redemisti.

Ibi dux fuisti ad terram promissam, hic ad cœlestem Jerusalem redemptis.

15 *Et portasti eum in fortitudine tua :*
Ad habitaculum sanctum tuum.

Et portasti eum tunc, id est, sine ejus labore eum advexisti : ubi tabernaculum, et postea templum videret : sicut sanctos in paradisum nunc introducis, ubi habitaculum sanctum tuum æternum vident in æternum.

16 *Ascenderunt populi et irati sunt :*
Dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.

Ascenderunt populi, Israel. Et irati sunt, id est, adversarii contra eos irati sunt. Hæc autem de futuro intelliguntur. Philistiim interpretantur *cadentes poculo* : Idumæi, *rubei* vel *terreni*.

17 *Tunc conturbati sunt principes Edom : robustos Moab obtinuit tremor :*
Obrigueruni omnes habitatores Chanaan.

18 *Irruat super eos formido et pavor :*
In magnitudine brachii tui.

Moab : *ex patre* interpretatur, et significat peccatores justorum persecutores, qui inebriati sunt peccatis et noxa effusionis sanguinis Christi. Vel qui sunt homicidiis inquinati, ex patre diabolo sunt : quibus hæc salus justorum est invidia, quos tamen Dominus exsuperat.

19 *Fiant immobiles quasi lapis, pertranseat populus tuus, Domine :*
Donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti.

Fiant immobiles : optat vel pronuntiat, quod resistere non valeant Dei populo, illi superius jam nominati populi. O Vel mystice Judæi facti sunt immobiles ad Christi fidem : donec pertranseat et veniat ad fidem omnis populus gentium, quem Dominus possidet.

20 *Introduces eos* et *plantabis in monte hæreditatis tuæ :*
Firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine.

Introduces eos, in terram promissam : et introducet etiam Dominus sanctos suos in cœlestem Hierusalem, et plantabit in æternum, id est, feliciter vivere faciet. In monte, scilicet Sion, et firmissimo habitaculo, hoc est Hierusalem. Spiritualiter autem Sion, contemplationem cœlestem : firmissimum habitaculum, Hierusalem cœlestem (cujus fines Dominus pacem æternaliter firmam posuit (*Psal.* CXLVII) significat, ubi nulla infirmitas esse potest.

21 *Sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ*
Dominus regnavit in æternum et ultra.

O Sanctuarium tuum : hoc est sanctimonium assumptæ carnis : quod non manu hominum factum est, sed manibus Dei paratum. Dominus regnavit : regnat et regnabit in sæculum et sine terminali fine. Aliter : Et regnabit in æterno et ultra : si quid æterno ulterius est.

22 *Ingressus est enim Pharao cum curribus ejus in mare :*
Et reduxit super eos Dominus aquas maris.

O. Ingressus enim : spiritualiter accipiendo : Qui Ægyptius est, et sequitur Pharaonem, id est diabolum, ille vitiorum mergitur fluctibus.

23 *Filii autem Israel ambulaverunt per siccum :*
In medio maris.

O Filii autem Israel : mystice, id est qui sequitur Christum, et sicut ille ambulabat, ita et ipse

ambulat : aquæ et murus fiunt dextera lævaque. Ipse autem media via incedit per siccum, usquequo exeat ad libertatem, et hymnum victoriæ canat dicens : Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare : quod erit cum post mortem anima cœlos gloriosa ingreditur.

ORATIO HABACUC PROPHETÆ PRO IGNORANTIIS.

CAPITULO III.

1 *Domine, audivi auditionem tuam :*
Et timui.

Domine, audivi : Omnia (discipulis inquit Salvator) quæ audivi a Patre annuntiavi vobis (*Joan.* XV), id est, probrosa adversaque carne assumpta pro humano genere patior : et post, victa morte, intrabo in gloriam meam. Hanc auditionem propheta audivit in spiritu, et timuit.

2 *Domine, opus tuum*
In medio annorum vivifica illud.

Domine, opus tuum. Ait ergo ; deprecor, Domine, ut quod promisisti explices, finito quoque tempore reddas Christum tuum : et opus quod pollicitus es vivifica, hoc est, tuum imple promissum.

3 *In medio annorum notum facies :*
Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

In medio annorum. Cum venerit, inquit, plenitudo temporis, et opere promissa impleveris (*Gal.* IV) : monstrabis vera esse quæ es pollicitus ; et cum peccantibus nobis iratus fueris, pœnitentiam tamen agentibus, misericordiæ tuæ recordaberis.

4 *Deus ab Austro veniet :*
Et sanctus de monte Pharan. Diapsalma.

Deus ab Austro ; Pharan, locus est vicinus Sina : in quo ipse Dominus legem dedit, qui de Virgine nasci dignatus est in Bethleem : et inde ab Austro veniens, Hierosolymam a parentibus ductus est (*Luc.* II), ut pro eo hostia secundum legem daretur.

5 *Operuit cœlos gloria ejus :*
Et laudis ejus plena est terra.

Operuit cœlos : in adventu enim Salvatoris cuncta repleta sunt gloria, ut in Evangelio : Gloria in excelsis Deo (*Luc.* II). Et alibi : Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra (*Psal.* VIII). Et rursum : In omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* XVIII).

6 *Splendor ejus ut lux erit :*
Cornua in manibus ejus.

Splendor ejus : quasi sol, sic sol justitiæ clara luce radiabit. Cornua, id est vexilla ac trophæa crucis, in manibus ejus.

7 *Ibi abscondita est fortitudo ejus :*
Ante faciem ejus ibit mors.

Ipsi abscondita est fortitudo. In cruce abscondita est fortitudo ejus ; quoniam dicebat : Tristis est anima mea usque ad mortem (*Marc.* XIV). Et : In manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII). Ibi enim latuit virtus divinitatis, et apparuit infirmitas humanitatis.

A 8 *Egredietur diabolus ante pedes ejus :*
Stetit et mensus est terram.

Egredietur : exeunte enim Domino de aquis baptismatis, occurrit mors, id est diabolus : et ante pedes ejus veniebat coluber antiquus, quoniam tentavit eum in deserto (*Matth.* IV).

9 *Aspexit et dissolvit gentes :*
Et contriti sunt montes sæculi.

Aspexit et dissolvit. Stans Salvator, et oculo suo cuncta prospiciens, et intuitu suo universum mundum metiens, gentium infidelitatem dissipavit, et glacieque sua resolvit corum corda : et dæmones et superbos (qui montes dicuntur sæculi) contrivit.

10 *Incurvati sunt colles mundi :*
Ab itineribus æternitatis ejus.

B Incurvati sunt colles, id est, superbi per pœnitentiam humiliati sunt : qui ante adventum Salvatoris superbi erant, et a nullo flecti poterant. Ab itineribus æternitatis ejus : per carnem enim assumptam et prædicationem suam et discipulorum, et interiorem inspirationem (quibus viis divinitas ad nos venire dignata est) humiliati sunt et conversi superbi.

11 *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ :*
Turbabuntur pelles terræ Madian.

Pro iniquitate, id est propter iniquitatem. Qui templum Dei esse debuerant : propter iniquitatem avaritiæ, luxuriæ et omnis malitiæ, fiunt tabernaculum Æthiopum, id est dæmonum. Tabernacula autem terræ Madian atque Æthiopum eosdem intellige : hi in novissimo conscii peccatorum suorum,
C pavebunt judicio et turbabuntur.

12 *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine : aut*
in fluminibus furor tuus :
Vel in mari indignatio tua.

Nunquid in fluminibus : fluminum et maris vocabulo corda exprimuntur infidelium, quæ toto intentionis impetu ad inferiora rapiuntur. Sunt autem flumina bona, sunt et mala : unde littera ista potest et ista interrogatio affirmative et negative intelligi. Non enim bonis fluminibus irascitur Deus, irascitur autem malis : et mare similiter in bono et malo accipi potest. Mundana vel hæretica eloquentia et verba, malum flumen : Dei verba et prædicatio et sacramenta, bonum flumen, in quibus peccator abluitur.

D 13 *Qui ascendes super equos tuos :*
Et quadrigæ tuæ salvatio.

Qui ascendes super equos : non in illorum corda, quibus iratus dicitur superius : sed in corda electorum tuorum ascendes, per illuminationem gratiæ tuæ (ut apostolorum) in his curribus equitans totum illustravit mundum et salvavit. Vel quatuor Evangelia quadriga sunt salutis.

14 *Suscitans suscitabis arcum tuum :*
Juramenta tribubus quæ locutus es. Diapsalma.

Suscitans suscitabis. Arcum dicit improvisum adventum, in quo regna mundi examinanda prævidit. Vel arcum, sacram Scripturam dicit : quam suscitavit, dum per eam in peccatis mortuos excitavit,

et impievit quæ promisit tribubus patrum antiquorum.

15 *Fluvios scindes terræ : viderunt te aquæ et doluerunt montes :*
Gurges aquarum transit.

Fluvios scindes, id est reges terræ adversus tuum populum dimicantes divides atque disperges. Te viderunt excelsa regna, et sublimes hujus sæculi potestates tremuerunt. Gurges, id est, persecutio eorum qui vexabant populum tuum transiit.

16 *Dedit abyssus vocem suam :*
Altitudo manus suas levavit.

Dedit abyssus : hoc est postquam gurges aquarum, id est persecutionum transiit, id est cessavit, id est post passionem tuam, Christe, inferi, id est sancti in limbo patrum laudaverunt te. Et altitudo, id est angeli te resonabant esse victorem : et quasi plausu manuum elevatarum te victorem, triumphatoremque monstrarunt.

17 *Sol et luna steterunt in habitaculo suo :*
In luce sagittarum tuarum ibunt : in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

Sol et luna : post passionem suam et resurrectionem elevatus est Dominus, sol videlicet justitiæ in cœlum, et emisso Spiritu illustravit Ecclesiam, quæ dicitur luna : quæ tunc ita stetit, robore Spiritus accepto, ut nec mortem timeret. Sagittæ tuæ, id est plagæ tuæ et eruditio, populo tuo lumen præbuerunt. In sole enim Christus, in luna Ecclesia designatur.

18 *In fremitu conculcabis terram :*
In furore obstupefacies gentes.

In fremitu conculcabis : quando injuriam populi tui vindicabis, terrena regna conculcabis, et omnes gentes admirari facies.

19 *Egressus es in salutem populi tui :*
In salutem cum Christo tuo.

Egressus es : hoc Patri dictum intelligitur, quia exierit ad salvandum populum suum per Jesum Christum Filium suum : Deus enim erat in Christo, mundum reconcilians sibi (*II Cor.* v). Vel egressus a synagoga Judæorum ad gentes.

20 *Percussisti caput de domo impii :*
Denudasti fundamentum usque ad collum.

Percussisti caput : veniente autem Filio tuo, percussisti Antichristum de domo impii, id est in hoc sæculo : quia in maligno mundus positus est (*Joan* v). Et abscondita ejus aperta fecisti, usque in sempiternum. Fundamenta enim sive abscondita ejus sunt cogitationes, quæ nudantur vel in judicio omnibus, vel hic per confessionem, usque ad collum, id est usque ad verba et opera. Vel per caput diabolus intelligitur.

21 *Maledixisti sceptris ejus : capiti bellatorum ejus :*
Venientibus ut turbo ad dispergendum me.

Maledixisti : non solum sceptris, id est, regno diaboli maledixisti, verum etiam capiti bellatorum quod percusseras, qui venerunt ut turbo : ut verterent populum tuum, Domine. Secundum litteram autem intelligimus impium Nabuchodonosor, vel omnes adversarios, qui venerunt ut turbo ut dispergerent me, id est ut everterent Israel et captivarent.

22 *Exsultatio eorum :*
Sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito.

Exsultatio eorum : Exsultabunt pauperem devorantes et subjectum sibi populum, et hoc quasi in abscondito facient, id est quasi tu, Deus, nescires. Venisti igitur ad prælium pro populo tuo, et quadrigas mittens in aquas (id est in gentes multas) fecisti eis viam, etc.

23 *Viam fecisti in mari equis tuis :*
In luto aquarum multarum.

Viam fecisti. Equi sunt sancti prædicatores : quibus fecisti viam in populis nationum, et in quorum prædicatione turbatæ sunt aquæ : hoc est gentium corda. Mare enim spiritualiter mundus est : lutum, peccata et curæ vanæ : aquæ multæ, populi multi.

24 *Audivi et conturbatus est venter meus :*
A voce contremuerunt labia mea.

Audivi et conturbatus est venter meus : Ad comminationem, inquit propheta, tuam, toto ventre, id est animo contremisco : labiorum enim tremor designat pavorem trepidæ mentis. Audivi igitur vindictam tuam in peccatores (quam fecisti hic, et quam amplius facies in extremo judicio) et contremisco : ne et ego reprobus inveniar.

25 *Ingrediatur putredo in ossibus meis :*
Et subter me scateat.

Ingrediatur putredo, id est, non solum hunc tremorem libenter patior, verum etiam quod passus est Job (*Job* I) libenter sustinebo (id est putredinem corporis : ita ut innumeris scateat vermibus caro mea) et omnes angustias et tribulationes hic in hac vita.

26 *Ut requiescam in die tribulationis :*
Ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

Ut requiescam, id est ut hic a meis munder, et eripiar peccatis, et in die tribulationis, hoc est consummationis sæculi et judicii (in die, scilicet iræ, calamitatis et miseriæ) requiescam, atque ascendam ad consortium eorum qui in Christo præcesserunt, et accinxerunt se ad pugnandum contra aereas potestates et omnia vitia armis virtutum undique cincti et expediti : cum illis ascendam in gaudia beatorum, et in hac vita de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII). Ficus enim non florebit, ego autem floream.

27 *Ficus enim non florebit :*
Et non erit germen in vineis.

Ficus enim non florebit : ficus, vinea et oliva, erat synagoga Judæorum ; quoniam dulcedinem bonæ operationis proferebat : sed Domino veniente, virtutis fructum ferre neglexit. Similiter exponitur de malis Christianis iste et sequentes duo versus.

28 *Mentietur opus olivæ :*
Et arva non afferent cibum.

Mentietur opus olivæ, aliud promittentis et aliud

facientis, dicentis ad Moysen : Omnia quæcunque dixerit Dominus faciemus (*Exod.* XXIV) : et nolentis in eum credere qui a Moyse prædicatus est (*Deut.* XVII). Arva quoque, id est agri, id est Judæa, quæ olim in montibus sanctis, nunc in plano sita, depressionis exsiccata peccatis, non fert cibum, nec pecori, id est simplicibus, nec armentis, id est prælatis; et ideo abscindetur.

29 *Abscindetur de ovili pecus :*
Et non erit armentum in præsepibus.

Abscindetur] de ovili : Apud Judæos sunt præsepia litterarum cœlestium, sed quia pabulum cœlestis intellectus in his non sapiunt, qui jugum Evangelii bajulent absunt. Armentum enim quasi aramentum dicitur, quia aratri jugo terram aret ; vel ab armis cornuum dicitur armentum, et prælatum vel quemlibet Christi jugum ferentem significat.

30 *Ego autem in Domino gaudebo :*
Et exsultabo in Deo Jesu meo.

Ego autem in Domino, id est non in mea justitia, sed in fide divinæ protectionis gaudebo. Illi enim hæc patientur, ego autem gaudebo (*II Cor.* I) : ego compassus hic Jesu meo, gaudebo alibi cum eo : illi hic in profanis gavisi, alibi patientur æternaliter. Ego autem hic tribulatus pro Jesu meo, post hanc vitam in re, sicut nunc in spe gaudebo et exsultabo in Deo Jesu meo. Exsultent alii in idolis suis, alii in divitiis, in honoribus, alii et libidine, ego exsultabo in redemptione mea, in Salvatore et Jesu meo.

31 *Dominus Deus fortitudo mea :*
Et ponet pedes meos quasi cervorum.

Deus Dominus fortitudo : in illo quippe me virtutem facere confido. Et sicut cervi spinosa transeunt, ita ego pericula delictorum Domini auxilio transcendam omnia.

32 *Et super excelsa mea deducet me victor :*
In psalmis canentem.

Et super excelsa, id est omnem mundanam sublimitatem contemplatione cœlestium transcendere facit me, victoriam ejus atque triumphum canentem.

CANTICUM MOYSI.

DEUTERONOMII CAPITULO XXXII.

1 *Audite cœli quæ loquar :*
Audiat terra verba oris mei.

Audite, cœli. Maxima elementa in testimonium vocat, ut intentum faciat auditorem, et significet se de magnis locuturum.

2 *Concrescat in pluvia doctrina mea :*
Fluat ut ros eloquium meum.

Concrescat in pluvia doctrina mea, etc., sicut innumerabiles sunt pluviarum guttæ et roris, sic in hoc carmine de inscrutabilibus judiciis Dei disputabo. Vel sicut pluvia et ros terram faciunt fructificare, sic doctrina mea in vobis virtutum reviviscere fructus faciat.

3 *Quasi imber super herbam : et quasi stillæ super gramina :*
Quia nomen Domini invocabo.

Quasi imber iste versus superius sensum habet, quia nomen Domini invocabo, id est de Domino mihi sermo est.

4 *Date magnificentiam Deo nostro : Dei perfecta sunt opera :*
Et omnes viæ ejus judicia.

Date magnificentiam, id est digne eum honorate fide et operibus. Dei perfecta sunt opera, quia summe perfectus est. Et omnes viæ ejus, id est opera ejus judicia, id est cum discretione rationis, id est providentissima ratione et discretione disposita et facta.

5 *Deus fidelis et absque ulla iniquitate justus et rectus :*
Peccaverunt ei non filii ejus in sordibus.

Deus fidelis in omnibus promissis; in judiciis justus et rectus. Non filii, quia degeneraverant a vero patre, sequentes idola ; sic et nunc qui peccata sequuntur, quasi degeneres sunt quod patrem bonum non imitantur.

6 *Generatio prava atque perversa :*
Hæccine reddis Domino, populе stulte et insipiens.

Generatio prava et perversa est, scilicet sensu et opere. Hæccine reddis, id est hæc ne, scilicet mala tua, vel nonne hæc ? Stultus dicitur et insipiens, quia beneficiis Domini ingratus existit et exstitit, vel prava affectu, vel perversa intellectu. Populus stultus, putans utile quod est nocivum ; et insipiens, non intelligens ei esse utile quod est utile.

7 *Nunquid non ipse est pater tuus :*
Qui possedit et fecit et creavit te?

Nunquid non ipse est pater tuus ? omnes enim homines Deum Patrem habent naturaliter, quia Deus generare aliquid dicitur, cum noviter vel de novo producit, unde dicitur. Istæ sunt generationes cœli et terræ (*Gen.* II) : non quod ea genuerit ex sua substantia, sed quod nova produxerit. Qui possedit et fecit et creavit te, e contrario legendum est, scilicet ita, ut quod primo creaverit disponendo ut faceret, fecerit formando. In quo enim possideret nisi prius crearet?

8 *Memento dierum antiquorum :*
Cogita generationes singulas.

Memento dierum, memento quomodo electus sis in patriarchis, et cogita quomodo Abraham, Isaac et Jacob, et plurimos alios elegerit.

9 *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi :*
Majores tuos et dicent tibi.

Interroga patrem, interroga spiritualem doctorem et eos qui majores sunt scientia.

10 *Quando dividebat Altissimus gentes :*
Quando separabat filios Adam.

Quando dividebat, scilicet in constructione turris Babylonicæ, quando per divisionem linguarum divisit gentes (*Gen.* XI) ; vel divisione

maris Rubri, quando divisit eos ab Ægyptiis (*Exod.* xiv).

11 *Constituit terminos populorum :*
Juxta numerum filiorum Israel.

Constituit, hyperbolice loquitur, quia tot, dicit, constituit terminos populorum, id est, singulas gentes, quot erant singulæ personæ in populo Israel. Vel dicit tot esse singulas gentes constitutas, quot homines ingressi sunt de populo Israel in Ægyptum, id est septuaginta (*Gen.* xlvi). Quod autem alia translatio dicit, statuit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei, sic intelligitur, quod sicut unicuique hominum custodem angelum legimus deputatum (*Matth.* xviii): sic et angelos principes gentium credamus constitutos. Nam in Daniele legimus Michaelem principem populo, et angelum Persarum vel Græcorum (*Dan.* x).

12 *Pars autem Domini populus ejus :*
Jacob funiculus hæreditatis ejus.

Pars autem Domini, quam elegit de omnibus istis populis et nationibus, et mirabilia sua ostendit, et singularia beneficia exhibuit, fuit populus ejus, scilicet Judæorum. Hæc dicit ut validius eis beneficia Dei commendaret, quod tanta de multitudine gentium, sibi eos elegisset, qui de Jacob stirpe descenderant, ut essent funiculus hæreditatis ejus, id est, quasi hæreditaria possessio ejus.

13 *Invenit eum in terra deserta.*
In loco horroris et vastæ solitudinis.

Invenit eum in terra deserta, id est, in monte Sina, ubi illum legibus suis constrinxit (*Exod.* xx). In loco horroris et vastæ solitudinis, id est Arabiæ, quæ circa desertum est.

14 *Circumduxit eum et docuit*
Et custodivit quasi pupillam oculi sui.

Circumduxit, id est, per viam montis Seir duxit eum (*Deut.* ii). Et docuit, scilicet patientiam vel leges ejus. Et sicut pupillam oculi, ita diligenti cura servavit eum. Pupilla enim omnibus membris cautius custoditur.

15 *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos :*
Et super eos volitans.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et reliqua. Ferunt physici aquilam pullos contra solem ponere, et quem viderit aciem in radio solis fortiter figere, illum nutrit; quem vero torpentem viderit, dimittit : sic et Dominus docet nos semper oculo intelligentiæ solem divinæ majestatis intendere. Quæ etiam super eos volitans provocat pullos ad volandum : ita divina pietas vult nos proficere de virtute in virtutem.

16 *Expandit alas suas et assumpsit eum :*
Atque portavit in humeris suis.

Expandit alas. Quæ etiam aquila, Deus, scilicet, bene lassescentes in se sublevat, quia ubi nos minus sufficiamus, divinum speramus auxilium. Ipse enim portat nos, sicut aquila dicitur portare pullos suos in humeris, ut si sagittetur ad eam, ipsa antequam pulli excipiat sagittas; ita Christus pro nobis vulneratus est, et humeris suæ protectionis nos defendit et Judeos olim ita portavit. Aptat autem se ita Dominus infirmis, ut intelligamus ejus pro nobis compassionem, qui etiam in Evangelio gallinæ se assimulavit (*Matth.* xxiii).

17 *Dominus solus dux ejus fuit :*
Et non erat cum eo Deus alienus.

Dominus solus : quia solum ejus virtutis erat, sic glorifice populum suum educere, quod nullus aliorum deorum facere valuit.

18 *Constituit eum super excelsam terram :*
Ut comederet fructus agrorum.

Constituit, terra enim repromissionis vertex mundi esse dicitur, unde et Hierusalem umbilicus terræ esse videtur. Ferunt autem sapientes mundi, terram globo similem, undique convexam, nostra autem terra, id est, Ecclesia, omnibus mundi virtutibus excelsior est.

19 *Ut sugeret mel de petra :*
Et oleum de saxo durissimo.

Ut sugeret, propter affluentiam omnium bonorum dicitur, quia quamvis *rupibus* aspera, terra melle et oleo abundabat. Cæterum de petra melle, id est, de Christo dulcedo doctrinæ ante passionem fidelibus in ista terra ministrata est. Oleum autem de saxo durissimo, id est, post resurrectionem, quando jam immortalis effectus est. Oleum Spiritus sancti Christus *effudit* in eadem terra.

20 *Butyrum de armento, et lac de ovibus :*
Cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan.

Butyrum et lac : abundantiam rerum demonstrat, nam et terra Basan fertilissima ad alendos greges erat; unde Rubenitis et Gaditis, qui plurima pecora habebant, illa terra tradita est (*Num.* xxxii). Nobis autem butyrum de armento, id est, fortis doctrina nobis de patriarchis et prophetis ministratur. Et lac de ovibus, lenior doctrina simplicium, cum adipe agnorum, et arietum, id est, per exempla magistrorum et subditorum desiderium spiritale, quod in adipe signatur, præstatur. Basan interpretatur *pinguedo*, quia sancti pinguedinem charitatis ostendunt.

21 *Et hircos cum medulla tritici :*
Et sanguinem uvæ biberet meracissimum.

Et hircos, per hircos pœnitentiarum exempla intelligimus; sancti enim sic vivunt in mundo, quasi semper peccata defleant. Qualis est eremitarum et verorum monachorum vita. Medulla tritici et sanguis uvæ : corpus et sanguinem Christi significat, meracissimum, id est, purissimum.

22 *Incrassatus est dilectus et recalcitravit :*
Incrassatus, impinguatus, dilatatus,

23 *Dereliquit Deum factorem suum :*
Et recessit a Deo salutari suo.

Incrassatus est dilectus, propter rerum omnium abundantiam : et recalcitravit, sequendo deos alienos; dilatatus, scilicet in generationis propagine. Vel incrassatus deliciis, impinguatus divitiis, dilatatus honoribus et potentia; et ideo dereliquit

Deum, quasi ejus auxilio non indigeret amplius.

24 *Provocaverunt eum in diis alienis :*
Et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

Provocaverunt eum, id est ad iracundiam et vindictam talibus ausis irritaverunt. Ille quoque qui post baptismum ad idololatriam convertitur, vel vitiis vel malignis spiritibus sese mancipat, Domini vindictam in se incitat.

25 *Immolaverunt dæmoniis et non Deo :*
Diis quos ignorabant.

Immolaverunt, hoc manifestum est.

26 *Novi recentesque venerunt :*
Quos non coluerunt patres eorum.

Novi recentesque, id est, quia stabiles non erant in cultura Dei, quam a patribus didicerant, noviter accedebant ad deos colendos, quos non coluerunt patres eorum.

27. *Deum qui te genuit dereliquisti :*
Et oblitus es Domini creatoris tui.

Deum qui te genuit, id est qui te formavit ut esses. Sed et nos aliter generat per baptismum in remissionem peccatorum.

28 *Vidit Dominus et ad iracundiam concitatus est :*
Quia provocaverunt eum filii sui et filiæ.

Vidit Dominus quem nihil latere potest, et corripuit eos propter peccatum : quia eum provocaverunt in cultura deorum, quos adoptaverat in filios et in filias.

29 *Et ait. Abscondam faciem meam ab eis :*
Et considerabo novissima eorum.

30 *Generatio enim perversa est :*
Et infideles filii.

Et ait, abscondam (hoc est subtraham auxilium, et considerabo novissima eorum : id est ad qualem finem perveniant.

31 *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus :*
Et irritaverunt in vanitatibus suis.

Ipsi me provocaverunt : Sicut enim illi me unum, in multis diis provocaverunt : ita et ego assumam multas gentes, et hanc respuam.

32 *Et ego provocabo eos in eo qui non est populus :*
Et in gente stulta irritabo illos.

Et ego eos provocabo, in eo qui non est populus : per quem populum significat omnes gentes : quæ ad comparationem Israel : quasi non essent, reputabantur : vel quia gentes idola colentes, non dicebantur Dei populus.

33 *Ignis succensus est in furore meo :*
Et ardebit usque ad inferni novissima.

Ignis succensus est : vindicta mea in hoc tempore incipiet, et ardebit usque ad inferni novissima, id est usque ad æternam damnationem. Malos enim et impios Dominus nonnunquam hic incipit flagellare, ut de temporali pœna ad æternam transeant (*Act.* XII). Sic in Herode et Antiocho factum legimus (*I Mach* VII).

A 34 *Devorabitque terram cum germine suo :*
Et montium fundamenta comburet.

Devorabitque terram, id est peccatores cum operibus suis devorabit : et montium, id est superborum, cogitationes et confidentiam destruet.

35 *Congregabo super eos mala :*
Et sagittas meas complebo in eis.

Congregabo : *Mala sunt* pœnæ, quæ sufferentibus malæ videntur, sed justæ apud inferentem. Et sagittas : id est vindictas exercebo.

36 *Consumentur fame :*
Et devorabunt eos aves morsu amarissimo.

Consumentur : quod illis factum legimus, quorum cadavera volucres et bestiæ comederunt, quos fames B ac gladius consumpserunt. Consumuntur etiam nunc peccatores, fame verbi Dei : et devorantur ab avibus, id est a malignis spiritibus lacerantur.

37 *Dentes bestiarum immittam in eos :*
Cum furore trahentium super terram atque serpentium.

Dentes bestiarum : sævitia diaboli immittetur eis, qui eos in furore Dei trahat super terram, id est in mundanis desideriis subruat.

38 *Foris vastabit eos gladius :*
Et intus pavor.

Foris vastabit eos ; quia pœnas sustinentes, conscientia propria torquentur (*Isai.* LXVI) : unde dicitur : Ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur (*Marc.* IX).

C 39 *Juvenem simul ac virginem :*
Lactentem cum homine sene.

Juvenem simul, id est nulli vindicando parcet ætati. Allegorice autem in juvene, libidinosum ; in virgine, a bonis operibus sterilem ; in lactente, hebetem ; in sene, inutilem diu per pigritiam accipere possumus : quos omnes vindicta Dei consumet.

40 *Et dixi : Ubinam sunt*
Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Et dixi, ubinam ? Non per ignorantiam interrogans, sed alios discere faciam. Cessare faciam ex hominibus eorum memoriam, scilicet tunc cum Judæi in erra repromissionis non apparent : vel cum iniqui de communione sanctorum discernentur, et pro nihilo reputantur : cujus rei multa exempla sunt.

D 41 *Sed propter iram inimicorum distuli :*
Ne forte superbirent hostes eorum.

42 *Et dicerent : Manus nostra excelsa :*
Et non Dominus fecit hæc omnia.

Sed propter. Isti duo versiculi sunt jungendi ; ideo enim sæpe priorem populum sustinuit, ne gentes circumpositæ, ejus nomen blasphemarent : sic et nos sustinet peccatores, nec statim peccantes damnat ; ne glorientur maligni spiritus in perditione nostra, et se victoriam jactent percepisse.

43 *Gens absque consilio est et sine prudentia :*
Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent.

Gens absque. Gens Judæorum et omnium impiorum

sine consilio salutis est: quia in futurum sibi prævidere nesciunt.

44 *Quomodo persequebatur unus mille:*
Et duo fugarent decem millia?

45 *Nonne ideo quia Deus suus vendidit eos:*
Et Dominus conclusit illos?

Quomodo persequebatur. Non potuisset fieri, ut unus hostium mille Judæorum persequeretur: nisi Dominus suus vendidisset eos, id est a se projecisset, et exosos haberet, et concluderet eos in manus inimicorum.

46 *Non enim est Deus noster ut dii eorum:*
Et inimici nostri sunt judices.

Non enim est Deus noster. Dominus enim Deus noster verax et justus; idola autem gentium, falsa et inutilia. Et inimici nostri sunt judices, id est approbatores. Omnes enim gentes (quamvis varia colant idola) unius Dei potentia mundum regi confitentur.

47 *De vinea Sodomorum vinum eorum:*
Et de suburbanis Gomorrhæ.

De vinea Sodomorum. Sæpe in Scripturis synagoga vel Hierusalem, Sodomæ comparatur (*Ezech.* XVI); quia sicut illi male abusi sunt donis Dei, sic et isti beneficiis Dei semper ingrati exstiterunt. Peccatum primo est in corde per consensum, secundo in interiori machinatione ad opus perpetrandum, tertio in actu exteriori perpetrato: primum hic vinea, secundum uva, tertium vinum dicitur.

48 *Uva eorum uva fellis:*
Et botrus amarissimus.

Uva eorum: vinea (quæ est domus Israel) conversa in amaritudinem (*Isai.* V), id est in mortem Christi conspirans) et pendenti in cruce acetum felle mistum porrexerunt (*Joan.* XIX), et botrum malitiæ suæ protulerunt amarissimum.

49 *Fel draconum vinum eorum:*
Et venenum aspidum insanabile.

Fel draconum: sicut fel dracones, et aspides venena occultat; ita conscientia eorum plena est malitia.

50 *Nonne hæc condita sunt apud me:*
Et signata in thesauris meis:

Nonne hæc condita sunt, id est hæc sunt reservata apud me, nec oblivioni tradita: hæc, scilicet peccata vestra, non enim quia vindicare distuli oblitus sum, sed recondita sunt usque in diem ultionis.

51 *Mea est ultio et ego retribuam eis in tempore:*
Ut labatur pes eorum.

Mea est ultio, id est, retribuam illis in tempore vindictæ quæ merentur. Ut labatur pes eorum, id est qui videbantur stare, pereant.

52 *Juxta est dies perditionis*
Et adesse festinant tempora.

Juxta est dies perditionis, scilicet quia certum est: vel quia quamvis millia multa annorum hic habeat, ad comparationem tamen æternitatis modicum est, appropinquant igitur ultionis dies, et quando non putamus adsunt (*Matth.* XXIV).

53 *Judicabit Dominus populum suum:*
Et in servis suis miserebitur.

Judicabit Dominus, id est discernet sanctos suos ab impiis. Nam judicium in discretione vel damnatione accipi potest. Et in servis suis miserebitur, id est misericordiam ostendet in die ultionis: qui enim ei fideliter servierunt, non ex operibus sed gratia et misericordia recipient æterna præmia, quid enim habes quod non accepisti? (*I Cor.* IV.)

54 *Videbit quod infirmata sit manus: et clausi quoque defecerunt:*
Residuique consumpti sunt.

Videbit quod infirmata sit manus, id est videri faciet, quod opera malorum infirma fuerint. Et clausi quoque defecerunt: id est quod ab inimicis captis, propriis viribus defecerunt. Residui, id est quia ab hac vita exeuntes, non habent postea aliquid faciendi facultatem.

55 *Et dicent: Ubi sunt dii eorum:*
In quibus habebant fiduciam?

Et dicent, adversarii eorum qui eos captivarunt: et dæmones malis Christianis (quorum Deus venter et honor et divitiæ erat (*Philip.* III) dicent post mortem et in morte, Ubi, etc.: vel etiam justi et boni vindictam et Dei iram videntes dicent, Ubi, etc.

56 *De quorum victimis comedebant adipes:*
Et bibebant vinum libaminum.

De quorum victimis: in his verbis omnes vanitates, quas sequuntur homines comprehendit idololatriæ vel peccatorum: exprobrantur enim malis vana, in quibus vivebant.

57 *Surgant et opitulentur vobis:*
Et in necessitate vos protegant

Veniant idola, quæ colebatis, et eruant vos.

58 *Videte quod ego sim solus:*
Et non sit alius Deus præter me.

Videte, id est intelligite, quod ego sum solus Deus.

59 *Ego occidam et ego vivere faciam: percutiam et ego sanabo:*
Et non est qui de manu mea possit eruere.

Ego occidam: duobus modis occidit, et duobus modis vivificat: quia alios in infernum damnat et ad vitam alios æternam sublevat. Aliter occidit veterem hominem, ut vivificet novum. Et non est qui *de manu mea* possit eruere, id est qui potentiæ meæ possit resistere.

60 *Levabo ad cœlum manum meam:*
Et dicam: Vivo ego in æternum.

Levabo ad cœlum, id est ostendam æternitatem potentiæ meæ.

61 *Si acuero ut fulgur gladium meum:*
Et arripuerit judicium manus mea.

Si acuero ut fulgur: id est dum velociter venerit judicium meum. Et arripuerit judicium manus mea, id est cœperit judicare potentia mea.

62 *Reddam ultionem hostibus meis:*
Et his qui oderunt me retribuam.

Reddam ultionem: hoc est, in peccatores reddam ultionem.

63 *Inebriabo sagittas meas sanguine.*
Et gladius meus devorabit carnes.

Inebriabo sagittas, id est in peccatoribus ostendam vindictas meas, et gladius meus devorabit carnes, id est carnales judicium meum consumet.

64 *De cruore occisorum :*
Et de captivitate nudati inimicorum capitis.

De cruore occisorum : subauditur, inebriabo sagittas meas, id est in perditione damnatorum. Et de captivitate nudati inimicorum capitis : secundum litteram captivitati tondebantur et vendebantur (quod est sub corona vendere), spiritualiter autem antichristus, impiorum caput, per Christi potentiam destruetur vindicantis. Aliter exercet Dominus vindictam de captivitate inimicorum capitis, cum arrogantiam mentis malorum, et malitiam destruxerit.

65 *Laudate gentes populum ejus :*
Quia sanguinem servorum suorum ulciscetur.

Laudate gentes populum ejus, id est sanctos ejus : quia sanguinem martyrum suorum ulciscetur.

66 *Et vindictam retribuet in hostes eorum :*
Et propitius erit terræ populi sui.

Et vindictam retribuet in hostes eorum, scilicet in hæreticos atque infideles et persecutores. Atque propitius erit terræ populi sui : id est Ecclesiæ, cum misericordiam suam illi ostendit.

HYMNUS TRIUM PUERORUM.

DANIELIS CAPITULO III.

Benedicite omnia opera Domini Domino, etc.

Generali laudatione præmissa, quod omnis creatura debeat laudare Deum (*al.*, Dominum), in consequentibus per partes singula cohortatur (*al.*, singulares coarctatur) : angelos, et cœlos, aquas et virtutes, solem et lunam, imbrem et rorem, spiritum, ignem et æstum, frigus et æstatem, et cætera, quæ longum est texere, ita ut fontes quoque et maria et cetum, volucres bestiasque et pecora ad laudem Domini provocat et filios hominum. Et post omne hominum genus Israelem, et de ipso Israele sacerdotes et servos Domini, spiritus animasque justorum, sanctos et humiles corde, et ad extremum Ananiam, Azariam et Misaelem, qui potenti beneficio ad laudem Domini provocantur. Omnis autem creatura non voce, sed opere laudat Dominum; quia ex creaturis Creator frequenter intelligitur et singulis operibus atque effectibus Dei magnificentia demonstratur. (*Sequitur textus* BENEDICITE, *nihil a vulgato recedens præter vers.* 67 *frigus et æstas.*)

CANTICUM ZACHARIÆ.

LUCÆ CAPITULO I.

1 *Benedictus Dominus Deus Israel :*
Quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.

Benedictus : duo enim dicit, visitare et redimere. Visitare namque infirmorum, redimere vero captivorum est : quæ duo humano generi congruunt quoniam genus humanum infirmum erat peccatis, captivum quoque fraude diabolica detinebatur. Veniens vero Dominus infirmum visitavit, quia a pec-

A catis liberavit : et captivum redemit, quia a potestate diabolica abstraxit, et redimendo fecit eum suum. B. Notandum vero circa istum versum est, quod beatus Zacharias prophetico more quod adhuc in spiritu futurum et proxime faciendum præviderat narrat quasi factum, dicens, quia visitavit, id est incarnatus est.

2 *Et erexit cornu salutis nobis*
In domo David pueri sui.

B Et erexit cornu salutis : firmam et solidam salutis dicit. Omnia enim ossa, carne involuta sunt, cornu autem excedit carnem : et ideo cornu salutis regnum Salvatoris Christi vocatur : quo vocabulo spiritalis, et quæ carnis gaudia superet, altitudo nuntiatur : et quo regno mundus et carnis gaudia B superantur.

3 *Sicut locutus est per os sanctorum :*
Qui a sæculo sunt prophetarum ejus.

Sicut locutus est. A sæculo, inquit, propterea quod tota veteris instrumenti Scriptura, prophetia de Christo præcessit, non soli enim Jeremias et Isaias cæterique prophetæ de ejus adventu manifeste locuti sunt : verum ipse pater Adam, Abel et Enoch, ejus dispensationi testimonium reddunt.

4 *Salutem ex inimicis nostris :*
Et de manu omnium qui oderunt nos.

Salutem : jungendum est superiori versiculo. Erexit nobis, scilicet salutem ex inimicis nostris. Omnes autem qui oderunt nos : vel homines perversos, vel immundos spiritus significat.

C 5 *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris :*
Et memorari testamenti sui sancti.

Ad faciendam misericordiam : dixerat enim, Dominum juxta eloquia prophetarum in domo David nasciturum : et ita misericordiam factam cum eis, cum impletum esset promissum.

6 *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum :*
Daturum se nobis :

Jusjurandum : dicit eumdem Christum, *juxta* jusjurandum quod Deus juravit, nos esse liberaturum, ad explendum testamentum quod Abrahæ disposuit. Quia videlicet his præcipue patriarchis de suo semine, vel congregatio gentium, vel incarnatio est D repromissa.

7 *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati :*
Serviamus illi.

Ut sine timore : nam qui vel ante mortem a Domini servitio discedit, vel coram hominibus tantum et non coram Deo sanctus perdurare contendit : necdum de manu spiritalium inimicorum perfecte liberatus Domino servit (*IV Reg.* XVII), sed exemplo Samaritanorum diis gentium pariter et Domino servire conatur.

8 *In sanctitate et justitia coram ipso :*
Omnibus diebus nostris.

In sanctitate : aperte et breviter quomodo sit Do-

mino serviendum designat, videlicet in sanctitate et justitia, et coram ipso et omnibus diebus nostris.

76 *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis.*
Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus :

Et tu puer. Pulchre cum de Domino loqueretur, ad prophetam repente sua verba convertit : ut hoc quoque beneficium esse Domini designaret. A Sed quomodo alloqui puerum poterat, cum eum vel audire vel intelligere non potuerit? sed poterat eum intelligere, quia Spiritu sancto plenus erat : si enim adhuc utero matris clausus adventum Domini cognovit, jam natus intelligere valebat.

77 *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus :*
In remissionem peccatorum eorum.

Ad dandam scientiam cum dandam commemorat, ne carnalem temporalemque promitti salutem putares, in remissionem inquit peccatorum eorum.

78 *Per viscera misericordiæ Dei nostri :*
In quibus visitavit nos oriens ex alto.

Per viscera : viscera non solum vitalia dicuntur interioris corporis, verum etiam omne quod corio et pelle tegitur : et per viscera, occulta ejus miseratio designatur. In quibus, scilicet occultis miserationibus visitavit nos oriens ex alto. Qui ideo recte oriens vocatur : quod nobis ortum veræ lucis aperiens, filios noctis et tenebrarum, lucis effecit filios (*I Thess.* v).

79 *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent :*
Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Illuminare : Domini illuminare, est his qui in peccatis et ignorantiæ cæcitate vixerint, agnitionis amorisque sui radios infigere. Pedes autem nostri in viam pacis diriguntur : cum actionum nostrarum iter per omnia cum Redemptoris illuminatorisque nostri gratia concordat.

CANTICUM SANCTÆ MARIÆ AD VESPERAM.

LUCÆ CAPITULO I.

46 *Magnificat anima mea. Dominum.*

Magnificat anima mea : tanto inquit me Dominus tanquam inaudito munere sublimavit, quod nullo linguæ officio explicari, sed intimo pectoris affectu vix valeat comprehendi : Et ideo totas animæ vires in agendis gratiarum laudibus offero.

47 *Et exsultavit spiritus meus.*
In Deo salutari meo.

Et exsultavit spiritus meus : quia et ejusdem Jesu, id est salutaris æterna divinitate spiritus meus lætatur : ejus mea caro temporali conceptione fecundatur. Cui simile est Psalmistæ. Anima autem mea exsultabit in Domino et delectabitur super salutari suo (*Psal.* XXXIV).

48 *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.*
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia respexit. Cujus humilitas respicitur, recte beata omnibus cognominanda gratulatur. Decebat A enim ut sicut per superbiam primæ parentis nostræ Evæ mors intravit in mundum : ita denuo per humilitatem Mariæ vitæ introitus panderetur.

49 *Quia fecit mihi magna qui potens est.*
Et sanctum nomen ejus.

Quia fecit : sola quippe illa anima : cui Dominus magna facere dignatur, dignis eum præconiis magnificare potest. Sanctum autem nomen ejus vocatur, quod singularis culmine potentiæ transcendit omnem creaturam, atque ab universis quæ fecit longe segregatur.

50 *Et misericordia ejus a progenie in progenies.*
Timentibus eum.

Et misericordia : quasi diceret sicut supra me timentem venit misericordia ejus, ita et supra omnes B timentes. *A* specialibus enim se donis, ad generalia Dei judicia convertens, totius humani generis statum describit : et quid superbi, quid humiles mereantur, quid filii Abrahæ per liberum arbitrium, quid filii Dei sint per gratiam, alternis versibus explicat. Non ergo, inquit, soli mihi fecit magna qui potens est : sed et in omni gente et progenie, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* X).

51 *Fecit potentiam in brachio suo.*
Dispersit superbos mente cordis sui.

Fecit potentiam : nunc de Deo Patre loquitur, qui fecit potentiam in brachio suo, id est in ipso suo Filio, sicut enim tuum brachium est per quod operaris, sic Dei brachium dictum est ejus verbum, quia per verbum operatus est mundum. B Vel brachium C suum, potestas et ditio ejus virtutis dicitur : quia non alieno ad operandum auxilio indiget.

52 *Deposuit potentes de sede.*
Et exaltavit humiles.

Deposuit : potentes enim appellantur elati, sicut Judæi : qui depositi sunt de sede regni, seu intelligentia sanctarum Scripturarum. B Eosdemque potentes, quos ante superbos dixerat, appellat, potentes igitur, non quia vere sint potentes, dicuntur : sed quia confidentes in virtute sua, conditoris sui auxilium quærere detrectant. Illi autem vere potentes sunt, qui cum Apostolo dicere possunt : Omnia possum in eo qui me confortat Jesu Christo (*Phil.* IV).

53 *Esurientes implerit bonis.* D
Et divites dimisit inanes.

B Esurientes cœlestia, implentur hic virtutibus cœlestibus, et post mortem æterna beatitudine : et qui terrenis divitiis vel honoribus gloriantur, quibus refertos se norunt, vacui relinquuntur virtutibus, et post hanc vitam æterna laborabunt inopia.

54 *Suscepit Israel puerum suum.*
Recordatus misericordiæ suæ.

Suscepit Israel : Israel, id est omnis videns per fidem Deum, suscipitur a Deo ; dum puer, id est humilis et obediens fuerit. Suscepit igitur Deus Israel puerum suum, quando carnem ex Israel sursum cepit, et elevavit usque ad unionem Verbi : suscepit dum sibi in utero Mariæ virginis in per-

sona univit. Et hoc non meritis nostris aut ipsius Israel pueri sui, sed misericordia sua indicibili, cujus recordatus est.

10 *Sicut locutus est ad patres nostros.*
Abraham et semini ejus in sæcula.

Sicut locutus est ad patres nostros : hoc enim ad patres et prophetas loquebatur, quod facturus esset hanc misericordiam Abrahæ et semini ejus, id est omni fidem suam imitanti.

CANTICUM SIMEONIS.

LUCÆ CAPITULO I.

1 *Nunc dimittis servum tuum, Domine.*
Secundum verbum tuum in pace.

Nunc dimittis : vides non solum Novi, sed et Veteris Testamenti justos, spe futuræ vitæ desiderium habuisse dissolvendi a corpore : imo pacis viam deputasse, sarcinam deponere terrestrem, utputa qui se in sinu Abrahæ requiem non dubitarent habituros esse perpetuam.

2 *Quia viderunt oculi mei.*
Salutare tuum.

Quia viderunt : Beati oculi qui vident (*Luc.* x) quæ Simeon vidit. Beati qui non viderunt et crediderunt (*Joan.* xx).

3 *Quod parasti. Ante faciem omnium populorum.*

Quod parasti. Illud inquit ipsum quod postmodum omnibus gentibus et populis et linguis mente ac fide conspiciendum parasti, et spe ac dilectione quærendum prævidisti, ipse diu desideratum, nunc et carnis et cordis oculis tuum salutare contemplor,

4 *Lumen ad revelationem gentium.*
Et gloriam plebis tuæ Israel.

Lumen, lumen quidem utriqne populo, salutare Dei, id est Christus a Deo paratus est. Qui tamen gloria magis dicitur Israel, cui diu speratur (*Rom.* IX), et ex quo pronuntiatus advenit. Gentium vero revelatio, quas visitare et illustrare pariter dignatus est.

SANCTI BRUNONIS

EPISCOPI HERBIPOLENSIS,

COMMENTARIUS

IN ORATIONEM DOMINICAM, SYMBOLUM APOSTOLORUM

ET

FIDEM ATHANASII.

ORATIO DOMINICA.

MATTHÆI CAPITULO VI ET LUCÆ XI.

1 *Pater noster qui es in cœlis.*

Discipulus. In oratione Dominica quot petitiones habentur? Magister. Septem. D. Quæ est prima? M. Sanctificetur nomen tuum. D. Hoc quod in capite est, Pater noster qui es in cœlis, quomodo intelligitur? M. Ibi enim invocatio divinitatis est, dum Patrem nos habere profitemur Deum : quia omnes fratres sumus, et Deum Patrem habemus in cœlis (*Matth.* XXIII)

2 *Sanctificetur nomen tuum.*

D. In prima petitione quam dixisti, quid intelligendum est? M. A Christo enim Christianus derivatur, et ideo dum Christiani vocamur, Christi nomen tenemus, et supplicamus, ut opera Christi facere valeamus, et nomen suum per opera bona nostra *in nobis* sanctificetur.

3 *Adveniat regnum tuum.*

D. Quæ secunda petitio? M. Adveniat regnum tuum. D. Quid ibi intelligendum est? M. Oramus enim, ut Christus regnet in nobis, et non diabolus, id est Ecclesia Christi semper crescat, in qua regnat Deus : et dies judicii adveniat, quia tunc diabolus regnare in mundo desistit, et Christus cum sanctis suis in æternum regnabit (*I Cor.* XV).

4 *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.*

D Quæ est tertia? M. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. D. Quomodo est intelligenda? M. Sicut angeli in cœlo tuæ obediunt voluntati, ita et justi in terra faciant : et sicut in sanctis, ita et in peccatoribus tua voluntas impleatur.

5 *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie :*

D Quæ est quarta? M. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. D. Quid in ea intelligitur? M. Hoc loco panis pro omnibus cibis accipitur, de quibus vivere debeamus : precamur etiam pro assumptione corporis Christi : petimus denique ut nobis seipsum tribuat qui est panis vivus (*Joan.* VI).

6 *Et dimitte nobis debita nostra :*
Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

D. Quæ est quinta? M. Et dimitte nobis debita

nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. D. Quid in illa sentiendum est? M. Precamur etiam ut sic dimittat nobis peccata nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

7 *Et ne nos inducas in tentationem.*

D. Quæ est sexta? M. Et ne nos inducas in tentationem. D. Quomodo hoc intelligitur? M. Non petimus ut non tentemur, quia qui non est tentatus, non est probatus (*Rom.* v), sed precamur ne nos inducat in tentationem, quam sufferre non possimus (*I Cor.* x), id est non sinat nos in tentatione peccare. Inducere enim dicitur Deus, cum auxilium subtrahit.

8 *Sed libera nos a malo. Amen.*

D. Quæ est septima? M. Sed libera nos a malo. D. Quomodo est intelligendum? M. Id est a diabolo, a peccato, et ab omni malo tentamento. D. Amen quod in fine est, quomodo intelligitur vel cujus linguæ dicitur? M. Amen Hebraice dicitur, quod in Latinum versum, *vere* et *fideliter* intelligitur.

SYMBOLUM APOSTOLORUM.

1 *Credo in Deum Patrem omnipotentem : Creatorem cœli et terræ.*

D. Ista suscipio, sed quoniam, sicut nosti, omnes nos per fidem salvari credimus, rogo ut dicas mihi, quomodo fidem tuam intelligas, vel etiam in quem credas. M. Ego credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ. D. Quare dicitur omnipotens, et quare creator? M. Omnipotens dicitur, quia omnia potest quæcunque vult; creator, eo quod omnia creavit, cœlum et terram, mare et omnia.

2 *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum : Dominum nostrum.*

D. Credis in Jesum Christum? M. Omnino credo in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui est verus Deus et verus homo. D. Quomodo Deus, et quomodo verus homo? M. Deus verus est, quia de Spiritu sancto conceptus est, homo verus, quia ex Maria virgine natus est.

3 *Qui conceptus est de Spiritu sancto : Natus ex Maria virgine.*

D. Ecce illum natum. Quid postea factum est? M. Post sanctam enim ejus nativitatem ætate et sapientia crescens, triginta annos implevit (*Luc.* III). In qua etiam ætate a Joanne Baptista dignatus est baptizari, et post baptismum tribus annis et dimidio docuit. Et prædicavit omnia quæ ad vitam æternam pertinent.

4 *Passus sub Pontio Pilato : Crucifixus, mortuus et sepultus.*

D. Post hanc prædicationem quid factum est? M. In ipsa prædicatione comprehensus est a Judæis iniquis et perfidis, a quibus propter invidiam illorum et propter peccata nostra, multa blasphema multasque passiones sub Pontio Pilato, qui judex erat illo tempore in Judæa, sustinuit. D. Unde dicitur Pontius? M. A loco ubi natus fuit, hoc nomen accepit. D. Quid post hæc? M. sub illo enim crucifixus est, et in eadem cruce mortuus, deinde sepultus est.

5 *Descendit ad inferna : Tertia die resurrexit a mortuis.*

Et manente corpore in sepulcro, anima ejus ad inferna descendit. De quo inferno sanctos patriarchas, scilicet, Abraham, Isaac et Jacob et sanctos prophetas Isaiam, Jeremiam, et reliquos, et cæteros omnes quos elegit, misericorditer liberavit. Et tertia die victor resurrexit. D. Postquam resurrexit quid fecit? M. Post nobilissimam et sanctissimam ejus resurrectionem, conversatus est quadraginta diebus *et quadraginta* noctibus cum discipulis suis : et manducavit cum illis, multa docens et loquens de regno Dei (*Act.* I).

6 *Ascendit ad cœlos : Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*

D. Quid postea? M. Post hæc vero videntibus illis, Ascendit in cœlum, ubi quomodo vult et qualiter vult, sedet ad dexteram Patris omnipotentis.

7 *Inde venturus est : Judicare vivos et mortuos.*

D. Quid post hæc facturus erit? M. Finito mundi termino, cum ipso corpore, cum quo ascendit in cœlum, venturus est judicare vivos et mortuos. D. Quid sunt vivi et quid sunt mortui? M. vivi, justi; mortui, peccatores.

8 *Credo in Spiritum sanctum. Sanctam Ecclesiam catholicam.*

D. Credis in Spiritum sanctum? M. Credo sine dubio in Spiritum sanctum. D. Quid est? M. Deus est et in Trinitate tertia persona, quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. In qua Trinitate unum Deum omnino esse credo et confiteor. D. Credis in sanctam Ecclesiam catholicam, et sanctorum communionem? M. Credo sanctam Ecclesiam, sed non in illam credo, quia non Deus, sed convocatio vel congregatio Christianorum et domus Dei est. D. Ecclesia qua lingua dicitur? M. Græca. D. Quid interpretatur Latine. M. *convocatio* seu *congregatio* Christianorum, sicut superius dixi. D. Quid est catholica? M. Universalis, id est per totum orbem diffusa.

Sanctorum communionem.

Sanctorum quoque communionem, id est cum sanctis societatem et communionem me habere credo, si fidem firmiter tenuero et operibus servavero.

9 *Remissionem peccatorum.*

D. Credis in remissionem peccatorum? M. Non, sed esse remissionem peccatorum credo, quia propter hoc dignatus est Dei Filius carnem assumere, ut nos qui propter peccata nostra salvi esse non poteramus, ejus misericordia salvaremur.

10 *Carnis resurrectionem.*

D. Credis in carnis resurrectionem? M. Non credo in illam; sed carnem quam in hac vita sub mortali conditione portamus, resurrecturam esse immorta-

lem credo, et pro consortio ejus, animam rationem A
redditurum.

11 *Et vitam æternam. Amen.*

Vitam æternam vero sine dubio nos consecuturos credimus : si ista quæ hucusque exposuimus, firmiter teneamus et operibus impleamus.

LAUDES POST NOCTURNUM.

HYMNUS QUEM SANCTUS AMBROSIUS ET SANCTUS AUGUSTINUS INVICEM CONDIDERUNT

(*Sequitur textus* TE DEUM.)

FIDES CATHOLICA SANCTI ATHANASII EPISCOPI.

1 *Quicunque vult salvus esse :*
Ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem. B

Hic beatus Athanasius liberum arbitrium posuit, sicut dicit in psalmo : Quis est homo qui vult vitam (*Psal.* XXXIII), et iterum in Evangelio ipsa Veritas dicit : Qui vult post me venire (*Matth.* XVI). Similiter et hic. Quicunque vult salvus esse. Non dicit, velis aut non, salvus eris, sed quicunque vult, quia Deus omnipotens nullum hominem invitum aut coactum trahit ad fidem. Sed quicunque vult salvus æternaliter esse in corpore vel in anima, necessitas illi est ut teneat catholicam fidem. Quia ante omne opus necesse est ut fides præcedat; ante omnem operationem, ante omnem inchoationem, ante omne principium unicuique opus est ut teneat catholicam fidem, dicente Apostolo : Sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI). Unde Habacuc propheta ait : C
Justus autem ex fide vivit (*Habac.* II). Catholica, Græcus sermo est, Latine interpretatur *generalis* sive *universalis;* generalis, pertinet ad omnes homines; universalis, quia per universum orbem est diffusa. Fides credulitas *est qua*, scilicet veraciter credimus, id quod nequaquam videre valemus. Unde Apostolus ait : Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (*Hebr.* XI). Dicitur namque fides, eo quod fit inter Deum et homines. Istam fidem, istam credulitatem ante omnia opus est habere nobis, quia fides fundamentum est omnium virtutum, et ideo prius ædificamus fidem, quæ est fundamentum, et super eam cæteras virtutes, quia sine fide nullus salvus esse potest. Dicitur igitur fides, credulitas sive credentia. Catholica, D
universalis dicitur, id est recta, quam universa Ecclesia tenere debet. Ecclesia vera congregatio Christianorum sive conventus populorum dicitur.

2 *Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit :*
Absque dubio in æternum peribit.

Quam fidem quisque, id est unusquisque. Integram, id est plenam et perfectam, ut eam non scindat per hæresim, neque ullo schismate corrumpat. Inviolatam, id est eam non violet maledicendo atque prædicando, et si eam non custodierit integram et inviolatam, absque dubio in æterna damnatione peribit.

3 *Fides autem catholica hæc est :*
Ut unum Deum in trinitate, et trinitatem in unitate veneremur.

Nunc manifestat quid est fides, vel qualiter unusquisque eam credere debeat. Ut unum Deum in trinitate et trinitatem in unitate veneremur, id est debemus credere trinum et unum; unum in substantia, trinumque in personis; nec propter trinitatem debemus dimittere unitatem, nec propter unitatem debemus dimittere trinitatem. Ut ipsum quem colimus, unum veneremur et trinum; unum propter unitatem substantiæ; trinum propter personarum vocabula, veneremur, id est adoremus atque colamus.

4 *Neque confundentes personas :*
Neque substantiam separantes.

Confundere est commiscere, quia non debemus tantum unam personam credere, sicut Sabellius hæreticus asserebat, sed tres, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, nec substantiam separare : ut Arius hæreticus asserebat; dicebat enim, quod sicut erant tres personæ, ita fuissent tres substantiæ. Patrem asserebat majorem Filio, Filium minorem Patre, Spiritum sanctum ministrum eorum dicebat. Substantia dicitur, eo quod ex semetipsa subsistit; substantia vero commune est nomen omnium rerum quæ sunt, cœlum, sol, luna, terra, arbores; homines etiam substantiæ dicuntur. Deus igitur substantia est, et summa substantia, et prima et omnium substantiarum causa, quia omnium rerum creator est (*Exod.* III). Essentia igitur proprie de Deo dicitur, quæ semper est quod est, quia incommutabilis est (*Jac.* I).

5 *Alia est enim persona Patris :*
Alia Filii, alia Spiritus sancti.

Hic contra Sabellium sunt personæ divisæ, quas asserit esse unam, quia Pater in sua persona non est Filius, sed tantum Pater; nec Filius in sua persona est Pater, sed tantum Filius, et Spiritus sanctus in sua persona non est Pater, nec Filius, sed tantum Spiritus sanctus, ex utroque procedens. Persona dicta est, eo quod per se sonat.

6 *Sed Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas :*
Æqualis gloria, coæterna majestas.

Sed Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, hoc est una substantia. Æqualis gloria, coæterna majestas, id est coæqualis, sine initio et fine, et gloria, et potestas.

7 *Qualis Pater talis Filius :*
Talis et Spiritus sanctus :

Quia sicut Pater æternus est vel omnipotens seu invisibilis, similiter est et Filius et Spiritus sanctus.

8 *Increatus Pater, increatus Filius :*
Increatus Spiritus sanctus.

Increatus Pater. In, præpositio, est in hoc loco, pro non composita. Increatus Pater, id est non creatus, quia ipse est omnium Creator, et a nullo creatus

Ipse est omnium factor, et a nullo factus. Increatus Filius, increatus et Spiritus sanctus. Increatus Filius, non creatura, sicut Arius dicebat, quia omnia simul creavit cum Patre, similiter et Spiritus sanctus.

9 *Immensus Pater, immensus Filius : Immensus Spiritus sanctus.*

Immensus Pater, quia ejus magnitudinem vel quantitatem nullus mensurare potest, quæ cœlo est excelsior, terra profundior et latior mari (*Job.* XI) : et est incircumscriptus, incorporeus, inlocabilis, ubique totus : et non est locus ubi non sit, sicut dicit in psalmo. Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero *ad infernum*, ades; et si iero ad extremum maris, ibi me dextera tua tenebit (*Psal.* XXXVIII). Ipse est intra omnia, et non conclusus; extra omnia, et non exclusus. Similiter et Filius, qui attingit a fine usque ad finem fortiter (*Sap.* VIII), de quo scriptum est. Verbo Domini cœli firmati sunt (*Psal.* XXXII). Pari modo et Spiritus sanctus. Unde dicitur : Spiritus Domini replevit orbem terrarum (*Sap.* I).

10 *Æternus Pater, æternus Filius : Æternus Spiritus sanctus :*

Hic æternus, pro sempiterno debemus intelligere. *Æternus* dicitur Deus Pater, quia sine initio et sine fine constat, similiter et Filius et Spiritus sanctus, quia sicut nunquam non Pater, ita nunquam non Filius ac Spiritus sanctus.

11 *Et tamen non tres æterni : Sed unus æternus.*

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus, scilicet in substantia.

12 *Sicut non tres increati nec tres immensi : Sed unus increatus et unus immensus.*

Quia unus est Deus in sua substantia.

13 *Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius : Omnipotens et Spiritus sanctus.*

Omnipotens dicitur Pater, quia omnia potest ; non a patiendo, quod non vult, sed a faciendo omnia quæcunque vult, et nihil illi impossibile est. Omnipotens et Filius, quia quidquid potest Pater, potest et Filius ; nihilominus et Spiritus sanctus. Ergo si omnia potest, quid est quod non potest? hoc non potest, quod non convenit omnipotenti posse. Falli non potest, quia veritas et sapientia est : Ægrotare aut infirmari non potest, quia sanitas est : Mori non potest, quia immortalis est : Finiri non potest, quia infinitus et perennis est.

14 *Et tamen non tres omnipotentes : Sed unus Omnipotens.*

Non tres tamen omnipotentes, quia omnipotentia est in substantia, sed eorum una est substantia. Paternitas vero in relatione ad alterum est, unde et nomina Patris et Filii et Spiritus sancti relativa sunt, quia alia ad alia referuntur, sicut verbi gratia servus ad dominum, dominus ad servum, magister ad discipulum, discipulus ad magistrum, pater ad filium, filius ad patrem : quia nullus pater dicitur, nisi habeat filium cujus sit pater : et nullus, filius nisi habeat patrem cujus filius sit, quia si non habuisset Filium, nunquam habuisset nomen Patris, similiter et Spiritus sanctus non a se, sed alicujus Spiritus est. Est et aliud vocabulum, ubi Spiritus sanctus relative dicitur, scilicet donum, dicitur enim donum donatoris, et donator doni. Donatorem dico esse Patrem, donum vero Spiritum sanctum, donum vero refertur ad donatorem et donator ad donum. Ecce qua ratione Spiritus sanctus relative dicitur.

15 *Ita Deus Pater : Deus Filius : Deus et Spiritus sanctus.*

Deus proprium nomen est Trinitatis, pertinens ad Patrem et Filium et Spiritum sanctum, translatum ex Græca appellatione. Nam Deus Græce *theos* dicitur, id est timor. Unde tractus est Deus, quod eum colentibus sit timor. Proprium vero nomen est Patris, quia solus est Pater; et proprium nomen est Filii, quia solus Filius est a solo Patre ; et proprium nomen est Spiritus sancti, quia ab utroque procedit. Deus est Pater, quia ipse est fons et origo deitatis ; similiter et Filius Deus est, et hoc non a semetipso, *quia non* est a se, sed a solo Patre est genitus ; pari modo et Spiritus sanctus, non a se est Deus, sed a Patre et Filio procedens est.

16 *Et tamen non tres dii : Sed unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius : Dominus Spiritus sanctus. Et tamen non tres Domini : Sed unus est dominus.*

Sicut scriptum est : Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est (*Deut.* VI). Dominus dicitur Pater a dominatione, eo quod creaturam suam regnat atque gubernet, similiter et Filius et Spiritus sanctus.

17 *Quia sicut singillatim unamquamque personam : Deum et Dominum confiteri Christiana veritate compellimur.*

Quia sicut singillatim, id est sicut distincte vel separatim unamquamque personam dico Deum et Dominum, quia si me interrogaveris quid est Pater, ego respondeo, Deus et Dominus ; similiter si interrogaveris, quid est Filius, ego dico, Deus et Dominus ; et si dicis quid est Spiritus sanctus, ego respondeo, Deus et Dominus, et tamen in his tribus personis, non tres Deos, nec tres Dominos, sed in tribus, sicut jam supra dictum est, unum Deum et Dominum confiteor.

18 *Ita tres Deos aut Dominos dicere : Catholica religione prohibemur.*

Prohibemur, id est vetamur.

19 *Pater a nullo est factus, Nec creatus nec genitus.*

Pater a nullo est factus quia ipse est omnium factor, nec creatus sed creator, nec genitus sed genitor, Pater enim Græce, Latine *genitor* dicitur.

20 *Filius a Patre solo est : Non factus, nec creatus sed genitus.*

Filius a Patre solo est, non factus, quia ipse est omnium factor simul cum Patre, nec creatus, quia ipse est omnium creator, sed genitus, solus a solo

Patre. Et unaquæque persona habet proprium quod non habet alia, proprium habet in persona Pater quod solus est Pater ; et proprium habet in persona filius, quia solus a solo Patre genitus est. Sed et habet aliud proprium Filius, quod non habet Pater nec Spiritus sanctus, habet æternitatem cum Patre et Spiritu sancto, et habet in tempore nativitatem de matre, quam non habet Spiritus sanctus nec Pater : quia non suscepit Pater carnem in sua persona, nec Spiritus sanctus, sed tantum Filius : ut nobis in se ostenderet duas habere naturas ; unam ante omnia sæcula qua genitus est ex Patre, et de qua dixit Isaias : generationes ejus quis enarrabit ? (*Isai.* LIII.) alteram in tempore, de qua dicit Paulus apostolus : Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege (*Gal.* IV). In quo complacuit plenitudinem divinitatis habitare corporaliter (*Coloss.* II). De Patre sine initio et sine fine ; de matre initium habens et nullo concluditur fine.

21 *Spiritus sanctus a Patre et Filio :*
Non factus nec creatus nec genitus sed procedens.

Proprium habet Spiritus sanctus, quia non est Pater et Filius, sed Spiritus procedens a Patre et Filio. Audis quia iste ab ambobus, Filius ab uno, Pater a nullo : ac per hoc aperte monstrantur proprietates eorum. Ideo autem Spiritus Dei sanctus vocatur : quia Patris et Filii sanctitas est ; nam cum sit et Pater Spiritus, et Filius Spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus, proprie tamen ipse vocatur Spiritus sanctus.

22 *Unus ergo pater non tres patres : unus Filius non tres filii :*
Unus Spiritus sanctus non tres Spiritus sancti.

Unus Pater, quia solus sibi unicum genuit Filium. Et unus Filius, quia singulariter ab unico Patre genitus est. Unus Spiritus sanctus, quia a Patre et Filio unicus procedit.

23 *Et in hac trinitate nihil prius aut posterius : nihil majus aut minus. Sed totæ tres personæ, Coæternæ sibi sunt et coæquales.*

Nihil prius aut posterius, quia nullus anterior, et nullus posterior ; nullus inferior, et nullus superior ; sed coæternæ sibi sunt et coæquales. Ideo nihil ibi vel majus vel minus.

24 *Ita ut per omnia, sicut jam supradictum est, Et unitas in Trinitate et Trinitas in unitate veneranda sit.*

Debemus colere et adorare Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate.

25 *Qui vult ergo salvus esse : Ita de Trinitate sentiat.*

Hic rogat et admonet, et unusquisque doctor memoriter eam teneat, et firmiter credat, et alios prædicando doceat.

26 *Sed necessarium est ad æternam salutem : Ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.*

Necesse est enim nobis ut, sicut superius diximus, ita credamus. Si vero æternam salutem volumus habere, id est cum Christo sine fine regnare, necesse est ut incarnationem Domini nostri Jesu Christi fideliter credamus. Quomodo fideliter ? Non adoptivum, sed proprium Dei Filium, sicut dixit Apostolus : Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII).

27 *Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur Quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus pariter et homo est.*

Modo inchoat enarrare, secundum humanitatem Christi quod sit fides recta. Est enim fides recta ut humanitatem ipsam credamus in corde, et confiteamur ore, sicut dicit Apostolus : Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X). Deus et homo unus est verus Dei Filius, quia secundum divinitatem, nihil majus vel minus, quam Deus Pater ; secundum humanitatem nihil minus (extra peccatum) quam homo.

28 *Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus :*
Et homo ex substantia matris in sæculo natus.

Ex substantia Patris, id est ex æqualitate naturæ. Ante sæcula genitus, id est ante omnem creaturam, sicut dicit in psalmo : Ex utero ante Luciferum genui te (*Psal.* CIX). Ex utero, id est ex mea substantia. Ante Luciferum, id est ante omnem creaturam. Et homo est ex substantia matris in sæculo natus, id est totus homo cum corpore et anima, in omnia similis nobis absque peccato (*Hebr.* IV). Ex substantia matris, id est de æqualitate naturæ matris. In sæculo natus, id est in his temporibus, non aliunde, nisi de semine mulieris sine coitu viri carnem suscepit. Unde Salomon dicit : Sapientia ædificavit sibi domum (*Prov.* IX) : hoc est Christus ædificavit sibi carnem de beata Maria et alibi legitur : Qui factus est ex semine David secundum carnem (*Rom.* I).

29 *Perfectus Deus perfectus homo :*
Ex anima rationali et humana carne subsistens.

Perfectus dicitur, id est plenus, qui nihil indiguit, perfectus homo, qui nihil minus habuit (extra peccatum) quam homo. Ex anima rationali, Christus veram animam habuit, ubi sapientia crescere potuisset, sicut dicit in Evangelio : Jesus proficiebat sapientia et ætate (*Luc.* II) : sapientia in anima, ætate in corpore. Et humana carne subsistens : quia humus terra dicitur, de humanitate carnem assumpsit.

30 *Æqualis Patri secundum divinitatem :*
Minor Patre secundum humanitatem.

Æqualis : secundum illud, ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). Minor juxta quod dicit : Pater major me est (*Joan.* XIV) : et in quo homo est, minor est a divinitate.

31 *Qui licet Deus sit et homo :*
Non duo tamen, sed unus est Christus.

Ideo sic conjungi voluit Dei Filius cum humana natura, ut ex his duabus substantiis fieret una persona.

32 *Unus autem non conversione divinitatis in carnem :*

Sed assumptione humanitatis in Deo.

Non quod illa divinitas, qua est Filius Dei, se convertisset in humanitatem (ut hoc quod erat divinum fieret humanum), sed assumendo nostram naturam, sic est unus effectus, ut non amitteret quod erat, sed assumeret quod non erat. Assumpsit enim humanitatem, et non amisit divinitatem.

33. *Unus omnino non confusione substantiæ :*

Sed unitate personæ.

Non in eo naturarum commistio est : ut vel divinitas mutaretur in naturam humanitatis : vel humanitas converteretur in naturam divinitatis ; sed utrique naturæ sua manet proprietas in perpetuum, tanta tamen conjunctio est naturarum, ut idem qui æternaliter ex Deo Patre genitus est, homo sit verus : et ille qui natus est, temporaliter ex Virgine, Deus sit verus : propter suscipientem Deum, Deus verus, Deus Dei Filius : propter susceptum hominem, homo verus. Personam quippe Filii Dei, non ex duabus personis unitam, sed ex duabus naturis existere credimus : dicere autem duabus personis compositam, ut nefas vitamus.

34. *Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo :*

Ita Deus et homo unus est Christus.

Sicut enim ex carne et anima unum dicimus hominem, et unusquisque habet duos homines in se (unum carnalem, alium spiritalem ; unum visibilem, alium invisibilem ; unum mortalem, alium mortalem) ; ita Deus et homo unus est Christus.

35 *Qui passus est pro salute nostra :*

Descendit ad inferos : resurrexit a mortuis.

In quo passus, in quo videbatur, in quo homo erat, in quo crucifixus, in quo mortuus, in quo sepultus, in quo resurrexit : quia divinitas impassibilis est, sed in conjunctione personæ filius Dei dicitur passus, et in vera natura filius hominis est passus. Descendit ad inferos, scilicet anima cum Verbo : quia postquam humanitas assumpta est a divinitate, non est separata a Verbo, sed ipsa anima a corpore separata est : quia si non esset separata, corpus non potuisset mori : et iste descensus ad solam animam pertinet. Resurrexit a mortuis, ut nobis exemplum resurrectionis ostenderet sicut propheta ait (*Osæ* VI) : Post duos dies suscitabit nos, et tertia die resurgemus, et in conspectu ejus vivemus.

36 *Ascendit ad cœlos :*

Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Ascendit ad cœlos, scilicet ipsa humanitas quæ fuit passa, sicut angeli dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum, hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I). Quia secundum divinitatem ad nullum potest ascendere locum, sed ubique totus est. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis dexteram autem Dei non carnalem, non corporalem (sicut humana habet natura), sed in hoc loco gloriam Dei convenit accipere, ac si aperte dicat : Regnat in gloria Dei, et sedere pro regnare dicitur.

37 *Inde venturus est : Judicare vivos et mortuos.*

Venturus est in eadem forma, in qua crucifixus, in qua mortuus, in qua sepultus est, et in qua resurrexit : non in ea tamen humilitate in qua antea fuit, sed in gloria et majestate. Et ideo in ipsa forma : ut videat Herodes et Pilatus quem judicaverunt, ut videant Judæi quem tradiderunt, ut videant milites quem crucifixerunt, ut videant impii quem negaverunt. Vivos : quos ejus adventus invenerit in corpore viventes. Mortuos : qui mortui erant ab initio usque in illum diem. Vel aliter, vivos, id est sanctos, mortuos, id est peccatores.

38 *Ad cujus adventum :*

Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis :

In adventu Domini unusquisque, sive justi sive peccatores, resurgere habent cum corporibus suis.

39 *Et reddituri sunt de factis propriis rationem.*

Reddere autem rationem : non fabula verborum, sed recordatione omnium quæ fecit, sive bonum sive malum, et secundum hoc unusquisque recipere debet : boni bona, mali vero mala.

40 *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam : Qui vero mala, in ignem æternum.*

In vitam æternam : quia semper erunt boni sine fine in gloria regnaturi. In ignem æternum : quia semper erit malis sine fine pœna inferni, et sine ulla miseratione cum corpore et anima, non consumendi, sed semper arsuri : et nunquam deficient in æternis pœnis mansuri.

41 *Hæc est fides catholica :*

Quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Hæc est fides catholica : sicut superius diximus, ista est fides catholica. Per hoc hic rogat et admonet, ut unusquisque sacerdos hoc sciat et prædicet. Quam, id est quam fidem, quisque, id est aliquis. Fideliter, ut de ea non dubitet. Firmiter, ut nullus a tua fide te removere possit, nullo schismate vel hæresi. Et si ita non credideris salvus esse non poteris.

ANNO DOMINI MXLVI.

GREGORIUS PAPA VI.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Eggs, *Pontificium doctum*, pag. 310 seqq.)

Gregorius VI Romanus, Gratianus antea vocatus, monachus Benedictinus, Petri Leonis eximiæ nobilitatis viri filius, sanctæ Romanæ Ecclesiæ archipresbyter, cardinalis S. Joannis ante portam Latinam, exactis tribus sacri throni usurpatoribus, ut supra diximus, cleri ac populi Romani suffragiis acclamatus est summus pontifex ipsis Kalendis Maii anno salutis 1045.

Hic vere germanus ac legitimus pontifex a sanctissimis iisque doctissimis ejus temporis viris habitus est, nempe ab Hildebrando, postea Gregorio VII, et a Petro Damiani, aliisque his similibus viris, simoniacorum hostibus implacabilibus. Non enim Gregorius ambitione, sed zelo pietatis (mediante licet pecunia) persuasit pseudopontificibus ut a sancta sede recederent : quare Romani cives ac præsertim clerus illum, tanquam Ecclesiæ Dei liberatorem, præstiti beneficii memores, in summum pontificem elegerunt. Et Gregorius ipse VII, in concilio Romano, anno redemptionis nostræ 1080 celebrato, agnoscit Gregorium hunc legitimum pontificem : imo et Glaber, ejus plane temporis auctor (quippe qui ad ipsius Gregorii electionem stylo pervenit), summopere Gregorium VI laudat, atque hæc post Benedictum ejectum dicit : *Tunc cum consensu totius Romani populi, atque ex præcepto imperatoris ejectus est a sede Benedictus, et loco ejus subrogatus est vir religiosissimus ac sanctitate perspicuus Gregorius, natione Romanus, cujus videlicet bona fama, quidquid prior fœdaverat, in melius reformavit.* Ipse quidem Petrus Damiani, mox ut audivit Gregorii exaltationem, et quidem canonicam, ad ipsum scribens, eidem congratulatur quod Ecclesia Dei per ejus electionem sordibus expurgatis primum decorem sit consecuta. Ut proinde nullum legitimi ejus ingressus sit dubium.

Sed quænam Gregorius creatus omnium consensu pontifex egerit videamus. De ipso Guillelmus Malmesburiensis, qui paulo post floruit ac scripsit, hæc habet, etiam ab aliis coætaneis scriptoribus contestata : *Erat papa Gregorius VI, antea dictus Gratianus, magnæ religionis et severitatis : is via Romani apostolatus statum per incuriam antecessorum suorum diminutum invenit, ut, præter pauca oppida Urbi vicina, et oblationes fidelium, pene nihil haberet quo se sustentaret. Civitates et possessiones in longinquo positæ, quæ ad jus Ecclesiæ pertinebant, a prædonibus ablatæ; tramites publici et strata viarum per totam Italiam a latronibus stipabantur, ut nullus peregrinus nisi cum majori manu impune transiret : fervebant totis semitis insidiatorum examina, nec inveniebat viator quo colludio evaderet, ita in vacuum sicut in pecuniosum furebatur; nec supplex habere gratiam, nec resistens pati poterat violentiam. Cessatum est ab omni provincia Romam iter aggredi, quod nullet quilibet per domesticas ecclesias nummos suos dividere, quam latrunculos propriis laboribus pascere. Quid in Urbe, unico olim sanctitatis habitaculo? ibi in medio foro sicarii vagabuntur, genus hominum infidum et versutum : si quis semitarum observatores aliquo transisset artificio, capitis scilixet periculo apostoli ecclesiam videre cupiens, in sicarios incidens, nullo modo sine substantiæ vel salutis dispendio domum revertebatur. Super ipsa corpora sanctorum apostolorum et martyrum, supra sacra altaria gladii nudabantur, et oblationes accedentium, vixdum appositæ, de manibus abripiebantur, abreptæ in comessationes et scortorum abusiones consumebantur. Tantorum malorum heu! turbo Gregorii papatum offendit. Quid igitur? Ille primo leniter, magis amore quam terrore, cum subjectis agere, delinquentes verbis plusquam verberibus premere : urbani a peregrinorum infestatione, a rapina suorum cessarent : alterum esse contra naturam, ut ille qui communi vesceretur aere, non communi frueretur pace; Christiano inter Christianos libere, quo liberet, progrediendum, dum omnes sint ex uno famulitio, omnes unius sanguinis conjuncti coagulo, redempti pretio; alterum contra Dei mandatum, quod præcepit ut qui altari deserviunt, de altari vivant : præterea domum Dei decere esse domum orationis, non speluncam latronum, non gladiatorum conventiculum : permitterent oblationes transire in usus sacerdotum vel in expensas pauperum; prorisurum se illis paterne, quos egestas ad rapinas compelleret, ut aliquo honesto officio stipem haberent : quos cupiditas exagitabat, ipsi sibi pro Dei timore et sæculi honestate modum ponerent. Invasores ecclesiastici patrimonii mandatis et episto is invitavit ut aut indebita redderent, aut se jure illa tenere in senatu Romano probarent; si neutrum facerent, Ecclesiæ membra se non esse cognoscerent, qui capiti Ecclesiæ, beato Petro et ejus vicario insultarent.*

Talia frequenter concionatus Gregorius, cum parum aut nihil apud obstinatos animos proficeret, severioribus remediis inveterato morbo occurrere statuit; cauterio itaque excommunicationis omnes ab Ecclesiæ corpore removit, vel qui talia facerent ipsi, vel qui facientibus non contrairent, cum possent, vel denique qui taliter agentibus convivio vel etiam alloquio participarent. Hæc ille pro suo officio satis habebat, sed pene in perniciem versa sedulitas : maligni illi levi admonitione perstricti, contra furere, minis auras territare, muros Urbis armis circumsonare, adeo ut pene papam interimerent. Itaque ferro abscissionis utendum judicans, arma undecunque et equos conquisivit, milites conscripsit, equites adornavit, ac ante omnia basilicam Vaticanam præoccupans, raptores oblationum vel exstinxit, vel effugavit; inde fortunam sibi aspirare, propitio Deo, videns, longius progreditur, iisque qui resisterent occisis, prædia omnia, castella et oppida multis temporibus amissa, sed recuperata, in antiquum jus reformavit. Quo factum ut pax et publica tranquillitas, per multorum segnitiem exsulans, auctore Gregorio in patriam revocata sit : tum securi peregrini insuetas viarum terebant orbitas, læti per Urbem antiquis oculos pascebant miraculis, cantitantes donis factis reputriabant. Quirites interea rapto vivere assueti, sanguinarium vocant illum, et

indignum esse qui Deo offerret sacrificium, tot cædium conscius. Et, ut fieri amat quod morbus obloquii serpat in omnes, ipsi etiam cardinales argumenta probabant. Hæc Malmesburiensis, et cum eo alii qui illo ævo floruere scriptores.

Cum igitur Gregorius, zelo justitiæ commotus, graves de latronibus, sicariis et viarum grassatoribus pœnas sumeret, Romani, qui hujus sacrilegæ rapinæ participes erant, offensi, Henricum III cognomento *Nigrum*, falsis querelis circumventum, ut in Italiam adversus Gregorium, specie exstirpandæ simoniæ, qua thronum apostolicum occupasse accusabatur, descenderet, nuntiis, litteris, precibus sollicitarunt. Res quomodo se habuerint, Leo Ostiensis, monachus Benedictinus, gravis auctor (*lib.* II, *cap.* 78), diserte narrat his verbis : *Jam duobus annis et mensibus octo prædictus archipresbyter (cui Gregorii nomen in papatu est inditum) apostolicæ sedi præsederat, cum Henricus imperator, Conradi filius, tot de Romana et apostolica sede perturbationibus audiis, cœlitus inspiratus, anno Domini* 1047, *Italiam ingrediens. Romam accelerat. Qui de tanta hæresi sedem apostolicam desiderans exvurgare, Sutrii perstitit, et, super tanto negotio deliberaturus, universale ibi episcoporum concilium fieri procuravit. Misit ergo ad omnes, et magna inibi episcoporum, abbatum ac religiosorum virorum multitudine congregata, Romanum quoque pontificem, qui eidem concilio præsideret, decenter invitat. Quid multa? Concilio habito, synodicis canonicisque sententiis convictus Gregorius Simoniacus, sponte sua e sede desiliens, pontificalibus se insulis exuit, et, terræ prostratus usurpati, honoris indulgentiam sibi concedi humiliter petiit.* Leoni consonant abbas Desiderius Cassinensis (lib. III *Dialog.*), Hermannus Contractus, et Sigebertus (*in Chronicis*).

Hæc vero an legitime et canonice acta, dubium. Stant undique patroni : Henrico Cæsari, homini laico, nullum jus fuisse causam summi pontificis cognoscendi certum est : nec sane ipse Henricus cognoscere aut judicare tentavit, sed coacta synodo Patribus cognoscendam remisit. Unde Gregorium ad se venientem honorifice excepit, ut testantur Hermannus Contractus, Otho Frisingensis, ipseque Leo. Gemina tamen intercessisse videtur simonia : prima, quod media pecunia controversia ecclesiastica sit decisa ; secunda, quod sacræ facultates, et Petri patrimonium cum scandalo totius orbis fuerit profusum pseudopontificibus, seu invasoribus ab homine privato, Gratiano scilicet, qui nullo potiebatur jure. Excusat tamen salvatque Gregorium, omnia hæc zelo pacis, religionis, et unionis amore fuisse perpetrata ; et, quod caput est, populus plauserit Romanus, qui bonum opus religioso laudavit elogio, Gregorium extollendo ac salutando *ut liberatorem Ecclesiæ e manibus trium tyrannorum.* Acce it quod Gregorius in illa synodo non fuerit judicatus neque depositus, sed ipse, zelo suo non deficiens, se sponte abdicaverit, cum videret non aliter pacem, quam unice exoptaverat, Ecclesiæ posse restitui ; nam Benedictus usurpato throno exactus, nova semper cum complicibus moliendo, occasionem captabat iterum rapiendi pontificatum, ut videbimus in Vita Damasi II.

Sponte vero, non coacte, pontificatu cessisse Gregorium, testis est Otho Frisingensis (*lib.* VI, *cap.* 32), cujus verba hæc sunt : *Queta rex primo, ut accuit, honorifice suscepit, postmodum autem, collecto episcoporum conventu, a pontificatu per nota Simoniæ cedere persuasit.* Idem asserit Hermannus Contractus in Chronico : *Henrico Regi in Italiam rexi ni Gratianus papa, quem Romani expulsis prioribus statuerant, Placentiæ obvians, honorifice suscipitur ; qui tamen postmodum apud Sutrium in synodo non invitus pastoralc officium deposuit.* Idipsum sentiunt Baronius, Ciaconius, Oldoinus ac Monumenta Sanblasiana mihi liberaliter communicata in hæc fere verba : Porro Gregorius VI, stabilito utcunque pontificatu, ut Romanæ Ecclesiæ pacem diu concupitam conciliaret, utque aliis tribus, qui sanctam sedem invaserant, memorabili exemplo præiret, Sutrium ad preces Henrici profectus, in pleno concilio ibidem celebrato, se ipsum sponte pontificatu, quem annis duobus ac mensibus octo laudabiliter rexerat, abdicavit. Factum id esse anno salutis 1047 scribit Platius in Vita : alii etiam diem addunt trigesimum Decembris.

De obitu Gregorii et loco ubi is contigerit, major nascitur difficultas propter historicorum variationem. Certum est post ejus abdicationem et electionem Clementis II Henricum Cæsarem in patriam remeantem duxisse secum Clementum pontificem, timens ne in hominem Germanum Romani aliquid molirentur. Duxit etiam secum Gregorium exauctoratum, ne, ipso præsente, Romæ quid sinistri tentaretur aut innovaretur, teste Frisingensi (*lib.* VI, *cap.* 32), ubi clare dicit Gregorium ab Henrico trans Alpes in Germaniam abductum, eumque honoris gratia secutum esse Hilliprandum, qui postea Gregorius VII emersit. Idem testatur ipse Gregorius VII in concilio sub annum 1080 Romæ celebrato, in quo sic locutus memoratur : *Vos enim scitis quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, et invitus ultra montes cum domino papa Gregorio abii*, etc. Certum igitur est Gregorium Roma abductum fuisse ; an vero redierit ? quomodo ? aut quando ? incertum.

Unus Willelmus Malmesburiensis, quem sequitur Platina, scribit Romæ morbo consumptum decessisse, postquam Ecclesiam ferro et igne a latronibus purgasset. Et cum a vulgo ea propter *homicida* et *sanguinarius* vocitaretur, ipsique cardinales argumenta populi non improbare viderentur, hos ad se vocatos gravibus verbis castigasse, ac inter alia hæc ad eos dixisse : *Ut scire possitis, rectene an perperam fecerim purgando a latronibus Ecclesiam, ponite, ubi decessero, exanime corpus meum ante fores ecclesiæ vectibus obseratæ : si divino nutu Ecclesia patuerit, judicabitis me Christiana dignum sepultura ; sin secus acciderit, projicite me quorsum libuerit, damnatumque putate.* Fecere mandata cardinales, suspensa mente rei exitum opperientes : cum ecce repentini turbinis vi obserata ecclesiæ ostia patuere, ipsumque corpus stupentibus cunctis in medium templi introlatum est. Hæc quidem auctor Anglus, quæ tamen peritis non admodum probantur. Credunt enim non infimæ notæ scriptores, veterum traditionibus inhærentes, Gregorium vel Cluniaci, quo se cum Hiltprando receperat, vitæ reliquum transegisse, ibique sancte mortuum sepultum fuisse ; vel certe exsulem in ipsa Germania, quo a Cæsare, ne Clementi electo negotium facesseret, abductum deximus, defunctum esse. Audi Baronium hæc ipsa *ad annum* 1044, n. 15, non sine scrupulo ponderantem : *Quæ circumferuntur de Gregorii obitu, miraculoque ad januas S. Petri sponte reclusas ad suscipiendum ejus cadaver facto haud apud omnes sibi fidem conciliant, quod scilicet non Romæ, sed in Germania, ubi exsul agebat, defunctus esse dicatur. Sed nec nos adeo constanter ea de miraculo suadendo proponimus : fides sit penes auctorem.* Nutant igitur omnia hac in parte, nec quem facile sequaris habes. Sed nec illa quæ Ciaconius Platinam secutus subjungit, majorem fidem merentur. Scribit is Gregorium (quem nunquam Roma abductum putat) post Henrici reditum, collecto parvo exercitu, Clementem II Urbe expulisse, jura et prædia recuperasse, cum Cæsare bellum gessisse, nec ab eo superatum esse. Confirmat sua dicta auctoritate Leonis Ostiensis, et constanter Romæ mortuum, ac, facto ante fores miraculo, in Vaticano sepultum scribit. Sed, pace tanti viri, hæc in Ostiensi minime leguntur, falsoque citantur, ut lustranti liquido constabit.

GREGORII PAPÆ VI
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I.

GREGORII PAPÆ VI BULLA PRO FARFENSI CŒNOBIO SIUSQUE ABBATE ALMERICO.

(Anno 1045-6.)

[Muratori, *Rer. Ital. Script.* II, II, p. 443.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, abbati Almerico, omnibusque fratribus sibi subjectis monasterii Farfæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum sit omnibus episcopis, ducibus, marchionibus, comitibus, majoribus et minoribus in orbe Romano degentibus, quod abbas Farfæ cœnobii, scilicet Almericus, deprecatus est nostram celsitudinem ac charitatem cum grege sibi commisso, quatenus quæ ordinaverunt atque constituerunt sancti antiqui pontifices in Farfensi cœnobio beatæ Mariæ semper virginis, confirmaremus. Itaque ea confirmamus et corroboramus, videlicet ut a qualicunque episcopo placuerit abbati vel monachis ejusdem monasterii sacrari suas ecclesias ac monachos ordinari suos, nostra licentia præceptoque fiat; et, ut verius credatur, nostro sigillo in perpetuum corroboramus. Si quis autem huic nostro præcepto contrarius exstiterit, vel violaverit, x libras auri in apostolicæ aulæ thesauris, et x in beatæ Mariæ Virginis persolvat. Et hoc constituimus non tantum in comitatu Abinensi, sed et in Marchia, et in omnibus cellis supradicto cœnobio subjectis, vel ubicunque aliquam possidet possessionem ecclesiasticam. Clerici quoque degentes in ecclesiis ejusdem cœnobii, hac libertate utentes, sacros ordines similiter recipiant a qualicunque episcopo abbati placuerit Farfensi; verumtamen hoc jubemus quatenus hi ordines fiant a bonis et a catholicis episcopis. Bene valete.

II.

GREGORII VI EPISTOLA AD OMNES CHRISTIANOS.

(Anno 1045-6.)

Missas ter in anno se celebraturum spondet pro iis qui se collaturos statuerant annuam pecuniam pro sartis tectis templorum Romanæ urbis.

[Mansi, *Concil.* tom. 19, col. 611.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus qui Christiana fide censentur, et B apostolorum principis sedem Ecclesiarum omnium matrem recognoscunt, salutem et absolutionem omnium peccatorum per benedictionem et merita BB. Petri et Pauli principum apostolorum.

Notum vobis fieri volumus, fratres charissimi, A quod a sancta Romana Ecclesia communi matre, omnium magistra et domina, non solum splendor sanctæ religionis universum mundum illuminavit, sed etiam multis indigentibus per diversas partes terræ necessaria pietate distribuit : modo vero, peccatis non tantum nostris sed etiam multarum gentium exigentibus, et in religione friguit, et terrenas opes majori ex parte amisit. Nonnulli etiam imperatores, reges et principes, aliorum ordinum personæ, misera cupiditate capti, maternam maledictionem incurrere non timentes, ejus possessiones invaserunt, distraxerunt, et in proprios usus redegerunt : qui, etiam gladio anathematis percussi, et more infelicis Judæ sacrilegii vinculo strangulati, ne ad pœnitentiam redirent, desipuerunt. Hinc igitur inopia, devastationes, latrocinia, rapinæ, contra B ipsum Ecclesiæ caput, beatum videlicet Petrum, et in ejus quasi visceribus exortæ sunt. Proinde propria ipsius ecclesia, et B. Pauli, quæ illorum corporibus per totum orbem refulgent, et suo odore suaque pietate omnes ad se gentes provocant, jam jam heu! proh dolor! ruinam minantur. Unde nos, utcunque meritis pauperes, nec rebus quidem divites, cœpimus, ut tanto periculo Deo adjuvante succurrere, manumque adjutorii ad instaurandum præbere possemus. Hoc autem religiosi clerici videntes, et laici quamplurimi, quos Guillelmus gloriosus Aquitaniæ dux ad nostrum auxilium incitare cœpit, unoquoque anno de suis rebus oblationes largiri disposuerunt, ad hoc specialiter ut ea quæ in ejus C propria ecclesia sunt necessaria restaurentur et ædificentur, quatenus omnipotens Dominus, et eorum meritis et speciali sanctæ Romanæ Ecclesiæ oratione, per veram pœnitentiam eos ad eam fide in instaurare [dignetur], quam in baptismo Domino promiserunt, et, cœlestis patriæ ruinam restituens, in æterna beatitudine eos collocet. Quorum nos videntes devotionem et laudabilem erga communem matrem dilectionem, tam per nos quam etiam per successores nostros ter in anno cum omnibus Romanis Ecclesiis generaliter missam celebrare, et septies illorum specialiter memoriam inter sacra missarum solemnia habere promisimus; ut omnipotens Dominus, meritis Dei Genitricis, quæ singulari pietate Romanam semper tuetur Ecclesiam, et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate, omnium sanctorum maxime Romæ quiescentium oratione, a cunctis eos peccatis absolvat, et ad vitam æternam perducat.

III.

GREGORII PAPÆ VI EPISTOLA AD ROLANDUM ECCLESIÆ FLORENTINÆ PRÆPOSITUM.

(Anno 1046.)

Ecclesiæ Florentinæ canonicis ecclesiam S. Donnini ea lege donat, ut quotannis auri solidum palatio [Lateranensi] pendant.

[Ughelli, *Italia sacra*, III, 65.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ROLANDO Florentinæ canonicæ præposito, tuisque successoribus perpetuam in Domino salutem.

Oportet bene merentibus digna rependere beneficia, et illos accumulare donis, quorum devota constat esse servitus. Tu autem, fili charissime, quia parum aliquid decrevisti a nobis exposcere, libenter et ipsi decrevimus annuere: etenim multum laboris multumque ponderis jamjam sustinuisti pro nobis, adeo ut non parvis sed magnis etiam muneribus dignus inveniaris. Tua vero petitio est ut ecclesia S. Donnini, posita in comitatu Florentino juxta fluvium Arnum, in episcopatu S. Joannis, in territorio plebis S. Martini in Brozzo, juris nostræ S.R.E., cum omnibus ejusdem pertinentiis, ubicunque inveniri possunt, concedatur ab apostolatu nostro vobis vestrisque successoribus canonicis in vestra canonica servituris in perpetuum. Quod scilicet satis nobis videatur parum, quia non potest esse servitus adæquata. Concedimus igitur tam vobis quam vestræ canonicæ vestrisque successoribus canonicis in eadem canonica serviturisecclesiolam ipsam S. Donnini, cum omnibus suis pertinentiis, suisque reditibus, ubicunque ei lege et ratione competere possunt, ita tamen ut singulis quibusque annis pensionem exinde nostro palatio inferatis solidum auri unum, statuentes apostolica censura ne ullus nostrorum successorum pontificum, aut ulla magna parvaque persona, contra hoc nostrum parvum donum agere præsumat. Quod si fecerit, non solum anathemati subjiciat nostro, sed etiam damnum trium librarum auri persolvat, cujus dimidium nostro palatio inferatur, reliquum vero vobis debeatur. Si quis vero hujus nostræ præceptionis cautus observator exstiterit, benedictione nostra largius redundet.

Scripta per manum Joannis, scriniarii et notarii nostri Lateranensis palatii. Bene valete. Datum XII Kal. Martii, per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno pontific. D. Gregorii papæ VI primo, ind. XIV.

IV.

BULLA GREGORII VI PRO MONASTERIO S. QUINTINI DE MONTE, IN CONCILIO ROMANO LATA.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUALERANNO abbati sancti Quintini montis tuisque successoribus perpetuam in Domino salutem.

Si, justis petitionibus præstabiles, voto piorum assensum præbemus, voluntati Domini nos militare credimus. Ergo notum sit universis catholicæ matris Ecclesiæ filiis quod misit ad nos filius noster, A Henricus scilicet rex Francorum, paternitatem nostram humiliter obsecrans ut quamdam cellam in pago Viromandensi sitam, in honore sanctæ Trinitatis ac sancti Quintini martyris constructam, apostolicæ auctoritatis præsidio muniremus, quam, suggerentibus Rotberti militis bonæ memoriæ filiis, qui eamdem abbatiolam jure beneficii possident, ad sacræ religionis cultum venerabilem erigere conatus est, ac regiæ potestatis præcepto corroborari nisus est. Quorum petitioni congaudentes, ecclesiastici vigoris manum ereximus, et, ex ea qua fulcimur apostolica auctoritate, præcipimus ut præfatam abbatiam nemo unquam sæcularium possideat, neque ex rebus ejusdem ecclesiæ quidquam sibi aliquis usurpet, non rex, non comes, non episcopus, neque B quilibet princeps quacunque potestate præditus, villam, aut mansum, vel campum, sive consuetudines, seu districtiones terræ prætitulatæ abbatiæ appendentis, in dominium sibi subripiat, nisi forte tuendi ac defendendi causa, et hoc nonnisi ejusdem loci regularis abbatis fiet permissione. Si quis vero pro hac adipiscenda pecuniam vel quodlibet munus regi aut cuilibet principi dederit sive promiserit, subinferendæ maledictioni subjacebit. Sit igitur eidem ecclesiæ abbas secundum regulam sancti Benedicti constitutus, et monachi regulari districtione subjecti, quos de rebus ejusdem ecclesiæ aliquod dispendium perpeti cum omni imperio prohibemus. Res vero ejusdem ecclesiæ sunt: In pago Viromandensi villa una, quæ dicitur Aisiolcurt (*Arizecourt*), et in ipso pago, in villa Curticulas (*Courcelles*) nuncupata, C mansi septem. In Hadoniscurte mansus unus. In Duriaco medietas ecclesiæ. Molendinus de Bellisasis (*Belles aises*) cum aqua et suis adjacentiis; in suburbio Perronæ viginti septem curtilli cum molendino et vineis; in Perronella ecclesia cum hospitibus. In Tegerihamo mansi duo; in villa sanctæ Radegundis mansi tres. Villa, quæ Vivarius (*Vivier*) dicitur, cum suis appendiciis. In Alania (*Alaine*) mansi duo. In Dodonico (*Douln*) molendinus unus cum tertia parte prati. In pago Suessionico, in villa quæ Alamans vocatur, mansi duo cum alodio Witberti. In Wadoniscurte mansi duo. Deinde ea quæ a prædicto Rotberto ad restaurationem sæpedictæ abbatiæ sunt hæc: alodium de Baillos (*Barlex*). Item alodium de D Tiliaco. Similiter alodium de Ostricurt (*Estricourt*) cum ecclesia, et alodium Barderi. Scaincurt (*Esquincourt*) quinque hospites cum terra et silva. Frigilcurt (*Frigicourt*) cum appendiciis suis. Salicellus cum silva. Curcellis (*Courcelles*) deinde cum omnibus appendiciis suis. Ecclesia de Buriaco (*Buires*). Item ecclesia de Sterpiniaco (*Esterpigny*) cum aqua piscatoria et aqua de Sebodiscula (*Sopotecluse*). Ecclesia de Asciniaco (*Assigny*). Pons Huberti. In Frisia mansus unus cum aqua. In villa Atheis (*Athies*) molendinus unus cum tribus hospitibus. Apud Liniacum mansi duo. In Guitardi curte mansus unus. In Habelinicurte (*Ablincourt*) mansus unus. Hæc itaque et his similia, et si qua alia eadem

Domino opitulante acquirere sibi potuerit, apostolica fulta auctoritate licenter et sine aliqua contradictione possidebit. Si quis vero contra hujus apostolici privilegii tutelam aliquid sinistri molitus fuerit, et ex his quæ dicta sunt aliqua pervertere voluerit, hunc cum auxilio Domini nostri Jesu Christi, et adjutorio beatæ Mariæ semper virginis, genitricis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, faventibus nobis omnium cœlestium virtutum beatissimis spiritibus, et innuentibus sanctorum patriarcharum et prophetarum agminibus, et auctoritate beatissimi Petri apostolorum principis cum omnibus apostolis et discipulis Domini, martyrum etiam sive confessorum ac virginum ad hoc suffragantibus meritis, cum assensu comprovincialium pontificum, et hujus sanctæ sedis suffraganeis episcopis, excommunicamus et anathematizamus, et a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ sequestrantes ab omni Christianorum societate separamus, ut, sub hujus anathematis vinculo perennaliter innodatus, sit anathema maranatha constrictus vinculis hujus nostræ præceptionis. Qui autem eidem monasterio bene egerit, benedictione nostra redundet, pro eo quod nostrum præceptum conservavit illæsum. Scriptum per manus Joannis, primiscrinii nostri Lateranensis palatii, indict. XIV. Bene valete.

Datum IV Kal. Martii, per manum Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sacri Lateranensis palatii, anno primo domni Gregorii universalis papæ, indict. XIV.

ANNO DOMINI MXLVII.

CLEMENS PAPA II.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, *Conciliorum generalium* tomo XIX, col. 619.)

Clemens papa, natione Germanus, hujus nominis secundus, ante Suidgerus appellatus, post factam Gregorii sexti abdicationem, ex Bambergensi episcopo, opera studioque Henrici regis, quasi tanto munere dignior nullus inveniretur, unanimi consensu omnium creatus est pontifex, Romæ, in vigilia Nativitatis Domini, ann. 1046. Postero Nativitatis Domini ex more consecratus, et nomine Clementis secundi appellatus, Henricum regem ejusque conjugem Agnetem imperiali benedictione sublimavit. Imperator, Roma discedens, Gregorium sextum quondam pontificem, ne quid ipso præsente Romæ innovaretur, secum in Germaniam adduxit. Comitatus est eum Hildebrandus ejus discipulus, sedis apostolicæ subdiaconus, postea vero Gregorius septimus. Cum eodem Roma profectus est Clemens, qui ultra montes, teste Leone Ostiensi, septimo Idus Octobris, nono mense a sua promotione ex hac vita migravit. Corpus ejus, Roma Bambergam translatum, sepultum est Bambergæ. Quod cum Benedicto innotuisset, ille tertio sedem apostolicam invasit, eamque usque ad Damasi II electionem per octo menses tenuit. (Leo Ostiensis.)

CLEMENTIS PAPÆ II.

EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I.

BULLA CLEMENTIS PAPÆ II, QUA ECCLESIÆ FULDENSI DONAT MONASTERIUM S. ANDREÆ SITUM ROMÆ JUXTA ECCLESIAM S. MARIÆ AD PRÆSEPE.

(Anno 1046.)

[Mansi, *Concil.* tom. XIX, col. 624.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto et spirituali filio nostro Roingo pio et religioso abbati venerabilis monasterii Salvatoris Domini nostri Jesu Christi et S. Bonifacii, quod situm est in loco qui vocatur Bochonia, juxta ripam fluminis quod vocatur Fulda, et per te in eodem venerabili monasterio tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertire assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a Conditore omnium Deo procul dubio promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur, quia postulatis a nobis quatenus nostra apostolica præceptione concederemus ac reconfirmaremus perpetualiter vobis vestrisque successoribus supradictum monasterium Salvatoris Domini nostri Jesu Christi et sancti Bonifacii, situm in loco quod Bochonia, juxta ripam fluminis quod vocatur Fulda, cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus suis pertinentibus, quas nunc habet, et in antea Deo adjuvante habebit, iterum concedimus; ac donamus vobis, charissime ac dilectissime fili, vestrisque successoribus abbatibus in perpetuum, pro magno amore et nimia dilectione quam circa vos habeo, et habere in antea debeo quousque vixero, monasterium in honorem S. Andreæ et sancti qui vocatur Exajulo, quod situm est juxta ecclesiam sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, quæ vocatur ad Præsepe, cum omnibus mansionibus, caminatis, et cellis vinariis, et coquina et vineis et hortis et diversis arboribus pomorum, et curte atque

puteo et introitu suo per portam majorem a via publica, et cum omnibus ad idem generaliter pertinentibus, seu quæ extra urbem sive intra urbem erunt, quæ et jure ac rationabiliter pertinere dinoscuntur. Ergo præsenti quinta decima indictione, perpetualiter et specialiter sub immunitate S. nostræ R. S. A. idipsum sacratissimum monasterium permanendum statuimus et statuendo confirmamus, ita ut cuncta loca ipsius monasterii amodo et usque in finem sæculi cum omni securitate et tranquillitate vos cum posteris vestris tenere et possidere valeatis, ut sub jure et ditione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ constitutum nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur, pro qua re, piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate, id quod exposcitis effectui mancipamus, et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere aut auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec ibidem missarum solemnitatem quisquam præsumat omnimodo celebrare: ut profecto, juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse dotatum permaneat; locis et rebus, tam his quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quas futuris temporibus in jura ipsius monasterii divina pietas voluerit augere ex donis et oblationibus decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione, firmitate perpetua servatis. Constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam, ut quicunque cujuslibet Ecclesiæ præsul, vel quacunque dignitate prædita persona, hanc nostri privilegii chartam, quam auctoritate principis apostolorum firmamus, temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrat, et sanctorum omnium extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat apostolica auctoritate subnixa.

Scriptum per manus Joannis, scriniarii et notarii nostri sacri Lateranensis palatii. Bene valete. Data IV Kal. Jan., per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii S. A. S. Anno D. N. J. C. 1046, domni Clementis secundi papæ I, indict. XV.

II.

PRIVILEGIUM CLEMENTIS PAPÆ II PRO MONASTERIO FULDENSI.

(Anno 1046.)

[Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*, p. 357.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Domino filio ROINGO, venerabili abbati, pontificii nostri perpetuam in Domino salutem.

Cura nos urget sanctarum omnium Dei Ecclesiarum utilitatibus favere, ac, secundum quod unaquæque in proprio statu mansura sit, congruum eis impertire suffragium. Quocirca, dilectissime fili, omnia quæ a præcessoribus nostris jure ac rationabiliter vestri postulasse visi sunt præcessores, tibi tuisque successoribus perpetuum confirmamus. Monasterium ergo Fuldense, quod sancti Bonifacii vocabulo viget, constitutum in loco qui dicitur Boconia, erga ripam A fluminis quod dicitur Fulda, cum omnibus cellis, curtibus, districtionibus, seu omnibus ad se pertinentibus tibi, nostri privilegii præceptione concedimus, largimur ac confirmamus, ea scilicet ratione ut nullus inde futurus abbas consecrationem unquam accipere præsumat nisi ab hac nostra apostolica sede. Inter omnia vero Germaniæ totius cœnobia primum honorem in sessione, sive in judiciali sententia, seu in omnibus conciliis ac ordinibus, tibi tuisque successoribus attribuimus habendum. Nulli etiam episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum, vel quoquomodo in clero constituto, temere aut proterve, nisi a vobis accepta licentia, super principale altare vestri monasterii missarum solemnia celebrare liceat. Nullius iterum persona principis neB que totum neque partem vestri monasterii alicui mortalium ulla ratione subdere, vel sub beneficii nomine dare præsumat, sed omni tempore soli sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ libera securaque deserviat. Si, quod absit! aliquis in eodem monasterio constitutus abbas aliquo crimine infamis fuerit, constituimus ac apostolica auctoritate indissolubiliter manere sancimus ut pulsationis discrimen nullum sentiat, donec nostra apostolica sedes judicii censuram ei imponat. Liceat tibi tuisque successoribus in perpetuum, episcoporum more, nostro dono nostraque munificentia apostolicam sedem ad vestram defensionem appellare, ac contra omnes æmulos Romanæ majestatis scuto vos defendere. Hæc denique, universa inter totius orbis cœnobia, vestram C Fuldensem abbatiam specialissimo dilectionis affectu perpetuo habituram concedimus ac firmiter corroboramus. Usum autem sandaliarum, caligarum ac dalmaticarum, qui sacris canonibus tuo ordini interdicitur, apostolica auctoritate non solum tibi tuisque successoribus in perpetuum, verum etiam cunctis viventibus ac victuris omnium monasteriorum abbatibus in orbe terrarum consistentium abradendum omnino jubemus. Quamvis fuerint nonnulli in hac summa sede pontifices, qui, tyrannide pravorum coacti, hoc indigne vestræ ac cæteris diversis concesserunt Ecclesiis, quod sanctorum patrum sanctionibus constat esse diversum. Nos vero, quoniam prave novimus fuisse petitum, pessimeque per privilegii paginam esse concessum, non solum D confirmare nolumus, verum etiam penitus abdicare gestimus. Si enim monasterium nostrum, quod sacratissimum beati apostoli Pauli corpus amplectitur, hunc supertitiosum morem a sancto Petro impetrare non meruit, aliqua orbis terrarum abbatia qualiter obtinebit? Totus pene mundus noverit quod specialissimas dignitates nostri episcopi ac cardinales presbyteri atque diacones habeant, quas cæterarum Ecclesiarum hujuscemodi gradibus habere non liceat. Dalmaticas nostri cardinales presbyteri ferunt, naccis in processionibus solemniis utuntur; si dignum hoc nostris sanctissimis decessoribus videretur, abbatia sancti Pauli, quæ universis proximior ac familiarior nostræ sedi fore constat, dalmaticis ac

sandaliis liberaliter ac solemniter potiretur. Unde quod sanctus Paulus a sancto Petro non expetit, cæteri juniores sancti nostra inevitabili auctoritate obtinere desistant. Igitur quicunque hujus nostri privilegii observator exstiterit, omni benedictione repleatur. Qui autem quoquomodo hanc nostram præceptionem violare præsumpserit, nisi resipiscat, individuæ Trinitatis iram incurrat, sancti Petri apostolorum principis maledictione redundet, trecentorum decem et octo patrum sacrosancto concilio damnetur, atque in extrema die judicii, amaranatha anathemate perditus, lucis claritudinem nesciat, sed inter exteriores tenebras cum diabolo ac consentaneis ejus perpetualiter gemat. Scriptum hoc privilegium per manum Joannis, scriniarii ac notarii sacri palatii.

† Bene valete.

Datum pridie Kal. Januarias, per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno Domini nostri Jesu Christi 1046, domni Clementis secundi papæ I, ind. XV.

III.

DESCRIPTUM CLEMENTIS PAPÆ II AD OMNES ECCLESIÆ FILIOS.

(Anno 1047.)

[Ughelli, *Italia sacra*, *II*, p. 361.]

Ravennatis et Mediolanensis archiepiscoporum et patriarchæ Aquileiensis litem testatur primo die synodi « circa nonas januarias » celebratæ eatenus decretam esse ut archiepiscopi Ravennates, nisi imperator adsit, ad dextram pontificis Romani sedeant.

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis perpetuam in Christo salutem.

Quod propulsis ab apostolica sede his qui in ovile sacratissimum apostolorum principi Petro a Christo Domino commendatum non ingressi fuere per ostium, sed aliunde surrepsere ut pote fures et latrones, prospicientes suis commodis potius quam gregis humilitati, non est nostris meritis ascribendum, sed divinæ benignitati, quæ elegit ea quæ non sunt tanquam sint, ut ea quæ sunt evacuentur. De multis autem quæ in ipso nostri pontificatus primordio acta sunt in synodo, quam et pro communi utilitate maturavimus, et circa Nonas Januarias celebrantes unum propitiante Domino nobis concessum est illic determinare, quod multoties ventilatum a retro pontificibus prædecessoribus nostris, aut vix, aut nullo fine sopitum est; illud videlicet in synodo sedendi jurgium, quod emerserat inter Ravennatem et Mediolanensem archiepiscopos, undeet in ipsa nostra synodo Aquileiensis patriarcha mussitabat. Quisquis [quisque] enim sibi juxta nos dextri lateris locum vindicabat, et cui jure deberetur, nobis incertum erat. Contigit autem prima die synodi non interesse Mediolanensem archiepiscopum a primordio, sed jam die inclinato, cum patriarcha a dexteris nostris sederet, interposita tamen sella charissimi filii nostri imp. Henrici, qui jamjam advenire putabatur; quia eo loci erat electus quoque Raven. Ecclesiæ a sinistris ut sederet. Quo Mediolanense archiepiscopo in medium veniente, dexterum quia locum petierat, hinc acclamatum est ab electo Raven. sibi deberi illum; simili modo a patriarcha Aquileiensi, et ita unius rei altercatio inter sese orta est. Placuit autem universæ synodo trium partium dissensionem coram differri. Statimque prolatus quidam catalogus nominum eorum archiepiscoporum qui interfuerant synodo Symmachi papæ, ubi præscriptus erat Mediolanensis archiepiscopus, quo contra ostensum est privilegium Ravennatis Ecclesiæ continens, qualiter illa inscriptio nominum non aliquo jure, non aliqua plenitudine, sed potius gratia humilitatis evenerit, quod scilicet archiepiscopus Ravenn. permiserit præscribi sibi illo tantummodo casu archiepiscopum Mediolanensem, et ne propterea quivis error in posterum gigneretur, placuisse papæ Joanni successori illius Symmachi ipsum privilegium fieri, hoc autem propterea ut quis videretur esse major, quamvis non dextra papæ Romani semper jure deberetur archiepiscopo Ravennati; addendum tamen ei esse soli imperatori, si præsens adesset, et sic ad sinistram eum transmigrare debere. Quibus duorum altercatorum ostensis, cæteri quoque altercatoris, id est patriarchæ, ostensum est privilegium a Joanne XIX papa actum similiter de sessione ad dexteram partem. His auditis, universa synodus interrogata est. Primo autem omnium Romani episcopi, clerusque Romanus, quibus auctoritas est major, et ipsa res nota erat; deinde retribuimus. Cumque ex ordine Joannes episcopus Portuensis, et Petrus diaconus, nostræ apostolicæ sedis cancellarius, privilegium Ravennatis Ecclesiæ, vice sua universæ partes laudarent, Poppo quoque Brixiensis episcopus hoc idem fecit, ejusque vocem tota synodus est consecuta; quo igitur in unum placitum vox omnium conveniens, noster quoque assensus pari ratione accommodatus est. Ut vero quod actum est omnibus innotescat, placuit nostris apostolicis litteris adnotari, et tam præsentibus quam futuris intimari, ut tanto firmius valeat, quanto constat de nostro ore audiri. Verum ne posthac iterum vel archiepiscopo Mediolanensi, vel patriarchæ Aquileiensi de sessione dextri lateris nostri liceat excitare quamlibet controversiam, interdicimus nostra apostolica auctoritate hoc eis de cætero licere. Quod si forte fuerit præsumptum, pro temeratione interdicti nostri, non modo bannum sancti Petri nostræ sedi persolvat, verum nostræ quoque excommunicationis et anathematis laqueos incurrat. Sedem etiam Ravenn. archiepiscopi jubemus semper esse a dextris nostris nostrorumque successorum, secundum antiquæ constitutionis auctoritatem, nisi forte imperator adfuerit, et tunc etiam ipsum sinistrum locum tenere per hanc nostræ auctoritatis firmamentis firmitate (*sic*) huic nostræ narrationi subjectam.

Scripta per manum Joannis, scriniarii et notarii sacri nostri palatii. Bene valete.

IV.

PRIVILEGIUM CLEMENTIS PAPÆ II PRO ECCLESIA HAMBURGENSI.

(Anno 1047.)

[Apud Lappenberg, *Hamburgische Urkund*, I, 72.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri nostro Adalberto, venerabili archiepiscopo Ammaburgensis Ecclesiæ suisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione successisse [succurrere] et poscentium animis alacri devotione præbere assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Dominum procul dubio promeremur, dum venerabilia loca opportune ad melioremfuerint sine dubio statum perducta. Igitur, quia postulastis a nobis, quatenus archiepiscopatum Ammaburgensis Ecclesiæ totum in integrum vobis confirmemus, sicuti a prædecessoribus nostris Nicolao, et Agapito, et Benedicto, hujus apostolicæ sedis episcopis decretum est, inclinati precibus vestris apostolica auctoritate concedimus et confirmamus, cum omnibus generaliter atque specialiter ad eumdem præfatum vestrum archiepiscopatum pertinentibus, scilicet omnia quæ vestri antecessores suis laboribus acquisierunt, vel etiam amore æternæ patriæ ibi a Christicolarum fidelibus largita sunt vel largiuntur; cum illis etiam qui nunc tempore ad Christi conversi sunt fidem, protegente Dei gratia, videlicet episcopos in omnibus gentibus Sueonum seu Danorum, nec non etiam in illis partibus quæ sunt a meridionali Albia usque ad fluvium Pene et ad fluvium Egidore, ita ut sub vestra vestrorumque successorum, Ammaburgensis Ecclesiæ archiepiscoporum vel alium quemlibet, in vestra diœcesi ullam sibi vindicare decernimus potestatem; quinimo et ipsis et omnibus omnino suademus cultoribus veræ religionis, ut adjutorium et solatia vobis in omnibus administrent, quatenus pro gratia hujus beneficii plenam recipere mercedem a Domino mereantur, quoniam omnia quæ proficua Ecclesiæ probantur existere, et divinis non impugnant præceptionibus, efficienda et præbenda omnipotentis Dei auctoritate et beatorum apostolorum Petri et Pauli esse non dubitamus. Et hoc nostro decreto decernimus secundum prænominati Nicolai papæ et Agapiti papæ et Benedicti papæ sanctionem... et Mimindensis et Ferdensis Ecclesiarum episcopis... in illis partibus constituendi tamen... charissime frater Adalberte, ut potestatem... frater charissime Adalberte, nostræ auctoritatis... insuper addimus pro voto vestræ dignissimæ petitionis, in nativitate Domini et in octava Domini, in epiphania Domini, in purificatione sanctæ Mariæ, in Palmis, in cœna Domini, in die sancto Paschæ, in ascensione Domini, in Pentecoste, in festivitate sancti Joannis Baptistæ et in Natalitiis omnium apostolorum, in assumptione et in nativitate sanctæ Mariæ, et in annuntiatione sanctæ Mariæ, in festivitate sancti Michaelis archangeli, in festivitate sancti Martini episcopi, in natalitiis beatorum martyrum Laurentii, Mauricii sociorumque eorumdem, et in festivitate Omnium Sanctorum, et in illis festivitatibus illorum sanctorum quorum corpora requiescunt in ipso archiepiscopatu, et in consecratione episcoporum atque ecclesiarum, et in vestræ ordinationis die. Super hæc autem, deprecatione Henrici imperatoris, nostri dilectissimi filii, super naccum equitandi licentiam damus, in solemnibus diebus, tantummodo in vestra sede. Et pallio utendi in ordinationibus ecclesiasticis, et crucem ante vos portandi, sicut antecessores vestri habuerunt, licentiam damus. Sancta Trinitas fraternitatem vestram diu conservare dignetur incolumem, atque post hujus sæculi amaritudinem ad perpetuam perducat beatitudinem. Bene valete.

Data VIII Kalendas Maii, per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domini Clementis secundi papæ secundo, indictione XV.

V.

CLEMENTIS PAPÆ II EPISTOLA AD GOFFREDUM ANDEGAVORUM COMITEM ET AGNETEM COMITISSAM CONJUGEM EJUS.

(Anno 1047.)

Monasterii S. Trinitatis Vindocinensis, a Goffredo conditi, tutelam suscipit et possessiones confirmat, ea lege ut duodecim solidi B. Petro quotannis præstentur.

[Opera Ivonis II, 244.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, Goffredo Andegavorum comiti, et Agneti comitissæ, conjugi ejus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoties filii sanctæ Ecclesiæ omnipotenti Deo aliqua offerunt, non debent esse dati quasi de munere, sed gaudere ex fideli redditione. Reddunt quidem Creatori suo partem rerum quas ab eo acceperunt, ut de suis eum rebus sibi faciant largissimum debitorem. Ab ipso namque omnes habemus esse, vivere, cunctaque habita possidere: et quod magis est..... Quod vos, dilectissimi filii, non ignoranter, sed fideliter agnoscentes, studuistis propriis vestris rebus monasterium pro redemptione animarum vestrarum vestrorumque parentum, apud Castrum Vindocinum ad honorem Trinitatis deificæ construere, ipsumque monasterium cum omnibus suis rebus B. apostolorum principi Petro, sancto Spiritu inspirante, offerre, ea videlicet consideratione quatenus sanctæ Romanæ Ecclesiæ sic specialiter semper adhæreat ne inter Romanum pontificem et hunc venerabilem locum persona quælibet media existat. Quod nos, divina fulti fiducia, ita confirmamus, ut inter primæ et apostolicæ sedis pontificem et venerabilis loci Vindocinensis abbatem, omnem cujuslibet dignitatis vel ordinis personam mediam esse apostolorum Petri et Pauli auctoritate prohibeamus; censum vero ad memoriam cognitionemque sempiternam XI solid. de moneta nostræ patriæ B. Petro reddi per unumquemque annum volumus, etc. Statuimus etiam ut, defuncto abbate ipsius loci, successor ei eligatur de eadem

congregatione, si tamen dignus prælatione inveniatur. Quod si apud eos inveniri non poterit, quod absit, a Cluniaco, vel a Majori Monasterio, vel undecunque melius poterunt monachi ibi congregati, sibi eligant abbatem secundum Dei timorem et B. Benedicti regulam; tamen propter reverentiam loci, in eligendo sibi pastorem, trium abbatum consilio utantur, quos religiosiores de vicinis locis habere poterunt. Consecrationem vero ne statim Romam venire fatigetur electus, a quocunque præsule, sine tamen omni subjectione, suscipiat, si præsul idem sine pretio, et secundum canones episcopatum susceperit. Quod si episcopus pretio, vel contra canones electus, investitus, vel consecratus, sive erga prædictum B. Petri locum suspiciosus exstiterit, qui electus fuerit, ad nos vel ad nostros successores recurrat, et a sede B. Petri apostoli . . . . . cujus est juris, et baculum et consecrationem suscipiat. Ad concilium autem nullatenus veniat, quod ab ipso Romano pontifice non fuerit celebratum, etc. Hoc etiam addimus, ut, tam in Vindocinensi loco quam in prædicta juxta Andegaviæ muros S. Salvatoris ecclesia, nulli personæ nisi soli Romano pontifici liceat potestatem aliquam aut dominationem exercere, aut excommunicare seu interdicere; etiamsi Carnotensis aut Andegavensis pro culpis quibuslibet excommunicetur, excommunicati tamen a monachis non suscipiantur, etc.

Datum Kal. Julii per manum Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii S. apostolicæ sedis, anno domni Clementis II papæ I, indict. XV.

VI.

PRIVILEGIUM CLEMENTIS PAPÆ II PRO MONASTERIO THARISIENSI.

(Anno 1047.)

[Apud Usserman, *Germania sacra*, tom. III, *preuves*.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, Jacobo venerabili abbati monasterii sanctissimorum martyrum protomartyris Stephani atque Viti, loco qui Tharisse vocatur positi, perpetuam in Christo salutem.

Apostolicæ sedis fortissimus clypeus tantus est, ut contra omnes malefactorum impetus valeat, cunctisque sacrosanctis ecclesiis sufficiat. Ad hoc enim supra firmam petram, id est Christum, fundata est, ut non modo hominum sævitia, sed nec portæ etiam inferi prævaleant adversus eam. Cui bene aptatur quod cantatur: *Fortitudo mea et laudatio mea Dominus*, quia quidquid laudis, ex Dei non ex sua fortitudine habet. Huic sedi sanctissimæ quia divina dignatio humilitatem nostram præfecit gratia tantum sua non meritis nostris, monasterium tuum, charissime fili, justitiis ejus sic munire decrevimus, ut omnis ei adversantium vacuetur conatus. Denique ipsum monasterium nos ipsi auctore Deo ereximus, et bonis, quibus valuimus, locupletavimus ad salutem animæ nostræ nostrique filii domini Henrici Romanorum imperatoris Augusti, cujus voluntate, cujus consensu locum ipsum ædificare cœpimus et explevimus, cum sanctæ Bambergensi Ecclesiæ præessemus, cui attinet ipse locus; specialiter autem ecclesiam in Tharissa et oratorium in Wenckheim cum decimis utriusque loci prius a fratre et coepiscopo nostro Brunone Wirceburgensis Ecclesiæ rationabiliter vicaria possessione illi tradita commutantes huic monasterio contulimus. Quapropter ea auctoritate quæ data est a Christo Domino apostolo Petro, magistro et seniori nostro, et per eum successoribus ejus usque ad nostram indignissimam paternitatem, ea nimirum in nomine ipsius Domini nostri Jesu Christi vallamus, tuemur, munimus ipsum monasterium sanctissimi protomartyris Stephani ejusque consocii martyris Viti, et omnia ejusdem monasterii bona mobilia et immobilia, quæ nunc habet et in perpetuum habebit, contra omnium malignantium temeritates et impiorum rapacitates, per hoc scilicet inviolandum nostræ apostolicæ præceptionis munimen, ut nulli duci, nulli marchioni, nulli comiti, nulli vicecomiti, nulli præterea patriarchæ, archiepiscopo, episcopo et specialiter Bambergensi, nec etiam alicui magnæ parvæque personæ liceat ipsum nostrum monasterium lædere, ejusque bona minuere, quæ nunc habet et in perpetuum habebit. Quod quicunque eorum commiserit, per hanc apostolici vigoris sanctionem ex potestate apostoli Petri venientem maledicimus, excommunicamus et etiam anathematizamus illum, ut sit a regno Dei alienus et partem habeat cum diabolo impiorum capite, nisi forte resipuerit, et quod in eumdem sanctissimum locum peccavit, digna satisfactione emendet.

Hanc autem nostram præceptionem inviolatam manere jubemus sigillo et subscriptione nostra corroboratam. Bene valete.

Scripta mense Septembri, indictione prima. Data Romæ, Kalend. Oct., per manus Petri diaconi bibliothecarii sacræ apostolicæ sedis, anno domni Clementis secundi papæ primo, domni Henrici tertii imp. similiter primo.

VII.

EPISTOLA SIVE DIPLOMA CLEMENTIS PAPÆ II AD JOANNEM SALERNITANUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1047.)

Factam ejus translationem ex episcopatu Pestano in Salernitanum confirmat, eique pallium concedit.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Joanni amodo Salernitano archiepiscopo, perpetuam in Domino salutem.

Quoties ita contingit ut, exigente necessitate et maxima utilitate, transmutandus est quisquam episcopus de propria sede ad aliam, diligentissime perquirenda est persona, utrum necessario sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut major sedes assumitur. Te vero, frater charissime, quem unanimitas cleri et populi Salernitanæ Ecclesiæ, una cum gloriosissimo principe Guaimario de sede Pestana accepit, et in suum pontificem elegit, diligenter discussimus, ne tuæ ambitionis causa, et non majo-

ris utilitatis necessitate electus fuisses, aut forte per Simoniacam hæresim. Quod ita ab omnibus est abnegatum, ut nullius audiretur ore prolatum. Siquidem Salerni manentes, et hoc ab omnibus perquirentes, cum te audiremus ab omnibus laudari, et ab omnibus videremus amari, Dominum benediximus, qui tantam concordiam in tanta hominum diversitate super te potuit efficere, ut nullus videretur discrepare. Etenim circa te idem amor in omnibus, eadem intentio, commune omnibus desiderium. Quapropter annuentes petitioni votoque eorum omnium, et maxime prædicti gloriosi principis Guaimarii, te, frater, sicut et de sede propria ad suam transtulerunt, poscentibus tuorum meritis morum, non rapina tuæ avaritiæ id affectante, apostolica assensione per hoc nostræ auctoritatis privilegium incardinamus, et inthronizamus eidem Salernitanæ sedi, *in qua* fungaris archiepiscopi decore et honore. Nam in te nobis complacuit quidquid de te fama dispergit, videlicet sanctitas, castitas, benignitas et omnia quæ Deo placabilia sunt.

Unde in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, archiepiscopali pallio nostra apostolica manu dilectionem vestram insignivimus, quo utaris toties in anno, quoties prædecessores tuos eo usos fuisse constat. In quo, quia de vellere ovis est, intellige te ovium pastorem. Et quia eo circumcingeris, et etiam circa humeros portas, cognoscas et undique circumspicias, ne aliqua erret, et in morsus incidat luporum. Quod si aliquando, quod absit, contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare, et pristinæ societati coadunare. Quod vero ante et retro crux Domini habetur, illud apostolicum semper docet ante oculos tuæ mentis habere : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI). Confirmamus etiam tibi ipsum ex integro archiepiscopatum Salernitanum cum omnibus adjacentibus par chiis suis. Et insuper licentiam damus et potestatem ordinandi et consecrandi episcopos in his subjectis vobis locis, hoc est, Pestanensem episcopatum cum parochiis et adjacentiis suis, et episcopatum Consanum, et episcopatum Nolanum, et episcopatum Maluitanum [*al.*, Malfitanum, *et* Amalfitanum], nec non et episcopatum Acerentinum [*pro* Acheruntinum], simulque et episcopatum Bisiniacensem, atque episcopatum Cusentiæ [*pro* Consentiæ], cum omnibus parochiis et adjacentiis eorum. Pro pallio vero, quod supra diximus, post discessum quidem tuum successores tui perveniant ad apostolicam sedem, et usum pallii consecrationemque decretaliter recipiant. Et non habeant potestatem successores nostri in cunctis prædictis episcopatibus, quo vobis apostolica auctoritate concessimus, deinceps episcopos consecrare, quemadmodum vobis concessum est. Si quis autem nefario ausu, quod non optamus, huic nostræ concessioni aliquo modo contraire voluerit, et omnia suprascripta a nobis firmata violare præsumpserit, perpetuo anathematis vinculo religetur. Et ut hæc nostra concessio firma in perpetuum maneat, bulla nostra et sigillo eam signari præcipimus. At qui pio intuitu custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionis gratiam et cœlestem retributionem a justo judice Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum est per manus Joannis scriniarii et notarii sacri Lateranensis palatii, etc. Datum XII Kalendas Martii, per manus Petri diaconi et bibliothecarii et cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Clementis II papæ primo, indictione decima quinta.

VIII.

PRIVILEGIUM CLEMENTIS PAPÆ II PRO ECCLESIA BAMBERGENSI.

(Anno 1047.)

[Apud Mansi *Concil.* tom. XIX, col. 621.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, sacratissimæ nostræ Bambergensi Ecclesiæ, in filiis et filiabus ejus, clero videlicet ac populo, perpetuam in Domino salutem.

Dispensatio sæculorum venit de Principe cœlorum, qui antequam sæcula efficerentur præscivit qualiter disponentur. Inde fit ut non possit non impleri quid ab æterno illius oculo potuit provideri. Tanti numinis nutus te suam clarissimam filiam Babenbere nobis in sponsam legitimam desponsavit, et ante reges; quantum in nobis fuit, sua propitiatione donavit. Certe nulli marito circa uxorem purior fides et amor ardentior quam circa te nobis, nec unquam vel in mentem venit te destituere et alii adhærere. Sed nescio quo divino consilio evenit, quo matri tuæ omniumque ecclesiarum consociarer et aliquid non tamen omnino a te separer. Ecce igitur cum illud caput mundi, illa Romana sedes, hæretico morbo laboraret, et charissimi filii nostri domni H. imperatoris Augusti præsentia ad hoc invigilaret, ad hoc instaret, ut hujusmodi ægritudinem propulsaret, explosis tribus illis, quibus idem nomen papatus rapina dederat, inter tot agmina sanctorum, qui aderant, Patrum, dignatione cœlestis gratiæ nostram indignissimam mediocritatem, cunctis nisibus refragantem, voluit eligi, et altissimi apostolorum principis vice fungi. Et vulsum me tunc a tuo gratissimo latere, dulcissima sponsa, quis dolor apprehenderit, quis mœror confecerit, quo nescio pacto liceat exprimi, cum nobis omnem modum videtur transgredi plus honoris, plus decoris plusque virium matri quam filiæ, utpote cui omne genu terrestrium flectitur; pro cujus arbitrio cœli janua aperitur et clauditur; adversus quam nec portæ prævalent inferorum : non tamen tantæ dominationis cupido ostio nostræ mentis irrepsit, cordisque cervicem libenter inflexit.

Satis nobis erat activam, bene, contemplativam quoquo modo ducebamus vitam, præsertim cum perfectus amor nec species alterius unquam, nec intueatur opulentia. Testem invocamus aciem divinam, non commentari nos apologiam. Illa enim secreta cordis rimatur, cui nulla nox obtenebratur. Pro te-

sie quoque utimur ipsa conscientia, ubi tua est sollicitudo continua. Interiorem pupillam nunc tanta terrarum spatiositas, nunc tot retundunt opposita, quin amicam meam, sororem meam, sponsam meam, columbam meam, diligentiori cura circumspiciam, et undique munitam faciam. Concessum est nobis divinitus non ex nostris meritis, ut jam diximus, jus illud apostolicum, quod et cœlis imperat et terris; unde dignum duximus et accommodum decrevimus ut de profectu nostro tu quoque proficias, et inde tibi amplius consulatur unde ipsa potestas nobis ampliatur. Piæ recordationis domnus H. imperator Augustus te fundavit, te erexit, te et in alium culmen evexit : quo supplice, inexpugnabili muro et propugnaculis apostolici muniminis adversus omnes impias manus prævalentes bene circumvallata es per prædecessores nostros Joannem scilicet XIV papam, et Benedictum. Quod et idem nos facere cupientes ut triplici tuitione circumcincta per virtutem S. Trinitatis nihil unquam paveas læsionis, nihil unquam ab aliquo molestationis, secura semper et quieta maneas in filiis et filiabus tuis, semper Deo devote serviens, devote obediens, statuimus per hoc nostrum apostolicum privilegium, ut de bonis illis omnibus quæ tibi, sponsa charissima, virgo castissima, Ecclesia speciosissima Babenberc, summa liberalitas ejusdem orthodoxi imperatoris de summa devotione procedens pio affectu contulit, et nomine tenus illa per concambium convenientissimum, et acceptissimum a Wirzeburgensi et Eigistetensi episcopis canonico et rationabili judicio permutavit, vel quorumcunque post eum fidelium religiosa pietas obtulit et oblatura est usque in perpetuum, sive sunt mobilia, sive immobilia, nullus imperator, nullus rex, dux, marchio, vicecomes, et præterea non archiepiscopus, non episcopus, non abbas, nec ulla hominum persona audeat, tentet, præsumat, quidquam vel violentia, vel fraude, vel furto detrahere, minuere, mutilare. Quod si quis diabolico instinctu pulsatus crudeli temeritate admittere non perhorruerit, et admissum potius emendare neglexerit, hujusmodi hominem quicunque de communione sacrosancti sanguinis et corporis D. N. J. C. et a participio totius Christianitatis non solum excludimus, sed et propulsamus. Quin et apostolici anathematis acutissima lancea eum transverberamus, ut pro male factis male perditus mortem gemat æternam, associatus in gehenna inferioris inferni dæmonum principi mortis inventori, et Judæ sacrilego et proditori, undique circumcinctum draconibus tartareis in ultionem sævientibus, nec in ultimo tremendi Dei judicio ad vitam resurgat, sed crudelissimum corpus resumens duplici contritione conteratur, infelicissimo et miserrimo vivendi genere mortem quærens et non inveniens. Qui vero pio intuitu proprias manus ab hujusmodi temeritate subtraxerit, etsi ita res exegerit, adversum omnes insurgentes, et quidquam auferre conantes ea bona defenderit ad tuum tuorumque opus, sanctissima Babenberc, illa scilicet, ut prædictum est, quæ tibi collata sunt vel de cætero in æternum tibi conferenda sunt; talis ab illo benedicatur qui super cherubim sedet et gloriatur, pro eo quod hoc nostræ auctoritatis privilegium studuit observare illæsum, suoque robore solidatur; quod nimirum consilio et voluntate nec non alacri promptoque animo clarissimi filii nostri jam superius memorati domni H. imperatoris Augusti de nostra apostolica sede tibi transmisimus eidem gratulari. Etenim ut te plantavit conditor tuus ille primus H. Cæsar Augustus, sic est hic secundus vestigia ejus sequens, ut pari nomine parique dignitate, sic pari devotione te rigavit, tibi incrementum dedit, et adhuc dum usque vixerit Deo miserante et inspirante dabit. In quo te, dulcissima sponsa, optamus in sæcula sæculorum crescere, pollere, vigere, dicentes bene valete.

ANNO DOMINI MXLVII

OLIVA

AUSONENSIS sive VICENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Antonium, *Bibliotheca Hispana vetus*, tom. II, pag. 5.)

Oliva, Olivæ Cabretæ Bisuldunensis comitis filius, e Rivipullensi monacho ejusque et Cuxanensis monasterii abbate, Ausonensis sive Vicensis ab anno Christi 1017 episcopus. Ejus præclara gesta a cl. Florezio (qui extremus omnium ejus labor fuit) in ordinem redacta vulgavit ab ejus morte cl. Hispaniæ sacræ continuator Fr. Emmanuel Risco tom. XXVIII, a pag. 122. Scripta autem nonnulla exhibet in ejusdem tomi Appen-

dice X, a pag. 265 : nimirum I. *Sermonem in natali S. Narcissi episcopi et martyris ;* cui subditur : *Narratio conversionis beatæ Afræ;* II. *Epistolam ad Gaucelinum archiepiscopum Bituricensem*, pag. 275; III. *Aliam ad monachos Rivipullenses, circa ann.* 1025, a Petro de Marca e Cataloniæ tabulariis eruta ac primum evulgata ; necnon : IV. *Ecclesiæ Vicensis sive Ausonensis consecrationem anno* 1038 ; V. *Synodicam concilii Narbonensis adversus sacrarum rerum invasores ;* VI. *Epistolam ad Sancium Navarræ regem* (*cognomento Majorem*) *anno* 1023 *directam, de incesto conjugio vitando,* e sancti Joannis Pinnatensis tabulario. Ibid. a pag. 275. Quibus addi posset e Galliarum regis bibliotheca tom. III, pag. 343, col. 2, cod. 2858 : VII. *Epistola Olivæ ad Sancium regem Ibericum, qua eum hortatur ut aliquid de suo conferat ad exstruendam ecclesiam Rivipullensem ;* nec non : VIII. *De Paschali cyclo et computo ecclesiastico,* ex eadem regia bibliotheca tom. IV, pag. 364, col. 1, cod. 7476 : quo de opere frustra Baluzius, atque ex eo cl. Florezius tom. XXVIII, pag. 139, n. 59, subdubitant, num alius Olivæ Rivipullensis item monachi sit, cum nullum cognominem scriptorem norint bibliographi

OLIVÆ SCRIPTA.

(Apud Florez. *España sagrada*, tom. XXVIII, pag. 265.

I.

SERMO IN NATALI SANCTI NARCISSI EPISCOPI

CONFESSORIS ET MARTYRIS CHRISTI.

Quia hodie, fratres charissimi, festivitas almi confessoris Narcissi et martyris Christi annua decursione revolvitur, gaudeamus. Hodie namque *justus in domo Domini plantatus*, qui, sicut palma flores in excelsum protulit, maturos in aulam regiam fructus exhibuit. Hodie stola, quam in sanguinem Agni sæpe abluerat, indutus, atque dignitate sacerdotii infulatus, et martyriali laurea coronatus, et roseo sui sanguinis rubore perfusus, cœli palatium ingressus, cœlesti Imperatori fortissimus miles gloriose est præsentatus. Hodie domum senatoriam introivit, et a Christo vero Rege complexus in ordine suo collocari promeruit. Et ideo *exsultent justi in Domino, quoniam rectos decet collaudatio ;* dicantque justo : quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum manducabit. Gaude et tu nimium, Felix ; et lætare, Gerunda, quoniam speciale promeruisti munus, quod nulla circa te commanens civitas potuit habere, vel locus. Tibi namque Africa fidei calore repletum, Deo disponente, Felicem direxit sanctissimum, qui Barchinonem docendo ad Christi fidem atque culturam direxit, et prædicando impurias ab errore dæmonum liberavit ; viam veritatis ignorantibus demonstravit, atque se evangelizans cum triumpho martyrii in te gloriosa morte quievit. Tibi quoque verus Oriens atque Sol justitiæ Narcissum florem paradisi et luciferum adventus sui præconem direxit, qui diversas illustrando provincias, atque provocando animas ad pœnitentiam, diabolica fraude deceptas, dum te sua prædicatione doceret, suisque sanctissimis orationibus foveret, in te venerabilis martyr existens cum consortibus propriis in libro vitæ conscriptis in perpetuum præmuniret. Sed, o beate Narcisse, flos paradisi, atque in omni loco permanens bonus odor Christi, quibus te laudibus extollemus ? Fidemne prius an virtutes miremur ? Sed fidem, quoniam sine ipsa, quæ te scuto armavit, galeaque salutis protexit, et gladio spiritus, verbo scilicet Dei, præmunivit, nusquam quisque Deo placere valebit. De virtutibus autem, quibus te gratia Christi ornavit, pauca de multis, propter quod cœpimus, exsequemur. Igitur eo tempore, quo per Augustam civitatem transitum habuisti, quid ibi gesseris, qualiter ibi docueris, testimonio tua sanctitas non indiget ; quoniam repleta civitas tuis prædicationibus, et munita tuis sanctis orationibus hactenus sacerdotes a te constitutos et martyres ostendit. Ibi denique datæ lupanaribus, et diversis generibus pollutionum nefandissimæ Veneris meretrices, et in hospitium suscipientes tuamque sanctitatem diutissime intuentes, et claritatem superni luminis in te cœlitus emissam conspicientes, Domini nostri Jesu Christi verissimæ per te meruerunt esse cultrices. Ipse nimirum eas de faucibus antiqui draconis eripuisti, easque suo Creatori purificatas a sordibus mentis et corporis consecrasti ; atque animatas tua sanctissima prædicatione inter collegia martyrum cum corona martyrii mirabiliter introduxisti. Ipsum etiam draconem inimicum generis humani repletus Christi sapientia sapientissime conclusisti, ut nisi draco draconem suum interficeret amicum, ipse ruinam passus profundissimam protinus rueret in abyssum. Aquas interea Alpium Juliarum, quas ne ad usum proficerent hominum lividus infecerat inimicus, tua dulcis oratio in dulcedinem vertens humanis usibus aptas exhibuit. Ergo nullatenus te deserebat gratia Christi ; sed ubique illuminans inflammabat, ubique protegens circum-

dabat, ut bene tibi congrueret quod scribitur in psalmo, quoniam Dei Filius tenuerit manum dexteram tuam, et in voluntate tua te deduxerit, et martyrio coronatum te assumens atque ad cœli palatium transferens, et inter senatores curiæ cœlestis te constituens in collegio eorum disposuerit. Ergo, fratres charissimi, quoniam nobis dies tantæ solemnitatis confessoris Christi, nostrique apostoli et martyris [illuxit], gratias et laudes reddamus omnipotentissimo Creatori; illius prælibati Narcissi, floris videlicet paradisi, nos subdentes orationi, et quod amavit amemus, et quod verbo prædicavit credamus, et quod operibus exhibuit imitemur. Exsultet igitur pontifex noster, clerus, simulque congaudeat populus universus. Quoniam sicut Roma, quæ caput et speculum est totius orbis, a Deo promeruit habere primum apostolorum et principem suæ salvationis, Petrum, ita quoque Gerunda doctorem suæ salutis florem paradisi promeruit habere Narcissum. Omnis hæc dies in Christi laudibus expandatur, atque divinis ejus cultibus dedicetur; desinant esse jurgia, quia prædicationis pacis recoluntur solemnia; desinant esse comessationes et ebrietates, quia cujus hodie festivitas celebratur tales a Christianis prohibuit voluptates.

II.

INCIPIT CONVERSIO BEATÆ AFRÆ

Apud provinciam Ariciensem, civitate Augusta.

Erat Narcissus episcopus eodem tempore quo Dioeletiani ferebatur insania. Nesciens ubi intraret, profugus ad meretricem ingressus est, Afram nomine, cum diacono suo Felice. Illa autem videns honestos viros adventantes, existimans impudicos, parat cœnam et omnia quæ, solito more, cum puellis suis parare consueverat. Episcopus autem veniens ut cibum caperet orare cœpit et psallere. Afra autem, quia nunquam hæc audierat nec viderat, stupefacta cœpit inquirere qui esset, et ut didicit esse episcopum Christianorum, protinus procidit ad pedes ejus dicens; Domine, indigna sum, et in ista civitate nulla me turpior aliqua inveniri potest. Cui ait Narcissus episcopus: Salvator meus a turpissima tactus inquinari non potuit, illius nam sanctitas omnes sordes ejus delevit atque mundavit. Non sordes inquinatæ inquinare poterunt Domini claritatem, nam et lux veniens, et splendor solis dum circa cloacas et lutulentas plateas funditur a cœlo mundus, et mundus elevatur in cœlum. Unde et tu, filia, suscipe lumen fidei, ut purificata ab omni peccato possis de meo introitu perpetua alacritate gaudere. Dicit ei Afra: Ego, quæ ampliora peccata commisi quam quanti sunt mei capilli in capite, quomodo possum a tantis dilui? Respondit Narcissus episcopus: Tantum tu crede, et baptizare, et salva eris. Tunc Afra, convocans puellas suas, dixit: Iste homo episcopus Christianorum dicit mihi: Si credideris Christo et baptizata fueris, ab omni poteris mundari peccato. Quid vobis videtur? Respondentes Digna, Eunomia et Eutropia dixerunt: Tu nostra domina es, et si secutæ sumus ad inquinamenta facinorum, quomodo non sequemur ad indulgentiam peccatorum? Tu caput noster es, quocunque ieris, et membra sequantur necesse est. Interea cum sermocinarentur, nox initium sumpsit, et incipiens Domino canere cum suo diacono episcopus totam noctem orando et psallendo pertransiens, simul habuit Afram cum puellis suis consortem.

Mane autem orto die, episcopus Narcissus cœpit inquiri a persecutoribus, et dicunt Afræ: Ubi sunt qui ad te introierunt nocte? Illa autem dixit eis: Hospites amatores mihi fuerunt et abierunt ad sacrificandum. Et putantes eos ad capitolium aut ad templum abiisse, tacuerunt; sed remansit unus ex eis qui diceret ad eam: Ego cognovi illos, qui sero venerunt, quia Christiani erant, nam in omni hora signabant frontes suas signo crucis, qua Christus eorum passus est. Dicit ei Afra: Ad me meretricem haberent intrare Christiani! Ad me non veniunt, nisi qui mei similes sunt. Abiit hic, nuntiavit omnia quæ dixerat, quæque audierat, iis qui quærebant eos. Tunc abiit Afra ad matrem suam, Hilariam nomine, et dicit ei: Episcopus Christianorum venit ad me, nesciens ubi intraret, et per totam noctem expandens manus suas ad Deum suum, cantans ei quod novit, et nos fecit simul orare secum; circa gallorum cantum exstinxit se lumen candelæ, et cœpi festinare ut incenderem, et non poteram. Tunc dixit mihi diaconus ejus: Noli quærere lumen exstinguibile; modo tibi ostendetur lux, quæ exstingui non potest. Hæc cum audisset episcopus oravit dicens: Veni, Lux vera de cœlo, et *ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus;* mox venit fulgur de cœlo sicut sol, et venit sicut tonitruum, et non recessit; sed tandiu ibi stetit, quandiu aurora inciperet; et dum ille orationem suam finisset, jussit nos sibi respondere et dicere: Amen; et lux fulguris illius statim recessit ab oculis nostris. Post hæc misi me ad pedes ejus, et dixi illi: Injuriam tibi grandem

fecisti, quia ad me introisti : sum enim mulier peccatrix ; et ille dixit mihi : Ubi me Deus meus fecit ingredi, ibi introivi. Mane autem circa horam tertiam ostenderunt se mihi, qui, antequam luceret, insidiati fuerant, ut exeuntem tenerent, et occiderent; sed cum exissem, convenerunt me. Ego vero ubi faces de lino habebam, abscondi eos. Timeo ne scrutetur locus ipse; si jubes, domina mater, huc eos transire faciam, quia promisit mihi dicens : Facio te Christianam, ut omnia peccata tua deleantur.

Audiens hoc mater ejus, gaudio repleta, dixit : Præstet hoc Deus, ut mihi hoc contingat. Cui dixit Afra : Ergo nocte veniente transmigro eos huc. Cui respondit mater sua : Etiam si noluerit, roga eum. Vespere autem Afra rogavit S. Narcissum, et migravit ad matrem ejus. Ingressus autem domum S. Narcissus episcopus, factum est gaudium magnum, ita ut Hilaria per tres horas plantas ejus teneret, et diceret : Obsecro te, domine, ut me facias mundari a peccatis meis. Tunc Narcissus episcopus dixit ei : Beata est fides tua, quæ antequam disceres verbum veritatis, ipsam veritatem, quam per verbum vix agnoscere possunt homines, in tua mente fundasti. Tamen quia video te capacem audiendi verbum Dei, hodie incipite tenere jejunium, et per septem dies jejunate, audientes sermonem veritatis; octava autem die purificabimini ab omni peccato, et eritis tales quales fuistis infantes, non habentes conscientiam ullius criminis, ulliusque peccati. Dicit ei Hilaria : Si jubes, dicimus quod colimus, et ita demum doce nos quid colamus. Dicit ei Narcissus episcopus : In hoc apparet quod bene potestis suscipere quod colere debeatis, cum quid colueritis evidenter exponatis; dic ergo culturam tuam. Hilaria respondit : Parentes mei genere Cyprii fuerunt, et inde venerunt. Cum sæva Veneris, et Venus coli non potest nisi ab iis feminis quæ meretricatæ fuerint, ideo denique ego filiam meam sacris Veneris consecrans, quasi deæ Veneri servituram inde meretricio placituram in prostibulo manere permisi, credens hoc quod mihi esset propitia Venus, si filiam meam divinis ejus imitationibus occupassem; nam quanto plures amatores habere poterit mulier quæ Veneri serviret, tanto plus Veneri placere posse a sacerdotibus Veneris affirmatur.

Audiens hæc vir Dei Narcissus ingemuit et lacrymas fudit, dixitque ad diaconum suum Felicem : Surge, frater, et demus lamentum super istam talem culturam, et rogemus Dominum, ut *ubi abundavit iniquitas, superabundet et gratia.* Factum est autem ut, cum orarent, apparuit Ægyptius quidam nigrior corvo, nudus et vulneribus elephantiasis toto corpore plenus; dare cœpit mugitum et dicere : O sancte Narcisse episcope, quid tibi cum chara mea? Quid tibi cum ancillis meis, quas ego semper in amicitia mea habui ? Deus tuus mundas animas, et munda corpora diligit, istæ jam meæ sunt, aliæ esse non possunt. Nunquid ego intro ubi castitas regnat? nunquid locum invenio, ubi est spiritus castitatis? Hic tu quid intrasti, ubi inquinata sunt corpora, et pollutæ sunt animæ? Tunc Narcissus dixit ei : Jubeo tibi, immunde spiritus, ut des in responsum quod te interrogavero. Dic mihi, damnate : Scis Dominum meum Jesum Christum Nazarenum tentatum, flagellatum, sputamentis in faciem attestatum, cibatum felle, potatum aceto, affixum in cruce, mortuum, et sepultum, et die tertio resurrexisse a mortuis? scis hoc factum? Respondit dæmon, et dixit : Utinam mihi hoc nescire licuisset! nam ea hora, qua crucifixus est, princeps noster fugiens a facie ejus in templum Dei se misit, et ideo velum templi scissum est, quia virtutem persequentis ferre non potuit; tunc saxa ipsa solida scindebantur, et monumenta aperta sunt, et surrexerunt sancti viri, qui viderunt hoc factum, quod princeps noster ab eo qui crucifixus est tentus est et catenis igneis est religatus. Respondit Narcissus et dixit : Quod nomen est principis vestri? Dixit ei dæmon : Satan nomen est illi, quod interpretatur *initium mortis.* Dicit ei Narcissus : Dic mihi, quid peccavit Dominus noster Jesus Christus, ut tanta pateretur? Dicit ei dæmon : Nunquam peccavit. Dicit ei Narcissus : Et qui nunquam peccavit, quare tanta passus est? Respondit dæmon : Non pro suis peccatis passus est, sed pro alterius. Dicit ei Narcissus episcopus : Ex ore tuo te condemnas, immunde spiritus. Cum ergo scias Dominum meum Jesum Christum non pro suis sed pro alienis peccatis occisum, discede ab iis mulieribus, quia pro illis passus est qui ad fidem ejus et gratiam confugerunt. Dicit ei dæmon : Quare docet lex sancta, et jubet ut res alienas non tollat aliquis ; tu qui sanctus es, res meas quid tollis? Quid mihi tollis animas quas mihi lucratus sum? Dicit ei Narcissus ; Et fractor, et fur es tu, ab initio damnate et inveterate, nam istas animas a Creatore suo et Domino tu separasti; ego modo te furem teneo, et Creatori creaturam suam restituo. Respondit ei dæmon dicens : Et ego creatura ejus sum, ergo et me Creatori meo restitue. Dicit ei Narcissus : Tu ipse ore tuo confessus es Christum pro peccatis hominum passum ; et si quo modo pro peccatis hominum passus est et pro dæmone passus esset, restituerem Creatori tuo; nunc autem sic passus est pro peccatis hominum ut vestrum principem ligaret in infernum et principatum diriperet. Dicit ei dæmon : Fac pietatem super me, et da mihi in potestatem unam animam. Dicit ei Narcissus : Si dedero tibi in potestatem unam animam, quid de ea facies? Dæmon dixit : Interficio hominem, et lucror animam ejus. Dicit ei Narcissus : Mane prima luce ego tibi dabo potestatem hanc, ut hæc facias. Dicit ei dæmon : Dic mihi ante Deum quia das mihi animam intra corpus inclusam, quam lucrer. Dicit ei Narcissus : Ante Deum meum spondeo quod dabo tibi animam in corpore positam manducantis, et bibentis, et dormientis, et iterum vigilantis. Dicit ei dæmon : Modo jube me hic manere ista nocte. Dicit

ei Narcissus : Si potes nobiscum manere, mane. Dicit ei dæmon : Si expandis manus tuas ad cœlum, et flectis genua tua et psallis Deo tuo, non possum hic manere. Dicit ei Narcissus : Nunquam tibi sit bene, immunde spiritus ; non solum autem ego, sed et isti omnes tota nocte mecum Domino nostro flectent genua, et laudes ei una nobiscum canent. Tunc dæmon diræ vocis teterrimum ululatum emittens nusquam comparuit.

S. autem Narcissus episcopus fecit post jejunium reficere Afram cum matre sua et cum puellis suis, quas trementes pro eo quod viderant et audierant, suis monitis et orationibus confortavit. Ipse autem cum S. Felice diacono suo non refecit, sciens se mane iterum cum dæmone certamen habiturum; transiit quoque noctem oratione et psalmorum canoribus plenam. Die autem orto, adest dæmon dicens : Memor esto, sancte episcope, juramenti tui quod dedisti ante Deum, et da mihi animam cujus corpus occidam, et animam ipsam mecum habeam. Responditque S. Narcissus dicens : Et tu jura mihi in nomine Domini mei ut statim interficies quem tibi dedero, et dic mihi, si non interficias, jubeat tibi Deus ut vadas in abyssum. Dixit ei dæmon : Per ipsum juro qui nos cum principe nostro vicit, si non jubes ire in abyssum, quod statim interficiam cum quem mihi dederis in potestatem. Dixit ei Narcissus : Vade juxta fontem Alpium Juliarum, unde nemo potest aquam bibere, non homo, non pecus, non fera aliqua, quia draco ibi habitat, et de flatu ejus, omnes qui ad fontem accesserint, moriuntur. Hunc draconem, vade, interfice, et animam ejus in tuam redige potestatem. Tunc exclamavit dæmon dicens : O episcopum mentiosum, insuper etiam me obligavit juramento ut amicum meum occidam, quem si non occidero, compellar ire in abyssum. Tum dæmon abscessit et occidit draconem, et liberatus est fons ad usum hominum usque in hodiernum diem.

Per dies autem plurimos docuit eas verbum Domini, et baptizata est Hilaria et filia sua Afra cum puellis suis, et cum omnibus charis suis, et fecit domum Hilariæ ecclesiam, et ordinavit eis episcopum Zozimum avunculum Afræ. Ipse autem S. Narcissus, perfectis ordine rebus, post menses novem ad Hispaniam profectus est ad civitatem Gerundam, in qua multum populum per tres annos Domino acquisivit, et ita demum ad martyrii palmam cum sancto diacono suo Felice attinxit, cujus passionis gloriam in sequentibus dicemus. Beatus igitur martyr Domini Narcissus divini verbi prædicator egregius, et sacerdotii dignitate resplenduit, et cum triumpho martyrii aulam cœlestis regni victor intravit, primum quidem orientalibus, postea occidentalibus populis veræ fidei lumen ostendit, et apud Gerundam gloriosa morte requievit. Cum ergo multos ad Christi fidem converteret, quadam die in Gerunda inter ipsa sacrificiorum mysteria, a persecutoribus trucidatus in confessione Trinitatis tribus vulneribus, videlicet in humero, et gutture et sura, est debilitatus. Denique, completo venerandæ passionis cursu magnifico, coronam gloriæ est consecutus a Domino et in æternum regnat cum illo. Cujus venerabile corpus hactenus incorruptum ad insigne manet miraculum; spiritus autem conjunctus Domino in cœlestibus regnis exsultat cum illo. Quanquam enim ubique Christus suos in mundum ad prædicandum misisset apostolos, multisque adhuc gentilitatis erroribus plurimi fuissent occupati, tamen Dei misericordia ac Redemptoris nostri favente clementia, beatus Narcissus doctor nobis apostolus est directus. Itaque, dilectissimi, imitatores illius estote secundum egregiam prædicationem Pauli, sicut et ille exstitit Christi. Si quis autem particulam justitiæ, Deo concedente, in corde suo senserit, ad prædicationem egregii martyris confugiat, ne quod in se rectum videtur stare, ullatenus corruat. Si quis vero, quod absit, enormitate scelerum pressus ad foveam tendit desperationis, pœnitentiam Afræ sociarumque illius imitando intueatur meretricis, quæ per Narcissum edoctæ, et per Christum salvatæ, fructum, Christo donante, percipere meruerunt justitiæ. Ipse, qui more Elisæi amaritudinem aquæ orando vertit in dulcedinem, poterit peccatorum nostrorum orando pellere amaritudinem, et de Christi gratia pietatis parare remissionem. Inter hæc, dilectissimi fratres, in hujusmodi venerabili cultu funestam, sacrilegam atque perversam Hebræorum corripite plebem, ut ita discat solemnia martyris venerari quem nunquam volens didicit amare vel credere. Sed, o flos paradisi, beatissime Narcisse, qualescunque nostras et nimium exiles nostrorum suscipe laudes, et qui in conspectu Domini de tua semper manes felicitate securus, esto clementer de nostrarum pondere miseriarum sollicitus, et qui in præsenti de tua sumus celebritate lætantes, tuorum in æternum mereamur meritorum fore participes, illo concedente, qui te ad laudem et gloriam nominis sui mirabiliter coronavit, perpetuæque salutis et commodi præsentis consultorem misericorditer condonavit Jesus Christus et Dominus noster, cui est cum Patre et Spiritu sancto omnis laus, gratiarum actio, potestas, virtus, et benedictio in sæcula sæculorum. Amen. Passus fuit beatus Narcissus in ecclesia S. Felicis Gerundensis, quæ tunc temporis S. Mariæ extra muros vocabatur, cum diacono suo Felice anno Domini 297 in loco in quo nunc jacet, quo erat ecclesia cathedralis tempore infidelium.

III.

OLIVÆ EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

GAUCELINI BITURICENSIS ARCHIEPISCOPI AD OLIVAM.

(*Anno* 1020.)

Omnipotentis Dei clementia G. archiepiscopus et abbas ejusdem honoris gratia sublimato domno O. plurimum salutis munus.

Vestræ præconium sanctitatis, etc. *Reliqua habes tomo Patrologiæ CXL, in* GAUCELINO, *ad ann.* 1029.

EPISTOLA II.

OLIVÆ AD GAUCELINUM ARCHIEP. BITURICENSEM.

(GAUCELINO sanctæ primæ sedis Biturícensis archiepiscopo venerando, cunctisque beati patris Benedicti Floriacensis cœnobio degentibus, pusillis cum majoribus, O. sanctæ Ausonensis Ecclesiæ præsul, licet indignus, et abbas, secumque degens congregatio cuncta, pie in Christo viventibus omnia bona.

Gratias agimus vestræ venerandæ paternitati et amantissimæ charitati, quoniam et nostris doloribus condoluistis, et ut patres filiis compassi estis, et de tanto terrarum spatio nostri memores facti, valde consolatorias litteras direxistis. Suscepimus autem illas cum multo vestri desiderio, et consolati sumus non modice relegendo. Nostræ vero post Deum summa consolationis hæc est, si ejus animam vobis Christo placeat commendare; quam, sicut omnium nostrum, cum illo cupimus esse. Omnipotenti quoque Domino vos commendantes vestris orationibus nos committimus, orantes ut quos dirimit ab alterutro locus in se indivisibilis perenniter jungat Deus.

EPISTOLA III.

EJUSDEM AD MONACHOS RIVIPULLENSES.

(*Circa an.* 1023.)

OLIVA sanctæ Ausonensis Ecclesiæ præsul, licet indignus, et abbas, universo cœtui cœnobio Dei Genitricis commanenti desiderabile præmium cœlestis regni.

Dum vestræ nuntium sanitatis lætus audio, hoc est quod semper exopto. Scitote autem me similibus oblectari vestrique memorem gratissime fieri. De constructione vero, quæ scripsistis, parietum et capsæ cæterarumque rerum, ex vestri parte haud mihi secus videntur ac bona, cum sint piissimi Dei gratissima dona. De absolutione quoque Witardi et emendatione ipsius confido in vobis post Dominum Jesum, vobisque committo et juxta velle solvere et pro posse corrigere. Igitur nos, postquam a vobis excessimus, inter cætera quæ gessimus, inter archiepiscopum et vicecomitem Narbonensem ad diri A . . . . . negotia judices statuimus, pactumque pacis dicto. . . . . parati ad finiendum, cumque præstolatur hujus causa facti, comitissa Rutenensis venerit ad solvendum. Conventionem interea colligavi inter Wifredum et Willelmum et Ugonem comites. Hac hebdomada conjungentur, si forte tantis malis finem imponere valeamus. His ergo et aliis præoccupati negotiis, regressionis nostræ diem vobis mandare nequimus, rogantes ut horum quæ circa vos sunt vestris quantocius litteris conscii per omnia simus. Præterea cycnos et gaviancum, delicias domini, quam maxime custodite; et quidquid illis adversi acciderit, aut boni contigerit, continuo litteris prænotate; ut aut prosperis collætemur, aut adversis afficiamur. Euge autem B quoniam est nobis et grus, quæ jam didicit aera saltibus pervolare, asinis et porcis oculos eruere, videturque jam capite rubescere, pennis nigrescere et voce clarescere; cujus tantis prosperitatibus vos convenit congaudere. Bene valete.

EPISTOLA IV.

EJUSDEM AD SANCIUM NAVARRÆ REGEM.

(*Anno* 1023.)

Orthodoxæ fidei cultori magnifico domno SANCIO regi gloriosissimo, universis laudibus præferendo, OLIVA sanctæ Ausonensis Ecclesiæ præsul et abbas licet indignus, secumque commanens divini ordinis cœtus, felices triumphaliter hic possidere successus, et non finiendos in cœlestibus æternaliter fructus.

C Si prosperitas vestræ magnificentiæ divini muneris concessionibus augmentatur, nihil nostris mentibus optabilius inesse probatur. Verum si quibuslibet incommodis promovetur, nihil quod magis nolumus invenitur. Agimus autem innumeras pro posse gratias omnipotentiæ Conditoris, qui sic latitudinem vestri cordis vinculo sui constringit amoris ut quæ maxima sunt operum vestrorum, vel media, non propria sponte peragatis, sed timentium illum consilia, horum videlicet qui longe sunt et qui prope, regali solertia conquiratis. Vobis quoque plurimas impendimus laudes quoniam nunquam nostram parvitatem excipitis, sed in benefaciendo, et quasi magnum aliquid ex vestris negotiis consulendo perquiritis. Quo circa nostras animas ita vestro spiritui D conjunxistis, ut nemo nostrum sibi quidquam melius optet evenire quam vobis. Vidimus hoc tempore domnum abbatem Pontium fratrem et filium nostrum cum Garcia fidelissimo vestro, qui nobis

retulerunt mandatum et sollicitudines animi vestri.

2. Igitur de hoc, unde placuit vestræ celsitudini nostram inquirere parvitatem, quidquid melius ex lege et prophetis, vel de cæteris divinis Scripturis colligere potuimus, vestris obtutibus dirigere studuimus. Quanti ergo sit criminis conjugali vinculo proximos conjungere sanguinis lex Veteris Testamenti pronuntiat, prophetæ clamant, apostoli ostendunt, sanctique post illos Patres suis dictaminibus innuunt. Et quod veteri lege damnatur a prophetis, id ipsum interdicitur ab apostolis; contradicitur, et a cæteris postmodum divinæ scientiæ cogniteribus anathematizatur. Clamat denique Dominus ipse per Moysen in libro Levitico : *Omnis homo ad proximam sui sanguinis non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Subinfert quoque post pauca et dicit : *Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis.* Item in eodem : *Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quidpiam, peribit de medio populi sui.* Item post paululum in eodem : *Qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi sui, et revelaverit turpitudinem ejus, portabunt ambo iniquitatem suam, et absque liberis morientur.* Item Ezechiel propheta dicit de hoc inter cætera : *Si genuerit homo filium sanguinem effundentem, et uxorem proximi sui polluentem, nunquid vivet?* Non vivet. In peccato suo quod operatus est in ipso morietur. Hinc iterum Osee propheta loquitur inter alia : *Maledictum, mendacium, homicidium, et furtum et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc infirmabitur terra et omnis qui habitat in ea in bestia agri, et volucre cœli, et in piscibus maris.* Sanguis etenim sanguinem tangit, dum irrationabilis copulæ profana commistio sanguinis affinitati se jungit, atque in fornicationis nodum connubiale commercium transit. Hucusque de veteribus. Christianæ quoque religionis post Christum institutor et doctor apostolus Paulus hujusmodi genus fornicationis detestans, in Epistola ad Corinthios prima ait inter cætera : *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt*, inquit, *duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Item in eodem loco : *Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Hinc idem Apostolus in Epistola ad Thessalonicenses inter alia : *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque suum vas possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Dominum.* Et post pauca : *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Dominum, qui etiam dedit Spiritum sanctum suum in vobis.*

3. Abhinc sequuntur exempla canonum, qui a sanctis Patribus divino Spiritu plenis editi, quid super hoc contineant, hæc ab illis ad posteros missa demonstrant. De incestis, ex concilio Ilerdensi, capitulo 4 : Hi qui se incesti pollutione commaculant, quique in hoc detestando contubernio perseverant, cum nullo Christianorum cibum sumant. Item de his, qui proximis se conjungunt, ex concilio Toletano, capitulo 5 : Nullus fidelium propinquam sanguinis sui in matrimonio sibi copulet; quod si fecerit, tanto tempore a Christi corpore et fraterno consortio excommunicatus existat quanto fuerit ista contagione pollutus. Item ex concilio Agathensi capitulo 12 : De incestis et junctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero dicimus, qui relictam fratris uxorem acceperint aut fratris germanam, aut novercam, aut consobrinam, aut de propria cognatione usque in septimam generationem, aut uxorem avunculi vel filiam avunculi, vel filiam patrui aut privignæ suæ, quibus omnibus conjunctio illicita interdicitur. Item Gregorius papa sanctissimus in concilio Romano ait de hoc inter cætera : Si quis consobrinam duxerit in conjugio, aut uxorem de propria cognatione, vel quam cognatus habuit usque in septimam generationem, anathema sit. Et respondorunt tertio omnes qui erant in concilio : Anathema sit.

4. Hæc itaque sunt, o bone rex et clarissime princeps, incesti connubii damna. Hæc divinitus interdictæ copulæ detrimenta, super quæ multo latius auctorum numerosa congereremus exempla, nisi nos et brevitas temporis, et nuntiorum properata regressio, et prolixitas chartæ cogerent ab incepto desistere. Oramus autem vos et obsecramus per Dominum Jesum, ut omni circumstantia vos ab his exsecrandis operibus custodiatis, nulloque deinceps modo assensum tam nefandis usibus præbeatis. Quoniam sicut dicit beatus Paulus apostolus : *Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus.*

5. Sed fortasse dicet aliquis : Si rex imperatori sororis conjugium non negaverit, tunc perseverantia pacis et paganorum deletio, et Ecclesiarum ad legem Dei per omnes illorum terras restituetur correctio. Quod si non fecerit, pacis dissidium, et levatio paganorum, et detrimentum in Dei legibus perseverabit Ecclesiarum. Vana prorsus est ista cogitatio, et ut verius fatear, diaboli in cordibus humanis immissio, et ab omni funditus ratione veritatis absistens. Nunquam enim ex hujuscemodi copula pax processit, aut ex tam incesto connubio divini cultus securitas emanavit. Denique Spiritus sanctus deridens tam stultorum hominum cogitatus, qui existimant quod ex istiusmodi illicita convenientia pacis proveniat status, inducit tales in quodam loco dicentes : *Faciamus mala, ut veniant bona.* An et isti non sunt horum similes et hæreticis coæquales, qui ex sponsione hujus copulæ occasionem subintroducunt adipiscendæ pacis atque justitiæ? Audivimus autem et *credimus propter quod et loquimur.* Quo-

niam semper ex castitate et pudicitia pax procedit, quare *Christus qui est pax nostra*, castæ et pudicissimæ Virginis filius inter homines venit, *ut pacificaret ea quæ in cœlis sunt, et quæ in terris.* Certe Joannes Baptista et præcursor ejusdem Filii Dei, dum copulas Herodis prohiberet illicitas, capite truncatus propter justitiam perdidit vitam, sed lucratus est gloriam. Et non solum ipse, sed et omnes sancti, qui nos hactenus præcesserunt, divinæ legis adversariis usque ad effusionem sanguinis restiterunt. Ergo si propter hoc contra vos adversitas improborum hominum, Christianorum scilicet vel paganorum, insurrexerit, ne timeatis illos, neque paveatis. *Dominum autem Christum, ipsum sanctificate.* Ipse terror vester, et ipse pavor vester, et erit vobis in sanctificationem, in laqueum autem offensionis, et in petram scandali omnibus, qui propter hoc insurrexerint adversum vos. Eritque cum illis brachium carneum, vobiscum vero Dominus Deus noster, *qui est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Verum si aliquatenus vos ab illis permiserit flagellari, habete in memoria repositam æternam spem, quam sine dubio vobis concedet, sempiternæ hæreditatis, quam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Non enim semper boni tribulantur, nec semper mali justos opprimunt, quia *gloria* eorum *stercus et vermis est, et ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infera descendunt.*

6. Notum autem habemus quia in vestris olim regionibus leges rectissimæ promulgatæ et sancti canones a beatissimis Patribus sunt instituti. Eratque tunc temporis terra vestra specimen totius orbis in religione divina et dominatione terrena. Nunc autem regionem vestram coram vobis alieni devorant et desolantur, sicut in vastitate hostili. Quoniam tribus inter cætera vitia pessimis nequitiis cognoscitur subjacere, incestis videlicet conjugiis, et ebrietati atque auguriis. Et de primo quidem prosse jam diximus; de ebrietate vero per Isaiam loquitur Dominus: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Hinc et Paulus apostolus dicit quia *ebriosi regnum Dei non possidebunt.* De auguriis autem præcepit Deus in lege: *Non auguriabimini, nec observabitis somnia.* Hinc et Paulus apostolus ait: *Dies observatis, et menses, et tempora et annos; timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Interim nos finem damus epistolæ. Rogamus vos ut dominum, et obsecramus ut patrem, et admonemus ut filium, quod nostris dictis, imo divinis assertionibus credere non dedignemini, nec malorum hominum permittatis prævalere consensum contra leges divinas et statuta sanctorum, in ordine scilicet Ecclesiarum et correctione monasteriorum, defensione quoque pupillorum et viduarum, et justissima dispositione vobis plebium commissarum. Nos autem, quandiu sumus in hoc corpore, semper erimus orantes pro vobis, quemadmodum pro animabus nostris, ut Deus omnipotens ab insidiis inimicorum vestrorum vos clementer eripiat, et in sanctis operibus usque ad finem vitæ perseverare concedat. Si quid vero vestri nobis placeat mandare servitii, jubete pro velle, quoniam parati sumus obedire pro posse. Quod autem hic non potuit scribi, in ore domni positum est Pontii..... Datum per manus Arnalli hujus operis ministri, v Iduum Maiarum, anno Incarnationis Christi millesimo vigesimo tertio, indictione VI.

IV.

VICENSIS ECCLESIÆ CONSECRATIO.

(*Anno* 1038.)

Anno incarnationis Dominicæ 1038, æra MLXXVI, indictione V [VI] venit domnus Guifredus S. primæ sedis Narbon. archiepiscopus, vir excellentis ingenii, et sapientiæ singularis, ad sedem B. Petri apostoli principis Ecclesiæ Ausonensis, atque cum eo episcoporum suæ diœceseos venerabile collegium, cum caterva præmaxima diversi ordinis clericorum, occurrente simul variæ dignitatis ac utriusque sexus grandi multitudine populorum, ad consecrandam ejusdem sedis basilicam in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli constructam. Agebantur autem hæc sub potentatu et præsentia domnæ Ermesindis comitissæ divinæ legis operatricis magnificæ, suique nepotis domni Raimundi comitis et marchionis, pueri egregiæ indolis. Horum vero numerosa catervatim profluens congeries advocatorum, et conventus reverendorum, quem supra retulimus, præsulum, facta sunt instinctu et industria mentisque devotione paratissima domni Olivæ præfatæ sedis venerandi pontificis, qui eamdem ecclesiam strenuiter a solo cœptam, multisque sumptibus et labore perfectam, diversis sanctorum pignoribus undecunque contractis, ad sanctitatis cumulum perornavit, atque cum præcellentissimo episcoporum agmine, sacro plebis ordine, divina se juvante gratia, dedicavit.

Denique is, de quo supra retulimus, domnus Guifredus Ecclesiæ Narbon. archipræsul eximius, et multimodis laudibus efferendus pontificum sibi assistentium chorus, jucundæ celebritatis laudibus perpulchræ salutis divinique consummato fine mysterii, hanc constitutionis dotem eidem ecclesiæ contulerunt, eamque perpetua lege valituram pontificali censura promulgaverunt. In nomine summi et incommutabilis Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ego Guifredus primæ sedis Narbonensis archiepiscopus, et Oliva pontifex Ausonensis, et Berengarius Elenensis, et Guislabertus Barchinonensis, et Eriballus Urgellensis, et Guifredus Carcassonensis, uno animo et indivisa sententia simul omnes hanc dotem corroborationis sanctæ matri ecclesiæ Ausonensi in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli fundatæ et consecratæ concedimus, et confirmamus, et ut irrefragabili juris perpetuitate inconvulsa permaneat sub divini nominis obtestatione, et nostri ordinis auctoritate sancimus. In primis eamdem ecclesiam statuimus esse omnino liberam, nec cujuscunque servitii qualibet exsecutione obnoxiam. Omnes ecclesias, vel universa prædia quantacunque vel ubicunque quorumlibet fidelium dono sibi juste concessa, vel usque in perpetuum juste concedenda libere teneat, et secure possideat, ea videlicet, quæ hactenus habuit, et nunc habet, vel quidquid in omnibus mortalium temporibus habuerit, tertiam partem de redditibus ecclesiarum, vel silvarum, aut de pratis, aut eremis, sive rafigis, vel quos hujus patriæ vulgus tertios absolute vocat, quemadmodum hucusque habuit, vel habere debuit, vel etiam pascuarios undecunque habet, vel habere debet, ut in perpetuum sine quorumlibet impedimento possideat, confirmamus, et ut semper habeat statuimus monetam publicam suæ regionis, et toloneum de marcatis ipsius loci et Minorisæ, ut semper obtineat, omni modo roboramus.

Interdicimus quoque juxta statuta sanctorum canonum, et auctoritatem antiquorum Patrum, ut nullus quorumlibet pontificum intra fines ipsius episcopatus ecclesiam consecrare, vel pœnitentes ejusdem episcopi suscipere, nec ejus clericos ordinare præsumat, nisi forte præsul prænominatæ sedis assensum spontanee præbeat. Nemo prædia ipsius ecclesiæ, ubicunque debita illi noverit, celare audeat, sed mox ubi cognoverit, ad profectum illius confestim manifestare non pigeat. Nullus princeps, nulla quælibet potestas magna vel parva, nec aliquis cujuscunque dignitatis, aut sexus, aut ordinis homo terminos ipsius episcopatus abbreviare præsumat, nec ad damnum præfatæ sedis quolibet modo transferre vel alienare contendat.

Terminus vero totius episcopatus S. Ausonensis Ecclesiæ incipit a finibus Bergitani, et conscendit usque in montem, qui dicitur Eramala, et usque in montem Suroca, et venit usque ad pratum campi Rotundi, vaditque per ipsam Serram, sicut aquæ divertunt per ipsam rupem de Lationc, descenditque A usque in fluvium Teser, et pervenit usque ad plantatios, qui terminus est inter Gerunden et terminos Ausoris, usque in rivum Ausoris; conscendit quoque per ipsam Serram usque in Gerundellam; deinde per ipsam viam, quæ venit ad Bellam pollam, et progreditur usque ad terminos, qui sunt inter Joannet et ipsam Elzetam, et venit in finibus Arbutiæ, et inde descendit usque ad cacumen montis, qui dicitur Sera, et usque ad Calm, quæ dicitur Eramala, et pervenit usque in collem montis Nigri: deinde ad rivum Congusti venit usque ad castellum Bertillis, et usque super rupem S. Genesii, et inde ad montem S. Saturnini, et ad montem Calvum, atque inde protenditur usque ad montem Serratum. Progreditur autem per medios terminos, qui B sunt inter marchiam Barchinonensem et Ausonensem, sicut dividuntur ipsæ marchiæ, et vadit usque castrum, quod dicitur Cherali, et pergit per mediam divisionem ipsarum marchiarum, usque in fluvium Sigorim, similiter ab eo latere, quod superius scriptum est in finibus Bergitani, vadit ipse terminus inter marchiam Ausonensem et marchiam Barchitanensem, sicut dividuntur ipsæ marchiæ, et pergit usque in fluvium Sigorim.

De ipsa quoque terra, vel universis ecclesiis, aut parochiis, vel qualibuscunque prædiis, quæ ad canonicam ejusdem sedis B. Petri apostoli pertinent, videlicet, quod hodie juste possidet, vel abhinc per universa tempora juste possederit, vel acquisierit, per auctoritatem B. Petri apostoli prin- C cipis, et per ordinem nostrum excommunicamus et interdicimus, excepto quantum frater et coepiscopus noster domnus Oliva solverit, ut nullus homo cujuslibet potestatis, aut sexus aut ordinis, aliquid inde audeat tollere, aut alienare, vel ad damnum prædictæ canonicæ quolibet modo transferre, vel commutare. Hoc ipsum vero, quod juris ipsius canonici fore dignoscitur, eo tenore obligamus, ut, quemadmodum supradictum est, quidquid exinde præfatus pontifex Oliva solverit, solutum permaneat, quidquid solvere noluerit, excommunicatum pontificali censura persistat.

Igitur hanc universam nostræ constitutionis dotem superius promulgatam perenni lege valituram censemus; omnemque hominem illam observantem, D et ut stabilis permaneat adjuvantem pro posse benedicimus, et ut diuturnitatem vitæ præsentis et perpetuitatem semper manentis obtineat, præoptamus. Statuimus autem sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictione, ut si quislibet homo cujuscunque potestatis aut ordinis hanc dirumpere vel violare nisus fuerit, aut diruperit, aut violaverit, hic de parte Dei omnipotentis, et B. Petri apostoli omniumque sanctorum, et nostra excommunicatus permaneat, et conventu S. Ecclesiæ, et omnium Christianorum alienus existat, tartareis vinculis innodatus inferorum pœnas æternaliter sentiat; quod si ab incepto desistat, et digna pœnitudine simul et emendatione satisfaciat, ab hac ex-

communicatione solvatur, et hæc nostra constitutio irrefragabilis et inconvulsa perpetualiter habeatur.

Actum est hoc in sede beatorum apostolorum Petri et Pauli secundo Kalendarum Septembrium, an. 8 regni regis Henrici, scriptum manu Ermemiri ejusdem sedis canonici et presbyteri, ad vicem Arnaldi, Olivæ pontificis notarii. Raimbaldus Arelatensis archiepiscopus; Pontius Agnensis archiepiscopus; Guifredus S. Narbonensis Ecclesiæ archiepiscopus, qui hanc ecclesiam nostræ metropolis dedicavi; Oliva episcopus; Guislibertus gratia Dei Barchinonensis episcopus; Eriballus episcopus; Arnallus archipresbyter; Willelmus archidiaconus; A Godebalo de Bisaura; Folco vicecomite; Raimundus comes et marchio; Adalbertus Levita, qui et præpositus; Ermesindis gratia Dei comitissa; Wifredus gratia Dei Carcassonensis præsul; Petrus episcopus; Arnallus episcopus; Berengarius nutu Dei S. Elenensis Ecclesiæ præsul hæc suprascripta confirmo: Bernardus gratia Dei episcopus Coseranensis; Bernardus T.; Gerallus vicecomes; Ermemirus, quamvis indignus, sacerdos, qui in supradicto anno vel die scripsi hæc, quæ superius dicta sunt sub jussu præfatorum pontificum et procerum, et comite Raimundo et sub T

V.

CONCILII NARBONENSIS SYNODICA

Adversus rerum sacrarum invasores, sub OLIVA *Ausonensi præsule.*

WIFREDUS S. primæ sedis Narbonensis archiepiscopus... convenit apud Narbonam synodus, dilectissimis in Christo filiis Bermundo vicecomiti Ausonensi, Gerallo Caprariensi, Bernardo Gurbensi, Wisado Ellemari, Bermundo Foratellensi, Witardo Mauricensi, Mironi Salliforensi, Ugoni Cervulensi, Elorico Aurisensi, Seniofredo Lausianensi, Wifredo Balciazensi, Bernardo Renvirensi, Wilelmo Montaniolensi, Bernardo Tovensi salutem charissimam et benedictionem perpetuam.

Cum in Dei omnipotentis nomine congregati de necessariis rerum causis cunque. . re. . . . remur, surrexit in medio nostrum dilectissimus frater et coepiscopus noster Oliva, narrans qualiter beati apostolorum principis prædia fidelium sibi dono concessa, vobis [illicite] usurpetis, et in vestros, C quod Dei est, usus expendere non formidetis. Quocirca, dilectissimi, nimium miramur quid sit, quod Deo sic sua tollatis, vel quare, quod parum sui est, non illi relinquitis, ut vestri multum possideatis. An qui vobis est pontifex ordinatus, quæ Dei sunt pro debito, sic dispensat, ut in pravæ voluntatis facinoribus illa distrahat? Quomodo autem vos Ecclesiæ piæ matris filios æstimatis, vel debitum ut matri et convenientem honorem impenditis, si exterorum more in partes trahitis quod ab illa violenter aufertis! Videte autem quantum quod agitis ab omni rectitudinis distet tramite, et vos immergat in laqueos injustitiæ, dum, quod sanctissimorum Patrum severissima constat excommunicatione firmissimum, sic deducatis ad nihilum, ut vos talis damnatio, nisi Deus avertat, possideat in æternum. Admonemus igitur vos per Patris, et Filii, et Spiritus sancti sempiternam unamque deitatem, et per beati apostoli Petri, cujus vicem immerito tenemus, B auctoritatem, et vos dirigendi facultatem, et per omnium nostrum nobis ligandi et solvendi a Deo traditam potestatem, ut reminiscentes mali quod facitis, dum Dei justum juste, injuste tenetis, usque ad superventuram S. Joannis Baptistæ primam festivitatem reddatis Deo Ecclesiæque matri quod perdidit, ut Deus vobis vestra custodiat, quæ concessit. Si autem, quod absit, nostram admonitionem parvipenderitis, et increpationem neglexeritis, nos sanctorum Patrum vestigia sequentes, ut illi talia interdixerunt, interdicimus, et per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, nisi nostris dictis credideritis, vos et qui talia vobiscum egerint excommunicamus, et a liminibus sanctæ Ecclesiæ vos extraneos judicamus, et omnes presbyteros vel cujuscunque ordinis clericos, qui vel vobis, vel in ecclesia, in qua vos fueritis, ecclesiasticum officium facere præsumpserint, similiter excommunicamus. Quod autem frater et coepiscopus noster Oliva exinde solverit, hoc nos solvimus, et quod ligaverit, hoc ligamus. Dommam vero Ermesindam comitissam, et filium ejus Berengarium ab omni ista excommunicatione excipimus, simulque illam per Deum et rogamus et commonemus, ut sancto Petro suoque pontifici honorem debitum impendat, nec illum patiatur, in quantum potest, dispendium sustinere justitiæ. Sicut autem eum viderit divinum opus exercere velle pro posse, sic curet illi nocentes potestative corrigere, et omnimodis adjuvare, sciens sibi provenire ad lucrum, si non eum passa fuerit D sui sustinere solatii detrimentum. Guifredus sanctæ primæ Narbonensis Ecclesiæ episcopus. Adalbertus episcopus. Stephanus episcopus Agatensis. Stephanus episcopus.

ANNO DOMINI MXLVIII.

RODULFUS GLABER

CLUNIACENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN RODULFUM GLABRUM.

(*Monum. Germ. hist.*, Script. tom. VII, ex præf. G. Waitz in Rodulfum.)

Sæculis X *et* XI, *quibus in omnibus fere Germaniæ provinciis litteræ valde provectæ erant et præsertim res tam ab antiquis quam a coævis gestæ sæpius et diverso modo memoriæ tradebantur, Gallia vix unum vel alterum protulit scriptorem, qui a caligine qua tota obruta erat provincia emergeret, historiamque sui temporis conscriberet. Post Flodoardum, Richerum et Dudonem, per quinquaginta annos, præter Ademarum Aquitanicum et Odoramnum Senonensem, qui brevissimos tantum nimisque jejunos annales congessit, nullum invenies qui hoc munere functus sit. Denique sæculo* XI *medio monachus quidam Cluniacensis historiam universalem scribendam suscepit, inde a Bedæ et Pauli Diaconi temporibus nihil ejusmodi tentatum esse persuasus. — Rodulfus cognomine Glaber* (1), *in Burgundia ut videtur natus, jam duodecimo anno ab avunculo monacho disciplinæ traditus est monasticæ in cœnobio S. Leodegarii Campellis dicto. Litteras celeriter et non sine fructu didicisse videtur; sed propter animum levem, turbidum et truculentum, ipso teste, a fratribus expulsus est* (2). *Unde ipsum per plura monasteria profectum, modo in S. Benigni Divionensi* (3), *modo in Meleredensi* (4), *in S. Germani Autissiodorensi* (5) *et Besuensi* (6), *denique Cluniaci degisse videmus. Divione Willelmi abbatis celeberrimi familiaritatem adeptus est, quippe quem Christi anno* 1028 *in Italiam comitatus sit* (7) *atque cujus Vitam ipso mortuo conscripserit (quam edimus infra). Ultimis vitæ annis in Cluniacensi monasterio, quod tunc sub Odilone florebat, vixit* (8), *abbati illi conjunctus, cujus jussu fratrumque precibus adductus est, ut Historiam, jam Willelmi auctoritate inceptam* (9), *absolveret* (10). *Res circa et post annum millesimum in quatuor mundi partibus gestas conscribere ipsi propositum fuit, quas initio brevius, postea accuratius exposuit, ita ut usque ad an.* 1044,

(1) Id est *Calvus*; cf. de la Curne de St.-Pelaye in *Mém. de l'Acad. des inscriptions*, VIII, p. 549. Rodulfum verum ejus nomen fuisse Vita Willelmi ostendit, hoc solo inscripta; vide infra.

(2) V, 1: *Nam dum aliquando in beati martyris Leodegarii monasterio quod Campellis cognominatur* (in diœcesi Lingonensi) *positus degerem. . . . Interea confiteri non erubesco, me non solum in peccatis parentum meorum genitum fuisse, verum etiam moribus importunum et actibus intolerabilem plus quam narrari queat exstitisse. Vi etiam cujusdam monachi, mei scilicet avunculi, abstractus a perversissima, quam præ cæteris agebam, sæcularis vitæ vanitate, cum essem ferme duodenis, atque monachili indutus habitu, heu proh dolor! quoniam veste solummodo, non mente mutatus. Quæcunque enim a patribus vel spiritalibus fratribus modesta et sancta charitative mihi suggererentur, truculenti animi inflatione turgidum scutum cordis gerens, dictante superbia, ne salubria me contingerent, opponebam. Dehinc senioribus non obediens, coæqualibus molestus, junioribus onerosus, atque, ut vere fatear, universis mei præsentia gravedo erat, levamen absentia. Præterea his et hujusmodi prædicti loci fratres instigati expulerunt me a contubernio suæ habitationis, tamen scientes non defore mihi locum quempiam commanendi tantum ob litteratoriam notionem.*

(3) Pergit loco laudato: *Post hoc igitur in monasterio sancti Benigni Divionensis martyris locatus*, etc.

(4) Loco laudato: *Tertio quoque cum apud cœnobium beatæ semperque Virginis Mariæ cognomento Meleredense demorarer*, etc. (*Moutiers* in diœc. Antissiodorensi.)

(5) V, 1.

(6) IV, 6: *Cujus socii revertentes nobis quæ diximus retulerunt positis tunc apud Besuæ monasterium.* In Majore Monasterio (*Marmoutier* prope Turonos) ipsum vixisse non putarim. Nam verba V, 1: *Erat siquidem, ut ipsi perspeximus, mos illius cœnobii*, ad Cluniacense spectare videntur. In altero enim codice nonnisi recentiori manu pro: *Cluniense* scriptum est: *Majoris Monasterii.*

(7) IV, 3: *Nam et egomet cum sæpius nominato abbate illuc deveniens intereram.* Impostorem quemdam, qui reliquias finxerat, redarguit.

(8) III, 3: *Num cum ego postmodum in monasterio Cluniacensi cum cæteris fratribus degerem, convenerunt illuc ab Hispaniis quamplures hones æ conversationis jam dudum more viventes propriæ regionis monachi.*

(9) Vita Willelmi c. 27: *Quondam meorum culpis facinorum offensus* (Willelmus), *ut sensi illum ad horam amaricatum, secessi in aliud cœnobium ipsius ditioni minime subditum; dumque illic degerem, adstitisse mihi una nocte visus est aspectu placido, ac manu injecta caput mihi demulcens aiebat: Rogo ne me deseras, si non te amare fingebas; quin potius exercere te cupio quæ promiseras. Ipsius namque imperio maxima jam ex parte eventorum atque prodigiorum quæ circa et infra incarnati Salvatoris annum contigere millesimum descripseram.*

(10) Vide præfationem.

quo narrationem finivit, multa notatu digna congereret. Sed nullo ordine, nullo certo consilio ductus, tempora valde turbavit, plerumque annos aperte falsos etiam in rebus suæ ætati proximis annotavit (11), *multa quæ nullo modo historiam illustrant recepit, præsertim miraculis et rebus prodigiosis enarrandis* (12), *disquisitionibus theologicis et, ut verbo abutar, philosophicis* (13) *exponendis immoratus est. Quæ annum millesimum antecedunt ex fama hausisse videtur. Certe rerum scriptores nullos post Paulum ipsum novisse jam dixi; Vitæ enim S. Germani Antissiodorensis, S. Mauri et Brendani, quas affert* (14), *ad tempora antiquiora spectant; Maioli vero et Willelmi epistolas* (15) *facile aliunde recipere potuit. Postea quoque res sæpius ex vago rumore accepit. Quamvis*

(11) Ultimis annis semper duobus annis a vero recedit, Conradi mortem in an. 1041 (V, 1), Heinrici nuptias in an. 1043 (V, 1) collocans. Ita etiam eclipsis lunæ quam an. 1046 ascribit, jam 1014 accidit, ita ut non ultra hunc annum narratio procedat. Quod non satis perspexit Rivet *Hist. littér.* VII, p. 401.

(12) Quod sibi propositum fuisse ipse dicit loco nota 9 allato.

(13) Cf. quæ initio de quatuor ætatibus cum quatuor elementis, virtutibus et fluviis comparatis dicit, quæ III, 8, contra hæreticos disputat, et alia multa ejusmodi.

(14) II, 8; III, 8; II, 2. In Vita Willelmi c. 15, etiam Gregorii Tur. librum De gloria martyrum et Vitam S. Benigni affert.

(15) I, 4; IV, 1. Cf. aliam Willelmi epist. in Vita, c. 19.

(16) Verbi gratia Terentium III, 9. Et ipse versus narrationi immiscet III, 9; et cum in monasterio S. Germani degeret, *rogatus a conservis et fratribus ejusdem loci, ut altariorum titulos, qui a scholasticis viris compositi olim fuerant, sed, vetustate ut pene cuncta fatiscente, minime comparebant, reformaret,* hoc libenter feci.

(17) II, 3. Vesuvium in Africa collocat. IV, 8, de Germaniæ situ inaudita prorsus refert.

(18) I, 5 (Normanni); II, 3 (Aurelianis); III, 5 (Cluniacum); IV, 8 (Retia et Leutici).

(19) Cf. III, 3; IV, 2 et 3 (quod cap. inscriptum est: *Quod peccatis hominum exigentibus, Domino per-*

A *litteris operam dederit, et non solum scriptores ecclesiasticos, sed etiam poetas Latinos* (16) *legerit, in terrarum tamen situ definiendo* (17), *in urbium populorumque nominibus explicandis* (18) *errores ridiculos commisit. Quibus si addas superstitiosum animum* (19), *sermonis inelegantiam, ne dicam horrorem* (20), *sane non valde auctorem commendandum putes. Verumtamen quæcunque ipse vidit aut a coævis accepit* (21) *fideliter in schedas retulit, animo satis candido et justo* (22) *sæculi genium descripsit, moresque depravatos coloribus viridis pinxit. In historia Gallica multa sunt quæ ex ipsius testimonio pendent: etiam de rebus in Germania et Italia gestis habet quæ alibi frustra quæras.*

B *mittente, a nequam spiritibus aliquando fiant miracula*), V, 1, etc.

(20) Ita sæpissime participio utitur pro tempore finito, sæpe verborum nexum prorsus neglexisse videtur.

(21) Cf., præter locos jam allatos, III, 3; IV, 3, 6; V, 1; etiam III, 6: *nam rei quam dicturi sumus tot testes exstiterunt, quanti in eadem civitate eo tempore vivebant homines;* IV, 4: *ut ipsi postmodum conspeximus;* IV, 6: *Odolricus Aurelianorum præsul illuc pergens quid viderit nobisque narraverit;* V, 3: *referente Widone Remorum archipræsule didicimus.* Quæ de Odilone refert, ipse optime comperta habere potuit; cf. II, 8; IV, 7; V, 1.

(22) Ita falsum reliquiarum cultum perstringit IV, 3), in simoniam non semel invehitur. Cf., præter locos infra editos, etiam II, 6, ibique præsertim verba: *Nam ipsi reges, qui sacræ religionis idonearum decretores personarum esse debuerant, munerum largitione corrupti, potiorem quempiam ad regimen ecclesiarum vel animarum dijudicant, illum videlicet a quo ampliora munera suscipere sperant.* Notanda sunt etiam verba II, 4: *Licet namque pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem apostolicæ sedis cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque orthodoxæ Ecclesiæ pontifex ac sponsus propriæ sedis uniformiter speciem gerit Salvatoris, ita generaliter nulli convenit quippiam in alterius procaciter patrare episcopi diœcesi.*

C

RODULFI GLABRI

CLUNIACENSIS MONACHI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBRI QUINQUE

AB ELECTIONE POTISSIMUM HUGONIS CAPETI IN REGEM AD ANNUM USQUE 1046.

Opus cum vetusto exemplari Thuanæo collatum.

(Duchesne, *Hist. Franc. Script.*, IV, init.)

RODULFI GLABRI PRÆFATIO.

Clarorum virorum illustrissimo Odiloni Cluniacensis cœnobii Patri, Rodulfus Glaber.

Justissima studiosorum fratrum querimonia, interdumque propria sæpius permotus, cur diebus nostri

temporis non quispiam existeret, qui futuris post nos multiplicia hæc quæ videntur fieri tam in Ecclesiis Dei, quam in plebibus, minime abdenda qualicunque styli pernotatione mandaret : præsertim cum, Salvatore teste, usque in ultimam extremi diei horam, sancto Spiritu cooperante, ipse facturus sit in mundo nova cum Patre. Et quoniam in spatio fere ducentorum annorum nemo ista appetens exstitit, id est, post Bedam Britanniæ presbyterum, seu Italiæ Paulum, qui historialiter quidpiam posteris misisset scriptum : quorum uterque historiam propriæ gentis, vel patriæ condidit. Dum videlicet constet tam in orbe Romano, quam in transmarinis seu barbaris provinciis perplura devenisse, quæ si memoriæ commendarentur proficua nimium hominibus forent, atque ad commodandum quibusque cautelæ studium potissimum juvarent. Non secius ergo quæ dicuntur, quin solito multiplicius circa millesimum humanati Christi Salvatoris contigerunt annum. Et idcirco prout valeo vestræ præceptioni ac fraternæ voluntati obedio, primitus duntaxat ostensurus, quanquam salus annorum a mundi origine pernotata secundum Hebræorum historias a Septuaginta interpretum translatione discrepet. Illud tamen certissime commendamus, quod annus incarnati Verbi millesimus secundus ipse sit regni Henrici Saxonum regis primus. Isdem quoque annus Domini millesimus fuit regni Rotberti Francorum regis tertius decimus. Isti igitur duo in nostro citra-marino orbe tunc Christianissimi atque præmaximi habebantur. Quorum primus, videlicet Henricus, Romanum postmodum sumpsit imperium. Idcirco vero illorum memoriale seriei temporum stabilivimus. Præterea quoniam de quatuor mundani orbis partium eventibus relaturi sumus, dignum videtur ut cordi est, qui utique religiosis loquimur, ut vim divinæ et abstractæ quaternitatis, ejusque conformem convenientiam, Domino præeunte, suscepto operi inseramus.

LIBER PRIMUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

I. *De divina quaternitate.*
II. *De Rodulfo rege.*
III. *De Lothario rege.*
IV. *Qui postmodum Romæ imperatores exstiterint.*
V. *De paganorum plagis.*

CAPUT PRIMUM.

De divina quaternitate.

Multiplicibus figuris formisque Deus conditor universorum distinguens ea quæ fecit, ut per ea quæ vident oculi, vel intelligit animus, sublevaret hominem eruditum ad simplicem Deitatis intuitum. In his ergo perscrutandis pernoscendisque primitus claruere Patres Græcorum catholici mediocriter philosophi. Cum enim in plurimis exercitatos haberent sensus perinde in quarumdam quaternitatum speculatione, per quam præsens mundus infimus mundusque futurus datur intelligi supernus. Quaternitates vero earum, quæ in sese reflexus, dum a nobis despertiri immobiliter cœperint, mentes simul atque intellectus se speculantium alacriores reddent. Quatuor igitur sunt Evangelia, quæ constituunt in nostris mentibus supernum mundum. Tot enim constant elementa, quæ perficiunt istum infimum. Quatuor quoque virtutes, quæ cæterarum gerunt principatum, nosque per admirationem sui ad cæteras informant. Pari etiam ratione quatuor sensus existunt corporis præter tactum, qui subtilioribus famulatur cæteris. Quod est ergo æther igneum elementum in mundo sensibili, idem est prudentia in intellectuali. Sursum namque sese erigens, anhelansque desideranter esse circa Deum. Illud quoque quod aer in mundo corporali, idipsum fortitudo in intellectuali, qui cuncta viventia vegetans, et in quemcunque actum promoventia roborat. Simili quippe modo quod gerit aqua in mundo corporali, idem temperantia in intellectuali. Nutrix quippe est bonorum, efferensque copiam virtutum, ac servans fidem per divini amoris desiderium. Conformem quoque terra gerit speciem mundi infimi, justitiæ speciei in intellectuali. Scilicet subsistens atque immobilis collocatio rectæ distributionis. Dignoscitur namque per omnia similis Evangeliorum complexio spiritalis. Evangelium itaque Matthæi terræ mysticam continet figuram, quoniam Christi hominis cæteris apertius demonstrat carnis substantiam. Illud autem secundum Marcum temperantiæ, quæ aquæ speciem gerit, cum ex Joannis baptismate pœnitentiam temperanter indicit. Illud quoque juxta Lucam aerisque et fortitudinis præfert similitudinem, quoniam spatiatim diffusum, plurimisque est historiis roboratum. Illud vero secundum Joannem ignifici ætheris prudentiæ, quodque cæteris constat sublimius, formam signanter exprimit, dum simplicem Dei notitiam et fidem insinuans introducit. Quibus etiam speculativis connexionibus, elementorum scilicet ac virtutum, Evangeliorumque, ille convenienter sociatur, videlicet homo, cujus hæc invisa concessa

sunt obsequio. Namque illius vitæ substantiam Græci philosophi μικρόκοσμον, id est parvum, mundum dixerunt. Visus quippe et auditus, qui intellectum et rationem ministrant, superiori conveniunt ætheri, quod constat subtilius in elementis, quodque quantum cæteris sublimius, eo honestius ac lucidius. Subsequitur vero olfactus, qui aeris et fortitudinis significantiam sorte exprimit. Gustus namque satis convenienter aquæ et temperantiæ parem portendit significantiam. Tactus ergo, qui omnium constat infimus, cæterisque solidius ac stabilius, terræ ac justitiæ congruentissime præfert indicium. Ab his igitur evidentissimis complexibus rerum patenter et pulcherrime silenterque prædicatur Deus, quoniam dum stabili motu in sese vicissim una portendit alteram, suum principale primordium prædicando, a quo processerunt, expetunt, ut in illo iterum quiescant. Constat etiam juxta prædictæ stipulationis condictum mente cauta intueri fluvium, qui manat ex Eden Orientis, partiturque in nominatissimos quatuor amnes. Horum igitur primus, id est Phison, qui *oris aperitio* dicitur, prudentiam signat, quæ semper est in optimis diffusa et utilis. Per inertiam quippe paradisus sublatus est homini ; necesse habet, ut præeunte prudentia repetatur. Secundus Geon, qui *terræ hiatus* intelligitur, temperantiam signat, nutricem utique castitatis, quæ scilicet frondes salubriter exstirpat vitiorum. Tertius quoque Tigris, quem incolunt Assyrii, qui interpretantur *dirigentes*. Per hunc nihilominus signatur fortitudo, quæ scilicet, rejectis prævaricatoriis vitiis, dirigens homines per Dei auxilium ad æterni regni gaudia. Quartus vero Euphrates, cujus etiam nomen *abundantiam* sonat, patenter justitiam designat, quæ pascit ac reficit omnem animam illam desideranter amantem. Cum igitur significantia horum fluminum gerat in se species prædictarum virtutum, pariterque figuram quatuor Evangeliorum, non minus easdem virtutes figuraliter gerunt tempora mundani hujus sæculi divisa per quadrum. A mundi namque initio usque ad ultionem diluvii, in his duntaxat, qui ex simplicis naturæ amando suum cognoverunt Creatorem, bonitate prudentia viguit, ut in Abel, Enoch, Noe, vel in cæteris, qui mentis ratione pollentes, utilia quæ agerent intellexerunt. Ab Abraham vero, et in reliquis patriarchis, qui signis et visionibus fruiti sunt, ut in Isaac, Jacob, Joseph, et in cæteris, temperantia conformata probatur, qui scilicet inter adversa et prospera proprium super omnia dilexerunt auctorem. A Moyse quoque et in reliquis Prophetis, viris videlicet robustissimis, legalium præceptorum institutionibus fultis, fortitudo sancitur, dum laboriosa siquidem legis præcepta sollicite ab eis exercitata monstrantur. Ab adventu denique incarnati Verbi ac deinceps omne sæculum justitia implet regitque, circumdat veluti cæterarum finis ac fundamentum, sicut dixit suo Baptistæ Veritas : *Decet*, inquiens, *nos implere omnem justitiam*.

Dicturi igitur ab anno 900 incarnati creantis ac vivificantis omnia Verbi ad nos usque, qui claruere viri in Romano videlicet orbe insignes catholicæ fidei, cultoresque justitiæ, prout certa relatione comperimus, vel visuri superfuimus ; seu etiam qui rerum eventusque vel plura contigerunt memoranda tam in sacris Ecclesiis, quam in utroque populo primitus ad illud totius quondam orbis imperium principale, scilicet Romanum, convertimus stylum. Cum ergo omnipotentis Christi virtus utique terrarum principes ad suum incurvasset imperium, tanto minus viguit terror Cæsarum, quanto jura illorum veracius comprobantur, plus exstitisse ex timore ferocitatis, quam ex amore piæ humanitatis. Sic denique tota paulatim illorum stirps a præfato imperio dispertita atque evacuata, ut majus indigeret sui dominio urbis Romana, ejusque populus, quam ut olim consueverat promere leges et jura externis patriis ac civibus. Cœperuntque plures ex gentibus, quas prius subdiderat, crebris illam infestationibus vexare, illius nomen etiam imperii præripiendo usurpare nonnulli ex circumjectarum provinciarum regibus. Tunc perinde valentiores et præmaximi reges gentis Francorum Christianitatis justitia pollebant, armorumque industria ac militari robore cæteris excellebant. Quorum videlicet ditioni triumphaliter per plures annos applicatum est totum imperii culmen. Inter quos etiam excellentissime micuerunt, Carolus scilicet, qui dictus est Magnus, nec non et Ludovicus cognomento Pius. Hi denique prudenti consilio et virtute quosque in gyro belliones ita proprio subjugavere dominio, ut quasi una domus famularetur suis imperatoribus orbis Romanus ; potiusque respublica de paterno gratularetur provectu, quam tuta pompatice extolleretur imperatorum metu. Sed quia horum gesta non disposuimus, seu genealogiam historiali more narrare, ad quem tamen finem regnandi vel imperandi illorum genus devenerit, breviter curavimus intimare. Perduravere igitur reges ex eorum prosapia imperatores tam in Italia quam in Galliis, usque ad ultimum regem Carolum Hebetem cognominatum. Is denique habebat unum inter regni sui primates quemdam Heribertum, cujus ex sacro fonte filium susceperat, qui tamen ei calliditate sua certissime suspectus esse potuisset, si non excogitatæ fraudis simultas intervenisset. Cum enim decrevisset idem Heribertus prædictum regem decipere, fingens cujusdam deliberandi occasionem negotii, qualiter illum, ut postmodum fecit, demulcendo in unum castrorum suorum introduceret, ac vinculatum carceri manciparet; tandem vero a quibusdam suggestum est regi, ut cautissime se ageret, ne Heriberti involveretur fraudibus. Dumque ille ex hoc, quod audierat, credulus, cautelam sibi de Heriberto adhibere decrevisset, contigit una die nimis expedite eumdem Heribertum cum suo filio in regis palatium devenire. Surgens itaque rex ei osculum porrexit. Ille vero toto se humilians corpore, osculum regis suscepit. Deinde cum ejus filium osculatus fuisset, stansque juvenis quamvis conscius fraudis,

novus tamen calliditatis, regi minime semet supplicaret : pater cernens, qui propter astabat, valenter alapam collo juvenis intulit. « Seniorem, inquiens, et regem erecto corpore osculaturum non debere suscipere quandoque scito. » Quod intuens rex cunctique qui aderant, abhinc deceptionis fraudisque adversus regem Heribertum expertem crediderunt. Videns quoque regem contra se placatum, nihilominus rogabat attentius ut, ad se veniens, negotium deliberaturus, quod dudum poposcerat. Statim vero rex promisit se, quo vellet, iturum. Designato igitur die, venit rex ubi Heribertus rogaverat, tenuem etiam ducens exercitum, amicitiæ gratia. Qui nimium pompose die primo ab eo susceptus. In secundo autem, quasi ex jussu regis, præcepit idem Heribertus ut universi qui cum rege venerant, ad propria redirent, veluti ipse cum suis obsequio regis sufficeret. Illi quoque audito Heriberto recesserunt, ignorantes quod regem in vinculis reliquissent. Tenuit enim Heribertus vinctum prædictum regem usque in diem mortis suæ. Genuerat præterea idem rex filium nomine Ludovicum, adhuc tamen puerum, qui, ut cognovit quod de patre factum fuerat, arripiens fugam, Oceanum transiit, ibique usque ad annos viriles degit.

CAPUT II.

De Rodulpho rege.

Erat igitur tunc temporis Rodulphus Richardi ducis Burgundiæ filius, aptus videlicet corpore, et intellectu idoneus. Qui etiam uxorem duxerat, Emmam nomine, sensu scilicet atque aspectu insignem, sororem videlicet Magni Hugonis, cujus si quidem militari industria regnum Francorum dirigebatur. Is quoque Hugo cernens regnum rege destitutum, ac sciens regis instaurationem suo pendere arbitrio, misit ad sororem, consulens illam quem potissimum ad regale eligeret culmen, se videlicet suum fratrem, an potius maritum prædictum, scilicet Rodulphum. Illa igitur prudenter, ut fuerat consulta, respondit magis se velle regis mariti genu osculari quam fratris. Audiens autem Hugo gratanter annuit, regnique solium Rodulpho habere concessit. Qui Rodulphus, carens omni prole, solus sui generis regni culmine potitus obiit. Fuit enim hic Hugo filius Roberti Parisiorum comitis, qui videlicet Robertus brevi in tempore rex constitutus, et ab exercitu Saxonum est interfectus. Cujus genus idcirco adnotare distulimus, quia valde in ante reperitur obscurum.

CAPUT III.

De Lothario rege.

Verea totius regni primates elegerun Ludovicum, filium videlicet prædicti regis Caroli, unguentes eum super se regem hæreditario jure regnaturum. Jam enim prædictus Heribertus morte crudeli obierat. Nam cum, divino excruciatus languore, ad vitæ exitum propinquaret, atque a suis tam de salute animæ quam de suæ domus dispositione interrogaretur, omnino nihil aliud respondebat nisi hoc solummodo verbum : « Duodecim fuimus, qui traditionem Caroli jurando consensimus. Hocque plurimum repetens exspiravit. Præterea Ludovicus ex Gerberga, uxore quondam Gisleberti ducis, genuit filium, nomine Lotharium. Qui, confirmatus in regno, ut erat agilis corpore et validus, sensuque integer, tentavit redintegrare regnum ut olim fuerat. Nam partem ipsius regni superiorem, quæ etiam Lotharii regnum cognominatur, Otto rex Saxonum, imo imperator Romanorum, ad suum, id est Saxonum, inclinaverat regnum. Ipsum denique Ottonem, scilicet secundum, filium primi ac maximi videlicet Ottonis, conatus est quondam capere positum in palatio Aquisgranis. Sed quoniam eidem Ottoni clam prænuntiatum a quibusdam est, noctuque cum uxore vix fugæ præsidium petens obtinuit. Tunc denique Otto, congregato exercitu sexaginta millia et eo amplius militum, Franciam ingressus, venit usque Parisios, ibique triduo commoratus; cœpit redire in Saxoniam, rursusque quoque Lotharius, ex omni Francia atque Burgundia militari manu in unum coacta, persecutus est Ottonis exercitum usque in fluvium Mosam, multosque ex ipsis fugientibus in eodem flumine contigit interire. Dehinc vero uterque cessavit, Lothario minus explente quod cupiit. Hic denique genuit filium nomine Ludovicum. Quem, jam adultum juvenem, ut post se regnaret, regem constituit. Cui etiam adduxit ab Aquitanis partibus uxorem, quæ, cernens videlicet juvenem patre minus fore industrium, ut erat ingenio callida, elegit agere divortium, monuitque illum ficte ut simul, de qua advenerat, redirent Provinciam, scilicet jure hæreditario sibi subdituram. Ille quoque, non intelligens mulieris astutiam, ut monitus fuerat, ire paravit. Ad quam dum venissent, relinquens eum mulier, suis adhæsit. Cumque patri nuntiatum fuisset, prosequens filium ad se reduxit. Qui simul deinceps degentes, post aliquot annos absque ulla liberorum ope uterque obiit. In his igitur duobus regale seu imperiale illorum genus regnandi finem accepit.

CAPUT IV.

Qui postmodum Romæ imperatores exstiterint.

Præscriptorum igitur regum genere exinanit, sumpserunt imperium Romanorum reges Saxonum. Quorum scilicet primus Otto Henrici Saxonum regis filius, cujus etiam sororem, nomine Haduidem, duxit uxorem Hugo dux Francorum, cognomento Magnus. Is denique Otto in gloria et vigore imperii non dispar illorum qui ante se imperium rexerant, necnon et in Ecclesiarum atque eleemosynæ expensis valde liberalis exstitit. Hujus quoque imperii tempore, egressi audacter Sarraceni ab Africanis partibus occupavere tutiora Alpium montium loca, ibique aliquandiu morantes vastando regionem in gyro, diverso raptu tempus expleverunt. Contigit ergo eodem tempore ut beatus pater Maiolus, ab Italia rediens, in arctissimis Alpium eos lem Sarracenos obviaret. Qui arripientes abduxerunt illum cum suis omnibus ad remotiora montis, ipso tamen patre gra-

viter in manu vulnerato, dum in ea excepisset ultro ictum jaculi super unum de suis venientis. Dispertitis quoque inter se omnibus quæ illius fuerant, interrogaverunt eum si tantæ ei essent in patria facultates rerum, quibus videlicet se suosque valeret redimere de manibus illorum. Tunc vir Dei, ut erat totius affabilitatis dignitate præcipuus, respondit se in hoc mundo nihil proprium possidere, nec peculiaris rei se fieri possessorem velle; sua tamen ditione non negans plures teneri, qui amplorum fundorum et pecuniarum domini haberentur. Quibus auditis, ipsimet hortabantur illum ut unum e suis mitteret qui suæ suorumque redemptionis pretium illis deferret. Insuper pecuniæ pondus atque numerum ei determinantes indixerunt. Fuit enim mille librarum argenti, ut videlicet singulis libra una in partem proveniret. Misit quoque vir sanctus per unum de suis ad monasterium scilicet, cui præerat, Cluniacense, perparvam epistolam ita se habentem : « Dominis et fratribus Cluniacensibus, frater Maiolus miser et captus. *Torrentes Belial circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* Nunc vero, si placet, pro me et his qui mecum sunt capti redemptionem mittite. » Quæ ut delata est videlicet prædicti monasterii fratribus, exstitit illis pro vita incomparabilis mœror ac luctus, necnon et totius patriæ pertristis nuntius. Distractis quoque ab eisdem fratribus, quæque in omni ejusdem monasterii ornamentorum erant supellectili, præstitutum pii patris quantocius coadunavere pretium.

Sed vir sanctus sæcularis, dum interim a Sarracenis captus teneretur, cujus meriti esset latere non potuit. Nam cum ei hora prandii obtulissent cibos quibus vescebantur, carnes videlicet panemque admodum asperum, et dicerent : « Comede, respondit : Ego vero si esuriero, Domini est me pascere; ex his tamen non comedam, quia non mihi in usu fuerunt. » Cernens enim unus illorum viri Dei reverentiam, pietate ductus, exuens brachia simulque abluens, et clypeum, super quem etiam in conspectu venerabilis Maioli satis mundissime panem confecit. Quem etiam citissime decoquens, ei reverentissime detulit. Ipse quoque suscipiens illum, atque ex more oratione præmissa ex eodem reficiens, Domino gratias egit. Alius quoque Sarracenorum eorumdem, cultro deplanans ligni hastulam, posuit incunctanter pedem super viri Dei codicem, Bibliam videlicet, quam ex more secum semper ferre consueverat. Dumque vir sanctus intuens ingemuisset, aliqui minus feroces ex ipsis, perspicientes, suum increpuerunt comparem, dicentes non debere magnos prophetas sic pro nihilo duci ut illorum dicta pedi substerneret, si quidem Sarraceni Hebræorum, quin potius Christianorum, prophetas legunt, dicentes etiam completum jam esse in quodam suorum, quem illi Mahomed nuncupant, quidquid de universorum Domino Christo sacri vates prædixere. Sed, ad errorem illorum comprobandum, etiam ipsorum genealogiam penes se habent, ad similitudinem videlicet evangelii Matthæi, qui scilicet ab Abraham narrat genealogiæ catalogum usque ad Christum, per Isaac successionem descendens. In cujus videlicet semine universorum promissa atque prædicta est benedictio illorum, inquiens : Ismael genuit Nabaioth, atque deinceps usque in erroneum illorum descendens figmentum, quod scilicet tantum est a veritate alienum quantum a sacra et catholica auctoritate extraneum. Præterea, ut beati Maioli sanctitas claresceret, is qui ejus volumen pede calcaverat, eodem die pro quavis occasione, revera judicio Dei, cæteri furiose irruentes in eum, eumdem ei truncaverunt pedem. Plures vero jam ex ipsis erga eum cœperunnt mitiores ac reverentiores existere. Tandem vero quidam de fratribus illuc expeditius remeantes, data eisdem Sarracenis præsignata pecunia, patrem cum viris tantum qui cum eo capti fuerant, in patriam reduxerunt. Ipsi denique Sarraceni paulo post, in loco qui Fraxinetus dicitur, circumacti ab exercitu Willermi Arelatensis ducis, omnesque in brevi perierunt, ut ne unus quidem rediret in patriam.

Ipso igitur in tempore mortuus est prædictus Otto imperator, suscepitque filius ejus, secundus videlicet Otto, idem imperium, quod satis strenue dum adviveret rexit. Eodem ergo imperante, venerabilis pontifex Adalbertus, ex provincia quæ lingua Sclavorum vocatur Bethem, in civitate Braga regens ecclesiam sancti martyris Vitisclodi, egressus ad gentem Bruscorum, ut eis verbum salutis prædicaret, dumque apud eosdem plurimam egisset prædicationem, multique ex eis converterentur ad fidem Christi, prædixit suis quoniam in eadem regione martyrii coronam esset accepturus; ac ne paverent, eis pariter indicavit, quia præter eum ibidem nemo ex eis erat perimendus. Contigit enim ut die quadam, præcipiente eodem episcopo, quædam profana arbor sita juxta fluvium, cui etiam superstitiose immolabat universum vulgus, videlicet excisa convelleretur, constructoque ac sacrato in eodem loco altari, missarum solemnia per se episcopus ex plebe paravit. Qui, dum in ipsis sacramentis peragendis esset constitutus, ictibus jaculorum ab impiis perfossus, tandemque sacrum solemne peractum, simulque præsentis vitæ imposuit terminum. Denique discipuli ejus, accepto corpore sui domini, illud secum ferentes, in propriam sunt reversi patriam. Cujus etiam meritis usque in præsens largiuntur hominibus plurima beneficia. Sequenti quoque, post multa nobiliter gesta remque publicam decenter dispositam, tempore obiit Otto, relinquens filium Ottonem videlicet tertium, adolescentem tamen fere duodecim annorum. Qui, ut erat juvenculus, acer tamen viribus et ingenio, suscepit jure paterno regimen imperii.

Contigit igitur imperii illius initio ut sedes apostolica urbis Romæ proposito viduaretur pontifice. Ipse vero illico, imperiali usus præcepto, quemdam sui consanguineum, cujusdam ducis filium illo delegit, atque ex more in sede apostolica sublimari

mandavit Quod utique dum sine mora peractum fuisset, pergrandis calamitatis occasio exstitit. Erat enim quidam Crescentius, Romanorum civis prepotens, qui, ut illorum mos est, quantum onerosior pecuniæ, tantum pronior serviens avaritiæ. Hic autem non plane, ut rei probavit eventus, parti favebat Ottonis. Nam ipsum pontificem, quem, ut diximus, ordinari, Otto jusserat, idem Crescentius omni destitutum honore a sede expulit, alterumque procaciter in ejus loco subrogavit. Sed mox ut Otto hoc[f] actum comperit, ira accensus, cum permaximo exercitu Romam properavit. Quod cum cognovisset Crescentius, illum scilicet urbi propinquare, conscendens cum suis turrim quæ sita est extra civitatem trans Tiberim, ob altitudinem sui Intercœlos vocatam, vallavit eam, defensurus pro vita. Tandem cum pervenisset imperator ad urbem, primitus jussit comprehendere illum male securum pontificem, videlicet Crescentii arrogantia constitutum. Comprehensumque, præcepit ejus manus quasi sacrilegas amputari, deinde vero aures abscindi atque oculos expelli [*f.* evelli]. Post hæc denique comperiens Crescentium, ut diximus, turre vallatum, quæ scilicet paulo post illum crudeli erat redditura neci, præcepit eamdem circumdari densa obsidione sui exercitus, ne videlicet Crescentio quoquo modo locus daretur confugii. Interea, jubente imperatore, construuntur in gyro machinæ ex lignis celsarum abietum nimium artificiose compositæ. Cernens quoque Crescentius nullam posse evadendi viam reperire, licet tardius pœnitudinis adinvenit consilium; non tamen ei præstitit miserendi aditum. Quadam igitur die, quibusdam de imperatoris exercitu consentientibus, egrediens latenter Crescentius, de turre scilicet, birro indutus, et operto capite, veniensque improvisus corruit ad imperatoris pedes, oransque se ab imperatoris pietate vitæ servari.

Quem cum respexisset imperator, conversus ad suos, ut erat amaro animo, dixit: « Cur, inquiens, Romanorum principem, imperatorum decretorem, datoremque legum, atque ordinatorem pontificum, intrare sinistis magalia Saxonum? Nunc quoque reducite eum ad thronum suæ sublimitatis, donec ejus honori condignam videlicet præparemus susceptionem. » Qui suscipientes illum, scilicet ut jussum fuerat, illæsum reduxerunt ad turris introitum. Ingressusque nuntiavit secum pariter reclusis quoniam solummodo tantum contingeret illis vivere quandiu ipsa turris tueri valeret ab hostium captione, nec ullam prorsus salutem debere ultra sperare. At imperatoris exercitus a foris urgendo impellens machinas; paulatimque euntes applicatæ sunt turri. Sicque pugnæ inito certamine, dumque alii desuper contendentes intrare, alii prorupere ad ostium turris illudque considentes evellunt, sursumque certatim gradientes, ad turris superiora pervenerunt. Respiciens quoque Crescentius cernit se teneri ab his quos putabat pugnando longius arceri posse. Capto namque ipso ac graviter vulnerato, cæterisque, qui cum illo inventi fuerant, trucidatis, miserunt ad imperatorem quid de eo præciperet. Qui ait: « Per superiora, inquit, propugnacula illum dejicite aperte, ne dicant Romani suum principem nos furatos fuisse. » Quem, ut jussum fuerat, projicientes, deinde post terga boum religatum per paludes viarum plurimum devolventes, ad ultimum vero in conspectu civitatis in trabe excelsa pendere dimiserunt. His denique ita gestis, accersiens imperator Gerbertum videlicet Ravennæ archiepiscopum, constituit illum principalem Romanorum pontificem. Isque Gerbertus e Galliis oriundus exstitit, minorum etiam gerens prosapiam, sed tamen ingenio acerrimus, artiumque liberalium studiis plenissime instructus. Proinde Remorum etiam a rege Francorum Hugone fuerat constitutus pontifex. Sed quoniam, ut diximus, valde erat acer ac providus, intelligens Arnulphum ejusdem urbis archiepiscopum, quo vivente ordinatus fuerat ex consensu ejusdem regis, niti in pristinam reformari sedem, caute iter arripiens ad prædictum devenit Ottonem. Qui satis honorifice ab eodem susceptus; quem etiam statim Ravennæ, inde vero, ut diximus, Romanæ urbis sublimavit pontificem.

Contigit igitur ipso in tempore ut idem imperator, suggerente tam ipso pontifice quam aliis quibusque zelum profectus religionis domus Dei gerentibus, quosque in beati Pauli Ecclesia nomine tenus monachos, cæterum prave degentes, inde expellere deberet; ac alterius instituti, quos videlicet canonicos dicimus, in eodem loco servituros, ut ei suggestum fuerat, substituturus esset. Cumque hoc appeteret implere decretum, apparuit ei noctu per visum beatissimus apostolus Paulus, atque eumdem imperatorem hujusmodi monere curavit. « Si vere, inquiens, zelus divinæ servitutis optimi operis te adurit, vide ne hujus propositi institutum præsumas in monachis immutare expellendis. Non enim omnino expedit cujusque ecclesiastici ordinis quamvis ex parte depravati, proprium unquam abjici seu immutari propositum. In eo namque unusquisque judicandus est ordine, in quo se primitus Deo vovit servire. Reemendari tamen licet corrupto cuique in eadem propriæ vocationis sorte. » Taliter quippe monitus, imperator retulit suis quæ audierat ab Apostolo, curamque agens qualiter eorumdem institutum, scilicet monachorum, quivisset ad melius informare, non expellere a loco vel immutare. Interea minus idoneo usus consilio prædicti Crescentii Joannis in suam uxorem assumens, quam etiam paulo post, ut inconsulte acceperat, divortium agens dimisit. Tandem quoque nitens remeare ad Saxoniam, morte superveniente in Italia obiit. Cernens quoque exercitus, quem secum duxerat, se suo domino destitutum, coegerunt se pariter in unum agmen, ne ab iis quos in Italia presserant trucidarentur, imposito ante se in equo defuncti imperatoris corpore. Sicque in patriam tuti pervenientes in monasterio beatæ semper virginis Mariæ Aquisgranis decenter sepelierunt. Sus-

cepit igitur, post Ottonem videlicet tertium, regnum Saxonum illius consanguineus Henricus, qui, etiam non regni sui [dominus], imperator factus est Romanorum. Sed interim libet ex parte commemorare quibus vicissim cladibus, præscriptorum regum temporibus, tam externis quam intestinis consequenter sit flagellatus orbis Romanus. Constat igitur ab anterioribus illud principale totius orbis imperium fuisse divisum, scilicet ut, quemadmodum universæ Latinitatis Roma gerere deberet principatum, ita Constantinopolis tam Græcorum speciale caput in transmarinis orientis partibus quam cæterorum. Sed dum semel in sese novit dispertiri, postmodum paulatim pars utraque usitatius didicit minui, videlicet donec contingeret illud admodum coarctari præliis, ut foret brevius, et istud appeteret moderari extraneus. Et quoniam magis contingebat tyrannide imperare, quam vel liberali pietate, vel originali propagine, idcirco par erat talium contumaciam cum sibi subditis crebris infestationum plagis atterere.

CAPUT V.

De paganorum plagis.

Denique circa nongentesimum Verbi incarnati annum, egressus ab Hispania rex Sarracenorum Algalif, veniensque cum exercitu maximo in Italiam, scilicet traditurus humanas res cum suis in prædam, cum gladio atque incendio demoliendas. Qui cum venisset, depopulans totam regionem usque Beneventum progressus est. Ex aliquibus tantum civitatibus Italiæ primates, collecto agmine, nisi sunt adversus prædictum Algalif inire pugnam. Sed cum se cernerent exercitu nimium impares, ut sæpius mos est istis modernis Italicis, fugæ potius quam bellum [belli], petiere præsidium. Interea reversi cum suo principe ad Africam Sarraceni, ab illo tempore non destiterunt impugnare regionem Italiæ, quamvis plurimis fuissent præliis lacessiti tam ab imperatoribus quam a patriæ ducibus ac marchionibus, usque ad Altmuzor illorum principem, et prædictum Henricum Romanorum imperatorem. Præscripto igitur tempore, non minor clades in Galliarum populis, Normannorum infestatione, exstitit hostium. Qui videlicet Normanni nomen inde sumpsere, quoniam raptus amore primitus egressi ex aquilonaribus partibus audacter occidentalem petiere plagam. Siquidem lingua illorum propria *Nort* aquilo dicitur, *Mint* quoque populus appellatur. Inde vero Normanni, quasi aquilonaris populus denominantur. Hi denique in primo egressu diutius circa mare Oceanum degentes, brevibus contenti stipendiis, quousque in gentem coaluere non modicam. Postmodum vero telluris ampla et pelagi hostili manu pervagantes, aliquas urbes ac provincias in propriam redegere sortem. In processu quoque temporis ortus est vir quidam in pago Trecassino ex infimo rusticorum genere, Astingus nomine, in vico videlicet qui Tranquillus dicitur, tribus a civitate distans milliaribus. Qui juvenis, valens robore corporis, perversæ tamen indolis, superbiendo abjiciens fortunam paterum parentum, elegit exsul fore dominandi victus cupidine.

Denique clam egrediens ad prædictam Normannorum gentem, illis tantummodo primitus adhæsit qui, assiduo raptui servientes, victum cæteris ministrabant, quos etiam illi communiter *Flottam* vocant. Illoque aliquandiu huic nequam mori inserviente, cœpit pessimis commilitonibus tanto existere diligentior, quanto efficiebatur flagitiosior. Paulatimque robustior cæteris viribus ac rebus effectus, omnes pariter illum constituere terra marique principem. Constitutus autem hujusmodi, ampliore crudelitate assumpta, parvi pendens præteritorum sævitiam, cœpit suum in longinquas gladium dilatare provincias. Postmodum etiam cum universa pene, cui præerat, gente conscendens ad superiores Galliarum partes, quamvis pestifer parens nativum male quærens revisere solum. Qui cum venisset, gladio et igne ultra omnem hostium cladem universa demoliens, nemine repugnante, diutius consumpsit. Tunc quoque domus Ecclesiarum per Gallias universæ, præter quas municipia civitatum vel castrorum servarunt, omnimodis dehonestatæ atque igne succensæ sunt. Universis siquidem peragratis Galliis, opimaque diversarum rerum potitus spolia, ad propria reduxit exercitum. Sicque deinceps tam ab ipso Astingo quam ab ejus successoribus, illius videlicet gentis principibus, in spatio fere centum annorum hujusmodi clades illata est longe lateque populis Galliarum. Hæc quoque, quæ retulimus, per intervalla defunctorum regum seu imperatorum tam in Italia quam in Galliis, priusquam restaurarentur, sæpius contigerunt. Sed cum interea prædictæ gentis exercitus more solito ad Gallias procedere decrevisset, occurrit illis jam longius a solo proprio remotis venerabilis Burgundiæ dux Richardus, pater scilicet regis Rodulphi, ut supra commemoravimus. Initoque cum eis prælio, tanta cæde eosdem prostravit, ut perpauci ex eis fuga lapsi ad propria vix remearent. Et licet posthæc plures insulas ac provincias mari contiguas iidem scilicet Normanni depopulaverint, in partes tamen Francorum regum sorte regendas non deinceps, nisi ab eisdem regibus evocati, conscenderunt. Quin etiam paulo post vicissim scilicet Franci, necnon et Burgundionum plerique, cum prædictis Normannis, catholicæ fidei jam effectis cultoribus, pacifice junxere connubia, atque unius regis regnum pari consensu decrevere dici et esse. Indeque orti duces excellentissimi, Guillermus videlicet, atque post ipsum quique denominati, paterno seu avito jure Richardi. Illorum quippe ducaminis principatus fuit metropolis civitas Rothomagorum.

Cum igitur prædicti duces ultra cæteros viguerint militiæ armis, tum perinde præ cæteris gratia communis pacis ac virtute liberalitatis. Nam omnis provincia quæ illorum ditioni subjici contigerat, ac si unius consanguinitatis domus vel familia, inviolatæ fidei concors degebat. Nempe furi ac prædoni apud

illos comparabatur quicunque hominum, in aliquo negotio, plus justo [sumens], vel falsum quidpiam venundandum mentiens, subtrahebat alteri. Egenorum quoque et pauperum omniumque peregrinorum, tanquam parentes filiorum, curam gerebant assiduam. Dona etiam amplissima sacris Ecclesiis pene in toto orbe mittebant, ita ut etiam ab oriente, scilicet monte denominatissimo Sina, per singulos annos monachi Rothomagum venientes, qui a prædictis principibus plurima redeuntes auri et argenti suis deferrent xenia. Hierosolymam vero ad sepulcrum Salvatoris centum auri libras secundus misit Richardus, ac quosque cupientes illuc devote peragrare donis juvabat immensis. Præterea in successibus prædictorum temporum, exigentibus culpis peccantium hominum, orta est discordia duorum regum, Francorum videlicet ac Saxonum. Quæ scilicet, diutius exardescens, occulto Dei judicio rursus terribile flagellum ingruit populis Galliarum. Denique Hungarorum princeps cum omni ipsius gentis militari exercitu, hujus discordiæ mali occasione, fines Galliarum irrumpens, semel ac bis omnem miserabiliter depopulans regionem, utrumque etiam genus hominum captans, tum rebus humanis abducens, nemine obstante, diripuit. Quæ denique clades tandiu desævit, quousque Deo propitiante utriusque regni principes, Francorum videlicet ac Saxonum, unius fidei ac consanguinitatis vinculo necterentur. Evacuato siquidem priorum regum genere, sedatisque jurgiis, cœpit orbis novorum regum pace sub amica reflorescere, Christique regnum per fontem sacri baptismatis circumquaque tyrannos sibi subjugare. Ipsa denique Hungarorum gens, post tot patrata flagitia, post tot flagella gentibus illata, cum suo rege ad catholicam fidem conversa, quæ prius consueverat crudeliter rapere aliena, libens impertitur pro Christo propria; a quibus etiam jamdudum diripiendo captivabantur, undecunque in miserrima mancipia distrahendi, qui reperiebantur Christiani; ab eisdem quoque foventur nunc ceu fratres vel liberi. Illud nihilominus nimium condecens ac perhonestum videtur, atque ad pacis tutelam optimum decretum, scilicet ut ne quisquam audacter Romani imperii sceptrum præproperus gestare princeps appetat, seu imperator dici aut esse valeat, nisi quem papa sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum reipublicæ, eique commiserit insigne imperiale. Cum videlicet olim ubique terrarum quilibet tyranni, sese procaciter impellentes, sæpissime sint imperatores creati, atque eo minus apti Reipublicæ, quo constat eos tyrannide quam pietatis auctoritate processisse.

Anno igitur Dominicæ incarnationis septingentesimo decimo, licet insigne illud imperiale diversis speciebus prius figuratum fuisset, a venerabili tamen papa Benedicto sedis apostolicæ fieri jussum est admodum intellectuali specie idem insigne. Præcepit fabricari quasi aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretiosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream crucem inseri. Erat autem instar speciei hujus mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumsistere perhibetur, ut dum siquidem illud respiceret princeps terreni imperii, foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo quam ut dignus haberetur vivificæ crucis tueri vexillo. In ipso etiam diversarum gemmarum decoramine, videlicet imperii culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere. Cumque postmodum prædictus papa imperatori, videlicet Henrico hujus rei gratia Romam venienti, obviam cum maxima virorum et sacrorum ordinum multitudine processisset ex more, eique hujusmodi insigne scilicet imperii in conspectu totius Romanæ plebis tradidisset: suscipiens illud hilariter, circumspectoque eo, ut erat vir sagacissimus, dixit: « Optime pater, inquiens ad papam, istud facere decrevisti nostræ portendendo innuens monarchiæ, qualiter sese moderari debuerat, cautius perdocuisti. » Deinde manu gerens illud auri pomum, subjunxit: « Nullis, inquit, melius hoc præsens donum possidere ac cernere congruit quam illis qui, pompis mundi calcatis, crucem expeditius sequuntur Salvatoris. » Qui protinus misit illud ad Cluniacense monasterium Galliarum, quod etiam tunc temporis habebatur religiosissimum cæterorum, cui et alia dona plurima contulerat ornamentorum. Sed et illud nimirum etiam perpendendum quoniam, cum ista quæ retulimus, videlicet de conversionibus perfidarum ad fidem Christi gentium, extrinsecus in aquilonaribus atque occidentalibus orbis partibus persæpe fieri contigerit, nusquam talia in orientalibus atque meridianis ejusdem orbis plagis contingit audiri. Cujus denique veracissimus præsagii index fuit constitutio illa crucis Dominicæ, dum in ea Salvator penderet in loco Calvariæ. Nam cum retro illius verticem suspensi tum fuisset, crudus nimium populis oriens, tunc etiam in ejus oculorum conspectu lumine fidei repleturus constitit Occidens. Sic quoque omnipotentem ipsius dexteram ad misericordiæ opus extensam, sacri verbi fide mitis suscepit septentrio, ejusque lævam gentibus barbarorum tumultuosis sortitur meridies. Sed licet hujus sacri breviter meminerimus portenti, nostræ tamen, id est catholicæ, manet inviolabile subsidium fidei, quoniam in omni loco et gente absque exceptione, quicunque sacro regenerati fonte, credens omnipotentem Patrem ejusque Filium Jesum Christum pariter, et in Spiritum sanctum, unum solumque verum Deum, si quid boni egerit ex fide, Deo acceptum fore, atque omnem qui sic permanserit, perenni vita beate vivere. Hoc quippe soli Deo nosse competit, cur humanum genus majus seu minus propriæ salutis capax efficitur in diversis partibus orbis.

Sed idcirco ista retulimus quoniam usque in fines prædictarum orbis binarum partium, videlicet septentrionalis et occidentalis, Christi Domini deveniens Evangelium illarum populis locavit optimum in sacræ fidei fundamentum; cum videlicet e diverso minus reliquas duas, scilicet

orientalem atque meridianam penetraverit, ac illarum populos cautius in proprii erroris feritate irretitos sciverit. Sed ne boni Conditoris proinde dispensationi contumeliosa a quoquam inferatur in hac parte calumnia, cautius nihilominus prospiciendus est sacer Scriptuarum canon. In quo videlicet canone omnis procul dubio forma invenitur expressa mundani sæculi : ut scilicet ipsius auctoris bonitas pariterque justitia probabiliter demonstrentur, videlicet in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt. Nam sicut primus hominum pater propriæ salutis arbiter a totius boni auctore primitus fuerat constitutus, ita ab eodem Redemptore universis pro captu spontanea generaliter oblata est salus. Sed tamen occulta illius dispensatio, cui semper et simul totum, quidquid esset habet, præsto fuit, ac cui nihil defuit, ostendit spaciatim per incrementa temporum sese omnipotentem solum bonum atque veracem, tam per opera pietatis quam per ultionem vindictæ justæ retributionis. Non enim principalis bonitas aliquando vacat a pietatis opere, quin imo semper aggregat plerosque ex massa filiorum prævaricatoris in sinum filii suæ Deitatis. Dumque id quotidie in mundo agitur, quid aliud quam Omnipotentis bonitas, etiam immobiliter mobilis et mobiliter immobilis, operari monstratur? Atque idcireo quanto præsentis sæculi terminus imminet propius, tanto ista fieri, quæ dicuntur, contigerit frequentius. Suspiciendum etiam quomodo paulatim ab ipso humani generis exordio ipsius auctoris sit manifestata cognitio. Primus igitur hominum Adam etiam cum omni suo genere Deum conditorem suum prædicat, dum per transgressionis præcepti illius culpam privatus paradisi gaudiis, multatusque exsilio, sese miserum clamat lugendo. Sed accepto diffusius per universum orbem terræ incremento, nisi proprii auctoris bonitatis providentia misericordiæ reduxisset ad sinum, totum penitus idem genus humanum in sui erroris atque cæcitatis præcipitium jam olim irrevocabiliter fuisset demersum. Idcirco ab exordio sui, divina boni Conditoris dispensatione, prolata sunt ei prodigiosa rerum miracula, ac portentosa elementorum signa, nec non et sagacissimorum virorum, tam spem quam formidolositatem inculcatura, divinitus oracula. Ac velut idem Conditor per sex dierum intervalla cuncta mundanæ rerum machinæ proferendo perficiens opera, hisque editis requievit, die septima videlicet; ita per sex millia annorum spatia operatus est, pro eruditione hominum exhibendo illis frequentia signanter ostenta. Scilicet ut non, præteritis sæculis, quodquam dimissum est vacans ab his signis tempus miraculorum, æternum Deum prædicantibus, usquequo illud maximum rerum principium apparens homine vestitus in mundo. Sexta duntaxat ætate præsentis sæculi, atque ut putatur, quod sit finis in septima hujus mundanæ molis diversorum laborum, ut ab illo procul dubio, unde cœpit quidquid esse habuit exordium, in eodem competentissimum propriæ quietis inveniat finem.

EXPLICIT LIBER I.

LIBER SECUNDUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. *De electione Hugonis in regem.*
II. *De ceto maris et occidentalium bellis.*
III. *De Conano duce Brittonum, et Fulcone Andegavorum.*
IV. *De monasterio Lucacensi.*
V. *De portento Aurelianæ urbis mirabili.*
VI. *De prælationibus turpis lucri arreptis.*
VII. *De incendiis et mortibus nobilium.*
VIII. *De Henrici ducis morte, et vastatione Burgundiæ.*
IX. *De fame valida et infestatione Sarracenorum.*
X. *De inundatione lapidum.*
XI. *De Leutardo insaniente hæretico.*
XII. *De hærese in Italia reperta.*

CAPUT PRIMUM.

De electione Hugonis in regem.

Sicut quispiam igitur peragrans quamlibet vastissimam orbis mundani plagam, seu spatiosum remigando æquor penetrans, sæpius altitudini montium aut proceritati arborum scilicet respectans, dirigit aciem oculorum, ut videlicet illorum a longe reperta agnitione, absque errore quo disposuerat valeat pervenire. Ita quoque erga nos fore contingit, qui utique, dum cupimus præterita ostendere futuris, obtutus nostri sermonis pariterque animi frequenter in relatione porrigimus magnatorum virorum personis, quibus videlicet fiat ipsa relatio clarior, et appareat certior. Igitur finito, ut diximus, tam regnandi quam imperandi apud Italiam et Gallias, magnorum regum genere, videlicet Ludovici, nec non et Caroli, ac sui generis cæterorum Regum, protinus in unius consanguinatis viros utriusque regni contigit devenire monarchiam. Nam qualiter primus et secundus nec non et tertius Otto sint potiti Romanorum imperio, scilicet usque ad Henrici imperium, superius nos jam digessisse meminimus. Nunc quoque restat, ut quemadmodum abhinc Francorum sit regnum dispositum refera-

mus. Mortuis igitur Lothario ac Ludovico regibus, totius Franciæ regni dispositio incubuit Hugoni Parisiensis ducis filio, videlicet illius Magni Hugonis supra memorati, cujus etiam frater erat nobilissimus Burgundiæ dux Henricus. Qui simul cum totius regni primatibus convenienter prædictum Hugonem in regem ungi fecerunt. Erant ergo, ut jam commemoravimus, affinitate consanguinitatis regibus Saxonum uniti, a primo scilicet Ottone, qui natus est ex Hugonis Magni sorore (23). Suscepto igitur Hugo regimine regni Francorum, non multo post plerosque suorum, quos etiam prius in universis habuerat subditos, persensit contumaces. Tamen, ut erat corpore et mente vividus, cunctos sibi rebellantes paulatim compescuit. Habebat enim filium admodum prudentem, nomine Robertum, artium etiam litterarum studiis plurimum eruditum. Cumque se cognovisset jam aliquantulum viribus defici, congregatis in Aureliana urbe regia quibusque Francorum ac Burgundionum regni primoribus, eumdem Robertum, filium videlicet suum, anno scilicet tertio decimo ante millesimum incarnati Salvatoris, adhuc se superstite, regem constituit. Post aliquot vero annos idem etiam rex Hugo in pace, regno deposito, feliciter obiit. Erat namque Robertus rex tunc juvenis, ut diximus, prudens atque eruditus, dulcisque eloquio ac pietate insignis. Sed, divina providente clementia, hujusmodi virum ad Catholicæ plebis regimen omnium Dominus illo præcipue in tempore dignatus est destinare. Nam diebus regni ipsius, elementorum etiam signis præeuntibus, non modicæ clades, incubuere Christi Ecclesiæ : quibus nisi idem rex sapienter, Deo se juvante, restitisset, sæviendo multipliciter in longinquum processissent.

CAPUT II.

De cetu maris, et occidentalium bellis.

Anno igitur quarto de suprascripto millesimo, visa est cetus miræ magnitudinis descendisse per mare, in loco qui Bernovallis nuncupatur. Egrediens scilicet a septentrionali plaga in occidentalem. Apparuit quoque mense Novembri mane prima diei aurora, ad instar insulæ, ac transeundo perdurans usque in horam diei tertiam, maximum etiam stuporem admirationemque se cernentibus contulit. Sed et ne alicui forte sit dubium quod narratur, quamvis a multis visum fuit, tamen huic simile monstrum a plerisque invenitur descriptum. Denique legitur in gestis egregii confessoris Bendani, orientalium videlicet Anglorum, quoniam idem vir Dei scilicet Bendanus cum pluribus monachis per marinas insulas per aliquod temporis spatium eremiticam transegisset vitam, hanc vel huic similem quondam obviam haberet belluam. Nam cum remigando quasque in mari constitutas circumiret insulas, superveniente noctis crepusculo, cernens procul velut maritimam insulam, ad quam etiam divertens cum omnibus qui secum erant, supervenientem duntaxat exacturus noctem. Cumque ibi ventum fuisset, exeuntes de scaphis, conscendentesque turgentem belluæ dorsum, unius tantummodo ibidem hospitio noctis potituri. Cumque post brevem cœnam cæteri fratres fessa indulsissent membra quieti, solus vir Domini Bendanus pervigil custos Dominici ovilis, ac magis assiduus quam frequens psalmicen, explorabat cautius vim ventorum et siderum cursus. Qui dum hoc attentius per noctis conticinium ageret, repente intellexit quoniam illud promontorium, ad quod scilicet hospitaturi diverterant, ad orientalem illos eveheret plagam. Luce quoque alterius diei reddita, solertissimus vir convocans collegas videlicet suos, qui aderant, blande exhortans ac consolans eos, inquiens : « Universorum conditori et gubernatori Deo, fratres benignissimi, indefessas referamus gratias, qui sua nobis in his marinis fluctibus providentia præparavit vehiculum non egens humano remigio. » Quibus a viro Dei socii auditis, mentis stupore adacti, divinæ protinus sese providentiæ committentes, ac viri sancti innitentes prudentiæ, cœperunt securiores eventum præstolari rei fortuitæ. Hujusmodi ergo per spatia plurimorum dierum, nisi evectione, semper tamen semet conspiciebant ad solis ortum tendere. Tandem vero perventum est ad insulam cæterarum speciosissimam atque omni amœnitate gratiosissimam. Illius quoque arborum habitudo atque avium dissimilitudinem gerit universorum. Egressus quoque vir sæcularis accedens ad eam, reperit etiam ibi monachorum vel potius anachoretarum collectas miras ac multiplices, quorum scilicet vita et conversatio universorum mortalium studiis sanctior atque nobilior enitebat. A quibus etiam magna cum charitate suscepti pluribus diebus ibidem commanentes, de multis quæ ad veram pertinent diligenter salutem instructi, postmodum et ad nativum revertentes solum, universa quæ compererant patriæ redditi narraverunt. Præterea viso, ut dicere cœpimus, Oceani portento, exorsus est bellicus tumultus in universa occidentali orbis plaga, videlicet tam in regionibus Galliarum quam in transmarinis Oceani insulis, Anglorum videlicet atque Brittonum nec non et Scotorum. Siquidem, ut plerumque solet contingere, propter delicta infimi populi versi in dissensionem illorum reges ac cæteri principes, statimque exardescentes in subjectæ plebis depopulationem scilicet, usque dum perducuntur ad suimet sanguinis effusionem. Quod videlicet tandiu patratum est in prædictis insulis, quousque unus regum earumdem vi solus potiretur regiminis cæterarum. Denique mortuo rege Adalrado, in regno scilicet illorum qui Danimarches cognominantur, qui etiam duxerat uxorem sororem Ricardi Rothomagorum ducis, invasit regnum illius rex videlicet Canuc occidentalium Anglorum, qui etiam, post crebra bellorum molimina ac patriæ depopulationes, pactum cum Ricardo stabiliens, ejusque germanam Adalradi videlicet uxorem in matrimo-

(23) Imo Hugonis M. uxor fuit soror Ottonis I.

nium ducens, utriusque regni tenuit monarchiam. Post hæc quoque idem Canuc cum plurimo exercitu egressus, ut subjugaret sibi gentem Scotorum, quorum videlicet rex Melculo vocabatur, viribus et armis validus, et, quod potissimum erat, fide atque opere Christianissimus. Ut autem cognovit quoniam Canuc audacter illius quæreret invadere regnum, congregans omnem suæ gentis exercitum, potenter ei, ne valeret, restitit. Ac din multumque talibus procaciter Canuc inserviens jurgiis, ad postremum tantum prædicti Ricardi Rothomagorum ducis, ejusque sororis persuasionibus, pro Dei amore omni prorsus deposita feritate, mitis effectus, in pace degit. Insuper et Scotorum regem amicitiæ gratia diligens, illiusque filium de sacro baptismatis fonte excepit. Cœpit ergo ex illo fieri ut, si qua hostilis necessitas Rothomagorum duci incumberet, a transmarinis insulis in suum auxilium exercitum sumeret copiosum. Sicque diutius gens Nortmannorum scilicet ac prædictarum populi insularum tuti pace fidissima, ut ipsi potius formidine suæ potentiæ plerosque exterarum provinciarum terrerent populos, quam ipsi ab aliis terrerentur. Nec mirum quippe quoniam a quibus bonorum exstirpatrix Dei timore expulsa fuerat discordia, in eisdem pace prævia Christi nobile regnum felix obtinuit tripudium.

CAPUT III.

De Conano duce Brittonum, et Fulcone Andegavorum.

Præscriptorum igitur dierum tempore, nihilominus in infimis Galliarum partibus intestinorum bellorum desævit tumultus. Narrant siquidem plerique disputantes de mundani orbis positione, quod situs regionis Galliæ quadra dimetiatur locatione. Licet ergo a Riphæis montibus usque Hispaniarum terminos, in lævo habens Oceanum mare, in dextro vero passim juga Alpium, propria excedat longitudine mensuram rationis quadriformæ. Cujus etiam inferius finitimum ac perinde vilissimum cornu Galliæ nuncupatur. Est enim illius metropolis civitas Rhedonum. Inhabitatur quoque diutius a gente Brittonum, quorum solæ divitiæ primitus fuere libertas fisci publici et lactis copia. Qui omni prorsus urbanitate vacui, suntque illis mores inculti ac levis ira et stulta garrulitas. Horum scilicet Brittonum aliquando princeps exstitit quidam, Conanus nomine, qui etiam, accepta in matrimonio Fulconis Andegavorum comitis sorore, ac demum insolentior cæteris suæ gentis principibus cœpit existere. Nam more regio imposito sibi diademate, in sui anguli popello plurimam inconsulte exercuit tyrannidem. Postmodum vero inter ipsum Conanum et prædictum Fulconem, Andegavorum videlicet comitem, exortum est indissolubile jurgium, ita ut, crebris suorum invicem depopulationibus ac sanguineis effusionibus lacessiti, ad ultimum quoque, quanquam civile, tamen ineluctabile, inirent cominus prælium. Cum igitur diu multumque vicissim sibi mala quæ poterant irrogassent, ab utroque decretum est ut in loco qui Concretus dicitur, quisque illorum, cum suo exercitu die constituto advenientes, prælii certamen inirent. Sed Brittonum exercitus excogitata fraudis decipula, partem Fulconis exercitus nequiter prostraverunt. In prædicto denique loco, scilicet ubi certamen incundum fuerat, clam prævenientes populi Brittonum, ibi nimium astute profundum atque perlongum fodere vallum, ramisque arborum densatim superinsertis, imposita videlicet hostibus muscipula, recesserunt. Die igitur constituto juxta condictum, dum illuc uterque cum suo exercitu adveniret, atque acies utraque jam in procinctu videretur, informata gens Brittonum callida fraudisque propriæ conscia, simulans se velle arripere fugam, scilicet ut avidius demergeret hostem in latentem muscipulam. Quod cernens Fulconis exercitus, cupiens expedite super eos irruere, corruit pars ex eis non modica in foveam, videlicet Brittonum astu patratam. Illico autem Brittones conversi qui prius fugam simulaverant, inhianterque super Fulconis exercitum irruentes, asperrima quamplures ex eis cæde prostraverunt, ipsum etiam Fulconem pulsum de equo in terram loricatum dejecerunt. Qui exsurgens nimio accensus furore, dictis relevans exacuensque suorum animos, ac velut turbo vehementissimus per densas segetes impellentes, omnem exercitum Brittonum crudeli nimium cæde mactaverunt. Deletoque pene universo exercitu Brittonum, ipsum etiam Conanum illorum principem truncatum dextera vivum capientes Fulconi reddiderunt. Qui potita victoria, reversus ad propria : non illi postmodum quispiam Brittonum molestus exstitit.

CAPUT IV.

De monasterio Lucacense.

De eodem igitur Fulcone perplura dici potuissent ipsius gestorum, quæ scilicet, fastidium vitantes, siluimus. Unum tamen restat memorabile, quod impræsentiarum relaturi sumus. Cum enim circumquaque in diversis præliorum eventibus, plurimum humanum fudisset sanguinem, metu gehennæ territus, sepulcrum Salvatoris Hierosolymorum adiit. Indeque, ut erat audacissimus, admodum exsultanter rediens, aliquantulum ad tempus a propria feritate est lenior redditus. Tunc ergo mente concepit ut in optimo fundorum proprii juris loco ecclesiam construeret, ibidemque monachorum cœtum coadunaret, qui videlicet die noctuque pro illius animæ redemptione intervenirent. Qui etiam (ut semper curiose agebat) cœpit quosque percunctari religiosos, in quorum potissimum memoria sanctorum eamdem ecclesiam fundare deberet, qui videlicet pro ejus remedio animæ omnipotentem Dominum orarent. Cui inter cæteros a propria etiam uxore, quæ valde sano pollebat consilio, suggestum est ut in honore ac memoria illarum cœlestium virtutum, quas cherubim et seraphim sublimiores sacra testatur auctoritas, votum quod voverat expleret. Qui libentissime annuens ædificavit ecclesiam admodum pulcherrimam, in pago scilicet Turonico, milliario interposito a

Lucacense castro. Expleto denique quantocius basilicæ opere, protinus misit ad Hugonem Turonorum archipræsulem, in cujus scilicet constituta erat diœcesi, ut illam sacraturus, quemadmodum decreverat, adveniret. Qui venire distulit, dicens se minime posse illius votum dicando Domino committere, qui videlicet matri Ecclesiæ sedis sibi commissæ prædia et mancipia subripuerat non pauca. Hocque potius illi videbatur competere, ut primitus, si quid injuste diripuerat, alicui restitueret, sicque deinceps justo judici Deo propria, quæ voverat, offerre deberet. Cumque igitur ista Fulconi a suis perlata fuissent, diutina feritate resumpta, nimium indigne ferens episcopi responsa : insuper comminatus illum valde, ac sublimius inde quod valuit adegit consilium. Mox denique, copiosa argenti et auri assumpta pecunia, Romam pergens, ac Joanni papæ causam suæ profectionis exposuit. Ac deinde poscens quod ab illo optaverat, plurima ei munerum dona obtulit. Qui protinus misit cum eodem Fulcone ad prædictam basilicam sacrandam unum ex illis quos in beati Petri apostolorum principis Ecclesia cardinales vocant, nomine Petrum, cui etiam præcepit, veluti Romani pontificis auctoritate assumpta, quidquid agendum Fulconi videbatur, intrepidus expleret. Quod utique audientes Galliarum quique præsules præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate processisse, dum videlicet unus rapiens, alter raptum suscipiens, recens in Romana Ecclesia schisma creavissent. Universi etiam pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur ut is qui apostolicam regebat sedem, apostolicum primitus ac canonicum transgrediebatur tenorem. Cum insuper multiplici sit antiquitus auctoritate roboratum, ut non quispiam episcoporum in alterius diœcesi istud præsumat exercere, nisi præsule, cujus fuerit, compellente seu permittente. Igitur die quadam mensis Maii congregata est innumerabilis populi multitudo ad dedicationem scilicet prædictæ ecclesiæ. Ex quibus multo etiam plures illuc Fulconis terror, ob suæ elationis pompam, convenire compulit. Episcopi tantum, qui ejus ditione premebantur, coacti interfuere. Cœpta igitur die constituto satis pompatice hujusmodi dedicatione atque peracta, missarumque ex more solemniis celebratis, postmodm quique ad propria rediere. Denique imminente ipsius diei hora nona, cum flabris lenibus serenum undique consisteret cœlum, repente supervenit a plaga australi vehementissimus turbo, ipsam impellens ecclesiam, ac replens eam turbido aere, diu multumque concutiens. Deinde vero solutis laquearibus, universæ ejusdem ecclesiæ trabes, simulque tota teges, per pignam templi ejusdem occidentalem in terram corruentes, eversum ierunt. Quod cum multi per regionem factum comperissent, nulli venit in dubium quoniam insolens præsumptionis audacia irritum constituisset votum. Simulque præsentibus ac futuris quibusque, ne huic simile agere!, evidens indicium fuit. Licet namque pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem apostolicæ sedis cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque orthodoxæ Ecclesiæ pontifex ac sponsus propriæ sedis uniformiter speciem gerit Salvatoris, ita generaliter nulli convenit quidpiam in alterius procaciter patrare episcopi diœcesi.

CAPUT V.

De portento Aurelianæ urbis mirabili.

Anno igitur incarnati Verbi octingentesimo octogesimo octavo contigit in urbe Aureliana Galliarum admodum memorabile atque formidolosum portentum. Constat ergo in eadem urbe monasterium in honorem apostolorum principis antiquitus constitutum, in quo primitus collegium sanctimonialium virginum omnipotenti Deo deservisse dignoscitur. Quod etiam exinde cognomento Puellare dicitur. In cujus denique monasterii medio defixum stabat crucis vexillum, præferens ipsius Salvatoris, pro salute humana mortem patientis, imaginem. A cujus scilicet imaginis oculis per aliquot dierum spatium continue, multis cernentibus, rivus emanavit lacrymarum. Ad quod nimirum terribile spectaculum inspiciendum multitudo maxima convenit hominum. Plerique tamen, cum illud cernerent, admodum animadvertentes quoddam esse divinitatis præsagium, videlicet illius urbis superventuræ calamitatis. Quemadmodum enim idem per se Salvator præsciens imminere urbis detrimentum Hierosolymitanæ, flevisse illam perhibetur, sic denique et hanc videlicet Aurelianam paulo post imminentem cladem passuram per expressam suæ imaginis figuram flevisse comprobatur. Contigit ergo post paululum in eadem civitate inauditæ rei, idipsum, ut putatur, portendens eventus. Denique cum una noctium custodes, videlicet majoris ecclesiæ, videlicet episcopii, ex more exsurrexissent, atque ipsius ecclesiæ portas quibusque ad matutinales laudes properantibus aperuissent, subito lupus affuit, ecclesiamque ingressus, ac funem signi ore arripiens, agitansque illud, insonuit. Cernentes nimirum qui aderant, mentis stupore concussi, tandem clamore emisso, ac si inermes nisu quo valuere illum exturbantes ab ecclesia expulerunt. Sequenti vero anno tota illius civitatis humana habitatio cum domibus ecclesiarum terribiliter igne cremata est. Unde etiam nulli venit in dubium, quoniam unius cladis eventum utriusque rei præcessisset portentum. Erat igitur tunc temporis prædictæ civitatis pontifex venerabilis Arnulfus, qui videlicet genere et doctrina sapientiæ pernobilis ac paternorum fundorum reditibus locupletissimus, cernens excidium scilicet propriæ sedis, desolationemque sibi commissæ plebis, potiore usus consilio, magnum colligens apparatum, cœpit domum majoris ecclesiæ, quæ olim dicata fuerat in crucis Christi honore, jugiter a fundamentis reædificare. Qui dum acerrime cœpto operi cum suis omnibus intenderet, ut scilicet quantocius honestis-

sime consummaret, nimium evidenter præstitum est illi divinitus juvamen. Contigit igitur quadam die, dum cæmentarii, fundamenta basilicæ locaturi, soliditatem perscrutarentur ipsius telluris, ut reperirent copiosa auri pondera, quæ scilicet ad totius, quamvis magnæ, basilicæ fabricam reformandam certissime crederentur sufficere. Suscipientes ergo qui fortuito casu invenerant aurum, ex integro episcopo detulerunt. Ipse vero, omnipotenti Deo pro collato sibi munere gratias agens, ac suscipiens illud, custodibus operis tradidit, totumque fideliter in opus ejusdem ecclesiæ expendi jussit. Fertur namque quod etiam illud aurum solertia beati Evurtii, antiqui ejusdem sedis præsulis, ibidem hujus restaurationis gratia fuisset reconditum. Idcirco permaxime, quoniam, dum isdem vir sanctus quondam, potiorem quam fuerat primitus, eamdem informaret ecclesiam, contigit illi huic simile munus divinitus sibi reservatum inibi reperire. Sicque præterea factum est ut et domus ecclesiæ, videlicet sedis pontificalis, priore elegantior reformaretur. Ipsoque suadente pontifice, cæterarum, quæ in eadem civitate deperierant, basilicarum sanctorum quorumcunque meritis dicatarum ædes anterioribus potiores constituerentur, atque divinorum operum cultus in eisdem excellentior haberetur præ omnibus. Ipsaque urbs paulo post referta donorum ædificiis, plebs tandem illius mitigata a flagitiis Domini pietate subventa, tantoque citius convaluit, quanto sagacius propriam calamitatem excepit ob correptionis ultionem. Fuit namque prædicta civitas antiquitus, ut est impræsentiarum, regum Francorum principalis sedes regia, scilicet pro sui pulchritudine ac populari frequentia, nec non et telluris ubertate, perspicuique irrigatione fluminis. Ex Ligere quippe sibi congruo etiam flumine agnomen habet inditum, diciturque *Aureliana*, quasi *ore Ligeriana :* eo videlicet quod in ore ejusdem fluminis ripa sit constituta. Non, ut quidam minus cauti existimant, ab Aureliano Augusto, quasi eam ipse ædificaverit, sic vocatam; quin potius ab amne, ut diximus, quod rectius veriusque illi congruit.

CAPUT VI.

De prælationibus turpis lucri arreptis.

Sacro igitur præmonente eloquio, luce clarius compertum habetur quoniam in processu novissimorum dierum, frigescente in hominibus charitate ac superabundante iniquitate, instabant periculosa animarum tempora. Nam et muliplicibus antiquorum Patrum intimatur assertionibus quod, grassante avaritia, præteritarum jura vel ordines religionum ex eo unde consurgere debuere ad incrementi profectum, exinde sumpsere corruptionis defectum. Illudque aliquibus versum est in animarum detrimentum, quod quibusdam eo legitime utentibus fuit emolumentum. Siquidem, ut diximus, turpis lucri avaritia imperante, suffocatur sæpissime censura justitiæ. Cum enim in diversarum gentium ac provinciarum cultibus istud habeatur probabile, evidentius tamen in Israeliticæ plebis levitis et sacerdotibus. Qui scilicet quanto dudum cæteris opulentiores, eo amplius plerique illorum superba cupiditate insolentiores; idcirco etiam ad ultimum omnibus effecti deteriores. Sed multum distant legis veteris instituta, multiplicibus figurarum ænigmatibus vestita, a novæ gratiæ perspicuis ac spiritalibus sacramentorum donis. Ibi namque munera solummodo conferebantur terrenarum hostiarum : in his ipse Deus accipitur in præmium. Ibique nihilominus totum promerebatur quisque ex servitutis actione; hic vero quisque dignus habetur duntaxat ex sincera optimæ conscientiæ voluntate. Atque idcirco ista præmisimus, quoniam jamdudum, muneribus ineptis excæcatis pene universis principibus, desævit hæc pestis longe lateque in Ecclesiarum quibusque prælatis toto terrarum orbe diffusis. Denique omnipotentis Christi Domini gratuitum ac venerabile donum, ad propriæ damnationis cumulum, converterunt in avaritiæ lucrum. Ideoque hujusmodi videlicet prælati tanto minus ad divinum peragendum opus inveniuntur idonei, quanto constat quia non ad illud accesserunt per aditum principalis ostii. Et licet adversus talium personarum procacitatem multipliciter clamet sacrarum Scripturarum canon, nunc tamen solito multiplicius comperitur fieri in diversis Ecclesiarum ordinibus. Nam ipsi reges, qui sacræ religionis idonearum decretores personarum esse debuerant, munerum largitione corrupti, potiorem quempiam ad regimen Ecclesiarum vel animarum dijudicant, illum videlicet, a quo ampliora munera suscipere sperant. Atque idcirco permaxime quique procaces ac turgore superbiæ inflati, sese ultro cuique prælationi ingerunt, minus formidantes incurrere lapsum neglectæ pastoralis curæ, quoniam tota solummodo illorum pendet fiducia ex oculis collectæ pecuniæ, non ex perceptæ donis sapientiæ. Tantoque amplius adepto regimine student avaritiæ, quanto constat propriam ex illa ambitionem implesse. Ac, velut idolo sibi pro Deo constituto, illi serviunt, per quam scilicet informati, ad tale nomen absque merito vel opere proruperunt. Fitque minus cautis deceptoria imitandi forma, ac perinde vicissim contumax invidentia. Quippe quoniam quidquid in talibus aliter æmulando colligit, videtur alteri invidendo sibi subripi; atque, ut invidorum semper mos est, alienis felicitatibus indesinenter appetunt torqueri. Hinc etiam procedunt litigiorum tumultus assidui, oriunturque frequentia scandala, ac diversorum transgrediendo convellitur tenor ordinum. Sic etiam contigit ut, dum irreligiositas grassatur in clero, procacitatis et incontinentiæ appetitus succrescat in populo. Deinde vero mendaciorum circumvenientiæ, fraudes atque homicidia universos pene in interitum subripiendo pertrahunt. Et quoniam catholicæ fidei oculum, videlicet Ecclesiæ prælatos, pessimæ cæcitatis caligo obrepsit, idcirco plebs illius, propriæ salutis viam ignorans, in suæ perditionis ruinam decidit. Jure etiam conti-

git ut ipsi scilicet prælati ab eisdem quos subjectos habere debuere, affligantur, atque contumaces sentiant illos quos utique suo exemplo a justitiæ itinere fecere devios. Nec mirum præterea si, in aliquibus angustiis constituti, minus dum clamant exaudiuntur, quoniam ipsi sibimet per avaritiæ cumulum clausere misericordiæ ostium, cum certissimum nihilominus habeatur pro hujusmodi vicissitudine flagitii sæpissime imminere communem cladem populis et animantibus cunctis, nec non etiam plurimam pestem frugibus videlicet ex intemperie aeris. Sic quippe fieri contigit, ut hi scilicet qui omnipotentis Dei gregi sibi commisso ferre debuerant salvationis adminiculum, opponerent eidem consueti beneficii obstaculum. Quandocunque enim defuit religiositas pontificum, ac marcessit districtio regularis abbatum, simulque monasterialis disciplinæ vigor tepescit, ac per illorum exempla cætera plebs mandatorum Dei prævaricatrix existit; quid aliud quam totum simul humanum genus rursus in antiquum præcipitii chaos suæ perditionis spontanea voluntate illabitur? Ex ejusmodi rei procul dubio eventu, dudum ille antiquus Leviathan fiduciam conceperat, quod inundatio Jordanis fluvii os illaberetur illius, ut videlicet baptizatorum multitudo, per avaritiæ appetitum viam veritatis deserens, demergeretur in interitum. Et quia, ut ex auctoritate apostolica completum dignoscitur, frigescente scilicet charitate, ac superabundante iniquitate, in hominibus utique semet plus justo amantibus, solito crebrius ista, quæ retulimus, circa millesimum post nati Salvatoris Domini annum universis mundi partibus contigerunt.

CAPUT VII.

De incendiis et mortibus nobilium.

Septimo igitur de supradicto millesimo anno Vesevus mons, qui et Vulcani olla dicitur, solito multipliciore hiatu evomens igne permistam sulphureo grandium saxorum multitudinem, qui usque in tertium rotabantur milliarium. Sicque suo halatu putido circa se inhabitabilem cœpit facere provinciam. Sed neque hoc puto silentio præterire, cur istud in sola Africana contingat regione. Primum denique ob telluris vacuitatem ex nimio ardore solis; et quoniam illuc incumbit devexum ab Oriente Oceanum mare, immensos undarum erigendo in sese recolligit vortices, quibus videlicet percussus reconditur aer telluris in gremio. Deinde vero, cum igniflua vaporatione, quo valet, eructuat ad supera. Si quidem aer sicut ex ordinali constitutione penetrat supera, sic ex ejusdem ambigua natura, humoris scilicet atque caloris, sæpius exagitatus exprimit in aridis ignem, aut in humidis glaciem. Contigit interea pene universas Italiæ et Galliæ civitates ignium incendiis devastari, ipsamque urbem Romanam ex parte maxima igne cremari. Quod dum fieret, beati Petri Ecclesiæ ligna idem ignis arripuit, cœpitque sub æreo tabulatu consumendo lambere ligna. Quod cernens universa hominum multitudo quæ aderat, nullam omnino compescendæ cladis artem reperiens, conversi unanimes voce clamantes terribili, ad ipsius apostolorum principis cucurrere confessionem, eum imprecantes, si non pervigil propriæ foret ad præsens defensor Ecclesiæ, multos in orbe terrarum a suæ fidei professione decedere. Statim vero vorax flamma, abietinas deserens trabes disparuit. Per idem tempus obierunt in Italia et in Galliis, qui præcipui erant pontifices et duces, nec non et comites. Primitus quoque papa Joannes, deinde Hugo marchionum optimus. Post hæc vero per Italiam quique nobiliores. In Galliis namque Odo et Heribertus, quorum prior Turonorum Carnotique, sequens vero Meldorum atque Trecorum comes exstitit. Tunc temporis etiam dux Rothomagorum Ricardus obiit, qui monasterium ædificaverat nimium locuples, in loco qui dicitur Fiscampus, in quo etiam sepultus quiescit. Viellermus quoque Pictavorum dux sub eodem tempore vitam finivit. Pontifices item in Galliis quique religiosiores a sæculo excesserunt. Manasses videlicet vir sanctitate plenus Trecorum episcopus, et Gislebertus [*al.* Engelbertus.] Parisiorum, nec non et Geboinus Catalaunorum, cum aliis pluribus. Inter quos etiam bonæ memoriæ sanctus videlicet Maiolus apud Silviniacum cœnobium vitæ præsentis terminum consecutus. Cujus scilicet vitæ honestatem pretiosus etiam commendat transitus. Nam ad illius famam sanctitatis confluxere ex universo Romano orbe viri et mulieres utrorumque ordinum plurimi, exinde referentes diversarum infirmitatum gratiam sanitatis. Desæviebat eodem tempore clades pessima in hominibus, ignis scilicet occultus, qui quodcunque membrorum arripuisset, exurendo truncabat a corpore. Plerosque, etiam in spatio unius noctis, hujus ignis consumpsit exustio. Sed cum in plurimis sanctorum memoriis hujus tremendæ pestis sint inventa remedia, maximus tantum concursus factus est ad trium sanctorum confessorum ecclesias, Martini scilicet Turonorum, atque Odolrici Bajoariorum, nec non et istius venerabilis patris Maioli, optatæque salutis inventa sunt beneficia.

CAPUT VIII.

De Henrici ducis morte, et vastatione Burgundiæ.

Igitur anno tertio de supradicto millesimo moritur in Burgundia dux Henricus apud castrum Pulliacum super Ararim fluvium, sepulturæque Autissiodori apud eximium confessorem Germanum traditur Octobri mense. Sequente vero mense Decembri vespere Sabbati ante diem Dominicæ Nativitatis, apparuit in aere portentum mirabile: species videlicet seu moles ipsa immensi draconis, a septentrionali plaga egrediens, cum nimia coruscatione petebat austrum. Quod prodigium pene homines universos qui videre, infra Gallias terruit. Sequenti deinque anno ascendit Rotbertus rex in Burgundiam cum magno exercitu pugnatorum, ducens etiam secum Ricardum Rothomagorum comitem cum triginta

millibus Normannorum, quoniam Burgundiones ei fuere rebelles, nolentes eum suscipere in civitatibus et castris quæ fuerant ducis Henrici, ejus videlicet avunculi; quin potius sibi in proprias divisere partes. Deveniens quoque rex primitus cum omni exercitu civitatem Antissiodorum, eam obsidione circumdedit. Qui diu ibi crebris assultibus fatigatus residens non adversus eam prævaluit, quæ fertur nunquam fraude vel hoste fuisse decepta. Relicta namque civitate, rex cum universo bellico apparatu convertit se ad castrum beati præsulis Germani expugnandum, quod munito aggere præpollens hæret civitati. Vallaverat enim illud Landrici comitis exercitus nec non ejusdem loci familiares viri, hostium siquidem metuentes sæeri gregis diremptionem. Occurrit interea furenti regi Odilo venerabilis abbas Cluniacensis monasterii, cupiens intervenire partes utrasque: siquidem ut regi exhiberetur honorificentia, solidaretur concordia principum, pax patriæ firmaretur. Qui minus posse fieri cernens quod decreverat, hortabatur fratres octo tantummodo, qui ad confessoris custodiam relicti fuerant (nam cæteros cum suo abbate Hilderico nomine jussio regis inde exire compulerat), ut orationi instarent assidue, si forte Domini pietas eos, pariterque locum, a tanta obsidione dignaretur eripere. Sexto igitur obsidionis illuscescente, nimio rex arreptus furore, indutus lorica simul et galea, omnemque exercitum dictis exacuens, habens etiam secum Hugonem ejusdem urbis pontificem, solum ex omni Burgundia parti regis faventem. Eidem namque regi in procinctu jam constituto occurrit supradictus abbas Odilo, illum increpans, ejusque primates redarguens, cur adversus tantum Dei pontificem, scilicet Germanum, hostili manu insurrexissent: cui specialiter, ut in gestis illius invenitur, usu fuit Dei auxilio et bella compescere plurima, et regum ferocitati resistere. Cujus verbis minus auditum præbentes, quo tendebant perveuerunt, cingentesque supradictum castrum in coronæ modum, certatim illud expugnaturi prælium inierunt. Alternis quoque partibus diu multumque decertantibus, domus suæ parti Dei subito affuit præsens auxilium. Nam ejusdem castri universa capacitas ita repleta est in hora prælii terrima nebula, ut nemini hostium a foris pervius foret jaculandi aditus, cum ab intro repugnantibus cernerent se gravi cæde prosterni. Sicque cum suorum maxime Normannorum concisione, dimiserunt castrum incolume, quos licet tarde pœnituit adversus magni meriti locum arma sumpsisse. Contigit etiam ut, hora qua regis exercitus adversus locum sacrum certamen inire cœpisset, vir religiosus Gislebertus ejusdem loci monachus, super altare beatæ Mariæ semper virginis, quod decentius cæteris in vertice ejusdem constat ecclesiæ, quemadmodum hora diei tertia quotidie consueverat, missarum sacramenta celebrare incip ret. Quod scilicet factum satis cœlitus præstitæ congruit victoriæ. Sequenti igitur die, egrediens rex inde processit igne cremando res hominum, præter civitates et castra tutissima, usque in superiores Burgundiæ partes. Qui Franciam rediens, post hæc tamen licet tardius ad se reversis Burgundionibus, prospere universam obtinuit regionem.

CAPUT IX.

De fame valida et infestatione Sarracenorum.

Eodem autem tempore facta est fames prævalida quinquennio in universo Romano orbe, siquidem ut nulla audiretur non inops regio et indigens pane. Multique exhausti inedia de populo perierunt. Tunc etiam per plura loca terrarum, non solum immundorum animalium et reptilium, verum etiam virorum ac mulierum infantiumque carnes compulit fames horrida sumere in cibum, nulla vel parentum obstante necessitudine. Nam eo usque devenerat hujus sævitia famis, ut jam adulti filii consumerent matres, ipsæque in parvulos, remota pietate materna, idem exercerent. Subsequente namque tempore, gens Sarracenorum cum rege suo, Almuzor nomine, egressa est ab Africanis partibus, occupans pene universam Hispaniæ regionem usque in Australes Galliarum fines, plurimasque Christianorum dedere strages. Sed licet impar exercitu, sæpius tamen iniit cum eis prælia Willermus dux Navariæ, cognomento Sanctus. Tunc etiam ob exercitus raritatem compulsi sunt regionis illius monachi sumere arma bellica. Cæsæ denique graviter utræque partes, tandem concessa Christianis victoria post grande suorum dispendium, qui superfuere Sarracenorum ad Africam fecere confugium. Sed et in illis diutinis conflictibus præliorum constat Christianorum religiosos plures occubuisse, qui potius ob fraternæ charitatis amorem cupiebant decertare, quam propter aliquam gloriam laudis pompaticæ. Erat quippe eo tempore frater quispiam Wiferius nomine, dulcis admodum moribus, ex conversatione in monasterio Reomagense, quod est situm in pago Tarnoderense, cui etiam apparuit die quadam Dominica visio satis credulitati commoda. Nam, dum per expletionem matutinalium laudum in supradicto oraturus quievisset monasterio, cæteris fratribus inde aliquantulum ad pausam redeuntibus, subito repletus est totius ejusdem ecclesiæ ambitus viris scilicet vestibus albis indutis ac purpureis stolis insignitis, quorum etiam continentiæ gravitas plurimum de ipsis instituebat eos cernentem. Qui vero eos præcedebat crucem manu gestans, episcopum se esse multarum dicebat plebium, ibique die ipso sacra missarum celebrare se oportere perhibebat. Referebat etiam tam ipse quam cæteri se illius noctis cum fratribus ejusdem monasterii matutinales interfuisse solemnes. Afferebant insuper optimæ laudis officium, quod audierant illi diei congruere. Erat autem Dominica dies octava Pentecostes, in qua, propter gaudii expletionem Resurrectionis Dominicæ, ejusdemque Ascensionis, et adventus Spiritus sancti, in plerisque diversarum regionum locis mos est psallere responsoria, verbis valde honestissimis composita ac suavi

sonoritate referta, et, ut mens valet humana, Deificæ Trinitati condigna. Cœpit interea qui præerat episcopus, super altare sancti Mauritii martyris missarum solemnia, ejusdem Trinitatis antiphonam intonans, celebrare. Interim vero percunctatus est supradictus frater, qui, aut unde essent, pro quave causa illuc devenissent. Cui satis leniter tale dederunt responsum : « Professionem, inquiunt, Christianitatis gestamus, sed ob tutelam patriæ Catholicæque plebis defensionem, gladius nos in bello Sarracenorum separavit ab humanorum corporum habitatione. Idcirco nos omnes pariter divina vocatio nunc transfert in sortem beatorum. Sed ideo per hanc provinciam nobis contingit habere transitum, quoniam plures ex hac regione infra breve temporis spatium nostro sunt addendi collegio. » Præterea is qui missarum explebat officium, finita oratione Dominica, pacem omnibus dans, misit unum qui ipsi fratri pacis osculum daret. Qui cum fecisset, innuit etiam ei ut illum sequeretur. His ita conspectis, cum vellet eos sequi, disparuerunt. Intellexit quoque idem frater se in brevi spatio exiturum a sæculo; quod etiam sic contigit fieri. Nam mense quinto, id est Decembri, postquam hæc quæ diximus viderat, sui abbatis imperio perrexit Antissiodorum gratia medicandi aliquorum in monasterio beati confessoris Christi Germani infirmantium fratrum. Erat enim medicinæ artis studiis instructus. Qui veniens illuc cœpit commonere illos fratres pro quorum causa advenerat, ut quam citius quæ pro salute illorum agenda erant exercere curarent. Cognoverat enim exitum suum proximum fore. Cui dum responderent : « Quieti indulge jam hodie pro fatigatione itineris, ut dies crastina te valentiorem inveniat. » At ipse ait : « Si hodie, quantum superest, non explevero, prout valeo, jam die crastina noveritis me ex his nihil acturum. » Qui ludere illum existimantes, ut erat semper alacri mente placidus, quod monuerat omiserunt. Die autem altera illucescente, prægressus acri dolore accessit, prout poterat, ad altare beatæ Mariæ semper virginis, sacra missarum celebraturus. Quibus peractis, recessit ad domum infirmorum fratrum, jamque nimium dolentes artus composuit lecto. Cui, ut talibus fieri solet, cœperunt palpebræ somnum quærere inter angustias. Repente vero astitit ei virgo splendida, coruscans immenso fulgore, interrogansque illum quam mentis dubietatem haberet. Quam cum ipse intuitus fuisset, adjecit : « Si de itinere metuis, non necesse est enim ut paveas, quoniam ego tibi custos exstitero. » Ex qua visione securior effectus, ad se venire mandans loci præpositum nomine Achardum, eruditissimum valde virum, qui postea ejusdem monasterii abbas exstitit, narravit ei non solum præsentem, sed etiam præteritam visionem ex ordine. Qui dixit ei. « Confortare, frater, in Domino. Sed quoniam ea vidisti quæ raro humano visui conceduntur, necesse habes persolvere universæ carnis debitum, ut in eorum quos vidisti, possis admisceri consortium. » Convocatisque cæteris fratribus, secundum morem ei visitationem fecerunt. Tertia namque die peracta, incipiente nocte migravit a corpore. Quem dum cuncti fratres ex more abluere ac pannis componere pararent, signaque monasterii universa pulsarent, quidam laicus, sed religiosus, juxta commanens, ignorans obitum fratris, æstimansque ob nuntiandos matutinos signa pulsari, exsurrexit, ut solebat, pergere ad ecclesiam. Qui cum venisset ad pontem quemdam ligneum, qui fere in medio erat itinere, audierunt plures ex vicinis voces quasdam ex latere monasterii proclamantes hujusmodi : « Extrahe, extrahe, et educ ad nos illum quantocius. » Quibus etiam vocibus tale responsum est redditum : « Hunc interim non queo, alium tamen educam si potero. » Statim vero ille qui ad ecclesiam pergebat, cernit ante se super pontem quasi unum vicinorum suorum, revera ergo diabolum, contra se venientem; de quo etiam dubitare non posset. Quin etiam nomine proprio illum vocans, monuit ut provide transiret. Illico autem malignus spiritus turrigera specie in altum se erigens, cupiensque decipere hominem, ejus fallacem pompam visibus sequentem. Quam tamen dum aspiceret, ejus pes lapsus, graviter in ponte corruit. Qui citissime se erigens, nuniensque se signo crucis, cognita maligni diaboli fraude, regressus domum cautior est redditus; paulo post tempore et ipse in pace obiit.

CAPUT X.

De inundantia lapidum.

Per idem tempus contigit in Burgundia apud castrum Jaunniacum valde mirum et memorabile præsagium in domo cujusdam nobilis, nomine Arlebaudi. Nam per triennium fere continue per universam illius domum indicibiliter vel ab aere, sive a tabulatu, distillavere magni atque parvi lapides, ita ut acervos circa domum ex ipsis ejectis lapidibus usque nunc in promptu sit videre. Sed cum die noctuque per domum ubique pluerent, neminem tamen suo ictu lædebant, sed neque vas aliquod infringebant. Multi enim ibi limites, quos alii *bonnas* nominant, suorum recognovere agrorum. Simul etiam de viis et domibus ac diversis ædificiis, et prope et longe constitutis, illuc delati reperti sunt lapides. Quod etiam futuræ pestis illius domus familiæ fuisse indicium rei probavit eventus. Nam exstiterat vir supra dictus cum uxore sua de generosis admodum parentibus. Idcirco increverant ejus filiis ac nepotibus paternorum fundorum cum circumjectis vicinis non parva litigia. Contigit ergo, non longo post spatio temporis, ut villam quamdam Allanto cognomine, sitam in pago Senonico, quæ etiam ex rectorum monasterii sanctæ Columbæ virginis largitione juri illorum pervenerat ; sed milites Antissiodori commanentes ipsam eis diripiendo abstulerant, ipsi tamen toto nisu illam sibi redintegrari pararent. Cum vero jam plures de hac altercatum annos fuisset, uno vindemiarum die bellum inierunt in eadem villa partes utræque; in quo etiam bello multi ex ambabus

partibus sunt interempti. Ex supra dicta quoque domo inter filios et nepotes undecim ceciderunt. In processu namque temporis imminente jurgio, crescentibusque discordiis, perduravere cædes innumeræ illius familiæ, illorumque homicidia hostium, usque in tricesimum et eo amplius annum.

CAPUT XI.

De Leutardo insaniente hæretico.

Exstitit circa finem millesimi anni homo plebeius in Galliis, apud vicum Virtutis vocabulo, in pago Catalaunico, Leutardus nomine: qui, ut finis rei probavit, Satanæ legatus credi potuit. Cujus etiam vesaniæ pervicacia hoc exordium habuit. Morabatur enim aliquando solus in agro quidpiam ruralis operis peracturus. Qui ex labore somno depressus, visum est ei ut grande examen apum in ejus corpus per secreta ingrederetur naturæ, quod etiam per illius os nimio cum strepitu erumpens crebris illum punctionibus agitabat, ac diu multum agitato stimulis loqui ei videbantur, et multa hominum impossibilia præcipere ut faceret. Tandem fatigatus, exsurgens venit domum, dimittensque uxorem, quasi ex præcepto Evangelico fecit divortium. Egressus autem velut oraturus, intrans ecclesiam, arripiensque crucem et Salvatoris imaginem contrivit. Quod cernentes quique territi pavore, credentes illum, ut erat, insanum fore. Quibus etiam ipse persuasit, sicut sunt rustici mente labiles, universa hæc patrare ex mirabili Dei revelatione. Affluebat igitur nimium sermonibus utilitate et veritate vacuis, doctorque cupiens apparere, dedocebat magistrum doctrinæ. Nam decimas dare dicebat esse omnimodis superfluum et inane. Et, sicut hæreses cæteræ, ut cautius decipiant, Scripturis se divinis, quibus etiam contrariæ sunt, palliant, ita et iste dicebat prophetas ex parte narrasse utilia, ex parte non credenda. Cujus etiam fama, quasi alicujus mente sani ac religiosi, in brevi ad se traxit partem non modicam vulgi. Quod comperiens vir eruditissimus Gebuinus senex episcopus, in cujus scilicet erat diœcesi, accersiri illum ad se jussit. Quem cum interrogasset de universis quæ dixisse vel fecisse compererat, cœpit venenum suæ nequitiæ occultare, cupiensque, quod non didicerat, de Scripturis sacris testimonia sibi assumere. Audiens vero sagacissimus episcopus non esse convenientia, imo non magis turpia quam damnabilia, ostendens hominem insanientem hæreticum factum, revocavit ab insania populum ex parte deceptum, catholicæ plenius restituit fidei. At ille, cernens se devictum atque ambitione vulgi destitutum, semet puteo periturus immersit.

CAPUT XII.

De hærese in Italia reperta.

Ipso quoque tempore non impar apud Ravennam exortum est malum. Quidam igitur Vilgardus dictus, studio artis grammaticæ magis assiduus quam frequens, sicut Italis mos semper fuit artes negligere cæteras, illam sectari. Is enim cum ex scientia suæ artis cœpisset, inflatus superbia, stultior apparere, quadam nocte assumpsere dæmones poetarum species Virgilii et Horatii atque Juvenalis, apparentesque illi, fallaces retulerunt grates quoniam suorum dicta voluminum charius amplectens exerceret, seque illorum posteritatis felicem esse præconem; promiserunt ei insuper suæ gloriæ postmodum fore participem. Ilisque dæmonum fallaciis depravatus, cœpit multa turgide docere fidei sacræ contraria, dictaque poetarum per omnia credenda esse asserebat. Ad ultimum vero hæreticus est repertus, atque a pontifice ipsius urbis Petro damnatus. Plures etiam per Italiam tempore hujus pestiferi dogmatis reperti, quique ipsi aut gladiis aut incendiis perierunt. Ex Sardinia quoque insula, quæ his plurimum abundare solet, ipso tempore aliqui egressi, partem populi in Hispania corrumpentes, et ipsi a viris catholicis exterminati sunt. Quod præsagium Joannis prophetiæ congruit; quia dixit Satanam solvendum, expletis mille annis, de quibus in tertio jam libello prolixius tractabimus.

LIBER TERTIUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. *De Stephano rege Ungrorum, et bellis Beneventanorum.*
II. *De Roberto rege Francorum.*
III. *De stella comete, quæ apparens plurima portendit.*
IV. *De innovatione Ecclesiarum in toto orbe.*
V. *De monasteriis reædificatis bene a Willermo abbate, vel institutis.*
VI. *De sanctorum pignoribus ubique revelatis.*
VII. *De eversione templi Hierosolymorum, et cæde Judæorum.*
VIII. *De hærese apud Aurelianos reperta.*
IX. *De filiis regis ejusdem.*

PRÆFATIO.

Nunc igitur, quoniam de priorum gestis aliqua retulimus, ab illo et infra, ut spopondimus, anno videlicet millesimo nati cuncta vivificantis Verbi, tertii sumamus incitamen hujus operis libelli. Eo autem, ut diximus, imminente, privatus est pene orbis universus personis et religiosis et nobilibus. Claruere tamen ab eodem anno, tam in Italia quam

in Galliis, utrorumque ordinum viri, quorum vita et operatio queunt posteris imitabilia informare exempla. Regnantibus quoque duobus Christianissimis regibus, Henrico scilicet Saxonum rege et Roberto Francorum, etsi ab exteris nationibus illorum quieverunt patriæ, creberrime tamen præliis fatigatæ sunt intestinis. Sicut enim aliquando perfidis honor exhibetur ex timore, ita bonis infertur pro sua reverentia timor. Nam cum ab omni Romanorum populo, intercedente papa Benedicto, viro sanctissimo, Henricus adsciscceretur in imperium Longobardorum, gens consueta fraude dissensit, sibique regem Arduinum quemdam unguentes instituerunt. Sed licet diu multumque renitentes, postea tamen cum cæde suorum maxima imperialibus semet subdidere præceptis. Qui veniens Papiam, ab eisdem Longobardis miri operis palatium sibi construi fecit. Potitoque decenter imperio, accepit in regno suo conjugem, filiam scilicet Sigefredi Saxonum ducis. Ex qua etiam cernens non posse suscipere liberos, non eam propter hoc dimisit; sed omne patrimonium, quod liberis debebatur, Christi Ecclesiæ contulit. Ædificavit quoque monasterium in Saxoniæ loco, qui dicitur Bavoberch, id est, Bavonis mons. Lingua enim Theutonica Berch mons appellatur. Quod etiam monasterium, donis innumerabilibus locupletatum a pontifice Romano, supradicto scilicet Benedicto, in honore apostolorum principis dedicari fecit; atque, ejusdem pontificis usus consilio, eamdem Ecclesiam in episcopalem sublimavit sedem; constitutoque in ea episcopo, amplissimorum fundorum reditibus esse fecit locupletem.

CAPUT PRIMUM.

De Stephano rege Ungrorum, et bellis Beneventanorum.

Ipso igitur tempore Ungrorum gens, quæ erat circa Danubium, cum suo rege ad fidem Christi conversa est. Quorum regi Stephano ex baptismate vocato, decenterque Christianissimo, dedit memoratus imperator Henricus germanam in uxorem. Tunc temporis cœperunt pene universi qui de Italia et Galliis ad sepulcrum Domini Hierosolymis ire cupiebant, consuetum iter, quod erat per fretum maris, omittere, atque per hujus regionis patriam transitum habere. Ille vero tutissimam omnibus constituit viam; excipiebat ut fratres quoscunque videbat, dabatque illis immensa munera. Cujus rei gratia provocata innumerabilis multitudo, tam nobilium quam vulgi populi, Hierosolymam abierunt. Tunc etiam imperator Basilius sancti imperii Constantinopolitani præcepit cuidam satrapæ suo, illi qui cognominatur Cataponti, eo scilicet quod juxta mare inhabitet, ut a transmarinis civitatibus, quæ Romano debentur imperio, veniens tributa exigeret. Qui libenter annuens misit Græcorum classem ad res Italicas sublaturas. Hoc vero pertentatum est per duorum annorum spatium; non parva etiam pars subjugata est a Græcis Beneventanæ provinciæ. Contigit autem ipso in tempore, ut quidam Normannorum audacissimus nomine Rodulphus, qui etiam comiti Richardo displicuerat, cujus iram metuens, cum omnibus quæ secum ducere potuit, Romam pergeret, causamque propriam summo pontifici exponeret Benedicto. Qui cernens eum pugnæ militari elegantissimum, cœpit ei querelam exponere de Græcorum invasione Romani imperii seque multum dolere quoniam minime talis in suis existeret qui repelleret viros exteræ nationis. Quibus auditis, spopondit se idem Rodulfus adversus transmarinos præliaturum, si aliquod ei auxilium præberent vel illi quibus major incumbebat genuinæ necessitudo patriæ. Tunc vero prædictus papa misit illum cum suis ad Beneventanos primates, ut eum pacifice exciperent, semperque præliaturi præ se haberent, illiusque jussioni unanimes obedirent. Egressusque ad Beneventanos, qui eum ut papa jusserat susceperunt. Illico autem illos ex Græcorum officio qui vectigalia in populo exigebant, invadens Rodulphus, diripuit quæque illorum, ac trucidavit. His itaque auditis, illorum socii, qui jam plures civitates et castella propriæ subjugaverant ditioni, coacto in unum suorum exercitu, inierunt prælium adversus Rodulphum et eos qui ejus favebant parti. In quo scilicet prælio pars Græcorum occubuit maxima, insuper et castra aliqua dimisere vacua; quæ subsecutus Rodulphi exercitus victor obtinuit. Visa igitur Græci suorum cæde, miserunt Constantinopolim ut auxiliaretur eis quantocius ab his qui eos miserant. Statimque reformantes classem, multo plures quam prius præliatores miserunt. Interea cum auditum esset ubique quoniam paucis Normannorum concessa fuisset de superbientibus Græcis victoria, innumerabilis multitudo etiam cum uxoribus et liberis prosecuta est a patria de qua egressus fuerat Rodulphus, non solum permittente, sed etiam compellente ut irent, Richardo illorum comite. Egredientes autem satis audacter venerunt ad locum Alpium, qui et mons Jovis dicitur, ubi etiam in angustissimis semitis præpotentes regionis illius constituerant, imperante cupiditate, seras et custodes ad pretia transmeantium exigenda. At illi Normannorum exercitus confractis seris cæsisque custodibus per vim transitum fecerunt. Egressique non parvum Rodulpho contulerunt auxilium. Sicque pars utraque resumptis viribus secundo inierunt prælium, in quo utrorumque exercitus graviter cæsus. Normannorum tamen exercitui victoria provenit. Post paululum vero, terno commisso prælio, sese pars utraque fessa cohibuit. Perspiciensque Rodulphus suos defecisse, virosque illius patriæ minus belli aptos, cum paucis perrexit ad imperatorem Henricum, expositurus ei hujus rei negotium. Qui benigne illum suscipiens, diversis muneribus ditavit; quoniam rumor quem de illo audierat, cernendi contulerat desiderium. Protinus imperator congregans exercitum copiosum, ob tuendam rempub. ire disposuit. Tandem vero Græci putantes a patria fugisse Rodulphum, prosilierunt ad castra, quæ ipse victor

ab eis abstulerat; sed nequidquam : nam et veterem Troadem civitatem festinanter cinxere muris, replentes eam copiose viris et mulieribus. Interea imperator pergens ad regionem Beneventanam, expugnavit, ac subdidit universas civitates et castra quæ Græci subripuerant, ejus imperio. Ad supradictam autem cum venisset Troadem, repellentes qui intus erant, diu multumque ei restiterunt. Nam sperabant ut sibi futura æstate, sicut Græci promiserant fore, Basilius succurreret. Insuper adjicientes in tantum Henricum humiliari, ut pedes Basilii territus pavore susciperet. At ille circumdans civitatem sui exercitus obsidione, instruxit machinas, ut eam per vim caperet. Illique de intus noctu egressi, tulerunt secum faces pice perlitas, igneque succensas machinas a foris cremaverunt. Quod cernens imperator, accensus ira potiores fecit reinstrui machinas, crudoque circumdari corio; vigilantique custodia jussit illas tueri. Exacto igitur jam tertio obsidionis mense, alternisque cædibus utrique nimium fessi, nam et exercitum imperatoris dysenterica clades oppido vexaverat, tandem obsessi meliore usi consilio invenerunt viam evadendi discriminis. Quadam autem die accipientes solitarium quemdam, indutum monachali habitu, quibus etiam Italia plurimum abundat, dederunt ei crucem gestare, miseruntque post illum omnes civitatis pueros minoris ætatis, sicque exclamando : *Kyrie, eleison*, devenit ad imperatoris tentorium. Quod audiens imperator, jussit interrogari quid sibi vellent. Cumque responsum fuisset quod misereri a se afflictæ civitati implorarent, respondit : « Optime novit ipse qui agnitor est cordium, inquit, quoniam magis quam ego horum parvulorum patres illorum sunt homicidæ. » Illacrymansque jussit ut salvi in civitatem redirent. Fecerunt autem ut jusserat imperator. Altera quoque die iterum primo mane processerunt a civitate, ut prius clamantes : *Kyrie, eleison*, usque dum sonoritas vocum illorum aures pulsaret imperatoris. Qui statim egressus tentorio respiciensque pupillorum turbam, pietate permotus, ut erat vir sapientissimus, voce Dominica usus, ait : *Misereor super turbam*. Nam ante jam dixerat quoniam, si ei contingeret capere civitatem, quidquid masculini sexus inveniretur in ea, suspenderetur patibulis, reliqua vero igne cremari ipsiusque civitatis mœnia ad solum pertrahi. Præterea mandavit imperator illis qui in civitate cæteris præerant, ut, si indulgeri sibi ab eo vellent, iramque ejus placare, ipsimet subverterent partem murorum civitatis, quæ contra suas machinas rebellis stare videbatur. Qui audientes, certatim impleverunt quod eis mandatum fuerat. Post hæc quoque præcepit imperator eos pacifice ad se egredi, murumque civitatis ab eisdem reædificari. Acceptisque pacis obsidibus ab universis regionis illius provincialibus, reversus est Saxoniam. Normanni quippe cum suo duce Rodulfo, reversi in suam patriam, gratanter recepti a proprio principe Richardo. Sequenti denique anno, mense Julio obiit Henricus imperator apud Saxoniam, sepultusque est honorifice in monasterio Bavoberch, quod ipse, ut dictum est, in honore apostolorum principis ædificaverat.

CAPUT II.

De Roberto rege Francorum.

In præscripto igitur tempore, disponente Francorum regnum Roberto rege, plurimas ei intulere sui contumeliæ insolentias, illi maxime quos, aut ex mediocri aut ex infimo genere, tam ipse quam uterque Hugo, ei scilicet pater atque avus, fecerunt maximis honoribus sublimes. Inter quos fuit Odo rebellium maximus, qui fuit filius Tebaldi Carnotensis, cognomento Fallacis, cæterique quamplures inferioris potentiæ, qui exinde exstiterunt ei rebelles unde esse debuerant humiliores. Quorum non dispar fuit secundus Odo, filius scilicet prioris Odonis, qui, quanto potentior, tanto fraudulentior cæteris. Nam cum obiisset Stephanus comes Trecorum et Meldorum, Heriberti filius, ipsius regis consobrinus, absque liberis, apparuit idem Odo contra regis voluntatem [occupans] universa quæque latifundia in regis videlicet dominium jure cessura. Fuit etiam juge litigium et bella frequentia inter ipsum Odonem et Fulconem Andegavorum comitem, quoniam uterque tumidus superbia, idcirco et pacis refuga. Necnon etiam Willermus Henrici ducis privignus, ac Alberti Longobardorum ducis filius, eidem regi aliquando rebellis exstitit, favente ei Landrico Nevernis comite, qui ejus filiam uxorem duxerat; et Brunone Lingonensi episcopo, cujus habebat in matrimonio sororem, ex qua suscepit filios et filias, de quibus prius natam Landricus, reliquas uterque Willermus, scilicet Pictavensis et Arclatensis, duxere uxores. Unusque filiorum ejus, Rainaldus nomine, duxit filiam Richardi Rothomagensis ducis, Adeledam nomine uxorem. Qui licet advena, puer etiam furtim sublatus a Longobardorum patria, matrique non mediocriter astute per quemdam monachum redditus in Burgundia, in tantum convaluit ut in divitiis et in militia non inveniretur secundus in patria. Sed huic plurimum adversatus restitit Hugo filius Lamberti Cabillonensis comitis, viri honestissimi. Qui, inter cætera quæ gessit optima, monasterium etiam construxit in pago Augustodunense, quod dicitur Paredo, in honore sanctæ Mariæ sanctique Joannis Baptistæ; in quo etiam sepultus honorifice quiescit. Fuit enim idem Hugo episcopus Antissiodori, regensque comitatum patris ex imperio regis, quoniam præter eum pater non habuit sobolem sexus masculini, idcirco hostibus regis contrarius, quoniam regi fidissimus parebat in omnibus. Accepit autem supradictus rex illius cognatam, nomine et animo Constantiam, inclytam reginam, filiam videlicet Willelmi prioris Aquitaniæ ducis; ex qua etiam suscepit filios quatuor, et filias duas. Exstitit tamen aliquando quidam Hugo dictus Bellovacensis, qui inter ipsum regem ejusque conjugem nequam semen odiis spargebat, suique gratia præmii reginam ei

fecerat odiosam. Tantam denique insuper gratiam a rege consecutus fuerat, ut comes palatii haberetur. Factumque est ut die quadam rex in silva venatum iret, idemque Hugo, ut semper solebat, cum illo. Veneruntque missi a Fulcone, Andegavorum comite, avunculo scilicet ejusdem reginæ, fortissimi milites duodecim, qui supradictum Hugonem ante regem trucidaverunt. Ipse vero rex, licet aliquanto tempore tali facto tristis effectus, postea tamen, ut decebat, concors reginæ fuit.

Hic itaque rex, ut sapientissimus Dei cultor, semper fuit humilium amator, superborumque, ut valuit, osor. Si qua enim pontificalis sedes in suo regno proprio viduaretur præsule, cura erat maxima ut utilis pastor, licet genere infimus, restitueretur Ecclesiæ potius, quam nobilitatis eligeretur persona sæcularis pompæ. Qua de causa etiam primates regni sensit plurimum contumaces, qui despectis humilibus sui similes eligebant superbos. Fuit enim ei pax cum regibus in gyro regni sui positis, maxime cum supradicto imperatore Henrico. Nam cum aliquando ad invicem colloquendum super Mosam fluvium, qui limes est utriusque regni, convenissent, pluresque ex ambabus partibus mussitarent indecens esse, ut quis illorum, tantorum scilicet regum, semet humilians, quasi in alterius transiret auxilium, hoc etiam fore potissimum, ut in fluminis medio navibus portarentur simul locuturi; sed viri eruditissimi illud uterque in mente habens : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus :* primo namque mane surgens imperator transiit cum paucis ad regem Francorum, nimioque amplexu semet deosculantes, sacramentisque missarum decenter ab episcopis in conspectu illorum celebratis, prandere utrisque simul congruit. Expleto quoque prandio, obtulit Robertus rex immensa munera auri atque argenti et pretiosarum gemmarum Henrico, centum insuper equos honestissime phaleratos, super unumquemque lorica et galea, mandans insuper tantum illorum amicitiam minuere quantum contingeret ex omnibus illi relinquere. At Henricus cernens amici liberalitatem, suscepit ex illis tantum librum Evangelii, auro et lapidibus pretiosis insertum, ac phylacterium simile factum, continens dentem sancti Vincentii Levitæ et martyris. Uxor vero illius pares auri tantum naves accepit. Cætera autem egrediens in gratia dimisit. Sequenti igitur die iterum rex Robertus cum episcopis ad imperatoris tentoria transiens, qui eum satis sublime suscipiens, expletoque simul prandio, centum libras ei ex auro puro obtulit; rex quoque pares tantum naves auri ex illo sumpsit : firmatoque uterque pacto amicitiæ, rediere ad propria. Ab aliis quoque regibus satis gratifice fuit semper habitus, Adalrado scilicet rege Anglorum, et Rodulpho rege Austrasiorum, nec non et Sancio rege Navarriæ Hispaniarum; mittebantque ei munera et petebant ab eo auxilia.

CAPUT III.

De stella comete, quæ apparens plurima portendit.

Apparuit igitur præfati regis tempore in occidentalis aeris parte stella, quæ vocatur cometa, Septembrio mense, incipiente nocte, perdurans spatio trium mensium. Quæ scilicet nimia claritate fulgens maximam aeris partem sibi illustrando vindicabat, usque dum circa galli cantum occumberet. Sed utrum noviter a Deo stella mittatur, seu ab eodem ob gratiam portenti alicujus stellæ lumen multiplicius augeatur, ipsi soli scire competit, qui cætera indicibiliter sua sapientia disponit. Illud tamen habetur probatissimum quoniam, quoties hujusmodi hominibus ostenditur fieri in mundo, paulo post quoddam mirum atque terribile patenter innuitur. Denique contigit in proximum ecclesiam beati Michaelis archangeli cremari incendio, quæ scilicet constituta in quodam promontorio littoris Oceani maris, toto orbe nunc usque habetur venerabilis. Nam et inibi certissimum conspicitur, videlicet ex incremento atque decremento lunari eundo ac redeundo processu mirabili in gyro ejus promontorii reuma, scilicet Oceani. Cujus etiam maris excrementum *malinas* vocant, decrementum quoque *ledones* nuncupant. Atque ob hoc maxime prædictus locus a plurimis terrarum populis sæpius frequentatur. Est etiam non longe a prædicto promontorio fluviolus cognomento Arduus, qui post hæc paululum excrescens per aliquod temporis spatium intransmeabilis effectus, atque ad prædictam ecclesiam ire volentibus viam plurimum impediens, aliquantisper ejusdem itineris obstaculum fuit. Postmodum vero in sese rediens profundissime littus suo cursu sulcatum reliquit. His ita gestis, contigit ut venerabilis Abo, Pater monasterii S. Benedicti Floriacensis cognominati, gratia propagandæ religionis monasticæ in provinciam transiret meridianorum Vuasconum. Cumque illuc deveniens in quodam monasterio cœnobio, ibique more solito ea quæ Dei sunt sedulo exerceret, nimio a cunctis venerabatur affectu. Accidit igitur die quadam ut in atrio ejusdem cœnobii, exardescentibus quorumdam litigiosorum irarum stimulis, nimium acer oriretur tumultus. Dumque vir reverentissimus, prædictus videlicet Abo, comperiens ad eumdem tumultum sedandum pugillares gerens in manibus tabellas cum stylo processisset, unus e vulgo, afflatus spiritu diabolico, irruens in eum ejusque latus lancea perforans Christi martyrem fecit. Qui etiam, ut fertur, paulo post arreptus a dæmone, miserabiliter vitam finivit. Corpus vero prædicti Patris tam sui quam cæteri quique fideles ejusdem provinciæ honorifice ibi sepelierunt. Ubi etiam ad laudem sui nominis perplura postmodum Dominus largitus est hominibus beneficia.

Tunc igitur temporis in Italia, atque in Galliis, plerique episcoporum nonnulla inter se diversis quæstionibus habuere synodorum conciliabula. Nam de jejuniis, quæ plerique fidelium scilicet inter Ascensionem Salvatoris et Pentecosten observant, ita

decreverunt ut ne per imperium sacerdotum fierent, excepto Sabbato Pentecostes; et a quibus fieri vellent, ne prohiberentur fieri. Simulque incidit quæstio cur monachi per tres vel quatuor Dominicas dies ante diem nativitatis Dominicæ, seu quadragesimalis observationis tempore, hymnum, scilicet *Te Deum laudamus*, decantarent contra morem Romanæ Ecclesiæ. Qua videlicet quæstione aggressi tam abbates quam monachi responderunt se pro nulla re illud agere, nisi ex beati Benedicti nominatissimi atque excellentissimi Patris præceptione, cujus etiam actus simulque dicta a summo Romanorum pontifice, videlicet Gregorio, haberentur descripta ac laudabiliter roborata. His denique compertis episcopi, usus monachorum authentico ex more viguit. Nec non etiam de die annuntiationis Dominicæ, qui celebratur octavo Kalendarum Aprilium, si forte quolibet alio tempore præter Quadragesimam excoli congruentius potuisset, ab eisdem pontificibus non parva illata est quæstio. Ferebatur enim a quibusdam eamdem videlicet annuntiationem Dominicam, more Hispanorum, quinto decimo Kalendarum Januariarum die irreprehensibiliter posse celebrari. Nam cum ego postmodum in monasterio Cluniacensi cum cæteris fratribus degerem, convenerunt illuc ab Hispaniis quamplures honestæ conversationis jamdudum more viventes propriæ regionis monachi. Propinquante vero die nativitatis Dominicæ, petierunt prædicti monachi venerabilem Odilonem ejusdem loci abbatem, ut more suorum liceret eis celebrare Annuntiationem. Quod cum fecissent, segregati a cæteris, visum est nocte eadem duobus senioribus loci, quod unus de Hispanis fuscina focaria arriperet desuper altare puerum, mitteretque illum in sartaginem prunis plenam, ita clamantem : « Pater, pater, quod tu dedisti isti auferunt. » Quid plura? apud nos antiqua consuetudo, uti decebat, prævaluit.

CAPUT IV.

De innovatione ecclesiarum in toto orbe.

Igitur infra supradictum millesimum tertio jam fere imminente anno, contigit in universo pene terrarum orbe, præcipue tamen in Italia, et in Galliis, innovari ecclesiarum basilicas, licet pleræque decenter locatæ minime indiguissent. Æmulabatur tamen quæque gens Christicolarum adversus alteram decentiore frui. Erat enim instar ac si mundus ipse excutiendo semet, rejecta vetustate, passim candidam ecclesiarum vestem indueret. Tunc denique episcopalium sedium ecclesias pene universas, ac cætera quæque diversorum sanctorum monasteria, seu minora villarum oratoria, in meliora quique permutavere fideles. Eo quoque tempore inter cætera beati Martini Turonis monasterium emicuit, a venerabili scilicet viro Heriveo ejusdem loci archiclavo eversum, atque ante ipsius obitum mirifico opere reædificatum. De cujus etiam vita et conversatione, qualis a pueritia usque ad præsentis vitæ terminum exstitit, si quis referre quivisset, pleniter incomparabilem hujus temporis ostenderet virum hominibus. Duxit enim ex nobilibus Francorum, mente nobilior ipse, prosapiam, et ut lilium vel rosa de spinis, de ferocioribus secundum sanguinem patriæ fuit. Qui, ut generosioribus mos est, nobiliter educatus; dehinc vero scholis artium liberalium applicatus. Sed intelligens ex his plerosque plus fore contumaces quam divinæ obedientiæ subditos, sufficere sibi credidit si exinde salutem animæ reportaret. Relictis autem pompaticæ scientiæ studiis, ad quoddam monasterium clam ingrediens, monachum se fieri satis devote postulavit.

Sed quoniam, ut diximus, clari erat generis, idcirco parentum minas pertimescentes nullo modo acquievere fieri quod poposcerat fratres ejusdem monasterii. In hoc tamen illum servantes ei fidem dederunt, ut si vis non obstaret, parentum scilicet ipsius, libentissime quod petebat explerent. Tandem inibi commorans, qualis postmodum futurus esset dans sanctitatis indicium universisque ibi degentibus imitabile præbuit exemplum. Comperiens vero pater ejus quod fecerat, furore arreptus venit ad prædictum monasterium, filium exinde abstracturus revera potioribus lucris inservientem. Satisque verbis redargutum, vim ei faciens, duxit illum inde secum usque in regis curiam, ipsumque regem obsecrans, ut ejus animum ab hac intentione bonorum sponsionibus revocaret. Quem cernens rex, videlicet Robertus, ut erat pius ac religiosus, dulcius illum exhortans, qualiter bonum propositum mente integra conservare satageret, atque in præsens beati Martini ecclesiæ archiclavum esse præcepit, cupiens illum postmodum cæteris imitabilem constituere pontificem. Id denique multoties pertentatum est, sed, ipso renuente, effectu caruit. Suscepta quippe, ac si coactus, ecclesiæ cura, vesteque alba tectus, interdum more canonico mentem tamen et vitam pleniter possedit monachicam. Nam semper ad nudum tectus cilicio irrefragabili, macerans corpus jejunio, sibi parcissimus, largus pauperibus, vigiliis et orationibus instabat assiduis. Præterea vir Deo plenus mente concepit ut ecclesiam, cui custos ascitus fuerat, amplioris altiorisque totius operis corpore sublimaret. Sancto itaque Spiritu se docente, designavit latomis incomparabilis jactare fundamentum operis, quod ipse, ut optaverat, ad perfectum duxit. Expleto itaque opere, accersitisque plurimarum urbium episcopis, opus prædictum Deo consecrari studuit. Ipsoque die sanctum Dei confessorem Martinum intro, sicut decebat, reposuit. Venerabatur enim eo die præteritæ dedicatio basilicæ, quarto videlicet Nonarum mensis Julii. Fertur etiam, quoniam idem vir Domini Heriveus ante aliquot dies præfatæ translationis Dominum rogavisset, ut ad ostensionem dilectionis sponsæ suæ ecclesiæ per beatum Martinum, ut olim fecerat, quodcunque miraculum dignaretur demonstrare. Cui in oratione prostrato apparuit idem confessor, blando usus alloquio, ita inquiens : « Hoc quod petis, fili dilectissime, scito te

potiora posse apud Dominum impetrare, sed tempori huic sufficere debent exhibita dudum miracula, quoniam contiguum instat prius exsparsi seminis collecturæ messis. Sola enim animarum erigens medela exoranda est universis. Pro his enim Domini misericordiam obsecrare minime omitto. Namque pro his noveris me apud Dominum præcipue intervenire, qui illi assidue in præsenti serviunt ecclesiæ. Quidam enim illorum plus justo præsentis sæculi implicati negotiis, armis insuper militaribus famulantes, quibus trucidati in prælio deciderunt. De quibus nolo te lateat, quoniam vix apud Christi clementiam obtinui, ut erepti de ministris tenebrarum locis refrigerii ac lucis sistere mererentur. Cæterum tu delectabile Domino votum, ut cœperas, exple. »

Superveniente igitur designato die, congregatisque episcopis et abbatibus cum innumera multitudine fidelium utrorumque sexuum et ordinum, priusquam inciperent sacra fieri, vir reverendissimus Heriveus sanctioribus qui convenerant sacerdotibus hoc, quod ei revelatum fuerat, manifestare curavit. Peracta vero ex more sacratione, omnibus utensilibus rite compositis, cœpit idem vir arctioris vitæ macerationibus sese conterere, atque solitarius in exigua penes ecclesiam cellula psalmis et orationibus vacans degere. Qui cum post hæc anno quarto cognovisset se in brevi migraturum a sæculo, jam jamque ægrotare cœpisset, ac plures ad eum visitandi gratia concurrerent, simulque præstolantes in ejus discessu aliquod fieri miraculum videre, utpote qui tanti meriti præsciebant virum, ipse vero mente sagaci prædixit illis ac monuit ut alia curarent; signum, quod et minime essent visuri, ne exspectarent. Pro se potius obsecrabat ut piissimum Dominum attentius orarent; jam siquidem propinquans sui exitus horam erectis in cœlum manibus et oculis creberrime dicebat : « Domine, miserere, Domine, miserere. » Sicque inter hæc verba ultimum efflavit spiritum. Sepultusque est in eadem ecclesia, in eo scilicet loco, ubi primitus beatus Martinus sepultus quieverat.

CAPUT V.

De monasteriis reædificatis bene a Willermo abbate, vel institutis.

Claruit, eo in tempore, in prædicta domorum Dei melioratione, venerabilis abbas Willermus, a beato siquidem Maiolo primitus ecclesiæ sancti martyris Benigni Pater constitutus. Quam videlicet ecclesiam illico tam mira locatione permutavit ut hujuscemodi altera difficile queat inveniri. Regulari etiam distinctione non minus effloruit, atque incomparabilis hujus ordinis suo tempore propagator exstitit. Sed quantum pro hac re diligebatur a religiosis et piis, tanto magis detrahebatur insidiabaturque a fraudulentis et impiis. Fuit enim ex Italia ortus, nobilem ducens a parentibus prosapiam : nobilior tamen illustrem per assecutam scientiam. Nam in eodem territorio, scilicet in fundo, qui ei parentum jure debebatur, prius vocato Vulpiam, construxit monasterium totius gratiæ abundantissimum ; postea ab ipso mutato nomine Frutuarense cognominatum. Quod cum multigenis locupletasset beneficiis, constituit ibi monachorum Patrem, per omnia se imitantem, nomine Joannem. Erat enim prædictus Willermus acer ingenio, et insignis prudentia; idcirco summum in palatiis regum ac cæterorum principum obtinebat locum. Quodcunque denique monasterium proprio viduabatur pastore, statim compellebatur tam a regibus, vel comitibus quam a pontificibus, ut meliorandi gratia illud ad regendum susciperet, quoniam ultra cætera divitiis et sanctitate ipsius patrocinio assumpta cernebantur excellere monasteria. Ipse quoque firma testabatur assertione quia si hujus institutionis tenor quocumque loco a monachis custodiretur, nullam omnino indigentiam cujuscunque rei paterentur. Quod etiam evidentissime declaratum est in locis sibi commissis. Fertur siquidem eadem institutio, ususque hujus consuetudinis, ex sancti Patris Benedicti monasteriis vel regula exordium habuisse, atque per beatum Maurum, ipsius videlicet discipulum, ad nostrum, id est, Gallicanum territorium delatam fuisse. Exstat etiam veridica relatio, quoniam post beati Mauri obitum, succedenti tempore hostium infestationibus expulsi monachi a monasterio cognomento Glannofolio, quod ipse construxerat, sicut in ejus gestis habetur, in Andegavense territorio, venientesque ad monasterium sancti Savini confessoris Pictavensis tulerunt secum totam quam valuere supellectilem, ibique per aliquod spatium temporis ea quæ didicerant operam dedere. Rursusque illo frigescente ejusdem districtionis tenore apud monasterium sancti Martini Augustodunensis suscepta dignoscitur aliquoties viguisse. Deinde vero quasi tertia transmigratione in superiore Burgundia locatum Balmense occupavit monasterium. Ad ultimum quoque, prædicta videlicet institutio jam pene defessa, auctore Deo, elegit sibi sapientiæ sedem, vires collectura, ac fructificatura germine multiplici, in monasterio, scilicet cognomento Cluniaco. Quod etiam ex situ ejusdem loci acclivo atque humili tale sortitum est nomen, vel etiam, quod aptius illi congruit, a *cluendo* dictum, quoniam cluere, crescere dicimus. Insigne quippe incrementum diversorum donorum a sui principio in dies locus idem obtinuit.

Constituxit igitur prædictum cœnobium primitus Pater monachorum supradicti Balmensis monasterii, Berno vocatus, jubente Willermo piissimo Aquitanorum duce, in pago Matisconense, super Graonam fluviolum. Quod etiam cœnobium in primo non amplius quam quindecim terræ colonias dicitur in dotem accepisse. Fratres tamen duodecim numero inibi memorantur convenisse. Ex quorum veluti optimo semine multiplicata stirps Domini exercituum innumerabilis magnam orbis plagam cognoscitur replesse. Qui quoniam his, quæ Dei sunt,

videlicet justitiæ et pietatis, operibus incessanter adhæserunt, idcirco bonis omnibus repleri meruerunt, insuperque futuris imitabile reliquerunt exemplum. Nam post præfatum Bernonem suscepit regiminis curam sapientissimus abbas Odo, vir per omnia religiosissimus, qui fuerat sancti Martini Turonis Ecclesiæ præpositus, moribus et conversatione sanctitatis valde ornatus. Hic enim in tantum hujus instituti propagator exstitit, ut a Beneventana provincia quæque habebantur in Italia et in Galliis usque Oceanum mare potiora monasteria illius ditioni gratularentur esse subjecta. Post cujus obitum successit Heimardus vir simplex in ipsius locum. Qui licet non adeo famosissimus, regularis tamen observantiæ non impar custos. Post hunc quoque sanctus ac venerabilis eligitur Maiolus, cujus superius memoriam fecimus, qui etiam successorem sibi monachorum Patrem prævidit Odilonem. Hic etenim quintus a primo Bernone abbas exstitit prædicti Cluniensis cœnobii. Ex quo videlicet cœnobio per diversas provincias fratres sæpius petiti, atque monachorum Patres ordinati, plurimum Domino acquisivere lucrum. Hic tamen Pater, scilicet Willermus, de quo in præsentiarum sermo exordium habuit, præ omnibus exinde præcedentibus præscriptæ institutionis laboriosior ac spermologius, fructificatior est repertus.

CAPUT VI.

De sanctorum pignoribus ubique revelatis.

Candidato, ut diximus, in novatis ecclesiarum basilicis universo mundo, subsequenti tempore, id est, anno octavo infra prædictum millesimum humanati Salvatoris annum, revelata sunt diversorum argumentorum indiciis, quorsum diu latuerant, plurimorum sanctorum pignora. Nam veluti quoddam resurrectionis decoramen præstolantes Dei nutu fidelium obtutibus patuere, quorum etiam mentibus plurimum intulere solamen. Hæc enim revelatio primitus in Senonica Galliarum urbe, apud ecclesiam beati martyris Stephani dignoscitur cœpisse. Cui etiam præerat archipræsul Leotericus, a quo scilicet admiranda relatu reperta sunt ibi antiquorum sacrorum insignia. Quippe inter cætera perplura, quæ latebant, dicitur virgæ Moysi invenisse partem. Ad cujus rei famam convenerunt quique fideles, non solum ex Gallicanis provinciis, verum etiam ex universa pene Italia, ac de transmarinis regionibus, simulque ægrotantes non pauci sanctorum interventu exinde redierunt incolumes. Sed, ut sæpissime contigit, quoniam unde humana utilitas sumit exordium, cupiditatis vitio impellente, exinde solet incurrere casum, nam prædicta urbs conventu populorum, ut diximus, gratia pietatis effecta opulentissima, conceperunt illius habitatores nimiam pro tanto beneficio insolentiam. Siquidem mortuo ipsius civitatis comite, Frotmundo nomine, viro æque simplicissimo, suscepit ejus filius principatum satis nequam, res civiles dispositurus. Nimium quippe flagitiosus effectus, ecclesiæ insuper decus, nisu quo valebat, fœdare tentabat. Judæorum quoque in tantum prævaricatorias diligebat consuetudines, ut se regem ipsorum suo prænomine, Rainardus quippe dicebatur, suis omnibus imperaret. Cum enim in cæteris mendacissimus, etiam Christianæ fidei insidiosus habebatur detractor. Atque ideo pauperum indicia absque ulla promulgabat pietate, penitus humanitate remota. Nam rei, quam dicturus sum, tot testes exstiterunt quanti in eadem civitate eo tempore vivebant homines.

Comprehensus aliquando flagitiosus quidam, furtum faciens, ductusque ad eum ut ejus audientia, quid de eo faciendum esset, assignaretur. Qui statim omni miseratione remota suspendi in patibulo illum adjudicavit. At ipse qui deprehensus fuerat lacrymabiliter prædictum Rainardum rogare cœpit, ut ei ad præsens vitam indulgeret, promittensque se deinceps non latrocinaturum. Sed nequicquam. Crudelior quippe fiebat sacramentis etiam se obstringens, non ultra victurum obsecrantem se miserum. Qui videns minime posse prolatam de se immutare sententiam, hoc solummodo impetravit, ut prædicto fieret confessus suorum facinorum episcopo; sibique protinus morituro, quod hujus ministerio concessum est, clementer remitteret. Quod ut obtinuit, illico a nequam ministris compellitur suspensum iri; eductusque ad constitutum locum hæc verba sæpius iterabat: Domine Jesu, qui in hac die pependisti in cruce pro salute hominum, indulge mihi. Erat enim ille dierum sextus, qui idcirco fidelibus universis reverentior habetur. Esto: vincitur, elevatur, arctatoque suspenditur gutture. Cunctisque ab hac funesta, ut putabant, exsecutione recedentibus, pendens velut exanimis mansit in diem alterum. Tunc nutu divino ruptis ligaminibus suscepit terra solutum hominem, pariter et vivum qui cogebatur subire necem sibi sublatus per aeris vacua. Qui ingressus civitatem stupidum universis præbuit spectaculum. Sed heu! proh dolor! ad pristina reversus flagitiosus evasit.

Cui rei simile fertur contigisse in Trecassina civitate non longo ante tempore. Nam dum quidam fures, boves præ se minantes, a dominis boum insequi se intellexissent, commiserunt eosdem boves viro cuidam seni et innocenti, quasi victus necessaria quæsituri, revera fugæ præsidium petentes evasuri. Quod cum fecissent, statim deprehensus est senex cum bobus; trahitur, cæditur, ac reorum more vincitur. Ductusque ad principem civitatis, comitem videlicet Heribertum, vult causam discutere. Non auditur; quin potius quasi cruda senectute reus necis, suspendio ab eodem comite adjudicatur. Quodque etiam absque ulla dilatione peractum est. Sed mox ut suspendium pertulit, mirum in modum juvenca magni et pervalidi corporis, erecto corpore cornua suspensi plantis supposuit, sicque per triduum sine dolore visum sustinuit. Exple-

toque triduo, audivit is qui pendebat viatores juxta A prætereuntes sermocinari ad invicem. Qui exclamans voce qua potuit, ad deponendum se quantocius venire rogabat. Illi vero audientes dæmonica fieri illusione credebant. Proclamante quoque ipso attentius, seque vivere affirmante, occurrerunt viri, solventes illum deposuerunt. Qui perductus ad civitatem, dum percunctaretur quomodo tandem in patibulo pendens sese habuisset, aiebat : « Dum essem, inquiens, junior, accepta jam conjuge, excepi eum ipsa oblatum mihi a quodam de sacro fonte filiolum, cui etiam consensimus dare, ex nostra parva facultatula, quem solum de matre susceperamus liberali gratia vitulum unum. Ut enim pridem sum dimissus celsa de trabe pendere, visa est mihi grandior universis occurrisse, extensoque corpore B atque erecta cervice leniter meis submisit cornua plantis, ac me hujusmodi, quandiu pependi, sustinuit. » Hoc vero illo qui servatus a morte fuerat referente, ad illius exemplum data est postmodum in gyro filiolis fontis sacræ fidei vitulorum innumera multitudo. Præterea Rainardo, ut diximus, judaizante, quin potius insaniente, suasum est regi, qui videlicet illum frequenter ob suam improbitatem redarguerat, ut scilicet tantæ civitatis principatum regio subjugaret dominio, ne siquidem diutius vires pessimi incrementi sumeret scandalum sacræ fidei. Qua ratione rex compulsus, misit exercitum, qui prædictum Rainardum a civitate pellerent, sibique illam tuendam servarent. Venientes vero qui C missi fuerant a rege, ceperunt urbem cum nimia depopulatione, partem etiam ejus non modicam incendio cremavere. Superavit siquidem magnitudinem prioris gaudii promerentibus flagitiis enormitas calamitatis.

CAPUT VII.

De eversione templi Hierosolymorum, et cæde Judæorum.

Eo quoque tempore, id est anno nono post præfatum millesimum, ecclesia, quæ apud Hierosolymam sepulcrum continebat Domini ac Salvatoris nostri, eversa est funditus jussu principis Babylonis. Cujus videlicet eversionis occasio tale, quod dicturi sumus, cognoscitur exordium habuisse. Cum enim de toto terrarum orbe ob insigne Dominicum memoriale plurima fidelium multitudo Hierosolymam visitaturi pergerent, rursus cœpit invidus diabolus per assuetam sibi Judæorum gentem veræ fidei cultoribus venenum suæ nequitiæ propinare. Erat igitur hujus generis apud Aurelianensem Galliarum regiam urbem non modica multitudo, qui cæteris suæ gentis tumidiores, et invidi atque audaciores sunt reperti. Hi denique nequam consilio inito corruperunt quemdam data pecunia, videlicet girovagum sub peregrino habitu, nomine Robertum, fugitivum utique servum beatæ Mariæ Melerensis cœnobii. Quem accipientes caute miserunt ad principem Babylonis cum Hebraicis characteribus, scriptis epistolis, pictaciolis ferri baculo insertis, ne quo casu potuissent ab eo divelli. Qui egressus detulit litteras prædicto principi relatas dolo et nequitia; et quoniam, nisi celerius domum Christianorum venerabilem subverteret, sciret se in proximum Christianis regnum illius occupantibus omni penitus dignitate carere. His vero princeps auditis, protinus furore arreptus, misit Hierosolymam de suis qui prædictum funditus subverterent templum. Qui venientes fecerunt ut eis fuerat imperatum. Ipsum quoque concavum sepulcri tumulum ferri tuditibus quassare tentantes minime valuerunt. Tunc etiam beati martyris Georgii ecclesiam in Ramulo pariter subverterunt, cujus olim virtus Sarracenorum nimium gentem terruerat. Fertur enim crebro illuc eos ingredi cupientes raptum cæcitatem pertulisse. Everso igitur, ut diximus, templo, post paululum manifeste claruit quoniam Judæorum nequitia tantum nefas sit patratum. Utique divulgatum est per orbem universum, communi omnium Christianorum consepsu decretum est ut omnes Judæi ab illorum terris vel civitatibus funditus pellerentur. Sicque universi odio habiti, expulsi de civitatibus, alii gladiis trucidati, alii fluminibus necati, diversisque mortium generibus interempti; nonnulli etiam sese diversa cæde interemerunt, itascilicet ut, digna de eis ultione peracta, vix pauci illorum in orbe reperirentur Romano.

Tunc quoque decretum est ab episcopis atque interdictum ut nullus Christianorum illis se in quocunque sociaret negotio. Si qui tamen de illis ad baptismi gratiam converti voluissent omnemque Judaicam respuere consuetudinem vel morem, illos tantum suscipere decreverunt. Quod et fecerunt plurimi illorum magis amore præsentis vitæ coacti metu mortis quam vitæ sempiternæ gaudiis. Nam quicunque illorum sese tales mentiendo fieri poposcerant paulo post ad morem pristinum sunt impudenter reversi. Præterea his ita gestis, prædictus litterarum bajulus ad nativum male securus repedavit solum. Cœpit itaque sedulo perquirere si forte quempiam gentis suæ fraudis conscium reperiret. Inventis vero perpaucis in civitate Aurelianorum pavide admodum degentibus, rursus cœpit illorum familiarius uti consortio. Accidit igitur ut quidam peregrinus, ejus in transmarino socius itinere atque D certissime illius itineris conscius negotii, illuc deveniret rursusque illum Judæorum amicitiis nimis hærere cerneret; palam universis indicare curavit quanti mali gerulus ille esset homoncio, ex cujus rei causa Judæorum potiretur opibus. Qui, illico comprehensus acrisque agitatus verberibus, propriæ dilationi confitetur crimen, moxque a ministris regis in conspectu totius plebis extra civitatem igni est traditus atque consumptus. Judæi tamen profugi ac vagabundi, qui in locis abditis delitescentes prædictæ superfuerant cladi, post quinquennium eversionis templi cœperunt in urbibus apparere perpauci. Et quoniam oportet, quamvis ad illorum confusionem, ut ex illis aliqui in futurum supersint,

vel ad confirmandum proprium nefas, seu ad testimonium fusi sanguinis Christi, idcirco vero credimus Christianorum animositatem divina dispensante providentia in eis ad tempus mansuevisse. Eodem nihilominus anno, divina propitiante clementia, cœpit mater ipsius principis, videlicet Ammirati Babylonis, mulier Christianissima, nomine Maria, reædificare Christi templum, jussu ejus filii eversum, politis et quadris lapidibus. Nam et vir ipsius, quasi alter Nicodemus, pater hujus scilicet de quo præsens est sermo habitus, occulte Christianus dicitur fuisse. Tunc quoque de universo terrarum orbe incredibilis hominum multitudo exsultanter Hierosolymam pergentes, domui Dei restaurandæ plurima detulerunt munera.

CAPUT VIII.

De hæresi apud Aurelianos reperta.

Tertio de vicesimo infra jam dictum millesimum anno, reperta est apud præfatam Aurelianensem urbem cruda nimium atque insolens hæresis, quæ scilicet diutius occulte germinata, in perditionis segetem male pullulans, plures in suæ cæcitatis præcipitavit laqueum. Fertur namque a muliere quadam ex Italia procedente, hæc insanissima hæresis in Gallias habuisse exordium, quæ ut erat diabolo plena seducebat quoscunque volebat, non solum idiotas et simplices, verum etiam plerosque qui videbantur doctiores in clericorum ordine. Quæ scilicet veniens civitatem Aurelianensem, dum moraretur ibi per aliquod spatium temporis, veneno suæ nequitiæ plures infecit. Quod etiam seminarium nequam in pluriores hi qui susceperant toto conamine spargere nitebantur. Fuerunt nempe hujus perversi dogmatis hæresiarches duo, heu! proh dolor! qui in civitate putabantur genere ac scientia valentiores in clero, quorum unus Heribertus, alter Lisoius dicebatur. Hi denique, quandiu res latuit, tam apud regem quam apud palatii proceres summam obtinuerant amicitiam. Nempe idcirco facilius quosque decipere potuerunt, quorum mentes amor fidei universalis minus astrinxerat. Qui non solum in prædicta urbe, sed etiam in vicinis urbibus malignum dogma spargere tentabant, dum quemdam sanæ mentis in Rothomagorum civitate presbyterum cupientes suæ consortem facere vesaniæ, missis legatis qui ei omne secretum hujus perversi dogmatis explanantes, docerent. Dicebant nempe fore in proximum, in illorum scilicet dogma cadere populum universum. Quibus compertis, presbyter sollicite perrexit ad Christianissimum comitem ejusdem civitatis Richardum, exposuit ei omnem rei, ut compererat, ordinem. Qui videlicet comes protinus misit celeriter ad regem, palam ei faciens clandestinam in regno proprio Christi ovium pestem. Ut autem cognovit rex, scilicet Robertus, ut erat doctissimus ac Christianissimus, tristis ac mœrens nimium effectus, quoniam et ruinam patriæ re vera et animarum metuebat interitum, idcirco quantocius Aurelianis properans, convocatis plurimis episcopis et abbatibus ac religiosis quibusque laicis, acerrime cœpit perscrutari qui essent auctores hujus perversi dogmatis, vel qui parti illorum jam decepti consentirent. Facta igitur perscrutatione inter clericos, quomodo unusquisque sentiret et crederet ea quæ fides catholica per doctrinam apostolicam incommutabiliter servat et prædicat, illi duo, videlicet Lisoius et Heribertus, statim se aliter sentire non negantes, quales diu latuerant, manifestaverunt. Deinde vero plures post illos se parti istorum profitebantur hærere, nec ulla ratione se posse affirmabant ab illorum segregare consortio. Quibus compertis, tam rex quam pontifices tristiores effecti interrogaverunt illos secretius, utpote viros hactenus in omni morum probitate perutilissimos, quorum unus Lisoius in monasterio sanctæ Crucis clericorum charissimus habebatur; alter idem Heribertus sancti Petri ecclesiæ, cognomento Puellaris, capitale scholæ tenebat dominium. Qui dum interrogati fuissent, a quo vel unde eis ista præsumptio accidisset, hujusmodi dederunt responsum : « Hoc enim diu est quod sectam, quam vos jam tarde agnoscitis, amplectimur, sed tam vos quam cæteros cujuscunque legis vel ordinis in eam cadere exspectavimus; quod etiam adhuc fore credimus. » His dictis, continuo palam exposuerunt omnium antiquarum stultissimam ac miserrimam, nempe sui deceptricem, hæresem. Cujus videlicet ratiocinatio tanto minus erat idoneis sermonibus obnixa, quanto constat esse illi ter veritati contrariam. Dicebant ergo deliramenta esse, quidquid in veteri ac novo canone certis signis ac prodigiis veteribusque testatoribus de trina unaque Deitate beata confirmat auctoritas. Cœlum pariter ac terram, ut conspiciuntur, absque auctore initii semper exstitisse asserebant. Et cum universarum hæresum insanientes, canum more latrantes deterrima, in hoc tantum Epicureis erant hæreticis similes, quoniam voluptatum flagitiis credebant, non recompensari ultionis vindictam. Omne Christianorum opus, pietatis duntaxat et justitiæ, quod æstimatur pretium remunerationis æternæ, laborem superfluum judicabant esse. Interea his aliisque quamplurimis insaniis impudenter ab eisdem prolatis, defuere fideles atque idonei testes veritatis, qui illis sufficienter se vellent tam veritati quam propriæ acquiescere saluti, respondere de suis cæcis atque erroneis assertionibus valerent.

Sed et nos quoque secundum exiguitatem nostri intellectus, his, quos prænotavimus, illorum erroribus vel per pauca respondere decrevimus. Primitus tamen fideles hortamur universos ut interim mentes illorum præsagium serenet Apostoli, qui prævidens in futuram hujusmodi cautelam intulit. *Oportet*, inquit, *hæreses esse, ut ii qui ex fide sunt probentur*. In hoc igitur permaxime istorum insipientia deprehenditur, atque ipsi omni scientia ac sapientia vacui pernoscuntur, cum negent creaturarum auctorem universarum, scilicet Deum. Quoniam manifestum est quod omne, quantæcunque sit molis vel magnitu-

dinis, si cujusque superatur magnitudine, a maximo omnium cognoscitur processisse : pari quoque ratione sciendum est, tam de re corporea quam incorporea. Sciendum etiam, quoniam quæcunque res, sive corporalis sive incorporalis, per quodlibet accidens vel motione, vel cujuslibet alternitate sit diversa ab immobili rerum præceptore, constat eam processisse per ipsum, et si forte quieverit finem expetere. Cum enim totius Conditor creaturæ propria essentia sit immobilis, propria essentia bonus simulque verax, sua omnipotentia naturarum modos distribuens ordinansque ineffabiliter, non exstat præter eum, ubi quietem expetant, nisi unde processerant redeant. Manifestumque est nihil in universis factori deperisse, nisi illud quod procaciter ab illo constitutæ transcendit ordinem naturæ. Et idcirco omnis res tanto melius veriusque est quod illam constat esse, quando solidius firmiusque in propriæ naturæ ordine consistit. Sicque fit, ut universa quæ illius dispositioni incommutabiliter obediunt, continue serviendo auctorem prædicent. Si qua vero res procaciter ab eo deviando in deterius cecidit, cæteris jure manentibus documentum præbuit. In prædictis videlicet creaturis quoddam medium continet genus hominum, potius scilicet cunctis animantibus, atque inferius cœlestibus spiritibus. Quod utique genus, ut diximus, velut medium superorum inferorumque, si cui parti plus adhæserit, illi efficitur conformis. Ideoque tanto infimis potius atque melius efficitur, quanto supernorum spirituum naturam imitatur. Soli etiam homini datum est, præ cæteris animantibus fore sese beatius, quoniam quidem et illum duntaxat, si caruerit, omnibus fieri devenire miserius (?). Quem videlicet conditionis ordinem caute ab initio providens omnipotentis bonitas Conditoris, cernensque sæpius eumdem videlicet hominem deserendo supera, involvi nimium infimis, fecit proinde plura identidem pro tempore ad eruditionem illius gratia erectionis prodigia. Hujus quoque rei testis vel documentum exstat omnis divinarum liber vel pagina litterarum. Quæ scilicet litteræ ipsius Omnipotentis magisterio repertæ, cum ejus specialiter multimoda gerant testimonia, mentem etiam seu intellectum hominis in eisdem eruditi ad cognitionis respectum sui erigunt Conditoris. Denique dum eidem homini depositæ ostendunt super quæ sit constitutus, aut sub quibus positus, inexplebile ingerunt ei desiderium; quoniam tantum ei incipiunt displicere universa quæ adsunt, quantum incaluerit ad amorem illorum quæ desunt, sitque tanto melior atque pulchrior, quanto his per amorem hæserit vicinior. Atque in quantum melior, in tantum illi, qui summe bonus exstat, Creatori similior. Et idcirco patenter datur intelligi, quoniam quisquis hominum hujus amoris vacuus fuerit desiderio, omni procul dubio fiet pecude miserior ac deterior. Quippe qui solus præ cunctis animantibus æternitatis potuit consequi beatitudinem, nullum præter eum corporale animal proprii erroris vel fragilis æternam sentiet vindictam. Sed et si cujus hominis animus sui Conditoris cognitionem desiderat, expedit ut primum studeat, qualiter sese ut prævaluerit intelligat. Quoniam sicut non contemnenda testatur auctoritas, quod in ea parte præcipue gerit homo speciem Conditoris, qua valet præ cæteris animantibus dono atque virtute rationis. Sed et sicut rationis bonum custodiunt sui moderamen et auctoris dilectio, id est vera humilitas et perfecta charitas, ita illius annullant utilitatem: nequam concupiscentia et furor. Hisque non repugnando efficitur homo bestiis similis, illis inserviendo conformatur ad speciem vel imaginem Conditoris, ut videlicet per humilitatem sese quid sit intelligat, per dilectionem vero in boni Conditoris similitudinem transeat. Ob id etiam constituuntur ei solummodo ab hominibus preces et donaria, ut vel illis donum rationis servet integrum, seu, quod minus est, aut depravatum Conditoris bonitas augeat et reformet. Simul etiam laus et benedictio exhibentur eidem Conditori ut fiant hominibus sana mente ac ratione vigentibus illius testimonium cognitionis; et quanto plus cuique contigerit in Conditoris cognitionem proficere, tanto magis reperiet idem homo se ipsum per eamdem cognitionem et plus et melius effectum esse. Nec isdem poterit in aliquo Conditoris sui opere existere blasphemus, qui illius cognitione omnimodis melior quam exstiterat fuerit effectus. Atque ideo manifestum est, quoniam quicunque illius operationis blasphemus exstitit, ejus cognitionis alienus fuit. Unde etiam certissime comprobatur, quoniam sicut ad summum bonum deducit omnem hominem Creatoris cognitio, sic demergit ad extremum malorum illius ignoratio. Nam plures illius beneficiis per insipientiam ingrati, ac misericordiæ operibus illudentes atque increduli, pecudibus deteriores effecti, qui etiam in suæ cæcitatis caliginem perpetuo sunt demersi. Et quod plerisque contigit, factum in suæ salutis maximum remedium, exinde sibi alii acquisiere præeunte culpa æternum detrimentum. Hoc perspicacissime et permaxime claret in omnipotentis Patris singulari gratia, sponte de cœlo hominibus ab eo in mundo missa per suæ majestatis atque Deitatis coæternum Filium, videlicet Jesum Christum. Qui scilicet cum Patre æque origo omnis vitæ et veritatis atque bonitatis exhibuit se plane credentibus. Quibusque a sæculis incognitum, occultis ænigmatibus involutum, de se etiam testimonium perhibentium Scripturarum, adimplebile documentum. In quo etiam veracibus verbis et prodigiis se ipsum, et suum Patrem atque eorum Spiritum in tribus discrete certissimis personis unum idem esse, id est unius æternitatis et potentiæ uniusque voluntatis atque operationis, et quod idipsum totum est, unius bonitatis et per omnia coæqualis essentiæ. Ex quo scilicet, et per quem, et in quo sunt omnia, quæ vere esse habent, plenum semper et æquale subsistens, ante omnia temporum curricula rerum,

principium. Cujus etiam tota plenitudo per omnia, et finis omnium. Sed cum ipse Omnipotens in quodam creaturarum medio, videlicet in homine, suam expressisset imaginem, illumque proprio dimisisset arbitrio, insuperque omnia mundi optima illius ditioni subdidisset, neglecto propriæ constitutionis moderamine, ac plus quidpiam vel aliud quam auctoris voluntas illum decreverat sese existimans fore, continuo tanto deterior est effectus, quanto præsumptior. Ad cujus potiorem etiam reformationem idem Conditor personam filii suæ Deitatis misit in mundum, sui præformatam sumere imaginem. Quæ scilicet quanto utilior ac decentior, tanto subtilior ac mirabilior. Quam etiam plerique hominum non valentes, seu minus volentes credere, vel amare, ut sic tandem in illa suæ salutis sufficientiam potuissent intellectam reperire; potiusque diversis impliciti erroribus tanto exstiterunt veritatis rebelles, quanto probantur illius cognitionis expertes. De quorum procul dubio sorte sunt universæ hæreses, vel quorumcunque errorum sectæ in toto terrarum orbe. Quibus scilicet omnibus, nisi conversi sequantur Jesum gesta plenitudine, melius fuerat non fuisse. At quorum mens plena fide amando et credendo illi obedivit, tanto meliores ex eo effecti quanto perfectius adhæserunt illi, qui est initium et perfectio totius boni. Ex his nempe constat tota sanctorum laudabilis summa, quorum venerabilis memoria universa sæculorum ornat tempora. Quibus etiam datum est cum universorum Creatore perenne et feliciter esse et vivere, illiusque semper agnitionis visione beatiores fore. Nos igitur tandem credimus, ut spoponderamus, his paucis illorum damnatorum insaniæ sufficienter respondisse. Præterea cum a pluribus omni sagacitate laboratum fuisset, qualiter deposita mentis perfidia veram et universalem reciperent fidem, atque illi omnimodis se facere denegarent, dictum est eis, quoniam nisi celerius ad sanam fidei mentem redeant, regis jussu et universæ plebis consensu igne essent protinus crematuri. At illi male in sua confisi vesania, vel pertimescere se jactantes, seque evasuros ab igne illæsos promittentes, quin potius ad meliora sibi suadentibus spernendo illudebant. Cernens quoque rex et universi qui aderant, minus posse illos revocari ab insania, jussit accendere non longe a civitate ignem permaximum, ut vel eo forte territi a sua malignitate desinerent. Ad quem cum ducerentur, rabida adacti dementia, se omnimodis hoc velle proclamabant ac sese ultro ad ignem trahentibus inferebant. Quibus ad ultimum numero 13 igni traditis, cum jam cœpissent acrius aduri, cœperunt voce qua poterant ex eodem igne clamare se pessime deceptos arte diabolica nuper de universorum Deo ac Domino male sensisse, et ob hanc ab eisdem illatam ei blasphemiam illos temporali atque æterna ultione torqueri. Iis vero plures e circumstantibus auditis, humanitatis pietate permoti accedentes, ut vel semivivos ab igne eriperent, minime valuerunt, quoniam vindice flamma consumente illos, continuo in pulverem sunt redacti. Si qui vero postmodum hujus perversitatis sectatores fuerunt reperti, simili ultionis vindicta ubique fuerunt perditi. Præterea venerabilis catholicæ fidei cultus, exstirpata insanientium pessimorum vesania, ubique terrarum clarior emicuit.

CAPUT IX.

De filiis regis ejusdem.

Suscepit igitur præfatus rex de suprascripta conjuge sua filios quatuor, providusque de regni successu, elegit regnare post se illorum primogenitum Hugonem nomine, puerum adhuc, clarissimæ indolis illustrem. Cumque de ipsius sacrando sublimio primates regni sagaciores consuluisset, tale ei dedere responsum: « Sine puerum, rex, si placet, crescendo procedere in viriles annos, ne, veluti de te gestum est, tanti regni pondus infirmæ committas ætati. » Erat autem idem puer ferme decennis. Qui minime illorum acquiescens dictis, matre præcipue instigante, regio in Compendio adscitis regni primoribus, coronam, ut decreverat, ex more a pontificibus fecit puero imponi. In processu quoque temporis cum adolevisset, cernens se nil dominii rei peculiaris præter victum et vestitum ex regno, unde coronatus fuerat, posse mandare, cœpit corde tristari atque apud patrem ut ei quidpiam dominii largiretur conqueri. Quod ejus mater comperiens, ut erat avarissima maritique magistra, fieri renitens, insuper convitiis ac maledictis juvenem lacessebat. Et sicut quidam ait: *Novi ingenium mulierum, cum velis, ipsa nolit; at si nolis, cupiet ultro:* nam quæ prius, ne fastu regni careret aliquo, ingruente mariti infortunio contra omnium sola decretum sublimavit puerum, postea toto mentis nisu, ac si hostem alienigenam, turpabat illum verbis et operibus. Ille vero cernens se non posse diutius talia æquanimiter tolerare, junctis secum aliquibus suæ ætatis juvenibus, cœpit infestari ac diripere ad libitum res genitorum. Tamen paulo post Dei nutu in se reversus, ad genitores rediens, humili eos satisfactione benevolos erga se reddidit. Tunc demum ab eisdem largitur illi, ut optimum decebat filium, jus ubique ac potestas regni. Sed qualis et quantus postmodum exstitit, præsenti stylo nequit explicari. Quam humilis ac dulcis eloquio, patri ac matri servis obedientior, pauperum largus dator, monachorum et clericorum consolator, nec non apud patrem cunctorum rogantum fidelissimus interventor, quam affluenter in cunctis optimis melior, quis valet exsequi relator? Hujusmodi enim fama ubique provinciarum percitus peroptabatur a multis, præcipue ab Italicis, ut sibi imperaret, in imperium sublimari. Nam et ex cognomento proavi, Magnus Hugo dicebatur a cunctis. Dum igitur incomparabili mentis simul ac corporis decore floreret, exigentibus majorum flagitiis, repente illum mors invida mundo subripuit. Sed quale justitium contigit universis, nullo sermone

valet exprimi. De cujus etiam funere subsequentes iambicos rogatus a fratribus cecini :

Plasmator, parce mœstis mundialibus,
Succurrat fletus intimis doloribus :
Pascat mœrentes singultuum gemitus,
Humanum decus dum rapit interitus.
Annis florebat mundo juvenilibus,
Ter denis minus exereverat duobus,
Regnorum lumen Hugo, regum maximus.
Quem nox funesta invidit hominibus.
Non alter nostro talis emicat ævo,
Regnis spectatus, adscitus imperio.
Bellorum tanto decoretur triumpho,
Vigore pari valeat corporeo.
Quo gens Francorum vigebat lætabunda,
Fideique pace tota simul Gallia.
Omnis quem prona poscebat Italia,
Cæsar ut jura promeret regalia.
Sed te non nostra, juvenum pulcherrime,
Heu ! proh dolor ! tempora meruere;
Quibus inundant malorum miseriæ,
Vires bonorum corruunt assidue.
Tu dolor matris, calamitasque patris,
Crudele nimis monimentum germanis :
Mœror communis cunctis in palatiis,
Justitiumque populorum ultimis.
Leone presso, virgo solem ceperat,
Tua cum dirus membra pallor occupat.
Denis diebus sorte fit lux septima,
Te patri fama perdidisse nuntiat.
Jam sæculorum, cerne, rector optime,
Gentem Francorum qui regat tutissime,
Hostemque sævum valeat repellere :
Pactum quietis illi da perpetuæ.

Qui in eadem qua primitus coronatus fuerat ecclesia, beati martyris Cornelii videlicet, regio in Compendio est sepultus. Post cujus obitum cœpit iterum idem rex tractare, quis potissimum ex residuis filiis post se regnare deberet. Constituerat autem secundum Burgundiæ ducem Henricum nomine post Hugonem natum, ipsumque decrevit pro fratre in regnum sublimare. Sed rursum mater muliebri animositate agitata, tam a patre quam a cæteris, qui parti illius favebant, dissentit, dicens : Tertium ad regni moderamen præstantiorem fore filium, qui et Roberti patris nomine censebatur. Hoc quippe inter fratres seminarium discordiæ fuit. Coadunatis denique rex metropoli Remis regni primatibus, stabilivit regni coronæ Henricum, quem delegerat. Tunc demum post aliquod temporis spatium, illi duo fratres, firmato amicitiæ fœdere, præcipue ob insolentiam matris cœpere vi invadere vicos et castella sui patris, ac circumcirca diripere quæ poterant bonorum illius. Nam ille, quem regem fecerat, Drogas illi castrum subripuit : alter vero in Burgundiæ partibus Avallonem atque Belnensem [*al.*, Belensem]. Pro quibus rex gravi turbatus amore, colligens exercitum ascendit Burgundiam : bellum plus A quam civile patratur. Interea cum super his venerabilem Patrem Willelmum consuluisset, apud Divionensi castro, quid agere deberet; oransque, ut erat vir totius mansuetudinis et pietatis, qualiter tam pro se quam pro illis Dominum oraret, tale responsum ab eodem suscepit : « Meminisse te, o rex, convenit injuriarum opprobriorumque patri ac matri a te illatorum in tua juventute, quoniam talia tibi, justo judice Deo permittente, a filiis ingeruntur, qualia tu ipse genitoribus ingessisti. » Hæc audiens rex patientissime tulit; seque ultro culpabilem clamans, non negavit. Deinde post obsidionem ac depopulationem utriusque provinciæ, ad pacem redeuntes, paulisper quieverunt. Anno quoque sequenti mense Julio Robertus rex apud castrum Meledu- B nense diem clausit extremum, delatumque est corpus ejus ad ecclesiam sancti Dionysii martyris, ac in eadem sepultum. Tunc rursus oritur inter matrem et filios rediviva discordiæ crudelitas, ac præteritarum irarum frena laxant inveterata odia. Diu multumque vastando res proprias debacchatum est, donec Fulco Andegavorum comes, cognatus [*al.*, avunculus] scilicet ipsorum, matrem redarguens cur bestialem vesaniam erga filios exerceret, utrumque parentem in pacem reduceret. Sequenti vero anno eodem mense, atque in eodem castro quo rex obierat et ipsa obiit, indeque portata est ad sancti Dionysii basilicam, ac juxta regem sepulta. Henricus nempe rex, paternis rebus potitus, germanum suum Robertum constituit Burgundiæ ducem. Præ- C terea cum idem rex rempublicam vivaci mente et agili corpore regni sui discuteret, tunc contigit ut Leotericus Senonum archipræsul obiret. Ille vero unum de suæ gentis nobilibus consecrari mandavit atque in ejus loco subrogari. Sed Odo rerum ditissimus, licet fide pauper, alterum econtra delegerat, ne jus regium hac in parte foret integrum. Nam qui viventi patri Roberto multa tam vi quam calliditate subripuerat; arte simili filiis facere cupiebat. Cum enim primitus civitates, Trecorum videlicet ac Meldorum, cum multiplicibus castris, illi præripuisset, post mortem ejus conjugi et filiis illius Senonicam subripuit urbem, quam etiam tunc adversus illos infamis possessor vallaverat. Quod cernens Henricus, acra animi ferocitate tandiu illum insecutus est de- D bellando, quousque genu flectens ei se subderet, ejusque ditioni obediens pareret. Erat enim isdem Odo natus ex filia Chuonradi regis Austrasiorum Berta nomine, licet a patris sui proavis obscuræ duxisset genus lineæ. Et quoniam regi Rodulfo, avunculo scilicet ejus, non erat proles ulla, quæ foret regni hæres, præsumpsit ipso vivente, vi potius quam amore, regni habenas præripere, conferens insuper multa donaria, ut ei assensum præberent primores patriæ. Sed nequidquam : Domini est enim regnum, et cuicunque voluerit, dabit illud. Est etiam proverbium : Secundum fidem hominis erit amicus illius. Gens enim præcipue regni ejusdem assertionem fidei floccipendit, et fœdus pro nihilo

ducit. Exstitit igitur post mortem Henrici imperatoris, qui fuit nepos regis Rodulfi, Chuonradus de quo in subsequentibus narrabimus, habens in conjugio neptem præfati Rodulfi: ob hoc maxime valenter resistens contradicebat Odoni. Quorum etiam lis acerrima regni utriusque maximam fecit depopulationem. Ad ultimum denique cum jam in conspectu Dei excederet mensura tanti mali, collecto undecunque exercitu permaximo, conscendit Odo in Tullensem pagum, quem jam sæpius depopulaverat, ibique oppugnans cepit Barrense castrum, cum magna tamen diremptionis eversione totius provinciæ. Cumque in eodem castro locatis militibus ad custodiam ferme quingentis, ut tamen ipse quantocius ad propria repedaret, utpote qui curis agitabatur innumeris: præstolabantur itaque illum legati ex Italia directi, deferentes ei arrham principatus, ut agebant, totius Italiæ regionis. Contempserant enim suum principem, prædictum videlicet Chuonradum, Mediolanenses, conjuratione facta adversus eum, junctis sibi quos poterant ex civitatibus in circuitu. Existimabant quoque eumdem Odonem posse percipere regnum Austrasiorum, atque ad eos transire, ut illis gereret principatum. Sed sicut ait Manufortis insignis præcentor bellorum Domini: *Dejecisti eos*, inquiens, *dum allevarentur*, ita contigit. Nam subito Gocilo dux totius primæ Rhetiæ regionis cis Rhenum cum exercitu nimio in eum irruens, omnem Odonis exercitum in fugam vertit, licet ex utraque parte plurima multitudo moriens corruerit. Tunc denique et ipse Odo miserrime interiit; cujus lacerum cadaver Rogerius Catalonorum præsul, habens secum virum venerabilem abbatem Richardum, a cæde suscipiens uxori reddidit. (24) [Narrant etiam plerique, quod corpus ejus diu multumque quæsitum inveniri non potuit, donec uxor ejus veniens tali intersignio invenit: habebat enim verrucam inter genitalia et anum.] Quod sic inventum accipiens, direxit illud Turonis, ibique sepultum est juxta patrem suum in atrio sancti Martini superioris cœnobii. Et quidem finis Odonis talis exstitit. Quem idcirco huic seriei intexere voluimus, qualiter impræsentiarum cognosceretur rerum Creator justissimus potenter explere, quod olim Thesmoforo suo Moysi promisit: *Ego*, inquiens, *Dominus, qui judico peccata patrum in filiis in tertiam et quartam generationem*. Tertius namque hic Odo, de quo a nobis sermo superior est habitus, nepos fuit illius Tebaldi Carnoti comitis, cui cognomen Tricator fuit. Hic nempe quondam junctus Arnulfo Flandrensi comiti, expetens per legatos Willelmum Rothomagorum ducem velut ad familiare colloquium pacis, promittens se ex parte regis Francorum seu Hugonis Magni, qui fuerat filius Roberti regis, quem Otto dux Saxonum, postea vero imperator Romanorum, Suessionis interfecit, et utilia esse dicturum: at ille quoque, ut erat vir innocens, licet potentissimus, ubi illi constituerat, per fluvium Sequanæ evectus navigio, velociter illi adfuit. Qui dum simul convenientes irruunt in amplexus, unus simplicitate revera, cæteri dolo illecti, simulatæ pacis atque amicitiæ miscuere colloquia. Post finem vero insimulatorum verborum cœpto recessu, jam longiuscule progrediente Willelmo, revocavit eum Tebaldus quasi secretiora adhuc ei loquens creditturus, seu charius valedicturus. At ille remum dextra accipiens, prohibuit ut nemo suorum exiens eum sequeretur; exsilivit ad ripam. Tebaldus quoque illum appropinquans, quasi aliquid loquturus, illico exerta, quam ad hoc tulerat sub pallio, spata, uno ictu a corpore caput decussit. Quod cernentes qui cum Willelmo venerant, remigando fugam arripiunt, nuntiavere Rothomagensibus ut contigerat. Erat enim Willelmo filius ex concubina Richardus nomine, tamen adhuc adolescens. Quem accipientes sui statuerunt pro patre principem regni. Tebaldus nempe patrato scelere concitus perrexit ad Heribertum Trecorum comitem, petens ab eo sororem ipsius dari sibi in conjugium, uxorem scilicet prædicti Willelmi quem interfecerat. At ille statim promisit dari, vocans eam ad colloquium sui, quæ nondum genuerat prolem, quasi consolaturus ex damno mariti, tradidit illam Tebaldo, detestabile satis in conjugium. Ex qua genuit Odonem, patrem videlicet istius, cujus finem teterrimum supra diximus. Illud etiam commemorari in calce tertii libelli placuit, qualiter vindex divina potestas totius boni moderatrix, insolentiæ humani generis vel ultrix impræsentiarum exstiterit. Olim igitur circa millesimum incarnati Verbi annum, cum rex Robertus accepisset sibi reginam Constantiam a partibus Aquitaniæ in conjugium, cœperunt confluere gratia ejusdem reginæ in Franciam atque Burgundiam, ab Arvernia et Aquitania, homines, omni levitate vanissimi, moribus et veste distorti, armis et equorum phaleris incompositi, a medio capitis nudati, histrionum more barbis rasi, caligis et ocreis turpissimi, fidei et pacis fœdere omnino vacui. Quorum itaque nefanda exemplaria, heu! proh dolor! tota gens Francorum nuper omnium honestissima ac Burgundionum sitibunda rapuit, donec omnis foret nequitiæ et turpitudinis illorum conformis. Si quilibet vero religiosus ac Deum timens talia gerentes compescere tentavisset, ab eisdem insania notabatur. Sed vir integerrimæ fidei, ac constantiæ pater, videlicet Willelmus, quem jam supra commemoravimus, rejecto pudore sumptaque spiritali invectione, regem pariter ac reginam, cur talia in suo regno permitterent fieri, acerrime increpavit, quippe quod cæterorum honestissimum honore et religiositate diutius claruerat regnorum. Cæteros quoque inferioris gradus seu ordinis ita redarguens comminabatur, ut plerique monitionibus illius coerciti, relicta superstitiosa vanitate, in pristinum se reformarent usum. Asserebat igitur idem abbas hæc omnia molimina calteria esse Satanæ; ac si quis hominum talibus insigniis calteriatus ex-

(24) In uno cod. addita sunt sequentia in margine, sed recentiore manu.

hoc sæculo migrasset, difficulter a diaboli vinculis posse eripi. In pluribus tamen nequam usus convaluit, cujus etiam detestans elogium paucis heroicis pernotavi :

Anno post Dominum terris de Virgine natum
Milleno, gravibus homines erroribus acti,
Dum cupimus rerum species intendere plures,
Præteritisque placet studiis componere mores,
Objectat sese novitas incauta periclis.
Ecce priora sibi rident, et tempora nostri
Ludicra, quæque probris sociant, tumque usibus [aptant
Turpia nec horrent, animis et seria calcant.
Quæ justos rexere viros, honesta refutant.
Corpore perverso creat hæc nunc vita tyrannos,
Trunca veste viros, sine fœdere pacis ineptos.
Consilio muliebre gemit respublica laxa.
Fraus, raptus, quodcunque nefas dominantur in [orbe.
Nullus honor sanctis, nulla est reverentia sacris.
Hinc gladius, pestisque, fames, populantur ubique.
Nec tamen impietas hominum correcta pepercit.
Ac nisi magna Dei pietas protenderet iram,
Infernus hos terricrepo consumeret ore.
Hoc habet infelix peccandi consuetudo,
Quod plus quis peccat minus hic peccare pavescat,
Quisque minus peccat, magis hic peccare timescat.

LIBER QUARTUS.

CAPITULA LIBRI QUARTI.

I. *De universalitate Ecclesiæ a Constantinopolitanis injuste requisita.*
II. *De hæresi in Italia inventa.*
III. *Quod peccatis hominum exigentibus, Domino permittente, a nequam spiritibus aliquando fiant miracula.*
IV. *De fame validissima, quæ contigit in orbe terrarum.*
V. *De pace et abundantia anni millesimi a passione Domini.*
VI. *De confluentia populi totius orbis, quæ ad sepulcrum Domini Hierosolymis facta est.*
VII. *De prœliis Sarracenorum adversus Christianos in Africæ partibus.*
VIII. *De Leuticorum prœlio adversus Christianos in partibus Aquilonis.*
IX. *De signo quod in sole apparuit.*

PRÆFATIO.

Post multiplicia prodigiorum signa, quæ tam ante quam post, circa tamen annum Christi Domini millesimum in orbe terrarum contigere, plures fuisse constat sagaci mente viros industrios, qui non his minora propinquante ejusdem Dominicæ passionis anno millesimo fore prædixere; quod utique evidentissime contigit. Mortuo quoque, ut jam diximus, Henrico piissimo imperatore, cui scilicet nulla proles exstitit, qui in regnum post illum succederet, nonnulli sese inferre tentantes de primatibus, qui tamen potius ut regni corona fulgerent, quam profectum reipublicæ moderamenque justitiæ exercerent: præ cunctis ergo quidam Chuonradus, quem superius taxavimus, audax animo et viribus ingens, sed fide non multum firmus. Cum enim diu multumque de constituendo regni principe, ac præcipue inter præsules, tractatum fuisset, visum est eis ipsum Chuonradum debere eligere, nisi quod unum intererat, propter quod Henricus etiam illum valde exosum habuerat. Habebat enim conjugem, quæ illi erat affinis, quam etiam primitus quidam cognatus ipsius duxerat. Præterea innotuerunt ei pontifices, quid potissimum vellet, aut tale conjugium, quod manifestissime sacræ auctoritati nimium repugnabat, tenere; seu, eo dimisso, coronam imperii sumere. Qui protinus dimittendum promisit talis incesti conjugium, seque parere diligentissime illorum dictis, et obedire consiliis. Deinde vero mittunt ad papam Romanum, ut eis in hoc quod decreverant consentiret. Qui statim libentissime annuit, mandans insuper ut quantocius, suscepto Germaniæ sceptro, Romam pergeret susceptorus totius Italiæ coronam. Interea indeptus regni infula Chuonradus Italiam perrexit, secumque ducens uxorem, quam, ut diximus, illicito ceperat matrimonio. Cui protinus in descensu Alpium, quem Curiam Gallorum licet corrupte vocant, in oppido Cumis occurrit cum summo apparatu papa Romanus, ut ante spoponderat. Fuere tunc quidam de marchionibus Italiæ, qui minus ei assensum præbuerunt. Sic enim illis facere mos est, ut jam supra taxavimus, in mortibus imperatorum. Nam et Papienses, cæterorum superbissimi, palatium regis in sua civitate operoso sumptu constructum destruxerant usque ad solum. Ille vero ut comperit, ferociter irruit, Iporeiam primitus civitatem capiens, deinde cæteras cum castris universis propriæ subjiciens ditioni. Sicque Romam deveniens, coronam ex more sumpsit imperii. Cui dum episcopi suggererent, ut auctoritate Romani pontificis, qualiter illis promiserat, repudium illiciti faceret conjugii, graviter accipiens, dixit: Se imperatorem creatum nullo modo debere uxore viduari, ac, sicut inepte ceperat, tenuit.

CAPUT PRIMUM

De universalitate Ecclesiæ a Constantinopolitanis injuste requisita.

Circa annum igitur Domini millesimum vicesimum

quartum, Constantinopolitanus præsul cum suo principe Basilio, aliique nonnulli Græcorum consilium iniere, quatenus cum consensu Romani pontificis liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicuti Romana in universo, universalem dici et haberi. Qui statim miserunt qui deferrent multa ac diversa donorum xenia Romam tam pontifici quam cæteris quos suæ parti favere conspicerent. Ubi convenientes, exposuerunt apud pontificem suæ profectionis querelam. Sed quid non pertentat cæcus amor habendi? estque proverbium, aureo pugillo murum frangere ferreum. Ac licet pro tempore philargyria mundi regina queat appellari, in Romanis tamen inexplebile cubile locavit. Mox namque ut videre Græcorum sibi deferre fulgidas opes, versum est cor illorum ad fraudulentiæ diverticula, pertentantes an forte clanculo concedere quiverant quod petebatur. Sed nequaquam. Non enim potest falli summa Veritas, quæ spopondit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Dum ergo adhuc leni sub murmure hujusce machinatores in conclavi sese putarent talia tractavisse, velox fama de ipsis per universam Italiam decurrit. Sed qualis tunc tumultus, quam vehemens commotio per cunctos exstitit, qui audierunt, dici non valet. Præcipue tamen vir prudentissimus, Pater videlicet Willelmus, de quo jam diximus, ad Romanum pontificem de hac re misit epistolam corpore brevem, sed materia ingentem, ac sermone pungentem, talia continentem: « Gratia Dei et reverentia beati apostolorum principis Petri sedium in orbe terrarum excellentissimo, indepto papæ Joanni [*al.*, Gregorio], Willelmus crucis Christi servus, sedem judicii cum apostolis, et regni coronam. Magistri gentium dictis instruimur, seniorem non increpandum. Idem tamen alias dicit: *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* Idcirco igitur filiationis diligentia hortamur communem vestram paternitatem, qualiter in uno imitemini cogitationes hominum, providentem Dominum Salvatorem, ut dicatis ad aliquem vobis unanimem, quemadmodum ipse Petro: *Quid dicunt homines de me?* Si vero responsum illius ex fide fuerit, animadvertite qualiter sonuerit. Si autem clare, custodite ne obfuscetur. Si vero obscure, lux mundi oranda est, qualiter ita fulgeatis, ut universis in gremio Ecclesiæ constitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. Sed est fama rei, quæ nuper erga nos accidit, de qua quis audiens non scandalizatur, noverit se longe ab amore superno disparari. Quoniam licet potestas Romani imperii, quæ olim in orbe terrarum monarches viguit, nunc per diversa terrarum innumeris regatur sceptris, ligandi solvendique in terra et in cœlo potestas, dono inviolabili incumbit magisterio Petri. Atque ista idcirco diximus, ut animadvertatis non aliter Græcis quam cenodoxia hujusce quam audivimus, apud vos requirere impetravisse. De cætero quoque optamus, uti universalem decet antistitem, vos acrius in correctione ac disciplina sanctæ et apostolicæ Ecclesiæ vigere, æterneque ac feliciter valere. Erat quippe Joannes [Gregorius] iste, cognomento Romanus, frater illius Benedicti [Joannis], cui in episcopatum successerat largitione pecuniæ, repente ex laicali ordine neophytus constitutus præsul. Sed insolentia Romanorum hujusmodi adinvenit palliatæ sub dolositatis ridiculum, scilicet ut quemcunque pro suo libitu in præsentiarum ad pontificatus officium delegerint, mutato nomine, quod illi prius fuerat, aliquo magnorum pontificum nomine illum appellari decernunt. Re vera quem si non meritum rei, saltem nomen extollat. Præterea Constantinopolitani ad propria remeantes, confutata illorum undique tumida præsumptio conquievit.

CAPUT II.

De hæresi in Italia inventa.

Castrum igitur erat per idem tempus in gente Longobardorum, quod ut erat vocabatur, Mons videlicet fortis, plenum etiam ex nobilioribus ejusdem gentis. Hos nempe cunctos ita maculaverat hæretica pravitas, ut ante erat illis crudeli morte finiri, quam ab illa quoquomodo possent ad salubberrimam Christi Domini fidem revocari. Colebant enim idola more paganorum, ac cum Judæis inepta sacrificia litare nitebantur. Sæpissime denique tam Mainfredus marchionum prudentissimus, quam frater ejus Alricus Astensis urbis præsul, in cujus scilicet diœcesi locatum habebatur prædictum castrum, cæterique marchiones ac præsules circumcirca creberrimos illis assultus intulerunt, capientes ex eis nonnullos, quos dum non quivissent revocare ab insania, igne cremavere. Contigit ergo in vicino haberi aliud castrum nostræ religionis et fidei, in quo quidam miles aliquando ægrotans ad extremum pene devenerat. Ad quem utique visitandum ex hæreticorum castello illorum præcipua, juxta morem, veniens mulier, re vera potius ut evidentior fieret secta ejusdem nequitiæ, protinus ut egrediens domum in qua æger decubabat, intraret, repente prospiciens is qui languebat, vidit intrare cum eadem muliere ad se innumerabilem exercitum in nigerrimis vestibus faciebusque teterrimis. Qua vero ingressa, postquam languentis frontem, ac pulsum pectoris, et cætera, ut usus habet, manu perlustravisset, pronuntiaretque illum convaliturum in proximum, domo egressa est, totaque simul familia cum illa solum reliquere infirmum. Statim quoque adfuit illi nigrorum, quem viderat, globus, cui ita, qui videbatur illorum princeps, infit: « Agnoscis me, inquiens, Hugo? Hoc enim erat illius ægri vocabulum. Cumque ille respondens diceret: Tu quis es? dixit ei: Potentissimus potentum, ac ditissimus divitum ego qui occurro tibi. Si me tantum crediderís facere posse, ut te a morte, quæ præsens imminet, eripiam, longoque vives tempore. Et ut certissime credas quod spondeo, noveris meo auxilio meaque industria Chuonradum hoc tempore imperatorem esse creatum. Tu quippe bene nosti quod nullus imperatorum ita velociter omnem Germaniam atque Italiam, sicut iste, suæ subjugavit ditioni. Novi, inquiens æger, et mirum diu mihi

cum cæteris fuit. Deinde vero primæ fraudis auctor adjecit: « Nonne etiam in transmarinis partibus regnum Græcorum post Basilium Michaeli mihi obedienti tradidi? Idcirco crede mihi, et faciam tibi multo majora quam sperare queas, teque ipsum sanitati restituam. » Erat quippe fama tunc temporis quod idem Michael cubicularius fuisset Basilii, clamque illi venenum in potu ad necem dedisset. Cujus procul dubio imperii post mortem ejus sumpsit coronam. Cujus etiam, ut par erat, regimen imperii non satis utile fuit. Interea memoratus Hugo in sese reversus, dextra signum venerabilis crucis exprimere tentans, dixit: « Ego vero Jesum Dei Filium testor, quem adoro, credo et confiteor, non alium te omnino credidero, nisi ut fuisti et es, fallacem diabolum. » Tunc dæmon continuo hanc vocem edidit: « Quæso ne brachium contra me erigas. » Sicque continuo omnis ille globus ut fumus evanuit. At ille exclamans voce qua potuit, occurrunt quippe domestici, narrat illis ex ordine quæ vidit, quæ audivit. Quibus dictis, ipso die ante solis occasum obiit. Nulli denique dubium quoniam ista et sibi et nobis vidit.

CAPUT III.

Quod peccatis hominum exigentibus, Domino permittente, a nequam spiritibus aliquando fiant miracula.

Divina igitur auctoritas per Moysen Judæis prolata taliter illos monuit, dicens: *Si fuerit*, inquit, *propheta inter vos, loquens in nomine alicujus deorum gentium, qui prædixerit quidpiam futurum, et fortuitu evenerit, non credatis ei, quoniam tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum, an non.* Habemus ergo in præsentiarum in re dissimili non dispar exemplum. Fuit enim in præscripto tempore homo plebeius mangonum callidissimus, ignoti tamen nominis et patriæ, quoniam pro diversitatibus locorum quærens latebram ne agnosceretur, fraudulenter imponebat sibi vocabula, vel de qua foret provincia. Effodiebat quoque e tumulis clancule ossa evelliens a cineribus nuperrime defunctorum hominum, sicque imposita in diversis apophoretis venditabat apud plurimos pro sanctorum martyrum seu confessorum reliquiis. Hic vero, post innumeras hujusce illusiones in Galliis patratas, perfuga venit ad loca Alpium, ubi persæpe brutæ gentes inhabitant habentes in arduis plurima domicilia. Ibi nempe se Stephanum nuncupavit, qui alias Petrus, alias Joannes dictus fuerat. Illic ergo more solito noctu colligens a loco abjectissimo ignoti ossa hominis, quæ posuit in cassella et feretro, dicebat sibi angelica ostensione revelatum fuisse quem fingebat esse sanctum martyrem nomine Justum. Mox quoque vulgus, ut se in talibus habere solet, ignavum quidquid rusticanæ plebis fuit totum ad hanc famam confluit: pœnitet insuper si non est sibi morbus, quo curari deposcat. Tunc ducit debiles, confert munuscula, pervigil tenet excubias, præstolans repentina fore miracula, quæ, ut diximus, aliquoties permittuntur fieri a malignis spiritibus tentatorie, peccatis hominum præcedentibus, quod tunc procul dubio evidentissime claruit. Multimode quippe membrorum reformationes ibidem visæ sunt exstitisse, ac insignia pendere oscillorum multiformia, nec tamen Morianneæ, vel Uzeticæ, seu Gratinonæ urbium præsules, in quorum diœcesibus talia profanabantur, diligentiam hujus inquirendæ rei adhibuere. Quin potius concilliabula statuentes, in aliquibus nihil aliud nisi inepti lucri quæsitum a plebe, simul et favorem fallaciæ exigebant. Interea Mainfredus, marchionum ditissimus, hujusmodi famam comperiens, misit e suis, qui vi rapientes illud quod colebatur simulacrum sibi deferrent, quem æstimabant martyrem venerandum. Imperat idem marchio constituere monasterium in Seutiæ castro, quod est antiquissimum inter Alpes, in honore Dei omnipotentis, ejusdemque genitricis Mariæ semper Virginis. In quo etiam post expletionem operis illum cum aliis quamplurimis sanctorum pignoribus locare decreverat. Post paulum quoque completo ecclesiæ opere, statutoque dedicationis die, accersitis episcopis in giro degentibus, cum quibus etiam sæpe nominatus abbas Willelmus, nonnullique abbates adfuerunt. Erat autem tunc prædictus ibi mango jam dicto marchioni percharissimus effectus, quippe quoniam spondebat se multo pretiosiora sanctorum pignora in proximo revelaturum, quorum scilicet gesta et nomina, atque passionum certamina, ut cætera, fallaciter confingebat. Qui cum a doctioribus quibusque interrogaretur, qualiter talia perno sceret, minus verisimilia blaterans personabat. Nam et egomet cum sæpius nominato abbate illuc deveniens intereram. Aiebat namque: « Apparet, inquiens, mihi noctu angelus, narratque ac docet quæcunque me velle scire noverit, et tandiu apud me manet, usque dum ego recedere compello. » Cum vero ad hæc respondentes sciscitaremus, an vigil seu insomnis hoc cerneret, subjunxit: « Per singulas pene noctes eripit me angelus e lectulo, uxore mea ignorante, qui post multa colloquia salutans me atque deosculans recedit. » Nos quoque exspoliatum calliditatibus intelligentes mendacium, cognovimus virum non angelicum, quin potius fraudis ac malignitatis ministrum. Præterea pontifices rite peragentes, ob quam venerant, Ecclesiæ consecrationem, intromiserunt cum cæteris reliquiarum pignoribus ossa illius profani astu adinventa; non tamen sine magna utriusque plebis exsultatione, quæ innumerabilis illico convenerat. Contigit ergo ista fieri die XVI Kalendarum Novembrium. Idcirco nempe, quoniam fautores hujus erroris asserebant esse eadem Justi martyris ossa, qui eo die Bellovaco Galliarum passus urbe; cujus etiam caput Autissiodoro, ubi natus et nutritus fuerat, relatum est et habetur. Sed ego, qui rei novitatem noveram, frivolum quod dicebatur asserebam. Elegantiores tamen virorum personæ cognoscentes figmenta fallaciæ, fidem dabant assertioni quam protuleram. Nocte denique insecuta, visa sunt a quibusdam monachorum seu

aliorum religiosorum monstruosa in eadem ecclesia phantasmata, atque a locello, quo inclusa habebantur ossa, formas nigrorum Æthiopum exisse, nec non ab ecclesia recessisse. Et licet plures sanæ mentis detestabile figmentum abominandum clamarent, vulgus tantum rusticanæ plebis mangonem corruptum injusti nomen pro Justo venerans, olim in suo permansit errore. Nos autem idcirco ista retulimus, ut a multiformis dæmonum seu humanorum errorum, qui in orbe passim abundant, præcipue in fontibus seu arboribus ab ægris incaute veneratis, caveatur.

CAPUT IV.

De fame validissima quæ contigit in orbe terrarum.

Imminente igitur anno incarnati Christi millesimo tricesimo tertio, qui est a passione ejusdem Salvatoris millesimus, obiere viri in orbe Romano famosissimi, sacræque religionis signiferi, Benedictus (25) videlicet papa universalis, ac rex Francorum, ut jam diximus, Robertus. Fulbertus quoque Carnoti præsulum incomparabilis, vir sapientissimus, nec non prænominatus pater monachorum, fundatorque cœnobiorum eximius Willelmus, de quo etiam perplura forent dicenda utilia, nisi quod in libello, quem de vita et virtutibus illius edidimus, prolata dudum fuisse noscuntur. Unum restat tamen, quod novi ibidem minime contineri. Migravit enim prædictus Pater a sæculo ad beatorum requiem in Neustriæ partibus, in Fiscamnense videlicet monasterio supra mare Oceanum constituto, quod a Rothomagense urbe quadraginta fere milliaribus distat, sepultusque est, uti tantum condecebat virum, in loco optimo ejusdem ecclesiæ. Post aliquot vero dies contigit ut puerulus ferme decennis valida confectus ægritudine ad sepulcrum illius gratia recuperandæ sanitatis duceretur, ibique a parentibus dimissus decubabat solus. Qui subito respiciens, vidit super idem sepulcrum insidentem aviculam formam columbæ præferentem, quam diu intuens obdormivit. Dehinc leni expletus somno, evigilans ita se reperit incolumem, ac si nihil ægritudinis persensisset. Suscipiunt itaque læti parentes suum, fit omnibus commune gaudium. Sequenti itaque tempore cœpit in universo orbe terrarum fames convalescere, ac interitus pene universi humani generis imminere. Nam temperies aeris sic intempestiva est effecta, ut nullius sationis proveniret tempus congruum, nec messioni præcipue ob inundantiam aquarum foret opportunum. Videbantur enim inter seipsa elementa pugnam discordiæ agere, cum procul dubio vindictam exercerent humanæ insolentiæ. Assiduis enim imbribus ita compluta erat universa tellus, ut in spatio trium annorum nulli reperirentur sulci utiles seminibus. Tempore quoque messis herbæ agrestes, atque infelix lolium, totam operuerant superficiem agrorum. Modius quoque sementis ubi magis proficiebat, reddebat in messe sextarium, ipseque sextarius vix referebat pugillum. Cœperat enim primitus hæc sterilitas ultionis in partibus Orientis; depopulando Græciam, devenit in Italiam. Dehinc infusa per Gallias, transiit ad universos Anglorum populos. Tunc vero constricta tota gens indigentia victus, majores ac mediocres fame pallebant cum pauperibus. Cessit enim raptus potentum universali inopiæ. Si quid ergo victus venundatus reperiebatur, arbitrio vendentis pro libitu erat excedere, seu accipere pretium. Nam in plerisque locis fuit modii pretium sexaginta solidorum, alias quoque sextarius solidorum quindecim. Interea post esum bestiarum et volucrum, urgente fame acerrima, cœpere homines præripere in cibum morticina quæque ac dictu horrenda. Quidam vero fecere confugium evadendæ mortis ad radices silvarum herbasque fluviorum, sed nequidquam : non ergo aufugium iræ ultionis Dei, nisi ad semetipsum. Horret denique referre quæ tunc generi humano corruptiones acciderunt. Heu! proh dolor! quod olim raro audiri contigerit, tunc rabida inedies compulit vorari ab hominibus humanas carnes. Arripiebantur autem viantes a se prævalentibus, membratimque dividebantur igneque decocti vorabantur. Multi quoque de loco ad locum famem fugiendo pergentes hospitiis recepti, noctuque jugulati, quibus suscepti sunt, in cibum fuerunt. Plerique vero pomo ostenso vel ovo pueris, ad remota circumventos trucidatosque devoraverunt. Corpora defunctorum in locis plurimis ab humo evulsa, nihilominus fami subvenerunt. Quæ denique rabiei insanies in tantum excrevit, ut tutius moraretur solidarium absque raptore genus pecudum quam hominum. Nam veluti jam in usum devenire deberet carnes humanas comedi, quidam decoctas detulit venundandas in forum Trenorchii, ac si fuissent alicujus pecudis. Qui deprehensus, crimen flagitii non negavit; deinde arctatus loris, igne crematus est. Carnem autem illam humo absconsam alter effodiens, noctu comedit. Pari modo et ille igne combustus est. Est nempe ecclesia a civitate Matisconense tribus fere millibus distans, in silva Castanedi sita, sine plebe solitaria, sancto Joanni dicata. Juxta quam locaverat quidam feralis homo tugurium, qui ibidem multitudinem transeuntium vel ad se divertentium trucidans, in nefandissimum sumpsit edulium. Contigit siquidem una dierum, ut vir quidam cum muliere illuc divertens ad hospitium, paululum conquievit. Dehinc cum duceret oculos per angulos tugurii, prospexit detruncata capita virorum, atque mulierum, et infantium. Qui protinus palluit, egredi cupiens, sed pestifer ille possessor tugurii renitens, vi manere compellebat. Sed ille pertimescens mortis decipulam, prævaluit, concitusque ad civitatem cum uxore perrexit. Ad quam veniens, quod compererat Ottoni comiti, cæterisque civibus indicavit. Qui protinus mittentes viros quamplurimos, qui rei veritatem inquirerent, pergentesque velocius repererunt illum crudelissimum in suo tugurio cum quadragi.ta octo

(25) Joann. XIX, non Benedictus, an. 1033 obiit.

capitibus trucidatorum, quorum carnes ore belluino voraverat. Quem deducentes ad civitatem, in quodam horreo religatum ad stipitem, ut ipsi postmodum conspeximus, igne combusserunt. Tunc etiam pertentatum est in eisdem partibus, quod nusquam comperimus quempiam fecisse. Effodiebant enim plerique albam humum argillæ similem, permiscentes quantum erat farinæ, vel cantabro; exinde panes conficiebant, ut vel sic inediæ mortis succurrerent. In hoc conficiendo spes tantum erat evadendi, sed profectus inanis. Tenebat ergo pallor et macilentia ora cunctorum, cutisque distensa inflatione in plurioribus apparebat, ipsæque voces humanæ perexiles effectæ, garritus morientium avium imitabantur. Tunc nihilominus e cadaveribus mortuorum passim præ multitudine sepultura carentibus lupi adescati post longum tempus prædam capere ex hominibus. Et quoniam, ut diximus, sepeliri singulatim ob multitudinem non quibant, constructa in quibusdam locis a Deum timentibus, quæ vulgo dicuntur carnaria, in quibus quingenti, et eo amplius, sea quantum capere poterant, permistim absque ordine projecta sunt seminuda, vel absque teguminibus, defunctorum corpora. Trivia quoque et agrorum succisiva pro cœmeteriis habebantur. Si qui vero auditu compererant quod melius haberent, si ad alia transirent arva, perplures in itinere deficientes moriebantur. Desævit enim in orbe terrarum, peccatis hominum exigentibus, prædictæ pestilentiæ clades in spatium trium annorum. Tunc in expensis egenorum distracta sunt ecclesiarum ornamenta, dispertitique thesauri, qui ob hoc in decretis Patrum inveniuntur ibidem primitus fuisse repositi. Sed quantum supererat vindictæ justæ ultionis, excessit nimietas egenorum in plerisque locis thesauros ecclesiarum. Nam et ipsi famelici nimia affecti inedia, si contigisset eos repleri cibo, distenti inflatione protinus moriebantur. Alii autem cibos manibus contrectantes, ori tentantes imponere, sed conquiniscendo deficiebant, non valentes explere quod cupiebant. Quantus enim dolor tunc, quanta mœstitia, qui singultus, qui planctus, quæ lacrymæ a talia cernentibus datæ sunt; præcipue a viris ecclesiasticæ religionis, episcopis videlicet atque abbatibus, monachis et sanctimonialibus, simulque omnibus in commune utriusque sexus et ordinis Deum metuentibus, non valet stylus quispiam explicare characteribus. Æstimabatur enim ordo temporum et elementorum præterita ab initio moderans sæcula in chaos decidisse perpetuum, atque humani generis interitum. Illud præterea stupore nimio permirabilimum, quoniam in tam clandestina divinæ ultionis calamitate rarissime reperiebantur, qui pro talibus contrito corde et humiliato corpore, ut expediebat, levarent corda cum manibus ad Dominum, sibique subveniendum interpellarent. Tunc nempe Isaianum illud elogium nostro impletum est tempore quod dixit : *Populus non est conversus ad percutientem se.*

Erat enim in hominibus quædam duritia cordis cum hebetudine mentis, et quoniam ille summus Judex et auctor totius bonitatis dat velle rogare se, qui novit quando debeat misereri.

CAPUT V.

De pace et abundantia anni millesimi a passione Domini.

Anno a passione Domini millesimo memoratæ cladis penurias subsequente, sedatis nimborum imbribus respectu divinæ bonitatis et misericordiæ, cœpit læta facies cœli clarescere, congruisque æthereis flare placidaque serenitate magnanimitatem Conditoris ostendere; telluris quoque tota superficies amicabiliter virens frugum abundantiam funditus inopiam expellendo portendere. Tunc ergo primitus cœpere in Aquitaniæ partibus ab episcopis et abbatibus, cæterisque viris sacræ religionis devotis ex universa plebe, coadunari conciliorum conventus. Ad quos etiam multa delata sunt corpora sanctorum atque innumerabiles sanctarum apophoretæ reliquiarum. Debinc per Arelatensem provinciam, atque Lugdunensem, sicque per universam Burgundiam, usque in ultimas Franciæ partes, per universos episcopatus indictum est, qualiter certis in locis a præsulibus magnatibusque totius patriæ de reformanda pace et sacræ fidei institutione celebrarentur concilia. Quod etiam tota multitudo universæ plebis audiens, lætanter adiere maximi, mediocres ac minimi : parati cuncti obedire quidquid præceptum fuisset a pastoribus Ecclesiæ, non minus videlicet, quam si vox emissa de cœlo hominibus in terra loqueretur. Terrebat enim universos clades præteriti temporis, instabatque metus ne adipiscerentur opulentiam futuræ ubertatis. Erat quippe descriptio capitatim digesta, qua continebantur tam illa quæ fieri prohibebantur, quam ea quæ devota sponsione omnipotenti Domino offerre decreverant. In quibus potissimum erat de inviolabili pace conservanda, ut scilicet viri utriusque conditionis, cujuscunque antea fuissent rei obnoxii, absque formidine procederent armis vacui. Prædo namque aut invasor alterius facultatis legum districtione arctatus, vel donis facultatum, seu pœnis corporis acerrime multaretur. Locis nihilominus sacris omnium ecclesiarum honor et reverentia talis exhiberetur, ut si quis ad ea cujuscunque culpæ obnoxius confugium faceret, illæsus evaderet, nisi solummodo ille qui pactum prædictæ pacis violasset; hic tamen captus ab altare præstatutam vindictam lueret. Clericis similiter omnibus, monachis et sanctimonialibus, ut si quis cum eis per regionem pergeret, nullam vim ab aliquo paterentur. Plurima autem in eisdem conciliis constituta sunt, quæ perlongum duximus referre. Illud sane memorandum, quod omnibus in commune placuit, qualiter omnibus hebdomadibus sanctione perpetua, sexta die abstineretur a vino, et carnibus septima : nisi forte gravis infirmitas compelleret, aut celeberrima solemnitas interveniret. Si vero effectio aliqua

intercederet, ut hic tenor paululum laxaretur; tres proind pauperes victu sustentarentur. Tunc innumeræ sanitates patratæ sunt infirmantium in eisdem conventibus sanctorum. Sed et ne cui frivolum videretur in multis disrupta cutis, discissaque caro crurium et brachiorum nuper curvorum, erigendo in statum pristinum plurimus sanguis effundebatur. Quod utique in cæteris, quæ dubitare poterant, fidem præstabat. Quibus universi tanto ardore accensi, ut per manus episcoporum baculum ad cœlum elevarent, ipsique palmis extensis ad Deum, Pax, pax, pax, unanimiter clamarent, ut esset videlicet signum perpetui pacti de hoc quod spoponderant inter se et Deum : in hac tamen ratione, ut evoluto quinquennio confirmandæ pacis gratia idipsum ab universis in orbe fieret mirum in modum. Eodem denique anno tanta copia abundantiæ frumenti et vini, cæterarumque frugum exstitit, quanta in subsequente quinquennio contigisse sperari non potuit. Aliquis enim victus humanus, præter carnes seu deliciosa pulmentaria, nullius erat pretii. Erat autem instar illius antiqui Mosaici magni Jubilæi. Sequenti vero anno tertio et quarto non minus provenit. Sed heu ! proh dolor ! humana denique stirps immemor beneficiorum Dei, ab initio prona ad malum, veluti canis ad vomitum, vel sus lota in cœni volutabrum, irritum in multis fecere propriæ sponsionis pactum. Et sicut scriptum est : *Impinguatus et dilatatus recalcitravit*. Nam ipsi primates utriusque ordinis in avaritiam versi cœperunt exercere plurimas, ut olim fecerant, vel etiam eo amplius, rapinas cupiditatis. Deinde mediocres ac minores exemplo majorum ad immania sunt flagitia devoluti. Quis enim unquam antea tantos incestus, tanta adulteria, tantas consanguinitatis illicitas permistiones, tot concubinarum ludibria, tot malorum æmulationes audiverat ? Insuper ad cumulum tanti mali, cum non essent in populo, vel rari, qui cæteros corrigentes talia redarguerent, impletum est prophetæ vaticinium, quod ait : *Et erit sicut populus, sic sacerdos*. Præsertim cum tunc in sæculari potestate, tum etiam in ecclesiastica religione, totius regiminis personæ constiterant in puerili ætate. Propter peccata enim populi contigit tunc illud Salomonicum, quod ait : *Væ tibi, terra !* Nam et ipse universalis papa Romanus, nepos scilicet duorum Benedicti atque Joannis, qui ei præcesserant, puer ferme decennis intercedente thesaurorum pecunia electus exstitit a Romanis. A quibus exinde frequenter ejectus ac inhoneste receptus nulla potestate viguit. Et, ut jam superius taxavimus, cæteros tunc temporis Ecclesiarum prælatos aurum potius vel argentum exaltabat quam meritum. Proh pudor ! de his evidentissime Scriptura ait, imo os ipsius Dei : *Principes exstiterunt, et non cognovi.*

CAPUT VI.

De confluentia populi totius orbis, quæ ad sepulcrum Domini Hierosolymis facta est.

Per idem tempus ex universo orbe tam innumerabilis multitudo cœpit confluere ad sepulcrum Salvatoris Hierosolymis, quantam nullus hominum prius sperare poterat : primitus enim ordo inferioris plebis ; deinde vero mediocres ; posthæc permaximi quique reges, et comites ac præsules. Ad ultimum vero, quod nunquam contigerat, mulieres multæ nobiles cum pauperioribus illuc perrexere. Pluribus enim erat mentis desiderium mori, priusquam ad propria reverterentur. Contigit enim ut quidam a Burgundiæ partibus ex Augustidunense territorio Lethbaldus nomine cum cæteris illuc pergens deveniret. Qui prospectis locis omnium sacerrimis, cum ad illum locum montis Oliveti devenisse contigit, ex quo Salvator ad cœlos ascendens tot cernentibus idoneis testibus, venturus inde judicare vivos et mortuos, est repromissus, projiciens se in crucis modum, toto prostratus corpore cum lacrymis inenarrabile mentis jubilo exsultavit in Domino. Reerigens se identidem, palmis ad cœlum extensis, nisu quo poterat corpus librabat in altum, ac in voce hujusmodi aperiebat mentis desiderium. Aiebat namque : « Domine Jesu, qui propter nos de sede majestatis tuæ ad terras descendere dignatus es, ut genus humanum salvares ; quique ex hoc loco, quem oculis intueor, carne vestitus remeasti ad cœlos unde veneras : obsecro tuam omnipotenti simam bonitatem, ut si hoc anno est mea anima ex hoc corpore migratura, non hinc recedam, sed in conspectu loci tuæ ascensionis fieri contingat. Credo enim quoniam sicut te secutus sum corpore, qualiter ad hunc devenirem locum ; sic anima mea illæsa et gaudens post te sit ingressura ad paradisum. » His peroratis, reversus est cum sociis ad hospitium. Erat autem jam hora prandii. Cæteris vero discumbentibus, conversus ipse ad lectulum vultu alacris, ac veluti gravi sopore paululum requieturus, illico namque obdormiscens, ignoratur quid viderit, protinus dormiens exclamavit : Gloria tibi, Deus ; gloria tibi, Deus ! Socii quoque hæc audientes, monebant illum ut surgens comederet. Qui noluit, sed vertens se in latus aliud, dixit se pati aliquid incommodi. Recubansque usque ad vesperum, convocatis sui itineris sociis vivificæ eucharistiæ requirens accepit viaticum, illisque dulciter salutatis emisit spiritum. Iste procul dubio liber a vanitate, ob quam multi proficiscuntur, ut solummodo mirabiles habeantur, de Hierosolymitano itinere in nomine Domini Jesu fideliter petivit patrem, quod et accepit. Cujus socii revertentes, nobis ea quæ diximus retulerunt positis tunc apud Besuë monasterium. Eodem quippe tempore Odolricus Aurelianorum præsul illuc pergens, quid viderit nobisque narraverit, non prætermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius Sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab universo populo præstolatur, ibi cum cæteris idem præsul asta-

bat. Jamque dies ipsa in vesperum transiens, repente, penes horam qua sperabatur ignis affuturus, unus Sarracenorum, scurra impudentissimus, ex plurima illorum multitudine quæ annuatim semper una cum Christianis adesse solet, exclamavit, ut Christianis mos est, cum primum videtur : *Agios, Kyrie eleison*, cavillanter cachinnum emisit, extensaque manu arripuit cereum de manu cujusdam Christiani, aufugere tentans. Qui, illico arreptus a dæmonio, turpiter nimium vexari cœpit. Quem prosequens Christianus, cereum abstulit. Ille vero tortus acerrime, protinus inter Sarracenorum manus exspiravit. Quod factum omnibus in commune terrorem immisit, Christicolis tamen gaudium et exsultationem præbuit. Statim vero, ut assolet, Dei virtute erumpens ignis ex una lampadarum, quæ septem ibidem pendere cernuntur, cursim eructuando cæteras inflammavit. Quam etiam cum suo oleo præfatus episcopus emens auri libra a Jordano, qui tunc præerat patriarcha, secum detulit, atque in sede propria reponens, plurima infirmis contulit beneficia. Detulit etiam Roberto regi partem prægrandem venerabilis crucis Domini Salvatoris, missam a Constantino imperatore Græcorum cum multitudine palliorum olosericorum, cui isdem rex miserat per eumdem episcopum spatham capulum habentem aureum, thecamque auream cum gemmis pretiosissimis. Tunc etiam inter cæteros Robertus Normannorum dux cum ingenti multitudine suæ gentis Hierosolymam proficiscens, detulit secum plurima auri et argenti donaria, erogandi gratia. Qui dum rediret, apud Nicæam obiit urbem, ibidemque sepultus quievit. De quo maximum apud suos idcirco exstitit justitium, quoniam non fuerat ei proles matrimonio aliqua ad regimen suscipiendum provinciæ, quamlibet sororem Anglorum regis Canuc manifestum est duxisse uxorem, quam odiendo divortium fecerat. Ex concubina tamen filium genuerat, Willelmi nomen atavi ei imponens. Cui, antequam proficisceretur, universos sui ducaminis principes militaribus astrinxit sacramentis, qualiter illum in principem pro se, si non rediret, eligerent. Quod etiam statim ex consensu regis Francorum Henrici unanimiter postmodum firmaverunt. Fuit enim usui, a primo adventu ipsius gentis in Gallias, ut superius pernotavimus, ex hujusmodi concubinarum commixtione illorum principes exstitisse. Sed et hoc ne supra modum putetur abominabile, libet comparationem de filiis concubinarum Jacob inducere, qui ob hoc non caruere paterna dignitate, inter cæteros fratres constituti patriarchæ. Et longo post inferiore tempore singularis monarchiæ, magnus imperii proto-Christicola Constantinus ex concubina Helena legitur genitus fuisse. Præterea dum quidam de sollicitioribus qui eo tempore habebantur, consulti a pluribus fuissent quid tantus populorum concursus ad Hierosolymam designaret, olim sæculi inauditus præteriti, responsum est a quibusdam, satis caute, non aliud portendere quam adventum illius perditi Antichristi, qui circa finem sæculi istius, divina testante auctoritate, præstolatur adfuturus. Tunc et gentibus universis via Orientis plagæ, unde venturus est, patefacta, obviam illi cunctæ nationes incunctanter sint processuræ. Revera ut illud Dominicum adimpleatur præsagium : *Quoniam tunc in tentationem incident, si fieri potest, etiam electi.* Hujus hic meta verbi. Cæterum non negamus devotum laborem fidelium exinde præmium seu mercedem percipere a justo Judice.

CAPUT VII.

De prœliis Sarracenorum adversus Christianos in Africæ partibus.

Sub iisdem vero temporibus consurgens rediviva Sarracenorum in Africæ partibus adversus Christianorum populum perfidia, persequendo eos terra marique quosquos reperire poterant, quosdam excoriabant vivos, alios trucidabant. Et cum jam diu multumque inter utrosque debacchatum plurima cæde fuisset, pluresque strages ab utrisque partibus datæ, contigit ut ex deliberatione partis utriusque in cominus illorum acies pugnaturæ devenirent. Illi præsumentes confidebant in rabida feritate immensæ suæ multitudinis, victores sese fore existimabant. Nostri vero, licet admodum pauci numero, Dei omnipotentis auxilium invocantes per interventum genitricis ipsius Mariæ sanctique apostolorum principis Petri omniumque sanctorum, sperabant de illis fiducialiter obtinere triumphum. Præcipue quoque in voto, quod in ipsius procinctu belli voventes, sese obstrinxerant ut, si videlicet manus Domini valida gentem illam perfidissimam in manus illorum concluderet, potito de illis triumpho, quidquid auri argentique seu cæteræ supellectilis ex eisdem capere contigisset, totum omnino ad locum Cluniaci, apostolorum principi Petro destinarent. Jam olim namque, ut superius pernotavimus, plures ipsius gentis viri religiosi in eodem cœnobio sacri instituti habitum suscipientes, totam gentem ad amorem ejusdem loci conciverant. Sed quid plura? inito pugnæ certamine, diu multumque congressum est. Christiani tamen omnino illæsi victores apparebant. Ad ultimum quoque tantus horroris tremor invasit Sarracenorum exercitum, ut, veluti pugnæ obliti, fugam arripere tentantes, quamvis nequidquam, propriis irretiti jaculis, imo virtute Dei stupentes hæserunt ; Christianorum vero quantus erat cuneus divino fortificatus auxilio, tanta eosdem cæde prostravit, ut ex innumerabili multitudine illorum vix pauci evaderent. Motget nempe princeps illorum, qui quasi Moyses ita confuse nominatur, ille prælio dicitur defuisse. Collectisque spoliis confecerunt ex eisdem plurima argenti talentorum pondera, memores voti quod Deo spoponderant. Est namque mos Sarracenorum ad prælia euntium, ut sese phaleris argenti vel auri plurimum perornent. Quod tunc etiam devotioni nostrorum præstitit augmentum, qui protinus miserunt quidquid exinde provenit, ut voverant, ad Cluniense monasterium.

Ex quibus venerabilis ejusdem loci abbas Odilo ciborium super altare sancti Petri perhonestissimum fieri præcepit. Cætera vero liberali dispensatione famosissime, ut decebat, erogari indigentibus usque ad assem mandavit. Sarracenorum nihilominus tumultuatio ad præsens conquassata quievit.

CAPUT VIII.

De Leuticorum prælio adversus Christianos in partibus Aquilonis.

Germania igitur, quæ a Rheno flumine, sursum versus ad aquilonarem orbis plagam tendens, sumit exordium, gentibus incolitur quamplurimis, ferocissimis tamen atque promiscuis. Inter quas una cæteris crudelior, commanens in ultima parte secundæ Rhætiæ. Nam prima Rhætia, licet a Rheno utræque dicantur, in parte ejusdem Rheni conjacet occidentali. Quæ scilicet corrupte regnum Lotharii vulgo nuncupatur. In altera, ut diximus, gens Leuticorum barbara omni crudelitate ferocior, cujus vocabulum a luto derivatur. Est enim omnis illorum habitatio circa mare aquilonare, in paludibus sordentibus, et idcirco Leutici, quasi Lutei, vocantur. Hi quoque anno a passione Domini millesimo de suis egressi latibulis, vicinas sibi provincias Saxonum ac barbarorum nimium crudeliter devastantes, res Christianorum ad solum usque deleverunt, viros ac mulieres trucidantes exterminabant. Adversus quos imperator Chuonradus cum exercitu permaximo egrediens, multoties plures ex illis cæde prostravit, non tamen sine damno suorum. Ob quam rem totius Ecclesiæ clerus ac plebs regni sui semet affligentes, Dominum rogaverunt ut ultionis vindictam de tanta barbarorum vesania illi concederet, ut ad sui nominis honorem Christianis foret ex illis victoria. Dehinc vero, irruens super eos, maximam illorum partem contrivit. Cæteri, fugæ præsidium arripientes, ad loca suarum paludum inaccessibilia nimium perterriti evaserunt. De qua victoria idem imperator accepta confidentia, rursum collecto exercitu Italiam pergens, ad ipsam urbem Romam progrediens, universos rebelles qui contra eum insurgere tentaverant, anno integro ibidem degens, proterendo compescuit. Pactum etiam securitatis et amicitiæ, veluti Henricus cum patre illius egerat, cum rege Francorum Henrico filio Roberti statuit. Cui etiam leonem pergrandem amicitiæ gratia misit. Qui postmodum uxorem, nomine Mathildem, moribus egregiam, de regno ejus ex Germaniæ nobilioribus accepit.

CAPUT IX.

De signo quod in sole apparuit.

Anno igitur eodem Dominicæ passionis millesimo, die tertio Kalendarum Juliarum, sexta feria, luna vicesima octava, facta est eclipsis seu deliquium solis ab hora ejusdem diei sexta usque in octavam, nimium terribilis. Nam sol ipse factus est sapphirini coloris, gerens in superiori parte speciem lunæ a sua reilluminatione quartæ. Intuitus hominum in alterutrum velut mortuorum pallor conspiciebatur. Res vero quæcunque sub aere crocei coloris esse cernebantur. Tunc corda humani generis stupor ac pavor tenuit immensus, quoniam illud intuentes intelligebant portendere quiddam fore superventuræ cladis humano generi triste. Nam eadem die, natali videlicet apostolorum, in ecclesia beati Petri quidam de principibus Romanorum, conspirantes in papam Romanum, cupientes illum interimere, sed minime valentes, a sede tamen propria expulerunt. Sed [eum], ut præmisimus, tam pro hac re quam pro aliis insolenter patratis, imperator illuc proficiscens propriæ sedi restituit. Necnon et alia passim in orbe, cum in ecclesiasticis tum etiam in rebus sæcularibus, multa contra jus fasque patrata contigerunt. Instinctu nempe rapidæ cupiditatis, pene nullius tuta fides in altero, quæ est fundamentum et columen totius boni, reperiebatur, et, ut evidentius foret quod peccata terræ cœlos pulsarent, sicut propheta clamat, propter creberrimas populi iniquitates, « Sanguis, inquit, sanguinem tetigit. » Nam postmodum, pene in universis mortalium ordinibus insolentia pullulante ac vigore justæ severitatis tenorisque tepescente, ut illud apostolicum nostræ genti rectissime potuisset improbari elogium, quod ait: « Auditur inter vos nefas, quod nec inter gentes. » Nam, impudentissima avaritia humana pectora invadente, periclitabatur fides in cunctis. Exinde procedebant rapinæ et incestus, litigia cæcarum cupiditatum, furta et adulteria immanissima. Proh pudor! horrori erat cuique referre de se quod sentiebat. Nemo tamen propter hoc a nefario malitiæ usu sese corrigebat. Iterum quoque post annos quatuor facta est eclipsis solis, undecimo die Kalendarum Septembrium, feria quarta, hora sexta, atque, ut semper fit, luna vicesima octava. Eodem nihilominus anno, Chuonradus, cujus superius mentionem fecimus, apud Saxoniam Romanorum obiit imperator. Cujus filius, Henricus nomine, quem ipse vivens pro se regem constituerat, imperavit. Willelmus etiam, Pictavorum comes, multis pecuniis liber a captione qua filius Fulconis Gozfredus, cognomento Martellus, illum in prælio capiens spatio trium annorum tenuerat, ad propria remeans ipso in anno finem vitæ habuit. Hugo quoque Antissiodorensis episcopus, vir nominatissimus, vivendi finem fecit. Similiter Rainaldus, comes ejusdem civitatis, Landrici comitis filius, qui filiam Roberti regis duxerat uxorem, ipse quidem audax, a quodam milite generis infimi audacter interemptus est. Is quoque pertimescens ob audaciam, sicuti contigit, præpropere sibi funus imminere, dum adhuc viveret, abbatiam in honore Domini Salvatoris constructam, monasterio beati Germani ex integro perpetualiter possidendam restituit, quo etiam sepultus quiescit. Præterea Fulco, Andegavorum comes, de quo superius quædam retulimus, ter Hierosolymam jam perrexerat, veniensque Metensem urbem ibidem obiit. Cujus corpus Lucacense ad monasterium, quod ipse construxerat, delatum est atque in eodem sepultum honorifice.

LIBER QUINTUS.

CAPITULA LIBRI QUINTI.

I. *Variæ quæstiones.*
II. *De bello mire gesto.*
III. *De tertia eclipsi solis.*
IV. *De dissensione Lugdunensis præsulatus.*
V. *De exstirpatione Simoniaca.*

CAPUT PRIMUM.

Variæ quæstiones.

Rerum diversarum permutationibus ac variorum casuum eventibus attonitæ aures, mentesque obtusæ seu hebetatæ, universorum tunc temporis pene mortalium, tum etiam infestationibus sinistrorum spirituum. Aliquibus tamen revelationum utilium phantasiæ manifestatæ fuisse creberrime ferebantur. Cuidam namque monacho una noctium visum est, hora qua matutinale agitatum est signum, affuisse sibi quemdam teterrimum, qui eidem plura persuadendo inferebat hujuscemodi colloquium : « Cur, inquiens, vos, monachi, tot labores, tot vigilias atque jejunia, nec non afflictiones, et psalmodias pluresque alias humiliationes exercetis extra communem aliorum hominum usum ? Nonne innumerabiles sæcularium homines usque ad vitæ terminum in diversis flagitiis perseverantes, eamdem tamen percepturi quam vos exspectatis requiem ? Sufficeret enim dies unus, vel hora, ad promerenda præmia æternæ beatitudinis vestræ justitiæ. Namque tu ipse, miror qua de causa tam sollicitus, mox ut audis signum, velociter exsurgis a lecto rumpisque dulcem somni quietem, cum posses quieti indulgere vel usque ad tertium signum. Est etiam quod tibi pandam secretum valde memorabile, licet nostræ sit parti dispendium, vestræ quoque salutare remedium. Nam constat omnibus annis, die qua Christus resurgens ex mortuis vitam reparavit humani generis, ab eodem universa spoliari tartara et suos quoque reduci ad supera. Pro qua re nihil vobis pertimescendum. Quidquid libuerit voluptatum carnis ac desideriorum securi agere potestis. » Hæc nempe et alia perplura, sicuti erat fallacissimus dæmon, eidem monacho illudens, frivola retulit, adeoque illum illexit, ut communi fratrum synaxi matutinali defuerit. Illud sane quod de Dominica resurrectione seductorie confinxit, verba sacri redarguunt Evangelii, quæ dicunt : « Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. » Non, inquiunt, *omnia*, sed *multa*. Et ita revera profitetur fides catholica. Licet enim aliquoties, vera Omnipotentis præscientia disponente, fallacissimi omnino dæmones minus irrita prænuntient, tamen, quantum ex illorum deliberatione fit, perfunctoria ac seductoria conflant ; vel etiam, si contigerit ex parte quæ præsagantur ab eisdem fieri, non plane saluti humanæ sunt profutura, nisi forte divina fiat providentia, ob correctionis solertiam.

Hujusmodi igitur mihimet nuperrime multoties, Deo propitiante, palam est contigisse. Nam dum aliquando in beati martyris Leodegarii monasterio, quod Cappellis cognominatur, positus degerem, nocte quadam, ante matutinalem synaxin, astitit mihi ex parte pedum lectuli forma homunculi teterrimæ speciei. Erat enim, quantum a me dignosci potuit, statura mediocris, collo gracili, facie macilenta, oculis nigerrimis, fronte rugosa et contracta, depressis naribus, ore exporrecto, labellis tumentibus, mento subtracto ac perangusto, barba caprina, auribus hirtis et præacutis, capillis stantibus et incompositis, dentibus caninis, occipitio acuto, pectore tumido, dorso gibbato, clunibus agitantibus, vestibus sordidis, conatu æstuans ac toto corpore præceps ; arripiensque summitatem strati in quo cubabam, totum terribiliter concussit lectulum, ac deinde infit : « Non tu in hoc loco ultra manebis. » At ego territus, evigilansque, sicuti repente fieri contingit, aspexi talem quem præscripsi. Ipse vero infrendens identidem aiebat : « Non hic ultra manebis. » Illico denique a lectulo exsiliens, cucurri in monasterium, atque ante altare sanctissimi patris Benedicti prostratus ac nimium pavefactus diutine decubui. Cœpique acerrime ad memoriam reducere quidquid ab ineunte ætate offensionum graviumque peccaminum procaciter seu negligenter commiseram, tum præcipue, quoniam pene nulla pœnitudinis satisfactio ob amorem seu timorem divinitatis a me exinde successerat. Ita quoque, miser et confusus jacens, non habebam quid potissimum dicerem, nisi tantum : « Domine Jesu, qui venisti peccatores salvos facere, secundum magnam misericordiam tuam miserere mei. » Interea confiteri non erubesco me non solum in peccatis parentum meorum genitum, verum fuisse moribus importunum, et actibus intolerabilem plusquam narrari queat exstitisse. Vi etiam cujusdam monachi, mei scilicet avunculi, abstractus a perversissima, quam præ cæteris agebam, sæcularis vitæ vanitate, cum essem ferme duo lennis atque monachili indutus habitu, heu ! proh dolor ! quoniam veste solummodo, non mente mutatus. Quæcunque enim a Patribus vel spiritalibus fratribus modesta et sancta charitative mihi suggererentur, truculenti animi inflatione turgidum scutum cordis gerens, dictante superbia, ne salubria me continge-

rent, opponebam. Dehinc senioribus non obediens, coæqualibus molestus, junioribus onerosus, atque, ut vere fatear, universis mei præsentia gravedo erat, levamen absentia. Præterea his et hujusmodi prædicti loci fratres instigati expulerunt me a contubernio suæ habitationis, tamen scientes non defore mihi locum quempiam commanendi, tantum ob litteratoriam notionem. Hoc etiam persæpe expertum fuerat.

Post hoc igitur in monasterio sancti Benigni, Divionensis martyris, locatus, non dispar, imo idem mihi visus est in dormitorio fratrum. Incipiente aurora diei, currens exiit a domo latrinarum, taliter inclamando : « Meus baccalaureus ubi est, meus baccalaureus ubi est? » Sequenti quoque die, eadem fere hora, aufugiens abiit exinde quidam frater juvenis, mente levissimus, Theodoricus nomine, rejectoque habitu, per aliquod temporis spatium sæculariter vixit. Qui postmodum, corde compunctus, ad propositum sacri ordinis rediit. Tertio quoque, cum apud cœnobium beatæ semperque virginis Mariæ, cognomento Meleredense, demorarer, una noctium, dum matutinum pulsaretur signum, et ego, labore quodam fessus, non, ut debueram, mox ut auditum fuerat exsurrexissem, mecumque aliqui remansissent, quos videlicet prava consuetudo illexerat, cæteris ad ecclesiam concurrentibus; egrediens autem post fratrum vestigia anhelus ascendit gradum præsignatus dæmon, ad dorsum manibus reductis, hærensque parieti bis terque repetebat dicens : « Ego sum, ego sum, qui sto cum illis qui remanent. » Qua voce excitus, caput elevans, vidi recognoscens quem bis dudum jam videram. Post diem vero tertium, unus ex illis fratribus qui, ut diximus, clanculo cubitare soliti fuerant, procaciter a monasterio egressus, præfato dæmone instigante, sex dies extra monasterium cum sæcularibus tumultuose mansit. Septima tamen die, correptus recipitur. Profecto, ut beatus Gregorius testatur, quibusdam hic apparent ad suum detrimentum, aliquibus vero ad emendationis emolumentum. Quod mihi contingat ad salutem orari ac provenire opto per Dominum Jesum Redemptorem nostrum. Illud nempe attentius est memoriæ commendandum quoniam, dum manifestissima prodigia in corpore adhuc constitutis, sive per bonos, seu per sinistros spiritus ostantentur, non illos diutius in hac carne victuros quibus hujusmodi videre contigerit (*certum est*). Hujus quoque assertionis experimenta multa comperimus, ex quibus etiam nonnulla memoriæ commendari placuit, ut, quoties evenerint, cautelam inferant potius quam deceptionem.

Apud castrum Tarnodorense erat quidam presbyter religiose degens, Fretterius nomine, tempore quo Bruno Lingonum præsulatum tenebat. Hic vero, una dierum Dominica jam vesperascente, cum cœnaturus esset, exivit paululum se relevandi gratia ad fenestras domus suæ, prospiciensque vidit a septentrionali parte egredi acies equitum, velut in prælium, innumeræ multitudinis, pergentes ad occidentem. Quas cum diu multumque intuitus fuisset, A æstuans vocare quempiam e suis ad testimonium tanti ostentus. Dum autem cœpit clamare ut occurreretur, rarescendo protinus disparuerunt. Ipse quoque tanto animi terrore perculsus [est] ut vix a lacrymis se continere posset ; dehinc cœpit infirmari, eodemque anno, ut optime vixerat, obiit. Portento denique subtractus quod vidit, illi qui persensere testes fuerunt. Nam sequenti anno filius regis Roberti Henricus, qui post illum regnavit, ad idem castrum ira permotus veniens cum ingenti exercitu, multa ibidem hominum cædes ab utraque parte patrata est. De hoc profecto constat quoniam ea quæ viderat, et sibi prospexit et aliis (licet dissimiliter), mirifice tamen apud Antissiodorum in ecclesia beati Germani contigisse meminimus. Erat ibidem frater, B Gerardus nomine, cui mos erat post solemnes matutinales in oratorio remorari. Huic contigit quodam mane ut inter orationes obdormisceret. Qui protinus, gravi somno depressus, velut examinis delatus est foras monasterii ; sed qualiter, aut a quibus huc usque nescitur. Qui expergefactus reperit se in claustro extra monasterium ejectum, admirans indicibiliter quod factum de sese cernebat. Simili quippe modo contigit cuidam presbytero in eodem monasterio pernoctanti, dum in subterioribus cryptis, ubi multa sanctorum requiescunt corpora, obdormiret, circa galli cantum reperit semet asportatum post chorum monachorum. Namque de eadem ecclesia certa relatio constat quoniam, si contigerit noctu luminare exstingui, quousque reaccendatur, custodes ejusdem ecclesiæ nullam quietem C posse consequi.

Præterea fuit quidam frater qui solitus erat ad altare sanctæ Mariæ, quod excellentissime constat, frequenter orare, ac gemitus et compunctionis lacrymas fundere. Unum igitur ei erat, quod pene universis accidit, inter oratum frequenter spuere, ac de lumbe salivam emittere. Contigit vero aliquando ut somno oppressus obdormiret. Apparuit ei stans juxta altare quidam candidis indumentis circumdatus, præferens in manibus pannum candidissimum, atque in hujusmodi erumpebat verba : « Cur me, inquiens, sputis propriis verberando illinis? Nam ego, ut cernis, suscipio munus tuarum orationum, deferens illud ad conspectum misericordissimi Judicis. » Qua D visione correptus frater ille, et sese continuit, et cæteros ut se, in quantum valerent, in sacris locis continerent admonere curavit. Et licet hoc natura dictante proveniat, tamen in plerisque locis gentium omnimodis abstinetur in ecclesia ab screationum sputis, nisi forte suscipiantur, deferenda exinde foras, in quibusdam receptaculis ; et præcipue apud Græcos, ubi semper tenor ecclesiasticus cautissime viguit. Clarere igitur locum prædictum diutine meritis beati Germani ac cæterorum sanctorum ibidem quiescentium, signis et prodigiis, tam in donis sanitatum quam in ultionum vindictis ad se pertinentia diripientium, manifestum est. Si qui nempe de primatibus patriæ hujusce loci rerum invasores seu diren-

ptores increverunt, Deus exinde ultor ipsorum genus cum suis rebus in opprobrium et pene ad nihilum redigere consuevit. Hujus enim testimonium inter cætera nostræ assertionis evidens exstat ultio generis cujusdam Bavonis, necnon et filii ejus Aluvalonis, creberrimaque confusio Silliniaci sacrilegissimi castri.

Præterea egomet quondam rogatus a conservis et fratribus nostris ejusdem loci ut altariorum titulos, qui a scholasticis viris compositi olim fuerant, sed vetustate, ut pene cuncta, fatiscente minime comparebant, reformarem. Quod, ut competens erat, libenti animo, quomodo valebam, adimplere studui. Sed priusquam ad calcem cœptum opus perducerem, ex nimia corporis statione, ut reor, nocte quadam in strato conquiniscens, ita contractus sum membris omnibus icterica passione, ut non exigere memet neque in latus aliud vertere ullo modo valerem. Post triduum vero insecuta nocte, nimiis detento angustiis apparuit mihi vir canitie venerandus, qui me in somnis per brachium erigens, aiebat : Exple quantocius quod cœpisti ; dolere ultra ne paveas. Illico vero expergefactus, memet admirans excutiensque a lectulo, cucurri ad altare victoriosorum martyrum, Victoris videlicet, Apollinarisque ac Georgii, quoniam illorum oratorium contiguum erat domui infirmorum ; ibique universorum Deo humillimas grates referens, alacer matutinales explevi solemnes. Die vero insecuta toto integerrime valens corpore, eorumdem martyrum nominibus propriis ibidem composui titulum. Ecclesiæ denique majoris erant altaria numero viginti duo, quibus, ut decens erat, titulis synopi (*sic*) de versibus hexametris convenienter digestis, sanctorumque epitaphiis reparatis, religiosorum etiam virorum quorumdam tumulos itidem perornare curavi. Quod sane mentis hominibus admodum placabile fuit. Sed, ut pater Odilo sæpius plangere solitus fuerat, ita contigit : Heu ! proh dolor ! inquiens, quoniam nævum invidentiæ, licet in cæteris grassetur hominibus, tamen in finibus aliquorum monachaliter vivere professis cubile sibi locavit. Nam quidam, a sui monasterii fratribus exosus, discedens venit ad nostros. A quibus, ut mos illorum semper fuit, devote susceptus est. Is autem veneno invidiæ infecit abbatem cum aliquibus monachis, compellens in tantum adversum me odium, ut præscriptos altariorum titulos destruerent universos. Sed protinus, Domino ultore, adfuit illius vindex qui incentor exstiterat fraternæ discordiæ. Multatus enim illico damnabili oculorum cæcitate, offendens pedibus irrecuperabiliter usque in finem vitæ suæ. Cujus denique rei eventus tam vicinis quam longe positis non minimam præbuit admirationem. Contigit ibidem ipso in tempore ut aliqui e fratribus subinde migrarent ab hac luce. Quorum unus nomine Walterius, cognomento, ut erat statura, Pusillus, ac natura simplicissimus, incipiente nocte magni Sabbati Resurrectionis Dominicæ, qua ipse obiit. Apparuit enim in hora sui exitus innumerabilibus viris ac mulieribus columna lucis ignea, a culmine monasterii ad cœlum usque pertingens. Quibus nempe non dubium fuit misericordissimi Dei actum largitione, qui animam fratris istius suæ gloriosæ resurrectionis voluit participem fore, ac viventibus viam innocentiæ demonstrare.

Quæri solet a nonnullis cur tempore novæ legis vel gratiæ, non manifeste, sicut antiquitus, fiunt visiones divinitus ac rerum miracula ? Quibus paucis respondendum est ex ipsius divinæ Scripturæ testimoniis, si tamen cor illorum capax fuerit sancti Spiritus donorum. Libet quoque ut Deuteronomium evidens primitus exhibeat testimonium. Postquam enim populus Hebræorum pastus quadraginta annorum cœleste manna, Jordanem transiens, in terram venit Chanaan, cessavit cœlum pluere illud, nec ultra usi sunt tali cibo filii Israel. Quid igitur in hoc facto nobis innuit, quibus pene omnia in figura contingunt, nisi quod, transito nostro Jordane, id est Christi baptismate, non ultra præsagiorum cœlitus signa debent inquiri ? Sed potius nobis debet panis vivus ille sufficere, quo qui vescetur, vivet in æternum possessurus terram viventium. Rursus vero ex præcepto Domini constitutum est a Moyse ut, quæcumque vasa ex præda hostium illi populo provenirent, lignea, aqua expiarentur, quæ ænea, igne. Simili quoque modo figuraliter exprimit quoniam vasa iidem homines qui ex præda hostis antiqui in partem cesserunt Salvatoris, aqua baptismatis atque igne martyrii purificandi essent. Non minus etiam virgeus ille serpens, qui Moysi pavorem incussit ita ut fugeret illum, et rursus accipiens illum cauda tenus effectus est virga, typice in hoc facto perspiciendus est. Signatur per serpentem ex virga factum Deitatis potentia ex sanctæ Mariæ virginis carne induta : per Moysen enim, Judaicus populus, qui cernens Dominum Jesum verum Deum et hominem, fugit ab eo incredulus ; sed recipiet illum circa finem sæculi, quod exprimitur per caudam serpentis. Ille quoque transitus maris Rubri, in quo illud mare divisum vel exsiccatum est ; deinde gentes ex præcepto Domini gladio exstirpatæ, evidenter signant regnum Israeliticæ gentis temporaliter subsistens marcescendo annullari. In initio quippe novæ gratiæ, vel regni Christi, stans Dominus Jesus atque ambulans super fluctus maris, ac Petro, quem Ecclesiæ suæ præfecerat, secum ambulare concessit : (*quid*) fidelibus universis innuitur, nisi quod subactis gentibus universis, et non funditus perditis vel exstirpatis, ex eisdem stabilietur Christi regnum per sæcula mansurum ? Est enim frequens attestatio divini sermonis, quod videlicet mare figuram gerat præsentis sæculi.

Sæpe igitur, dum aliquis rem permaximam verbis elucidare cupit, in sese deficiens minuit, ut Scriptura dicit : *Qui est scrutator majestatis, opprimitur a gloria.* Sed cur ista præmisimus, breviter intimabimus. Constat enim mysterium Eucharistiæ paucissimis perspicuum, dum sit pene mortalibus

universis incognitum, sicuti cætera quæ fide constant, et intuitum oculorum non exposcunt. Illud præcipue commonendum, quod corporis et sanguinis Domini Jesu Christi vivificans confectio existimetur nullatenus in sese pati dispendium, aut casu aliquo incurrere periculum. Si quando autem videtur collabi seu deperire per negligentiam sibi tractantium, restat eisdem, si non alacriter pœnituerint, damnationis judicium. At cum Dominus dixerit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum*, nullo modo putare debemus ut quodquam animal, præter hominem, carnis resurrectionem percipiat, sed nec nisi, fidelis, etiam eucharistiam percipit ad salutem. Denique exstitit quidam in nostro tempore in clericali habitu, dum jure culparetur quodam crimine, contigit ut sumeret audacter judicio examinationis donum eucharistiæ, calicis videlicet sanguinis Christi. Cui protinus per medium umbilici egredi visa est pars candidissima quam sumpserat ejusdem sacrificii, dans procul dubio evidens indicium reatus se indigne percipientis. Illico vero confitens quod prius negaverat, digne pœnituit. In Cabillonensi quoque pago, ob imminentem cladem, vidimus qui videret ex pane sacrato veram carnem effectam. Apud Divonem castrum eodem tempore, dum a quodam deferretur cuidam ægrotanti, casu excedere manu ferentis. Qui attente quærens, reperire minime potuit. Post annum vero evolutum, repertum est juxta viam publicam, ubi sub divo ceciderat, ita candidum atque incontaminatum, ac si hora eadem cecidisset. Lugduni denique in monasterio Barbarensi, dum quidam, ut credi debet, inconvenienter bustulam vel pyxidem, in qua servabatur, ut mos est, attractare vellet, e manibus illius sese eripiens, longius in aere stetit.

De chrismali etiam, quod a quibusdam *corporalis* appellatur, plurimum expertum est præstare remedia, si fides exigentium non fuerit dubia. Nam contra incendia sæpius, elevatum, aut exstinguendo compescuit, aut retrorsum pepulit, seu in partem alteram retorsit. Membra quippe ægrorum dolentia multoties sana restituit, febricitantibus nihilominus impositum salutem contulit. Apud monasterium Reomense, tempore venerabilis Willelmi abbatis, contigit ut incendium circumjacentia monasterii depopularetur. Arripientes autem ejusdem loci fratres chrismale conto impositum, elevaverunt illud contra incendii flammas dire flagrantes. Statim vero, idem ignis in sese retorquens, minime amplius quam invaserat, arripere valuit. Panis tamen ille Dominicus, aura flante, a contulo elapsus, plus minus duobus milliarlis avolavit usque ad villam cui Tivalgas vocabulum est, ibique super domum cujusdam veniens sedit. Quo prosecuto, ad monasterium dignanter est delatus. Contigerat enim in ipso anno die Paschæ in ecclesia quæ Monasterio adjacet, beati Pauli nomine dicata, ut calix vivifici sanguinis de sacerdotis manibus in terram laberetur. Sed ut præ-

A dictus pater comperit, ut erat vir solertis ingenii, tribus e suis monachis hujus delicti culpam pœnitere præcepit : videlicet pertimescens ne culpa insipientis presbyteri suos involveret cum illo ad vindictam ultionis. Quod etiam fecisset, si non obstitisset providentia sagacis viri, ut rei probavit eventus. Atque idcirco ista præmisimus, ut intimaremus fideuter credere quoniam, sicubi casus hujus sacri ac vivifici doni negligenter evenerit, ultionis cladem divinitus imminere ac subsequi. Quemadmodum, versa vice, quolibet in loco condigne illud tractari contigerit, abundare commodis universis. Sed et illius magnifici mysterii celebratio quantum prosit animabus defunctorum fidelium, cum in multis sit probatissimum, libet tamen e diversis præsentialiter producere ad medium unum. In remotioribus Africæ partibus erat quidam anachoreta, de quo ferebatur quod spatium viginti annorum tenebat illum omnino segregatum a conspectu ullius hominis. Vivebat enim labore manuum et radicibus herbarum. Contigit ut homuncio quidam genere Teiphalus, unus ex illis circuitoribus regionum qui nunquam saturantur experientia et novitatibus locorum, illuc pergens deveniret. Qui famam illius anachoretæ comperiens, aggressus solitudinem ardore solis perustæ regionis, diu multumque illum inquirens, si forte reperiret. Tandem ille prior solitarius se inquirentem aspiciens, vocavit eum ut ad se veniret. Qui, veniens ad illum, interrogare eumdem cœpit : Quis, aut unde esset, seu cujus rei gratia illuc devenisset. Qui protinus respondit : ipsius desiderio conspiciendi accensum illuc devenisse, nihilque præter eum aliud quærere. Deinde vir ille theologus subsecutus ait : « Novi te, inquiens, a partibus Galliarum huc devenisse. Sed quæso, dic mihi, si cœnobium Majoris [*al.*, Cluniense] monasterii, quod in eisdem partibus habetur, aliquando vidisti. » At ille dixit : « Vidi, inquit, et optime cognitum est mihi. » Tunc dixit ei : « Scito, ait, præ cunctis Romani orbis illud valere præcipue in liberatione animarum a dæmonica dominatione. Tanta enim viget in eo vivifici sacrificii frequens immolatio, ut nulla pene dies pertranseat, in qua non de potestate malignorum dæmonum tale commercium animas eripiat. » Erat siquidem, ut ipsi perspeximus, mos illius cœnobii, a prima diei aurora usque in horam prandii, propter fratrum copiam, continua missarum celebratio. Quæ videlicet tam digne pureque ac reverenter fiebat, ut magis angelica quam humana exhibitio putaretur.

Anno igitur millesimo quadragesimo primo Incarnationis Dominicæ exstitit terminus paschalis duodecimo kalendarum Aprilium, et ipse dies undecimo. Atque idcirco adnotare placuit, quoniam nec communis unquam fit temperior, nec emboli smus septimum Kalendarum Maiarum diem aliquando excedit. Sed inter ipsos triginta quinque dies legitime dies sacerrimus Paschæ coarctatur. Obiit quoque eodem anno Chuonradus imperator. Cui suc-

cessit in regnum Henricus filius ipsius, jam ab eodem patre constitutus rex. Contigit vero ipso in tempore, inspirante divina gratia, primitus in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per universum Galliarum territorium, firmari pactum propter timorem Dei pariter et amorem. Taliter ut nemo mortalium a feriæ quartæ vespere usque ad secundam feriam incipiente luce, ausu temerario præsumeret quidpiam alicui hominum per vim auferre, neque ultionis vindictam a quocunque inimico exigere, nec etiam a fidejussore vadimonium sumere. Quod si ab aliquo fieri contigisset contra hoc decretum publicum, aut de vita componeret, aut a Christianorum consortio expulsus patria pelleretur. Hoc insuper placuit universis, veluti vulgo dicitur, ut *Treuga Domini vocaretur*. Quæ videlicet non solum humanis fulta præsidiis, verum etiam multoties divinis suffragata terroribus. Nam plerique vesani audaci temeritate præscriptum pactum non timuere transgredi, in quibus protinus aut divina vindex ira, seu humanus gladius ultor exstitit. Et hoc passim tam frequenter contigit, ut præ sui multitudine singulatim non queant adnotari, et hoc satis juste. Nam sicut dies Dominicus propter Dominicam resurrectionem venerabilis habetur, et Octavus cognominatur, ita quintus, sextus et septimus, ob Dominicæ cœnæ et ejusdem passionis reverentiam, debent ab iniquis actionibus esse feriati. Contigit enim ut, dum pene, sicut jam diximus, per totas Gallias hoc statutum firmiter custodiretur, Neustriæ gens illud suscipere recusaret. Erat enim hujus rei occasio dissidium superbissimi litigii quod ortum fuerat inter Henricum regem filium Roberti, et filios supradicti Odonis, qui vicissim incendiis bella miscentes intestina, sibimet damna inferentes non modica, plurimas suorum strages dederunt. Deinde quoque occulto Dei judicio cœpit desævire in ipsorum plebibus divina ultio. Consumpsit enim quidam mortifer ardor multos tam de magnatibus quam de mediocribus atque infimis populi; quosdam vero truncatis membrorum partibus reservavit ad futurorum exemplum. Tunc etiam pene gens totius orbis sustinuit penuriam pro raritate vini et tritici.

Eodem vero anno, id est, quinto post quadragesimum atque millesimum Dominicæ Incarnationis annum, antedictus Henricus, filius Chuonradi, rex Saxonum jam in re, Romanorum vero imperator in spe, duxit uxorem filiam Willelmi Pictavorum ducis, nomine Agnetem, quam etiam desponsavit in civitate Chrysopolitana, quæ vulgo Vesontio vocatur. Illuc denique, ob amoris ac benevolentiæ gratiam utriusque, convenit maxima nobilium multitudo, episcoporum vero numero viginti octo. Provenerat enim in deditionem prædicti regis regnum Austrasiorum, quod illi a progenitoribus competebat. Simul etiam genti Hunorum proprio moderamine regem, Albonem nomine, instituerat. Unaniniter enim universi marchiones ac comites, tam ex Italia quam ex Germania, longe lateque, eumdem regem dominium super semet exercere gratanter expetebant. Et non immerito. Erat enim affabilitate gratissimus, ac liberalitate perspicuus, atque humilitatis gratia præditus. Nec cujuspiam (*dominium*) extollentiæ nutu notabatur indeptus. Atque idcirco universis circumcirca existebat amabilis. Ipso itidem anno prædicta gens Hungarorum ejus imperio rebellis exstitit. Quam ille hostiliter aggressus, potenter devicit, sibique tributariam subjugavit. Tamen, proh pudor! unum in eo erat nimium reprehensibile, quod incontinentia carnis luxuriæ infamabatur. Illud enim vitium plus cæteris in genere humano rerum ordinem turbat.

Sequenti igitur anno, id est, quadragesimo sexto post millesimum, facta est per loca magna vini fertilitas et leguminum. Post hæc vero sexto Idus Novembris mensis, luna quartadecima, nulla currente epacta, concurrente septimo, facta est eclipsis lunæ hominibus valde tremenda. Nam octava hora noctis inter solem et ipsam lunam, sive patratum a Deo ostensum, seu invertente sphæra alterius sideris, qualiter evenerit, manet notum scientiæ Conditoris. Ipsa quoque luna primitus pene facta est tota sicut teter sanguis, paululum evadendo usque ad aurarem supervenientis diei. Eodem nihilominus mense apud castrum sancti Florentini, quod est super Armentionem fluvium, circa medium cujusdam diei cecidit de cœlo, quod Græce dicitur *selas*, vel *chasma*, seu *palmatias*, dum fulgor ætherei splendoris insolito ad terras emittitur; insulsum enim vulgus perhibet stellam de cœlo cadere. Tunc ergo prædicto mense Novembri, perductæ sunt, in quibusdam locis Galliarum, præter solitum, ad maturitatem segetes primæ sationis Augusti mensis, collectæ mense Octobri; quod non sine magna admiratione contigit fieri.

CAPUT II.

De bello mire gesto.

Sub eodem quoque tempore fuerat orta grandis discordia usque ad effusionem multi sanguinis, inter Henricum Francorum regem, Roberti filium, et filios supra taxati Odonis, Thebaldum videlicet atque Stephanum. Contigit enim, post multas strages cladis utrarumque partium, ut idem rex, ablato ab eisdem dominio Turonicæ urbis, daret illud Gozfredo, cognomento Tuditi, filio scilicet Fulconis jam dicti, Andegavorum comitis. Qui, collecto magno exercitu, ipsam civitatem anno uno et eo amplius obsidione circumdedit. Adversus quem tandem hostili manu pergentes dimicaturi, revera ut afflictæ indigentique alimoniis succurrerent urbi, ambo prædicti filii Odonis. Quod Gozfredus comperiens, expetivit auxilium beati Martini, promisit se humiliter emendaturum quidquid in ipsius sancti confessoris cæterorumque sanctorum possessionibus raptu abstraxerat. Indeque accepto vexillo, imponens illud propriæ hastæ, cum exercitu equitum peditumque multorum obviam perrexit adversum se dimicaturis. Dumque venirent utræque partes in cominus,

tantus terror invasit exercitum duorum fratrum, ac si vincti ligaminibus omnes pariter imbelles exstitissent. Stephanus autem, arrepta fuga, cum aliquibus militibus evasit. Thebaldus vero, ex cætera multitudine totius exercitus, captus ad Turonensem civitatem deducitur, ipsamque Gozfredo reddidit, atque cum suis omnibus huc illuc que dispersis in captione remansit. Nulli dubium est beato Martino auxiliante, quia illum pie invocaverat, suorum inimicorum victorem exstitisse. Referebant enim aliqui ex acie fugientes quod tota phalanx militum Gozfredi, in ipso procinctu belli, tam equites quam pedites, candidissimis indumentis videbantur adoperti. Nam ex rapina pauperum ejusdem confessoris ferebant supplementum suis filii Odonis. Præbuit enim universis audientibus formidolosum stuporem, quod mille septengenti et eo amplius viri armis instructi absque sanguinis effusione in prælio capti sunt.

CAPUT III.

De tertia eclipsi solis.

In præscripto quoque mense Novembri, decimo Kalendarum Decembrium, hora tertia ejusdem diei, facta est nostro in tempore tertia eclipsis solis, luna duntaxat vicesima octava, quoniam neque solis aliquando eclipsis nisi in vicesima octava luna, nec lunæ nisi in quarta decima luna proveniet. Dicitur enim eclipsis defectus, sive defectio, non quod sibimet res, sed nobis impedita potius deficiat. Ipsis quoque diebus, referente Widone Remorum archipræsule, didicimus quod visa sit a suis stella Phosphorus, quæ et Lucifer, vespere sursum atque deorsum agitari, quasi comminans terrigenas idemtitabat (*sic*). Hujusmodi quippe ostentis cœlitus emissis, terruerunt quamplurimos suæ pravitates, ut ad correctionis viam pœnitendo redirent. Tunc inter cæteras rerum inopias vini tanta raritas exstitit, ut viginti quatuor solidorum foret pretium unius modii.

CAPUT IV.

De dissensione Lugdunensis præsulatus.

Fuit igitur in supra taxatis diebus dissensio permaxima post mortem Burchardi archipræsulis Lugdunensis de præsulatu ipsius sedis, quam plures non justis appetebant meritis, sed instinctu superbæ elationis. Primus omnium prædicti Burchardi nepos, ejusdem æquivocus, supra modum superbissimus, relicta sede propria, Augustanæ civitatis, procaciter Lugdunensem arripuit. Qui post multas perpetratas nequitias, captus a militibus imperatoris, perpetuo est condemnatus exsilio. Post ipsum vero quidam comes Girardum suum filium puerulum quemdam arroganter ibidem, sola præsumptione auctore, substituit, et ipse post modicum, non ut pastor ovium, sed veluti mercenarius, in fugam versus delituit.

Quæ omnia dum perlata fuissent Romano pontifici, suggestum est ei a viris fidelibus ut sua auctoritate patrem Odilonem Cluniacensis monasterii abbatem ibidem eligeret consecrari pontificem. Sic enim totius cleri ac plebis optans acclamabat devotio. Qui protinus mittens eidem patri pallium simul et annulum, imperavit eumdem prædictæ civitati fore archiepiscopum. Sed vir religiosus, suæ humilitatis attendens propositum, omnimodis renuit fieri. Pallium et annulum suscipiens, illi qui Deo dignus existeret reservavit, futuro pontifici ejusdem sedis. Habetur enim antiquitus ipsa Lugdunensis civitas index veri luminis maximæ partis Galliæ, quoniam prædones primitus Christianæ fidei, a sancto Polycarpo discipulo Joannis apostoli missi, devenientes universam illustraverunt regionem. Contigit enim postmodum, ut superius diximus, ut Henricus rex, recepto regno Austrasiorum, dum comperisset hujus dissensionis cladem, condoluerit, perquirens quid exinde agere deberet. Cui, dum apud Vesontionem devenisset, suggestum est, tam ab episcopis quam ab omni plebe, ut virum æque tali ministerio dignum, Odolricum, scilicet Lingonensis Ecclesiæ archidiaconum, Lugduni constitueret pontificem. Qui protinus, ut suggestum fuerat, speciosissimis adornatum indumentis ad præfatam illum destinavit sedem. Illico nempe restituta est totius provinciæ requies et pax diu optata, cum gaudio. Postmodum vero gens Hungrorum, jam secundo prædicto regi rebellis existens, adversus eumdem præliari disposuit. Contra quam egressus, licet impar numero, confidens tamen in Dei auxilio, confligere cum ipsis non timuit. Non enim erant in exercitu ipsius plusquam sex millia virorum, cum in Hungrorum phalangibus æstimarentur ducenta millia armatorum. Erant etiam cum rege quamplures episcopi cum clericis multis, qui pietatis gratia inermes cum eo in certamen introierunt. In eoque certamine tanta caligo ac tenebræ occupaverunt Hungrorum partem, ut vix juxta se positum quis illorum posset agnoscere. Exercitus quoque regis videbatur clarissimo sole circum et infra perlustratus. Qui fortiter dimicans innumerabili cæde prostravit adversarios fugavitque, cum de suis perpauci corruissent. Capta vero præda hostium, ac regno, ut primitus cœperat, ordinato, triumphans rex devenit ad propria.

Contigit ergo tunc temporis ut abbas cujusdam monasterii honestæ possessionis eidem imperatori equum valde optimum præsentaret, quatenus sibi ac loco sibi commisso ipsius liberalitatis amicitiam conciliaret. Fuerat denique idem equus, ignorante Abbate, cuidam militi clam sublatus sibique pretio venundatus. At imperator, gratanter illum suscipiens, suimet evectioni mancipavit. Quodam igitur die [quo] eidem equo insidens iter agebat, obviam fuit ei miles cui præfatus equus furtim ablatus fuerat. Qui prudenter aggrediens imperatorem, in hujusmodi prorupit verba : « Tu, inquiens, o rex, qui censuram debes tenere totius justitiæ, equum modo [mihi] fraudulenter abstractum cerneris possidere. » Cui illico rex tale pertulit responsum : « Si tuus, inquit, est equus, ut ais, accipe illum cum sessore, et educ tecum quo melius optas, et habeas utrumque quous-

que persolutionem furti suscipias. » Miles quoque, existimans sibi illudi, hærebat stupens. Enimvero rex compulit eum ut manu injecta duceret utrumque in suum dominium. Aspicientes vero qui circumstabant, ingenti admiratione stupuerunt. « Quæ grates, inquiens rex, referendæ sunt illi viro qui me tam subdole in hanc impulit captionem? Qui dum ab universis horribiliter detestaretur, ait rex : Adducite illum, ut secundum illusionem quam in me gessit, in eo vindicetur. Dumque præfatus abbas accersitus fuisset, ait ei : Depone baculum regiminis pastoralis, quem credis largitione mortalis hominis debere gestari. » Quem cum a se projecisset, suscipiens illum rex, imposuit dexteræ imaginis Salvatoris : « Vade, inquiens abbati, et suscipe illum de manu omnipotentis regis, nec sis ultra pro eo debitor alicujus mortalis, sed libere utere eo, ut decet culmen tanti nominis. » At ipse gaudenter illum suscipiens, plurimis de tali facto alacritatem contulit ac dehinc omni cum libertate viguit.

CAPUT V.
De exstirpatione Simoniaca.

Dignoscens igitur idem Henricus per universam Galliam atque Germaniam Simoniacæ philargyriæ grassari cupiditatem, coadunari fecit ex omni imperio suo tam archipræsules quam cæteros pontifices, et tale eis intulit colloquium : « Lugens vobis incipio loqui, qui vice Christi in Ecclesia constituti estis, quam ipse sibi desponsavit, ac pretio sui sanguinis redemit. Sicut enim ipse gratuita bonitate de sinu Dei Patris per Virginem ad nos natus est redimendos, ita suis præcepit, mittens eos in orbem universum, apostolis : *Gratis accepistis, gratis date.* Vos enim, avaritia et cupiditate corrupti, qui, dum conferre deberetis in hujusmodi transgressionem (dando et accipiendo) canonem, maledicti estis. Nam et pater meus, de cujus animæ periculo valde pertimesco, damnabilem avaritiam in vita nimis exercuit. Idcirco quicunque vestrorum hujusce (*macula*) sese norunt contaminatos, oportet ut a sacro ministerio secundum dispositionem canonicam arceantur. Patet ergo manifestissime quoniam propter hanc offensam venerunt super filios hominum diversæ clades, fames videlicet atque mortalitas, nec non et gladius. Omnes quippe gradus ecclesiastici, a maximo pontifice usque ad Ostiarium, opprimuntur pe. suæ damnationis pretium, ac, juxta vocem Dominicam, in cunctis grassatur spiritale latrocinium. » His denique ab imperatore acerrime prolatis, stupefacti pontifices, quid illi responderent non habebant. Pertimescebant enim carere ob hanc sulpam propriis episcopatuum sedibus. Et quoniam non solum in Gallicanis episcopiis hæc pessima pullulaverat nequitia, verum etiam multo amplius totam occupaverat Italiam; omnia quippe ministeria ecclesiastica ita eo tempore habebantur venalia, quasi in foro sæcularia mercimonia. Cernentes quoque episcopi gravi sese invectione irretitos, misericordiæ operam implorabant. At ipse princeps, misericordia motus, tale consolationis protulit verbum : « Ite, inquiens, et quod illicite accepistis, bene disponere satagite, ac pro anima patris mei, qui hac noxa reus vobiscum tenetur, attentius intercedere mementote, quatenus ei indulgentiam hujus facinoris a Deo possitis acquirere. » Tum proposuit edictum omni imperio suo : ut nullus gradus clericorum vel ministerium ecclesiasticum pretio aliquo acquireretur, ac si quis dare aut accipere præsumeret, omni honore destitutus, anathemate multaretur. Spopondit insuper promissum hujusmodi, dicens : « Sicut enim mihi Dominus coronam imperii sola miseratione sua gratis dedit, » ita et ego quod ad religionem ipsius pertinet gratis impendam. Volo, si placet, ut et vos similiter faciatis.

Ipso quoque in tempore Romana sedes, quæ universalis jure habetur in orbe terrarum, præfato morbo pestifero per viginti quinque annorum spatia miserrime laboraverat. Fuerat enim eidem sedi ordinatus quidam puer circiter annorum 12, contra jus fasque. Quem scilicet sola pecunia auri et argenti plus commendavit quam ætas aut sanctitas. Et quoniam infelicem habuit introitum, infeliciorem persensit exitum. Horrendum quippe referri turpitudo illius conversationis et vitæ. Tunc vero cum consensu totius Romani populi atque ex præcepto imperatoris ejectus [*al.* remotus] est a sede, et in loco ejus subrogatus est vir religiosissimus ac sanctitate perspicuus, Gregorius, natione Romanus. Cujus videlicet bona fama quidquid prior fœdaverat in melius reformavit.

VITA SANCTI GUILLELMI
ABBATIS DIVIONENSIS,
Auctore Glabro Rodulfo monacho.

(Apud Mabill. *Acta SS. ord. S. Bened.*, Sæculi VI, parte I, pag. 320, *ex ms. codice S. Benigni Divionensis, cum alio et editis collato.*)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Inter varios hujus sæculi scriptores, qui beati Guillelmi res gestas litteris mandarunt, duo præcipui sunt qui id data opera præstiterunt, alter Glaber Rodulfus, monachus Cluniacensis, alter chronogra-

phus sancti Benigni Divionensis, uterque sancti Guillelmi æqualis, ac forte etiam discipulus. Vitam Guillelmi a Glabro Rodulfo editam laudat Hugo abbas Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, tomo I Labbeanæ bibliothecæ: sed et eam a se conscriptam fuisse agnoscit Glaber ipse in libro IV Historiarum, capite 4: *Nec non*, inquit, *prænominatus pater monachorum, fundatorque cœnobiorum eximius Willermus, de quo etiam plura forent dicenda, nisi quod in libello quod de vita et virtutibus illius edidimus, prolata dudum fuisse noscuntur.* Hunc Glabri Rodulfi libellum, a Bollando ad diem 1 Januarii jam vulgatum, iterum hic ex ms. codice sancti Benigni Divionensis recudimus.

2. Guillelmi ortum ad annum 961 revocandum esse evidenter colligitur ex ipsomet Glabri libello, in quo obitum ejus anno 1031 ætatis septuagesimo contigisse disertis verbis affirmatur. Totum vero pene vitæ suæ tempus in monasticæ vitæ exercitiis transegisse ex hoc probatur quod, vix septimum ætatis suæ annum egressus, in cœnobio Luciacensi vestem monasticam induerit; unde strictioris disciplinæ studio digressus, in monasterium sancti Michaelis, mox Cluniacum in Galliam cum sancto Maiolo sese recepit. Est autem Luciacum, seu, ut alii dicunt, Lucedium aut Locedium, vulgo *di Locedia*, antiquum ordinis nostri cœnobium, quod primitus sancti Michaelis, postea sancti Januarii appellatum est ob eo translatas ejus reliquias, a quo etiam circumpositum oppidum sancti Januarii nomen tulit. situm est haud procul a Vercellensi urbe ad cujus diœcesim olim pertinebat. Hodie vero Casalensi episcopatui subjectum est, in territorio Montisferrati. Ex ordine Benedictino ad Cistercienses primum transiit, ac tandem post varias fortunas ad clericos sæculares defecit, ut observat Franciscus Augustinus ab Ecclesia in sua Historia Pedemontana, cap. 33.

3. Vicesimo nono ætatis suæ anno, hoc est 990, *indictione* III, *Guillelmus ordinatus est abbas sancti Benigni a domno Brunone episcopo Lingonensi*, inquit chronographus Benignianus, cujus sententiæ, præter privilegium Benedicti papæ, ut putant, septimi eidem Guillelmo concessum, obstare videtur fragmentum quoddam Benigniani monasterii historiæ manuscriptæ, in quo ecclesia sancti Benigni a Guillelmo incœpta anno 982 et omnino restaurata anno 986 fuisse dicitur. Verum hæc tanti non sunt ut a scriptoris gravis et æqualis auctoritate facile recedamus, maxime cum Glaber Rodulfus simul et Chronicum a Labbeo editum cum chronographo Benigniano consentiant; ac Benedicti papæ privilegium, non Benedicto VII, sed VIII, assignandum esse constet quippe quod anno Christi 1015 datum esse legitur apud Ughellum, tomo II Italiæ sacræ, col. 996.

4. *Erat prædictus Willermus*, inquit Glaber in libro III Historiarum, cap. 5, *acer ingenio et insignis prudentia; idcirco summum in palatiis regum ac cæterorum principum obtinebat locum.* Ejus elogium paucis verbis, sed quæ multis libris præstantiora sunt, complectitur beatus Odilo ejus sub sancto Maiolo condiscipulus, in libello scilicet de ejusdem sancti Maioli actis, ubi hæc habet: *Et ut pace spiritualium artificum in eadem fabrica laborantium dicam, unus præcipue refulsit qui nuper rebus humanis excessit, et qui plus nobis omnibus laboravit, domnus videlicet abbas Willelmus, de cujus clarissimis actibus, et vita laudabili, et mirabili conversatione parvitas nostra non sufficit quod sentit ad plenum referre.* Jotsaldus in Planctu de ejusdem beati Odilonis obitu Willelmum simul et ipsum Odilonem iisdem versibus celebrat, quos infra in Odilonis Elogio proferemus. Eumdem vetus auctor Chronici Fiscamnensis, *liberalibus artibus apprime eruditum, atque disciplinis ecclesiasticis, cunctisque spiritualibus officiis. . . . . virtutum gratia imbutum et illuminatum* fuisse scribit. Hinc nullum ferme fuit in Romano imperio monasterium, quod Guillelmi curæ non commissum fuerit. Quorum nonnullis ipse præfuit, aut discipulos suos præfecit: cæterorum vero abbates, qui jam illis præerant, suis exemplis ac monitis ad accuratam regularis disciplinæ praxim adduxit. *Beatæ memoriæ*, inquit idem auctor, *Willelmus abbas suæ religionis affluentia totius partes Romani imperii illustrabat, abbatumque multorum tepidos animos sui fervoris imagine reformabat et accendebat.* Eum Sigebertus ad annum 1027 recenset inter abbates *nominabiles*, quorum opera *religio ecclesiastica* sæculo XI floruit. *In Francia quidem et Burgundia. . . . per Guillelmum Divionensem severitate reverendum.* Denique, ut habet Glaber loco laudato, *quodcunque monasterium proprio viduabatur pastore, statim compellebatur, tam a regibus vel comitibus quam a pontificibus, ut meliorandi gratia illud ad regendum susciperet.* Hinc ipsum quadraginta fere monasteriis præfectum fuisse idem auctor asserit, quorum pleraque Chronographus Benignianus recenset, videlicet præter Benignianum de quo agit, Verziacense, Besuense, Reomaense, Tornodorense, Melundense, sancti Arnulfi Metense, sancti Apri Tullense, Gorziense, Fiscamnense, Gemeticense, sancti Audoeni Rotomagense, sancti Michaelis in monte Tumba, sancti Faronis Meldense, sancti Germani Parisiense, Fructuariense, sancti Amatoris prope Lingonas, sanctæ Mariæ prope Saxonicum-fontem. Quibus addit Glaber monasterium sancti Saturnini ad Rhodanum fluvium, quod modo in prioratum redactum est, monasterio Ambroniacensi subjectum.

5. Hic omittere non licuit locum egregium Wiberti archidiaconi de sancti Apri apud Tullenses cœnobio, qui de sancto Leone IX in ejus Vita sic habet libro I, capite 13: *Moxque uti sua erga sanctum et gloriosum Aprum major erat devotio, domnum religiosæ vitæ et conversationis virum jam dictum* (cap. 11) *Guidricum sub nomine abbatis eidem præfecit cœno-*

bio, voluntate et petitis domni Guillelmi ipsius loci tunc temporis venerabilis patris. Denique Aimoini continuator, lib. v, c. 47, testatur quod, *dum monachi sancti Germani a Pratis cœnobii sæculari modo vitam ducerent, piissimus Robertus rex una cum uxore sua, videlicet Constantia regina, accersens domnum Guillelmum abbatem Divionensis cœnobii, ei abbatiam dedit beati Germani, qui, eam regulariter instituens, anno Domini* 1030, seu potius 31, annum a Januario mense incipiendo, ut patet ex indictione XIV, littera Dominicali C, feria VI, Kalendis Januarii *vita decessit.* Quo die in Necrologio veteri Fiscamnensis monasterii legitur, *Kal. Januarii depositio beatæ memoriæ domni Willelmi abbatis istius loci, et multorum monasteriorum patris.* Die vero 22 Februarii notatur prima ejus translatio, et obitus Joannis ejus successoris, his verbis, VIII *Kal. Martii translatio beatæ memoriæ domni Willelmi abbatis, simul et depositio domni Johannis abbatis, et sui patris Rotberti.* In Necrologio sancti Germani a Pratis memoratur *die Kal. Januarii*, ubi dicitur *domnus abba Willelmus nimia religiositate sollicitus.* De viris illustribus qui Willelmi magisterio, variis in monasteriis suo regimini subjectis, floruerunt, visum non est operæ pretium hic agere, cum illi suis locis infra memorentur.

6. Porro etsi nullo publico cultu, quod quidem sciamus, apud veteres sanctus Guillelmus honoratus fuerit, illum tamen in fastis sacris ad diem Januarii, qui ejus natalis est, inter sanctos inseruerunt Arnoldus Wion et Hugo Menardus in Menologio ac Martyrologio Benedictinis; quos imitati recentiores omnes, *sancti* nomine donarunt: nec immerito, cum tanta præsto sint ad illius sanctitatem demonstrandam argumenta, vix ut ulla pro quovis hujus sæculi sancto certiora reperiantur, nempe mortis prænotitio, miraculorum patratio, ac præ cæteris integerrima vita ac regulæ monasticæ observatio singularis. Illinc Glaber, Vitæ ejus scriptor, vir gravis et magnæ auctoritatis, capite ultimo, sancti Guillelmi mortem *ad sanctum deificum lumen transitum* appellat, observatque, quod notatu dignissimum est, quæ in vivis adhuc agens operatus erat miracula, etiam et post mortem ad ejus sepulcrum perdurasse. Audiendus est in lib. IV Historiarum, c. 4: *Unum restat*, inquit, *quod novi ibidem* (in sancti Guillelmi Vita) *minime contineri. Migravit enim prædictus Pater a sæculo ad beatorum requiem in Neustriæ partibus, in Fiscamnense videlicet monasterio... sepultusque est, uti tantum condecebat virum, in loco optimo ejusdem ecclesiæ. Post aliquot fere dies, contigit ut puerulus ferme decennis valida confectus ægritudine ad sepulcrum illius gratia recuperandæ salutis duceretur, ibique a parentibus dimissus, decubabat solus. Qui subito respiciens vidit super idem sepulcrum insidentem aviculam, formam columbæ præferentem, quam diu intuens obdormivit; dehinc, leni expletus somno, evigilans, ita se reperit incolumem, ac si nihil ægritudinis persensisset. Suscipiunt itaque læti parentes suum, fit omnibus commune gaudium.*

7. Sancti Guillelmi corpus in majori Fiscamnensi basilica tumulatum est, *in conspectu euntium ac redeuntium fratrum*, inquit vitæ auctor, hoc est ante sancti Taurini Ebroicensis episcopi altare, quod hodie sancti P. Benedicti appellatur. Ex hoc autem loco postmodum in sacellum beatæ Mariæ Magdalenæ sacrum (quo tempore, quave de causa ignoratur) ad latus Evangelii translatum est, ubi hodieque in sarcophago lapideo, tres pedes longo ac novem pollices lato, intra parietis cameram ad septentrionem inclusum asservatur, cum hac in plumbi lamina inscriptione, quæ anno 1638 detecta est.

Abbatem plenum, lector, cognosce dierum,
Nomine Willelmum, hic recubare senem.
Iste loci primus pastor præfuerat hujus,
Quo statuit multos, dante Deo, monachos.
Jani prima dies animæ nova claruit ejus,
Cui nova Jerusalem obvia tota fuit.

Huic inventioni occasionem dedit nova in honorem sancti Guillelmi a Comite de sancto Martino et Agliæ marchione constructa ecclesia, quam cum ejusdem sancti, quem inter majores suos computat, reliquiis ditare in animo haberet, eas ab illustrissimo principe Guisio abbate commendatario, agente in primis apud eum, dominæ suæ nomine, clarissimo viro abbate Mondino, serenissimæ ducissæ a Sabaudia in Gallia oratore, inspici ac visitari obtinuit.

8. Hæc prima inspectio in diem 28 Octobris anni 1727 incidit, repertumque est sancti Guillelmi corpus maxima ex parte, præter ossa præcipua, in pulverem redactum; quo ad illustriss. abbatis Guisii aures perlato, tumulum iterum aperiri jussit, indeque quatuor ossa ex sarcophago, duo scilicet ducissæ a Sabaudia, altera duo monachis Benigniani transmittenda educi curavit, cæteris in arcam plumbeam una cum cineribus iterum inclusis ac in prædicto sarcophago reconditis. Hanc ultimam tumuli apertionem die 6 mensis Decembris ejusdem anni contigisse discimus ex actis publicis, inter quæ occurrit decreta apud serenissimam ducissam monasterii Fiscamnensis nomine supplicatio, ut suis verbis sancti Guillelmi canonizationem a sede apostolica flagitaret. Sed res hactenus infecta remansit.

PRÆFATIO AUCTORIS.

1. Dulcedine sancti Spiritus præditis Patribus venerandis, ac diligendis fratribus, ubique Ecclesiarum Dei universalis documentis in charitativa spe servientibus, monachorum infimus Rodulphus, tantil-

am obeditionis exhibitionem. Placere denique unanimitati vestræ non diffidimus, si de vita vel conversatione vestri omnium dilectoris, domni videlicet sacerdotis atque abbatis Willelmi, prout divina pietas largiri dignata fuerit, posteris mandare studuerimus. Plura siquidem a nobis visa, plurima tamen a veracissimis relatoribus comperta, hujus narrationis informabunt seriem. Idcirco communem fidelium virtutigenam obsecramus charitatem, ne simplex contemptui habeatur sermo, neve pro vili canistro puræ respuatur similaginis offa; cujus si prudenti manu exercitaretur materia, omnem valeret excludere inopiam, et sospitatem conferre perennem.

INCIPIT VITA.

2. *Guillelmi patria, avus. Parentes. e sacro fonte a regina suscipitur.* — Vir igitur religiosus domnus Willelmus, quem pius Dominus Ecclesiæ suæ filiis pastorem, ac juris suæ legis propagatorem constituit, natione quidem Italus; avus tamen ejus, Vibo nomine, militari industria clarus, gente Suevus fuit. Qui scilicet, ob inimicitiarum ultionem, nativam relinquens provinciam, perrexit habitaturus Italiam, ibique copiose locupletatus opum gratia feliciter degit. Hic ergo exstitit genitor Rotberti, qui accipiens sibi uxorem ex Longobardorum nobilioribus, nomine Perinzam (26), quæ, fecunda prole filiorum, genuit ei etiam præ cunctis optabilem Willelmum. Contigit namque sub ipso tempore illius nativitatis, Berengario Longobardorum rege defuncto, ut Otto imperatorum maximus hostili manu omnem sibi subjugandam peteret Italiam; qui comperiens prædicti Berengarii uxorem in quoddam castrum, situm in lacu urbis Novariæ (27), fecisse confugium, atque cum ea viros quorum conspiratio rebellis foret eidem imperatori; ad quod illico divertens, cinxit illud ferocis obsidione exercitus. Erat enim prædictus Rotbertus in eodem castro cum propria uxore et liberis, cui etiam quique illorum cum sua domina curam atque tutelam commiserant sui. Cumque diutius ab utrisque partibus acerrime decertatum fuisset, cernens imperator differri sibi victoriam, tentans largitionibus munerum clam inflectere suorum hostium signiferum: nam spopondit ei cum maximis donis etiam apud sublimitatem suam celsitudinis locum, si suos deserens illius parti faveret. Ille vero minime acquievit, utpote miles adjuratus, respondens sibi optabiliorem fore proprii interitum corporis, quam sacramentis assertæ fidei desertor haberi. Post aliquot vero dies, habito invicem pacis consilio, in deditionem gratis devenere imperatoris. Tunc quoque isdem Rotbertus, ut erat vir prudens ac strenuus, suggessit imperatori ut filium, quem ei uxor sua intra ipsius obsidionem castri pepererat, catechumenum fieri per manum imperialem præciperet. Quod ille libentissime annuens, ut monitus fuerat impleri mandavit, ac propria puerum sustulit dextera, eique nomen indixit Willelmum, quem scilicet postmodum regina, conjux illius, ex sacro fonte suscepit baptismatis.

3. Erat ergo, ut diximus ejusdem genitrix, non solum prosapia nobilis, sed etiam morum honestate præcipua. Hæc siquidem referre erat solita de eodem puero hujusmodi verba. « Videbam me, inquiens, nocte quadam dalmatica veste indutam, statimque solis radius illustrabat mihi mamillam dexteram; dehinc vero apparuerunt quidam vultus gerentes angelicos; ipsique filium meum mihi abstrahentes, altius efferebant eumdem infantulum claritate nimia circumfusum. Ego quoque hæc nimio intuens pavore perterrita, nil aliud quod dicerem reperiebam, nisi tantum : Sancta Mater Domini Salvatoris, tibi committo, custodi illum. »

4. *Deo devovetur a parentibus. In monasterio eruditur.* — Alia namque perplura optimi præsagii, quæ nos fastidium vitantes reticemus, conspicabantur in illo. Nam et habitudo tenerrimæ ætatis ita dissimilis videbatur cæterorum, ut nimium admirabilis haberetur. Propterea uterque parens uno consensu ac voluntate, cum suorum omnium favorabili hortatu, Christo Domino vovere illum, in ejus domo assidue serviturum. Duxerunt autem illum, cum esset fere septennis, ad monasterium sanctæ Mariæ sanctique archangeli Michaelis in honore sacratum, nomine Luciacum, in quo etiam veneranda habentur ossa beati martyris Januarii : ibique, juxta morem normæ regularis, eum ipsius loci abbati obtulerunt. Qui, satis devote illum suscipiens, sacræ monachalis religionis etiam veste induit. Hic nempe tradidit ei primos litterarum apices, atque hujusce custodiæ addidit præceptorem, cujus animum stupor invasit nimius, quoniam velocitas sensus sibi commissi pueri ad tantam proficiebat indaginem, ut universa priorum conscholasticorum studia in brevi transcenderet spatio; proinde in admiratione non modica jam tunc tam abbati quam fratribus cæteris habebatur

5. Præterea in vicino monasterio quædam anus, cujus erat maritus jam senior, congruum habebat

(26) Ejus obitus ad Kalendas Novembris notatur in Necrologio S. Germani a Pratis, his verbis: *Obiit Perenza nostra amica, mater domni Willelmi abbatis.*

(27) Aliæ editiones *Novitiæ*, mendose.

domicilium, ad quod prædictus puer, familiaris curæ providentia, per dies ducebatur; in quo etiam aliquoties quietis noctium gratia suscipiebatur. Cum igitur prædicta anus eum aliquando diligentia fovendi in sinu proprio brachiis complexa fuisset, mammæ, quæ laxis pendebant ac rugosis pellibus, subito turgentes lac fudere uberrime. At illa, ut erat piæ mentis ac Deum timens, religiosis quibusque sagaciter intimare curavit, quoniam isdem qui videbatur puer, excellentioris vitæ [*Bolland.*, diligentis vitæ] ac dignitatis gratia esset augmentandus. In processu namque temporis, cum adolevisset ac jam in Dei timore obedienter servire studuisset, non defuere invidentiæ stimuli. Quibus etiam sæpius agitatus, constanter sustulit illorum probra in quorum profectum toto conamine laboraverat. Nam olim in Vercellensi urbe primitus, postmodum apud Ticinum, sub tuta custodia regulas artis grammaticæ pleniter didicerat. Constituitur etenim divini officii assiduus custos, ac scholæ capitalis illius loci. Qui felici virtutum incremento, Deo favente, proficiens, commissa est ei secretarii cura atque administratio, nec non etiam totius supellectilis sanctuarii, domi forisque consiliorum diffinitio.

6. *Patrem ad monasticam vitam inducit.* — Cœpit interim cogitare qualiter suum genitorem a fluctivaga istius sæculi cura subtraheret, ac quod illi vitæ supererat secum in monasterio pro æterna requie laborando consumeret. Nam mater illius jam in pace obierat. Tunc nempe suasit ei ut mente tractaverat, et ille statim dilecto obedivit filio, imo Deo, qui ei præstitit talem. Sicque satis accurate cum plurimis donorum xeniis duxit illum ad monasterium, ubi devotissime a cunctis susceptus, in sanctæ conversationis habitu et ipse devote vivens, non multo post, præsente filio, optimo fine vitam complevit.

7. *Renuit ordinandus jurare episcopo fidelitatem. Ideo vexatur. Cogitat alio abire.* — Interea petebatur promoveri ad diaconatus officium, qui revera ita obsequens exstiterat inferiorum præceptionibus graduum, ut etiam ipsis sacerdotibus imitabile foret exemplar ad iter arripiendum tutum. Sed prædictum monasterium in Vercellensis urbis episcopio situm, atque ejusdem episcopi ditioni subjacebat. Inoleverat etiam male arreptæ consuetudinis usus, ut nullus fratrum loci illius levitici ordinis gradum prius susciperet, quam sese assertione jurandi promitteret servaturum fidelitatem episcopo. Hoc quoque dum suggestum fuisset Willelmo ut juxta illorum morem faceret, ut erat eleganter affabilis, respondens dixit se non posse salubriter respondere [*Boll.*, perpendere] ut, pro his quæ solius Dei imperio gratis præstari deberent, horum ministro alicujus servandæ fidei assertionem ullo modo exhiberet. Quin potius, inquit, terribilem hujusmodi assentatoribus Salvatoris sententiam imminere. Atque hujusmodi responso prolato, omnino quod hortati erant facere distulit. Illico nempe oppido ab hujusce suasoribus detractionum corrosionibus lacessitur, ab ipso præsule redarguitur, ac veluti contumax sui juris habetur. Ille vero talia pro nihilo ducens, ac magis magisque in Dei se cultum astringens, ita ut pene ipsi soli omnis cura ac sollicitudo psallendi, legendi, horasque pulsandi die noctuque loci illius incumberet: erat enim castissimæ mentis et corporis, paratus ad omne bonum; ac meditabatur frequentius, si forte quempiam reperire locum valeret, ad quem transiens devotius præceptis regularibus inservire liceret. Jam enim inibi fervor disciplinæ regularis admodum tepuerat.

8. Proinde accepta quondam licentia orationis ac visitationis gratia, ut ad monasterium beati archangeli Michaelis (28), quod situm constat in altissimis jugis Alpium, pergeret. Qui dum ad montis radices devenisset, atque, ut est iterarduum, ascendendi ad monasterium jam pene superaret; ipsius equus, quem post se habena dextera injecta trahebat, ab angusto tramite pede lnendo paululum devians, excussa habena, quantum est illud immane præcipitium, totus ruit. Quod cernens vir Deo devotus, mente quidem exterritus, vultu tamen sereno perrexit ad ecclesiam, orationi incubuit, ibique diutius, ac si nil adversi contigisset, oravit. Deinde vero exiens, misit famulum, si forte de equo aliter quam sperare poterant contigisset, ut ei renuntiaret; qui egressus reperit eum in loco ubi præceps ruerat, stantem incolumem, ita ut nulla omnino læsura in eo videretur, sed neque in loris aut ligno sedilis aliqua attritio appareret. Siquidem cum milliaria duo, et eo amplius, a loco unde ruinam ceperat usque in vallem ubi substiterat, computentur. Receptoque qui missus fuerat, equo, ei qui amisit [*al.* dimisit] reduxit. At ipse, gratias omnipotenti Deo referens, alacer ad monasterium rediit. Quæ res gesta plurimis admirationem præbuit, atque indicium sanctitatis.

9. *Cluniacum migrat. Sacerdotium recusat.* — Audierat, jam fama multiplici personante, monasterium esse, cognomento Cluniacum, in partibus Burgundiæ, cujus sanctitatis ordo, ac districtio regularis, materque virtutum discretio, præ cunctis incomparabiliter viguerant ab initio; ad quod etiam ire, illud invisere toto mentis flagrabat desiderio. Contigit quoque, dum hoc meditaretur agere, ut sanctissimus abba prædicti loci Maiolus, sacra ecclesiarum loca ex more visitans, ad cœnobium Luciacum diverteret. Quod cernens famulus Christi Willelmus, intelligensque suum a Deo desiderium compleri decretum, secretius accessit ad Dei virum, eique sui pectoris patefecit arcanum. At ille nimium alacriter spopondit ei juvamen optabile ad omne quod in di-

(28) Hoc monasterium non aliud videtur esse ab eo quod sancto Michaeli sacrum in Picheriani montis vertice duodecim a Cinisio millibus situm fuisse legitur in Historia Pedemontana, quod jam a multis annis defecit a monachis ad clericos.

vini operis cultu decreverat exercere. Dehinc Romam pergens, perinde rediturus, ut secum ad diu optatum locum illum deduceret. Interim vero Willelmus deliberans prudenter de omnibus quæ ad se pertinere videbantur, ac si in procinctu miles expeditus, ne forte ad fidei certamen ei properaturo res diu licenter usæ, non necessitas parentum, aut speciositas carnalium fratrum, seu vici ac latifundia, atque castella eorum quæ perplura erant, non saltem pietas nativi soli, vel generalis amor cunctorum obsisterent, sed ut ab his omnibus liber atque exoneratus viam mandatorum Dei, prout disposuerat, currere valeret, totum se divinæ commisit providentiæ. Regrediente igitur a Roma viro Dei Maiolo, memor uterque propriæ sponsionis, suscepit Willelmum in spiritualem Christi filiationem, ac duxit illum ad locorum sanctissimum Cluniacum. Ad quod cum venisset, misit ante se ex suis unum, denuntians fratribus ut obviam ei ex more ornati procederent, quoniam excepturi erant quemdam secum advenientem, cui honor divinitus debebatur. Exceptus denique, ut sanctus mandaverat, solemni apparatu, promovit eum honorifice cum consilio fratrum; quippedum una sensere in illo vitæ meritum. Nam et isdem vir Dei Maiolus peculiare frequentius cum eodem Willelmo de his quæ veræ salutis sunt exercebat colloquium. Jamque expleto in eodem loco plus minus anno integro, plus cunctis admirabilis venerabilisque, necnon honestioribus imitabilis habebatur. Tunc namque spiritualis Pater judicavit eum sacerdotio fungi dignissimum; jam enim sacratus fuerat levitico ministerio : at ille humiliter pavendoque se subtrahens, dicens se omnino non esse (29) dignum tractare tanti mysterii sacramentum. Sanctus quoque, nolens placorem animi ejus turbare, consensit ut voluit.

10. *S. Saturnini monasterio præficitur.* — Interea venit quidam frater præpositus cœnobii sancti martyris Saturnini (30), quod est super Rhodanum, precaturus sanctum virum Maiolum quatenus ei aliquem e suis commodaret, qui eum cum fratribus sibi commissis ad salutis viam agnoscendam instituere valeret. At vir misericordiæ gemina consideratione prospiciens, unius videlicet juvamen, alterius quoque obeditionis probationem, domnum ei protinus commisit Willelmum. Qui omnino nil dubitans aut renitens, perrexit humiliter ad Patris imperium ei obseculturus, qui ad hoc venerat utilitatis animæ gratia. Habebat enim præfatus vir plures fratres secum simul degentes, una tamen voluntas omnium, par consensus, similis operatio, modus orandi ac psallendi atque edendi, et totus horum habitus charitatis gratia uniformis, Willelmo revera, ut ipsis convenerat, præceptore, Cluniacensi ex more. Enimvero quidquid illorum erat peculii, communis in ecclesia eremus esse videbatur; atque isdem, postquam ad potiora Willelmus sublimatus fuisset, referre erat solitus nusquam se locum optabiliorem reperisse ad eam, quam obtinere deliberaverat, pauperiem consequi, vel extremitatem sanctitatis.

11. *Tum monasterio S. Benigni.* — Memorabili igitur patri Maiolo sub eodem tempore suggestum est a Brunone, venerandæ memoriæ Lingonis pontifice, ut monasterium egregii martyris Benigni, quod juxta Divionense castrum antiquitus veneratur, ad redintegrandum divini cultus ordinem qui in eodem loco omnino defecerat, susciperet; et, sicut per plurima cœnobia jamdudum agere consueverat, ita et istud in melius reformare satageret. At vir sanctus, motus pietate, ad preces pontificis misit continuo qui ad se reducerent Willelmum. Jam enim cum eodem fratre, cui illum commiserat, annum et semis pie vivendo expleverat. Cui utique ad se revocato, prædicti sancti martyris monasterii dulci imperio paternam ovilis Christi curam commisit. Spopondit insuper ut quidquid juvaminis ad spiritualis hujus negotii incrementum optaret, ipse libenti animo æquipenderet. Episcopo nihilominus, in Dei fide pariter et sua, contestatus est ut illi, more dulcissimi Patris, advocatus et custos, adjutor atque consolator in omnibus esset. Qui integerrima observatione monitui ejus obaudiens, ultra quam credi potuit, illum in vita dilexit. Clemens igitur domnus Willelmus ad sibi destinatum suscipiendi ac regendi gratia monasterium, missis cum eo a sancto Maiolo quibusdam ex honestioribus Cluniaci fratribus, ibique honorifice exceptus, atque ab eodem præsule Brunone monachorum Pater est ex more consecratus.

12. *Versiacensi deinde et Besuensi. Ejus humilitas.* — Cumque acerrime ac vigilanti studio se sibique commissos pro Dei amore disciplinis regularibus subderet, non multo post commissum ei ab Henrico venerabili duce monasterium etiam Verziaci castri ex latere situm, ubi antiquus confessor Christi sanctus requiescit Viventius. Illud quoque, veluti primum, moderamine regulari erat destitutum, illoque in melius reformato, tertio nihilominus destituto ac recta vivendi lege, super fontem Besuæ posito, apostolorumque principi sacrato, ab eodem Brunone pontifice constituitur Pater. Erat antiquissimum, ac sæpius paganorum seu pessimorum quorumcunque hominum infestatione desolatum. Ad hujus nempe redintegrationem dum toto conamine decertaret, contigit ut prædictus episcopus cum comite (31) maximæ partis Burgundiæ Willelmo, qui etiam ejus-

(29) In levitico gradu diu perseveravit modestissimus abbas. Unde litteris Brunonis episcopi pro Flaviniaco subscripsit *Wilencus levita;* et in rotunda sancti Benigni quam is exstruxit ecclesia, hactenus idem nomen idemque titulus legitur. Fuit tamen postea sacerdos, ex prologo, supra n. 1, et infra n. 16.

(30) Modo prioratus est monasterio Amlroniacensi subjectus, vulgo dictus *Saint-Saurin.*

(31) Otto comes, cognomento Willelmus, ab Henrico duce adoptatus, de quo Chronicum Benignianum passim. Benigniani monasterii fuit advocatus,

dem patris de quo sermo est exstiterat affinitate propinquus, ipso Patre præsente, colloquium pacis haberet. Post cætera dixit præsul in aure comiti, ut abbati, utpote propinquo scilicet suo, leniter suggereret ut, elationem ne forte pro virtutum gratia vel rerum copia surriperet, caveret. Ille quoque reverenter accedens, dixit ut monitus fuerat. Tunc pater Willelmus vultu alacri eidem comiti hujusmodi responsum protulit: Si, inquiens, cognoscere potero quod augmentum terrenarum opum vel possessionum unius tantum diei nostræ vitæ protrahat spatium, persuaderi non mihi potest quin ad horum extollar incrementum. Hoc autem responsum dum comes retulisset episcopo, admirati sunt uterque ejus prudentiam, pariterque lætati propter humilem illius sapientiam.

13. *Monasterio Fiscamnensi præficitur.*— Cum igitur fama sanctitatis illius jam latius deferretur, Normanorum dux venerabilis illam comperiens Richardus, misit ad eum, reverenter supplicans ut ad se veniret. Qui tandem libenter, ut rogatus fuerat, pergens venit ad eum; a quo etiam, sicuti decebat, honorifice susceptus est. Cujus sanctissimis cum recreatus, ut erat totius boni amator, dux fuisset eloquiis, obsecrans illum ut ecclesiam sanctæ et individuæ Trinitatis nomini et honori dicatam, in loco Fiscamnensi cognomento antiquitus constructam, a suo tamen patre Richardo honorificentius reformatam, ordine monachorum suscipiens decoraret. Erat enim illic more vivens carnali, jugo soluta regulari, clericorum levis conciola. Cernens denique Pater Willelmus illius animi devotionem, promisit se cum Dei adjutorio illud quod poscebat impleturum. Qui pariter venientes ad prædictum locum, satis sublime ac solemniter commisit ei isdem dux cum aliquibus episcopis dominium et curam regiminis totius loci. Tum vir Domini congregavit ibidem monachorum regularem catervam, ita videlicet personis numerosam ac bonorum studiis copiosam, ut triplici sui numero præteritorum numerum excelleret clericorum. Quod cernens jam dictus princeps, multorum donorum ac possessionum largitionibus ampliavit locum. Monuit etiam tam abbatem quam cæteros fratres sæpius ut ab illo peterent quidquid suorum utilitati expedire nossent, utpote quoniam de hac re secundum velle provenerat ei et posse.

14. *Scholas ibi instituit.*— Interea cernens vigilantissimus Pater quoniam non solum illo in loco, sed etiam per totam provinciam illam, nec non per totam Galliam, in plebeiis maxime scientiam psallendi ac legendi deficere et annullari clericis, instituit scholas sacri ministerii, quibus pro Dei amore assidui instarent fratres hujus officii docti, ubi siquidem gratis largiretur cunctis doctrinæ beneficium ad cœnobia sibi commissa confluentibus, nullusque qui ad hæc vellet accedere prohiberetur: quin potius tam servis quam liberis, divitibus cum egenis, uniforme charitatis impenderetur documentum. Plures etiam ex ipsis, ex cœnobiis, utpote rerum tenues, accipiebant victum. Ex quibus quoque nonnulli in sanctæ conversationis monachorum devenere habitum. Cujus denique institutionis labor nimium optabilem diversis ecclesiis contulit fructum. Nam præfatum, ut dicere cœperamus, locum taliter claustris atque officinis regularibus, cæterisque bonorum copiis adornavit, ut præ cæteris illius provinciæ felicibus semper floreat incrementis.

15. *Templum S. Benigni restaurat. Cujus sepulcrum detegit.*— Contigit ergo postmodum quatenus pars ecclesiæ beati martyris Benigni, cui, auctore Deo, primitus pater datus fuerat, ruinam corruens daret. Quam cum reformare cuperent artifices cæmentarii, graviorem pars eadem dedit ruinam. Quod cernens vir Deo devotus, intellexit divinitus sibi dari indicium quod totum a fundamentis renovari conveniret templum. Illicoque summo mentis ingenio cœpit ipsius ecclesiæ reformandæ mirificum construere apparatum: quam denique cum cœpisset reædificare positione mirabili, valde longiore ac latiore quam fuerat; ignotus tamen erat universis locellus quo pretiosi martyris membra claudebantur Benigni, quia solerti cura taliter antiquitus fuerat reconditus, ut illo fiducialiter veneraretur martyr per ævum, ubi felici morte occubuit propter Deum: sed a quibusdam incautis dicebatur etiam ibi non haberi. Cujus ignoratio rei nimium mœstificabat animum Patris Willelmi. Tali quoque defectu anxio revelatum est visione pulcherrima per ipsum Dei martyrem ipsius honorabile sepulcrum. Erat enim, ut beatus multorum sanctorum descriptor miraculorum Gregorius Turonorum pontifex refert (32), pergrandis arca lapidei sarcophagi continens illum. Pro cujus (*rei*) incredulitate narrat idem sanctus alterum sancti nominis Gregorium Lingonensem episcopum acrius quondam fuisse increpatum. Cujus namque positionem loci antiqua vetustas occuluit. Nam coram præcipuo illius monasterii altari profundius habebatur defossum memoratum sepulcrum. Quod continuo requirens invenit, aperiensque illud contingere meruit sacratissima egregii martyris ossa, in cujus etiam cerebro, quod in descripta ipsius passione legitur (32*), vulnus ferreo illatum vecte apparuit: quæ omnia integro numero præsentibus honestioribus tam episcopis quam cæteris diversorum ordinum vel sexuum cum odoriferis thymiamatibus ac psallentium choris, in eodem recondidit sarcophago; indeque paululum ad orientem illum amovens, in pulcherrimo atque incomparabili locavit

cui et Besuensi, Fructuariensi, aliisque locis sacris multa bona contulit. Obiit anno 1027. In monasterio sancti Benigni tumulatus est. Qui *promeruit*, inquit chronographus, *ut semper memoria ipsius agatur ab hujus loci monachis.*

(32) Scilicet libro I De gloria martyrum, capite 31. Gregorii autem Lingonensis Vita habetur inter Vitas Patrum, capite 7.

(32*) Passio sancti Benigni edita est a V. C. Francisco du Bosquet, tunc prætore Narbonensi, in Historia Ecclesiæ Gallicanæ.

tumulo. Dehinc namque Pater venerandus, acriori accensus devotione, reformandæ opus basilicæ instanter, quemadmodum decreverat, accelerabat perficere. Quoniam, ut diximus, et præsto est cernere, totius Galliæ basilicis mirabiliorem atque propria positione incomparabilem perficere disponebat.

16. *Monasterium S. Arnulfi Metis reformat. Romam petit. In reditu ægrotat.*— Omnipotentis etenim Dei gratia in ipso cooperante, cœpit illius fama sanctitatis circum adjacentes seu longinquas penetrare provincias. Nam præsul Metensium Adalbero, reverenter satis illum evocans, commisit eidem sancti Arnulphi confessoris regendum ac meliorandum, ut agere consueverat, monasterium. Suscipiens ergo illud, brevi tempore reddidit emendatum. Tunc enim devota concepit mente ut apostolorum principis Petri sanctissimi limina visitaturus adiret. Stabiliens nempe cœnobia sibi commissa idoneis præpositorum seu cæterorum officiorum personis, ut decreverat, Romam orandi gratia perrexit. Visitatis quoque sanctorum sepulcris vel oratoriis, sacris etiam missarum per semet celebratis solemniis (nam præfatus Bruno episcopus sacerdotium illi imposuerat), cum apostolica benedictione consolatus regreditur ad patriam, cœpit febricitans ægrotare. Jam jamque ad cœnobium sanctæ virginis Christinæ (33) perveniens, in lectum decubuit. Qui paululum convalescens Vercellas devenit, rursusque ibidem gravius periclitari cœpit. Tunc quoque, ut idem referre erat solitus, et etiam bonæ memoriæ Gerbaldus, almi patris Maioli monachus, ac prædicti cœnobii sanctæ Christinæ abbas perhibebat, dum in ecclesia sancti jaceret Eusebii præsulis, per quatuor vel quinque horarum spatia ita factus est exanimis, ut nullum omnino spiramen in ipso cognosceretur. Sed tamen ignoratur quid tunc divinitatis præsenserit, quoniam paululum in se reversus, voce qua poterat, lingua palpitans, hæc personabat verba: «Domine Jesu Christe, rex æternæ gloriæ, suscipe me, si placet, quoniam bonus es; non dubito ad te ex hoc corpore transire.» Sciendum vero est quoniam istius mora ægritudinis, ut eventus rei subsequentis demonstrat, non fuit impedimentum tantum quam gratia spiritalis lucri.

17. *Fructuariense monasterium condit.* — Occurrentes ei denique illuc tres ipsius germani fratres, levi evectione deduxerunt illum ad sui juris prædia confovendum; ardenter enim desiderabant videre illum, quoniam compungebat corda eorumdem divinæ absentia pietatis. Convalescente quoque eo ab ægritudine, post aliquot dierum spatium convenere ad illum quique suorum ac plures domini civitatum vicinarum, et suadere illi cœperunt, promittentes se plura largituros si in nativa patria cœnobium sibi, sicut in externa audiverant illum fecisse, ædificare inciperet. Tunc etiam, quod potissimum fuit, duo ipsius germani, videlicet Godefredus atque Nitardus, viri spectabiles, secretius illum cum comite maximæ partis Burgundiæ Willelmo, qui etiam ejusdem patris, de quo sermo est, exstiterat affinitate propinquus, adeuntes spoponderunt se sæcularem relicturos militiam, ac se suaque omnia in omnipotentis Dei peculiare dominium devenire. His auditis, Dei cultor illico fiducialiter cœpit tractare de cœnobii, unde rogabatur, constructione; qui pariter communi consilio et voluntate locum quærentes, rei hujusmodi aptum reperere in rure paterno a Pado distantem flumine quaterno milliario, solitarium, cognomento Fructuariensem. Ibi namque collocari præcepit basilicam, quam præsente Arduino (33') rege cum aliquibus episcopis sacrari jussit in honore genitricis Dei Mariæ, sanctique Benigni martyris, atque omnium sanctorum. In qua etiam isdem rex cum sua conjuge et filiis humatus quiescit. Ad quam nihilominus, tam a Romana urbe quam a diversis partibus, plurima congregavit sanctorum martyrum corpora. Brevi namque in spatio temporis collecta est ibidem numerosa fratrum congregatio Deum timentium, instituta beati Benedicti abbatis præcipui servantes, quæ isdem pater Willelmus a sancto Maiolo Cluniaci didicerat.

18. *S. Odiloni persuadet monasterii ingressum.* — Revertens igitur post hæc ab Italia, omni studio satagebat e diversis partibus terrarum colligere viros servituti Christi idoneos, suadendo eis vitæ cœlestis gloriam, pariterque comminans inferorum supplicia. Tantam enim ei Dominus cum cæteris virtutibus virtutem salutaris verbi concessit, ut quibusque doctrinam illius suscipientibus summam conferret fidei firmitatem, bonarumque virtutum augmentum, ac vitiorum emendationem. Omnibus enim, sicuti expedire noverat, sive leniter, seu asperrime, charitative tamen hujusmodi exhibebat. Contigit ergo illum aliquando cum viro per omnia desiderabili, domno scilicet Odilone, adhuc illo in canonicali habitu degente, de vera animarum salute habuisse colloquium. Intelligens vero illum niti ad sanctitatis culmina, cœpit illi attentius suadere ut, quod potissimum fore creditur, quantocius explere satageret; negotiis videlicet sæculi istius abjectis, Christum Jesum sequi liceret expeditius. Cumpunctus illico vir clarus libenter se facturum promisit quod Pater suaserat Willelmus. Nam post paululum, ad cœnobium nominatissimum honorifice deveniens Cluniacum, ibique a sancto Maiolo est devote susceptus, atque in habitu sanctæ conversationis monachus ex more sacratus est. Cujus etiam conversatio in tantum exstitit chara Deo, et dulcis

(33) Monasterium sanctæ Christinæ prope Ollonam, de quo exstat Ludovici Pii diploma, in notis ad Capitularia et a Cointio editum, tomo VII ad annum 822.

(33') Defuncto Ottone III imperatore, Italici regnum Italiæ ad Germanos transferri ægre ferentes, Arduinum Eporædiensis marchionis filium regem salutarunt, quem Henricus Pius armis prosecutus primum ad vitam privatam, mox ad Fructuariæ monasterium compulit.

Deum diligentibus, ut isdem sanctissimus Maiolus sibi commisso gregi allegans illum in vita, qualiter post ipsius obitum haberent Patrem atque pastorem. Quod ita manifestissime et utiliter fieri contigit. Quam enim præmaximam exinde, dum adviverent, dilectionem inter se habuere, dum alter eorumdem alterum sibi utrumque præferens, exprimi non valet (34).

19. *Pontificibus Romanis est acceptus.* — Præterea pontificibus Romanis Pater Willelmus, qui suo tempore præfuere, in tanta veneratione ac reverentia est habitus, ut quidquid illis suggessisset, sive per se, sive per aliquam legationem, libentissime implere studebant. Nam et Joannem papam spiritualia dona per orbem, maxime Italicum, auri vel argenti pretio distracta minus curantem, tali invectione monere studuit per epistolam, hæc continentem: (35) *Parcite, quæso, parcite, qui dicimini sal terræ et lux mundi. Sufficiat hominibus jam semel Christum fuisse venditum pro communi salute universorum. Jam enim refugæ veri luminis, solo nomine pastores, ovile Christi, imo membra illius, videte post vos quo eunt. Si juxta fontem tepet rivus, in longinquum fetere nulli dubium est. Idcirco cura quibusdam venditur ad suum interitum. Volo vos pastores ac pontifices omnes in commune judicis securim gestantis, ante januam assistentis memores.* Quam epistolam papa libenter amplectens, grates ac benedictiones tanto Patri retulit, Deumque in illo glorificavit.

20. *Henricum imperatorem sibi conciliat.* — Sed et illud denique in eodem Patre fuit valde memorabile, quod multi tum etiam nobiles venenatis infecti verbis malorum, dum adversus illum contumeliarum verba dicenda concepissent, seu jurgia ultionis vice referenda, ut ad conspectum illius ventum fuisset, statim mirabantur semet ab his quæ intenderant exprimere, alienatos fuisse; amissaque ferocitate rei præteritæ, quidquid id erat, totum procedebat ex mansuetudine. Henrico siquidem imperatori de eo suggestum fuerat, quod illi derogans, illumque contemnendum adjudicans, Arduini quoque parti, qui sibi Italiæ regnum præripuerat, faveret, illumque pro posse defensitaret. Ex hoc quippe viro Dei, quamvis ab re, iratus fuerat. Ille vero ut comperit, ad illum pergens, rei veritatem sese purgando pandit, atque si quid erat odii a corde illius detersit. Intantum etiam isdem imperator postmodum illum dilexit, ut illi dona largiretur plurima, et quidquid ab eodem vellet fieri continuo impetraret.

21. *Et Robertum Galliæ regem.* — Pari namque ratione Rotberto Francorum regi de ipso indicatum fuerat, quod Brunoni prædicto Lingonum episcopo, qui regi minus acquiescebat, talia suaderet quæ regali juri nimium resisterent. Ille vero simul et regina conjux illius propter hoc illi irati, comminati sunt aliquoties cœnobiis ejus damnum inferre maximum. Adiens ergo intrepidus amborum præsentiam, ita illorum divini verbi virtute iram compescuit, ut etiam summam dignitatis gratiam apud illos obtineret. Nam cum illorum filius, qui pro suæ juventutis elegantia ac liberalitate Hugo Magnus cognominabatur, jam in regem unctus obiisset (36), ac parens uterque pro morte ipsius pene usque in suimet necem cordis dolore et luctu affligerentur, tunc accessit ad eos spiritalis medicus, et ait: *Non infelices enim vos putare debetis, quod talem amisistis; quin potius felices valde, quia talem habere meruistis. Ego*, inquiens, *ex ullo hominum gradu non tam paucissimos salvos futuros æstimo, sicut de regum.* Qui cum attoniti responderent: *Quid hoc dicis, Pater?* Respondit: *Non audistis*, inquit, *sacer canon quomodo refert, vix tres de triginta regibus bonos exstitisse? Idcirco cessate, quæso, hunc juvenem flere mortuum, sed potius congratulamini ei, sicuti requiei datum et a malis liberatum.* His dictis ita consolans illos placabiles fecit, ut viderentur non habere quod plangerent, et Deum dicerent visitasse illos per sanctum virum.

22. *Hermannus episc. monachos persequitur, perit.* — Quorumdam etenim nomina aliquando interpretabatur, sive ad profectum, sive ad detrimentum ipsorum. Cum igitur post mortem Bertoaldi Tullensis pontificis, qui ei monasterium sancti Apri confessoris commiserat, eidem episcopatui quidam Hermannus præsul datus fuisset, ita cœpit exosos hujus Patris habere monachos cum sua institutione, ut etiam honestissimum fratrem, Widricum nomine, qui post illum ejusdem loci Pater devotus exstitit, cui tunc cæterorum cura imminebat, baculo verberaturus eum impegerit. Quod dum Patri relatum fuisset, ad nomen illius alludens ait: « Secundum suum nomen, inquiens, facit episcopus iste. » Nam lingua barbara *Herman* in nostra *homo errans* dicitur. Ac deinde: « Si enim Christi pastor fuisset, illius oviculas minime laceraret. Sinite illum: verus Pastor novit, et ipse quæ sua sunt colliget. » Non multo post denique pergens in longinquum sæcularia exacturus negotia, crudeliter obiit, peregrina potitus sepultura.

23. *Et Leo Vercellensis.* — Simili invidia quoque Leo Vercellensis episcopus ad actus universos istius Patris exstiterat infestus. De quo etiam talia narrare solitus: « Hic ergo crudelissimus Leo totus

(34) Multa hic in editis transposita suis quæque locis restituimus ope nostri ms. codicis.

(35) Præter hanc Guillelmi ad Joannem XVIII summum pontificem epistolam, exstat insuper altera ad eumdem, qua monet eum ne Ecclesiam Constantinopolitanam *Universalis* nomen sibi attribuere patiatur, quod quidem *Universalis* nomen missa ad Joannem legatione Constantinopolitanos patriarchas jam obtinuisse fama falso vulgaverat. Hujus epistolæ, legationis, rotiusque negotii mentionem facit idem Glaber lib. IV, cap. 1, et Hugo Flaviniacensis in Chronico ad annum 1024, ubi hæc altera epistola habetur.

(36) Hugo, Roberti filius, anno 1017 in regem unctus, obiit anno 1026, die 17 Septembris; sepultus in ecclesia sancti Cornelii apud Compendium.

est sine Deo, quia, si fuisset Deus cum eo, quæ illius sunt, amaret pro illo. » Affirmabat autem post mortem et æternaliter illum esse damnatum : manifestissime siquidem in multis claruit, quoniam quisquis illum odio habuit, exinde pœnas luit : sicuti, vice versa, si quis illum dilexit, mercedem a Christo percepit illius auctore sanctitatis.

24. *Præest monasteriis* 40, *monachis* 1200. *In fide Guillelmi precantes exaudiuntur. Rudes docet orare. Officii divini cura.* — Fertilem igitur gratiam ac dona uberrima a bonorum omnium largitore Pater iste promeruisse evidentissime passim claruit ; sed nos, lectoris tædium cavente, plurima silentio tegimus. Erant namque tam monasteria quam cœnobia atque cellulæ monachorum circiter quadraginta, quæ illius patrocinio tute cunctorum bonorum affluebant copiis, fratres vero in ipsis degentes procul dubio plus mille ducenti. Quibus inerat fides integerrima, ut quandiu id devote exercerent quod ab eodem Patre didicerant, nil mundi hujus formidare debere, aut cujuspiam suæ utilitatis rei indigentiam pati. Id ipsum enim suis sæpissime inculcabat a Deo sperare et credere, quod etiam plurimis probavere experimentis. Nam aliquando per diversa terrarum euntes itinera, dum ex eventus facie perturbari potuissent, dicere erant soliti : « Domine, in fide patris Willelmi fac nobis sicut vis. » Nec ullus illorum unquam hoc dicens ope caruit. Instituit quoque simplicioribus vel idiotis, e sæculo ad se confugientibus fratribus, orandi formam, quinque modulis mystice constantem : ut videlicet quot sensibus humani corporis Deus offenditur, totidem vocum clausulis ad misericordiam rogaretur. Erat autem hujusmodi : *Domine Jesu, Rex pie, Rex clemens, pie Deus.* Subjungebatur vero singulis, *Miserere.* Supputabatur namque taliter, ut si, verbi gratia, in decemnovennalibus articulorum juncturis, ter et quinquies identidem revolvendo devote diceretur, psalterii tota series mutuata persolveretur. Unde etiam pro psalterio apud illos habebatur, ut Pater docuit, et cognominabatur. Mortificatio nempe carnis, et abjectio corporis, ac vilitas vestium, ciborumque extremitas vel parcimonia, in suorum universis, ac si naturaliter, viguit. Ipsius etenim sermonis habitudo æqualiter cunctis, prout videbatur, in gratia erat condita. Pietati quidem et misericordiæ expleri nequit quantum operis dabat. Cum supernæ dulcedinis nectare, artificialis etiam musicæ perdoctus ac comptus dogmate, quidquid in psallendo choris suorum psallebatur, die ac nocte tam in antiphonis quam in responsoriis, vel hymnis, corrigendo et emendando ad tantam derexit rectitudinem, ut nullis decentius ac rectius psallere contingat in tota Ecclesia Romana. Psalmorum nihilominus concentum dulcissimo ultra omnes distinguens decoravit melodimate.

25. *Monasteria restaurata. Ecclesia S. Benigni dedicatur. In ejus concionatur.* — Erant igitur, ut diximus, sub ejusdem patrocinio tam maxima quam minora perplura monasteria atque cœnobia, quæ videlicet ipse omnia aut a fundamentis innovavit vel ampliando honestavit. Nam sancti martyris Benigni, ut dicere cœpimus, cui Deo auctore primitus pastor allegatus fuerat, basilicam incomparabili opere pene expletam, jam Brunone defuncto, Lambertoque in sede illius subrogato, placuit ut eadem basilica pontificali ex more benedictione sacraretur. Tunc denique ad votum ipsius Patres convenere die designato e diversis provinciis, non solum episcopi, verum etiam quorumcunque ordinum promiscuæ plebis innumera multitudo. Erat enim autumni dies tertius Kalendarum Novembrium, ante videlicet natale ipsius martyris, qui omnia rite ac solemniter, ut condecens erat, explentes, petierunt qui aderant episcopi, ac quique religiosi patrem Willelmum, ut in die tantæ consecrationis, tam ipsis quam universæ plebi, inter sacra missarum solemnia divini eleemosynam impenderet verbi. Ipse vero, ut erat bonis omnibus obsequens, agere non distulit, sed mente pia, corde contrito, vultu alacri, Spiritu sancto plenus, in hæc verba cum lacrymis erupit : « Convenistis, fratres et sorores, grex pretio Christi sanguinis redemptus ; convenistis, inquam, ad nuptias ipsius sponsæ, matrisque vestræ cœlestis ac sempiternæ Ecclesiæ, quæ idcirco universalis dicitur, quoniam non solum quod in omnes mundi terminos dilatatur, sed etiam pro eo quod nulla immanitas criminum illius superat (si tantum fides adsit) dona misericordiarum. Quæ scilicet patriarcharum mysticis præsignata figuris, prophetarum ostensa præsagiis, apostolorum auctoritate ac labore constructa, et martyrum sanguine consecrata ; in qua abluti ac renovati a culpa veteris piaculi per salutaris undam baptismatis, sicque induimini prima stola angelicæ beatitudinis, quam amisistis in transgressione parentis primi incolæ paradisi. Deinde vero editis carnem ac potatis sanguinem illius omnipotentis Agni, qui vos præ cæteris mundi creaturis formans et redimens, invicta benignitate elegit ad sui atque Patris regnum, sanctique Spiritus gloriam possidendam, ad quam, dilectissimi, tendere vos invito, moneo, obsecro, per charitatis ignem, et humilitatis, atque castitatis continuam custodiam. Gaudere, inquit, contigisset mihi ex vestræ unanimitatis devotione hujus sanctificationis concursus, sed quia nimius mœror mentem deprimit ex signis Satanæ, quæ evidentissime apparent in populo Dei : non, inquiens, aspicitis quibus est adhuc mens sanior, quæ scissuræ et detruncationes vestium rabidissimæ ? quæ attonsuræ per cervices virorum ? quam turpis in barba obripilatio maxillarum ? quam nugacissima pene universorum et insanissima actitatio ? quam lasciva ad omnes pene sermones ore tetricrepo juramenta ? Ista etenim universa recentia et nuper crassata, non ex religiositate Christianitatis [*ms.*, Christi bonitatis] processere, quin potius ex diabolicæ superstitiositatis rabie

emersere. Exinde quoque pullulat radix omnium malorum superbia, cæterorumque vitiorum fomenta. Atque vos ipsi judicate, si non ipsius famuli estis, cujus insignia et stigmata in vobismetipsis geritis. Nam et me pudet dicere dum pœnitet reticere, quoniam exspectastis dulcedinem verbi, et ego propino vobis generaliter amaritudinem redargutionis. Moneo etiam illum, si quis est in tota hac plebe, qui vel quinque solidos, seu quippiam ad hujus sancti martyris obtulit reædificandam muneris ecclesiam, quam præ oculis habetis, coram cunctis referat. » Dum ergo non inveniretur quispiam aliquid contulisse, rursus ait : « Videte, fratres amantissimi, inter quas spinas atque incendia pessimorum hæc aula omnipotentis Dei per fidem sui testis Benigni, ad quam elegantia excrevit, ipso cooperante, fastigia. Volo vos, si placet, assidue esse memores quam velox unicuique sit mundanæ curæ et ambitionis depositio. Propter quod obsecro, cum nostri auctoris adjutorio resistite vitiis et maligno diabolo; virtutes quoque præclaras assumite et colite; benignissimo Deo Conditori ac Redemptori vestro in cunctis obaudite, qui vos per fidem et orationes ac merita omnium fidelium suorum dignos faciat introducendi cum eis in sempiternæ gloriæ regnum, per Jesum Christum dilectum Filium suum. » Dumque ille ita perorasset, ac responsum ab omnibus fuisset, *Amen*, qui singultus, quantæ lacrymæ, qui gemitus per totam agebantur ecclesiam, exprimi non valet. Omnibusque rite perfectis, cum gaudio quique rediere ad propria. Ex illo etenim die in eadem basilica, præcipue ad tumulum gloriosi martyris, factæ sunt multimodæ curationes diversarum infirmitatum, quæ etiam ob multiplicitatem scribi nequeunt. Sed et si quis cum fide plena sibi deposcens quæcunque utilia, procul dubio adipiscitur, si talis sit ut promereatur sanctorum meritis et orationibus.

26. *Willelmus miraculis claret. Morte punitum suscitat.* — Nec prætereundum nobis videtur quod dum Patris Willelmi alloquio multi fuerint in mente recreati, plures etiam in corpore tactu ejusdem redintegrati, oratione refocillati, visitatione confortati, ac benedictione firmati; et quamvis nunc minus audiatur quod olim Christi sequacibus usui fuit, suscitare mortuum, pauca tamen de pluribus, ut testati sumus, quæ Dominus per istum operatus est, dicemus. Revertenti namque illi quondam a cœnobio sancti Viventii confessoris, cum jam appropinquaret sancti Benigni monasterio, obviam habuit promiscui vulgi turbam plangentem ac repedantem a spectaculo cujusdam miserrimi, videlicet ex ejusdem servorum familia sancti Benigni, quem magistratus crimine convictum morteque suspensionis patibuli adjudicatum deliberaverat. Quod audiens vir misericors milliario distans a loco, dimisso equo illuc quantocius occurrens, hoc tantum dicebat : « Jesu, Jesu, qui pepercisti latroni in cruce miserere. »

(37) Editi : *Rogo ex me discas.*

A Jussitque suis velocius infelicem illum, quem cernebant e trabe pendere, jam rigentem deponere : ipse vero toto prostratus corpore orationi incubuit. At illi solventes lora guttur illius arctantia, exanimis i terram cecidit. At quem accedens vir pius, ait : « Surge, inquit, Dominus imperat. » Ipse vero aperiens oculos erexit se, admirans valde sibi superesse. Qui cum viro Dei egrediens, exsultantibus cunctis, ad monasterium plures postea vixit annos. Multos nempe ab hujusmodi patibuli suspendio ac nece per diversas provincias tam interventu quam redemptionis pretio liberavit

27. *Mitis in exactione redituum. Auctori hujus Vitæ apparet.* — Nam et fratribus monasteriorum utilitatibus præpositis illud sæpius inculcabat, ut in B exactione sibi commissorum forent providi, ne forte nimis tenues pro census reditu affligerentur. Dicebat enim se magis velle largiri egenti quam exigere quidpiam ab indigente. Itinera quoque ejus per civitates et vicos, seu quorsum haberet, ingens pauperum atque infirmorum turba præoccupaverat. At ipse liberalis et largus beneficiorum erat universorum impensor. Desiderabatur enim ab omni hominum ordine vel sexu ipsius præsentia, sicuti unius e patriarchis aut apostolis Domini. Aliquanti etiam referebant illum sibi per visum in somnis apparuisse, seque de pravis actibus redarguisse, vel monuisse illos de communi animarum salute. « Testor ego, inquam, ipsius ac virtutum matrem charitatem, quoniam quondam meorum culpis facinorum C offensus, ut sensi illum ad horam amaricatum, secessi in aliud cœnobium ipsius ditioni minime subditum; » dumque illic degerem, astitisse mihi una nocte visus est aspectu placido, ac manu injecta caput mihi demulcens aiebat : « Rogo ne me deseras (37) si non te amare fingebas : quin potius exercere te cupio quæ promiseras. » Ipsius namque imperio maximæ jam ex parte eventorum atque prodigiorum, quæ circa et infra incarnati Salvatoris annum contigere millesimum, descripseram. Quæ etiam causa ad præsens opus me compulit inflectere articulum. Idcirco omnes pariter oro ne propter hoc præjudicium de me fiat.

28. *Omnium erga eum reverentia.* — Beatitudo igitur eximii Patris Willelmi jam ad tantam excreverat excellentiam, ut cunctas Latii ac Galliarum D provincias ipsius amor ac veneratio penetraret. Nam reges ut patrem, pontifices ut magistrum, abbates et monachi ut archangelum, omnes in commune ut Dei amicum suæque præceptorem salutis habebant. Quis enim unquam alius præter eum Veneticorum gentem in tam amica familiaritate habuit? Exaggerative secundum Apostolum (*Galat.* IV, 15) loquimur, quoniam, si fieri posset, oculos suos eruissent, et dedissent ei. Siquidem Ursus, patriarcha illorum, ipsius sancti Patris decrevit effici monachus. Sed quia ipse dispendium illius gentis, quod foret pro tanti absentia viri, considerans, illi in suo proposito per-

manere suasit. Quod etiam de multis similis rei gratia cognitum habetur fecisse.

29. *Ex Italia in Galliam redux. Pie obit Fiscamni.*— Jam vero in Dei opere magis assiduus quam frequens, cum esset in Italia suum biennio præstolans a sæculo excessum, sed rerum opportunitatibus exinde evocatus, ægerrime tamen ad Gallias remeavit. Cumque revisendi charitate cunctos Gorziense usque monasterium, a se olim cum cæteris ad regulare specimen reformatum devenisset, quæ supererant invisere curavit. Dehinc ad prænominatum venit Fiscamnum. Post aliquot vero dierum acribus cœpit doloribus affligi. Jam quippe imminente solemnitate Nativitatis Dominicæ, prænoscens suæ a Christo vocationis diem, convocatis ad se fratribus, deliberans coram eis provide ac sapienter de cunctis quæ ipsius innitebantur patrocinio, quid vel qualiter agendum seu ordinandum foret, sicque universis, præsentibus simul et absentibus, sua benedictione firmatis, ac Deo commissis, expetiit sibi dari salutare ac vivificum commeatum. Expletisque solemnibus totis octo dierum, nil omnino loquens, oculos tantum ad Deum erigens, illi soli intendens, illum solum mente respiciens; jamque aspiciebat felix anima, subito ad illum itura de vasculo carnis, in sua gloria Deum majestatis. Anno igitur ejusdem Nativitatis Dominicæ 1031, indictione XIV, a nativitate quoque ipsius Patris ac Dei cultoris LXX, et ab adventu illius ad Gallias de Italia XLI, regnante Conrado imperatore, in Francia nihilominus Roberto rege, die Dominicæ Circumcisionis venerabili, atque ejusdem nativitatis octavo, VI feria, mane, dum aurora supervenientis diei pelleret tenebras, e mundo transivit a sancto istius Dei amici corpore anima felix et beata, lucerna videlicet orbis, ad sempiternam ac deificam lucem, suis lugentibus, sed angelis lætantibus, cum quibus laudans ac magnificans benedicit Deum, in quo vivit quidquid juste subsistit. Sepultum namque est sacrum illius corpus honorifice in gremio ejusdem sanctæ Trinitatis ecclesiæ in conspectu euntium ac redeuntium fratrum, ut quotidie siquidem præ oculis imitabilem haberent Patrem, quem ad æternam justitiæ mercedem habuere institutorem, ipsiusque meritis et precibus valeant percipere æternæ vitæ regnum, et gloriam cum sanctis omnibus, donante Domino Jesu Christo Salvatore, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per immortalia sæculorum sæcula. Amen

ANNO DOMINI MXLVIII.

SEIFRIDUS

ABBAS MONASTERII TEGERNSEENSIS.

SEIFRIDI EPISTOLÆ.

(Apud Pez, *Codex diplomatico-historico-epistolaris*, col. 236. *Thesauri anecd.* tom. V.)

EPISTOLA PRIMA.

AD EPISCOPUM N. . .

Duos e suis fratribus mittit, et suum adventum pollicetur.

Specialissimo seniori †, nostris temporibus cunctis hominibus sanctitate et justitia excellentiori, † abbatis vocabulo addictus solo nomine, una cum subjectis toto corde et ore perenne gaudium in utroque homine.

Omnimodis, reverentissime Pater, par esse scio, uti vobis servili famulamine obediam, quoad vivo. Hoc vero, prout posse adjacet mihi, devotissime totis corporis nisibus cupio adimplere. Sed doleo quod non condignum beneficiis, meæ parvitati a vestra celsitudine sæpe collatis, valeam exhibere. Spiritalis autem serviminis munia vobis impendere devotus rei regum Christo pro vestra salute indesinenter supplico totus. Spero equidem, quamvis torrena mihi facultas pro exhibendo vobis servitio deficiat, tamen in conspectu vestro æque, ceu coram Deo, quia voluntas mea bona sufficiat. Qua de re voluntarius duos, quos jussistis, vobis dirigo fratres meos, et ob indissolubile inter nos vinculum charitatis vestri solius famulamini subjicio eos.

Igitur propter cœnobii mei desolationem, etiam si senior noster imperator meusque sibi ad serviendum illos juberet mittere, pro certo comperisset, me, licet non sine periculo meo, hoc præceptum ejusdem prætermittere. Fateor enim in trutina cordis mei, præponderando vestrum amorem, illius vincere timorem. Hac pro causa unice vestram pietatem flagito per verissimam fidem, qua Christus replevit, et quæ ad notitiam omnium fidelium luce clarius inolevit, quatenus paterno affectu illos foveatis, atque ut citissime valeatis, cum gaudio eosdem ad me remittatis. Ecce iterum iterumque præcordia mea incipiunt amore interno ardere, quia magis ac magis desidero vestrum veram angelicam

vultum videre. Hoc ergo, vita nobis comite, dum quantocius perficere quibo, gratulabundus vos facie ad faciem visurus adibo.

EPISTOLA II.

AD W. EPISCOPUM.

Excusat longiorem moram suorum in certorum codicum perscriptione.

Domno pontifici W. omnium jubare virtutum fulgenti cunctisque in domo Domini positis instar solis lucenti, S. Dei gratia in Tegrinseensi collegio officio fruens abbatis, una cum subjectis jugiter orando in utroque homine perennis gaudia felicitatis.

Testem Deum invoco, præsul dilectissime, quod, quandiu vivo, semper vobis omnigena servitute famulari cupio, omnium hominum devotissime. Ad hæc etiam cum fratribus meis toto cordis conamine indesinenter deprecor Deum pro salute vestri corporis et animæ. Magnifica igitur munera, quæ frequenter exhibuistis sancto Quirino, penitus commonefaciunt nos Christo supplicare pro vobis, velut memoriali divino. Verum suppliciter flagito vestræ excellentiam bonitatis, ne aliquam mentis offensionem contra meum cœnobium geratis moroso temporis intervallo. Inibi non sunt adhuc perscripti libri quos postulabatis. Sedula ergo illic permutatio abbatum, nec non pro diversis scribendis voluminibus imperatoris mandatum valde impediunt votivum vobis in ministrando desiderium eorumdem fratrum.

EPISTOLA III.

AD FULDENSEM ABBATEM, UT VIDETUR, WIDERADUM.

Deplorat miserum Fuldensis ecclesiæ statum.

Venerando abbati †, diversarum virtutum floribus cunctos præcellenti abbates nostris temporibus, † indigne vocabulo pastoris Tegrinseensi ovili prælatus, una cum eodem jugiter orando cœlestis gaudia senatus.

Utriusque vestri hominis profectum, Pater charissime, ad proprium velle in Domino semper prosperari non cesso pro posse ac nosse intimis præcordiorum suspiriis deprecari. Sed non sine lacrymis possum dicere quantum me fama de vestris cladibus triste nuntium portans solet afficere. Dudum enim comperi monasterium S. Bonifacii omnium ecclesiarum speculum hactenus jure nominatum, nunc cum contiguis ædificiis esse concrematum. Hoc ergo cunctis cognoscentibus est lamentabile, qui et optant gratia Dei ipsum quandoque pristino decore fieri reparabile. Necdum vero hinc obortæ mihi lacrymæ erant siccatæ, et iterum sinister rumor attulit vos peste turgidum jam in mortis esse vicinitate. Verum ad hæc infortunia dum nequeo corporale solatium exhibere vobis vel medicamentum, supplicans tantum Christo pro remedio vestri, illud etiam consolatorium sancti Jacobi profero documentum: *Omne gaudium existimate, dum in tentationes varias incideritis;* dum et alias scriptum esse noveritis: *Fili, disciplinam Domini despicere noli, neque fatigeris, dum ab eo argueris.* Adhuc namque inter spem et metum positus, pro vestrarum rerum statu hunc brevem vobis mittens, veritatem cognoscere cupio præsentis legati relatu. Egomet ipse nimirum non differrem vos videre, si aliquod charitatis pignus vestræ almitati possem præbere, et nisi pro ædificando S. Quirini cœnobio essem occupatus, atque, ut vobis notum est, nimietate paupertatis undique circumvallatus.

EPISTOLA IV.

AD HENRICUM IMPERATOREM.

Illum rogat et obtestatur ne monasterium Tegernseense ulli in beneficium concedat, ni omnia sen industriæ seu pietatis opera velit diruere.

Invictissimo Romanorum imperatori Augusto H. speciali virtutum diademate præ filiis hominum venusto, S. supra Legium [*f.* collegium], S. Quirini administratorium gerens statum una cum eodem, post longævum felicis imperii principatum cœlestis curiæ senatum

Quia pauperes et egeni numerum excedentes ad vos currunt in miseriis suæ calamitatis, ac pro amore ejus qui vos sibi in Ecclesia vicarium delegit, omnibus his patrissatis, ob id et nos, qui mundo objecti, grave paupertatis onus subivimus, in nostra ærumna ad vestræ almitatis asylum, Cæsar piissime, confugimus. Nam post Deum cum omni solamine, excepto vestro, careamus, nostræ religionis atque salutis detrimentum acceleramus, si in nostris Domino precibus vos commendare unquam cessamus. Qua de re pro certo scitote, in regno neminem vestro commorari qui plus nobis gliscat die noctuque lacrymosis gemitibus pro longæva incolumitate vestra Christum deprecari, et ut de cœlo pax, victoriaque vobis administretur, ne securitas Christianitatis ulla bellorum tempestate quatiatur.

Verum sinister rumor conturbavit nostram orandi intentionem, nobis amarissimam intimando lamentationem: vos scilicet istud velle cœnobium tradere in beneficium, ad nostræ exiguitatis incessabile supplicium vel justitium. Si vero istos ullus cœnobitas vindicat in servitutem, profecto hic deficiet omne artificii exercitium, quia posthinc quos tædet vivere, nullum his desiderium est pingere aut scribere. Sed huc illucque dispergentur, ne aliquid ad ædificationem spiritualem operentur. Istud quippe monasterium in hac provincia antiquissimum, varioque quondam ornatu splendidissimum, sicut regali auctoritate, legitima donatum est libertate primis ejusdem intervenientibus fundatoribus, sic libera cum privilegiis conditione sublimatum est a vestris antecessoribus.

Nunc igitur efflagitamus ipsum qui in manu tenet sua omnium corda regum, quatenus cordi inspiret vestro non spernere nostrarum humilitatem precum. Obsecramus quidem luctuosis gemitibus ob ejus nominis sanctitudinem, qui vos, regum optime, ad tantam perduxit celsitudinem, seu propter parentum vestrorum, vestrique elemosynam atque

æternam beatitudinem, ne ullius nos vestros servituti servulos subjiciatis. Sed ad Christi vestrumque famulatum sub umbra alarum vestrarum protegatis. Istas enim supplicationes si dignemini complere, in isto æternaliter loco in benedictione notum sit vobis memoriale vestrum manere.

EPISTOLA V.

AD SIGEFRIDUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Gratulatur ei reditum ab exsilio, et quantis sumptibus sibi constiterit declinatio insidiarum, quas quidam monachus suæ abbatiæ struxerat, exponit.

Archiepiscoporum piissimo S., pauperum et maxime monachorum defensori fidissimo, S. abbas monasterii S. Quirini cum fratribus suis sedulum oramen una cum devoto famulamine servili.

Quandiu in exsilio fuistis, quotidie ego et fratres mei pro salute vestra Dominum rogitabamus, et nunc ipsi gratias agentes pro desiderabili reditu vestro magnopere exsultamus. Igitur divina pietas temporibus nostris vos monachili decus vitæ instituit et tutamen singulare. Ideo possum procul dubio non ignorare, quod si horno præsens in regia curte essetis, mihi inter adversa quæ patiebar fidus adjutor fuissetis. Quidam vero non solum falsus monachus, sed, ut ita dicam, vix Christianus, de cœnobiis S. Emmerammi, multa pecunia apud seniorem meum studuit me circumvenire, et sic ovile mihi commissum nequaquam per ostium, sed aliunde ascendendo quasi latro anhelabat inire. Hac pro causa, quamvis innocens, jam abbatia depositus essem, nisi amicorum consilio regi tres jurejurando promissas auri libras dedissem. Has igitur, dum ex facultate mea nequirem rependere, eheu! pro his acquirendis thesaurum ecclesiæ S. Quirini maxima ex parte coactus sum expendere. Unde vos precor unice ut ad tanta vadimonia restituenda aliquid meæ inopiæ supplementum præbeatis, pro quo S. Quirino intercedente cœleste præmium a Christo percipiatis, nec non utriusque hominis mei servitium, quoad vivam, devotissimum habeatis.

EPISTOLA VI.

EJUSDEM FORTE, AD N.

Excusat suam in liberalibus artium disciplinis imperitiam, et philosophiam caute utentibus prodesse existimat.

Domino suo N. internæ illustrationis luce sereno, N. suus nec dignus dici, laborum præmiis coronari.

Quoniam per os sapientiæ insonuit, ut qui falso prædicantur, suis ipsis necesse sit laudibus erubescant: ego quoque orationum tuarum prædicationibus prosecuticis, quæ utinam vere in me dicerentur, ultra me jactatum iri erubesco; quippe cum nihil horum quæ asseris ascribi mihi posse conspicio. Rhetoris namque officia una cum dialecticis syllogismis mecum inusitata, ac per hoc incognita, nec facundiæ propugnaculis ingenium roborant vel provehunt, nec sophismatum argumentationibus obtusam diuque residem mentis aciem armant vel acuunt, scilicet cum ad hujusmodi scientiæ artem nullo modo conscendere vel pertingere possem, qui nec grammaticæ salis condimenta perceperim, nec schematum tropica vestimenta induerim, nec Priscinaisticæ latitudinis, et soliditatis, quo facilius superædificari possit, fundamenta locaverim. Neque enim ad altiora pervenitur, nisi per inferiores gradus ascendatur; nec maceria desuper firma consistit, nisi firmo fundamenti pede subterius fulciatur. Sed quoniam, domine mi, omnia hæc quæ mihi assignasti, lectionis assiduæ continua vacatione in te sedem posuisse recognoscis, me quoque, quod contra est, eadem abundare credis. Quidquid enim præcipui fluentis Leodiscensibus discendi æstibus flagrans hausi, crebra, quam patior, infirmitate exsiccatur totum pene, ut ita dixerim. Unde ad memoriam reformandam doctrinæ vacillantis excitamenta adhiberi mihi exæstuo, ac si copia daretur in rebus, fidelem sæpe præceptorem meum humiliter subjiciendus adire desidero.

Quod autem dixisti, in hac mundana philosophia, quæ apud Deum stulta est, parum esse proficui, dum altius considero, ita verum esse perpendo; sed, si consulte tractatur, aliquo modo in eadem proficitur. Nam quamvis sæpe incautos decipiat, secumque mœroris foveam trahat, via tamen ac quasi præludium consultis cautioribusque esse cognoscitur, per quod exercitati ad altiora et vera saltant. Verum ut sub compendio, quæ fert animus, concludam, illud sanctitatem tuam haud occultum esse cupio, quod nostri moduli nemo tibi devotior, quidquid [sum] vel ero; hocque charitatem tuam exposco, ut orationibus tuis ab imminente ægritudine adjuver in Domino. Valete.

EPITAPHIUM SEIFRIDI.

Abbas eximius tumba situs hac Sigefridus,
Omnia, dum viguit, terrea deseruit.
Ac paupertatis suscepit onus grave gratis:
Vivat cum Domino dives ut hoc pretio.
Sed tamen abbatum cum manderet hic dominatum
Clementi studio, judicis imperio,
Nullum damnavit, sed cunctos lætificavit,
Sentiat ut Christum nunc sibi propitium.
Huc accedentes dicant sibi compatientes:
Sit modo concivis cœlibus angelicis.
Hæc peto lecturus, vel Adæ legem subiturus,
Christe creaturæ, dic, miserere tuæ.

ANNO DOMINI MXLVIII.

VASO

LEODIENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Fabricium, *Bibliotheca med. et inf. Lat.*, tom. VI, pag. 314.)

Waso, *Wazo et Guaso* alias dictus, fuit primum capellanus Leodii, deinde scholarum magister, Capellanus Henrici III imp., decanus Leodiensis, præpositus et archidiaconus, tandem an. 1042 episcopus Leodiensis, obiit an. 1048. Vitam ejus dedit Anselmus canon. Leod. cum additionibus Ægidii, tom. I Chapeavillii, pag. 281 seqq., ubi etiam pag. 282 Wazonis *Invectiva in Joannem præpositum*, qui munere suo satis violenter fungebatur; pag. 300, *Epistola ad Henricum imperatorem*, ne Aquisgranum pergeret; pag. 302, *Epistola ad episcopum Catalaunensem*, in qua monet ne hæretici, qui tunc erant Manichæi, supplicio afficerentur. Nam, ut obiter hoc adjiciamus, ex solo pallore hæretici judicabantur, sic ut multi quoque ex catholicis eo prætextu trucidarentur; pag. 303, 304, *Epistola alia ad Cæsarem*, ne electioni pontificis se immisceat. Vide Val. Andreæ Bibl. Belgicam pag. 849. Viri hujus sancti A Vitam non unus tantummodo Anselmus canonicus Leodiensis scripsit, sed et operam suam illi junxit Alexander canonicus alter Leodiensis, qui ambo in continuatione sua ad Historiam episcoporum Leodiensium gesta hujus episcopi descripserunt. Hanc vero Historiam post editionem Chapeavillii iterum ex alio ms. codice produxit P. Martene in Collect. Monum., tom. IV, pag. 894, etc. In utraque hac editione litteræ hic indicatæ repræsentantur, sed præterquam quod apud Martene *Invectiva ad Joannem præpositum* multo integrior est, reliquæ etiam epistolæ in multis valde discrepant ab iis quæ in priori editione leguntur. Cæterum bibliothecarius noster hic omisit epistolam aliam Wasonis ad Henricum I, regem Galliæ, qua illum monet ne bello lacessat Henricum Nigrum occupatum in itinere Romano, quo ad obtinendam imperii coronam se contulerat. Vide Historiam litterar. Galliæ tom. VII, pag. 591.

VITA VASONIS

SCRIPTA

Ab Anselmo et Alexandro, canonicis Leodiensibus, inter Gesta Leodiensium episcoporum.

(Martene, *ampliss. Collect.*, tom. IV, pag. 872, ex codice ms. antiquo Andaginensis monasterii S. Huberti ante sexcentos annos exarato.)

CAPUT I. — *De electione Vasonis.*

Post hunc (*Nithardum*) domnus Vaso secundum canonica instituta electus, licet diu multumque reclamans, per vim obedientiæ sibi ab archiepiscopo impositam, vix tandem ad suscipiendam episcopalem virgam est attractus; quamvis multo ante, non episcopus, consiliis et sapientia totum episcopatum gubernaverit. Hoc qualiter fecerit, qualiter ante episcopatum vixerit, quam paucis absolvam.

CAPUT II. — *Qualiter in scholarum magisterio se habuerit.*

Capellanus primum sub Nochero, postea ab eodem donatus est scholarum magisterio; in quarum studio tam morum quam litterarum vigilantissime exercuit disciplinam, eos qui probis moribus essent, licet minus litteratos, longe his anteponens, quibus, C ut in plerisque solet, scientia litterarum vanæ gloriæ peperisset stultitiam. Adventantibus quidem quibusque de diversis terrarum partibus, implens quod scriptum est: *Probate spiritus si ex Deo sunt*; plerisque quidem difficiles sui objiciebat accessus. Si quos autem vere ob studia venisse cognovisset, gratantissime suscipiebat quandiu morari vellent, et nonnunquam vestitus solatia impendebat. Discedebant alii litteris, moribus et religione instructi; accedebant alii nihilominus instruendi: cerneres quasi ex diversis alvearibus apes ad hanc florigeram arborem convolare, ut inde suis quæque cellis referret, unde arentibus favis nectar melliflui roris posset infundere. Haud aliter ex ignotis et notis regionibus ad virum bonos Christi odores spirantem undique studiosorum confluebant agmina, et alter quodammodo Salomon ad se videndum et desiderabiliter audiendum religiosos cujusque generis invitabat. Et cum multi, exemplo reginæ Austri pretiosissima Jerosolymam conferentis, ne immunes apparerent, huic suo Salomoni spontanea offerrent xenia, ille ita manus suas studebat excutere ab omni munere,

sicut econtrario solent fenoris exactores debita cum usuris extorquere, evangelicum illud corde tenens, ore proferens : *Gratis accepistis, gratis date;* et illud : *Beatius est dare quam accipere.* Munificentiam in eo laudari non est necesse, quia ita erat sedulus erga hospites et peregrinos, ut non opes expendere, sed de pleno gurgite haustas fundere videretur, non sine admiratione æmulorum indignantium nobiliores et ditiores minus potentis virtute et gloria superari. Quid multis immorer? Cum scholaris officii labore sub Baldrico episcopo decanatus non sponte sublimatur honore, in quo modestum ita se exhibere studebat, et in subjectos pius, contra superbos et potentes in virtutis culmine cum justitiæ armis staret erectus. Unde contigit ut Joannem præpositum, antea sibi in amicitiis familiariter junctum, scripto non sit veritus arguere, eo quod contra elationis malum ob vanum præpositi nomen parum consuluerit, et tyrannicam potentiam a religione semper profanam in disponendis pro libito rebus ecclesiæ sibi arrogaverit. Quod ad confutandam malorum præpositorum contumaciam aptissimum huic opusculo non pigebit intexere. Verum si quis mihi ideo succenseat, ipse sibi quia malus est, testis erit. Scripsit itaque sic memorato Joanni, noviter concessa sibi missione à scholaris officii administratione.

CAP. III. — *Controversia ad Joannem præpositum* (1).

« Fratri Joanni secundum sua merita non suus « VASO.

« In veteris amicitiæ memoriam cogor te, frater, « adhuc compellare, quamvis apud nos nil dignum « mereari gratiæ. Hactenus te venustabat aliquantulum litterarum scientia ; efferebat etiam in constituendis negotiis rationis justitia ; nunc quod « bona fortuna uteris, priora præsentibus confundere mihi videris. Quidquid boni prius habueras, « adjudicamus simulationi, quia fortuna bonis superveniens solet meliores (2) operari. Enimvero « divitias per se neque bonas neque malas nuncupamus, nisi a possessoribus suis hoc translative « (3) promamus. Archidiaconatus enim cæteraque « mundi vanitas suo contagio te non infecit, sed « quam versipellis prius latebas, suis operibus « exposuit.

« Ultionem male vivendi forsitan reformidares, « nisi plurimum sæculari potentiæ confideres. Cumque multa in te punienda possim recensere, unum « quod me contingit, volo, si queam, refellere. « Dicis te præpositum potenter esse constitutum, « claustralia negotia domi sine consilio decani fratrumque, sicut volueris, dispensaturum. Cum « gladio non utaris, cur potenter magis quam regulariter dicis ? Si tua dignitas est a Deo, cur illam « non commendas scripto ? In confusionem meam, « prælatum et præpositum unum esse dicis; obviare « veritati, gratiæ deserviens, minime reverens.

« Quid est, quæso, aliud, veritatem scienter fraudare, quam Christum pati, secundo crucifigere ? « *Væ qui dicunt malum bonum, et veritatem commutant in mendacium.* Ergo cum Christus veritatem « se esse dicat, quisquis veritatem lædit, Christum « procul dubio sauciat.

« Sancti Patres, zelo justitiæ ferventes, claustralem regulam divinitus illustrati conscripserunt ; « nihil superfluum addentes, vel necessarium subtrahentes, neque ad dexteram, neque ad sinistram « declinaverunt. Prælati et præpositi tulerunt omnem controversiam, si tibi ambitionem, mihique « lenieris invidiam. Dic, dic, quæso, si regula singillatim titulat episcopum, prælatum, præpositum, « cantorem, cellarium, portarium, usque ad pistores et coquos ; si prælatus et præpositus unum « est, quare prætermittit decanum ? Non debuit ille « diligentius scribi, qui magis obnoxius est deservire religioni ? Irrationabiliter ergo videbitur esse « regula composita, si non exsequitur omnia claustralia secundum propositum necessaria ? Sed « quis sanum sapiens audebit hoc asseverare, cum « *Spiritus sanctus* auctor regulæ *figmentum effugiat disciplinæ* ? Noli, frater, noli male interpretari « scripturam regulæ sufficientem ; prælati et præpositi, velis nolis, necessariam tene distinctionem. « Quia si prælati et præpositi unum esset subjectum, potius unum quam duo scriberetur capitulum ; ut sicut præsulis et episcopi duum nominum « fit unum capitulum, sic prælati et præpositi fieret, « si esset unum. Quia ergo duæ personæ intelliguntur in prælati et præpositi significatione, merito duas sententias placuit regulæ scriptoribus « annexere.

« Præsertim nomen decani, quod regula non posuit, minime te moveat, quod solum militaris « disciplina, et regula sancti Benedicti, a decem militibus vel monachis, litteris sacris tacentibus, « frequentant. Quoniam quidem cum regularis diligentia triginta, quadraginta vel his amplius canonicos simul admittat, nomen decani, quod « supra denarium res agitur, irrationabiliter ponere « devitat.

« Erit ergo prælatus secundum spiritualis vitæ « administrationem prior in claustro ; et consequenter præpositus propter exteriorum procura« tionem ordine secundo. Spiritualia enim sæcula« ribus digne præponuntur, quantum stolido cor« pori rationalis anima principatur : hanc institu« tionem immobiliter servant Occidentalia claustra, « et monachorum quotquot sunt ubi cœnobia. « Quippe quia pluris existimas opes religione, vene« raris præpositum, suppressa decani celebratione « quoniamque gloriaris te præpositum esse, præsumis claustralia negotia fratribus inconsultis dis« pensare : non ut utiliores fratres ad hæc promo« veantur, sed qui gratia tua solummodo participan-

(1) In multis differt ab editis circa finem imprimis.
(2) Edit., *efficere.*
(3) Edit., *translatione probentur.*

« tur: hinc religionis divinæ, proh dolor! ruina « suboritur, litteralis disciplinæ studium penitus « destituitur. Quis plantat vineam, et de fructu ejus « non comedit? Quis nihil proficiens religioni, « disciplinæque operam dabit? Hanc institutionem « Pater cœlestis non plantavit, mater Ecclesia scri- « ptis suis non animavit. Necesse est ergo spirituali « cultro succidere spuria vitulamina, et regularibus « monitis assensum præbere per omnia. Præcipit « namque regula præpositum sub prælato agere, « sibi injuncta fratribus humiliter fideliterque cum « bonæ conversationis exemplo administrare; sed « si is resultaverit, ab officio removeri aliumque « loco ejus aptiorem constitui.

« Ad hæc, frater, vide, quæso, subjectionem præ- « positi; vide fidelitatem, humilitatem, periculum « quoque ministerii. Et si præsumis claustralia bona « inconsultis fratribus dare, ubi est subjectio, fide- « litas, humilitas obedientiæ? Unde illa tanta do- « minandi sublimitas, si perdendæ dignitatis tam « prona facultas? Non poterunt fratres consiliorum « esse participes, qui institutionis depositionisque « tuæ possunt esse opifices? præsertim cum domno « pontifici, qui singulariter domnus vocatur, eccle- « siastica non liceat sine clericorum consilio defi- « nire; ut quid subjectus minister audebis bona « fratrum secundum libitum tuum dissipare? Dom- « nus abbas jubetur in consilium totam congrega- « tionem adducere. consilioque omnia definire; tu « dedigneris confratres tuos super communibus bo- « nis consulere? Jubetur etiam inter plures monasterii « bona dividere, ne solus præpositus, tenens omnia, « possit superbire; alioquin, si id licenter feceris, « jam non præes canonicis, sed servis et eleemosy- « nariis tuis. Quis, rogo, erit sufficiens quoquo « modo vivere, qui dignetur in eleemosynæ tuæ « stipendia transire? Utquid fratrum nomine fiunt « traditiones possessionum, si tu solus singulariter « super his vindicas dominium? Hactenus eramus « pauperes Christi, matris ecclesiæ canonici; reli- « quum est famulemur tibi servi emptitii. Desine « frater, quæso, desine insolenter agere, officiique « tui modum humiliter recognosce.

« Vide etiam quid regula præcipue dedicet præpo- « sito, scilicet subjectos illustrare canonicæ conver- « sationis exemplo. Ergo si regulare mandatum est, « canonicos chorum, refectorium, dormitorium fre- « quentare; cur, dum facultas est, subtrahis te, quasi « prohibearis ab hac societate: cum sis sanus, « validus plerumque etiam otiosus; ne erubescas « religiosus esse; quia qui Christum erubuerit et « sermones suos, pœnaliter afficietur in die cala- « mitatis et miseriæ. A mane in vesperam non pudet « te sæcularibus negotiis desudare; et semel per « hebdomadam et mensem choro confunderis inter- « esse? *Qui non laborat, nec manducet*, scribit « Apostolus; tu nihil vel parum laborans, omnia « colliges solus? Si otiosis etiam cibus interdicitur

(4) Uncis inclusa desiderantur in editis.

« naturalis, quid tu negligens præpositus operibus « laborantium dominaris? Ecce per Apostolum « derogatur tibi vitæ communio, unde tibi tantæ « dominationis abusio? *Si qui altari deserviunt, de « altario debent vivere*, consequenter qui nihil ser- « vis, nil debes accipere. *Qui parce seminat, parce « et metet, et unusquisque secundum laborem proprium « mercedem accipiet.* Porro si religiosissimus esses, « per humilitatem hanc dominationis ambitionem « cavere deberes [(4) sicut Veritas docet apostolos: « *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, « dicite: Servi inutiles sumus.* Sic David, parvulus « in oculis Dei, sublimatur in regem; Saul, arro- « ganter agens, contumeliosam incidit in mortem. « *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humi- « liat, exaltabitur*]. Si Paulus, *plus omnibus laborans*, « profitetur se minimum et abortivum, cur tu nihil « laborans, econtrario singulare præoccupas do- « minium? Si sententia Pauli per omnia est lauda- « bilis, universaliter præsumptio tua fit detestabilis. « Dicis te esse potentem præpositum, omnia bona « claustri sine consilio prælati et canonicorum in « domo tua sicut volueris dispensaturum. *Quem « teipsum facis? Quid habes quod non acceperis? Si « gloriaris, in Domino glorieris; non enim qui se- « ipsum commendat, ille probatur, sed qui a Deo « commendatur.* Gloriam tuam mater justitia pariat, « humilitatis custodia non derelinquat. Non te « metiaris adulantium lingua; quid sis, non quid « voceris, diligenter examina. Si Deus homo « venit ministrare, non ministrari, cur tanto fastu « quæris dominari? Cum Deus esset, *semetipsum « exinanivit formam servi accipiens*; tu, cinis et « pulvis, contendis vocari præpositus potens? « Enimvero nequaquam poteris ejus esse disci- « pulus, nisi prius, deposito dominationis fastigio, « fias parvulus.

« Certe si nullus claustralis præpositus, nisi ex « regulari (5) canonico debet ordinari, profecto non « debes esse præpositus, nisi canonicam vitam du- « xeris claustri. Distat ergo inter clericum et cano- « nicum, quod canonico, non clerico debetur clau- « strum; omnis enim canonicus clericus, non con- « sequenter ut omnis clericus canonicus. Ex cano- « nico enim, non ex clerico regulariter constituitur « præpositus; ac ideo necesse est, si præpositus « es, choro, refectorio, dormitorio, nisi per licen- « tiam, sis assiduus. Igitur quia maxime præposi- « turam amas, cur claustri fastidis militiam? Quapro- « pter aut cum præpositura habebis religionem, « vel dignitas præpositi vertetur in villicationem; « non enim erit necesse constitui ex canonico præ- « positum, si idem ministerium æque possit mini- « strari per laicum. Sis ergo, consulto, præpositus « cum religione; saltem vel religiosos velis amare, « ut sicut qui suscipit prophetam in nomine pro- « phetæ, mercedem prophetæ accipiet, sic irreli- « giositatem tuam saltem religiosorum amor com-

(5) Editi, *ex regulari canone*

« mendet; quia nimis profanum constat utrumque, A « te (6) irreligiosum esse, religiososque vexare. « [(7) Ad hæc, frater, præpositi subjectionem, fide- « litatem, humilitatem, administrationem secun- « dum regulam, non dominat onem collige; de bonis « tibi commissis consilium decani fratrumque ne « asperneris appetere. Per subjectionem et humili- « tatem quærito consilium, etiam mandatum; per « fidelitatem et administrationem, quidquid præter « beneficium inveneris, redde totum. Utquid bene- « ficium accipis, si ad cætera omnia non es fidelis?] « Quidquid ministerio tuo juste superlucratus fue- « ris, in vita tua teneas: non tamen fratribus hoc « palam facere, ne furti arguaris, supersedeas; « [(8) sic fructum habebis ex tua rationabilitate, si « fratribus notitiam feceris ebaboratæ summæ. Quod B « si silentio presseris, successori tuo, non fratribus « furtum lucraris]. Ego in duabus villis mihi in- « vito commissis, quadringentorum (9) mansorum « servitium justa ratione superlucratus, fratribus « annuntiavi, et statim servitium feci; quantoque « me in gaudio pro fidelitate intrare sperabam, « tanto tribulationibus invidiæque magis succu- « bui. Servus evangelicus talentum duplicans a « domino collaudatus meruit donari : ego quadru- « plicans, multis modis impetitus et circumven- « tus, addictus sum paupertati. (10) [Cum « multa bona claustri teneas sine quæstione redditibus « parvis, cur fidelitatem nostram, quasi furtum « persequens, ulciscris? Tuarum rerum ministros « infideliter agentes dure punis; et res claustri C « cur non simili diligentia prosequeris? Quomodo « probaris fratres sicut teipsum diligere, si tuas « atque illorum res dispari tractas affectione? Si « apud idololatras olim Romanos fraus rei publicæ « sacrilegii suppliciis expiabatur, quo tormento « legibus exquisito fraus claustri deprehensa digne « multabitur?] Ergo, frater, omnes in commune « accingamur humilitate, fidelitateque, regulariter, « et res claustri, sicut oportet, tractemus irrepre- « hensibiliter. Quanto majores sumus in sæculi di- « gnitatibus, tanto nos humiliemus in omnibus : « avaritiæ, dominationisque altitudinem fugiamus « studiose, quæ religionem disciplinamque naturali- « ter solent propulsare.

« Noli (11) præsumptionis tuæ defensionem Co- D « loniensis claustri exemplo roborare; quia, sicut « experimento didici, Deo gratias, nil penitus in « eo invenitur tale. Ipse domnus archiepiscopus, « remota dominationis suæ sublimitate, claustrum « sæpe deambulans, scholas visitat; propositis dis- « solutisque quæstionibus, quos utiliores invenit, « gratia donisque magnificat. Sic omnium delecta- « tionem sibi concilians studia nutrit; in pelago di- « vitiarum, clavo sese humilitatis regit. Præpositus « et prælatus in choro primi stantes, officiose sat- « agunt interesse, ne quid difficultatis et negligentiæ « provenerit. Quisque per se curiosius agit : disci- « plina claustri specialius appenditur prælato; nec « tamen deest invitatus præpositus, instante scrupu- « lo. Stipendium quotidianum cum cæteris officialibus « exhibet præpositus; si quid defuerit, sine inimici- « tiis exigit prælatus. Cellararius annonam, vinum, « pulmenta suscipiens a præposito, quæque dispen- « sat impune prælati seniorumque mandato. Liber « est præpositus a tributis, quæ dederit cellarario; « æque cellararius ab his quibus paruerit prælato. Sic « unanimitas prælati et præpositi, in claustri ædi- « ficatione cooperatur; quia non ambitiosa charitas, « quæ Dei sunt, non quæ sua, rimatur.

« Lugenda nobis acrius esset, frater, claustri « nostri recens oborta discordia, nisi in sanitate « capitis coalescerent etiam ægrotantium membra. « Et ne tibi fraternæ consolationis in ullo munia « subtraham, precor, archidiaconatus tui paulisper « moderare gloriolam. Quia divina pietas pluribus « bonis te donavit, quibus rationabiliter honoreris « in archidiaconatu decretis ecclesiasticis præscripto, « quid effereris? Quia diaconus es? Dic unde tibi « nomen archidiaconi? Si non potes, ulterius de- « sine gloriari. Chorepiscopos (12) propter inso- « lentiam removit Ecclesia; unde his caret usque « in præsens metropolis Colonia et tota provincia. « Canon vetat diaconum injussum ante presbyte- « rum sedere; et tu presbyteros præsumis judicare « atque etiam verberare? Tantam ergo habes aucto- « ritatem in judicando, ut nulla scriptura, nulla « possit resistere ratio? Quoniam quidem voluntas « tua necessario nobis est lex et regula, quæso « per Deum dirigas eam semper cum justitia.

« Si (13) is qui vaccam rapit, jure excommunica- « tur, quid fiet illi qui justitiam vendit vel depræ- « datur? Ergo quia justitia melior est omni pecude « bruto, necesse est deterior sit prædone omnis « pecoris justitiæ prædo. Quoniamque luce cla- « rius patet pessimum esse justitiam vexare, de « omnibus bonis episcopii constituendis, cum qua- « tuor episcopis gratiosus essem, non habui, quam- « vis imputes, pretium unius siliquæ. Cumque in « nullo, exceptis peccatis, quæ nimia sunt, possis « me legaliter redarguere, quare in signum malevo- « lentiæ tuæ me soles iracundum vocare? *Si ira viri « justitiam Dei non operatur*, vel injustitiam meam « dic, vel veritas tua cassatur. Sed quia verba mea vel

sit.

(6) Editi, *religiosum esse*, contra auctoris mentem.

(7) Uncis inclusa desiderantur in editis, ut et plura alia.

(8) Et hæc iterum in editis omissa sunt.

(9) Editi, *coquorum mansorum* omnino depravate.

(10) Inclusa quoque hic uncis abbreviator omi-

(11) Et hæc etiam præsumpsit abbreviator omittere usque ad hæc verba *præpositus et prælatus*, etc.

(12) Editi, *corpiscopos et archidiaconos*.

(13) Quæ sequuntur pene omnia desunt in editis.

« negotia mea, lege derelicta, tuis pravis consiliis, ne
« confundar, nolo dedere, imputas mihi propter ira-
« cundiæ magnitudinem vestrique obstinationem
« penitus hoc agere. Sed malo dici, nec esse ira-
« cundus, quam tuorum consiliorum semper alu-
« mnus. Æque potes me furem, sacrilegum, homi-
« cidam vocare, cum rerum gestarum veritatem
« nullatenus possis astruere. Ista, frater, in pristi-
« næ familiaritatis pignus meditanda tibi liberali
« studio devovimus, ne quid dictum sit in gratiæ
« detrimentum, quia ratio sic poscebat, obnixe
« supplicamus. Si non placet, animam meam in
« manu mea posui, paratus in claustri fidelitatem
« damna, verbera, mortem etiam pati. Hæc ago
« non ut superiorem vel parem præposito, cum
« regulariter possim, decanum comparem, sed ut
« in claustralibus clausis ordinandis præcipuum
« cum justitia consiliarium monstrem. Quod si pro-
« babiliter constiterit prælatum decanum esse,
« quod nequit refelli, quæso mihi prælato cum
« cellarario regulariter agere non prohiberi. Alio-
« quin si mandatis regulæ niteris contraire, con-
« sequentem maximam pœnam incurris Ecclesiæ.
« Sacerdotium etiam præpositura et archidiaconatu
« convincitur pluris haberi, quia hoc [*f.* non minus]
« minus a sex episcopis, illa possunt a singulis
« abjudicari. Necesse est ergo robustius concuti,
« quidquid firmius constat ordinari. Igitur me præla-
« tum et presbyterum, quamvis indignum, regulari-
« ter, quæso, velis honorare; vel cum æmulis meis
« nolis, quia nil infideliter egi, saltem conculcare.
« Scholaris obedientiæ ministerium, cum nullum stu-
« dium discendi, nulla facultas coercendi, ne improbes
« rationabiliter subterfugi; quia cum cæteris diffi-
« cultatibus acolythum bis in necem meam grassa-
« tum, pro viginti furtis confessis damnatum, sine
« mea conscientia restitutum, et a scholis liberum
« ferre nequivi : etsi mihi emerito vel veterano
« nulla portio secundum solitum remansit benefi-
« cium; tamen, ne periculo disciplinæ fama nostra
« tabesceret, congaudeo solutioni. Nunquid fortitudo
« lapidum fortitudo mea, ut sustineam; aut caro
« mea ænea, ut patienter agam? Confundat Deus,
« confundat Achitofel consilium, et liberet David de
« manibus pueri Absalon. Quique luciferum super-
« bientem detrusit in infernum, potentiam claustri,
« prævalente regula, deducat ad nihilum. »

Cap. IV. — *Quid a rusticis sit perpessus.*

Hæc scribens procul ab omni invidia et odio, dum unum hominem a tortitudine morum ad rectitudinis tramitem revocare studuit, omnibus præpositis formam irreprehensibilis vitæ, cui imprimi debeant, exhibuit; quidquid illis devitandum, quidve actitandum sit, ut in hoc quasi speculo prævideant benignissime providit, quæ sua sunt non quærens, sed quæ Jesu Christi : quod haud secus esse patuit paulo post in præposituræ et postmodum in episcopatus administratione. Ille autem cui hoc scripsit, Joannes præpositus, ob hoc amplius in eum æstibus invidiæ exarsit, et persuasibilibus terrenæ sapientiæ verbis episcopi cæterorumque priorum animos nihilominus in ejus odium accendit, quæque fideliter ab eo gesta potius deputans studio litigii quam fidelitatis devotioni. Et ne quid in insontis viri insidiis intentatum relinqueret, incolas possessionis illius cujus curam ob augendam fratribus vini rationem susceperat, per nuntium in ejus rebellionem animavit, ut præcepta illius nihili penderent instigavit.

Rustici autem et prius quidem procuratori suo infensi, eo quod per cautelam ejus debita fratrum defraudandi nullus esset locus, tum vero accepta confidentia ab instinctu majoris præpositi, in tantam temeritatem sunt adducti, ut domum fratrum in qua idem domnus Vaso cum suis quiescebat, inopinato nocturnis horis undique armis cingere flammisque exurere certatim instarent. Sed qui sperantes in se non deserit omnipotens Deus, justitiæ et veritatis cultorem mirabiliter a periculo incendii liberavit; nam amissis licet vestibus, et diversa rerum supellectile, ad hoc non minima vini copia, quam in inferiores ejusdem domus partes ad opus fratrum providus contraxerat, nec unus quidem ex hominibus, Deo donante, crepitantibus circumquaque flammarum globis succubuit. At vir Dei tanta adversitate nequaquam frangitur, sed potius boni propositi tenacior efficitur, victorque tot ingruentium contra se tentationum, tanto abundantius de cœlo sperat auxilium, quanto ab hominibus sustinuisset obstaculum.

Cap. V. — *Quod capellanus Conradi imperatoris est effectus.*

Cumque pro bene et fideliter gestis apud suos intolerabilibus agitaretur insidiis, quosdam tamen religiosos cum plerisque episcopis ob constantissimam in eo boni operis intentionem, licet longe positos, adeo charitati ejus devinxit, ut et magnopere studium ejus approbarent, et ne inefficax foret auxilium opportuno tempore et loco conferre non desisterent. Qui videlicet necessarii ejus veriti satis ne solus non posset sufficere ad resistendum dim suorum invidiæ, exquisito haud incongrue consilio, quatenus auctoritas imperatoria felicibus actis contra invidos esset tutela, hoc apud imperatorem Conradum efficiunt, ut eum sibi a Reginhardo episcopo capellanum concedi expeteret et impetraret. Sic sic nimirum quandoque tot adversariorum ad horam cessit invidiæ, non ita ut adversitati succumberet, sed ut bonæ intentioni vires interim repararet, quibuscum optime cœptis absque difficultate tandem acquireret efficaciam. Ita suffecto decanatus vicario, ex consensu fratrum et episcopi, imperatoris Conradi servitio obstringitur; ubi per novem menses nullo acquirendi episcopatus desiderio, nulloque alio dominandi ambitu, sed potius ut ecclesiam cum rebus suis in libertatem vindicaret elaborare studuit. Quid pluribus immorer. Imperatori in brevi fit gratissimus; pro sanctitatis et sapientiæ excellentis merito tam archiepiscopis quam episcopis et acco-

ptus : qui in solvendis sacræ Scripturæ quæstionibus magistrum, aliarumque causarum disceptationibus sequestrum, eum assumere gaudebant ; quem archiepiscopi duo moribus et genere nobilissimi, Aribo Moguntiensis, et Piligrinus Coloniensis, vicissim assurgentes, alternatim in sedibus suis alterutrum stantes, sibi assedere cogebant, desiderabiliter eum audientes, subinde et interrogantes.

CAP. VI.— *Quod Judæum scientia Veteris Testamenti vicerit.*

Ea tempestate Judæus quidam in arte medicinæ præcipuus, et ob hoc imperatori Conrado satis acceptus, in paternæ legis traditione ferebatur esse perfectus. Is aliquando quæstionibus ex veteri lege domnum Vasonem aggrediens, eo usque contra eum litigando progressus est, ut, revadiata sibi hama vini, digitum dexteræ manus abscidendum se ei præbiturum sponderet, si sententia ejus Scripturæ testimonio comprobari non posset. Quid plura? Venitur ad Veteris Testamenti volumen ; locus unde controversia habebatur inquiritur ; atque illo evidenter Vasonis parti consentiente, ipso latente adversario, digitus victori adjudicatur : qui cum a devicto sponsore nequaquam abnegari potuisset, usquequo eum repetere vellet, commendatum retinere gavisus est. Sicque hic bellator Christi novum Christiano nomini a præcipuo doctore gentis Judaicæ gloriose retulit tropæum, habitumque est celebre in curte regia Judæum in sapientia famosum a Vasone esse devictum. (14) Hunc idem imperator Conradus memorato Ariboni archiepiscopo defuncto in sede Moguntiacensi substituere cogitabat, sed omnipotentis Dei misericordia Leodiensem Ecclesiam suo fraudare noluit alumno ; qui hunc multis sæpe exercitatum periculorum tentamentis ex bono filio optimum sibi patrem futurum reservavit.

CAP. VII. — *Quod, defunctis præpositis Joanne et Lamberto, præpositus efficitur.* (15)

Dum hæc in curte regia aguntur, Joannem præpositum hic obiisse repente nuntiatur. Hic domnus Vaso, etsi jam dudum curiales tumultus evasisse, et claustri quieti sese inclusisse exoptaverat ; tamen usque dum substitutum aliquem in præpositura audiret, cum discedendi causa satis in promptu esset, domum repetere neglexit, ne non quietem repetere, sed potius suscipiendæ præposituræ se videretur ingessisse. Nec multo post audito quod Lambertus archidiaconus præpositus factus esset, circa autumnum claustrum revisit, cum paulo post idem Lambertus trium tantummodo mensium præpositus obiit, res suas disponendas per manus (16) fidei Vasonis decani dereliquit. Alioquin Natale Domini, sicut mandatum acceperat ab imperatore, (17) Poderbrunno celebraturus erat, nisi hujusmodi eum defuncti fratris causa in fide suscepta retardasset. Sed longe alia vis, ut credimus, divina scilicet nescientem urget dispensatio ; ut qui pro fidelitate claustri tot et tanta a præpositis perpessus fuerat, tanto vigilantius commissa sibi præpositura Ecclesiæ utilitatibus consuleret, quanto in antecessoribus perniciosa cum fraude negligentiam pernotasset. Concurritur undique a fidelibus filiis Ecclesiæ ad Reginardum episcopum ; ab omnibus ut Vaso præpositura donetur obnixe postulatur, neminem digniorem hujus officii posse inveniri. At contra fuere nonnulli qui primo quidem nutantis animo episcopi ne hoc fieret dissuadere conarentur ; virum tam fortis constantiæ præpositum facere, consilium non esse, qui se eidem episcopo æquiparare, aut etiam superiorem forsitan facere ob insuperabilem conscie virtutis fiduciam haberet contendere ; mitiorem potius quemlibet eligeret, qui in nullo voluntati illius reniti auderet. Rapitur medius inter diversas linguarum aura fluctuans præsulis animus, quem tandem tanta consilii soliditate roborat, ut nulli alii præter Vasonem præposituram concedendam esse censeat : fertur etiam ad hoc non parum valuisse quod idem episcopus motus incurrisset imperatoris, quibus profecto mitigandis tali honore sublimando dilectum ejus capellanum deservierit. Cumque hoc circa episcopum elaboratum esset, non minori sudore erga Vasonem ad susceptionem præpositurae sollicitandum opus erat ; qui vehementer insistentibus amicis spiritualibus ut ultro invitatus ad dispensandam Dominicis ovibus annonam accederet, multo vehementius est reluctatus, divitiarum sibi satis superque esse, præpositura se nequaquam indigere. Prævidens autem se utilitatibus fratrum necessarium fore ; ad hoc cernens honesta apud Deum et homines vocatione ad id officii sese invitari, post sexdecim decanatus annos, in quibus regiam incedendo viam, neque ad dexteram neque ad sinistram declinaverat, cum archidiaconatu diu multumque recusato onus præpositurae humiliter consensit subire.

CAP. VIII. — *Præpositus factus ut se habuerit, et quod præbendam fratrum melioraverit.*

Inter has nimirum graduum ascensiones, ita vir Dei curabat humilitatis scalas in corde disponere, ut quanto videretur major, tanto secum esset humilior, integrum se custodire nitens ab his vitiis quibus ejus nominis homines sese implicare solent, quæque retro in humiliori loco positus, notare non timuerat in prioribus, superbia videlicet et rerum ecclesiasticarum rapina : proque superbia, humilitatem qua omnibus erat affabilis ; pro indignatione de falsa justitia gloriantium, cujuscunque modis afflictis benignissimus Christi imitator compassionem exhibebat. Quo enim iste infirmato non est infirma-

(14) Quæ sequuntur, notatu licet dignissima, præermisit abbreviator

(15) Hoc caput ab editis omnino differt.

(16) *Manus fidei* erant rei promissæ seu testamenti exsecutores.

(17) De hoc conventu Patherbornensi omnino tacet abbreviator.

tus? Quo scandalizato non est ustus? Sic nimirum A alienæ infirmitati condescensionem idem in se atque in aliis sentiebat.

Jam vero quid in dispensanda familiæ Domini annona dixerim? Testes sunt pene quotquot Leodium novere; quia cum ante eum unus tantum panis singulis fratribus quotidie daretur, et non amplius quam quadraginta carratæ (18) vini in potu eorum per annum expenderentur, hic ex polenta nivei coloris quam similam vocant, quinque marcas appendentem insuper adjecit panem, centumque quadraginta carratas vini per annum cellarario fratrum jure perpetuo absque ulla sterilitatis excusatione dandas destinavit; quatenus inde et rationabiliter mensura potus augeretur, et ex reliquo fratribus ecclesiarum, quibus vinum non esset, consuleretur; B dicens, juste ex majoris ecclesiæ abundantia minorum necessitatibus esse suppeditandum. Sic præbendam fratrum retro neglectam, pane, vino addito, insuper largiori vestitus solatio amplificavit, et ex vili optimam reddidit.

Cap. IX. — *Qualiter exteriora administraverit.*

Duodecim pauperibus vel peregrinis quotidie coram fratribus reficiendis sufficientia alimenta constituit, asserens hoc etiam parum esse, cum traditio sanctorum Patrum dimidiam partem vel etiam ecclesiasticarum facultatum pauperibus et peregrinis censeat deberi. Præterea hospitale, quo conferuntur nonæ sive decimæ de episcopii agris, ipsius erat creditum providentiæ. Quod ille tam fideliter C stabilire curavit, ut triginta pauperes per annum inde commode sustentarentur, et ex ecclesia quam domnus Baldricus episcopus viginti quatuor eleemosynariis sustentandis destinaverat, duodecim insuper reficiendi adjicerentur, omnes peregrini supervenientes sine equis reciperentur, eos qui cum equis venissent recipere autumans episcopi interesse. Adeo sacrilegii reum ducebat, si commissa sibi officia suo labore non augmentaret. Interea, ac si hosti infestissimo, frequentes corpori indicuntur abstinentiæ, pauperibus Christi largiores augentur impensæ. Recreantur quotidie utrique assidentes lateri, hinc clericorum, hinc pauperum catervæ. Referuntur ab ejus mensa utriusque hominis cibaria, ipseque hilaris conviva parcissime refectus et D fere jejunus, esuriens semper et sitiens justitiam, alios sufficienter expletos dimittebat. Divitias suas communi utilitati quam sibi deservire malebat, quas in omnia pietatis opera inflectere optabat; sentiebant humanitatem ejus ægritudines decumbentium, labores exsulum; senio confecti, a divitiis in paupertatem devoluti, indesinenter ejus suffulti sunt suffragio. Sicque vir ecclesiasticus, omnibus omnia factus, oculus erat cæco et pes claudo; hunc pupilli parentem, hunc viduæ invenere maritum. Hæc in administratione exteriorum.

Cap. X. — *Qualis interius fuerit.*

Interius autem regularibus subditos institutis, ut charissimos fovebat filios; rebelles ut severissimus judex disciplinæ gladio animadvertebat, in utrosque pietatis servans viscera; dum hos ad meliora provocaret, illos vero a pravitate compesceret. Nec timebat miles Christi si hominem offenderet; tantum interno judici, servando æquum et rectum, non displiceret, memorans illud Apostoli: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et illud Psalmistæ: *Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.*

Unde contigit ut ob defensionem veritatis, pro qua ne mori quidem metuebat, nonnunquam aliorum, qui terrenæ potestatis culmine viderentur sublimiores esse, offensam incurrerit; adeo ut illi multimodæ ob hoc tenderentur insidiæ, sæpiusque de vitæ ipsius periculo a necessariis ejus haud injuria timeretur. Sed quia ex sententia Salomonis, *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, iste, pennatum animal Dei, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, probra, minas, pericula, postremo omnia virtuti obsistentia libero volatu evadebat tentamina; primo quidem æquanimiter ea tolerando, suo autem loco et tempore eadem rationabiliter confutando, uti semper spiculo rationis adversariorum confodere solebat pectora. Erat enim hoc in eo, præ cæteris nostræ memoriæ mortalibus, tam laudabile quam mirabile, quod in quocunque negotio contra quemlibet sumeret controversiam, inexpugnabilis rationis ope munitus assequeretur victoriam. Hoc autem ideo fiebat, quia circumspectum ex omni parte animal Dei ante et retro oculos in intentionem boni direxerat, in cujus sese cum veritate et ratione ita defixerat, ut nec odio, nec gratia inde moveri posset: ac si videas contemnere ventos, saxa, Rhodopes; aut ceu procellis obstat Marpesia cautes.

Vitam suam Deo sibique notam ita disposuerat, ut noctes atque dies præter horam somni atque cibi, aut psallendo, aut legendo, aut rationabilibus ex causis disputando, in Dei laudibus continuaret. Raro aut nequiquam accessit, qui non congrua ætati et naturæ suæ condimenta retulerit. Lacte potabat infirmos, pane cibabat validos; vino et carnibus vescens, ut attestari solebat abbas (19) Poppo, solus quorumdam secretorum ejus conscius, monachorum omnium sibi cognitorum vincebat abstinentiam; dum non quid sine concupiscentia, sed quantum comederet pensans, saturitatis malum cautius viperino sanguine devitaret. Vestes suas adeo moderebatur, ut nec ante alios ambitiosis, sed nec plurimum abjectis indutus, totius superstitionis typhum a se constanter abjiceret, satius ducens potentis imperio animi, quam asperitate cilicii corporis membra domari, quibus nunquam lavacrum, raro molle præbebat stratum. Et quod sine lacrymis reminisci non

(18) Et istud tacuit abbreviator.
(19) Et hæc prætermisit auctoris nostri abbreviator.

possumus, solemne quiddam in consuetudine habebat secretum: adest veritas Christi me nihil fingere. Cum his et multis aliis difficultatibus jamjam præ senio exsangue premeret corpus, certis diebus durissima sibi jubebat verbera affligi, coacto correctori suo in verbo Domini terribiliter edicens, ut non parceret, et secretum vulgare non præsumeret. Quod ille suppressum diu etiam post obitum ejus tenuit, sed indignissimo sanctitatis ejus servo tanti pignus thesauri revelare non refugit. In tanta virtutum efficientia studebat semper, etsi in hac parte nequaquam in se, alias tamen ubique auream tenere mediocritatem. Et vere præcipuum discretionis speculum, regiam viam inter lævum dextrumque media vitæ suæ lucerna præmonstrabat incedendam.

CAP. XI. *Quod, defuncto Reginhardo, imperator Conradus illum episcopatu donare voluerit.*

Hunc defuncto Reginhardo episcopo maxima pars filiorum Ecclesiæ sibi episcopum fieri peroptabant: quorum ille sententiam ut a se longissime removeret, multum redarguendo eos, qui sibi majoris ecclesiæ præposito eligendi præsulis primatum præripuissent, Nithardum custodem in episcopum elegit, omnem clerum et populum in sententiam suam venire coegit. Adeo primatus sui auctoritatem non in se præferendo, sed in juniore sibi præponendo, fortiter vindicare studuit, usus auctoritate potestatis ad retinendum humilitatis propositum, non ad arripiendum sublimitatis locum (20). Nec mora, cum electo et virga episcopali imperatorem Conradum adiit, qui tunc forte in Italia hiemabat; repertoque Nonantulis oppido, petitionem Ecclesiæ nostræ idem ipse auctor et legatus fideliter profert. Præsentato electo, hunc ad hoc onus suscipiendum idoneum esse, idque unanimiter a clero et populo postulari asseverat. Imperator autem: « Hunc, quem mihi, inquit, offertis, nequaquam agnosco, sed vobis mihi haud ignoto hunc honorem lubens cupio. » Ille e contrario modis omnibus ut se posthabito episcopatus in electum retorqueretur annitebatur; illum digniorem, illum aptiorem, utpote juvenem, agilem et promptum executionibus imperialis servitii; sibi frigido, senii gravedine confecto, jamque silicernio, deinceps potius cogitandum de tumulo. Cumque imperator nequaquam sententiam mutare vellet, eumque ad suscipiendum episcopatum vehementer urgeret: « Parcat, inquit, majestas vestra, hujus decrepiti senis parcat, obsecro, famæ in id ætatis productæ Dei gratia absque perfidiæ nota. Si unius cujuslibet hominis legationem suscepissem, cui posthac foret fida nostra fides, si hanc ad commodum meum retorquerem? Quanto magis si matris Ecclesiæ unum populum petitione et electione sua fraudavero? Juste enim fraudis et perfidiæ accusabor, si contra communem nostratum consensum hanc indignus dignitatem præsumpsero. At ne aliquo animus vester super electi vita et moribus moveatur scrupulo, mihi totum imputetur, in me hoc animadvertatur. » Superatus vix tandem imperator, tam splendida eluctantis se ab episcopatu Vasonis nimietate, uti petebatur, Nithardo episcopatum concedit. Vaso autem timens exterius honoribus proficere, ne interius moribus incipiat deficere, ei cujus magister fuerat patienter ac benigne gavisus est subesse: sicque ea quæ retro sunt oblitus, et in anteriora extentus, per quatuordecim præposituræ annos ad bravium supernæ vocationis prosequebatur.

CAP. XII. *Qualiter in episcopum electus fuerit.*

Hunc talem ac tantum athletam suum Dominus diutius noluit esse occultum; sed quem infra unius claustri septa dederat esse perfectum, quasi in certaminis campum strenuum jussit prodire militem, ut in tempore iracundiæ suæ laboranti populo fieret reconciliatio, et belli famisque tempestate periclitanti patriæ foret remedio.

Oblatum jam antea sibi præsulatum recusaverat; Nithardum, ut dictum est, sibi prætulerat: quo defuncto, item a clero et populo ad episcopatum reposcitur. Ille e contra credi non potest quantas moras suæ electioni innectere, quanto annisu ne fieret studuerit insistere; electionem regi displicituram, parum valere super hoc negotio, magis ejus exspectandum esse dicens arbitrium. Taliter renitentis et excusantis sententia non auditur, invitus a cunctis unanimiter eligitur, Ratisbonam mittitur, ubi forte Henricus tunc rex, postea imperator, Bohemiam cum exercitu aggressurus aderat. Virga episcopalis cum Ecclesiæ nostræ litteris præsentatur; res agenda in crastinum differtur: postera die a rege cum episcopis et reliquis palatii principibus consulitur. Nec defuere adulantium linguæ, qui electionem sine regio favore factam assererent cassam fore; ex capellanis potius episcopum constituendum, Vasonem nunquam in curte regia desudasse, ut talem promereretur honorem: quod vero nefas sit alium episcopari, nisi quem constiterit in curte regia evagari; ac non potius talem eligi oportere, qui informatus subjectione claustralis obedientiæ, non tam præesse quam prodesse didicerit. Qua sententia adulatorum facile inductus juvenilis regis animus, nescio quem barbarum cervicibus nostris præparabat imponere, cum inspirante, ut credimus, Deo, ex omni illo consiliariorum cœtu, soli Herimannus archiepiscopus et Bruno Wirzeburgensis episcopus tam inutili sententiæ saniori consilio ausi sunt obviare. Nec prius veritatis assertores Deique cooperatores absistunt, donec vix tandem regiæ majestati petitionem nostram conciliant, et procerum animos in sententiam suam trajiciunt. Sed manet adhuc sapientes architectos labor longe operosior: nam ac si de immanissimo monte columnam conentur excidere, haud aliter boni artifices nostri omnibus mo-

(20) Quæ sequuntur prætermisit omnino abbreviator.

dis insistunt elaborare ut vir iste in virtutibus totus teres atque rotundus consentiat sibi imponi onus ecclesiæ. Perstat diu immobile pietatis illud pectus in proposito humilitatis; quod profecto, ut ait beatus Gregorius, pietatis pectus non esset, si hoc pietas non vicisset. Intellexerat enim si episcopatum non reciperet, ejusdem potitum fore quemdam ætate et moribus juvenem, qui forsitan Dominici gregis stipem, quæ in laudem Dei, se duce, fructificaverat, dissiparet, si ad pontificale culmen aspiraret. Unde contigit ut dum sublimitatis locum mente fugeret, jussu ac precatu pontificum sollicitatus, ea vero quam dixi necessitate potissimum coactus, tandem pastor Ecclesiæ fieri acquiesceret. Sic sic intrat per ostium in ovile, nec ascendit aliunde factus pastor ovium; quique irreprehensibiliter intravit, procul dubio irreprehensibiliter vixit. In sedem episcopii reducitur, honorifice, ut decebat, suscipitur: (21) ubi vero ad cathedram venitur atque in ea solemniter locatur, nisi præsens vidissem, nullo modo crederem cum quanto gemitu eruperit in lacrymas, quas haud secus ac puer septennis sub magistri ferula edere videbatur. Mirati sunt omnes qui aderant, quomodo ferreum, ut putabant, ejus viri pectus in tantas posset scindi lacrymas; et anteactam ejus vitam ignorantes, inde veraciter probant pastoris sui animum de sublimitate ejusmodi non gaudere, sed salutifero dolore torqueri.

CAP. XIII. *Quod episcopus factus vigilanter sanctam religionem exsequebatur.*

Aliquandiu protracta episcopalis consecratio expetitur ab archiepiscopo de expeditione reverso, pro qua re vir Dei comitantibus diversorum ordinum clericis sanctam adiit Coloniam; sanctorum limina, quorum numerus nulli præter Romam loco æque est concessus, piis pulsat precibus. Post triduum sacro chrismate in episcopum perungitur, et ex bono filio in sponsum matri suæ Leodicensi Ecclesiæ confirmatur.

Tum vero explicare non possum quam arduum sanctitatis montem, evangelizaturus Sion, arripere studuerit; quanta servitute corpus spiritui servire coegerit, imo quanto annisu totus in Dei laudem excreverit.

Abjectus secum in oculis Dei, inter humiles et subjectos se episcopum esse nesciebat; scholas, singulorum explorando studia, frequentabat; quæstiones proponendo, rationabiliter vinci quam vincere malebat; seque in hoc quasi otium a turbine curarum conferens, gaudebat, ut ipse fatebatur, sese invenisse refrigerium. Et cum divinæ legis arcana excellentis ingenii prærogativa nosset rimari, de Donati, vel Prisciani regulis scholares adolescentulos non dedignabatur interrogare; quos et vicissim desiderabiliter cupiebat audire, eos qui recte sensissent præferre, laudare; utiliores gratia et donis honestare, tardiores increpare, corrigere, superiorum exemplo provocare: omnes postremo se meliores Deoque acceptiores fieri optabat, dicens cum beato Moyse: *Quis mihi det ut omnis populus Deum prophetet?*

Nec inter hæc prætereundum existimo de vigiliarum, matutinorum et completorii officiis, quibus celebrandis quotidie in choro cum cæteris fratribus nemo prius illo occurrebat, nemo devotius intererat, nemo serior abscedebat. Reliquas diei horas in ecclesiasticis expendebat negotiis, licet in quadragesimali tempore vel a choro, vel ab aliquo fratrum conventu, nullo modo se excusare voluerit. Quo etiam tempore secretum cubiculi penitus præter ecclesiam ignorabat, saxeo sedili pro lecto, mattula utens pro lectisternio; cum ad horam refectionis pane avenario fabaque modice prægustata senilem sustentaret imbecillitatem, in potu sumens cervisiam, sæpius aquam puram. (22) In tanto abstinentiæ rigore, nec facies angelica macie est confecta, nec gratia roseæ conspersionis est immutata: adeo virum desideriorum, Danielem videlicet nostrum, quem voluntas propria instar crucis Christi affligebat, divina pietas interna dulcedine satiabat.

CAP. XIV. *Quam largus fuerit tempore sterilitatis.*

(23) Pauca referens plura prætereo, quorum aliqua brevitatis studio me constat negligere, aliqua quæ a me nesciuntur, necesse est reticeri, quia nemini concessum esse, arbitror, omnes hominis istius nosse virtutes. Statim primo episcopatus sui anno, omni peste crudelior fames incubuit, quæ sex fere continuis annis Galliæ et Germaniæ populum noscitur oppressisse, cujus fœda ubivis fas est adhuc cernere vestigia. Eademque tempestate prudentia nostri Joseph undique frumenta coemere, et tutis apothecis recondere curabat; non quod inde terrena sectari lucra quæreret, sed ut gratis ad sufficientiam suo tempore esurienti familiæ Domini cibos fidelis dispensator distribueret: præter stipendia pauperum quibus quotidie libra denariorum expendebatur, cum aliis adeo multis, quæ enumerare non sufficio, verecundioribus præ pudore a mendicitate abstinentibus, prout quisque erat, aliis denos, aliis vicenos, aliis tricenos, aliis sexagenos, aliis centenos annonæ modios per occultos hujus rei opifices destinare curabat. Sed nec ingenuorum rem privatam hac dira necessitate extenuatam excellentis viri larga præteriit munificentia, qua annitente et summopere juvante, pro alimentis amplæ domus aurum sponsale, vestes, prædia distrahere opus non fuit. (24) Quid dicam de congregationibus clericorum, monachorum, et sanctimonialium, erga quarum necessitates tanta boni pastoris vigilabat solertia, ut quæ præ anxietate famis de statuto victu deessent, de suo libentissime

(21) Sequentia hujus capitis prætermisit etiam abbreviator.

(22) Quæ sequuntur Ægidio attribuit Chapeavilla, sed male.

(23) Desunt in editis ansulis inclusa. Reliqua multum differunt.

(24) Hæc fere, ut multa alia, in editis desiderantur.

suppeditaret? Nihilominus pii Patris industria ruricolarum laboriosam respicit inopiam; ad cujus malum temperandum, toto hoc famis tempore unicuique mansionario per singulas hebdomadas binos dari constituit denarios, ne præ instante angustia boves vendere, aut de cætero terram nativam relinquere cogerentur, sicque ærumnosam vitam aut mendicando ducere, aut mortem omni gladio sæviorem cum omni domo miserabiliter incurrere.

CAP. XV. *De bello et charitate Virdunensibus impensa.*

Huic calamitati accessit alia pestis æque intolerabilis, bellum videlicet quod Godefridus maxime in Virdunensem et (25) nostram exercuit Ecclesiam; quarum Virdunensis, dum præda et incendio vastante urbem et domum sanctæ Dei Genitricis cum omni suo ornatu penitus eversa fuisset, ille in longinquo positus, graviter egregiæ urbis casum doluit, et licet in similis periculi metu positus esset, hilaris tamen dator, dirutæ urbi non distulit esse levamini, suppresso suo nomine mandata mittens inter hæc verba : « Sancta Maria Leodicensis mittit quinquaginta libras denariorum sanctæ Mariæ Virdunensi : medietatem canonicis fratribus, medietatem vero ad reparationem ecclesiæ. » Hoc primum omnibus bonis suis exspoliati loci illius canonici, tantæ cladis ex divino munere suscepere remedium; et, ne tanto largitori essent ingrati, publicas orationes et viventi et defuncto in perpetuum devovere. Hæc itaque, quam diximus, bellorum tempestas residuum famis consumens, et divites cum pauperibus una calamitate conficiens, communem totius patriæ ruinam minabatur : et rueret procul dubio, rueret, inquam, tunc temporis inclyta Lotharingia, aut irrecuperabili excidio : quippe quæ sine defensore esset, aut, quod pejus est, in regem infidelitatis perjurio, nisi Dominus suum Josue ad resistendum hostibus Ecclesiæ confortaret, et a bonis justitiæ partes contra factiosos defendendas esse insinuaret.

CAP. XVI. *Quod belli tempestatem maxima ex parte sedavit.*

Jam immanissimi prædones res ecclesiæ invaserant; omnia præterea, quæ ante memor pontificis prudentia in urbem contraxerat, vastaverant; quisque prædia ecclesiæ quæ sibi usurpasset, tenere ut propria disponebat, cum ecce bellator Christi inexpugnabilis et imperterritus lorica justitiæ induitur, gladio spirituali accingitur, prævia cruce Christi in omnibus periculis pro lancea utitur, dicens cum beato Martino : *Ego signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.*

Succenditur ergo egregius iste æmulator pietatis et justitiæ, eo nimirum zelo, quo Mathatias ob æmulationem paternæ legis prævaricantem Judæum in ipsis aris obtruncare non exhorruit, et non alio modo cessantibus undique ducum et comitum armis, sola spe gratiæ adjutus, sibi et fidelitati Ecclesiæ paucos satellites sacramento confirmat. Primi enim bellorum successus et ad modicum prospere

(25) Abbreviator omisit *et nostram.*

A provenientes, multos militum nostrorum in adversam partem rapuerunt; frustra arbitratos fore, si se novi flagitii complices esse contingeret, per vim beneficii, imo totius episcopatus pro libito potituros. Sed cum res illis in contrarium cesserit, nos quoque propugnatoris nostri industriam prosequamur. Urbem pro tempore et loco munitam, per statutos in arce vigiles et claustra portarum jugiter serata, noctu dieque ab incursu hostium tutam reddidit, et domos tam clericorum quam laicorum armis refertas esse, cives nonnunquam in armis esse præcepit. Ipseque continuus assidens episcopio nihilque de solitæ religionis negligens penso, per gnaros indices hostium machinamenta explorabat; contra quæ omnia seque suosque scuto prudentiæ B satagebat protegere. Ita nimirum more Argi, si fabulæ fas est credere, centum oculis insignitus, mala exteriora coercebat ut bona interiora non modo non minueret, verum insuper augmentaret; bona de die in diem desiderabiliter appetens, mala vero fidelibus Christi, quibus maxime timebat, diligentissime præcavens : in quo solo, ut fidenter dicam, animus divisus ad plura, non apparebat minor ad singula, integer et potens omnia, secundum Apostolum, qui illum confortabat. Cumque ab amicis etiam in longinquo positis moneretur per epistolas, ut relicto Leodio in Hoium se conferret, castellum situ loci munitissimum : Absit, inquit, ut gregem Domini fugiens deseram, et locum aliquem in tanta rerum turba sine eis tutum esse C credamus, ex quibus cum sanctorum apud Deum patrocinio pendet omne, si quid commodi, si quid honoris videtur nobis adesse bello aut tranquillitate : quos si reliquero, audacior hostis invadere tentabit, et non sine magno dedecore nostro insultabit effugio. Hic potius quoad licebit est vivendum, istic moriendum : quibus cum bonis jucundati sumus, cum eis et periculis subjacebimus. Nimirum religionis et charitatis catena erga filios devinctus, non facile ab eorum præsentia divelli poterat.

CAP. XVII. *Quod castella prædonum everterit.*

Fregit autem laudabiliter quandoque hunc propositi rigorem pietas, miseria inopum et gemitu pauperum excitata, et a quiete solita eum exsurgere et D in auxilium eorum compulit properare, suadens hoc opere nihil esse beatius, nihil Deo acceptius si efferatam prædonum rabiem ab innocentis vulgi oppressione compesceret. Quorum magna pars in paludibus, sive rupibus, firmissima sibi receptacula communiverant; quibus freti aliena per circuitum prædia usurpaverant, incolas possessione privatos intolerabili servituti addixerant. In hac vero belli tempestate quanto liberius, tanto latius in omnem circa regionem vastitatis mucrone desæviebant. Hæc nempe oppidula multis ante sæculis, sed tunc plurimum damnosa, decernit vindex Dei, si possit, humo coæquare et ab his latrociniis fatigatam diu patriam

liberare. Atque eo spiritu inflammatus, quo Amalecitem Agag a Samuele, ab Elia Thesbite prophetas Baal constat esse mactatos, raro tantum contentus milite, modo hoc, modo illud castrum fortissimus heros noster cingere pergit obsidione. At interius latrunculi, vallis et paludibus temere confisi, metum primo dissimulare sui periculi, contemnere, nostros probris lacessere, eos amentes vocare, qui domum ipsa natura firmatam venissent impugnare. Econtra nostri, monitis tam præclari ducis animati, certatim instant vimineas crates texere, fasces quisque comportare, per invia machinis novum iter facere : sicque rem natura difficilem in brevi devicit laboris improbitas cum industria; fit solum palus ranis et piscibus notissima, parat exitialem latrunculis machinam, quibus tutas hactenus præbuerat latebras. Quæ ubi eo loci appulsa est unde certis ictibus illa latronum spelunca posset feriri, dies atque noctes sine interstitio æque adversas habuere, dum succedentes sibi vicissim ad laborem nostri, creberrimis saxorum nimbis atria domus, omnes prorsus intestinas hostium latebras quassare non cessant. Ipse episcopus præsens vigiliarum et psalmodiæ vota omnipotenti Deo cum tali opere persolvebat. Quid plura? Godefrido frustra nitente ad auxilium suis venire, obsessi de vita et membris paciscuntur, castellum funditus captum evertitur : inde aliud atque aliud castellum absque retractatione simili strage conficitur. Sed neque hoc silendum puto, quod inter obsidendum sæpe millenis, sæpe pluribus, raro paucioribus, antiquo Romanorum more quotidianos sumptus præbebat armatis, gregario militi interim concedens usum mactandarum pecudum, absque eis quæ agrario operi essent necessariæ; ipsumque damnum ipse singulis possessorum ex integro supplebat, nullum injustitiæ locum esse patiens etiam in tanta rerum difficultate. Qua ex re liquet quam tenax æqui et recti alias fuerit, quandoquidem eo tempore quo maxime captandus erat favor populi, ut fit in tali negotio, vel summa necessitudo rigidum Catonem a justitia divellere nequiverit.

Cap. XVIII. *De divisione gratiarum huic homini collata.*

Libet in hoc homine divitias divinæ bonitatis intueri, et in unius cordis latitudine divisiones gratiarum admirari; quas adeo discreta studiorum vicissitudine nitebatur administrare, ut cum uni intentus esset negotio, aliis identidem obnoxius, nisi sciretur, nullo modo crederetur.

Nam si episcopum respicio, videor mihi videre supparem Gregorio; si militaria agentem, non imparem esse contemplor Machabæo. Hunc in sapientia Salomonem, in disputando accipio Augustinum; in cordis humilitate, continentia et vigiliarum assiduitate, pauper spiritu quemlibet sanctorum anochoretarum referebat. Necessitate magis quam voluntate ita agebat ea quæ sunt sæculi, ut omnino caveret displicere Creatori.

Suo judicio inutilem et dierum malitiæ plenam creberrimis causabatur suspiriis canitiem, sentiens cum beato Job nihil aliud quam *tentationem esse vitam hominis super terram*. Unde et familiare habebat psallere cum beato David : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei?* et illud Doctoris gentium : *Cupio dissolvi et cum Christo esse.*

Nec est dubitandum si is Neronianæ persecutionis seu Decianæ tempora nactus foret, quin ultro se persecutorum prætoriis ingereret et damnandus astaret judicando sublimior, jugulo cervicem daret feriendo fortior : qui dum ambiretur auxiliariis armatorum catervis, solam crucem Christi manibus proferens, medium sese armatis hostibus inferre, et si voluntas Dei foret taliter morte occumbere paratus fuit, imitari desiderans eum qui dixit : *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis.* Tanta propugnatoris nostri virtute exterrita adversariorum paulatim defecit insania; qui, sicut ipsi adhuc testari solent, quoties efferatis animis in nos grassarentur, statim ad urbem ut possent nostram et sanctorum oratoria conspicere mens illis divinitus mutabatur, ut non modo malum non inferre, verum etiam pro reverentia ipsi loco pias impendere lacrymas liberet. Unde contigit ut qui cum periculo animarum alienis invadendis inhiabant, vix salva sui incolumitate, tandem contenti essent propria retinere, modo cogente, modo obsecrante venerabili Patre Wazone, postremo omnibus modis ut resipiscerent instante. Sic nimirum omnipotentis Dei pietas Ecclesiæ suæ navim, ejusmodi tempestatibus vexatam, per efficacem prudentis nauclerl industriam misericorditer dignatus est ad tempus liberare : licet in tanta factione, non tamen ut prius metuenda, bellum contra imperatorem fuit, bonis viris deferentibus.

Cap. XIX. *Ut imperatori suspectus fuerit.*

In quo, eo quod aliquando dementius in viros Ecclesiæ nostræ insanitum fuerit, bonis viris deferentibus, vir Dei apud imperatorem falsi criminis est accusatus quod, data fide Godefrido, contra imperatoriam majestatem regnique salutem pactum fecerit, et, quod de tanto viro nefas est opinari, eidem confidentiam dederit belligerandi.

Hæc quam fuerint a veritate aliena clamant alia facta ejus venerabilia : sed quia difficile est ut mentis oculus, hinc gloria et divitiis, hinc variis dispensandæ reipublicæ curis, hinc mille adulantium linguis in diversa raptatus, aliquando a veritatis luce non cæcutiat, persuasum est imperatori a deferentibus ut in his quæ vere fideliter gesserat domnus Wazo, non communis commodi seu imperatoriæ fidelitatis gratia, sed ex contentionis usu propriæ inservierit arrogantiæ. Accessit ad suspicionem libera sacerdotis auctoritas, quæ, totius duplicitatis exsors, a veritatis tramite neque ad dexteram neque ad sinistram declinare noverat; quique pro veritate agendo cujuscunque facilius incurrere non trepidavit offensam, quam tacita veritate potentis gratiæ assentari voluerit. Unde unum refero

quod parvitati nostræ per diaconum ejus, qui hoc idem ab ore ipsius didicerat, contigit innotuisse. In quo arbitrati sunt quidam imperatorem illi non minimum succensuisse, eo quod discutiendas episcoporum super ecclesiasticis ordinibus causas nequaquam illi, utpote laico, sed summo pontifici assignaverit.

Cap. XX. *Quid in causa episcopi Ravennatis senserit* (26).

Quidam spectabilis genere Coloniensis canonicus, Wigerus nomine, archiepiscopatum Ravennatem ab ipso imperatore Heinrico acceperat : isque, antequam episcopus ordinaretur, biennio presbyter tantum, cum dalmatica et sandaliis missarum solemnia celebraverat. Unde pro multis inconsulte ab ipso ibidem gestis, et pro hac maxime quasi temeritate accusatus ad palatium evocatur, ab imperatore quod ejusmodi præsumptionem admiserit graviter insimulatur. Cumque id semper ejus Ecclesiæ presbyteris ex sanctorum Patrum auctoritate licuisse respondisset, super his judicium episcoporum exquiritur : respondentibus quibusdam ad voluntatem imperatoris, quibusdam vero hæsitantibus, venitur ad Wazonem episcopum. Illo multum excusante, Italicum episcopum nequaquam a se Cisalpino debere judicari, imperator iterum ut admonitus per obedientiam super hoc facto judicii sententiam edicat vehementer insistit. Ita coactus, tandem quid super his sentiret aperuit · Summo, inquiens, pontifici obedientiam, vobis autem debemus fidelitatem; vobis de sæcularibus, illi rationem reddere debemus de his quæ ad divinum officium attinere videntur ; ideoque mea sententia, quidquid iste contra ecclesiasticum ordinem admiserit, id discutere pronuntio apostolici tantummodo interesse : si quid autem in sæcularibus quæ a vobis illi credita sunt negligenter sive infideliter gessit, procul dubio ad vestra refert exigere. Consentientibus huic sententiæ cæteris episcopis, nullius judicio eo die episcopatum perdidisset, nisi ipse ultro imperatori redderet baculum cum annulo.

Cap. XXI. *Qualiter a comitissa montis Castrorum tentatus fuerit.*

Duo præterea non abs re arbitror esse referenda, in quibus dissimiliter justitia viri Dei manifeste est probata. Nam in alterò quidem, quasi pro imperatore fideliter acturus, contra Deum et religionem Christianam ut infideliter ageret est tentatus; in altero autem, licet aliquantum læsus ab ipso imperatore, seipsum tamen pro ipsius fidelitate libenter impendere præsto esse est probatus. Quodam tempore Herimannus, montis qui dicitur Castrorum locus comes et marchio, pactum cum Balduino Flandrensi jurejurando firmaverat, cum uxor illius, magis ex muliebris instabilitate animi, quam justarum partium ducta favore (varium enim est et mutabile animal femina, ut ipsa est mille fraudium commentatrix versutissima), ut quasi maritum sic a perjurio solveret, seipsam ejusdem mariti sui proditione polluere, Deique sacerdotis conscientiam hujus sceleris consensui implicare est machinata; mandans illi per nuntium ut cum armatis veniat, locum et tempus, ubi et quando maritum capiat ut imperatori tradat, denuntiat. Ille autem ultra quam credi potest hujus novitatem facinoris abhorrens : Nec fama, inquit, nec lectione compertum habemus, uxorem aliquando aut ex veritate, aut ex simulatione maritum impune tradidisse : quod enim tam aperte abhorreret ab humana conditione, perniciosum est quoquomodo fingere. Ita nimirum vir Dei, specie vir tutis palliatam lynceis prudentiæ perspiciens oculis nequitiam, virus lethiferum quod per usitatum fraudis suæ vasculum hostis humani generis propinare parabat, mellito affatim sapientiæ condimento ore constanter respuit. Nimirum pugilem suum Dominus hostes mutare, et per duros certaminum labores virile pugnatoris robur spectatoribus exponere voluit, dum multiformes antiqui illius serpentis facies tanto durius calcaneo ejus insidiari permisit, quanto ipse impotentior hactenus caput damnabile hujus bellatoris ex divino auxilio pedibus subdiderat.

Cap. XXII. *Quod sollicitatus sit per litteras imperatori resistere.*

Alio itidem tempore cum fama esset offensum illi esse imperatorem, perlatæ sunt litteræ ad domnum Wazonem episcopum, unde aut a quo transmissæ parum est nobis cognitum, quibus inerant verba ad sollicitandum persuasibilia, ut tria millia pugnatorum (27) in munitionibus urbium et oppidorum suorum recipiat, qui belligerando illatas sibi ab imperatore molestias facile vindicarent. Ille autem, uti jucunda nonnunquam seriis rebus solebat laxare diludia, inter colloquendum cum quibusdam necessariis suis hujus rei mentionem habuit, sibique satis congrue facultatem belligerandi suppetere jucundissime aggarriendo ingeminabat. Cumque illi quilibet ex his quibuscum secretius confabulari solebat ex ausu familiaritatis suggessisset, canos ejus ad id ætatis a primis adolescentiæ annis sine querela perductos nunquam ad hoc devolvi oportere, ut jam sub ipsum vitæ terminum talibus animum applicare debeat consiliis : « Nemo mihi, inquit, aliud quam quod suades animo esse credat; domino imperatori secundum scire et posse meum nemo me fidelem esse, quomodocunque ab eo tracter, diffidat. Cujus etiam si eo usque animi motus processissent ut dextrum ejus jussu oculum amisissem, quidquid sinistro providere possem ad ejus tamen honorem et fidelitatem reflectere non desisterem. » Quæ cum ita sint, sileat cum Judæis Christo derogantibus improba Wazoni detrahentium lingua, mirenturque cum bonis neminem nostri temporis episcopum in

(26) Vide Ughel. tom. II, pag. 359, et Petrum Dam. lib. VI, ep. 2.

(27) Editi *armatorum cœtum*.

sancta religione vigilantius desudantem, neminem ducem, marchionem aut comitem pro imperii Romani fidelitate, pro patriæ salute studiosius decertasse. Quis enim nisi ille cum Dei adjutorio conjurationem adversus imperatorem factam prudenter dissipavit? Quis castella natura et arte munita stravit? Godefridum cum maxima militum factiosorum parte, hinc minis perterrendo, hinc donis inde promissis sollicitando, exarmavit?

CAP. XXIII. *Quod regem Francorum, ne Aquasgrani invaderet, per litteras absterruerit.*

Sed ecce dum brevitati studens materiæ succumbere timui, multa dicenda præterii, ex quibus est unum quod multis arbitror esse incognitum, factum illud memorabile, quod, longe positus et facie forsitan ignotus, regis Francorum animos jam pervasam animo Lotharingiam sibi usurpare deliberantis, more Pauli, per litteras mitigavit et pene ab ipso incœpti impetu revocavit. Quod, vel quomodo contigerit, retro seriem rerum repetentes disseramus. Rex noster Heinricus, nondum imperator, in Italiam profectus fuerat Romam accessurus, a summo pontifice benedictionem apostolicam cum imperii insignibus percepturus. Rarus apud nos miles et securus agricola, nullius interim metuentes incursionis, grata terebant otia; cum ecce antistiti nostro cum Maria sedenti ad pedes Domini, nec tamen Marthæ sedulitatem deserenti, significantur ab occidentalis Franciæ partibus ejusdem gentis maximi motus, importune insistentium et regi suo suggerentium ut Aquisgrani palatium, juri suo, ut aiunt, olim appendicium, cum magnis armorum copiis invadat; regem et principes nostros abesse, raros hic milites nil contra moliri posse, postremo nihil obstare quin possessa principali sede in partem regni sui cætera deinceps cedat Lotharingia. Pavet audito patriæ periculo sancti Patris sollicitudo, cui quia per vim resistendi copia non fuit potentiæ hominis, tali temporis opportunitate abuti volentis, ingenio et ratione obviandum esse opus intellexit, quod et instanter agere omnino sollicitus fuit. Mittuntur ad regem, ut dictum est, efferatum animo, supplices ab eo litteræ, veteres utrorumque regnorum et eorumdem rectorum commendantes amicitias; duo hæc regna, si invicem ut hactenus fuerint pacata, cunctis terrarum nationibus timori fore, nihil præter Deum formidaxtia; proinde alterutris pacem necessariam esse, concordia crescere res minimas, discordia vero dilabi maximas. Ille acceptas et auditas primo negligere, despicere, regem nostrum arcessere perfidiæ, injuriarum cæterorumque criminum quæ non attinet dicere: sed velle sibi vindicare regnum et palatium ab antecessoribus hæreditario sibi jure debitum. Diem insuper satis procaciter mandat, quo hæc facere deliberaverit: cui econtrario noster Cicero inter alia talia rescriptitat: « Novit, inquiens, vestræ « majestatis excellentia, quam turpi pœna sæcularis « lex condemnet furti admissa; quæ si in potentes « cadere contigerit, licet apud homines alio nomine « videantur honestari, tamen in interni arbitrii conspectu eadem, imo in magnis eo magis exstant damnabilia, quo minori ut ea admitterent necessitate fuerant « adducti. Pensate igitur, quæso, quam sit Deo exsecrabile et indignum vestræ regiæ liberalitati, longissime « absentis comparis sedem et regnum velle furari; et « ab istiusmodi, quæso, intentione animum revocate quæ manifeste repugnat vestræ dignitati. « Quin potius si quid fortiter, si quid potenter contra nos animo vestro sedet actitandum, exspectetur reditus regis nostri, ut quod expediat tunc a « vobis fiat decentius. Sed esto, sedes regni antecessoribus dolo circumventis sublata tibi est jure « hæreditario repetenda: nunquid per interjecta « tot terrarum spatia solus es, aut sine multitudine « iturus? minime; imo vero infinita militia, miseris « parcere nescia, comitaberis, qui etiam te nolente « et frustra prohibente mille hominum millia consumere habebunt incredibili vastitate. Unde certus « esto, si manus a clade innocentium quam mente « incœpisti non continueris, tot homicidiorum reus « in oculis Altissimi teneberis, quot hominum corpora vita carebunt si hoc perfeceris. » Qua sententia viri Dei audita, tyrannica rabies confestim est sedata, et subito immutatus mente rex jubet episcoporum adesse cœtum. Epistolam mandat viri Dei coram se recitari: recitata hunc recte dici sacerdotem, hunc verum protestatur esse episcopum, qui extraneus extraneo sibi præ cunctis ex debito fidelibus sanum dedisset consilium. Nesciens forsitan iste imitatus est Theodosium imperatorem, qui publice arguentem se et excommunicantem omnibus id temporis episcopis veridica beatum Ambrosium prætulit sententia. Cui exhibendæ amplius reverentiæ ex ipsa sua contumelia occasionem invenit regia dignitate sublimior nobilissima cordis humilitas. Ita certe facinus, ad quod multa satellitum millia rapinis inhiantium impellebant fluctuantem regis animum, Deo inspirante, dissuadere potuerunt longe positi unius hominis litteræ: quæ eousque pacis amorem in ipsius reformaverunt pectore, ut nil tale ultra concipiens animo imperatori mox ex Italia reverso in reliquum dexteram cum sacramento dederit et receperit.

CAP. XXIV. *Episcopus Catalaunensis eum per litteras consulit quid de hæreticis censeat agendum.*

Præterea apostolica sublimitas præsulem nostrum crebra litterarum visitatione est dignata, quas ille reverentissime excipere solebat; humiliter, si qua forte per easdem interrogaretur, respondebat. Diversi etiam pro diversis consulendis egregium sapientiæ symmystam episcopi frequentabant per epistolas, quorum nullus utilia percunctatus super inquisitis prudenti responso est fraudatus: ex quibus Catalaunensium episcopus (28) pro periculo animarum sibi creditarum sanctitatem ejus consulere aliquando necessarium habuit, quod hujusmodi esse

(28) Rogerius II, qui ab anno 1043 ad 1062 Catalaunensem episcopatum administravit.

per litteras fatebatur. Aiebat enim in quadam parte diœcesis suæ quosdam rusticos esse, qui perversum Manichæorum dogma sectantes, furtiva sibi frequentarent conventicula, nescio quæ obscena et dictu turpia quadam sua solemnitate actitantes et per sacrilegam manuum impositionem dari Spiritum sanctum mentientes, quem ad astruendam errori suo fidem, non alias a Deo missum quam in hæresiarcha suo Mani, quasi nihil aliud sit Manes nisi Spiritus sanctus, falsissime dogmatizarent, incidentes in illam blasphemiam quam juxta Veritatis vocem et hic et in futuro impossibile est remitti. Hi tales, ut dicebat, cogebant quos possent in suam concedere turbam, nuptias abominantes, esum carnium non modo devitantes, sed et quodcunque animal occidere profanum dicentes; tutelam errori suo assumere præsumentes sententiam Domini in veteri lege occidere prohibentis. Si quos vero idiotas et infacundos hujus erroris sectatoribus adjungi contingeret, statim eruditissimis etiam catholicis facundiores fieri asseverabat, ita ut sincera sane sapientium eloquentia pene eorum loquacitate superari posse videretur. Addidit etiam plus de quotidiana perversione sese aliorum dolere quam de ipsorum perditione. Quid de talibus præstet agendum anxius præsul certum sapientiæ consuluit secretarium, an terrenæ potestatis gladio in eos sit animadvertendum, necne; modico fermento, nisi exterminentur, totam massam posse corrumpi; cui antistes noster inter rescribens ait :

CAP. XXV. *Responsio. Ejus quæ super hoc sedeat sententia* (29).

« De quibus scripsistis, eorum quidem manifestus « est error, antiquitus a sanctis Patribus ventilatus « et luculentissimis eorum sententiis confutatus. « Nam ut omittamus insanissimas, quibus de Spi« ritu sancto sibi mentiuntur, blasphemias, acci« piat dilectio vestra, quantis se inopportunitatibus « rerum sese ipsi implicare studeant, male intellecto « Domini præcepto quo in veteri lege dicitur : *Ne « occidas;* in quo, nisi solam hominis occisionem « prohibitam esse intellexerint, simili modo esum « eorum quibus se licite vesci existimant, qualia « sunt frumentum, legumina et vinum, sibi videant « interdictum, quæ ut essent ex creditis terræ se« minibus sua vivendi specie coaluerunt, et nisi a « viriditatis suæ vita interfecta humanis usibus « servire nequiverunt. Prætermissis sæcularium « scriptis, hujus rei testis est Psalmista dicens : « *Et occidit in grandine vineas eorum;* itemque « Apostolus : *Insipiens tu, quod seminas non « vivificatur, nisi prius moriatur.* Ipsa quoque « Veritas : *Nisi,* inquit, *granum frumenti cadens « in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* « Restat igitur ut necessario fateantur vixisse quæ « accidentibus ex causis constat posse mortificari. « Eligant ergo quod voluerint, aut more catholico« rum de solo homine scriptum esse credant : *Non « occides*, et nobiscum mactandarum pecudum eo« pia licite utantur; aut si hanc sibi negari contende« rint, nos quoque ex ipsa erroris sui sententia, pa« nis, leguminum et cæterorum hujusmodi eis usum « inficiabimur; quoniam ea nisi suo modo interfice« rentur, nullo modo humanis usibus aptarentur. « Hæc licet Christiana abhorreat religio, et cum « Arianæ hæreseos damnet sacrilegio, tamen imitata « Salvatorem suum, qui mitis et humilis corde non « venit clamare neque contendere, sed potius oppro« bria, sputa, alapas, postremo crucis mortem sub« ire, jubetur interim tales quodammodo tolerare, « quia, ut ait beatus Gregorius : Nequaquam inno« centiam obtinuit Abel quem Cain malitia non « exercuit, nec uva nisi calcibus tusa in vini sapo« rem liquatur. Ut autem in promptu sit quid de ta« libus velit fieri misericors et miserator Dominus, « qui peccantes non statim judicat, sed ad pœniten« tiam æquanimiter exspectat, audiamus quid in « Evangelio suo exponendo parabolam tritici et ziza« niorum agri, discipulos, imo in illis nos dignatus « est docere : *Homo*, inquiens, *qui seminavit bonum « semen in agro suo, est Filius hominis.* Bonum semen, « hi illii sunt regni; ager autem, hic mundus : *Ini« micus homo, qui superseminavit zizania, est diabo« lus. Zizania autem, hi filii sunt nequam; messis « autem consummatio sæculi est; messores vero an« geli sunt.* Quid autem per servos primo apparen« tia zizania vellicare volentes, nisi prædicatorum « ordo signatur? Qui dum bonos a malis seorsum « esse in Ecclesia desiderant, quasi de bona tritici « segete zizania eradicare quærunt. Sed sub magna « discretionis censura paterfamilias ille prona eorum « coercet studia : *Nolite*, inquiens, *ne forte colligen« tes zizania eradicetis simul et triticum. Sinite utra« que crescere usque ad messem; et in tempore messis « dicam messoribus : Colligite primum zizania et alligate « ea per fasciculos ad comburendum, triticum autem « congregate in horreum meum.* Quid his verbis, nisi « patientiam suam Dominus ostendit quam prædi« catores suos erga errantes proximos exhibere de« siderat? Maxime cum hi qui hodie zizania sunt « possibile sit cras converti et esse triticum. Ad « horum profecto servorum vos pertinere numerum, « ardens in pectore vestro pro animabus diabolica « fraude deceptis spiritualis zeli fervor indicat, quo ne « a malis boni corrumpantur, judicii sarculo triticeam « segetem zizaniis purgare quæritis. Quod tamen ne a « vobis immature, ne ante tempus fieri debeat, divinæ « potius est obediendum sententiæ; ne dum justitiam « in puniendis prævaricatoribus nos exercere puta« mus, ex impietate specie severitatis velata ei præju« dicium faciamus, qui non vult mortem peccatorum « nec lætatur in perditione morientium, sed per pa« tientiam et longanimitatem suam novit peccatores « ad pœnitentiam reducere. Cesset ergo judicium

(29) Maxime differt hoc caput ab editis, in quibus præter initium hujus responsi nihil fere de auctoris verbis reperias.

« pulveris, audita sententia condemnatoris; nec eos A « quæramus per sæcularis potentiæ gladium huic « vitæ subtrahere, quibus vult idem Creator et Re- « demptor Deus, sicut novit, parcere : ut resipiscant « a diaboli laqueis quibus captivi tenentur ad ipsius « voluntatem. Sic, sic nimirum tales ultimæ illius « patrisfamilias messi a nobis convenit reservari « quidquid messores suos facere jubeat, sicut et de « nobismetipsis cum timore et tremore oportet ex- « spectari; quia horum quoslibet, quos mundi hujus « ager zizania habet, messis illa forsitan triticum « inveniet; et quos in via Domini adversarios nunc « habemus, possibile omnipotenti Deo est in illa « cœlesti patria nobis etiam facere superiores. Certe « legimus Saulum magis omnibus sævientem beati « Stephani protomartyris lapidatoribus interfuisse; B « et quem hic habuit persecutorem, utpote martyr « apostolum, illic se gaudet habere priorem. Inte- « rim nihilominus meminisse debemus quod nos « qui episcopi dicimur gladium in ordinatione, quod « est sæcularis potentiæ, non accipimus : ideoque « non ad mortificandum, sed potius ad vivificandum « auctore Deo inungimur. Est tamen aliud quod « sollicite de prædictis agendum est schismaticis, « quod et vos nequaquam ignoratis, ut ipsi eisque « communicantes catholica communione priventur, « cæterisque omnibus publice denuntientur ut, se- « cundum propheticam admonitionem, exeant de « medio eorum et immundissimam eorum sectam « ne tetigerint; quoniam qui tetigerit picem inqui- « nabitur ab ea. » Hæc tantopere vir Dei exemplo C beati Martini studebat inculcare, ut præcipitem Francigenarum rabiem cædes anhelare solitam a crudelitate quodammodo refrenaret. Audierat enim eos solo pallore notare hæreticos, quasi quos pallere constaret, hæreticos esse certum esset; sicque per errorem simulque furorem eorum, plerosque vere catholicorum fuisse aliquando interemptos.

Cap. XXVI. *De hæreticis nequaquam interficiendis* (30).

Cum hæc ita se habeant, cumque tam aperte ratione evangelica sanctione subnixa nil æque rationabiliter valeat contradici; videant quibus vacat, quomodo irreprehensibiliter actum sit quod cum Goslarii quidam hujusmodi erroris sectatores essent deprehensi, post multam superstitionis suæ discussionem, justamque pro pertinacia erroris excommunicationem, suspendio insuper sint addicti. Cujus discussionis ordinem cum diligenter sciscitaremur, non aliam condemnationis eorum causam cognoscere potuimus, quam quia cuilibet episcoporum jubenti ut pullum occiderent inobedientes exstiterant. Vere, fatebor enim, nec silebo, Wazonem nostrum, si hæc tempora contigisset, huic sententiæ assensum nequaquam præbiturum, exemplo beati Martini, qui ut intercederet pro Priscillianistis, maximi imperatoris turpiter adulantium sacerdotum consilio depravati edicto damnatis, maluit excellentissimæ virtutis suæ detrimentum incurrere quam eripiendis etiam hæreticis non consulere. Hæc dicimus, non quia errorem hæreticorum tutari velimus; sed quia hoc in divinis legibus nusquam sanctum non approbare monstremus.

Cap. XXVII. *De apostolico eligendo quid sibi videatur imperatori respondet.*

Inter hæc ad mentem redit quod cum papa Clemens ex episcopo Bavenbergensi in apostolica sede sublimatus de hac vita discessisset, imperator de subrogando in locum illius alio consilium ejus quærere animum induxit. Ille autem, ut erat in omnibus, et in talibus maxime scrutator studiosissimus, vigilanter cum aliis cum quibus laboris hujus partes expenderat, hinc gesta pontificum Romanorum, hinc eorumdem decreta, hinc authenticos canones, capitulare recensere sollicitus fuit. In quibus diligenter revolutis nihil aliud quam summum pontificem, cujuscunque vitæ fuerit, summo honore haberi, eum a nemine unquam judicari oportere, imo nullius inferioris gradus accusationem adversus superiorem recipi debere invenire potuit; et quoniam condictum erat hanc electionem apostolici pontificis in Natale Dominico futuram, audacissimus puræ veritatis assertor responsalem suum illo transmisit, et ingrato imperatori inter alia confidenter deferri jussit mandamina quæ fuere hujusmodi (31) : « Recogitet, inquit, serenitas vestra ne forte « summi pontificis sedes depositi a quibus non « oportuit ipsi divinitus sit reservata; cum is C « quem vice ejus ordinari jussistis, defunctus ces- « sisse videatur eidem adhuc superstiti. Quocirca, « quandoquidem nostram super his flagitare pla- « cuit sententiam, desinat sublimitas vestra aliquem « in ejus locum qui superstes est velle substituere; « quia nec divinas nec humanas leges certum est « concedere hoc, astipulantibus ubique sanctorum « Patrum tam dictis quam scriptis, summum ponti- « ficem a nemine nisi a solo Deo dijudicari debere. « Testor Dominum, et quod ego indignus sacerdos « vobis juravi sacramentum, super hoc negotio « nihil hac sententia verius, nihil præstantius a me « excogitari vel inveniri posse. » Adventante autem memorato responsali antistitis nostri ad curtem regiam, Poppo [qui] et Bruno Brixionensis episcopus D in summum pontificium jam pridem electus fuerat, qui postea a Romanis Damasus est appellatus : incertus ille quid faceret, nam res transacta erat, cujus transferendæ causa mandata ad imperatorem susceperat; accessit tamen, et alia, quam facete, ut noverat, imperatori præfert mandamina. Postque omnia : « Adhuc, inquit, unum superest quod do- « mnus mandat episcopus, quod quia res est exacta, « vobis exponere non est in causa. » Quo ille audito, ut est curiosus audire multa, et sententias diversorum colligere, a legato multum excusante rem propensius insistit extorquere. Responsalis autem ex

(30) Integrum hoc caput in editis desideratur.
(31) Hæc Wazonis responsio omnino discrepat ab editis.

industria moras redimere, et quasi inde diverticula quærere; et tacite quodammodo hominem potentem prius ambire nitebatur ut, sicut bene noverat, rerum anticipatione, si qua subinde in corde oriri posset, frangeret iracundiam. Quid plura? Spondet rex quidquid id foret se nequaquam succensurum, omnem proinde offensam adversus quantumlibet aspera mandantem remissurum. Postremo, si quod periculum gratiæ mittentis episcopi fore illi contigerit, eo quod reticenda prodiderit, sese omnimodis obviaturum. Tandem securus nuntius quæ jussus fuerat exsequitur mandamina, quæ quantum vera, homini voluntatem juxta potentiam suam metiri affectanti, fere tantum essent odiosa, si prælibatæ pactionis præoccupatio non obstitisset.

A

Cap. XXVIII. *Insimulatus ab imperatore quid fecerit, quidve responderit.*

Alio quodam tempore dum edictum fuisset ut gens Fresonum, quæ duce Theoderico imperatori repugnabat, navali undique bello peteretur, ille, uti erat paterno affectu, timens militiæ nullum e navibus præliandi usum assecutæ, simul ne paratas sibi ab hostibus incideret insidias, præsertim cum ad condictum congregandi exercitus locum per ducenta, aut eo amplius milliaria triduo (32) eundo accepisset mandatum, concurrentibus tot rationabilium causarum difficultatibus ne quoquam discederet, neu fideles Ecclesiæ frustra vexaret, consilium habuit. Itur ergo in Fresoniam et reditur ab exercitu navalibus armis instructo, cum non multo post colloquium habetur; ad quod pontifex noster accersitus, transgressionis imperatorii edicti aliorumque aut negligenter aut infideliter gestorum graviter arcessitur, accusantibus injuste ipsis qui ejusdem sæpenumero magnifice usi fuerant beneficiis. Cumque ad singula quæ objiciebantur rationabiliter sese purgare paratus esset, si excusandi copia daretur, succlamante hinc regiæ partis adulatorum fremitu, hinc episcoporum consilia exhibentium adhortante cœtu, soli in tanto turbine deprehenso, diutius reniti imperatoris voluntati nequaquam constantia fuit. Tandemque, quia potentis animi indignatio non aliter visa est posse leniri, ad pedes ejus invitus acquievit incurvari, atque pro culpis redimendis quæ non erant trecentas argenti libras coactus est revadiare. Quod quidem omni reliquo vitæ tempore eum pœnituit fecisse; et licet imperator postea placatus omnia illi cum gratia donaverit, semper tamen dolendo, identidem in se redarguebat cur talis culpæ suspicionem constantissime etiam usque ad sanguinem non removerit. Sed licet episcoporum consiliis obtemperans in hac parte quodammodo succubuisse videretur, tamen sacerdotali auctoritate ipso die et in eodem conventu curialium dictus est hoc modo contra imperatorem usus fuisse. Namque dum in tanta tamque diutina disceptatione illi tam podagræ morbo quam senio gravato nulla ad sedendum copia fuisset, quiescente vix demum insano fragore obstrepentium: « Vel nunc tamen, inquit, majestas vestra mihi decrepito et imbecilli sessum dignetur concedere: nam etsi Wazo, rugis confectus et senio, indignus est honorari, tamen sacerdotem et sacro chrismate inunctum dedecet inter populares tam inhoneste fatigari. » Imperator autem, utpote qui ejusmodi homo esset, qui sibi super episcopos potestatem nimis carnaliter, ne dicam ambitiose, quæreret usurpare: « Ego vero, inquit, similiter sacro oleo, data mihi præ cæteris imperandi potestate, sum perunctus. » Quem contra antistes veritatis zelo justitiæque fervore vehementer accensus talibus breviter instruendum esse censuit: « Alia, inquiens, est et longe a sacerdotali differens vestra hæc quam asseritis unctio; quia per eam vos ad mortificandum, nos auctore Deo ad vivificandum ornati sumus: unde quantum vita morte præstantior, tantum nostra vestra unctione sine dubio est excellentior. » Talibus fluctuantis mundi jactatus procellis, peritus nauta navim suam odoris virtutum pomis refertam ad innocentis vitæ et conscientiæ bonæ reflexit portum; et fortis in adversis humilisque in prosperis sicut mundi lenociniis nequivit frangi, sic nec terroribus valuit concuti, dicens cum Psalmista: *Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo.*

B

C

D

Caput. XXIX. *Quos et quales præbendarios constituerit.*

Redit igitur calcato mundi turbine ad tui ovilis, beata Dei Genitrix, et martyris Lamberti caulas, omnibus palatiis regum gratiores; et pastor bonus ad æterna pascua oves Dominicas agere contendebat, atque in hujus interim vitæ via multis difficultatum asperitatibus consita, tota animi intentione in eis quod confractum fuerat, alligabat, et quod infirmum consolidabat, et quod firmum et forte custodiebat, judicans se non sibi, sed illis totum esse et vivere. Vidimus viginti quinque præbendas ab eo in uno die datas, quarum quindecim deservitores canonicos in ecclesia victoriosissimæ Crucis, decem in Bartholomæi apostoli ecclesia ex bonis majori ex parte a sese acquisitis constituit, (33) nihil ab eis quærens nisi probos mores et utilitatem divinæ servitutis; simul cum interminatione anathematis edicens ne quis præpositus, vel decanus præter hæc alterius emolumentum lucri exigere auderet. Præterea si quando aliquis in locum fratris defuncti quæreret substitui, quia nobiscum res stabiliendorum stipendiorum respicit ad episcopum, offerebantur sæpe ab illis qui parentes aut filios canonicos fieri quærebant, aut fertilium agrorum fundi, aut multa numeratæ pecuniæ summa. Quibus clementissimus Pater ait: « Nolite; Ecclesiæ cui hæc offerre nitimini, fundi et pecuniarum est abunde; fratres illi potius quærimus utiles et morigeratos; cujus qui se servitio in perpetuo dederit, necesse non habemus quod est vilius, temporale scilicet, ab eo expetere.

(32) Hæc tacuit abbreviator quæ tamen referre debuisset, utpote quæ sanctum excusent pontificem.

(33) Quæ sequuntur in editis desiderantur.

Quid enim? Nunquid dare aliquis valeat seipso charius? Injurii ergo mea sententia erimus, si ab eo qui seipsum dat, quod sibi est præstantius, importune abjectiora quæramus. Liceat tamen prius experiri si quibus studiis eorum exercitata fuerint negotia: quæ si, ut expedit, valere constiterit, quæ petuntur gratuito dare parati sumus. Et ne difficultatem rei interposuisse videamur, litteras qui ad nos accedere desiderant afferant. Hoc tantum ab eis munus ut sit materia examinationis exposcimus. » Hæc fidelis promissor diversæ ætatis, et ingenuis, et ex familia Ecclesiæ progenitis exhibebat, nonnullis insuper additis præter stipendia beneficiis; cum ne puerorum quidem minus intelligibilem ætatem, quos videret indolis esse, et pro captu suo sciolos ab hac largitatis suæ janua excluserit. Talibus pietatis suæ beneficiis ad amorem studii multorum animi accenduntur, et nonnullos qui mobilitati animum dedissent vidimus ad studia conversos, obque improbitatem laboris cum perfectionis gratia a tanto largitore canonicam Ecclesiæ stipem assecutos

CAP. XXX. *De impendiis ab eo ad ædificia datis, et vitæ ejus perfectione.*

Jam vero si cui ex clero aut etiam ex laicis ædificia struere animus esset, hilaris dator largissimam gravemque ære porrigendo manum ad id laboris sese volebat admitti cooperatorem. Quod ego bonum ejus multis ante et post impensum indigno mihi et non merenti, cum benignissime tum largissime exhibitum in simili opere sum expertus, accipiens a tam munifico largitore munus octo librarum cum aliis multis ad hæc necessariis; cum non multo post nil speranti, quippe qui minimum promeruissem, mediocritati meæ congruum satis insuper adjecit beneficium. Parum est quod dico, majora memorabo. Miserum me, vix fateri audeo, cum me indignissimum et confusione plenum dulcissimo illo suo excellentis scientiæ et elegantis ingenii sale condito dignaretur alloquio, nonnunquam psalmodiæ et orationis non repellebar secreto; licet sæpius quanto solitarie, tanto devote nocte et mane soli Deo in orationibus vacare solitus esset. Præterea certis in hebdomada feriis, vel certe jejuniorum tempore ex consuetudine solemni nulla unquam hiemis tempestate retardatus, patrocinia pedes nudus sanctorum circuibat; cum inter eundum semper eleemosyna ejus in manu secum deambulantis desudaret, donec occurreret cui ea etiam nescienti tanquam Christo committeretur. Refectionis vero hora quæcunque parata erant pulmenta, ac si epulaturo, nullis reservatis qui vel a se, vel a simul discumbentibus eo die comedi poterant, vel exquisitissimis cibis, omnia pauperum alimentis insumebantur. Sicque manus eleemosynarum cum jejunii votiva castigatione charitatis igne concremata ad cœlos orationum levabat aromata. Quotidianam sane conversationem suam perseverantia et temperamento jugis abstinentiæ, potentia vigilia-

(34) Uncis inclusa in editis non comparent.

rum ac cæterorum pro Christo laborum irreprehensibilem coram Deo et hominibus exhibere studebat; nullum nec sibi, nec aliis familiaribus secreta præsentiæ suæ frequentantibus vacuum ab opere Dei tempus esse patiens, quo non aut psalleret, oraret, aut legeret, aut de aliqua utilitate conferret, aut certe de sacræ Scripturæ quæstionibus disputaret: in quibus dissolvendis quam alacer, quam efficax, quam promptus erat et facilis! Postremo in omni confabulatione ejus, si quando etiam a seriæ essot rei rigore laxata, quantam dignitatem, quantamque jucunditatem inesse liquido erat respicere! qui vix raro aut nunquam cibo, vel somno, nisi quantum naturæ necessitas cogeret, indulserit. Sed quis omnia dicta ejus, vel facta memoratu digna, vel eruditissimus stylo comprehenderet? Adeo meritis ejus omnia minorata sunt, quæ de tanto viro elinguis parvitas nostra vix sufficit explicare. Sed et alia quæ dici possent de vita pontificis nostri insignia; quæ si enumerare velimus per singula, non jam breviarium, ut polliciti sumus, sed proposito majorem codicis incurrimus quantitatem; ac si qui stagnantis lacus parva lintre nimium securus pergit sulcare, dum nescit, vicinis æquoris metuendis absorbetur æstibus, et a mediis periculis post dorsum respiciens, sero reminiscitur magna parvis tentare adminiculis quantæ fuerit temeritatis. Sed præstat interim, dum res in tranquillitate sunt, ad littoris sinus clavo fragilem lembum reflectere, ne si quod vires excedat tentaverimus, non tam cursum agere, sed fluctibus miserabiliter obrui videamur.

CAP. XXXI. *De imminente corporis ejus dissolutione.*

[Prætermissis (34) igitur, ut dictum est, pluribus tam dictis quam factis ejusdem venerabilis viri admodum memoratu dignis, termino chartæ finem vitæ ejus explicare studeamus, qua morte homo hic Dei terrena linquens, cœlestia penetrans, feliciter exivit; et gregem Domini insolabili mœrore confectum suavissima sui præsentia egregius pastor desolavit. Quem quidem omnipotentem Deum ab eo precibus exoratum esse, nemo qui vitam ejus novit ambigat, cum hoc et frequentes in oratione testarentur lacrymæ, et ipse communi nonnunquam sermone cum his qui sibi familiarius adhærebant, annos suos ac si dierum malitiæ plenos sit causatus, etiam tempus esse quo infelicem exueret hominem sit protestatus]. Sextum ab ordinatione sua in regimine episcopatus agebat annum, et, ut dictum est, fidelis summi patrisfamilias dispensator sua quibusque reddebat, servata diligentissime in omnibus disciplina; cum superveniente apostolorum Petri et Pauli solemnitate, jucundus ipsorum interfuit vigiliis, missisque priori et postera die solemniter celebratis in singulorum ecclesiis, in illorum servitio religionis finem accipiens, per quos beata mater Ecclesia religionis sumpsit exordium, ad mensam rediens inter prandendum primo tremore, deinde gravi tactus est calore. Quo cæteris sensim artubus

subrepente, licet ante remota non surgeret fercula, toto corpore tanto confectus est dolore ut præter solitum proximæ noctis abesset vigiliis. Sed iterum resumptis viribus, sicut semper, ut credo, ultra omnes mortales infirmitati corporeæ solebat reluctari, sequentis diei, hoc est Sabbati, vigiliis et matutinis adfuit; nec ex eo amplius choro et dilecto fratrum conventui interesse valens, nihilominus intra domus suæ penetralia invictissimum psalmodiæ et lectionis nota dulcedine reficiebat spiritum, quem corpusculo febribus fatiscenti potentissime imperitantem ad optatum diu præmuniebat exitum : nihil aliud nisi defectum sentire se in toto corpore protestatus. Ita ingravescente amplius morbo, spiritu tamen, ut diximus, totus robustus et integer, a Sabbato ad quartam productus est feriam in qua apostolorum celebrantur octavæ. Cujus diei summo mane jubet accersiri presbyterum qui erga ecclesiastica pervigili cura solebat excubare; cui cum sese ab invicem separandos esse prædiceret, eam quam infirmis beatus Jacobus apostolus jubet fieri unctionem se libenter velle accipere adjecit; ea quæ huic operi forent necessaria mandat parari; abbates et presbyteros cum nonnullis ordine inferioribus clericis in capellam quæ cubiculo contigua est jubet recipi, ut his coram de rebus Ecclesiæ disponeret, confessionem suam Deo illis testibus offerret, ipsisque orantibus et psallentibus, sacram unctionem susciperet. Ipse cum duobus tantum hujus secreti arbitris, memorato videlicet presbytero et subdiacono, item ejus camerario, remota omni voluptate carnis, quippe quæ ad mortem usque esset afflicta, in solam spem beatæ resurrectionis lavat corpus multis retro annis lavacro incognitum, cupitque fortissimus contemptor sui, addita insuper infirmitati pœna, nunc circa se fieri quod in sanitate devitare studuerat ne noxiæ serviret voluptati. Lotus vero albisque vestibus indutus, exspectantibus in prædicto oratorio a nemine sustentatus sese infert fratribus; sedili locatur, cui insidens psalmodiæ vel lectioni vacare consueverat : missam audit, sacrosancto Domini corporis viatico felicem animam præmunit jamdudum pulsanti Domino aperire paratam. Interim res Ecclesiæ per fideimanus disponuntur, quarum partem unam successori suo, alteram pauperibus et Deo servientibus fidelis testator delegavit; nulli cognato vel amico egregius Pater, cæteros omnes in Christo æqualiter diligens, dereliquit. (35) Cumque reverenter a prioribus nostris admoneretur ut parentibus de his quæ Deus sibi donasset largiretur, idque nusquam a sacra auctoritate vetitum esse suggessissent : « Parentes meos, inquit, quos superstites relinquo, illi commendo cui me quoque non fundos, non servos, non pecuniam ex hæreditate habentem antecessores nostri reliquere; quos utrum degere privatos necne, idem Deus et Dominus noster voluerit, ipsius melius permittimus misericordiæ. » Præterea si quid severius dictante ratione in quoslibet ab ipso incolumi judicatum fuerat, nullo mortis metu mutare, imo inconvulsum esse post obitum suum volebat, et inflexibilem propositi rigiditatem fortiter usque ad mortem retinuit; conscius utique sibi, quia bona animi intentione omnia fecerat, nihil de his justo Judici ad quem festinabat displicere, ipso hoc in Evangelio suo attestante : *Si oculus*, inquit, *tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit :* oculi nomine *intentionem;* corporis, *sequentes* significans *actiones;* qui sicut oculo incedentis reguntur vestigia, sic nimirum prævia intentione, si bona est in bonum, si mala est in malum, qualiacunque agentis sequuntur opera.

CAP. XXXII. *De confessione ejus et unctione.*

Dispositis igitur prudenter omnibus, abbas Olbertus ab ipsis pueritiæ annis coævus et collega nec non consecretalis illi divinæ legis meditator, ad agenda circa eum hæc Christianæ religionis ministeria veste sacerdotali induitur, cupiens et ipse eunti ad Christum sese addere comitem, quem in via Dei unanimi dilectione habuit consortem. At ubi psallendo et orando eo ventum est, ubi oleum imponi infirmo præcipit ordo, totus mente et spiritu vividus, licet carne præmortuus, quantulo adnisu valuit e lectulo surrexit, coram altari genua fixit, et ut scriptum est : *Justus in primis accusator est sui*, se peccatorem esse, sese non taliter vixisse uti deceret episcopum et verum Christianum est confessus. Cumque et de aliis satis et diu sese coram Deo accusaret admissis, sine quibus irreprehensibilis sanctorum vita, aut vix, aut nullo modo transigi potest; suggeritur ab abbate memorato ausu illius sanctæ suæ familiaritatis, si quid aliquando in imperatorem sive verbis vel etiam occultis cogitationibus deliquisset, Deo confiteri non tardaret, ut securus ab omni insidiatoris accusatione cordium scrutatori Deo intrepide mereretur præsentari. Ad hæc ille confidenter : « Non reprehendit « me, inquit, conscientia mea in omni vita mea me « in aliquo contra imperatorem deliquisse; quin- « imo semper honorem ejus cupivi et cupio, isque « ut in dies cum Dei adjutorio augmentaretur quan- « tum nostra intererat elaboravimus. Cæterum quod « nos libentissime honestati ejus deservientes, ip- « sius gratiæ minus accepti fuimus, aliis profecto « peccatis imputamus. Verum hoc maxime pœni- « tentia dignum me egisse ipse reprehendo, quod « immunis ab omnibus in ipsum infideliter gestis, « quasi reus coram omnibus ad pedes ejus sim pro- « volutus, et hujusmodi humiliatione suspicionem « talis culpæ, quæ Deo teste nulla est, multitudini « de me ingesserim, sicque nomen episcopi nota « falsi criminis infecerim. Sed heu! pudet ac pœ- « nitet; succlamantibus cunctis, etiam religiosis « viris, uti in me graviter commoto satisfacerem, « solus diutius reluctari non potui, et victus, fa- « teor, turpiter cessi. Unde quia invicte persistendo

(35) Quæ sequuntur in edito abbreviatore omnino omissa sunt.

« falso imputati criminis suspicionem non removi, « plango et vehementer doleo. » His dictis, si qua contra eos qui præsentes essent fratres deliquisset, sibi donari petiit. Contra assistentis cleri devotio a Domino Deo pontifici suo veniam petiit, ipsamque quantum sua intererat ex se libentissime non sine multis lacrymis impendit, idemque sibi ab ipso fieri suppliciter implorat. Quo facto solemniter cum psalmis et orationibus ad id officii pertinentibus ab abbate quem supra memoravimus, per sacram olei unctionem in viam pacis et beatæ quietis dirigitur.

Cap. XXXIII. *Quod abbas Olbertus ne septem dies post eum faceret exoravit.*

Singulis deinde in sua redeuntibus, vir Dei sic manet in lecto decubans, nihil sese nisi defectum pati asserens, exspectatque ita ut nunquam in sanitat· hilarior, exoptatam diu horam qua vocantem m gret ad Dominum. Testatique sunt presbyteri et capellani qui ei excubantes pro exspectatione gloriosi exitus assistebant, psalmodiam et orationes ipsis quibus incolumis solebat horis a præmortuo illius ore palpitante l ngua sæpius iterari. Nimirum quanto usu vivens et incolumis imperitanti servire consueverat spiritui, caro jam moriens approbabat. Quarta feria, scilicet apostolicarum octavarum dies transierat; quinta deinde feria superfuerat : et cum jam vicina exitus, ut putabatur, hora a concurrentibus devotissime ad eum senioribus exspectaretur, atque obnixe ut a lecto se sineret deponi, ut morientibus solet fieri Christianis, efflagitaretur : « Nolite, inquit, hodie frustra fatigari, sed eras discessuro mihi in Dei nomine occurrite. » Quam ejus vocem quotquot adfuerunt, audiere; sed et abbas memoratus qui pridie eum unxerat, hoc prænuntiatæ ab eo mortis indictum pio excipit gemitu : « Si discedis, inquit, Omnipotentis misericordia non sinat me septem dies super te in hoc mundo facere. » Quæ verba petitionis, ut probavit rei exitus, ad aures pii auditoris ascendisse credimus : nam statim ad monasterium beati Jacobi regressus, ubi ipse præter alium quem gerebat Gemblacensis cœnobii gregem, multorum Pater exstitit monachorum; subrepente totis artubus molestia, sentit optabilem sibi cum pontifice, eodemque unanimo fratre dissolutionem corporis imminere; fastidiens jam confragosa hujus vitæ dispendia, quæ ulterius sibi sine tanti conviatoris solatio restarent calcanda ; Christi potius manifesta contemplatione cum illo cupiens satiari, quicum visionis ejus dulcedinem nondum re, sed spe cognitam inter conferendum de notis sacræ Scripturæ mysteriis suspirare solebat. Alter nobiscum corona clericorum, alter decus monachorum. Alter licet inter fluctuantis sæculi procellas practicæ vitæ actus propensius regendos suscepit, divina tamen contemplatione suspendi et vitaliter exterioribus mortificari : alter vero tum professione, tum animi intentione mortuus sæculo, et duplicem duorum ovilium gregem pascebat Domino, et benignissima tam ecclesiasticarum facultatum quam consiliorum largitione prudenter dispensata, exterioribus nequaquam deerat solatio. Ambo divina et humana sapientia imbuti, ambo robustissimæ in templo Dei columnæ. Uterque in utroque Deo servientium ordine reginæ dextra divinam sponsi majestatem astanti auro vestem texere, ipsamque jucundissima varietatum distinctione gnari circumdare, idque studiose quoad viverent decertantes actitare. Sub tantis tuta custodibus, tantisque communita propugnatoribus intra honestissima bonarum artium quiescebat otia, nec clandestinas latronum insidias, nec aperte impugnantium formidans incursus, tunc quidem felix Legia, sed nunc amissa hac felicitate multo infelicior.

Sexta igitur feria illucescente, octavo scilicet Idus Julii, beatam pastor noster, ut prædixerat, Creatori reddidit animam. Postque illum septimo die, sicut a Deo poposcerat, memorati abbatis anima voti compos episcopum est secuta, ut constaret evidenter hoc mystico dierum numero ob æqualis vitæ meritum in unam æternæ beatitudinis requiem hos tantos patres a mundi hujus voragine esse receptos. Migrant igitur, migrant ad Dominum factorem suum felices justorum animæ, multiplicibus pietatis studiis exercitatæ : vivi utique lapides ad cœlestis Jerusalem ædificium colliguntur et, malitia remanentium exigente, hi qui tenero gregi multo adhuc tempore poterant prodesse, heu ! nimis festine subtrahuntur.

Cap. XXXIV. *Quod Legia tanto pastore orbatur.*

Relinquit itaque ex matre filiam filio beatam, ac postmodum eodem patre multo beatiorem, miseram pastor bonus cum pupillis suis Legiam. Quæ etiamsi lapides possent lacrymas fundere, irrecuperabile ablati Wazonis damnum nequaquam sufficienter valeret plangere; quippe cui post Deum hoc noscitur debere ut singularis nominis prærogativa inter majores circumquaque urbes sola vocaretur fons sapientiæ. Quæ autem regio tam abstrusa in terris, quam, pervolitante fama, Wazonis Legiæ nomen non penetraverit? Parum est quod trifida te celsam tanto patre novit Gallia. Te Alpina gerens corpora nequaquam ignorat Germania. Experimentum acceperunt gloriæ tuæ Pannonii, et nihilominus Hiberi. Nec latet extremo diffusos orbe Britannos, Aquitanos cum Arvernis, tanti rectoris auctoritate quam alte caput extuleris. Tibi cedunt præpontificis virtute circumcirca urbes nobilissimæ; sed nec olim Roma potens indignum ducit se tua superari gloria, quæ moderno tempore, ex orthodoxis neminem huic tuo parem habuit superstitem. At nunc heu ! tanto pastore viduata stas magni nominis umbra, et adhuc prioris famæ tenore multos studii amatores ad opinatum disciplinæ invitas gymnasium, sperantes se cum liberali studio victus et vestitus solatio gratuito sustentari.

Ea enim spe patriæ finibus se excitos autumant, credentes illis referentibus qui talia præsentes apud nos experti forent : qui plerumque litterarum exercitio non frustra expetito, cum solus Wazo omnes recipere solitus esset et omnia suppeditare, quod fateri rubor est et negare fallacia, nullus eorum ab omnibus nobis hujus loci indigentis sustentatur. Adeo pietatis opera quæ unus indeficienter agebat, omnes simul exercere, etsi volumus, non possumus.

CAP. XXXV. *Apostrophia ad Legiam.*

Age ergo nunc, o dulcis Legia, si qua est tibi cordi pietas in Deum aut honestatis amor ad sæculum, ardentissime quæso, saltem antiquæ religionis vestigia amplecti contendito ; quia etsi orbata es Patribus, pro ipsis tamen nati sunt tibi filii, quos omnipotens Deus, licet adhuc teneros et rudes, exemplo bonorum Patrum ad sanctæ religionis culmen potens est informare. Tibi enim, Domine, derelicti sunt pauperes, pupillis tu eris adjutor. Sed est quod inter hæc, o dulcis nutricula, in cujus gremio ego inter veræ philosophiæ tirones solus inutilis vernula coalui, paucis es admonenda ne dona Domini tui, si qua tibi sunt, meritis tuis arrogare incipias ; sed potius temet æstimatione infirmitatis tuæ omnium Ecclesiarum pedibus substernas, et maxime matris tuæ sanctæ et venerabilis Coloniæ quam Dominus post urbem Romam, tum infinito diversi generis sanctorum numero, tum jucundissime distincta sanctæ religionis corona dignatus est insignire. Hanc tu venerare ceu dominam, ut te non dedignetur agnoscere filiam ; quatenus te pro humilitate, illam pro charitatis remuneratione æthereus ille claviger prævius ambarum dux et patronus, cum utrarumque ovibus ad gaudia Domini sui intromittat, et ad videndum Deum deorum in Sion, in cœlestis Jerusalem sedibus componat, præstante ipso Deo vivo et vero, qui unus in trinitate et trinus in unitate, solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem. Cui regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, laus et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

VASONIS EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

AD JOANNEM PRÆPOSITUM LEODIENSEM.

Hanc habes supra, cap. 3 *Vitæ.*

EPISTOLA II.

AD HENRICUM I FRANCORUM REGEM.

Exstat ejusdem Vitæ cap. 23.

EPISTOLA III.

AD ROGERIUM II CATALAUNENSEM EPISCOPUM.

Est caput 25 *integrum.*

EPISTOLA IV.

AD HENRICUM IMPERATOREM, COGNOMENTO NIGRUM.

Fragmentum.

Interseritur capiti 27.

CHARTA VASONIS

PRO LEODIENSI ECCLESIA COLLEGIATA S. BARTHOLOMÆI.

(Anno 1046.)

Addit decem præbendas ad numerum viginti canonicorum, eisque assignat amplos redditus.

[Martene *Ampliss. Collect.*, tom. I, pag. 411.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus, quod comes Lambertus de Lovanio, pro culpis suis excommunicatus, dedit mihi Wazoni indigno præsuli pro absolutione sua quinque mansos fiscales apud Villers in Hasbania, quatuor serviles, et quintum indominicatum, liber scilicet homo liberum malis consuetudinibus allodium, aquis, silvis, pratis, pascuis decoratum et consitum. Dedit etiam mihi in eodem loco comitatum cum procinctu totius villæ et appendiciorum ejus, in agris et variscapiis, in propriis et alienis allodiis. Dedit etiam ejusdem villæ matrem ecclesiam, cum optima corte et certis decimæ suæ dominiis. Ego vero prædecessorum meorum Baldrici scilicet, Wolbodonis et Raynardi, qui pauperem ecclesiam S. Bartholomæi suis auxerunt acquisitionibus, secutus vestigia, tradidi ibidem allodium cum ecclesia et ipso comitatu, per manus Gozelonis comitis, qui erat advocatus altaris, quem etiam ibi pro animæ suæ redemptione advocatum constitui, interdicens sub anathemate ut in procinctualibus tantummodo placitis tertio recepto denario, nullatenus ultra lo-

cum ipsum vel ecclesiam hospitiis vel exactionibus præsumeret gravare. Dedi etiam ibi quidquid habebam apud Herlans et Tavers, apud Haimetines, et ecclesiam de Marcha, et quidquid tenebam apud Francons-curtem et apud Formale et Roteleirs, ad supplendam præbendam x clericorum, quos adjunxi ad numerum xx canonicorum, quos ibi inveni. Hujus rei testes sunt Lanzo præpositus de S. Lamberto, Rotbertus archidiaconus, Goisbertus, Joannes præbendarii, Rotgerus, Asculphus, Theodericus, Bavo, Oulfus. De clericis S. Bartholomæi, Erpo præpositus, Ailulfus decanus, Bernardus, Gozechinus, cum aliis pluribus. De liberis hominibus comes Gozelo qui et advocatus, comes A. de Namurco, comites de Los Emmo et Otto. De familia ecclesiæ Mainerus, Warnæus, Fastradus, Adelinus, Lambertus, Wolbertus, Godefridus.

Actum est hoc anno incarnationis Dominicæ 1046, indict. XIV, regnante Henrico imperatore, Gozelone duce, me Wazone pontifice, advocato loci Gozelino, Erpone præposito, Ailulfo decano.

ANNO DOMINI MXLVIII.

ODORANNUS

MONACHUS S. PETRI VIVI.

NOTITIA HISTORICA IN ODORANNUM.

(*Hist. litt. de la France*, VII, 336.)

Odoranne, que Baronius (*an.* 986, *p.* 856) fait fleurir dès 986, ne naquit que l'année précédente (Odor. *Chr.* p. 636, 638, 639). Il était encore jeune lorsqu'il embrassa la profession monastique à Saint-Pierre le Vif, à Sens. Il y trouva tous les secours nécessaires pour une bonne éducation. L'archevêque Séguin, ayant rétabli ce monastère quelques années avant sa mort, qui arriva en 999, y avait mis pour abbé Rainard, personnage d'un grand mérite. Celui-ci travailla avec succès à y faire revivre une exacte discipline, y forma une bibliothèque, y renouvela les bonnes études, et prit lui-même soin d'y enseigner les lettres.

C'est sous cet habile maître qu'Odoranne les étudia, en la compagnie d'autres disciples de grande espérance, dont le plus connu était Thierri, neveu de l'abbé Rainard, et depuis évêque d'Orléans (Robert. Antiss. *Chron.* p. 74; *Spic.* t. II, p. 740). Odoranne, à la faveur de la pénétration de son esprit et de son application au travail, y fit tous les progrès que son siècle pouvait permettre. Il acquit aussi la connaissance des beaux-arts, surtout de l'orfévrerie et des mécaniques. Tout cela concourut à en faire un homme célèbre et utile à son monastère, auquel il procura de grands avantages. Il y fit un Christ attaché à la croix, et un puits, qui passaient pour des ouvrages dignes d'être connus de la postérité (Odor. *Chr. ad. an.* 1031; Rob. Ant. *ib.*).

Cette sorte d'objets ne faisait que la moindre occupation d'Odoranne. Sa principale application était l'étude des grandes vérités de la religion (Mab. *An.* l. LV, n. 4). Il éprouva néanmoins ce qui arrive quelquefois à des solitaires qui aiment la retraite et mènent une vie sérieuse et saintement occupée, en la compagnie de personnes d'un génie tout opposé. Odoranne trouva des faux frères de ce caractère à Saint-Pierre le Vif. Sa conduite leur devint odieuse, parce qu'elle était une censure vivante de la leur. En conséquence il fut haï, injurié, calomnié, traité d'hérétique anthropomorphite (Odor. *Chr. ib.*). On poussa les choses jusqu'au point que, malgré ses justes défenses, il se vit en danger de perdre la vie. Il ne l'évita qu'en cédant à la violence, et prit le parti de se retirer à Saint-Denis près de Paris. Ceci se passait en 1022 et 1023 : et quelque temps après il retourna à son premier monastère, où il fut reçu avec de grands honneurs.

Son habileté dans les beaux-arts était si connue, qu'en 1028 le roi Robert et la reine Constance, voulant exécuter le dessein d'une châsse, que la reine avait fait vœu, dès 1016, de donner pour enfermer les reliques de saint Savinien, choisirent Odoranne pour cette pieuse exécution (Mab. *ib.* l. LVI, n. 44). Ils le firent venir à Dreux où se trouvait alors la cour, et lui donnèrent leurs ordres pour recevoir l'or, l'argent et les pierres précieuses nécessaires à cet effet. Odoranne s'acquitta si parfaitement de la commission au gré du roi, que ce prince le chargea du soin d'une autre châsse pour saint Potentien (Odor. *Chr. ib.*), et lui fit donner le poids d'argent convenable pour l'exécuter. On ignore les autres événements de la vie de cet illustre moine. Seulement on sait (*Chron.* init.) qu'il vivait

encore en 1045, et qu'alors il n'était que dans la soixantième année de son âge.

Suivant ce qu'Odoranne nous apprend lui-même (*ibid.*) de ses écrits en général, il paraît qu'il y en avait un recueil, qui en contenait un certain nombre. On n'a cependant connaissance que de ceux qui suivent.

1° Il a laissé de sa façon une Chronique, qui commence en 675 et finit en 1032. Mais, outre que l'auteur y passe sous silence quantité d'années, sans y marquer aucun événement, il est fort succinct sur celles-là même où il en rapporte. Il n'y a presque que les années 999, 1031 et 1032, sur lesquelles il s'explique avec une juste étendue. Ce qu'il dit sur cette pénultième année, touchant l'exécution du dessein de la châsse vouée par la reine Constance, dont il a été parlé, est répété de l'histoire de la translation de saint Savinien, qui nous paraît avoir précédé la fin de la Chronique. Ce morceau, qui remplit plus de deux pages *in folio*, forme le chapitre 26 et les deux suivants de cette histoire, et la finit. C'est aussi presque par là que finit la Chronique. Il n'y a plus que quatre vers, où l'auteur demande à Dieu miséricorde pour le roi Robert, dont il a marqué la mort auparavant, et où il se recommande lui-même à saint Pierre et à saint Savinien. Puis vient ce qu'il dit sur l'année 1032, où il nous apprend qu'il avait enrichi d'or et d'argent le haut de la châsse de saint Sanucien et de sainte Béate, sa sœur.

Baronius et le P. Le Cointe (Bar. *an.* 875, p. 512, 513; Cоint. *an.* 704, n. 8-14) montrent assez bien que la chronologie d'Odoranne n'est rien moins qu'exacte, et qu'il a confondu quelques faits en les rapportant : défauts que Clarius, autre moine de Saint-Pierre le Vif, a copiés pour la plupart, sur les temps où il a suivi Odoranne son confrère. Robert, moine de Saint-Marien d'Auxerre, avertit qu'il a aussi puisé dans notre chroniqueur (*Chron.* p. 74, 2).

Pithou avait déjà publié quelque chose de l'écrit d'Odoranne, lorsque du Chesne l'a donné plus entier, sur un manuscrit d'Alexandre Petau. L'on ne saurait dire précisément pourquoi cette Chronique ne pousse pas l'histoire au delà de 1032. Il est néanmoins certain, comme on le lit à la tête, que son auteur a vécu au moins jusqu'en 1045.

2°. Dom Mabillon (*Act.* t. VIII, p. 254-266) a fait imprimer l'histoire de la translation de S. Savinien, dont on a dit un mot, et l'a accompagnée d'observations préliminaires, où il donne des raisons fort plausibles pour montrer qu'elle appartient à Odoranne. La manière dont l'auteur y parle de l'archevêque Leoteric, est une preuve qu'il l'écrivit avant 1032, qui est l'année de la mort de ce prélat. C'est sur cela que nous avons avancé qu'on en avait détaché la partie qui se lit dans la Chronique du même écrivain, plutôt qu'on ne l'aurait transportée de la Chronique dans l'Histoire. Odoranne commence ce second écrit en remontant jusqu'à l'épiscopat de l'archevêque Wenilon au IX^e^ siècle, et y a fait entrer tout ce qu'il savait de la découverte et des différentes translations des SS. martyrs Savinien et Potentien, avec la relation des miracles qui les avaient accompagnées et suivies. Il le finit par le transport des reliques de S. Savinien, de la châsse de plomb où elles étaient auparavant, dans celle que la reine Constance avait fait faire sous la direction d'Odoranne même. Ce qui rend cet écrit plus intéressant, sont divers traits qui s'y lisent sur l'histoire des archevêques de Sens et des abbés de Saint-Pierre le Vif.

3°. Les calomnies dont Odoranne se vit chargé l'engagèrent à écrire une lettre apologétique pour s'en justifier. Dom Mabillon en a publié le commencement sur un manuscrit de la cathédrale d'Orléans, où la suite manque (*An.* l. LV, n. 4). Elle est adressée au scolastique de la même église, à Aycfroi abbé de Saint-Avite et à Hugues, archidiacre de l'église de Sens.

4°. Odoranne, dans cette lettre, fait mention d'un autre écrit qu'il avait été obligé de publier sur le même sujet, et qu'il avait intitulé Plainte, ou Gémissement, *in lamentatione mea*.

Si le titre du manuscrit 1625 de la bibliothèque du Vatican, entre ceux de la reine de Suède, est aussi réel que spécieux, on y trouverait ces deux lettres d'Odoranne (Montf. *Bib.*, *bib.* p. 51, 2). Au moins les annonce-t-il avec sa Chronique et d'autres opuscules (1).

5°. Le recueil manuscrit 167 de la bibliothèque de Saint Germain à Paris nous présente un autre écrit du moine Odoranne, touchant l'origine de l'abbaye de Saint-Pierre le Vif, qu'il rapporte à la reine Théodechilde, ou Theudéchilde, fille de Thierri roi d'Austrasie, qui épousa un roi étranger. Mais il paraît que cet écrit est fort peu de chose, puisque dom Mabillon n'a pas jugé à propos d'en faire aucun usage dans l'histoire de la fondation de ce monastère (Mab. *ib.* l. II, n. 29).

(1) Hæc opuscula, ab eminentissimo cardinale Maio nuper edita, post Odoranni Chronicon recudimus. Edit. Patrol.

ODORANNI

MONACHI SANCTI PETRI VIVI SENONENSIS

CHRONICON

Quod ille jam sexagenarius cum aliis opusculis suis in unum corpus collegit anno 1045.

(Apud Duchesn. *Script. Rer. Franc.* tom, II, pag. 636.)

Anno ab Incarnatione Domini 675 obiit sanctus A Emmo Senonensis archiepiscopus. Hic privilegium libertatis una cum provincialibus episcopis monachis sancti Petri fecit synodaliter temporibus Chlotarii regis et Baltechildæ matris ejus.

Anno 688 Pippinus Auster major domus regiæ principatum Francorum suscepit. Hujus temporibus sanctus Vulfrannus Senonum archioræsul Fresiam prædicare cœpit.

Anno 712 obiit Pippinus senior; et filius ejus, qui dicitur Carolus Martellus, principatum usurpavit.

Anno 721 obiit Beda presbyter, historiographus Anglorum.

Anno 741 migravit ad Dominum S. Vulfrannus, et Carolus princeps obiit; quo mortuo Carlo- B mannus et Pippinus filii ejus principatum suscipiunt.

Anno 750 Pippinus statura pusillus electus est in regem, et Childericus, qui de stirpe regis Chlodovei remanserat, tonsoratus. Hic deficit regnum Chlodovei. His temporibus migravit ad Dominum sanctissimus Ebbo Senonum archiepiscopus, et sepultus est in monasterio sancti Petri apostoli, ubi usque in præsentem diem gloriosis miraculis fulget.

Anno 764 Pippinus rex moritur, et filii ejus Carolus, qui dicitur imperator Magnus, et Carlomannus, eliguntur in regno.

Anno 767 Carlomannus obiit.

Anno 804 obiit Alcuinus philosophus, abbas san- C cti Martini. Alcuinus et Carolus disputaverunt de philosophia, qui liber exstat.

Anno 814 obiit Carolus imperator Magnus; et Ludovicus filius ejus, qui Pius dicitur, regnum Francorum et imperium Romanorum suscepit.

Anno 828 obiit Hieremias Senonum archiepiscopus. Hic præcepta imperialia sanctæ matris Ecclesiæ Senonum et monasteriis et cellis ad se pertinentibus obtinuit, ad munimen et defensionem contra omnes judiciarias potestates.

Anno 833 Hludovicus Pius regnum amisit, et Lotharius filius ejus usurpavit, eodemque anno Hludovicus recepit.

Anno 840 obiit Hludovicus Pius imperator.

Anno 841 actum est bellum inter Carolum regem, qui dicitur Calvus, et Lotharium, et Ludovicum et Pippinum apud Fontanetum.

Anno 847 translata sunt sanctorum martyrum corpora, Saviniani, Potentiani, Altini, atque Eodaldi, in basilica S. Petri a Wenilone archiepiscopo, VIII Kal. Septemb.

Anno 865 obiit Wenilo archiepiscopus Senonum, qui Ludovicum fratrem Caroli unxit in regem in Burgundia. Huic successit Egil abba.

Anno 870 obiit domnus Egil archiepiscopus, qui privilegium sancto Petro fecit de altare Alsonis villæ. Hic Lothario juniore concedente, et Trejectensium episcopo jubente, ex ipsius diœcesi, et monasterio quod dicitur Promia, assumptus, a Carolo rege in monasterio Flaviniensi abba est constitus. Postea Senonum archiepiscopus ob sui merita factus, quiescit in monasterio S. Petri. Quo mortuo, Ansegisus venerabilis episcopatum suscepit. Hic Carolum Calvum unxit in regem.

Anno 874 Carolus imperator tertius, qui dicitur Calvus, filius Hludovici Pii, cum secunda profectione Romam peteret, III Kal. Octob., in ipso itinere obiit, et Hludovicus filius ejus regnum suscepit. Hujus Caroli temporibus facta sunt Capitula in Pontigone a Leone apocrisiario.

Sancta synodus, quæ in nomine Domini, vocatione domni Joannis ter beatissimi universalis papæ, et jussione domini Caroli perpetui Augusti congregata est in loco qui vocatur Pontigonis, anno incarnationis Dominicæ 876, indictione IX, regni præfati invictissimi imperatoris XXXVII, imperii autem primo, XIII Kal. August., hæc capitula quæ subtus annexa sunt instituit:

Cap. I. Obeunte Hludovico, qui Romani imperii jura regebat, domnus Joannes ter beatissimus papa per Jadericum Veliternensem, Formosum Portuensem, Joannem Arelatinum, necnon per Ansegisum Senonensem, venerabiles episcopos, domnum Carolum tunc regem ad limina SS. apostolorum invitavit, eumque Ecclesiæ ipsius defensorem auctoremque elegit, imperialique diademate coronavit, eum-

que præ cunctis solum specialiter eligens, qui Romani imperii sceptra teneret. Cujus sacris institutionibus pro debito parentes, quod ipse confirmavit, pari consensu omnes confirmavimus.

Cap. II. Sicut domnus Joannes papa sanxit, commonente et consentiente, ac condecernente domno ac gloriosissimo Carolo imperatore semper Augusto, Ansegisum venerabilem episcopum Senonum suam vicem tenere, et primatum ei Galliæ et Germaniæ contulit, in evocanda synodo, et definiendo canonice, si quælibet insurrexerint necessaria, et ut graviora quælibet ad ipsius notitiam referat; et nos unanimiter omni devotione laudamus, et ut ita ipse primatum teneat Galliæ et Germaniæ decernimus, et sancimus, cunctique successores ejus in propria urbe.

Anno 878 Joannes papa Romanus ad Gallias veniens, primo Arelatum navigio advectus, per Lugdunum, aliasque civitates usque ad Trecassinensem urbem accessit, ibique cum Hludovico filio Caroli collocutus ad Italiam repedavit.

Anno 879 obiit Ludovicus rex Burgundionum, frater Caroli.

Anno 883 obiit Ansegisus venerabilis Senonum archiepiscopus, et sepultus est in monasterio S. Petri. Hic corpora SS. præsulum et confessorum Leonis, Ursicini, Ambrosii, atque Agricii in monasterio S. Petri transtulit, et ab urbe Roma caput S. Gregorii doctoris plumbo inclusum, cum brachio S. Leonis doctoris deferens, in eodem monasterio conservandum reposuit. Hujus temporibus corpora SS. martyrum Sanctiani atque Augustini de villa quæ dicitur Sanceeias a fratribus jam dicti loci, et presbytero ejusdem nomine Eodaldo translata sunt in eodem monasterio VIII Kal. Jul. Præterea domnus Ansegisus, postquam primatum totius Galliæ obtinuit, et superna moderatione secundus papa appellari meruit, Judæos certa de causa, et moniales ob urbe Senonica expulit, et ne ulterius in ea habitaculum manendi haberent sub anathematis jugulo interdixit.

Anno 886 obiit Hludovicus, filius Caroli III imperatoris. Hoc anno, II Kal. Decembr., ascenderunt Normanni a Parisius Senonis. Et sequenti mense Maio redierunt in Franciam, jam defuncto Ewrardo archiepiscopo, et ordinato Walterio in loco ejus. Qui eodem anno unxit Odonem in regem. Hic privilegium monachis S. Petri fecit de abbatis electione.

Anno 896 Richardus princeps Burgundiæ recepit Senonas [*al.*, Sennis] contra Walterium archiepiscopum et Warnerium comitem.

Anno 898 obiit Odo rex, et Carolus Simplex regnum accepit.

Anno 922 Robertus princeps unctus est in regem, et eo anno XVII Kal. Jul. factum est bellum inter Carolum et Robertum, ubi interfectus est Robertus. Carolo vero a cæde belli victore revertente, occurrit illi Heribertus, infidelium nequissimus, et sub fictæ pacis simulatione in castro quod Parrona dicitur, ut hospitandi gratia diverteret, compulit, et sic eum dolo captum retinuit. Illic positus Carolus, anno 923 Rodulphum nobilem filium Richardi principis Burgundionum, una cum consilio Hugonis Magni Francorum ducis, et procerum Francorum, in regnum sublimavit. Quo mortuo anno 935 accersiens una cum Francis Hugo dux Hludovicum filium jam dicti Caroli, datis sacramentis Otgivæ matri ejus, in regno constituit.

Anno 954 obiit Hludovicus rex, et Lotharius filius ejus regnum suscepit.

Anno 956 obiit Hugo dux Magnus, et filius ejus Hugo ducatum suscepit. Et Gislebertus comes Burgundionum obiit, et honorem ejus cum filia nomine Leudegarde, ex qua postea a Radulpho Divionensi pipieus factus est, Otho frater Hugonis ducis recepit. Aliam vero filiam nomine Werram duxit in matrimonium Robertus comes Trecasinorum. Mortuo vero Othone, Ainricus frater ejus ducatum suscepit Burgundiæ.

Anno 986 obiit Lotharius rex, commisso filio suo Hludovico juvene Hugoni duci, una cum regno.

Anno 987 obiit Hludovicus rex juvenis, qui nihil fecit, donato regno Hugoni duci, qui eodem anno rex factus est a Francis. Et eodem anno Robertus filius ejus regum piissimus rex ordinatus est. Hic deficit regnum Caroli Magni.

Anno 998 obiit Hugo rex, filio suo Roberto regnante.

Anno 999 obiit Sewinus archiepiscopus, qui jacturam monasterii sancti Petri, quam Anastasius archiepiscopus antecessor ejus relevare cœperat, in pristinum restituit statum: ibique sub districtione regulari ordinavit abbatem Rainardum, cujus etiam corpus in eodem monasterio est sepultum. Hic ab urbe Roma per manum Joannis papæ archiepiscopale pallium, quo antecessores ejus infulati sunt, et primatum Galliæ suscepit. Hic etiam monasterium sancti Petri Milidunensis ab imo relevavit, et monachos in illo mittens, abbatem Walterium eis præfecit. Hic matrem ecclesiam S. Stephani, quæ igne cremata fuerat, ab epistiliis erigens, et ex integro perficiens, signis et ornamentis ecclesiasticis decoravit, et adjunctis sibi Milone episcopo Trecassensium et Eriberto Antissiodorensium, Rocleno quoque Nivernensium, cum maximo honore dedicavit. Eadem quoque die ad stipendia clericorum ibidem Deo famulantium tria altaria sub privilegii testamento delegavit. Deinde brachium sancti Leonis papæ cum digitis sancti Ebonis ab abbate Rainardo et a fratribus monasterii S. Petri multa prece obtinens, auro et gemmis ornavit, et eidem casæ Dei contulit. Pro quibus mutua vicissitudine et pro remedio animæ suæ, de altario S. Saviniani, quod XXX passus a crypta monasterii abest, et de altario S. Sanctiani, quod est in villa Sanceias, et de altario S. Petri, quod est in villa quæ Alsonus vocatur, et de altario S. Lupi, quod est in villa quæ Naudus dicitur, perpetua privilegia una cum consensu et voluntate papæ Romani et coepiscoporum suorum, sancto Petro

ejusque monachis fecit. Decrevit etiam ut abba ejusdem monasterii in conventu abbatum vel clericorum post episcopum primus sedeat, et inter cæteros ejusdem episcopatus abbates primatum teneat; ipse autem talem se exhibeat, ut dignus sit tali honore. Tabulam quoque ex auro et argento ante altare sancti Stephani construxit, de qua postmodum ante monasterium facta est turris.

Anno 1002 obiit Ainricus, dux Burgundiæ.

Anno 1003 obsedit Robertus rex Antissiodorum, et vastavit Burgundiam.

Anno 1015 recepit Robertus rex civitatem Senonum, et Rainardus abba monasterii S. Petri obiit. Hic monasterium S. Petri ab imo renovavit, et claustra monasterii cum domibus ad se pertinentibus ex toto reædificavit. Tabulam etiam auream et argenteam ante altare construxit, crucem auream cum gemmis fabricavit, signis, codicibus, palliis, sacris vasis, et reliquis ornamentis ecclesiasticis idem monasterium ditavit. Insuper et regulari tramite monachos instruens, liberalibus disciplinis edocuit.

Anno 1023 Odorannus monachus, postquam crucifixum et puteum (2) monasterii fecit, peccatis suis promerentibus insidias a falsis fratribus perpessus, Deo propitio vix mortem evasit. Qui apud S. Dionysium aliquantisper commoratus, cum maximo honore propriis sedibus est redditus.

Anno 1031 obiit Rotbertus rex pius, qui fuit erga sanctos Dei supplex, benevolus et devotus, et totius religionis amator egregius. Hic peractis diversis restaurationibus ecclesiarum, necnon ornamentis sanctorum corporum, sanctum corpus sancti Saviniani auro et gemmis argentoque ornavit. Quod qualiter actum sit, paucis est disserendum :

Factum est, dum quodam tempore Rotbertus rex Romam peteret, ut Constantia regina una cum Hugone filio parvulo Tillo remaneret. Quod ut Berta regina, dudum causa consanguinitatis a rege repudiata, comperit, prosecuta est eum, sperans se, faventibus ad hoc quibusdam aulicis, decreto apostolico restituturam toro regio. Unde Constantia regina, timens se amoveri a regio latere, inenarrabili detinebatur mœrore. Quæ dum nocte quadam ob hoc nimiis cogitationum tumultibus pulsata obdormiret, apparuit ei per visum inenarrabili claritate circumdatus vir quidam angelicis decoratus habitus, in sacerdotali habitu virgam pastoralem gestans manu. Quem nimio terrore perterrita dum requireret quisnam esset, innotuit se esse episcopum, et appellari Savinianum. Qui et dixit : « Constans esto, Constantia, quia Deo propitio liberata es ab imminenti tristitia. » Illa vero de tam præclara visione perterrita, facto mane, cœpit a circumstantibus clericis sollicite perquirere si illis in regionibus haberetur episcopus qui Savinianus diceretur. Quibus ignorantiam suam profitentibus, unus ex eis, qui in monasterio S. Petri fuerat nutritus, redeunte rege Aurelianorum futurus episcopus, nomine Theodericus, respondit pro omnibus : « Est, domina, in monasterio S. Petri Savinianus, primus Senonum archiepiscopus, qui per martyrii triumphum una cum sociis pervenit ad cœlestis regni bravium. Si hujus martyris devote adieris præsentiam, id quod promisit, absque dilatione noveris te consecuturam. » At illa de tanti viri consilio gaudens effecta, citissime una cum filio expetiit sancti Petri limina, et diutissime lacrymas fundens ante corpus beati martyris, totisque viribus se committens ejus fidei, gaudens remeavit ad propria de visitatione tanti patroni confortata. Nondum transierat dies tertia, cum subito adest intempesta nocte legatus regis ante januam, nuntians in proximo adfuturam ejus præsentiam. Qui Deo ducente propriis sedibus restitutus, ut verissima approbaretur promissio martyris, deinceps propriam conjugem magis quam catenus dilexit, et sub ejus nutu omnia jura regalia, et quæcunque possidere videbatur, manere disposuit. Sed illa minime oblita promissionis sancti, satagere cœpit qualiter exornaretur corpus ejus gemmis et auro, quod diu inclusum plumbo ab antiquis Patribus absconditum fuerat sub arvo. Et regi suggerens sua vota, Deo auxiliante, ad ea implenda paratum illum invenit per omnia. Qui accersiens Odorannum ejusdem loci monachum, qui ad hoc opus perficiendum videbatur idoneus, commisit una cum regina ejus fidei tantæ pietatis opus. Dederunt igitur Senonis in primis per manum Waldrici præpositi argenti meri libras IV. Deinde Senonis per manum Willelmi cubicularii argenti meri solidos LV. Postea miserunt per manum Odonis paratgii argenti meri solidos XXXVII. Miserunt etiam a Parisiis per manum Odoranni monachi auri solidos XVII et denarios VIII et gemmas pretiosissimas. His ita patratis, restat ut mirabilia Dei, quæ in fabricis hujus operis oculis nostris vidimus, et ex parte manibus contrectavimus, Christi fidelibus intimemus. Quæ silentio tegere, crimen est admittere.

Igitur occupatus rex variis sæculi curis intermisit aliquantulum, ad monasterium mittere sumptus cœpti operis. Tranquillitate vero percepta, mandavit per Francolinum jam dicto fratri, ut concito gradu veniret Druis ad suscipiendum munus operis. At ille vespertina synaxi expleta, et ut mos est monachis percepta benedictione abbatis, ire perrexit ad cacumina Druensis castri. Veniens vero post solis occasum ad sanctæ Columbæ portum, transfretavit cum suis Icaunam fluvium. Cumque paululum substitisset in littore, inter cæteras stellas quibus nox illustrabatur, vidit quoddam sidus exsurgere, eo quo æstivo tempore solet horam diei primam sol demonstrare. Quod exsiliens de sui ortus loco virtute divina cœpit ferri velociter per aera, petens cœli eminentiora loca, pene usque ad illud punctum quo ea tempestate solet fieri hora sexta. Quem cum famulus, equo præparato cui insidere debebat, hortaretur, quia nox imminebat, ut ascenderet : « Sus-

(2) Forte *pluteum* Sidon., lib. II, epist. 9, *grammaticales pluteos*.

tine me paululum, inquit, et intuere cum tuo socio mirabilia Dei, quæ hactenus non vidi. » Quo miraculo famuli attoniti, ignorantes quid præsagii præferret, signaculo crucis se muniunt, et Deo sanctoque Saviniano pavefacti toto corde se committunt. Stella vero in loco quo venerat paululum substitit, et retrogrado cursu ad locum unde venerat in unius horæ spatio iterum rediit; quam pene usque ad tertiam vigiliam noctis contemplantes, eam inter cætera sidera implere cursum solitum viderunt ovantes, et inter se quid demonstraret conferentes. Quibus animo occurrit, quod cœptum iter prospero gressu peragerent, et demum voti compotes conciti ad domum redirent. Dantes præterea sese maturius labori cœpti itineris, per squalidam Belsam, eo surgente a mensa pervenerunt ad palatium regis. Præmissa vero salutatione regis et reginæ, ut veracissima apparerent sideris præsagia : « Suscipiens, inquit monacho regina, quæ sancto Saviniano pro posse disposuimus ad præsens mittere munera, festinus revertere ad propria, quia nos summo mane disposuimus abire alias. » Et statim proferens auri tredecim solidos ad publicam monetam Aurelianensem appensos : « Si tibi, inquit, non sufficit monetæ ponderatio, præbeat fidem proprio oculo iterata propensio. » Quo ponderato, re nihil aliud quam quod regina prædixerat fuit invenire. Regressus itaque monachus voti compos ad monasterium, postquam regis ex parte et reginæ dixit abbati et fratribus ave, protulit auri fulvi sancto Saviniano transmissum munus de cassilide. Appensum ergo palam omnibus, per manum Francolini ostiarii et Raimberti cellerarii regis, trutina urgente inventum est septem denarios plus habens. Unde stupefactus frater qui detulerat, et cæteri admirantes, cognoverunt pro certo quia qui sideris mutatione in eundo dignatus est ostendere miraculum, et qui ex nihilo fecit totum mundum, in sacculo fidei ob meritum martyris concessit exuberare fulvum, sub septiformis numero spiritus, aurum. Et qui ad redimendum filios viduæ, Elisei intercessu fecit super excrescere oleum, exigui auri munusculum devotione regis et reginæ fecit maximum. Et caput Christi Deus, qui per prophetam suum dixit : *Argentum et aurum meum est*, quidquid membris suis, id est sanctis martyribus, confert, alterius non est. Postea dedit rex per manum Odoranni monachi Senonis auri uncias VIII et argenti meri solidos XV. In perficiendo vero opere, ne fieret regi oneri frequens requisitio auri et argenti, additæ sunt de thesauro Ecclesiæ quinque unciæ auri, et tres libræ argenti meri.

Descripto itaque apparatu Deo dignissimi operis, operæ pretium est exarari miraculum anserino vomere, quod Dei omnipotentia præsentibus nobis dignata est agere in sancti martyris translatione. Optata festivitatis ejus dies, qua ab antiquis Patribus ejus venerabile corpus una cum sociis in basilica sancti Petri translatum est, appropinquabat, et rex aliquantulum Senonis commoratus, redire disponebat Parisius. Unde evocans archiepiscopum Leothericum, humiliter postulavit ut monasterium adiret, et sancti martyris corpus de locello plumbeo, in quo ab antiquis Patribus positum fuerat, in aurea capsa, quam illi paraverat, transponeret. At ille sexta feria, cui succedente die Dominica futura præstolabatur festivitas, ad monasterium veniens summa cum veneratione, una cum fratribus monita regis implevit, corpusque S. Eodaldi, quod cum eo reperit, cum corpore S. Saviniani ponens, ossa pueri parvuli cum eo humati reposuit una, et expletis missarum solemniis edendum abiit. Fratre vero, sub cujus arbitrio et providentia totius operis fabrica constabat, in choro monasterii residente, et imagines argenteas, quas operculo capsæ superponi disposuerat, cera molli refovente, supervenit ex improviso, duce puero parvulo, quidam cæcus postulans se intromitti in crypta ubi S. Saviniani repositum erat corpus. Qui sciscitatus a monacho quis esset, et unde vel cujus rei gratia advenisset, professus est se esse rusticum, et in pago Wastinense, in villa quæ Fontanas dicitur, habere habitaculum ad manendum, et proprio nomine vocari Mainardum; et admonitum nocte præterita in somnis, ut ad S. Saviniani præsentiam veniret, et lumen oculorum ibi reciperet. Erat enim triennium ex quo lumen amiserat oculorum. Intromissus itaque ad sanctum diutius oravit, sed nihil luminis ipsa die percipere meruit. Nimio vero suavitatis odore, ut ipse dixit, repletus, ad propria est reversus. Adveniente igitur die Dominica, adest rex cum suis episcopis et proceribus, abbatibus quoque et clericis, necnon et populo innumerabili, ad transvehendum corpus sancti martyris. Quem suscipiens una cum filio suo Roberto, propriis scapulis reposuit cum manibus suis illo, ubi in præsenti veneratur a fidelibus populis. Peracto deinde solemni officio, et rege recumbente ad mensam, monachisque edentibus, sedebat ibi sæpe factus monachus, ubi eum perendie sedentem sppra scriptus invenerat cæcus. Qui nutu Dei ducente se puero superveniens, dixit se iterum in somnis admonitum, ut quantocius repeteret S. Saviniani auxilium. Et projiciens se solo tenus ante præsentiam sancti, ejus suffragantibus meritis, visum recepit. Et qui eousque a parvulo puerulo ducebatur, eo ducente, puer ad domum revertitur. Rex vero surgens a mensa orationis causa, ut mos illi erat, solus remansit in ecclesia. Qui dum oraret, contigit ut sæpedictus frater ecclesiam intraret. Quem aspiciens eminus, tranquilla manu innuit ut accederet propius. Cui : « Enarra mihi, inquit, S. Potentianus S. Saviniano quid fuerit. » At ille, quod socius ejus in itineris labore, et successor in honore, et collega martyrii fuerit, humiliter intulit. Tunc rex graviter cœpit conqueri, et pugnis pectus tundere, eo quod eos ab invicem separasset corpore. Et promittens se eum socio redditurum, commisit eidem fratri triginta et tres solidos meri argenti, ut inde inciperet præparare scrinium S. Potentiani. Sed dum ista agitabat

agere, præventus superna vocatione reddidit Deo debitum patris nostri Adæ.

Cui miserere Deus, clemens, pius atque benignus.
Et sanctis junge, cunctipotens Domine.
Petre, memor famuli semper tu sis Odoranni.
Saviniane potens, Odorannum respice clemens.

Anno 1032 obiit Leothericus archiepiscopus. Hic dedit S. Petro villam quæ Arcia dicitur, cum duabus ecclesiis, S. Michaelis scilicet et sanctæ Mariæ, sanctique Ebonis cum appendiciis suis. Et terram de Tillido, quæ reddit solidos 11 de censu. Hic per manum Gerberti papæ, qui et Sylvester dictus est, pallium archiepiscopale Romæ suscipiens, primatum etiam Galliæ per baculum ejus recepit. Hujus temporibus corpus sanctæ Beatæ sororis S. Sanuciani, A quod cum eo minus studiose ab Heriberto canonico latenter fuerat transpositum, ab Odoranno monacho meliuscule cum ejus corpore est collocatum, et caput scrinii eorum auro et argento, quod ipse labore, ut ita dicam, proprio acquisivit, ornatum. Corpus S. Serotini, discipuli S. Saviniani, in præsenti capitulo qualiter vel a quibus in monasterio S. Petri sit delatum, cur minime scriptum sit, studiosus lector nequaquam reputet segnitiæ nostræ, sed potius ignorantiæ. Præterea pro certo scimus quod basilica in qua primum jacuit a Nortmannis eversa et funditus sit deleta. Corpus vero ejus in monasterio S. Petri transpositum in pace requiescit, et fulgens miraculis pie petentibus apud Deum necessaria acquirit

HISTORIA

TRANSLATIONIS SS. SAVINIANI, POTENTIANI

SOCIORUMQUE MARTYRUM

IN SENONENSE S. PETRI CŒNOBIUM,

Auctore Odoranno S. Petri Vivi monacho.

(Apud Mabill., *Acta SS. ord. S. Bened., ex ms. codice S. Mariani Autissiodorensis.*)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Savinianum cum Potentiano sociisque fidem B Christianam Senonibus intulisse, ibique martyrio affectos sepulturam accepisse, nemo est qui ambigat. Eorum tumulis imposita est ecclesia, ex cujus adytis, referente Odoranno S. Petri Vivi monacho, « anno 847 translata sunt sanctorum martyrum corpora Saviniani, Potentiani, Altini, atque Eodaldi in basilica sancti Petri a Wenilone archiepiscopo VIII Kal. Septemb. » Odoranno Clarius in Chronico subscribit, his verbis : « Revelaverunt se sancti Christi martyres Savinianus, Potentianus, Altinus, Eodaldus, et Serotinus Weniloni archiepiscopo et Anastasio abbati ; qui levantes eos cum magno honore de ecclesia ubi sepulti erant, transtulerunt eos in basilicam beati Petri octavo Kalendas Septembris, » « quo tempore auditæ sunt voces angelicæ in cœlo. » C

2. Eodem anno quo « Ludovicus, filius Caroli Simplicis, apud Laudunum unctus est in regem, » pergit Clarius, « Hungari.... pervenientes Senones civitatem, incenderunt cœnobium sancti Petri, vastantes omnem provinciam. Cernens itaque Sanson abbas et monachi malum hoc grande, consilio accepto, detulerunt corpora sanctorum Saviniani et Potentiani, cum cæteris sanctorum corporibus, et reliquiarum pignoribus, cum magno honore in ecclesiam ejusdem abbatiæ, infra muros urbis constructam in honore sancti Petri. Relictum vero est corpus sancti Serotini in crypta retro altare sancti Petri. Vastantes igitur pagani cunctam provinciam, redierunt ad propria, incenso cœnobio sancti Petri, remanente ibi solummodo oratorio sancti Serotini, quod minime potuerunt incendere. Qualiter autem Willelmus archiepiscopus corpora horum sanctorum voluerit retinere, vel qualiter illos reddiderit, in libello de virtutibus sancti Saviniani plenius invenies. » Libellus iste ipsissima est historia quam hic subjicimus.

3. Sub annum 1015 Leothericus Senonensis archiepiscopus una cum « abbate Rainardo investigare cœpit ubinam essent recondita corpora sanctorum Saviniani et Potentiani. A tempore enim Willelm archiepiscopi ob timorem paganorum erant abscondita in antris. Repertis autem eis per notitiam cujusdam veterani, Martini nomine servi ejusdem.

loci, cum omni diligentia condiderunt ea in locellis plumbeis, plura miracula ibi operante virtute Domini. » Plumbeorum locellorum, in quibus condita sanctorum corpora, mentio fit in his actis, ex quibus narrationem suam Clarium hausisse non dubium est.

4. Denique ex eodem auctore, anno 1020 « Ingoni abbati successit domnus Ermenaldus, in cujus tempore rex Robertus et Constantia regina composuerunt sancto Saviniano loculum auro, argento et gemmis pretiosis ornatum. In quo inseruerunt etiam cum eo corpus sancti Eodaldi cum ossibus pueri parvuli una humati in loculo plumbeo, in quo ante continebantur. In qua translatione quidam cæcus recepit lumen; et pluvia, quæ a Pascha Domini non pluerat, abundanter descendit: et hæc translatio facta est VIII Kal. Septembris. » Hactenus Clarius, quæ auctori nostro consentanea sunt, nisi quod ea sub Roberti vitæ finem contigisse postremis historiæ verbis innuere videtur. Uterque porro sancti Potentiani reliquias a Wenilone archiepiscopo Hermentrudi Jotrensi abbatissæ concessas silentio prætermisit. Ita tamen se res habuit, si fragmento a nobis in sæculi IV parte II, pag. 578, edito (2) fides adhibeatur: quod quia sequiorem in partem a nonnullis accipi inaudimus, accuratius retractare visum est.

5. Nemini venerit in mentem qui mox laudatum auctorem itemque Odoranni et monachi Antissiodorensis chronica perlegerit, integrum sancti Potentiani corpus Hermentrudi abbatissæ Jotrensi datum a Wenilone; neque fragmentum loco laudato editum id exprimit, sed habet duntaxat *celeberrimum sancti Potentiani suffragium Hermentrudem a Wenilone efflagitasse, ægreque obtinuisse, atque ad ejus monasterium sanctum et incomparabile decus* illud perlatum fuisse. Quibus verbis integri sancti Potentiani corporis translationem designari nunquam voluimus, sed solummodo aliquam sancti antistitis reliquiarum partem. Nonnihil vero ex hujus sancti reliquiis Jotrensibus sanctimonialibus concessum fuisse, præter laudatum fragmentum, probant aliqua quoque vetera monumenta. Primum eruitur ex sequentibus Antissiodorensis codicis verbis, quæ sancti martyris reliquias Jotro in Burgundiam sub annum 886 delatas testantur. « Sed paganis, inquit Chronici auctor, aliquanto post tempore hoc cœnobium Jotrense occupantibus, duæ ex monialibus memoratæ abbatissæ Hermentrudis affines, imminens evadentes periculum, ad præsidium sui patris, nomine Norgaldi, nobilissimi in Burgundia viri atque optimi, confugerunt, qui paulo post Deo felicem reddidit animam. Ipsæ vero moniales matri suæ Rothaidæ, et fratribus Agemberto, Samueli et Algaudo quotidie enarrabant quanta Deus omnipotens sanctissimi Potentiani meritis patrare dignaretur miracula: adeo ut ipsi miro devotionis igne flagrantes de comparando sibi tam pretioso thesauro nunquam non noctes diesque cogitarent. Quapropter Samuel et Algaudus Jotrense monasterium expetunt, negotiumque tanta gerunt dexteritate, ut a Gisla, nobilissima tunc temporis ejusdem loci abbatissa, diu desideratum munus impetrarent. Quod statim, voti compotes, in monasterium quod sanctissimo præsuli in villa Luciaco fuerat constructum, maximo cum honore et reverentia detulerunt. » Hactenus codex Antissiodorensis, cujus hic textum referimus, non quo Luciacensium adversus Senonenses vel Jotrenses causæ velimus patrocinari; sed ut inde concessionis factæ Jotrensibus momenta in lucem prodeant.

6. Aliud argumentum desumitur ex lite Jotrenses inter virgines ac Senonenses sancti Petri Vivi monachos orta sæculo XIII, quæ novæ beati Potentiani, ad sanctum Petrum quiescentis, translationi occasionem dedit. Litem hac de re motam contestatur Gaufridus de Colone, monachus sancti Petri Vivi, cum in tabulis chronologicis, tum in ms. libello De sacris reliquiis monasterii sancti Petri Vivi, quem optima manu descriptum, cum serie abbatum, in annum 1289 desinente, servant ejusdem loci ascetæ. Gaufridi verba sunt in tabulis chronologicis. « Anno 1218 in monasterio sancti Petri Vivi reliquiæ fere (*hæc vocula* fere *observatione digna est*) totius corporis sancti Potentiani ostensæ fuerunt coram reverendis Patribus Petro Senonensi archiepiscopo, Herveo Trecensi episcopo, et quibusdam aliis prælatis, episcopis et abbatibus. Dicebant moniales de Jotro quod corpus beati Potentiani habebant; sed illa die, videlicet XV Kal. Maii, illi Patres prædicti contrarium

(3) Fragmentum laudatum sic se habet:

De translatione sancti Potentiani in cœnobium Jotrense.

Anno 847, apud Senonas revelaverunt se *sancti Christi martyres Savinianus, Potentianus, Altinus, Eodaldus et Serotinus Weniloni archiepiscopo et Anastasio abbati*, nempe monasterii S. Petri. *Qui levantes eos cum magno honore de ecclesia ubi sepulti erant, transtulerunt eos in basilicam B. Petri* VIII *Kal. Septembris.* Hæc apud Clarium monachum in Chronico S. Petri Vivi. Tunc contigit, quod in quibusdam schedulis legi de translatione S. Potentiani in parthenona Jotrensem (*Jouarre*). *Fama* quippe *miraculorum illius huc illucque pervolante, tandem ad aures sanctimonialium ipsius cœnobii pervenit, quæ diuturna inter alias diversarum afflictionum ærumnas tempestatum et famis procella attritæ, humano deficiente, divinum solummodo expectabant auxilium. Erat eo tempore in prædicta Senonensi urbe Wenilo summæ sanctitatis et religionis episcopus; in memorato vero monasterio Hermentrudis moribus et nomine abbatissa præerat, eidem episcopo proxima affinitate conjuncta. Hæc partim necessitate coacta, partim propinquitatis fiducia incitata, ipsum episcopum adiit, precatura ut sibi et congregationi in maxima angustia constitutis, suo et celeberrimo sancti Potentiani suffragio, id est reliquiarum concessione, succurrere non differret.* Repugnavit primum episcopus; sed tandem *abbatissa quod petiit, Deo miserente, et sua nimia importunitate obtinuit. Datum et perlatum est celeriter sanctum et incomparabile decus ad locum quem prædiximus, pondere miseriarum pressum, et omni solamine destitutum; eoque a congregatione cum multa exsultatione suscepto, et ea qua decebat veneratione et devotione in ipso monasterio collocato, postea ipse locus nec famis penuriam, nec ullam tempestatis pertulit procellam.*

invenerunt. Nam invenerunt corpus prædictum sancti Potentiani in monasterio sancti Petri Vivi sub majori altari, retro altare de subter, et cognoverunt ad plenum per testimonia litterarum quibus erat fides totaliter adhibenda; et corpus prædictum transtulerunt cum corpore sancti Altini super majus altare, in capsam argenteam reliquias apponentes: concesseruntque omnibus peregrinis ad festum hujus translationis advenientibus magnas indulgentias per octo dies post festum, ut in litteris super hoc editis continetur. » Eadem propemodum Gaufridus ipse tradit in memorato libello de reliquiis, ex quo hæc decerpere sufficiat: « Et ostensum fuit prædictum corpus sancti Potentiani super portam abbatiæ, et in ecclesia, cum litteris quibus fides erat totaliter adhibenda; quia sanctimoniales de Jotro dicebant illud in suo monasterio conservari: sed in illa die probatum fuit contrarium, prout in libris de sancti Petri monasterio continetur. » Petri archiepiscopi aliorumque præsulum litteras inferius exhibebimus; nunc vero reliquiarum omnium in monasterio sancti Petri quiescentium translationes chronicis notis, qua licebit, afficiendæ.

7. Anno 847 prima reliquiarum detectio Wenilone pontifice facta est. Paulo post idem aliquot sancti Potentiani pignora Jotrensibus concessit. Anno 936 eorumdem martyrum corpora in Senonensem urbem metu Nortmannorum illata sunt. Eadem, cedente Willelmo archiepiscopo, pristinæ sedi non multo post sunt restituta, et in antris, hanc in rem effossis, studiose recondita. Dum tamen sacra pignora referrentur, Bernardus sanctæ Mariæ archiclavis pallii sancti Saviniani partem abscissam reluctantibus monachis eripuit, quæ deinceps in ecclesia cathedrali servata est. Sub annum 1015 visitata sunt in antris sanctorum corpora, quæ Leothericus præsul, adnitente Rainardo abbate, loculis plumbeis inclusit. Post annum 1025, Roberto et Constantia suppetias ferentibus, levatum est sancti Saviniani corpus, et una cum sancti Eodaldi, itemque alicujus pueri corpore ditissimam in thecam illatum est. Quæ *translatio*, referente Clario, *facta est* VIII *Kal. Septembris*. Eumdem sancti Potentiani reliquiis honorem animo destinabat Robertus rex ex actis hic relatis, quod morte præventus effectu caruit. Anno 1228 Petrus de Corbolio, Senonensis antistes, accitis suffraganeis episcopis, celebrem ejusdem martyris translationem adorsus est, quam dato diplomate sic exponit:

« Petrus Dei gratia Senonensis archiepiscopus, Willelmus Antissiodorensis, Herveus Trecensis, Willelmus Meldensis, et Willelmus Nivernensis, eadem gratia episcopi, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, perpetuam in Domino salutem. Ne quandoque dubitationis nubilo veritas offuscetur, universis præsentibus et futuris notum fieri volumus, quod IV Kal. Augusti, in ecclesia sancti Petri Vivi Senonensis, in præsentia nostra facta est revelatio sanctorum corporum beatorum martyrum Potentiani et Altini, sociorum beatissimi Saviniani Senonensis archiepiscopi; quæ etiam per manus nostras translata sunt in quamdam capsam, eodem die, anno Domini millesimo ducentesimo octavo decimo. Nos autem de misericordia Jesu Christi, et beatæ Mariæ Virginis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli omniumque sanctorum meritis confidentes, omnibus Christi fidelibus, qui vere pœnitentes suas eleemosynas charitative eidem ecclesiæ contulerint, ab octavis beatæ Mariæ Magdalenæ usque ad septem dies sequentes, ob venerationem eorumdem sanctorum, septem dies de injunctis sibi pœnitentiis, vota fracta, si ad ea redierint, peccata oblita, offensas patrum et matrum sine manuum injectione, misericorditer relaxamus. In cujus rei memoriam præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Datum anno gratiæ 1218, III Kal. Augusti. Durent in perpetuum. »

8. His litteris suffragantur variі ejusdem loci mss. codices cum Gaufrido Hirone sancti Petri cœnobita, qui anno 1216 appendicem Clarii Chronico adjecit. Prostat etiamnum autographum Petri antistitis exemplar, quod anni 1680 die 19 Octobris, provinciæ nostræ Burgundiæ visitator recognovit. Anno 1449, die 17 Decembris, Ludovicus de Meloduno, Senonensis antistes, Guerino sancti Remigii Senonensis, Petro sancti Joannis itidem Senonensis abbatibus, et Jacobo Hodoardo vicario generali et officiali novam corporis sancti Potentiani translationem imperavit; quæ procurante Guillelmo Quatranio sancti Petri abbate hoc die celebrata est. Exstat Innocentii papæ VIII rescriptum, anno 1488 datum, quo sancti Petri monachis licentiam concedit sacras monasterii sui reliquias transferendi: qua nescio an usi sint ante annum 1680, quo præpositi nostri generalis jussu jam laudatus provinciæ Burgundicæ visitator ossa beati Potentiani novam in thecam decentius ornatam reposuit. Hæc chronico ordine repræsentare visum est. Cæterum quod diem VIII Kal. Septemb. huic translationi ascribimus, tametsi nullum subjecta narratio designet, Odorannum et Clarium sequimur auctores, qui translationem a Wenilone factam aptant huic diei; imo et Clarius eam quæ hic describitur ad eumdem iterum diem subnotavit. Restat ut de narrationis hujus scriptore sententiam nostram promamus.

9. Videtur is esse Odorannus sancti Petri Vivi monachus, Chronico apud Chesnium edito celebris. Hic enim præter jam laudatum Chronicon, *sexagenarius anno* 1045 *alia etiam opuscula sua in unum corpus collegisse* dicitur in Chronici sui titulo, qualem procul dubio ferebat ms. codex unde illud excerptum est. Ut autem subjectam historiam ipsi potius quam alteri tribuamus, facit in primis quod media saltem Chronici pars, quæ hanc translationem complectitur, totidem verbis hic atque ibi exprimatur. Quæ sane res unum eumdemque utriusque operis auctorem arguit. Deinde cum Odorannі Chronicon nihil hac translationis historia posterius recenseat, siquidem alius ejus auctor haberetur, narrationem Chronico

suo insertam verbotenus ab eo desumpsisset Odorannus, quod plagium cordato viro (*qualis is erat*) impingere non licet. Præterea translationis ejus pars magna fuit Odorannus ipse, qui ab rege Constantiaque regina vocatus in aulam, operi manum admovit. Quis igitur illo melius rem uti habuerat posteris mandare potuisset? Ad hæc de se utroque loco sic loquitur, ut Chronicon cum hac Historia conferenti idem ubique genius spirare videatur. Nisi quod hic subinde communes in locos divertit, quos, uti nullius saporis, resecare visum est. Jam verbis suis, quisquis ille est auctor, loquatur, cujus librum ex sancti Mariani bibliotheca erutum viro relig. Joanni Baptiste Oudinet, ordinis Præmonstratensis ejusdem loci priori, debemus.

INCIPIT HISTORIA TRANSLATIONIS.

Cap. I. *Translatio sanctorum Saviniani, Potentiani sociorumque eorum.*

Beatorum igitur martyrum sanctissima membra, Saviniani scilicet et Potentiani sociorumque eorum, in eadem Salvatoris Domini ecclesia per manus quidem fidelium convenienti in loco fideliter sepulta sunt, præter venerabile corpus Serotini martyris, quod convenienter a parentibus fuit humatum in alia asilica seorsum. Dum eorum igitur cineres per multa annorum spatia in loco eorum quievissent, ut diligentior eis cultus et reverentia a populis exhiberetur, notificantur cœlitus prudentissimo Senoniensium Weniloni pontifici et Anastasio abbati cœnobii sancti Petri apostoli, qui, puro exhilaratæ mentis voto, convocatis utriusque sexus millibus populi, transferre satagunt in basilicam sancti Petri apostolorum principis sibi contiguam : cujus etiam pro foribus et in cujus fundis eatenus jacuerant. At domus et ædificiorum fastigiis excellentior et divinis obsequiis celebrior habetur, præsertim cum monachorum inibi degentium sollicitudo solemnibus in ea votis et assiduis meditationibus regulariter instet. Habita est autem hujus translationis festivitas tempore quo nobilissimis Francorum sceptris tres inclyti principes, augustæ recordationis Ludovici Cæsaris posteri, Lotharius scilicet, itemque Ludovicus et Carolus præerant, anno quoque regni ipsorum sexto, anno vero ab Incarnatione Christi octingentesimo quadragesimo septimo, indictione septima (4), XIV Kal. Novembris.

Cap. II. *Quod in festivitate eorumdem translationis angelicæ voces e cœlo auditæ sunt.*

Nec reticendum quod nocte vigiliarum, cujus succedente die veneranda patrocinia transvehenda fuerant, voces angelicæ ab astris, velut chori psallentes, humanis auribus intonuerunt. Pontifex namque ad celebranda vigiliarum solemnia illuc vespertina synaxi una cum frequentia cleri processerat. Quibus religiose suppletis, et antistite ad urbem regresso, cœlestes exsequiæ per noctis spatia sunt secutæ. Cujus modulationis harmoniam non tantum monachos, sed et quosdam vulgi ibidem excubantis auditu percepisse perspicuum est. Verum arbitrantes voces hujusmodi humanas esse, opinantesque quosliliet religiosos ad cœnobium pro instanti festivitate confluere, qui tam jucundo strepitu fungerentur, rursumque stupentes cur intempestivæ noctis silentio adventum maturarent, exploratores circumquaque dirigere studuerunt ut quorum excubiæ essent experirentur. Missi autem, cum loca vicina perlustrantes neminem reperirent et nihilominus melodiæ suavitatem sine intermissione audirent, cœlestis officii exsequias esse meminerunt. Ubi evidenti ostenditur indicio quod angelica societas eorum solemnitatibus pio favore adesse voluit, quos secum Omnipotentis imperiis strenue paruisse cognoverat : eorum agendis et gaudiis indeficientibus interesse festinavit, quos ineffabili tripudio optimis studiis invigilasse perspexerat. Possidet deinceps prædicta basilica piorum martyrum corpora, quorum spiritus æternæ recompensationis compotes paradisiaca amœnitas continet; gratulatur pro tantorum Patrum fenore temporaliter Senonum civitas, pro quorum tripudio Jerusalem perenniter exsultat cœlestis. Ad horum tumbas popularis aula, preces et vota exposcitura, frequenter confluit; quia ipsorum interventu et artuum languores sospitatis levamine recreantur, et cordium vires perpetuis dapibus saginantur.

Cap. III. *De pallio et capite sancti Saviniani martyris.*

Cum igitur, ut indicatur supra, corpus hujus pretiosi martyris Saviniani transmutandum venerabiliter revolveretur de loco plumbeo, alias transferendum, repertum est pallium quo erat involutum, multis labentibus annis, totum ex integro quasi novum; caput vero illius, quod est decus istius nostræ patriæ, quasi contritum plumbatis dextro in tempore fuisset. Duæ autem percussuræ quæ fuerunt plagæ gladii, sic sunt adhuc sanguineæ, quasi recens sit ipsa percussio; ita ut a cernentibus non sine lacrymarum infusione vix intueantur. Quod autem martyrii coronam vere idem pontifex acceperit, testimonium illi usque hodie perhibet sanctum et venerabile caput, et sanguis adhuc recens appa-

(4) Non s.bi constant hi chronologici characteres, quod auctori post annos circiter ducentos scribenti condonandum est, nisi error ex amanuensium incuria processerit.

rens per ejusdem capitis percussuram. Porro inventio corporum sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, quæ facta est a sancto Ambrosio episcopo Mediolani, ut ipse beatus sua propria manu scripsit, narrat eodem modo in sarcophagis marmoreis ipsos repertos recenti sanguine perfusos, quasi eo die ipsorum capita gladio fuissent cæsa. Verum caput nostri martyris tribus percussionibus gladii ictum : duæ usque ad præsens manent cruore sanguineæ ; tertia, quæ, ut putatur, gloriosam mortem intulit, nihil habet sanguinei cruoris.

Cap. IV. *De cæco ibi illuminato.*

Ad tantam solemnitatem cum cætera plebe cæcus quidam venit, qui virtutem martyris in sua illumination persensit : orat namque ut Christus de teste ostenderet quanti apud se meriti esset, et si ea res quæ fiebat illi placeret, quibus semper enituit miraculis declararet. Oculi cæci lacrymas fundunt et in mentis acie fidei lumina surgunt, humilitatis supplicatio cœlum penetrat et divinitatis faciem ad misericordiam inclinat; miles invictus ducem implorat, et agit ut et nunc militiæ mercedem reddat; ostendit vulnera, labores enumerat, numerum sudorum recenset, et quantum sibi pro his debeatur docet. Proximi cæco in oratione junguntur, et quod per se nequit, lacrymarum collatione meretur; de cœlo latens medicina dimittitur et oculorum scabies manu pietatis abstergitur, videns cæcus socios contuetur, et quod dudum desperaverat sese habere miratur. Salvatoris clementia collaudatur, plebs viri saluti congratulatur, martyris reverentia in augmentum dilatatur. Talibus hæc dies insignis adjacenti populo constat esse solemnis.

Cap. V. *De lampade quæ ante corpus ejus quasi sponte sua ardere consuevit.*

De lampade vero, quæ ante sacrum ejus corpus ardere consuevit noctes et dies, et ante aliorum nobis innumerabilium sanctorum membra in crypta, quæ lapidum volubilitate constructa consistit, et arcubus sustentata dece ter stabilitur, aliquid narrare ut vox videntium testatur, absurdum non debet videri. Sæpenumero accidere solet ut pigritia custodis lumen lampadis deficiendo decidat, et deinde repente illuminata clarificos ignes emittat; et non tantummodo una hora vel die lucem clarissimam emittere dicitur, sed trium dierum spatio et totidem noctium tenebras pellere. Hæc igitur lampas sanctorum divinitus plerumque succenditur et sine infusione olei, tunc scirpus clarissimum lumen emittit, ita ut lucidius splendeat quam cæteræ lampades, quas manus humana oleo superfuso illuminat, libro liquore madefacto igneque supposito, etc. Nostrorum quidam fratrum cujus faciem cum nomine novimus, verum hic obtentu ejus nominatim non designavimus, causa necessitatis, ut diximus, ejusdem lucernæ exstinguens insufflavit luminaria quadam die tribus vicibus : quæ sic divinitus suæ claritatis per singulas vices recepit lumina, ut quantum incuria fratris exstinguendo diffinierat, magis illuminans subministraret cœlestis divinitas, etc.

Cap. VI. *De siccitate et pluviæ infusione, et de suavitatis odore in sancti Saviniani translatione.*

Miserationis Dei clementissimam misericordiam, quam penes regionis nostræ situm pro merito sanctissimi martyris Saviniani nobis Deus clemens rector concesserit, arbitror pauculis verbis futurorum memoriæ commendare. A pascha enim Domini, quæ est solemnitas solemnitatum et gloriæ decus omnium Christianorum, non stillaverat penitus de cœlo pluvia, et marcescebat humus crebris scissionibus fissa usque in diem translationis ejus. Die ergo quo sublevatum est corpus supradicti martyris de loco antiquo propriæ repausationis, descendit pluviarum copiosa abundantia et terra privata est siccitate sua. Datur nunc patenter intelligi quod respexerit Deus humilitatem pauperum suorum per martyrem Savinianum, merito sibi gratum, et afflictam patriam penuria pluviæ plene relevaverit guttarum defluentium inundatione, etc.

Cap. VII. *De suavitatis odore in ejus translatione.*

Igitur sicut et insignis doctor Paulus dicit : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco :* ita iste pretiosus martyr vita vivens, non solum bono odore repletus fuit, sapida scilicet doctrina prædicationis et miraculis mirifice famosus fragravit, sed etiam in hac sui translatione corporis miro odore redoluit. Omne etenim hoc monasterium ita odor suavissimus ad plenum perfuderat, ac si fuissent in eo omnis generis aromata et universa opobalsama : nam et infra quindecim dierum spatia omnium ingredientium intra monasterii septa nares opplebant redolenti suavitate, sicut et in primo ejus transmutationis die, etc. Etenim duorum sacerdotum monachorum corpora et vestes, qui sanctum corpus de loco plumbeo levando ponere meruerunt in capsa ubi nunc habetur, plurimis diebus ita fragrabant, ut nectario odore perfusi putarentur, etc.

Cap. VIII. *De frequenti visione custodum interiorum et exteriorum.*

Frequens visitatio, et assidua protectio, et manifesta revelatio huic nostro loco accidisse, a custodibus qui excubias hujus ecclesiæ observare jussi sunt, enarrata noscuntur. Multoties etenim intempestæ noctis hora, quando gratissimus sopor in dormiendo solet occupare homines, exterriti custodes et nimio timore excitati, vigilantibus oculis digni habiti sunt cernere ea quæ mortalibus sunt mutuenda perspicere. Plerumque enim conspexere luminaribus præclarissimis totam ecclesiam resplendere, et innumerabilem candidatorum turbam utriusque sexus, episcoporum, clericorum, laicorum, puerorum et puellarum totius ecclesiæ ambitu contineri. Pluribus namque vicibus vigiles, qui strenue cura sibi commissa in vigilando excubantes, hoc suburbium nostrum observare ab ignium periculis et a latronum insidiis positi noscuntur, cum clamore valido limina ecclesiæ pulsare, et increpative ædituos perterrefa-

cere ita dicendo visi sunt accurrisse : Utquid somno nimium prægravati dormitis vino et sopore oppressi? surgite, surgite, quam velocius opem ferte sacris luminaribus et sacris sanctorum pignoribus : nam ut nobis manifestissime videtur, tota ecclesia a sommo usque ad ima fundamenti cœlesti igne comburi videtur. Cum strepitu ergo pavoris fratribus a strato suo surgentibus, visiones quam crebre disparuere, et ignium splendor quodammodo his intrinsecus, et illis vigilibus exterius paulatim deficere et imminui decrescendo dum consideratur; timor ab utrisque æquali sorte removetur. Verum fratres custodes sacræ basilicæ lenis visio sanctorum frequentius lætificando lætos reddit, et illos forinsecus positos ignis quasi vivus exterruit; sed post, dum incombustum templum considerant, lætiores efficiuntur hac visione mira. Nam sicut antiquo tempore Moyses dator veteris legis rubum ardere conspexit et non comburi, ita et ii hoc monasterium incendi metuebant : sed non erat nocivus ignis, sed visitatio angelicæ virtutis et sanctorum quorum ibidem retinetur multiplex multitudo indicibilis.

Cap. IX. *De muliere incessibus pedum exacta, et a sanctis martyribus curata.*

Præterea ex Milidunensi (*Melun*) oppido quædam paupercula puella, nomine Ingelberta, una cum genitrice propria sanctorum expetiit limina : curriculo siquidem vecta, quod vilis robur aselli præducebat, utpote omni compagum solamine desolata. Victus enim vestimentique supplemento ostiatim sustentabatur, tabe centesque doloribus inediaque artus miserantium alimoniis refovebat. Tanta namque suggestionis importunitate cunctis erat nota, quanto absque multorum juvaminis ope nequibat vivere. Porro data optione, cœpit anhelare de industria sanctorum martyrum subsidia, quo debilitatis suæ inferrent medelam. Accita itaque matre : « Desidero, inquit, propitii martyris sancti Saviniani, exterorumque sanctorum adire sepulcra; nec demorabor, inquam, adipisci per illos mei animi vota. » Accensa illius mater verbis tantam spem peragit promptius, subillataque obtutibus ipsorum, supplex cervice adorat cernuo ut adsint ei patrocinando. Pavimento itaque inhærens diutius, Deum pietatis adfore sensit sanctorum interventu. Mox igitur cita salus præcunte immanitate doloris, atque innovati anhelo spiritui gaudet auxilium; vibratur ardens animus ad plurima, matremque vocat dicens : Adesto, genitrix lætabunda, quæ me tacens ab humo sustulisti terrulentam. Postquam ergo fœditatem membrorum virtutis decore mutavit Deus, illustrata sanctorum juvamine, cucurrit inoffenso pede, matremque reciprocat continua voce. At illa accelerans properat factique ignara, quos scabellulos perdidit inquirit tremula. Uno, inquit illa, sub ictu mihi divinitus collata est salus; sepsere illam quamplurimi, spectatique plebem erecta circum fluentem ac sibi congratulantem : omnium enim connexa opinione subitam adepta est sanitatem. Publicitus itaque omnium personat clamor, gratias referens Deo, vigente sanctorum martyrum patrocinio.

Cap. X. *De provocata a Senonensibus Nortmannorum inimicitia.*

Tempore quo Senonensium archipræsulatus Willelmus fruebatur apice, vir ingenio et astutia strenuus, gens Nortmannorum exacerbatione dira ejusdem civium urbis provocata, confinia et proxima quæque ipsius regionis acerba depopulavit exaggeratione hostilitatis. Hæc etenim gens vulnifica nefaria strage populos laniabat. Territi autem nimiæ obstinatione crudelitatis immanitateque persecutionis concitati circumquaque populi, confugiunt ad tuitionem urbis.

Cap. XI. *De illatione sanctorum corporum infra urbis muros.*

Sub ipso tempore regnabat Carolus Simplex; in Burgundia autem ducatum tenebat Richardus, pater Rodulfi regis. Tunc temporis præerat cœnobio beatorum apostolorum Petri et Pauli abbas Samson, comptor divinæ honestatis et amator sacræ religionis. Is sane conturbatus objectæ pressura calamitatis, humillimam fratrum convocat concionem, ut queat ab eis salubre consilium experiri. Demum horum omnium commune consilium visumque est utile cunctis, quatenus sanctorum martyrum corpora, Saviniani videlicet et Potentiani, Altini atque Eodaldi, cum cæteris sanctorum corporibus et reliquiarum pignoribus, cum maximo honoris augmento in ecclesia ejusdem abbatiæ propria infra muros urbis constructa transferrentur. Relictum vero est et decenter tumulatum corpus sancti Serotini martyris in quodam ejusdem loci tutiori antro. Quo peracto, jam præfatus præsul dolose machinamenta æmulationis monachis injecit, commodius inquiens esse ut transveherentur sanctorum reliquiæ intra mœnia sanctæ matris Ecclesiæ Senonum in honore sancti Stephani protomartyris constructæ. Cogitavit autem tum piorum fratrum simplicitas ob tenorem sanctitatis hæc peragi exercitia; sed patuerunt postmodum hæc adulationis famina.

Cap. XII. *De urbis obsidione, et oratorio ab igne erepto.*

Obsessa igitur urbe, quanta cæde ecclesias earumque possessiones vel prædia subruerit, vastaverit, depopulaverit longum est paginis intimare, præsertim cum et basilicam sancti Petri mirifico opere constructam atrocibus flammis cremaverit, variamque supellectilem cum omnibus utensilibus diripuerit et prorsus pessumdare studuerit. Heu proh dolor! nec sine gemitu dicendum! Remanserat ibidem præfatum oratorium sancti Serotini martyris divinitus ab igne ereptum; quod dolentes, plura flammis fomenta ingerunt molimine toto; sed illæsum servatur ad vegetationem hominum Dei nutu vivido et merito. Salutifero siquidem interventu sanctorum scilicet martyrum Saviniani et Potentiani, Altini atque Eodaldi, ipsius sancti Serotini martyris intemeratum mausoleum servatur;

quia obligaverat eos amor sinceræ dilectionis, nec patitur sanctorum artuum absentia citato frustrari solamine quem dudum sociaverat sibi fide charitatis unicæ.

CAP. XIII. *De Nortmannorum reditu ad propria.*

Demum itaque convictis et necibus diversis pluribus Nortmannorum enecatis, reliqui ad propria sunt reversi ; accelerantes autem monachi expetierunt ab episcopo reportari sanctorum corpora, ignorantes quod per subreptionem illic forent illata. At ipse torvis eos aspiciens oculis, priusquam eorum suggestionem audisset, inquit : Ultronei hoc jus, licet nolentibus vobis, tamen profluente clementia Dei, cunctis innotescere volumus, et constitutionibus obligari, quatenus possideat hujus sedis dignitas horum sanctorum corpora quorum martyrii tirocinio vegetata luculenter coruscat. Ad hujus calumniosam ergo assertionis seriem nonnulli provocantur astutiores clerici, et potentiores proceres unanimiter asserentes, quatenus illic haberentur unde viguerunt summi præsules. Ad hæc sæpe fati antistitis feralia adduntur verba : Legum enim jura pontifici cunctis decernenti, clericis quoque divinæ majestatis cultoribus, et venerabilibus quibuscunque terris et regionibus tantorum martyrum congruit inservire excubiis ; vos agmen vulgale ad cœnobitale propositum una cum rebus omnibus resumptis revertimini, scientes deinceps nos horum sanctorum venustari præsentia. Gementium ergo et rogantium monachorum fragor attollitur, pauperumque terrulenta corpora gestantium plebiumve utriusque sexus dolor personat dicentium : Ut quid taliter affligimur? quibus malis obnoxii ista perpetimur, si ad communis munimina refugii confugimus, quare traducimur? quare patronis frustramur nobis a Deo datis? Ad hæc pontifex raptus temeritate pravi consilii foris muros jussit eos propelli.

CAP. XIV. *De monachorum instanti gemitu et præsulis custodibus ostensaque terribili visione.*

Memorabilis itaque abbas Samson continuato dolore et abstinentia pene emoritur : sed et tota congregationis unanimitas, vigiliis et orationibus jejuniisque prægravata, eadem patitur incommoda. Christus igitur, omnium rerum censor æquissimus, compatiens afflictis, suffragantibus sanctorum quoque martyrum precibus, non diutius sustulit carere cœnobium tam pretiosæ facultatis thesauro. Medio namque noctis confinio custodes ecclesiæ sancti Stephani conquatiuntur horrore acerrimæ concussionis ; citato vero cursu, pontificis aures replent tremulis clamoribus : O præsul, inquientes, fer nobis desolatis opem. Hæc enim basilica in qua manemus timendum est ne funditus corruat : fragor nempe terribilis intus personat, et vibrantia lumi-

A naria immensæ claritatis pervolant. Quæ supers titio, inquit episcopus, vestros agrestes perturbavit animos? vere fallacibus monachorum suggestionibus decepti vanisque pollicitationum spebus seducti estis. Sed vox testis veritatis nequit exstingui atrociori commotionis turbine. Sequenti nocte turbata missa custodum ab episcopo solertia, fugiensque præ horroris magnitudine, denegat ibidem amplius se manere. Jubente episcopo, mox utraque pars custodum custodiæ mancipatur. In hac pernicie persistens episcopus, utpote versutus moribus, tertia nocte semetipsum ecclesiæ custodem adhibuit, militum cuneo vallatus ingenti causa veræ examinationis ; coruscі autem luminis densitate obcæcatus, cœpit vehementer debacchando frendere, et B obnixe ut asportarentur sanctorum corpora proclamare.

CAP XV. *De revectis sanctorum artubus ab urbe.*

Convocata denique adest sancti Petri modesta monachorum phalanx et receptis patronis, ultra quam credi potest lætissima, cum magno tripudiantium exsultantiumque choro ad propriam sanctos deferunt basilicam. Quamobrem archiclavis ejusdem sedis nomine Bernardus (5), pestifero invidiæ zelo succensus, abstrahit pallium quo sanctissimi et apostolici patroni Saviniani teg batur tumba ; arreptoque artavo (6) in frusta medium secans ait : Si horum Patrum caremus pignoribus, vel hujus portiunculam retinebimus. Palliique pars ad posterorum memoriam adhuc in eadem sede servatur. C Quanto sanctionis augmento hic quippe sacer locus (7) viguerat omnibus liquido constat, præsertim cum proprii effusione sanguinis ipsum dedicaverint, et creberrimis monachorum ibidem degentium exsequiis habeatur celeberrimus.

CAP. XVI. *De antris ab abbate Samsone constructis.*

Prætérea venerabilis abbas Samson, solertiori suo fratrumque præditus consilio, posterioribus cupiens sancire salutem, abditiora sanctorum artubus construxit antra. O laudabile fas piorum Patrum ! Inventum populorum pro salute publica, quis non disputat hos sophistas esse sagaces et colendos plurimumque valere, cum memoria sanctorum interventu longa maneat per tempora ? At quanquam tegerentur sanctorum membra densis specubus, tamen opinantibus illic adfore plurimis, eorum pio juvamine sanabantur ab omnibus morbiferis doloribus. D

CAP. XVII. *De Guillelmi obitu.*

Decedente Guillelmo præsule, Gerlannus pontifex collaudatur, monachile propositum a primævo infantiæ ævo consecutus, et dogmatibus philosophicæ admodum fulcitus, parentum prosapia mediocris, sed liberalium artium non segnis sectator enituit.

(5) De eo Clarius in chronico, quem sanctæ Mariæ archiclavim dicit, contra quam hic auctor. An archiclavis cathedralis ecclesiæ Senonensis abbatiæ S. Mariæ titulo donabatur ?

(6) Artavus instrumentum panno scindendo aptum, sive forcipis seu cultri genus. Hoc nomen exprimit ms. liber Regulæ ordinis S. Victoris citatus in Cangii Glossario : *Nec scriptoria, nec artavos, nec cultellos suscipiat.*

(7) Nempe S. Petri cœnobium.

Recensentium namque inter optima suæ sagacitatis studia arbitramur fore, quod valde diligens sæpius dictum monasterium, ibidem turrim composuit opere polito. Mundiali cursu demum peracto, migravit ad astra vocatus, sua mandans tumulari membra sancti Germani Antisiodorensium in basilica. Heldemannus in hoc postmodum pontificii electus solio, almi Dionysii monachus, cunctis nec non Christo placens, amabilis et dilectus. Hujus in tempore regiminis Notrannus cœnobii sancti Petri prælatus efferbuit; gazarum qui et conglomerator strenuus Nevernensium dignitatem præsulatus promeruit muneribus. Ambitionis autem ejus fastu prægravatum sancti Petri cœnobium, pene venit ad nihilum. Honestabatur vero illius adhuc in tempore idem locus, potioribus utrarumque facultatum rebus ditatus a Deo devota Techilde regina; sed hujus piacula virtus diluat clementissima. Cæterum Heldemannus præsul obiit sorte suprema raptus, insertus in supernis cœtibus.

Cap. XVIII. *Quod mortis examine Archembaldus a beato Saviniano perculsus perierit*

Præsulatus honore Archembaldus sustollitur, parentum potius quam Dei provocatus examine. Invectus itaque hic lubricæ juventutis furia, probrosæ voluptati dedit operam. Exosam enim divino cultui scientiam adhibens et caduca quæque perituri ævi amplectens, abbatiam sancti Petri omnibus namque rerum copiis opulentissimam, ad solum usque contrivit, ecclesiarum, villarum, terrarumque optima quæque vendens et distribuens, reliqua in proprios usus detinens. Sed hujusce cunctos lamentabiles excessus propalare longum nefas ducimus: hoc solum addimus quod famulantium Christo fuerit insecutor horribilis ac odibilis, et sæcularium amator studiosissimus. Admonitus ergo in noctis visione biduo a sancto Saviniano æquissimo martyre, noluit quiescere a nefario opere. Aggrediens hunc quoque tertio ac nolentem obedire jussis percussit mucrone invisibili: Non diu, inquiens, tuæ nugas patiemur illecebrosæ actionis et desolare locum nostri effusione cruoris sacratum. Nudus omni prorsus tegmine vestium, repertus est in refectorio fratrum, quod sibi vindicans, eorum usibus impie abstulerat. Æqua directionis nempe censura, nece subitanea juste illum percussit, qui congregatas possessiones cœnobii ob fratrum subsidia pauperumque sive confluentium omnium juvamina, nisu toto contriverat. Nec quisquam arbitretur incongruum sic illum finire, qui primitus abjecerat curam pastoralis dignitatis, etc.

Cap. XIX. *De Anastasio pontifice, qualiter eumdem locum cœpit restaurare.*

Abeunte illo tam crudeli interitu, successit in episcopatu Anastasius, vir honestatis et miræ probitatis. Pavescens hic quidem teterrimæ hujus examen mortis, efficitur voluntarius reparator sæpe dicti loci. Præventus autem divino amore, et maxime ipsius sancti martyris Saviniani congrua visionis admonitione, cœpit ultro terras cœnobii inquirere, pretio redimere, monachos edneare, et sacræ institutionis ibidem normam reformare. Talium omniumque gratia suffultus, humanam exuit labem et sanctorum in cœlis promeruit societatem, suaque membra in eadem basilica jacent tumulata.

Cap. XX. *Obeunte Anastasio, quomodo Sewinus successerit.*

Orbata Senonensis metropolitana urbs patrocinio hujus, præfertur ad sublimandam præsulatus magnificentiam Sewinus nobilitate præcipuus et morum probitate coruscus. Hic præceptionis sanctæ strenuus obauditor, modesti mores præcessoris insequi studuit optimos. Porro improba æmulantium molimina diruit, et Christo placentium amicitias sinceriter exquisivit: omnia charismata insignia gestiens amplecti, et malignantium caduca renui. Dum plura ergo tentat peragi virtutis opera, incurrit id quod manet obviam veritati; sæva scilicet antiqui hostis incitamenta, qui veternus fur quomodo læta Christi agmina interpellet, lividis seminibus fervens insequitur. Excitat itaque male commeantium et irritantium devios sensus clericorum: civium quoque ejusdem civitatis vehementer adversus eum infesta decertantes, ac congrua quoque sanctuarii comprimi gliscentes. Prævius autem tutor supradictæ urbis, quatenus male tumentia simul revulsa corda internecet, præferendum se opponit clypeum ut tuta maneant vestigia subsequentium, Deique domus defensa præferatur ad sublimia. Denum Christi victorioso protectus munimine, pravorum conatus dulcibus interdum promulcet eloquiis; aliquando vero minacibus trahit proteritque increpationibus: intercidunt quoque interim quæque pœnalia, et pullulant favente Christo prosperitatis commoda.

Cap. XXI. *Locato Sewino in sede, quomodo ipsum locum ornaverit abbate et monachis, resque proprias reddiderit.*

Ignescit interea amor nobilitandi sanctorum cœnobia, ac reparandi honorem pristinum eorum quæcunque fuerant diruta: ardenter quin potius sancti Petri monasterium ob sanctorum suffragia venustari disposuit, quod multorum pravitate dolebat eversum iri. Suæ ergo spectabilis exortum prosapia nobilitatis eidem cœnobio præfecit abbatem, nomine Rainardum, moribus egregium et sortia præditum, reddita omnium media parte ejusdem abbatiæ rerum. Hic itaque adolescens strenuæ indolis, infulatus contigui gratia regiminis, vicinos quosque rectores probitatis actu præcelluit: flammante quidem corde, utpote nobili, adaptare locum protinus studuit, et monachos nonnullos sophistico omnium liberalium artium dogmate insigniri decrevit; hoc summum omnium prænoscens bonum, quatenus his disciplinis liberalibus edoctis, et sacræ religionis proposito informatis, status loci gratior haberetur, et ab omni magnificaretur.

CAP. XXII. *De homine perjurato super sancti Saviniani altare.*

Illo quoque in tempore accidit in præfato sæpius cœnobio evidens miraculum, quod minime credimus silentio tegendum. Profanus bonitate quidam namque homo, nomine Rothberthus, in vicina ortus villa, cui nomen Masliacus-Major indidit antiquitas, cupiditate fœdatus obscena, illicitum sacramentum sancti Saviniani perfecit in ecclesia: quamobrem rabies illico sepsit dæmoniaca miseroque cruciatu in omnium vexabatur præsentia. Adsunt extemplo nonnulli et alii teterrimi spiritus, sed magistri criminum humanæque salutis auspices, qui latenter inclantes illum in diversum compellunt nefas. Vinctis denique conviciator brachiis, suorum propitiatione parentum, scelus ejusdem videlicet agnoscentium, perducitur sanctorum ad antra martyrum, ne profundius caperet tremula comp go artuum dæmoniacarum querelam debacchationum. Hic nudata gerens membra, multis ictibus sauciata, vastare ac laniare quosque tenentes se ut quibat desiderabat. Per lacunas siquidem cicatricum eviscerando rejiciebat sanguinem, et cruentas manus lorisque fessas dilacerabat, terribiliter inquiens: O Saviniane præpotens martyr, cur me enecas cruciatibus diris? Pro certo ergo propinqui profitentur piaculum victi; ob hocque multiplicia cordis ab imo trahunt suspiria; quinimo auxiliatricem Christi virtutem per sanctorum obtentum eorumdem sibi flagitant adfore propitiam; quatenus ex latebris hujusce obsessi dæmoniaca pestilens vis exeat, et recidiva virtus Christi polleat. Irretitum eum utique funibus anhelus eorumdem ibi dimsit nisus de sanctorum juvamine omnimodis fisus. Furebat vero spiritu fervido, efflagitans nomen sancti martyris Saviniani dictu temerario. Nihil sane illius severitate jucundius, nihil jucunditate severius. Jam vero omne robur virium cesserat, et divulsas lacertorum compagines sopor presserat. Ergo illi soporato adest propitiabilis visio. Vidit ab astris sane descendere insignes viros, claritatis nimia luce respersos; aggrediuntur illum modestis plane gressibus, sed minantur duris increpationibus: Cur nostrum, inquientes, efferus præsumptor intrasti antrum, qui recens nostri locum effusione sanguinis sacratum violasti ultroneus conviciator? Horum ergo dum fugeret intuitus heriles, territus, nec celer, et præmissus splendor avolaret, et sibi anxio finem subiti inferret periculi, ceu mortuus perstitit ad hæc mitior, reddita piorum martyrum clementia stupenti et pene emortuo pepercit. Ob tuorum, dicens, fidem parentum qui te nobis reliquerunt medendum, jubemus abire sanum. Mirabile dictu! mox denique nexus quibus manus habuerat vinctas decidunt, semotusque a pilario cui ligatus inhæserat, prorsus recepit totius vegetationem corporis. At ille quanto sanior, tanto jucundat frontem vacantem omni nubilo, et in se patratæ virtutis veridicus præco efficitur cunctis. Circumstat ergo persultantium cœtus, pares camænas paribus hymnizans modis rerum Creatori, cujus dono fiunt cuncta quæ miranda videntur, etc.

CAP. XXIII. *De ipso pontifice, quomodo ante pedes abbatis et monachorum prostratus jacuerit, et res quas adhuc tenebat reddiderit*

Providus interea pontifex Sewinus, luculentiori præconio decoratus virtutum, eidem congratulans cœnobio diffundit vultus lætitiam ab ore hilari et fida gaudia gerit: tunc omne cordis ipsius ab imo ludierum aboffertur, olimque animus nugator Deitatis efficitur indagator, ac sua inepta vultu probitatis serio colorat. Enucleatius quippe copiosiusve effundit, quæ manicis tenacibus foverat; quoniam munerari divi fenore sese non dubitabat. Horret ferale cupiditatis monstrum, et inops egenusque rerum mavult obsequi Christo, quam lætaliter sauciatus obcæcari illecebris gazarum, præsertim urgente superna admonitione sanctorum martyrum Saviniani et Potentiani, in solemnitate celeberrima Joannis et Pauli: qua stupefactus ocius ætherii clavigeri Petri adiit claustrum, sese profitendo culpabilem ac facinorosum. Prostratus itaque jacens coram omnium fratrum obtutibus, voce humillima indulgentiam efflagitat cernuus; cuncta itaque sua præfatæ abbatiæ prædia reddidit, et ad suos necessarios usus vel pauculam portiunculam retinuit. Favoralis aura inde monachorum attollitur, sed et totam perculit urbem Christum collaudantium congratulatio vehemens, etc.

CAP. XXIV. *Post mortem Sewini quomodo Leothericus successerit, clerum et populum, abbatemque Rainardum et monachos dilexerit.*

Post hunc ascitum superorum cuneo nutu Deitatis cunctivido, Leothericus infulatur pontificis solio, actibus eximius, cujus laudabile culmen honoris amore sane parato compellimur propalare; sed facundia abest sagacitatis. Merito sinceritatis illius crevit plane sacerdotalis gradus, eodemque monitore præcelluit normale decus sanctæ Dei Ecclesiæ, etc. Præterea miraculorum insignia, quæ illius enituerunt in tempore, longum duximus huic opusculo innectere. Cæterum crebro fati cœnobii contiguus amator efferbuit, animosius videlicet solertis rectoris abbatis Rainardi, communis utilia sectando commode: congaudebat namque probi præcessoris Sewini hunc bonitate superstitem, et morum salubritate hæredem. Denique laude dignissimus Rainardus abbas prælata charitatis virtute rutilans, sese suosque omni voluptati abdicaverat, et continentiæ lege actitaverat, apostolicæ assertionis ultroneus auditor, sine castimonia inquientis impossibile esse placere Deo, illiusque philosophi qui nil ait esse prius meliusve cælibe vita. Et hic specimen religionis non segniter tenuit, sed reliquisse quoque bonorum operum speculum prætendens, æquitatis jura procerumque priscorum instituta flagranti amplectens nisu, spectabile multis resplenduit decus, etc. Officinarum quæque diruta suis cum

utensilibus nobilitando reparavit attentius. Nisus interea affectionis ejusdem panditur circa sanctorum celebria festa martyrum, sed crebrius tabescebat, ignorans qua tegerentur tumba sancti scilicet Saviniani membra.

CAP. XXV. *De tumulis sanctorum Saviniani sociorumque ejus ab abbate Rainardo et Leotherico archiepiscopo reseratis.*

Beatorum igitur martyrum Saviniani, Potentiani sociorumque eorum corpora, ab abbate Samsone venerabiliter tumulata intro in antris ob timorem paganorum, usque ad domni Leotherici archiepiscopi et domni Rainardi abbatis tempora ibidem latuerunt : quam ob rem experiri cupiens dicta seniorum solertius indicabat seria, præsago præsciens spiritu, per sanctorum suffragia plura adipisci sanitatum remedia. Capessunt itaque consilium salubre, quo reserarentur sanctorum mausolea, qui antris continebantur in abditioribus. Hoc peracto, extemplo miri odoris exuberavit fragrantia, certioresque reddidit de eorumdem præsentia ; collaudantes Deum, recondiderunt ibidem decentius posita VIII Kalendas Septembris. Quibuscunque autem infirmis vel imbecillioribus collata est potio, de qua sanctorum lota sunt ossa, absque mora sanitatis meruerunt juvamina. Ad illius profecto laudem magnificantur magnalia, qui tuitione cunctivida regit quidquid creatum vegetat.

CAP. XXVI. *Qualiter regina Constantia sanctum Savinianum agnoverit.*

Eodem tempore regnabat Rotbertus regum piissimus. Hic, peractis diversis restaurationibus ecclesiarum, nec non ornamentis sanctorum corporum, corpus sancti Saviniani auro et gemmis argentoque ornavit : quod qualiter actum sit paucis est disserendum. Factum est dum quodam tempore Rotbertus rex Romam peteret, ut Constantia regina, una cum filio Hugone parvulo Tillo remaneret. Quod ut Berta regina, dudum causa consanguinitatis a rege repudiata, comperit, prosecuta est eum, sperans se faventibus ad hoc quibusdam aulicis regis jussu apostolico restitui toro regio : unde Constantia regina timens se amoveri a regio latere, inenarrabili detinebatur mœrore. Quæ dum nocte quadam ad hoc nimiis cogitationum tumultibus pulsata obdormiret, apparuit ei per visum inenarrabili claritate circumdatus quidam angelicis decoratus canis, in sacerdotali habitu, virgam pastoralem gestans manu. Quem nimio timore perterrita dum requireret quisnam esset, intonuit se fore episcopum, et appellari Savinianum, cui et dixit : Constans esto Constantia ; quia Deo propitia liberata es ab imminenti tristitia. Illa vero de tam præclara visione perterrita, facto mane, cœpit inquirere sollicite a circumstantibus clericis si illis in regionibus haberetur episcopus qui Savinianus diceretur. Quibus ignorantiam suam profitentibus, unus ex eis qui in monasterio sancti Petri fuerat nutritus, redeunte rege Aurelianorum futurus episcopus, nomine Theodericus (8), respondit pro omnibus : Est, domina, in monasterio sancti Petri sanctus Savinianus, primus metropolitanæ urbis Senonum archiepiscopus, qui per martyrii triumphum una cum sociis pervenit ad cœlestis regni bravium. Hujus martyris si devota mente adieris præsentiam, id quod promisit absque dilatione noveris te consecuturam. At illa, de tanti viri consilio gaudens effecta, citissime una cum filio expetiit sancti Petri limina, et diutissime lacrymas fundens ante corpus beati martyris totisque viribus se committens ejus fidei, gaudens remeavit ad propria, de visitatione tanti patroni confortata. Nondum transierat dies tertia, cum subito adest intempesta nocte legatus regius ante januam, nuntians in proximo adfuturam ejus præsentiam, qui Deo ducente propriis sedibus restitutus, ut veracissima approbaretur promissio martyris, deinceps propriam conjugem magis quam eatenus dilexit, et sub ejus nutu omnia jura regalia et quæcunque possidere videbatur manere disposuit. Sed illa minime oblita promissionis sancti, satagere cœpit qualiter exornaretur corpus ejus gemmis et auro, quod diu inclusum plumbo, ab antiquis patribus absconditum fuerat sub atrio, et regi suggerens sua vota, Deo auxiliante, ad eo implenda paratum illum invenit per omnia. Qui accersiens Odorannum ejusdem loci monachum, qui ad hoc opus perficiendum videbatur idoneus, commisit una cum regina ejus fidei tantæ pietatis opus. Dederunt igitur Senonis in primis per manum Waldrici præpositi argenti meri libras IV ; deinde Senones per manum Willelmi cubicularii argenti meri solidos LV. Postea miserunt per manum Odonis Paratgii argenti meri solidos XXXVII ; miserunt etiam ad Parisius per manum Odoranni monachi auri solidos XVII, et denarios VIII, et gemmas pretiosissimas. His ita patratis, restat uti mirabilia Dei, quæ in fabricis hujus operis oculisque nostris vidimus, et ex parte manibus contrectavimus, Christi fidelibus intimemus : quæ silentio tegere crimen est admittere.

CAP. XXVII. *De Odoranni monachi profectione ad palatium, et auro ab regina accepto in capsæ fabricam.*

Igitur occupatus rex variis sæculi curis, intermisit aliquantulum ad monasterium mittere sumptus cœpti operis. Tranquillitate vero percepta, mandavit per Francolinum jam dicto fratri ut concito gradu veniret Druis ad suscipiendum munus operis. At ille vespertina synaxi expleta, et, ut mos est monachis, percepta benedictione abbatis, ire perrexit ad cacumina Druensis (9) Castri. Veniens vero post solis occasum ad sanctæ Columbæ portum, transfretavit cum suis Icaunam fluvium : cumque paululum substitisset in littore, inter cæteras stellas quibus nox

(8) Ejus gesta retulimus ad annum 1021.

(9) Druense castrum, melius Drocense, vel antiquis Durocassense, vulgo *Dreux*, vel ipso nomine clarissimum.

illustrabatur vidit quoddam sidus exsurgere eo in loco quo æstivo tempore solet horam diei primam sol demonstrare ; quod exsiliens de sui ortus loco, virtute divina cœpit ferri velociter per aera, petens cœli eminentiora loca pene usque ad illud punctum quo ea tempestate solet fieri hora sexta. Quem cum famulus, equo præparato cui insedere debebat, hortaretur, quia nox imminebat, ut ascenderet : Sustine me paululum, inquit, et intuere cum tuo socio mirabilia Dei quæ hactenus non vidi. Quo miraculo famuli attoniti, ignorantes quid præsagii præferret, signaculo crucis se muniunt, et Deo sanctoque Saviniano pavefacti corde se committunt. Stella vero in loco quo venerat paululum substitit, et retrogrado cursu ad locum unde venerat in unius horæ spatio iterum rediit. Quam pene usque ad tertiam vigiliam noctis contemplantes, eam inter cætera sidera implere cursum solitum viderunt ovantes, et inter se quid demonstraret conferentes ; quibus animo occurrit quod cœptum iter prospero gressu peragerent, et demum voti compotes concite ad domum redirent. Dantes propterea sese maturius labori cœpti itineris, per squalidam Belsam, eo surgente a mensa, pervenerunt ad palatium regis. Præmissa vero salutatione regis et reginæ, ut veracissima apparerent sideris præsagia : Suscipiens, inquit monacho regina, quæ sancto Saviniano pro posse disposuimus ad præsens mittere munera, festinus revertere ad propria ; quia nos summo mane disposuimus abire alias. Et statim proferens auri tredecim solidos ad publicam monetam Aurelianensem appensos : Si, inquit, tibi non sufficit mea ponderatio, præbeat fidem proprio oculo iterata propensio : quo ponderatore nihil aliud quam quod regina prædixerat fuit invenire. Regressus itaque monachus voti compos ad monasterium, postquam regis ex parte et reginæ dixit abbati et fratribus ave, protulit auri fulvi sancto Saviniano transmissum munus de cassilide. Appensum ergo palam omnibus per manum Francolini ostiarii et Raimberti cellerarii regis, trutina vergente, inventum est septem denarios plus habens. Unde stupefactus frater qui detulerat, et cæteri admirantes, cognoverunt pro certo quia qui sideris mutatione in eundo dignatus est ostendere miraculum, et qui ex nihilo fecit totum mundum, in sacculo fidei ob meritum martyris concessit exuberare fulvum sub septiformis numero spiritus aurum. Et qui ad redimendum filios viduæ, Elisei intercessu, fecit superexcrescere oleum, exigui auri munusculum devotione regis et reginæ fecit maximum : et caput Christi Deus, qui per prophetam suum dixit : Argentum et aurum meum, quidquid membris suis, id est sanctis martyribus, confert, alterius non est. Postea dedit rex per manum Odoranni monachi Senonis auri uncias VIII et argenti meri solidos XV. In perficiendo vero opere, ne fieret regi oneri frequens requisitio auri et argenti, additæ sunt de thesauro ecclesiæ quinque unciæ auri, et tres libræ argenti meri.

CAP. XXVIII. *De sancti Saviniani translatione, et miraculis coram Rotberto rege factis.*

Descripto itaque apparatu Deo dignissimi operis, operæ pretium est exarari miraculum scripturæ vo mere quod Dei omnipotentia præsentibus nobis dignatus est agere in sancti martyris translatione. Optata festivitatis ejus dies, qua ab antiquis Patribus ejus venerabile corpus una cum sociis in basilica sancti Petri translatum est, appropinquabat : et rex aliquantulum Senonis commoratus redire disponebat Parisius ; unde vocans archiepiscopum Leothericum, humiliter postulavit ut monasterium adiret et sancti martyris corpus de locello plumbeo, in quo ab antiquis Patribus positum fuerat, in aurea capsa quam illi paraverat transponeret. At ille sexta feria, cui succedente die Dominica futura præstolabatur festivitas, ad monasterium veniens, summa cum veneratione una cum fratribus monita regis implevit ; corpusque sancti Eodaldi quod cum eo reperit cum corpore sancti Saviniani ponens, ossa pueri parvuli cum eo humati reposuit una, et, expletis missarum solemniis, edendum abiit. Fratre vero, sub cujus arbitrio et providentia totius operis fabrica constabat, in choro monasterii residente, et imagines argenti, quod operculo capsæ superponi disposuerat, cera molli refovente, supervenit ex improviso, ductore puero parvulo, quidam cæcus postulans se intromitti in crypta ubi sancti Saviniani repositum erat corpus. Qui sciscitatus a monacho quis esset, et unde esset, vel cujus rei gratia advenisset, professus est se esse rusticum, et in pago Wastinense, in villa quæ Fontanas dicitur, habere habitaculum ad manendum et proprio nomine vocari Mainardum, et admonitum nocte præterita in somnis ut ad sancti Saviniani præsentiam veniret et lumen oculorum ibi reciperet. Erat enim triennium ex quo lumen amiserat oculorum. Intromissus itaque ad sanctum, diutius oravit ; sed nihil luminis ipsa die percipere meruit. Nimio vero suavitatis odore, ut ipse dixit, repletus, ad propria est reversus. Adveniente igitur die Dominica, adest rex cum suis episcopis et proceribus, abbatibus quoque et clericis, nec non et populo innumerabili ad transvehendum corpus martyris. Quem suscipiens una cum filio suo Rotberto propriis scapulis, reposuit cum manibus suis in illo loco ubi in præsenti veneratur a fidelibus populis. Peracto deinde solemni officio, et rege recumbente ad mensam monachisque edentibus, sedebat ibi sæpe dictus monachus ubi eum perindie sedentem supra scriptus invenerat cæcus ; qui nutu Dei ducente se puero superveniens, dixit se iterum in somnis admonitum ut quantocius expeteret sancti Saviniani auxilium, et projiciens se solotenus ante præsentiam sancti, ejus suffragantibus meritis, visum recepit, et qui eo usque a parvulo puerulo ducebatur, eo ducente, puer ad domum revertitur. Rex vero surgens a mensa orationis causa, ut mos illi erat, solus remansit in ecclesia : qui dum oraret, contigit ut sæpe dictus frater ecclesiam intraret : quem as-

piciens eminus tranquilla manu innuit ut accederet ad se propius. Cui : Enarra mihi, inquit, sanctus Potentianus sancto Saviniano quid fuerit. At ille quod socius ejus in itineris labore, et successor in honore, et collega martyrii fuerit humiliter intulit. Tunc rex graviter cœpit conqueri, et pugnis pectus tundere, eo quod eos ab invicem separasset corpore, et promittens se eum socio redditurum, commisit eidem fratri XXX et tres solidos meri argenti, ut inde inciperet præparare scrinium sancti Potentiani. Sed dum ista cogitabat agere, præventus superna vocatione reddidit Deo debitum patris nostri Adæ

IN OPUSCULA SEQUENTIA MAI MONITUM.

(*Spicileg. Rom.*, tom. IX, præf. pag. XIV.)

Inter Christinæ Suecorum reginæ codices, nunc Vaticanos, priscus quidam autographus, ut reor, opuscula continet Odoranni monachi, qui ante medium sæculum XI non incelebris in Gallia sub Roberto rege fuit, apud quem gratia plurimum floruit. Ex hoc codice Chesnius impetravit olim a senatore Petavio, tunc ejus domino, breve chronicon illud quod inter Scriptores rer. franc. tom. II vulgavit. Præterea mutilam quamdam Odoranni epistolam (confer opusc. 13) Mabillonius edidit. Cætera omnia quæ in perraro codice latent, ab ipso auctore in unum corpus, ut ipse monet, compacta opuscula, nemo adhuc extulerat, etsi ea neque eruditione historica carent, et in biblicis, musicis physicisque quæstionibus et doctrinis non inficete versantur. Placet apprime in opusculo 8 formula genuina electionis per id tempus episcopalis (10) : in opusculo 9 concio ad populum pro electo episcopo : in 11 exhortatio monastica : in 12 demum fraternæ unanimitatis testamentum. Hymnus vero in sanctum Savinianum, utrum Odoranni sit an potius Roberti regis, a quo et alios hymnos compositos constat, non definio. Certe hæc diversa manu in codice scribitur. Senonensia demum epitaphia, quæ subjungimus, Christianarum inscriptionum thesaurum aliquantulum augent.

(10) Conferatur Græcum mandatum ad nuper ordinatum episcopum apud Leunclavium in jure Gr. Rom. p. 429

ODORANNI OPUSCULA.

(*Mai, ubi supra*, pag. 58.)

PROLOGUS.

. . . locusta frequenter inpinguat, kapparis dissipatur (11). Ante quam recurrat vitta aurea (12), et ad vocem columbæ consurgatur, et rota super cisternam (13) conteratur, et pulvis ad terram suam unde erat revertatur, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum, meminisse debemus, karissime, tenebrosi temporis, et summo studio animadvertere futurum judicium districti judicis; et non solum bonorum actuum exhibitione, verum etiam scriptis et dictis, proximis nostris, ad bene agendum exemplum præbere. Unde ex multis, quæ diversis temporibus peregi, paternitati vestræ (14) pauca curavi tradere opuscula, non solum vobis utilia, verum etiam absque scrupulo invidiæ, ea legentibus, Deo a quo bona cuncta procedunt auctore, profutura. Igitur in primis de domnæ Theudechildis origine et fine, et loci nostri fundamine, ea quæ, Rotberto piissimo rege adhortante, et domno Leutherico archiepiscopo (15) commonente, brevi calamo comprehendi, ponere disposui. Deinde per annos Domini demonstrare volens quibus temporibus et a quibus personis sit sanctorum pignoribus idem locus ditatus, intentione humillima perstrinxi; inter cetera, ea quæ in translatione sancti Saviniani vidi fieri miracula. Cetera suis capitulis adnexa manifesta pandunt lectoribus examina.

EXPLICIT PROLOGUS.

(11) Acephalus est prologus in codice. Ut autem hæc prima verba intelligamus ascribo glossam superpositam : *humore subcutaneo tumescunt, sive incrassantur pedes, capilli capitis fluunt, vel venerius calor tepescit.*

(12) Glossa : *deficiat spiraculum cordis.*

(13) Glossa : *volubilitas intestinorum, stomachus.*

(14) Loquitur cum abbate.

(15) Nimirum utrique erat familiaris Odorannus. V. Mabillon. Annal. Bened. ad. ann. 1028. Erat autem Leuthericus archiep. Senon.

INCIPIUNT CAPITULA SEU TITULI OPUSCULORUM ODORANNI.

Cap. I. Origo, actus, et finis domnæ Theudechildis reginæ, et constructio monasterii sancti Petri.

II. Demonstratio per annos Domini, quibus temporibus vel a quibus personis monasterium sancti Petri præceptis regalibus, seu privilegiis episcopalibus, nec non pignoribus sanctorum dotatus sit; et quod episcopus Sennensis primatum Galliæ et Germaniæ habeat, et secundus papa appelletur; et ostensio miraculorum sancti Saviniani.

III. Ad Willelmum abbatem sub charitatis laude gratiarum actio. Et de accusatoribus et accusatis, seu de falsis testibus. De conspirationibus quoque vel inscriptionibus adtitulatio. Et de reparatione sacerdotis scripta Gregorii et Isidori.

IV. Ad Eurardum monachum de tribus quæstionibus.

V. Ad Rotbertum monachum de tonis musicæ.

VI. De divisione monochordi ad monachos sancti Germani Antissiodorensis, qui apud sanctum Leodegarium morabantur.

VII. Ad Arembertum monachum de responsorio *Aspiciens a longe*, contra Amalarium et dramatis resolutio, mysticaque Sunamitidis interpretatio.

VIII. Electio episcopalis ab Odoranno edita.

IX. Sermo ejusdem in ordinatione episcopi vulgariter pronuntiandus.

X. De injuriis sacerdotum et excommunicatione episcoporum.

XI. Exhortatio Odoranni Masciacensibus monachis, ab Ingone abbate directa.

XII. Testamentum fraternæ unanimitatis ab Odoranno editum.

XIII. Odoranni epistola ad Ayrfredum didascalum sanctæ Aurelianensis Ecclesiæ, et monasterii sancti Aviti archimandritæ, et Hugoni sanctæ matris ecclesiæ Senonensis archidiacono.

Convalescens aliquantulum a diutino et gravissimo pedum incommodo Odorannus, incarnationis Dominicæ anno MXLV, ætatis vero suæ fere LX, ne forte invidorum astu præsentia opuscula deperirent, ea in uno corpore collegit, et amore charitatis studiosis fratribus, ut in eis exercitarentur, reliquit.

EXPLICIT ARGUMENTUM.

IN CHRISTI NOMINE

INCIPIT

LIBER OPUSCULORUM ODORANNI MONACHI.

OPUSCULUM PRIMUM.

Postquam a Valentiniano imperatore Franci a Sicambria expulsi, in extremis partibus Rheni fluminis habitare cœperunt, communi consilio elegerunt sibi regem Faramundum nomine, filium Marchomiris, qui fuit de stirpe Priami Trojanorum regis. Mortuo vero Faramundo, Clodionem filium ejus regem sibi fecerunt; quo defuncto, Meroveus filius ejus in regno sublimatus est. Illo quoque obeunte, filius ejus Childericus regnum suscepit. Post cujus discessum, filium illius Chlodoveum ingenio callidum, armis bellatorem strenuum, et consilio prudentem, Franci sibi regem statuunt. Hic adhuc paganus duxit uxorem Christianam, nomine Chrochildem, filiam Chilperici regis Burgundionum, fratris Gundebodi ducis, quorum pater Gundoveus rex Burgundionum fuit. Postquam vero Chlodoveus rex, uxore sua exhortante, et sancto Remigio Remensium episcopo prædicante, sub sanctæ Trinitatis nomine baptizatus est, eo jubente, Chrochildis regina ad meridianam plagam urbis Parisiacæ, interposito Sequana flumine, in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli monasterium mirifico opere construxit. Debellatis autem Chlodoveus multis et magnis regibus, mortuus est in pace, et sepultus est in jam dicta basilica sancti Petri, ubi et beata Genovefa consepulta manet. Mortuus est autem anno quinto postquam Alaricum regem Gothorum interfecit, anno trigesimo regni sui. A transitu vero sancti Martini usque ad transitum Chlodovei regis, fuerunt anni CXII. Post mortem quoque ejus, quatuor filii ipsius, Theodoricus videlicet, et Chlodomiris, Childebertus, et Chlotarius, regnum ejus inter se diviserunt. Adhuc autem Chlotario juniore, tribus fratribus defunctis superstite, soror ejus Theudechildis nomine, eo favente, in conspectu Sennensis urbis, ad instar illius quod genitores ejus Parisiis construxerant, in honore supradictorum apostolorum monasterium ædificavit; et ut sub sancta religione et abbatis imperio ibidem monachi Deo cunctis diebus deservirent, instituit; corpusque suum ibidem sepulturæ tradere mandavit. Quicquid vero citra Ligerim, id est in

Francia, vel ultra Ligerim, id est in Aquitania, sive de possesso seu de adquisito habere potuit, eidem ecclæ Dei sub titulo testamenti contulit. Quod si quis ad plenum nosse cupit, si ipsius monasterii, ut sunt, reserata illi archiva fuerint, pro certo nosse poterit. Tunc temporis pene per universam Galliam Fortunatus presbyter, natione Italus, vir disertissimus, clarus habebatur. Hic postquam Chlotarius rex hominem exuit, ejusque filius Sigebertus regnum suscepit, quædam quæ apud nos habentur, in ipsius Sigeberti laude et Brunechildis reginæ opuscula edidit (16). Domna vero Theudechildis regina, quanto pietatis fonte redundaverit, quamque laudabilem vitam duxerit, idem Fortunatus scribens ad illam, luculenter versibus exsequitur. A

Inclyta progenies, etc., *ut in Fortunati editionibus.*

Item epitaphium Theudechildis.

Quamvis auratis, etc., *ut in edd.*

(*Postea sequitur in codice aliud epigramma de Theudechilde, quod non inveniebam inter Fortunati carmina. Sic autem se habet :*)

Hunc regina locum monachis construxit ab imo
Theuchildis rebus nobilitando suis.
Cujus nunc licet hoc corpus claudatur in antro,
Spiritus astrigero vivit in axe Deo.
Implorans rectis pastoritus euge beatum.
Det rapientibus hinc heu mala digna Deus!

OPUSCULUM II.

Continetur secundo opusculo Chronicon Odoranni, quod ex hoc ipso codice edidit Chesnius inter scriptores rerum Francicarum, tom. II, ideoque a nobis prætermittitur.

OPUSCULUM III.

Domino sacro-sancto et pie semper in Christi visceribus recolendo, monasterii sanctissimi martyris Dionysii abbati WILLELMO, *ejus nimium cupidus honoris frater,* ODORANNUS *præsentis ævi prospera, et æternæ felicitatis gaudia.*

Cum omnium Veteris et Novi Testamenti Scripturarum series, fide, spe, et charitate colendum Deum insinuet, atque majorem horum esse charitatem Apostolus aperte demonstret, dilectione Dei et proximi ipsa charitas adimpleri evidenter dinoscitur, si secundum præceptionem divini eloquii Deum toto corde, tota anima, tota virtute, et proximum tamquam nos ipsos amamus. Nam quamvis hoc quod ait apostolus Jacobus, si quis totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, minus studiosos lateat, tamen hoc unum de charitate, quæ Deus est, illum dixisse, pervigili lectori patebit, si Pauli apostoli ad Romanos scribentis subtilissimo mentis oculo verba prospexerit, ubi ait : Nemini quicquam debeatis nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, et si quod est aliud mandatum, in hoc solo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Cujus charitatis ardore succensus in tantum, reverentissime Pater, fervere dinosceris, ut non solum benivolis, verum etiam propriæ saluti contrariis, admirabilis videaris. Prælationis quoque honore inter domesticos suffultus, nequaquam extolleris, sed sic inter eos quasi unus ex ipsis; et mœrentibus atque in amaritudine positis, haud segniter compatiendo, similis cum Apostolo effici non vereris. Quod erga parvitatem meam te fecisse non ambigit quicumque me facie novit. Nam cum invidorum astutia universus pæne orbis contra me conspirasset in tantum ut, cupiditate prævalente, audientia mihi denegaretur, mox ut limina almi Dionysii adtingere merui, honorabiliter ultra quam pusillitatem meam decebat suscipere, et in ipsa congregatione una cum voluntate omnium fratrum me non ut inquilinum et hospitem, sed ut civem et domesticum dignatus es deputare. Postquam vero a domno Ingone abbate, divinitate propitia, arcessiri merui, muneratum me diversis donis, cum maximo honore propriis locis reddidisti. B

Unde quid digne tibi retribuam non invenio; quia si omnes capilli mei verterentur in linguas, non valerem verbis explicare tibi debitas gratias. Sed ne ingratus examussim inveniar, unum quiddam cujus homo ignorat pretium tibi impendo, dum frequenter calicem salutaris accipiens, et nomen Domini invocans, pro salute tua hostiam salutarem supernæ majestati offero. Præterea quia negligentia sacerdotum et cupiditate rei publicæ curam gerentium, curiosa sectantes quos Apostolus denotat, et delatores quos mundanæ leges omnino excludunt, impune sæviunt, et ob hoc frequentes conspirationes et perjuria circumquaque, et quod sine maximo cordis mærore dici non potest, in ordine ecclesiastico ebulliunt, huic errori contraria de regulis ecclesiasticis sumpta, dignum putavi tibi mittere pauca. De reparatione quoque sacerdotis mihi huic operi certum quiddam addere placuit, quatinus si hujus rei quæstio forte ab eruditis ventilata fuerit, quid super hoc sanctitati tuæ decernendum sit, noverit. Vale. C

(*Sequuntur heic in codice contra crimen calumniæ* 1. *ex decretis Innocentii;* 2. *ex concilio Carthaginiensi;* 3. *ex Capitularibus Caroli Magni;* 4. *ex concilio Chalcedonensi;* 5. *ex libro* IX *legis Ro-* D

(16) Exstant hæc in Fortunati editionibus.

manæ (17). *Quintum hoc tantummodo testimonium recitabimus :*)

« Si quis iratus crimen aliquod temere cuilibet objecerit, convicium non est pro accusatione habendum ; sed præmisso tractandi spatio, id quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur. Quod si fortasse resipiscens, post iracundiam quod dixit iterare aut scribere fortasse noluerit, non ut reus criminis teneatur. » Item. « Nisi inscriptione celebrata, reum quemquam non fieri, nec ad judicium exhiberi ; quia sicut convictum pœna constringit, ita et accusatorem, si non probaverit quod objecit. » Item. « Non credendum est eorum confessioni contra alios, qui in criminibus accusantur, nisi se prius probaverint innocentes; quia periculosa est et admitti non debet rei adversus quempiam confessio. » Item. « Ante inscriptionem nemo vocetur criminosus. Nam inscriptione per ordinem facta, tunc a judice suscipiendus est reus; ea tamen ratione ut tam accusati quam accusatoris dignitas æstimetur; et unumquemque ante discussionem ita judex faciat custodiri, ut eorum natales aut dignitas patiuntur. Sane his qui crimina sua in quæstione confessi sunt, de aliis si dicere voluerint, a judice non credatur ; quia jure legibus constitutum est, ut spontanea professione reus reum non faciat ; neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est. » Item. « Servus dominum accusans, non solum audiendus non est, verum etiam puniendus, nisi forte dominum de crimine majestatis tractasse probaverit. » Item. « Si servus dominum aut amicus vel domesticus sive libertus patronum accusaverit, vel detulerit cujuslibet reum, statim in ipso initio accusationis, gladio puniatur ; quia nos vocem talem exstingui volumus, non audiri ; nisi forte dominum aut patronum de crimine majestatis tractasse probaverit. »

(6. *Ex concilio Agathensi ;* 7. *ex decretis Silvestri papæ ;* 8. *ex concilio Carthaginiensi, quæ omnia omittimus ;* 9. *Hæc demum habentur quæ ascribimus.*)

De accusationibus vel inscriptionibus constitutum est ab imperatoribus Theodosio et Constantino, Arcadio, et Honorio, vel ceteris, contra improbos accusatores, ut in falsis criminibus eos accusare non delectet. Igitur ego ille adversum te in rationibus publicis adsisto. Si injuste interpellavero, et victus exinde apparuero, eadem pœna, quam in te vindicare pulsavi, me constringo atque conscribo partibus tuis esse damnandum atque subiturum. Et pro rei totius firmitate manu propria firmo, et bonorum virorum judicio roborandum trado.

(10. *Ex Gregorio papa ad Secundinum ;* 11. *Ex epistola Isidori episcopi ad Massonem episcopum, quæ incipit :* veniente ad nos famulo vestro ; 12. *Ex concilio Ancyrano. Denique concluditur Odoranni epistola his versiculis.*)

Hic monachis longos tribuas pia vota per annos
Et maneas pastor ne lacerentur oves.

OPUSCULUM IV.

Domino fratri et consacerdoti EURARDO *syncellitarum infimus frater* ODORANNUS *quicquid sibi.*

Quod omnis medicina aut ex similibus aut ex contrariis fiat, ut comperi, tua fraternitas non ignorat. Quod vero qualiter ex similibus et dissimilibus, deque nec ex toto similibus, neque ex toto dissimilibus omnis harmonia jungatur, licet ætate et merito me præcedas, a me doceri cupis. Ne ægre feras, reverende Pater, si differo ; quia quod petis, nisi fallor, non est tuæ ætatis neque valitudinis. Sufficiat tibi in quantum facultas suppetit, regularium modorum initia et fines, ascensiones, nec non et descensiones in monochordi plana superficie nosse, et gravium acutorumque sonorum demulceri dulci modulamine. Ceterum quæstionum tuarum non immemor, quid de prævaricatione Salomonis Augustinus doctor egregius senserit, quidque interpres et expositor divinæ legis Hieronymus de ejus pœnitentia scripserit, vel ubi illum catholicæ fidei defensor Ambrosius sanctum apellaverit paucis intimabo.

In expositione libri Genesis ad litteram, libro x Augustinus de eo : « Salomon, inquit, vir tantæ sapientiæ, numquidnam credendum est quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? Non ; sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum ; ne suas quibus deperibat atque defluebat delicias contristaret. » Item Hieronymus in libro explanationum super Ezechihel XIII : « Domui, inquit, Israhel eorum qui animo conspiciunt Deum, ostenditur domus, hoc est templum, quod Ezechihel situm in monte conspexit. Et non solum in monte, sed, sicut nunc dicitur, in summitate montis. Quam nequaquam illam putemus, quæ a Salomone constructa narratur in Regum et Paralipomenon libris ; illa enim alterius ordinis atque mensuræ est, et in singulis magnam habens diversitatem ; tantumque inferior templo quod nunc ostenditur Ezechiheli, ut non solum cultores ejus vel ædifici, sed et ipse fabricator ejus Salomon peccaverit, et offenderit Deum, licet postea egerit pœnitentiam, scribens Proverbia in quibus ait : Novissime ergo egi pœnitentiam, et respexi ut eligerem disciplinam. » Ambrosius quoque in libro Hexameron mentionem ipsius faciens « quoniam, inquit, et elephantos vides tibi subditos, et leones subjectos, nosce te ipsum, o homo, quia non ut ferunt Apollinis Pythii, sed Salomonis

(17) Sequens legis Romanæ tractus non exstat in ejusdem legis editione apud Cancianum tom. IV, ubi liber IX legitur p. 490-494. Similia tamen his dicuntur in Cod. Theodos. IX, 1, 19.

sancti est, qui ait : Nisi scias te, formosa inter mulieres. »

De abortivis vero fœtibus, postquam in uteris matrum vivere cœperint, quod originalis peccati pœna teneantur obnoxii, sanctus Augustinus in libro quem De fide ad Petrum diaconem scribit, inter cetera sic ait : « Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiant, sive jam de matribus nati, sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos ; quia etsi peccatum propriæ actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione et nativitate traxerunt. » In libro quoque Enchiridion idem doctor scribens ad Laurentium, de hac quæstione plenissime disputat.

His ita explicitis, restat de origine animarum solutio quæstionis. Quam ne modum epistolæ excedens, æmulis qui dum mihi detrahunt, semetipsos illudunt, susurrandi occasionem præbeam, præscriptis auctorum nominibus, separatim subnectam. Illud vero beati Gregorii papæ universalis, quod ad Secundinum reclusum scribit inquiens : « De origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva facta est ; sed utrum ipsa ab Adam descenderit, aut certe singulis detur, incertum remansit, eamque insolubilem professi sunt esse quæstionem. Si venerit in manus tuas dulcissimam mihi charitatem tuam non moveat ; quia, ut verbis ipsius qui habitaculum extitit Spiritus sancti loquar, nos affirmare nolumus, quod apertis testimoniis non approbamus. » Cassiodori etiam librum De natura animæ, et primum Sententiarum librum Isidori legere ne pigriteris. Sed ne diutius diversorum opiniones librando, in his moras videar innectere, quid Isidorus in libro De definitionibus ecclesiasticorum dogmatum senserit ; quidque de hujusmodi quæstione disertissimus versificator Prudentius scriptum reliquerit, articulus demonstrabit. Vale in Christo, monachorum gemma fulgida, et ora pro me.

Sequitur Isidori de origine animæ : Nihil incorporeum et invisibile *usque* humana substantia. *Deinde versus Prudentii :*

Occurrit dubitans hic dissertator, et illud;

usque :

Numen non licerat, plenum sibi semper et in se.

Deinde pergit Odorannus. Hucusque finis quæstionis tertiæ de origine animæ. Cæterum propagationem humani corporis tradunt naturalium scriptores rerum quadraginta et sex dierum numero perfici ; quia videlicet sex a conceptione diebus lactis habeat similitudinem, sequentibus novem convertatur in sanguinem, deinde duodecim solidetur, reliquis decem et octo formetur usque ad perfecta liniamenta omnium membrorum ; et hinc jam reliquo tempore usque ad tempus partus magnitudine augeatur. Sex autem, et novem, et duodecim, et decem et octo, quadraginta quinque faciunt : quibus si unum adjecerimus, id est ipsum diem conceptionis, XLVI inveniemus. Id ipsum et nomen Adam, qui quatuor litteris scribitur, significat. Nam ἄρκτος, quod est septemtrion, ab alpha incipit ; et δύσις, quod est occidens, a delta incipit ; et ἀνατολή, quod est oriens, ab alpha incipit ; et μεσημβρία, quod est meridies, a mi incipit ; quæ sunt quatuor partes orbis ab his quatuor litteris incipientes ; quæ litteræ, si in computo Græco considerentur, XLVI faciunt ; nam alpha unum, delta quatuor, iterum alpha unum, mi quadraginta, qui simul ducti XLVI reddunt.

Hæc quoque qui legitis, rogo, reddite verba salutis,
Nam mihi charta levis, pondus amoris erit.

OPUSCULUM V.

Dimidiæ parti animæ suæ, fratri et consacerdoti ROTBERTO, *peccatis maximis obvolutus frater* ODORANNUS *quicquid amico amicus.*

Quod vere amicitia sit animorum societas, testatur, reverende frater, dulcior mihi melle dulcissimo, perfectissima tui animi charitas, quæ me in tribulatione nuper posito non solum non erubuit, verum etiam ex pii cordis intimo lacrymas sæpe fundendo, et frequenter supernæ majestati hostiam laudis immolando, semper tremendum judicem, ut spero, mihi placatum reddidit. Nunc vero quia in retributione tanti beneficii nequaquam ignava opum pondera, quibus ad facinus nihil instructius cum habendi sitis incanduit, ad meritum nihil vilius cum ea sibi victor animus calcata subjecit ; neque axiomata philosophorum, Stoicorumque sophismatum cavillationes, sed, quod his melius æstimas, recte modulandi notitiam a me tibi demonstrari postulas, pandam tibi evidenter in quantum dederit superna pietas. Et primo musicarum chordarum nomina alphabeto continuo insignita præfigam : et sic demum regularium modorum nomina cum formulis subnectam. Nomina vero chordarum idcirco tibi designo, ut si forte, auxiliante superna gratia, notitiam modulandi in regulari monochordo obtinere valueris, quot intervallis toni inter se differant, dinoscere possis.

Sequitur mediocre opusculum de tonis musicæ, cum musicis notis, etc., quam ego lucubationem peritis ejus artis, cujusmodi medio ævo erat, vulgandam aut illustrandam relinquo. Sic autem concludit Odorannus.

Ecce tibi, bone vir, protelata sed ut spero non inutili parenthesi, recte modulandi formulis levius quam potui traditis ; restat ut si ad altiorem scientiam artis musicæ pervenire non potueris, saltem totum monochordum quinque tetrachordis in tribus

generibus, diatonico videlicet, chromatico, et enharmonico, constare noveris; quorum primum dicitur hypaton, secundum meson, tertium synemmenon, quartum diazeugmenon, quintum hyperboleon. Symphoniis vero non, ut aliqui volunt, sex, sed quinque. Harum prima est diatesseron, constans epitrita proportione, id est sesquitertia, ut est ·IIII· ad ·III· Secunda diapente, constans hemiolia, id est sesquialtera, ut est ·III· ad ·II· Tertia diapason, constans dupla, ut est ·IIII· ad ·II· Quarta diapason et diapente, constans tripla, ut est ·VI· ad ·II· Quinta bis diapason, constans quadrupla, ut est ·VIII· ad ·II· Epogdous vero, id est tonus, vicem obtinens puncti, constat sesquioctava, ut est ·VIIII· ad ·VIII· Fit autem diatesseron consonantia in duobus tonis, et minori semitonio. Diapente in tribus tonis, et semitonio minori. Diapason in tonis quinque, et duobus semitoniis minoribus. Ac per hoc diatesseron quattuor, diapente quinque, et diapason continet chordas octo. Ante omnia autem cavendum est cantori in præscriptis modorum formulis, ut omnis cantilena aut cum sua differentia inciplat, aut epogdoo, id est tono, vel pleno enharmonio, id est duobus tonis, seu diatesseron vel diapente ab ea differat. Si vero vis nosse quid sit differentia : differentia est similium rerum quædam dissimilitudo; vel, differentia est sufficiens discretio ad id quod susceperis discernendum.

Habes igitur, o mi dulce solamen laborum Rotberte, recte modulandi notitiam brevi schedula comprehensam, et utilitati multorum, si in ea non seguiter studuerint, aliquantulum profuturam. Quæ si in æmulorum manus devenerit, et eam, occulte lectitantes, publice subsannaverint, sua sibi componentes, si valuerint, illud beati Augustini dictum memineriut : Necesse est a pluribus plures fieri libros, diverso stylo sed non diversa fide. Commoneo autem te et hortor ut orationum tuarum pennis me subleves, quatinus vincula criminum meorum, quibus, accusante propria conscientia, miserabiliter constringor, absolvi merear, Deo miserante, et aliquid memoria dignum posteris relinquere. Vale in Christo, custos mei animi, ut credo.

OPUSCULUM VI [18].

Perfectæ caritatis vinculo sibi conexis fratribus in monasterio sancti Leodegarii, obœdientiæ pede magistram regulam sequentibus, Valcherio atque Rotberto, misericordia Dei indigens frater Odorannus quidquid sibi.

Arduam et pæne difficillimam rem, quam a me extorquere vultis, nequaquam ad præsens elimare præsumerem, nisi, fisus de Dei auxilio, vestris orationibus, ad id quod petitis, me extendi sperarem. Præsertim cum intra flumen Ararim, in castello qui Malliacus dicitur, cum Gilduino archiepiscopo (19), quem ad erudiendum suscepi, maneam, et liberalium artium libris et instrumentis caream. Sed quia, ut olim legimus, nil tam difficile est quin facile fiat quod volens quisque faciat, repetita memoria voluntati vestræ pro posse satis faciam.

Dimensionem monochordi regularis, dulcissimi fratres, qua vos instrui postulatis, salva auctoritate Patris patriæ domni Boethii, taliter agere potestis. Quia nervus dividi vel commensurari in sua natura non valet, adhibeatur lignum quadratum, et pleniter ad hoc opus usque ad unguem expolitum, cujus longitudo sit plus minus duorum manualium pedum, et crassitudo illius plus minusve unum possideat palmum. Ad cujus ligni capita, assumpta geometricali regula, id est circino, duæ circumducantur sphærulæ, quæ sint unius mensuræ. Deinde adhibeatur regula diligenter perpolita, quæ, a centro primæ sphæræ usque ad centrum secundæ cum omni cautela deducta, rectum diametrum ipsorum circulorum reddat. Iterum adhibeatur circinus, et, inferiori sive eminentiori parte circulorum aptatus, ita ultimos fines priorum diametrorum tangat, ut iterum alia diametra per crassitudinem illius ligni efficiat. Ab his deducatur recta linea, quæ primæ lineæ diametrorum priorum matris sit par; tali cum cautela, ut inter se et alteram spatium mensuræ unguis digiti auricularis efficiat. Quæ plana superficies vim lineæ continens, taliter ut commensuretur, necesse est. Adhibita cum circino regula, dividatur in duas æquas partes. Iterum eædem duæ partes dividantur in alias duas, ita ut ipsa plana superficies tota dividatur a diametro usque ad diametrum in quatuor æquas partes. Nete hyperboleon (20) igitur nervus obtineat finem dimensionis tertiæ, et usque ad diametrum in octo partes dividatur, eique sua octava pars ut novenarium impleat numerum superaddatur; sicque tonus in sesquioctava proportione inter nete hyperboleon et paranete hyperboleon constituatur. Simili modo ut trite hyperboleon perficiatur, sesquioctavæ proportionis a paranete hyperboleon usque ad destinatum sibi punctum regula servetur. Semitonium vero quod restat ad diatesseron consonantiam perficiendam, sive ad tetrachordum hyperboleon implendum, investigatione hujusmodi est agendum. Dividatur cum circino hyperboleon chorda in tres æquas partes, et ipsa ejus tertia pars illi ut sesquitertiam proportionem efficiat superaddatur; sicque totus nervus nete diazeugmenon appellabitur.

Ad instar itaque hujus primi tetrachordi, quattuor quæ sequuntur tetrachorda in genere diatonico agere

(18) Ob hoc Odoranni opusculum intelligendum, nihil magis proderit quam conferre, præter Boethium, Euclidis introductionem harmonicam, inter auctores music. antiq. a Meibomio editos.

(19) Nempe Ecclesiæ Senonensis, ab anno 1032.

(20) Hæc et sequentia vocabula recitantur etiam ab Euclide, p. 3, nec non a Boethio. lib. I, cap. 20 usque 25.

expedit. Adhibeatur iterum circinus ad diazeugmenon tetrachordum componendum, et nete diazeugmenon locum semitonii obtinens in octo partes dividatur; et sesquioctava ei sua pars obtinens toni spatium ad paranete diazeugmenon componendam addatur. Quod si quis levius et absque maximo labore agere voluerit, nete hyperboleon in duas æquas partes dividat, et medietatem ejus eidem addat, ut diapente consonantiam constantem tonis tribus et semitonio minore reddat. Idque de paranete hyperboleon faciat, ut trite diazeugmenon ad eam diapente consonantiam facientem obtineat. Quæ ratio in reliquis tonis componendis servetur, eo tenore ut in diapente consonantia, quæ sesquialtera proportione constat, tres toni cum semitonio minore, ut diximus, habeantur. Hujus siquidem diazeugmenon tetrachordi quæ sit finalis videatur. Dividatur ad instar prioris tetrachordi nete diazeugmenon circino in tres æquas partes, et tertia pars ei superaddatur; sicque tota residua chorda paramese vocabitur.

Tetrachordum vero synemmenon taliter est metiendum. Spatiolum illud quod constat inter duas lineas, quæ altrinsecus singula diametra possident, partiatur æqua dimensione in longitudinem, ut inferiorem partem diazeugmenon, et superiorem sortiatur tetrachordum synemmenon; et eum locum, quem retinet paranete diazeugmenon ad nete diazeugmenon, habeat nete synemmenon, toni scilicet distantiam; qui tonus conjungat hyperboleon tetrachordum cum diazeugmenon tetrachordo, et disjungat synemmenon ab hyperboleon, et pæne una eademque sit paranete diazeugmenon, et nete synemmenon. Simili modo trite diazeugmenon obtinens distantiam toni, et paranete synemmenon pæne una habeatur. Ut vero trite synemmenon per consonantiam sumatur, trite hyperboleon in duas partes dividatur, et sesquialtera proportio aptetur. Hanc sequitur mese, potestate et nomine media, conjunctarum et mediarum tetrachorda conectens. Huic proxima lychanos meson sesquioctava constituatur, proportione sumpta a paranete diazeugmenon per consonantiam diapente. Ad hanc moduletur tonus parhypate meson, sesquialteram modulationem servans ad trite diazeugmenon. Finis vero hujus meson tetrachordi semitonium demonstrans ut inveniatur, meson nervus tripertiatur, et sui tertia pars ut consonantiam diatesseron efficiat illi addatur. Lychanos quoque hypaton dudum continens quartam partem totius lineæ, quæ ab hypate meson sesquioctava proportione distare videtur, ad meson sesquialteretur. Ad instar vero hujus, ad lychanos meson diapente consonantiam servans, et ab eo tono differens, per hypate hypaton constituatur. Hypate autem meson tripertiatur, ut hypate hypaton semitonium continentem, sesquitertia proportione operetur. Ad hanc proslambanomenos, quæ et sinistræ sphærulæ diametrum possideat, tonum et ad meson diapason.

(21) *Glossa in codice:* Magadam, quam nos sesquisphærium, id est quartam partem sphæræ, dicimus, nominant.

Hactenus de diatonico genere, quod est naturalius et durius. Ceterum duo genera reliqua tali ratione sunt metienda. Dividatur cum circino spatium continens tonum, quod est nete hyperboleon et paranete hyperboleon, æqualiter, et sui medietas illi addatur; et ubi circinus pedem fixerit, paranete hyperboleon chromatica constituatur. Trite vero diatonica, eadem sit et chromatica. Et in enharmonico genere sit paranete hyperboleon enharmonica, quæ trite hyperboleon diatonica. Semitonium vero diatonici generis dividatur in enharmonico genere per diesin et diesin; et hæc sit trite hyperboleon enharmonica. Illud quoque sciendum, quod omnis nete et paramese et mese et hypate et proslambanomenæ in tribus generibus sint immobiles, et initia et fines tetrachordorum operentur; et quod diatonicon genus constet duobus tonis et semitonio, et chromaticum genus tribus semitoniis incompositis, et majore et minore compositis, enharmonicum duobus tonis incompositis, et diesi et diesi.

His ita dispositis, humili mente deposco sanctitatem vestram, amantissimi fratres, ut mei miserendo orationum vestrarum remigiis me in salo hujus labentis ævi laborantem sustentetis, quatinus pervenire merear, auctore Deo, ad portum æternæ salutis. Si quis vero initia et fines, nec non ascensiones et descensiones, differentiasque tonorum ad plenum nosse desiderat, epistolam fratri et consacerdoti nostro Rotberto a me scriptam studiose sibi legat. Subjectas descriptiones cordis oculo contemplantes, valete felices.

Deinde superpositis notis musicis habentur hi versiculi:

His poterit sollers signatum discere cantum
Schematibus super adscriptis sine voce magistra,
Si magada (21) chordam discriminet in monochordo.
Hæc etenim repetit vocis reflexio grata
Symphoniis pariterque tonis diaschismate bino.

Postea Salutatio apostolorum, *ut inscribitur, pariter cum notis musicis:*

Avete, mundi lumina,
Petre, Paule, sanctissima;
Quorum alter patibulo crucis
Conjunctus magistro, alterque
Ensis jugulo locatus cæli solio
Mundi gubernat machinam
Jam pæne fini proximam.
Poscite nobis miseris, quos gravat
Moles criminis, ut vobiscum
Perpetua perfruamur lætitia.

Sequuntur diagrammata varia musica. Postremo prosequitur auctor.

Omnium consonantiarum ratio.

Sciendum est quia proportio, id est comparatio numerorum, quæ appellatur in arithmetica sesquitertia, id est altera tertia, sescus enim dicitur alter, appellatur in musicis diatesseron, ex duobus et quattuor, quia, duobus in medio consistentibus, duo extremi sibi invicem copulantur, ut est octonarius ad senarium : octonarius enim habet in se totum senarium, et ejus tertiam partem, id est binarium. Similiter quæ in arithmeticis hemiolia sive sesquialtera, id est altera dimidia, appellatur in musicis

diapente, ut est novenarius ad senarium. Habet enim novenarius totum senarium, et ejus medietatem, id est ternarium. Et quæ in arithmeticis dupla, in musicis appellatur diapason, ut est duodenarius ad senarium; habet enim duodenarius totum senarium duplo. Et qui epogdous, id est vicem obtinens puncti vel unitatis in arithmeticis, appellatur tonus in musicis, ut est novenarius ad octonarium; habet enim novenarius totum octonarium et ejus octavam A partem, id est unitatem. Tripla vero proportio in arithmeticis, appellatur diapason et diapente in musicis, ut est ·XVIII· ad senarium; habet enim ·XVIII· senarium triplo, bis autem duplum. Item quadruplum in arithmeticis, dicitur bis diapason in musicis, ut est ·XXIIII· ad senarium, habet enim ·XXIIII· totum duodenarium duplo, et senarium quadruplo, ut subjecta formula demonstrat. *Sequitur in codice diagramma.*

OPUSCULUM VII.

Aremberto fratri Odoramnus plura salutis.

Delectabilium quæstionum tuarum stimulatus affatibus, hæc tibi pauca reddo devotus. Amalarius Lugdunensis Ecclesiæ sacerdos, in suis opusculis responsorium beati Gregorii, cujus est initium « Aspiciens a longe » reprehendens, miratur quod in ullo prophetarum verba ipsius responsorii continua, ut sunt, minime repperiantur. Qui si subtilem mentis oculum adhibuisset, profecto non solum in nocturnis, verum etiam in diurnis officiis ejusmodi ratione composita nonnulla pervidisset, ut est « dicit Dominus, sermones mei. » Sed licet vas electionis et habitaculum Spiritus sancti domnus Gregorius defensione nostra non egeat, nos tamen minus studiosis, quid super hoc sentiamus, paucis elucidamus. Aspiciens a longo (subaudis *ego Gregorius*), id est, contemplatus post multa tempora adventum Christi, ecce video Dei C potentiam venientem, id est, oculo veræ fidei intueor impletum illud quod ait Psalmista: « Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. » Et ut ait Esaias propheta: « Ecce nomen Domini venit de longinquo. » Et nebulam totam terram tegentem (subaudis *video*), id est gloriam Domini totum mundum implentem; quemadmodum sapientia Dei Patris in laude sui fatetur: « Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens, et quasi nebula texi omnem terram. « Ite obviam ei (subaudis *cuncti fideles*), id est, prævenite cum Psalmista faciem ejus in confessione; et dicite, id est, corde credite et ore confitemini, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Nuncia nobis si tu es ipse qui regnaturus es in populo Israhel, id D est, demonstra nobis per prophetas tuos nativitatem tuam sive judicium futurum, ostendendo nobis misericordiam tuam, ut salvi simus; vel, salutare tuum nobis notum fac endo, qui regis Israhel, id est viros videntes Deum. Illud vero, carissime frater, sollerter intuendum est, quod in psalmis vel prophetis futurum tempus pro præterito, et præteritum pro futuro, præsens quoque pro præterito vel futuro, præteritumque et futurum pro præsenti ponitur. Si cui displicent ista, perquirat sibi utiliora.

Præterea, solvendo quæstionem dramatis, festinemus ad mysticam interpretationem Sunamitidis. Drachma, mæ, primæ declinationis, genus est ponderis, et est octava pars unciæ, et appenditur scri- B pulis tribus. Drama, tis, tertiæ declinationis, latine dicitur fabula. Inde modulatur antiphona in honore hujus virginis: Frequentate nobis dulcia cantica dramatis; quam nos Canticum canticorum dicimus Salomonis, in quo, post multa sub persona Ecclesiæ, sanctæ Dei Genitrici congrua reciprocando, in ejus admiratione taliter proclamat synagoga: « Revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te. » Frequens proclamatio insinuat quod nimius ardor videndi eam versetur in uniuscujusque fidelis animo. Per Sunamitidem ergo, quæ, ut in Regum libro legitur, in universa terra Israhel ad serviendum regi David perquisita, inventa est pulcra nimis, in cujus etiam sinu rex quievisse dicitur, beata et semper Virgo Maria figuratur, in cujus sinu Rex cælorum quievisse creditur; et ex cujus immaculato utero, homo factus pro salute nostra, idem, Deus et homo, quasi rex de cubiculo suo processisse prædicatur. Recte autem de Sunamitide legitur: « Rex vero non cognovit eam, » quia beata Virgo Maria, virgo ante partum, virgo post partum, et virgo in partu, absque commixtione virili Deum et hominem nobis ineffabiliter protulit.

Alioquin, ea quæ de Sunamitide figuraliter protulimus, restat ut de sancta Dei Ecclesia non habente maculam neque rugam mystice intelligamus. Dum enim de divinis Scripturis intellectum alicujus mysticæ significationis exsculpere Deo donante nitimur, una cum Christi discipulis spicas manibus confricamus. Sunam, juxta veram Hebraicorum nominum interpretationem, *altitudo* interpretatur; unde Abisag, inter filias Hierusalem speciosa, quæ *voluntatis ignorantia* interpretatur, orta fuisse describitur; quam David rex, qui *fortis manu* interpretatur, suo lateri sociasse, sed eam minime cognovisse legitur. Adonias vero qui *senior* dicitur, per manum Bethsabe, quæ *domus septem*, sive *domus abbatizantium* interpretatur, eam suo conjugio postulasse dinoscitur. Hic per manum Banaiæ, qui *instructor* sive *ædificator* dicitur, Joiadæ filii, qui *sapiens* interpretatur, interfectus esse scribitur. His paululum intermissis, Deo ducente, secundum capacitatem ingenioli nostri, redeamus ad solutionem mysticæ propositionis.

Per Sunam, quæ *altitudo* interpretatur, æterna Dei sapientia, id est Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, recte intelligitur; de quo per Psalmistam dicitur : « Verbo Domini cœli firmati sunt; » et : « Omnia in sapientia fecisti; » de quo et per Salomonem dicitur : « Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. » Cujus etiam excellentia Apostolus, usque ad tertium cœlum raptus, mente contemplatus, proclamat : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi et retribuetur ei ? quoniam per ipsum, et cum ipso, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. » Per Abisag vero, quæ *voluntatis ignorantia* interpretatur, sancta electorum Ecclesia designatur, de qua per Salomonem dicitur : « Felix sterilis, et inconquinata ! quæ nescivit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. » De qua etiam Anna mater sancti Samuhelis, fœcunditatem synagogæ, et sterilitatem ejus ad tempus; demum vero futuram Ecclesiæ fœcunditatem, et synagogæ sterilitatem adtendens, prophetando intulit dicens : « Sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est. » Quia revera, cærimoniis et animalium victimis veteris legis cessantibus, mater nostra sancta et immaculata Dei Ecclesia per fidem credentium et sacri baptismatis regenerationem Deo cottidie filios gignere non desinit. Porro per David regem, qui *fortis manu* interpretatur, Dei Filius, qui vicit diabolum et mundum, recte intelligitur; de quo per Danihelem dicitur : « Aspiciebam in visu noctis, et ecce in nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat : et datum illi regnum et honor; et omnis populus, tribus, et linguæ illi servient : potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur. » Hominem etiam paradiso restituit, ut Psalmista ait : « Tu es, Domine, qui restitues hereditatem meam mihi. » Specialiter vero hereditas nostra dicitur Christus, ut idem Psalmista canit : « Dominus pars hereditatis meæ; » et : « Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus. » Qui ut nos hereditatem Dei esse ostenderet, subjunxit : « Beatus populus quem elegit Dominus in hereditatem sibi ! » His itaque dictis, vertamus stilum ad ordinem narrationis.

Per senectutem regis David bene intelligitur ultima pars præsentis sæculi, in qua Deus pro nobis homo dignatus est fieri. Per mortem vero ejus significatur vera mors Christi pro nostra redemptione in cruce pendentis. Porro per Sunamitidem, quæ in omnibus finibus Israhel perquisita inventa est nimis pulcra, quæ etiam regio lateri admixta eum fovisse, et in cujus sinu rex quievisse scribitur, sancta universalis Ecclesia, ut jam diximus, figuratur; quæ, de omnibus gentibus congregata, per unitatem fidei Christo vero Regi creditur conjuncta, ut ait Psalmista : « Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. » In vestitus deauratione, cruor per quem redempti sumus sanguinis Christi, seu unctio chrismatis sacri; et in circumdatione varietatis, signatur varia distributio donorum Spiritus sancti. In sinu vero Ecclesiæ Christus quiescit, dum post resurrectionem suam, ascensurus in cælum, apostolis dicit : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Unde et Johannes ait : « Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est. » Alioquin Adonias, qui *senior* interpretatur, antiquum Hebræorum populum designat,; qui, postquam Christum Dominum in cruce suspendens morientem vidit, occasione veteris legis accepta, ecclesiam fidelium sibi subjugare voluit. Qui Sunamitidem per Bethsabe sibi dari postulat, dum carnalibus templi sacrificiis, neomeniis quoque et sabbatis, fideles Christi sibi subicere volens, a Hierosolymis fugat. Quem adgressus filius Joiadæ, qui *sapiens* dicitur, Banaias, qui *instructor* sive *ædificator* interpretatur, interficit; dum sapiens architectus Ecclesiæ, et instructor morum nostrorum vas electionis Paulus apostolus, scuto fidei armatus, galea salutis protectus, et gladio Spiritus sancti corroboratus, Judæos increpans ait : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam reppulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. » Qui et Corinthiis scribens ait : « Circumcisus aliquis vocatus est ? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est ? Non circumcidatur. » Et ad Galatas inquit : « Ego Paulus dico vobis quoniam, si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest; quia in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed fides quæ per caritatem operatur. Et quicumque hanc regulam servaverint, pax super illos et misericordia Dei. » Simon quoque Petrus et Jacobus et ceteri apostoli his qui ad fidem Christi ex gentibus per baptismum conversi fuerant, ne circumcisioni et cærimoniis veteris legis subicerentur, istiusmodi scripta per manum Barnabæ et Pauli in Actibus apostolorum misisse leguntur : « Visum est Spiritui sancto et nobis, fratres, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immundiciis simulacrorum, et sanguine, et suffocatis, et fornicatione. »

Alioquin denuntio ego (22) omnibus qui nomine Christiano censentur, et hanc legem sibi a Spiritu sancto et a Christi discipulis datam non custodiunt, quia, nisi pœnituerint, Christiani non sunt. Quod si Christiani non sunt, profecto, ut Johannes testatur, Antichristi, id est contra Christum stantes, appellari possunt; de quibus alibi legitur : « A nobis exierunt, sed non erant ex nobis; quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. » Sectatores vero hujusmodi vocantur hæretici, id est a Deo alieni

(22) *In margine* : scilicet Odorannus.

Ceterum rex Salomon, qui *pacificus* interpretatur, A cujus, ut Regum historia refert, omnis terra desiderabat faciem videre, cujus etiam nutu Adonias interfectus est, pacificus Rex noster Jesus Christus Filius Dei vivi, « in quem, » ut apostolus ait, « desiderant angeli prospicere, » qui pacificavit per suum sanguinem quæ in cælis sunt et quæ in terra, allegorice intelligi potest ; qui antiquum hostem expugnat, dum habitaculum nequitiæ ejus Antichristum perditionis filium, qui elevatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, exterminat, ut Apostolus manifestat : « Quem Dominus Jesus, inquit, interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui. »

Amplius [*marg.* dicam]. Expeditis his quæ ad mysticam interpretationem Sunamitidis pertinere B videbantur, operæ pretium duximus moralitati convenientia huic opusculo addere pauca. In jam dictis canticorum Canticis, sub persona Sunamitidis sic se habent verba sapientis de Christo et Ecclesia prophetantis. « Si ignoras te, inquit, o pulcra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos, » quos alia translatio appellat agnos. Ecclesia Græce, Latine *congregatio justorum* dicitur, quæ ignorare se dicitur, dum, originalis peccati pompis abnegatis, et idololatriæ cultibus postpositis, præterita cum Apostolo relinquens, in futuris sese extendere nititur. Pulcra inter mulieres appellatur, dum conventiculis synagogæ comparata, mundior per baptismum invenitur. Egreditur cum Abraham anima justi de terra et de cognatione sua, dum proprii corporis illecebras, voluptates, et carnalium sensuum transiliens desideria, humili mente festinat ad supera. Incedit post vestigia gregum, quando præcedentium prophetarum et apostolorum vestigia sequens, spiritalium doctorum dictis et factis inhærere desiderat. Pascit agnos suos, dum, de virtute in virtutem conscendens, sibi et suis pabula divini verbi lectionibus inhærendo subministrat. Quibus, pascua divini verbi decerpere gestientibus, ait Apostolus: « Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. » Et Psalmista : « Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus. »

Talibus et his similibus anima virtutibus decorata, filia Dei meretur appellari; ut Spiritus sanctus per os David ei suggerendo intulit: « Audi, filia, et vide, et inclina aurem, et obliviscere populum tuum, » idololatriæ sive titillationibus carnis reluctando; « et domum patris tui, » nævum originalis peccati, seu delectationes corporis, ne ad consensum usque perveniant, fugiendo. Et tunc digna eris audire vocem sponsi in die ultimo: « Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te: veni de libano, veni. » Quæstionum caritativa solutio, spe firma sit in Christo unius fidei nostræ valitudo.

OPUSCULUM VIII.

Quod omnis inæqualitas ab æqualitate progressa, C qualiter ad æqualitatem redeat, inter doctos aliquando sit dubitabile, puriore mentis ratione vigentis est disserere. Vulgum vero quod dubitatio ipsa prætereat, Pater patriæ (23) evidenter declarat. Proportione igitur inmortalitatis, Omnipotentis providentia hominem in principio creavit æqualem angelis, qui, inobedientia mandatorum Dei, ex inmortali mortalis factus, proh dolor! in hujus ævi quam patimur ærumnam est expulsus. Sed creator illius nolens eum pati sempiternaliter, mittendo Verbum suum non solum ad æqualitatem supernorum civium illum revexit misericorditer, verum etiam super omnia creata extulit, ut ait Propheta, mirabiliter: « Omnia subjecisti sub pedibus ejus. » Illud vero licet de homine Christo Jesu specialiter sit prædictum, D tamen illud evangelicum adtenta mente de illius membris est recolendum. « Quodcumque, » dixit idem Dominus, « ligaveritis in terra, erit ligatum in cælis ; et quodcumque solveritis in terra, erit solutum in cælis. » Hujusmodi potestas, Spiritu sancto cooperante, apostolis per intervalla temporum eorumque successoribus tradita, a fidelibus corde credendum et ore confitendum est quod maneat inconvulsa.

Cujus vigore nobiliter pollens sancta Senonensis mater Ecclesia, Christi Jesu morte redempta, et almi martyris Saviniani Galliarum primatis verbis edocta, beati etiam protomartyris Stephani sanguine dedicata, ad præsens una cum consensu et voluntate illius (24) regis inclyti Francorum, conprovincialiumque episcoporum et procerum abbatumque et clericorum, nec non utriusque sexus fidelium, proclamat sibi domnum illum (25) fieri pontificem summum; de cujus bonis actibus gaudens effecta, ad hoc opus dignum et idoneum, in quantum humana fragilitas nosse permittit, cum fore denunciat. Sub illius igitur prævidentia, explosa omni controversia, in summi opificis servitio militare deliberantes, qui per inobœdientiam ad ima ruimus, obœdiendo æquales angelis fieri obtamus, quatinus, digito discretionis tacti, et plectro piæ admonitionis repercussi, una cum illo in abstinentiæ tympano et unanimitatis choro mereamur gratulari. Sicque conjuncti quattuor principalium virtutum harmonia, valeamus semper istiusmodi laudare Deum consonantia : « Omnis spiritus laudet Dominum. (Si de abbate agitur, conveniens ratio loci et personarum honeste immutetur (26.)

(23) Supra, col. 809, Patrem patriæ dixit Boethium.
(24) Pronomen generale ponitur pro nomine speciali, ut fit in formulis.
(25) Item ut in præcedenti.

(26) Animadvertimus in hoc et sequente opusculo morem ac formulam tunc in Gallia vigentem episcopos proclamandi. Diversam aliam dat Acherius Spicileg. ed. nov. t. III, p. 379.

OPUSCULUM IX.

Seniores et fratres, audire debetis quare hic estis congregati. Deus omnipotens quando primum hominem creavit, liberum illi arbitrium contulit. Ipse vero libero arbitrio male usus, esu pomi vetiti, deliciarum sede, manente libero arbitrio, est privatus. Cujus sequaces per multa tempora a via veritatis oberrantes, et idolis servientes, auctorem suum penitus ignorabant: quoad usque omnipotens Deus, obœdientia famuli sui Abrahæ placatus, circumcidi illum voluit. Et postmodum per sanctum Moysen amicum suum semen ejus de servitute Ægyptia liberans, et eundem ipsum præesse populo suo volens, per manum illius ei legem tradidit. De cujus spiritu postquam Aaron et filios ejus ad pontificatus honorem elegit, Dei providentia sumens septuaginta viros qui una cum illo populo præessent, replevit. Quorum posteritas dum per successiones temporum usque ad Samuhelem prophetam perduraret, David regem de quo dicit Deus: «Inveni David secundum cor meum,» eidem genti contulit. De cujus stirpe Dominus Jesus per voluntatem Patris, cooperante sancto Spiritu, inmaculatam carnem ex inmaculata Virgine sumens, duodecim apostolos elegit, et appellari ab eis Dominus et Magister voluit. Quibus ab eo sancta mater Ecclesia ejusdem Domini Jesu sponsa commissa, et ligandi atque solvendi potestas collata, quamdiu mundi hujus orbita volvitur, in eorum successoribus, eis scilicet qui episcopi vocantur, manet stabilis et firma.

Animadvertite igitur, fratres karissimi, qua ratione, qua pietate, qua misericordia, qua moderatione erga humanum genus Deus omnipotens utitur, dum non hominibus angelos, archangelos, sed homines sibi natura consimiles præponere dignatur. Expedit ergo vobis ut exhibitione bonorum operum Deo placeatis, quatinus sacerdotes et principes Deo dignos, qui vobis verbo et exemplo ad cæleste regnum præbeant pergendi ducatum, habere possitis. Præterea noverit fraternitas vestra sanctam Trecasinensem Ecclesiam, morte sui præsulis viduatam, expetisse domni Gilduini archiepiscopi nostri (27) præsentiam, juxta sanctorum canonum censuram, quatinus illi concedat sponsum et pastorem congruum. Cujus petitioni libentissime annuens, una cum consensu et voluntate domni nostri Hainrici (28) Francorum regis, et suffraganeorum suorum, Carnotensis scilicet episcopi, Aurelianensis, Parisiensis, Meldensis, Nevernensis, Antissiodorensis, nec non et procerum Francorum, totiusque cleri et populi adplausu, dat ei quem præsentem cernitis domnum Mainardum, hujus sanctæ matris Ecclesiæ sancti Stephani archiclavum (29), pastorem, et sponsum, nobili stirpe progenitum, et bonis moribus ornatum. Unde postulamus caritatem vestram, karissimi fratres, ut in excelso voces extollentes, quid super hoc vobis placeat proclametis. Hunc versiculum repetitum tertio, prosequatur decentissima cleri electio, deinde metropolitani et omnium conprovincialium, si fieri potest: sed non minus quam trium episcoporum, metropolitano præsente, benedictio.

OPUSCULUM X.

Sanctæ matris Ecclesiæ Senonum archiepiscopo Gilduino, maxima corporis invalitudine detentus Odorannus syncellita, æmulari meliora charismata.

Quod studio lectionum divinarum obtinere valeamus, unde nova et vetera proferre queamus, ad id faciendum provocant nos beatæ memoriæ prædecessoris vestri Leutherici archiepiscopi mirifici actus, qui semper juxta Apostolum in oratione assiduus, et in meditatione legis Dei permansit indefessus; cujus præsentia corporali si ad præsens dignum fuisset perfrui sæculum, nequaquam pullulasset nova hæresis Burgundionum (30), qui, ut mihi innotuistis, asserunt se rebelli mente nil debere suis episcopis, si ab illis ad emendationem ut veniant, canonice vocati, venire distulerint pro suis flagitiis. Quibus, ne remaneant in tanto errore, proferendum est antidotum ex divinarum legum auctoritate. Inter cetera sanctæ exhortationis affamina, Domini Jesu cum apostolis loquentis sic se habuerunt verba: «Qui vos spernit, me spernit.» Quorum vicem sacerdotes Ecclesiæ tenentes, majori injuria non possunt lacessiri, quam si, verbum divinum subministrantes, spernantur a subditis. Quibus, ne vilipendatur vigor ecclesiasticus, e diverso occurrunt leges mundanæ a Christianis imperatoribus Spiritu sancto inspirante promulgatæ, quibus præcipitur ut triplo componantur omnes sacerdotum injuriæ. Gloriosi quoque imperatoris Karoli luce clariora extant capitula, in quibus continentur hujusmodi scripta: «De vocationibus, quas faciunt episcopi, præcipimus ut, qui eas neglexerit, tripliciter componat. Quod si

(27) De Gilduino archiep. Senon in Annal. Bened. ad an. 1032 et seqq.

(28) Hinc videmus hujus scripti ætatem, nempe regnum Henrici I, qui patri Roberto, de quo Odorannus in prologo, successit anno 1031.

(29) Quasi summum clavigerum. Sed malim *archiclavum, arcæ claves habentem*. Hic enim Mainardus thesaurarius erat Ecclesiæ Senonensis. Vide Annal. cit. ad an. 1032.

(30) De hac Burgundionum hæresi diligentius disquiri velim.

« excommunicatus ad satisfactionem venerit, cano- A « nice suscipiatur. »

His ita expensis, si vultis nosse qualiter tripla fiat compositio, paucis intimabo. Omnis injuria cujuscumque senioris vel advocati, sive despectus seu contemptus, excepto regis et sacerdotum, ·LX· solidis, id est pretio trium librarum multatur. Multiplicatus igitur ternarius per ternarium excrescit in novenarium. Hæc est lex primæ vocationis episcopi, si spreta fuerit. Novenarius vero ductus per trigonum, reddit vicesimum et septimum numerum. Consequenter ergo hæc est lex secundæ injuriæ. Vicesimus quoque et septimus numerus, per trigonum auctus si fuerit, in octogenarium et unum numerum exsurgit. Et hæc est lex injuriæ sacerdotalis tertiæ. Si quis vero, quod absit! jugo diaboli mancipatus, culpis suis exigentibus, secundum mandatum Domini nostri ut ethnicus et publicanus ab ecclesia fuerit ejectus, et juxta Apostolum, Sathanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini, in interitu carnis traditus, ad Ecclesiam catholicam reverti voluerit: in primis, ut dictum est, sacerdoti satisfaciat; et sic demum pœnitendo reconciliationem, ut mos est ecclesiasticus, obtineat. Valete.

OPUSCULUM XI.

Desiderabilibus maximaque veneratione suscipiendis Masciacensis cœnobii fratribus, gratia Dei non suis meritis, abba Ingo (31) *donum perfectæ caritatis, et bravium æternæ remunerationis.*

Variis hujus sæculi perturbationibus, karissimi B fratres, commoti et diversis malis afflicti, causam eorumdum malorum debemus agnoscere, et cognitam auxiliante Dei misericordia evitare. Causam prosperitatis et adversitatis Spiritus sanctus demonstrat his verbis: « Justitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum. » Peccatum, quo miseri efficimur, hoc esse credibile est, quod, cum fide simus Christiani, destruimus proh dolor! factis aliquando professionem monachi. Et quia beatitudini sempiternæ felicitatem præponimus temporalem, et illam nisi resipiscamus perdimus, et hanc quæ quantulacumque posset esse, si recti esse vellemus, non adprehendimus. Quia ergo vindicta Dei et in hac vita temporaliter incipit, et usque ad alteram, quæ finem non habet, nisi conversio subveniat, pertendit, sive C prælati sive subjecti omnem deponamus excusationem. Et cum sibi unusquisque nostrum sit conscius in quibus maxime Deum offendit, communiter eum et obœdienter audiamus monentem: « Redite, prævaricatores, ad cor. » Itemque: « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perverse, discite bene facere, » ut per pœnitentiæ salubrem cursum perveniatis ad indulgentiæ tutissimum portum. Ita valebimus non solum effugere mala præsentia, verum etiam bona sperare ventura. Dediscamus sola carnalia appetere, de consequendis spiritalibus aliquando cogitemus.

Et ut nostræ cupiditates temperentur, et modum aliquem teneant, veniat nobis in memoriam celer D eorum transitus, quos in dignitatibus hujus sæculi admodum florentes vidimus, nec obliviscamur quod eos cottidie sequimur. Ad mortem enim sine intermissione properamus. Repetamus mores quibus hactenus ordo monasticus crevit et viguit. Nullæ sint fictiones, nullæ conspirationes inter nos qui patrem invocamus Deum; quibus dicunt pontifices: Pax vobis; et pro quibus omnes concorditer orant sacerdotes: Da propitius pacem in diebus nostris, et: Pax Domini sit semper vobiscum; et quibus polliceri Deus dignatur: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. » Illa comminatio ejus non videatur nobis contemptibilis: « Væ illi, per quem scandalum venit! » ne forte, quod ipse avertat, sola vexatio, ut ait Esaias, det aliquando intellectum auditui, ut, infelici experimento, quod nunc non credimus, aut nos nescire fingimus, in tormentis positi sentiamus.

Illud autem neminem nostrum fugiat, a doctissimis viris usque ad nostram ætatem probatum et creditum, quia per concordiam parvæ res crescunt, per discordiam vero maximæ dilabuntur; ne forte, dum cupimus nostra securius tenere, vel ad transitoria capienda felicius conscendere, justo Dei judicio ruina nos labentis sæculi, quam nostris discisionibus præparamus, involvat, et in perniciem animæ et corporis pertrahat. Hæc nostræ humilitatis quantulacumque admonitiuncula, præsenti tempori congrua, dum ad vos, dulcissimi patres vel fratres, pervenerit, volo ut in conventu fratrum recitetur, ut per illam cunctis fratribus parvitas nostra ad memoriam revocetur. Spero enim, omni dubitatione submota, peractis diebus festis Dominicæ resurrectionis, si Deus vitam concesserit, me apud vos futurum, ac penes vos aliquandiu moraturum. Valete.

(31) De hoc Mabillonius Annal. Bened. ad an. 1014: Ingo, vir magnæ nobilitatis in sæculo, Rotberti regis in schola Gerberti collega, quem abbatia S. Martini Masciacensis remuneratum, post abbatia S. Germani Parisiacensis inclytum sæculo reddidit, ut decebat tantum virum, inquit Helgaldus in epitome vitæ Rotberti regis. Non tamen monachorum suorum mores ita componere valuit, quin post ejus obitum emendatione indiguerint. In Chronico Clarii monachi Ingo regis consanguineus dicitur, factus abbas S. Petri Vivi anno insequenti. » En occasio qua Odorannus, qui monachus erat S. Petri Vivi, scripsit hanc epistolarem adhortationem nomine Ingonis, qui male moratos monachos regendos susceperat.

OPUSCULUM XII.

Quod omnis homo ad amandum et colendum Deum creatus sit, testatur his verbis Ecclesiastes in fine sui sermonis : « Deum time, et mandata ejus observa, hoc est omnis homo; » id est, ad hoc creatus est omnis homo, ut Deum timeat et mandata ejus observet. Verus quoque concionator noster Dominus Jesus, inter cetera melle dulcissimo dulciora, talia suis discipulis profert affamina: « Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate; » et: « Timete eum qui potest animam et corpus perdere in gehennam. » Qui etiam adpropinquans passioni, unanimitatis patientiam servare eos sic docuit : « Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » Et ascendens in cœlum, orando Patrem, intulit dicens : « Non pro his rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut et ipsi in nobis unum sint. » De sectatoribus quoque hujusmodi Lucas in Actibus apostolorum dicens, taliter intonuit : « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, et erant illis omnia communia. » Igitur dum per multa annorum curricula istis et his similibus sancta electorum Ecclesia ab apostolis fundata polleret virtutibus, omnium bonorum invidus diabolus, malignum virus adinventionis suæ in hæreticorum mentes fundens, discidia inter fideles ebullire fecit, et unanimitatis virtutem in quantum potuit perturbavit. Sed sancta Ecclesia supra firmam petram, id est Christum, bene fundata, nullis hæreticorum perturbationibus concuti potuit, quæ, Spiritu sancto doctorum spiritalium pectora perlustrante, inmobilis permansit.

E quibus legislator Benedictus, unanimes congregare studens in Dei domo, scripsit monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam, in qua evidenter ostenditur quanta sit unanimitatis virtus. Quia vero, ut Apostolus ait, non omnium est fides, tamen omnium beneficium est in fratres. Licet sancta universalis Ecclesia diversis in ordinibus distributa sit, tamen unius caritatis visceribus enutritur et gubernatur. Cujus amore succensa humilis congregatio sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sanctorum quoque apostolorum Saviniani et Potentiani (32) sociorumque eorum Senonensis vici, desiderat fraternitati suæ conprovinciales presbyteros, seu quoslibet fideles, ad hoc opus suscipiendum idoneos sibi conecti vinculo caritatis, non solum corporaliter verum etiam spiritaliter; eo videlicet tenore ut, si aliquis ex illis in infirmitatem deciderit, ab abbate vel a fratribus, more ecclesiastico, seu a ceteris conpresbyteris visitetur; et, si defunctus fuerit, ab unoquoque monacho sacerdote, seu a ceteris presbyteris pro salute animæ ejus septem missæ canantur; in conventu vero fratrum post primam horam diei, ante quam litania agatur, psalterium ex integro decantetur.

Pro talione vero hujusce rationis, id quod præscriptum est fieri pro presbyteris, similiter fiat pro monachis ab ipsis presbyteris vel monachis. Et per singulos annos, sicut in festivitate omnium sanctorum jejunium neglectum, sive festivitas neglecta fuerit, persolvitur; sic in prima subsequenti die commemoratio omnium fidelium defunctorum, causa karitatis Dei, in eodem monasterio ab abbate vel a fratribus conprovincialibus sollempniter agatur, eleemosyna publica in pauperes, et refectione karitatis corporaliter subsequente. Et ut hæc exhortatio perpete (*ita cod.*) vigeat, præsentium fratrum nomina adnotamus; et ut deinceps defunctorum fratrum nomina designentur, obnixe precamur. Ea ratione firma, ut more ecclesiastico postquam exhortatio orationis post offertorium missæ a presbytero facta fuerit, subdiaconus retro altare stans virorum familiarium nomina et mortuorum loco opportuno recitet.

Præterea sciendum est quod si difficultas, aut loci aut temporis, aut cujuslibet rei, visendi infirmum venerit, unusquisque in suo loco, sicut supra dictum est, solatium fraternæ karitatis illi persolvat; et si obierit, similiter faciat. Et si monachos tæduerit cantare psalterium, agant missam pro mortuo in conventu fratrum. Ipsa die qua testamentum istud in capitulo sancti Petri per textum sancti Evangelii alternatim confirmatum est, sancitum est ut a duodecim presbyteris ex his qui foris sunt singulæ missæ in unaquaque hebdomada per singulos apostolos decantentur; et in conventu monachorum in omnium apostolorum veneratione semel in hebdomada missa agatur. Ceteri vero presbyteri vel fratres per unamquamque hebdomadam pro animabus omnium defunctorum fidelium unam missam cantent singuli, quatinus illis a Deo requies donetur, et nobis pacis

(32) Recole pontificum Rom. Vitas. Quoniam vero Vitarum harum mentio hic incidit, placet nunc locum quemdam in Soteris PP. Vita aliquantum illustrare. Dicitur ibi : *Hic papa constituit ne uxor habeatur legitima, nisi per sacerdotem benedicatur.* Undenam hæc tam prisca auctoritas sumpta fuit a biographo? Certe in Isidorianis Soteris epistolis deest, sed tamen adest in prima Isidoriana Evaristi. Puto nostrum biographum sumpsisse a Burchardo, lib. IX, cap. 7, qui reapse Soterem pro Evaristo citat. Auctor quidem vetus Vitarum pontificum, quem vulgo dicimus Anastasium, sententiam illam seu legem Soteris non recitat. Quia tamen apud ipsum Anastasium in S. Silvestri Vita jubetur fieri episcopus, qui sit unius uxoris vir *a sacerdote benedictæ;* hinc merito licet arguere canonem Silvestro vetustiorem exstitisse de nuptiis Christiano more copulandis, quo fretus idem Silvester legem suam tulerit de episcopo nonnisi ex hujusmodi nato nuptiis assumendo, quasi non essent eæ piæ et Christianæ, *nisi a sacerdote benedictæ fuissent.*

tranquillitas, et terræ fertilitas, apostolorum interventione, et vitæ felicitas conferatur. A

Qualiter ea, quæ prædicta sunt, agenda sint.

Convenientibus fratribus in unum, finita lectione, dicatur ab abbate : Flectamus genua. Et finita oratione dicatur : Levate. Deinde adstantibus omnibus dicat abbas, præmissa salutatione, id est Dominus vobiscum, hanc orationem :

Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione, *etc.*, *ut in hodierna liturgia.* Item aliam : Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, *etc.*, *ut in h. l.* Denique aliam : Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, cunctis fidelibus defunctis veniam, viventibus indulgentiam ; ut, te largiente, pariter ad vitam pervenire mereamur æternam. Per etc.

OPUSCULUM XIII.

Didascalo sanctæ Aurelianensis Ecclesiæ, et monasterii sancti Aviti archimandritæ Ayrfredo, nec non Hugoni sanctæ matris Ecclesiæ Senonensis archidiacono, misericordia Dei indignus frater Odorannus orationum fidelium munus.

Si, cum gyrovagis diversorum cellas circuiens, gulæ illecebris et propriis voluptatibus deservirem, aut cum bubulcis durissimo vomere glebas vallium gelu urente et æstu verterem, fortassis nemo invideret. Quia vero, in cœnobio residens, subtilium rerum quæ sunt, et quæ immutabilem sui essentiam sortiuntur, investigare diligenter veritatem cupio, maledicta et opprobria ab æmulis sustineo, erecta quasi ex quodam præcipiti mente profundo, eorum respondere detractioni compellor. Quorum quia, ut in lamentatione mea scripsisse me recolo, magis elegi reprobis reticere quam respondere, nequaquam responsum B darem, nisi, arcuato ictu me confodere nitentes, sibi ipsis miseri venenata lingua mortiferum anthropomorphitarum virus inferrent. Itaque dum mihi, invidia stimulante, a veritate desipientes, quod, de Deo male sentiens, manibus detruncatum vel quibuslibet membris debilitatum, quod absit! illum dixerim obiciunt, in jam dictam hæresim, Deum corporalibus liniamentis conpactum esse asserentes, præcipites corruunt. Quibus e diverso occurrit beatus Augustinus ferendo catholicæ fidei antidotum, De Deo, inquiens, nihil corporaliter effigiatum credendum est (33).

Sequitur in codice hymnus prosaicus, sive ut Græci loquuntur canon, cum tonis musicis in laudem SS. Saviniani, Potentiani atque sociorum, cujus auctor videtur ipse Odorannus, quandoquidem nomen suum ipse deinde apponit in codice, ut infra videbimus. Pretiosam arcam S. Saviniano fecisse Odorannum, jussu et impensis regis Roberti et reginæ Constantiæ, narratur in Annalibus Bened. ad an. 1016, 1025, 1028, ob solemnem reliquiarum ejus translationem, quo tempore tunc etiam hymnum ab eo scriptum fuisse opinor. Cæteroqui universum illum honorem sanctis martyribus impensum, ductamque supplicationem, nemo luculentius scripsit quam ipsemet Odorannus in Chronico ad an. 1031.

IN SANCTUM SAVINIANUM SOCIOSQUE EJUS.

HYMNUS.

Sancte Saviniane, martyr Christi pretiose, una cum tuis sociis, quæsumus, ora pro nobis. Evovæ. Omirum tirocinium Senonensis Ecclesiæ præsulum, quo ovile dæmoniis mancipatum pastorem recognovit pastorum! O decus pontificum, et honor certantium, nobis famulantibus non denegetis vestrum subsidium ! Gratuletur temporaliter fidelium turba sanctorum, Saviniani ac Potentiani celebrando sollemnia Hierusalem æternalis, pro quorum tripudio Christum laudans exultat. Regem regum omnium collaudemus Dominum, qui sibi Savinianum præelegit sanctissimum, atque Potentianum coheredem fecit suum. Savinianus pontifex Hebræus fuit genere, et ex Christi discipulis, quos binos jussit progredi. Hic C priscæ legis edoctus erat valde dogmatibus. Ab ore quoque Domini verba salutis didicit. Conexit huic caritas, sociavitque probitas viros præclari meriti rectæ fautores fidei ; qui, Christi facti prævii, miraculis et præclui, cum ceteris discipulis pacem ferebant populis. Evovæ. Christus ut astra petiit, apostolorum principi probi viri sunt additi, parentes ejus monitis. Adepta sede cathedræ urbis Petrus Romuleæ, Savinianum convocat, hortans ut Gallos adeat (34). Evovæ. Gloriosis martyribus Christi Saviniano atque Potentiano sollemnia celebremus, qui Galliam Senonis ab errore revocantes, dato proprio sanguine, cælestia meruerunt. Regi regum Christo Domino munus acceptabile perditi populi reportan-

(33) Sic cessat in codice hoc opusculum. Et quidem hoc ipsum unice scriptum ex toto Odoranno, sic pariter mutilum, ediderat Mabillonius in Annal. Bened. ad an. 1022, lib. LV, n. 4 ; quod ego nihilominus retinui, ne mea Odoranni editio hoc qualicunque frusto careret.

(34) Missos a divo Petro apostolo ex urbe Romana in Gallias ad Christum prædicandum Savinianum, Potentianum et Altinum, quibus se adjunxerunt Serotinus et Odaldus sive Eodaldus, narrat auctor Vitarum pontificum a nobis editus in hoc Spicilegio, tom. VI, p. 6. Quæ autem ibi adnotavimus de Gallicanæ Ecclesiæ ortu ex Romana, confirmantur hoc etiam hymno, ætate Roberti regis scripto, quo prædicti viri apostolici nominatim ob eam rem celebrantur.

tes, cælestia, etc. Sanctus princeps Ecclesiæ Petrus hos admonuit in Gallia divini verbi semina spargere, cujus imperio hanc arcu fidei expetierunt. Famosam urbem Senonum diaboli abstrahunt a cultura, et pro vera ac catholica fide, hanc arcu, etc Dum devotus archipræsul Savinianus oppidum Senonum adisset armis spiritalibus undique munitus, infidelium animos ad amorem sui convertit, eorumque cervicibus jugum Christi suave et onus leve indidit. Nefanda siquidem paganorum conamina contrivit, et de hostibus feliciter triumphavit. Superni quippe pneumatis insignitus præsagio, summus antistes adiit Senonensem mox metropolim. Evovæ.

Virtutis cujus specimen electi Christi milites præclarus Potentianus Altinusque prosequuntur. Evovæ. Insistunt porro conatu magnanimo gentilibus, destruentes phanatica, firmantesque Christi jura. Evovæ. Miratur cohors profana inauditum Christi dogma, atque venisse celebres sapientiæ proceres. Evovæ. Hinc fulgente præconio miraculorum plurimo, certatim petunt populi baptisma Christi consequi. Evovæ. Horum antiquis triumphis se dolens hostis opprimi, sævis improborum dolis athletas Christi perimit. Evovæ. Pauper spiritu Savinianus, et locuples pinguedine terræ Senonum populus, dum in via hujus peregrinationis sibimet obviantes concordarent, utrisque cooperatus est Dominus; illi instruendæ veritatis et fidei constantiam, huic credendi et obsecundandi conferens efficaciam. Utrisque, etc. Inclytum Potentianum præsulem, piumque Altinum Dei verbi comministrum mittit Roma aurea. Hi simul pro Deo exquisita perferunt supplicia, exemplum patientiæ et virtutis in summo pontifice cernentes. Hi simul, etc. Laudabilis Potentianus genera tormentorum ultro currens, fide tandem roboratus in Christo, cervicem præbet, animam sanguine laureatus Domino reddens. Corpus ejus, bestiis et avibus expositum, sola Dei providentia permansit intactum. Animam, etc. Gloriosus athleta Domini Savinianus pontifex, feliciter pro Christo multos agones perpessus, tandem paganorum mucrone, ut diu optaverat, jugulari non differens, rebus humanis exemptus ad laborum præmia demigravit. Accitus namque in eorum pestilenti concilio, ac capitali sententia dampnatus pro Christo, rebus, etc.

O felix et digna laude sanctorum momentanea passio, facta fidelibus populis salutis reparatio! Evovæ. Beato Saviniano gratulante in milibus populi ad baptisma pervolantibus, anguis veternus ministros erroris sui in sanctum antistitem excitavit. A Dum cernit cultus simulacrorum et laqueos sui machinamenti denodare hostis antiquus, ministros, etc. Egregius Savinianus, in agone decertans, novissima diro impiorum mucrone pro Domino subiit egregie tradito capite, illico cælos scandens præmia laborum consequi meruit. Funus ejusdem fidelium discipulorum manibus infertur mausoleo. Præmia, etc. Hodie beatus Savinianus cum collegio fratrum cucurrit mundi certamina; hodie fuso sanguine sumpsit palmam gloriæ; hodie carne solutus in cælum sequitur Agnum Dei Filium. Mirabile et beatum decus sanctorum, in cælis coronabile, et in terris venerabile! Hodie carne solutus, etc.

Athletam Domini Savinianum per iter martyrii gradientem sequitur grata amicorum clientela, sanctus videlicet Potentianus, æque nobilis Altinus, B inclytus Eodaldus, et sanctus Serotinus. Mortis namque ab impiis discrimine multati, martyrii gloriam assequi meruerunt. Sanctus, etc. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Messis cultores Domini, Savinianus et Potentianus inclyti, reportarunt semina a Christo data duplicia. Evovæ. Hi karitatis geminæ resplendentes munere, Dei amore et proximi enituerunt plenissime. Evovæ. In medio luporum agni positi a Domino sancti martyres Christi, sæculum et peram ceteraque xenia spreverunt pro Christo mente promptissima. Evovæ. Rutilantes miraculis reversi sunt ijdem sancti discipuli congaudentes ac dicentes Domino : Ecce nobis subjiciuntur dæmonia in virtutis tuæ potentia. Evovæ. Nolite, inquit Christus, gaudere quod dominamini spiritibus, sed gaudete quia nomina vestra C scripta sunt in cælis. Evovæ. O clarissima martyrum gemma, Saviniane, veniam nobis obtine tua sancta intercessione, et subveni in angustiis et afflictione. Da nobis, matyr pie, auxilium de quacumque tribulatione, et subveni. Gloria Patri et Filio et Spitui sancto. Hodie athleta Domini gloriosus, Savinianus pontifex, grata amicorum clientela prosecutus, ad laborum suorum præmia demigravit; cujus apud Deum pia intercessio absolvat nos ab omni periculo! Evovæ.

Celebri laudum jubilo persolvamus odas Christo, recensentes gloriosum Saviniani trophæum, ejusdem quoque clientum triumphale tripudium; horum D precatu, cælico quo fruamur subsidio. Egregius triumphator Savinianus cum caterva sociorum tormentis insequitur, capite plectitur; quibus superatis, exultant sine fine in conspectu Dei.

FINIS HUJUS OPERIS ET ADMONITIO LECTORI.

Auctore et gubernatore Deo, hunc, licet vigente ingenio, tamen jam caligante oculo et frigescente articulo, librum Odorannus pæne sexagenarius exaravit monachus. Vos qui legitis, orate pro eo.

EPITAPHIA SENONENSIA.

In subsequente ejusdem codicis pagina, vetere æque manu scribuntur episcoporum quinque Senonensium epitaphia; duoque insuper alia monachorum Senonensium, nempe Rainardi abbatis, et Ludovici olim comitis. Utrum hæc collegerit in hoc codice ipse Odoranmus (qui certe cunctis fuit junior), an quilibet alius, incertum est. Vix autem dubito quin hæc epitaphia doctis Gallicanarum antiquitatum cultoribus explorata sint. Sed nihil interim vetat, quominus hic a me attexantur, Mortuarios autem singulorum annos ex Annalibus Benedictinorum ascripsi.

EPITAPHIUM DOMNI EGILONIS ARCHIEPISCOPI.
(*Obiit an.* 870.)

Artus almiflui conduntur hic tumulati
Præsulis Egilis, quem capit aula poli.

EPITAPHIUM ANSEGISI ARCHIEPISCOPI (35).

Anseisus Senonum præsul hic clausus habetur.
Judicio Christi surget et ipse sui.
Galliarum primax (*ita heic. cod.*) papa Joanne le- [vatus,
Egregiis meritis hoc fieri meruit.
Hic Karolum regem Romanis imperatorem
Constituit, Francis principibus placuit.
Gregorii papæ secum caput adtulit istuc.
Pacis amator, obit flebilis ipse piis.

EPITAPHIUM HELDEMANNI EPISCOPI (36). (*Obiit an.* 958.)

Formosi cœtus pastor, formosus et ipse,
Heldemannus in hoc ecce jacet tumulo.
Martyris egregii pridem monachus Dionysi,
Post urbis præsul eximius Senonum.
Solamen tribuit miseris felix sua vita,
Idcirco astrigero nunc fruitur solio.
Decidit augusti nonas. Ora, rogo, lector
Cælitus ut vivat cum Domino jugiter.

EPITAPHIUM ANASTASII EPISCOPI. (*Obiit an.* 977.)

Pastor ovile Dei servans Anstasius olim,
Pneuma locat superis, et recubat cinis hic.
Extitit ipse pius, fortis pugnator, et almi
Colloquio verbi, fultus amore Dei.

A Quidquid amat mundus, sprevit virtute benigna,
Daviticus vates adfuit ore pio.
Dum sexto bifrons idus januarius egit,
Decidit. Unde, precor, parce, Deus, famulo.

EPITAPHIUM SEVINI EPISCOPI. (*Obiit an.* 995.)

Hic humilis tumulus, merito cunctis venerandus,
Sevini membra continet egregia.
Angelicam cujus felix animam paradisus
Pastorum sancto possidet in numero.
Qui mitis sanctæ pro relligionis honore
Hac in sede sedens multa tulit patiens (37);
Tamque senex factus migravit in astra locandus.
Cui parcat, petimus, cunctipotens Dominus.

EPITAPHIUM RAINARDI (38) ABBATIS.

B Gemma patrum, nec non diadema niteus monacho- [rum
Hoc tegitur tumulo funeris officio.
Cujus erat nomen Rainardus, mente benignus,
Dulce decus monachis extitit et famulis.
Quo melior pietate viget per sæcula nemo,
Nobilis in membris, nobilior meritis.
Vivere post mortem cui concedat sine fine
Cunctipotens Dominus semper ubique pius.

EPITAPHIUM DOMINI LUDOVICI COMITIS ET MONACHI.

Regali de stirpe satus, tumulatus habetur,
Consulis officio functus mundo Ludovicus,
Quem genuit nobis monachum Alamannia gratis (39).

(35) In codice hæc fit prisca adnotatio : *Anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXIII obiit Ansegisus archiepiscopus, totius Galliæ et Germaniæ papa secundus, feliciter VII kal. decemb.* Consentit de anno obitus Mabillonius in Annal. Bened. ad hunc annum.

(36) Hic et sequentes dicuntur revera in codice *episcopi* non *archiepiscopi*.

(37) Sevini episcopi calamitatem quamdam narrat Mabillonius, in Annal. Bened. ad an 995.

(38) In marg. antiqua manu : *Hic Sevini archiepiscopi fuit ex sorore nepos.* Monasterium autem cui præfuit, fuit sancti Petri Vivi Senonensis, ut recentiore manu scribitur in margine. Obiit ann. 1015.

(39) De hoc Ludovico comite Alamannorum, et deinde monacho Senonensi, Mabill. op. cit. ad annum 1015, qui fuit Ludovici extremus.

ANNO DOMINI MXLIX.

SANCTUS ODILO

ABBAS CLUNIACENSIS QUINTUS.

SANCTI ODILONIS ELOGIUM HISTORICUM

AUCTORE MABILLONIO.

(*Acta Sanctorum ordinis S. Bened.*, Sæculi VI, pag. 631.)

1. *Vitæ scriptores.*

1. Quod superiori sæculo de quatuor primis monasterii Cluniacensis abbatibus fecimus, hic quoque a nobis in beati Odilonis gratiam præstandum est, ut scilicet præter Vitam ejus ab antiquis scriptoribus exaratam, quæ tanti viri gesta non satis exponit, elogium ipsius non solum ex antiquis auctoribus, sed etiam ex variis chartis ex archivio Cluniacensi depromptis, aliisque veteribus instrumentis contexamus. Hoc enim pacto tanti viri præclaræ actiones facilius et accuratius repræsentabuntur; nec parum conferent tot antiqua monumenta ad illustrandam ordinis monastici hujus sæculi historiam.

2. Ab iis qui beati abbatis res gestas posteris mandare curaverunt, exordium ducimus. Duos habuit Vitæ suæ scriptores præcipuos sanctus Odilo, Jotsaldum scilicet et Petrum Damiani cardinalem, utrumque ipsi æqualem. Jotsaldus, sic enim constanter habent antiqui codices, quanquam in editis nonnullis mendose Lotsaldus scriptus invenitur, primus Vitæ scriptor, monachus fuit Cluniacensis et beati Odilonis discipulus, cujus rei testem se ipse exhibet in operis præfatione, ubi se *magni Odilonis nutritum magisterio, informatumque beneficio* fuisse profitetur. Is ipse est, nisi fallor, Josaldus, unus e quinque monachis qui cum Odilone abbate et Roberto priore chartæ Girbaldi cujusdam anno 1032 subscripsisse reperitur. Josaldus item et Joserannus fratres nominantur in charta Bernardi et Adæ, eorum patris et matris, quæ regnante Roberto confecta est. Præterea Josaldus notarius plerisque archivii Cluniacensis istius temporis subscripsisse legitur, quem a nostro alium esse non putamus. Qui et idem videtur esse Josaldus in indiculo veterum librorum Cluniacensis monasterii bibliothecæ memoratus, ubi dicitur calamum adversus Berengarium hæresiarcham strinxisse, tempore Henrici Francorum regis; at excidit istud opus, aut certe

(1) Carmen integrum damus infra. EDIT. PATROL.

A ita incognitum latet, ut nemo hactenus aut ipsum viderit, aut laudatum usquam invenerit. Denique Jotsaldum abbatem habemus, cujus epitaphium legitur exteriori muro veteris ecclesiæ sancti Petri Cluniacensis affixum sub his verbis: *Hic jacet domnus Jodsaldus abbas.* Sed an his in omnibus monumentis unus et idem laudetur Jodsaldus; an diversi ejusdem nominis viri designentur, prorsus est incertum.

3. Porro vitam sancti Odilonis a Jotsaldo scriptam, seu potius ejus fragmentum Andreas Duchesnius in Appendice ad Bibliothecam Cluniacensem sub Anonymi Silviniacensis nomine, et Joannes Bollandus die 2 Januarii, ediderunt. Sed eam nos hic exhibemus integram ex codice ms. bibliothecæ B Thuaneæ, quem se vidisse testatur Chifletius in probationibus Trenorchiensis Historiæ. Eamdem habuimus ex duobus aliis codicibus mss., uno Crispeiensis monasterii, altero nostræ bibliothecæ sancti Germani a Pratis. Cæterum idem Jotsaldus carmen edidit sub *Planctus* titulo, de beati Odilonis obitu, quod editum est in Bibliotheca Cluniacensi. At cum nihil habeat ad illustranda beati viri acta, ipsum omittere visum est (1); satis sit aliquot versus seligere, in quibus sic de Odilone et Willelmo Divionensi abbate canit.

Hisdem decessit Willelmus forte Kalendis
Magnus et ipse Pater monachorum Divionensis.
C Hi fuerant monachi Maioli denique sancti,
Uno florentes in tempore, corpore mundo,
Unius et fidei, veræ pietatis amici.
Junxit utrosque fides, similes habuere recessus:
Gloria non dispar, eadem sequiturque corona.

Odilonem in fine carminis precatur ut sui ac Almanii memor sit apud Deum. Almanius autem hic est fortasse ipse cui et Hugoni Odilo Vitam sancti Maioli nuncupaverat. Eum enim charissimum ibi fratrem appellat, quem virum litteratum fuisse ex eo patet, quod illum et Hugonem rogat, ut si quid in a Vita non recte dictum occurreret, emendare velint.

Odilo jam valeas, Jotsaldi jam memor esto,
Almaniique tui votis pie semper adesto

4. Alter beati Odilonis Vitæ scriptor fuit sanctus Petrus Damiani, cardinalis, episcopus Ostiensis, vir vel suo nomine satis celebris. Quod opus, hortante Hugone abbate beati Odilonis successore, aggressus est, ut quæ in priori Vita fusius enarrabantur, superfluis resectis, compendiosius referret. Unde, cum nihil in hac posteriori Vita habeatur quod Jodsaldus antea non retulerit, visum est priorem sufficere. Et quidem, ipso attestante Baronio, Vita hæc *pertenuis est, longeque impar meritis tanti viri.* Si tamen in ea aliquid observatione dignum occurrerit, hoc ipsum, data occasione, in elogio aut in notis ad alteram Vitam proferemus. Præter hos Vitæ scriptores multi alii beati Odilonis res gestas scriptis suis celebrarunt, quorum, aut certe celebriorum, verba suis locis pro opportunitate in hujus elogii decursu referre non omittemus. Habemus etiam præ manibus sermonem Anonymi de beati Odilonis laudibus, ex codice ms. monasterii Silviniacensis descriptum. Sed cum nihil habeat ad illustrandam tanti viri historiam, ipsum omittere visum est.

II. *Beati Odilonis patria et parentes.*

5. Odilonem patria Arvernum fuisse omnes uno ore fatentur, quem e nobili Mercoriorum familia prodiisse vulgati auctores affirmant : et quidem non desunt ad id probandum legitima argumenta. Hujus rei probationem affert Andreas Duchesnius, vir doctissimus, in notis ad ipsius Vitam in Appendice ad Bibliothecam Cluniacensem, ubi laudat vetus Necrologium Claromontensis Ecclesiæ sibi a Savarone mutuo datum, in quo die IV Nonas Januarii Odilo de Mercorio, canonicus Claromontensis et præpositus Brivatensis, quadraginta solidos censuales eidem ecclesiæ dimisisse dicitur, ad celebrandam beati Odilonis festivitatem in ecclesia Claromontensi. Ad quid enim, subdit vir eruditus, Odilo ille Mercorianus tantam pecuniæ summam expendisset, nisi quod beatus Odilo ejus fuerit consanguineus ? Deinde Stephanus episcopus, cui Jotsaldus beati Odilonis Vitam nuncupavit, quemque idem auctor asserit fuisse beati viri nepotem, is est ipse qui in vulgatis pontificum Aniciensium seu Podiensium catalogis *Stephanus de Mercorio* dictus occurrit. Quod diserte affirmant Gisseius in Historia episcoporum Podiensium, Sammarthani in Gallia Christiana, aliique auctores qui de iis rebus scripserunt. Omne dubium tollit vetus Chronicon ms. sancti Petri Podiensis, ex quo hæc verba noster Stephanotius descripsit : *Stephanus Aniciensis pastor exstitit nobili parentela ortus de castro vulgo nuncupato Mercurio, nepos beati Odilonis abbatis Cluniacensis.... obiit, et sepultus est apud cœnobium Voltam nuncupatum, quod ipse cum beato Odilone avunculo suo in propria construxerat tellure. Obiit autem* IV *Augusti, regnante Henrico rege Francorum ; flentibus populis ac gaudentibus angelis migravit ad Christum.* Tum subjungit Petrum, ejusdem *beatæ recordationis Stephani episcopi* nepotem et in episcopatu successorem, in eodem Voltæ monasterio cum suo avunculo fuisse sepultum. De Voltæ monasterio inferius plura dicemus. Certe beatum Odilonem ex illustrissima Arvernorum familia originem traxisse observavit Petrus Damiani in ipsius Vita, ubi eum ex *equestri familia genus duxisse* asseverat. Id quoque testatur Jotsaldus, ubi ait Beraldum cognomento *Majorem*, beati Odilonis patrem, inter Arverniæ proceres nobilissimum fuisse, possessionibus et terrena potestate ditissimum ; matrem vero Girbergam appellat, non minus pietate quam nobilitate pollentem, quam, defuncto viro superstitem, sanctimonialem in Augustodunensi sancti Joannis monasterio factam fuisse scribit. Fratres etiam et quidem complures habuit Odilo, sed eorum nomina reticuit Jotsaldus ; sororem vero ejus Blitsemodem abbatissam laudat, sed cui illa monasterio præfuerit, nusquam expressit.

6. At plura discimus de beati Odilonis familia ex duabus chartis, in quibus ipse vir sanctus fratres suos, nonnullosque eorum liberos recenset. Prior est ipsius Odilonis, qua, priusquam veste monastica indueretur, possessiones aliquot monasterio Cluniacensi contulit. Est absque data in chartario Cluniacensi, quod vulgo sancti Maioli appellatur, numero 11 ; sic autem habet : « Sacrosanctæ Dei ecclesiæ Cluniacensis cœnobii, in honore beati Petri apostolorum principis dedicatæ, in Dei nomine ego Odilo, filius Beraldi, consentiente matre mea et fratribus meis, Stephano scilicet, Ebone, Beraldo, Bertranno, cedo aliquid ex rebus proprietatis meæ, quæ mihi legitimo ordine successerunt, cessumque in perpetuum esse volo et desidero. Sunt autem ipsæ res sitæ in patria Arvernica, in comitatu Brivatense, in vicaria de Aurata, in villa quæ vocatur Saruciacus : in ipsa villa cedo Deo sanctoque Petro, in stipendia servientium supradictæ ecclesiæ, totam ecclesiam in honore mundi Salvatoris constructam, et quantum sors hæreditatis meæ in ipso loco mihi largitur, et insuper unum mansum, qui excolitur a Leotardo filio Gerbaldi, quem olim donavimus ego et mater mea et fratres mei pro sepultura fratris nostri Hicterii, quem ego postea emi ex fratribus patribusque et dominis meis, canonicis videlicet beatissimi domini mei martyris Juliani, et donavi in pretio solidos centum ; ipsumque mansum similiter cedo jam dictæ ecclesiæ, non solum pro me, sed etiam pro patre meo et matre mea et fratribus meis, vivis atque defunctis, et omnium parentum et fidelium nostrorum salute. Istas res supradictas cedo jam sæpe dictæ ecclesiæ, ea scilicet ratione ut pastor ipsius ecclesiæ, domnus scilicet abba Maiolus, quandiu vixerit, suique omni tempore successores, et ipsius ecclesiæ servitores habeant, teneant atque possideant, et justo ordine quidquid facere voluerint, faciant : tamen alienare, nec vendere præsumant, nisi ad fratres meos. Si quis vero (quod futurum minime credo) aliquando surrexerit,

ego ipse videlicet, mutata voluntate, aut ullus ex hæredibus meis, sive ulla emissa aut contra posita persona, quæ contra hujusmodi chartulam ullam calumniam inquietare præsumpserit, iram omnipotentis Dei incurrat et sanctorum offensam, et insuper cui litem intulerit, auri libras x coactus exsolvat, et argenti pondera totidem. Et ut hæc chartula firmiorem per succedentia tempora obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavi, et ut aliorum virorum manibus roboraretur decrevi. Signum Odilonis, qui chartam istam scribere rogavit. Signum Girberianæ matris ejus. Signum Stephani, et Ebonis, et Beraldi, et Bertranni fratrum ejus. Signum Beraldi, Rotberi, Gozfret, Warini, Bernardi, Mironi, Gualterii, Guitberti, qui hanc chartam scripsit. »

7. Altera charta, quæ majoris est momenti, utpote quæ monasterii Voltæ fundationem continet, data est anno 1025, in qua non solum beati Odilonis fratres, sed etiam plerique ex eis nepotes nati recensentur. Quare eam huc integram, etsi prolixiorem, proferre non dubitavimus, ex chartario Cluniacensi descriptam: « Ab omnibus fidelibus recte saneque sapientibus utile judicatur et congruum, ut universa negotia quæ ad Dei cultum et ad incrementum dignitatis ecclesiasticæ disponuntur, ab ipsis suis auctoribus posteritati fidelium testamentis legalibus et litteris commendentur. Hac igitur auctoritate prænonitus, ego in Dei nomine Cluniacensis monasterii monachus et presbyter Odilo, hujus regionis et patriæ advenas et cives per succedentia temporum scire volo et desidero, quoniam fratres mei mihi, omnibusque nostris amicis illustrissimæ dulcissimæque memoriæ, Beraldus Aniciensis Ecclesiæ præpositus, et Bertrannus, et domnus Stephanus honorabilis senior, et vir bonæ simplicitatis Ebo, in quodam suo prædiolo pari voto parique desiderio decreverunt construere monasteriolum, et secundum suæ possibilitatis modulum ad Dei ordinare servitium: sed quidam illorum, proh dolor! acerbissimis casibus et infortuniis impediti, quidam vero naturæ sorte præventi, non potuerunt incipere quod desiderabant perficere. Post mortem vero illorum convenerunt mecum filii eorum, cum aliis nepotibus meis et consanguineis, et pluribus suis fidelibus: cœperunt etiam conqueri quod pro excessibus supradictorum fratrum meorum, patrum et parentum et seniorum suorum, essent acturi, vel si aliquod possemus invenire consilium quod eis a Domino præstaret salutare remedium. Quod nullum aliud potuimus invenire salubrius vel consequentius, nisi ut illud ipsum studeremus incipere, et secundum nostrum posse perficere, quod ipsi nobis reliquerunt in deliberatione: videlicet ut ad votum illorum in aliquo suo prædiolo ædificemus monasterium, et secundum nostrum posse ad Dei ordinemus servitium. Hoc etenim consilio definito, et ab omnibus nostris amicis et vicinis alacribus vocibus collaudato, incœpimus ædificare ecclesiam in A quodam proprii juris monticulo, qui Volta vocatur, eo quod præterfluentibus aquis Hylaris fluminis (*l'Allier*) partibus ex tribus concluditur, et, ut ita dicam, quasi sinuatim involvitur. Post peractam vero aliquantam partem ædificii, cum consilio fidelium vicinorum decrevimus in ipso ædificio oratorium consecrari a domno Stephano Arvernorum episcopo venerabili, quod factum est XVIII Kalendas Octobris in exaltatione Dominicæ crucis, et passione beati Cornelii papæ, et beatissimi Cypriani victoriosissimi martyris. In ipsius namque oratorii consecrationis die, ego in primis frater Odilo, una cum nepotibus meis, filiis fratrum meorum et sororum mearum, domno videlicet Stephano Aniciensis Ecclesiæ præposito, et ejus fratre Beraldo, et domno B Hildegario supradictæ Ecclesiæ clerico et canonico, Beraldo quoque supradicti fratris mei Ebonis filio, Willelmo etiam filio quondam fratris mei Willelmi honestissimi viri, et filiis ejus; Geraldo etiam et Rotberto, Beraldo, Odilone, et Hicterio, cum consilio sororum nostrarum, dominæ videlicet Blismodis venerabilis abbatissæ, et Aldegardis secundum sæculum nobilissimæ matronæ, omnes simul Deo omnipotenti, vivo et vero, incommutabili et æterno, sanctissimæ et individuæ Trinitati, Patri et Filio et Spiritui sancto, et beatissimæ Genitrici Dei et Domini nostri semperque Virgini Mariæ, et sanctis angelis et archangelis, et omnibus cælestis gloriæ civibus patriarchis et prophetis, et dilectis Domini Joanni Baptistæ et Joanni evangelistæ, et beatis apostolis C Petro et Paulo, cæterisque apostolis et apostolicis viris, innocentibus et omnibus sanctis martyribus, confessoribus, et virginibus, offerimus quasdam res quas parentes nostri jure hæreditario possederunt, quasdam quas a suis honestissimis senioribus studiosissimo fidelitatis obsequio acquisiverunt. Sunt autem ipsæ res in comitatu et episcopatu Arvernensi: in primis supradictus monticulus, ut dictum est, sinu jam dicti fluminis involutus, et ecclesia ex alia parte fluminis in honore sancti martyris Cyrici consecrata; villula etiam eidem loco proxima, quæ vocatur Forsanguis, et unus mansus eidem villulæ contiguus, qui vocatur Plania; ecclesia vero in villa Saraziaco, et omnis ipsa villa, excepta illa parte quæ in sorte supradicti Willelmi nepotis nostri venit. D Est et alia villa supradictæ ecclesiæ proxima, quæ diminutivo nomine Saraziacellus vocatur. Hanc enim villulam et supradictum villare, quod vocatur Forsanguis, domnus et charissimus frater meus Stephanus per chartam donationis, ad perficiendum opus quod præ manibus tenetur, vivus adhuc et sospes contulit, et ex hac vita discedens reliquit. Est et alia villa in ipso comitatu, qui vocatur Montaniacus, quæ ex hæreditate Golfaldi avunculi nostri ad nos pervenit. Sunt et aliæ duæ ecclesiæ, non cum duabus sed cum una parochia, consistentes in episcopatu Vallavensi, una in honore sancti Joannis Domini præcursoris, et alia in honore beati Petri apostoli consecrata; et in villa Lisaco eam partem quam Beraldus præpositus et Bertrannus frater ejus

visi sunt habere, totam ex integro; et in Capilliaco hoc quod dominus Bertrannus habere visus est. Hæc omnia supra scripta cum omnibus rebus ad se pertinentibus offerimus, ut supradictum est, Deo, omnibus sanctis ejus pro liberatione et ereptione, salute et requie supradictorum virorum Beraldi, Bertranni, Ebonis et Stephani, pro quibus hæc oblatio specialiter fit, et aliorum fratrum suorum Hicterii, Eustorgii, Willelmi et Hicterii, pro salute quoque patris eorum Beraldi, et ejus genitoris Hicterii, illustrissimorum virorum, omniumque parentum, consanguineorum et fidelium ipsorum et nostrorum, tam vivorum quam defunctorum, utriusque sexus, ætatis et ordinis, et eorum qui ad hoc opus perficiendum et custodiendum et stabiliendum nunc consilium et adjutorium præstant, et per succedentia tempora præstiterint, et omnium fidelium Christianorum, ut misericordia, pietas et gratia Domini nunc et in futuro omnium illorum misereatur et nostri, supradictum locum, et omnia quæ ad ipsum locum pertinere videntur, et deinceps per cuncta spatia succedentium temporum a fidelibus Christianis in prædiis et quibuslibet rebus vel oblationibus eidem loco concessum fuerit, sub protectione et tuitione beatorum apostolorum Petri et Pauli, et defensione pontificum apostolicæ sedis, et gubernatione abbatis et monachorum Cluniacensium constituimus, et ab omni servitute et exactione humanæ improbitatis liberum esse decernimus. Ordinamus namque et cum omni desiderio optamus ut Cluniacenses abbates et monachi istum locum teneant semper et possideant, et in Dei servitio secundum regulam sancti Benedicti, sicut et cætera monasteria ad se proprie pertinentia, ut dictum est, ad cultum divinæ religionis ordinent et disponant. Si cui forte hæc nostra sanctio... sciat profecto dignum nos duxisse, ut illius loci sancta congregatio ex nostra paupertate aliquid servitutis habere se recolat, propter cujus reverentiam et meritum aliquis ex nostro genere honorem secundum Deum, et secundum sæculum visus est obtinuisse, et parentibus etiam nostris et nobis ipsis non parvos profectus constat evenisse. Cæterum si quis adversus testamentum nostræ oblationis aliquam aliquando calumniam inferre præsumpserit, contra censuram divini judicii et mundanarum legum jura se fecisse recognoscat. Si pœnitendo emendare voluerit, indulgentiam percipiat; si vero emendare noluerit, et magis in sua malitia perseverare disposuerit, quod petierit non vindicet, sed quod meretur percipiet; ita ut hic leges pro tali crimine promulgatas persolvat, et in æternum pœnas perpetuas luat. Signum domni Odilonis abbatis, cujus voto et desiderio hæc charta conscripta est. Signum nepotum suorum, Stephani videlicet, Beraldi, alterius Beraldi, iterumque Beraldi, Aldigerii, Willelmi, Odilonis. Signum Petri. Signum Bernardi. Signum Pontii. Signum Dalmatii. Signum Pontii. Signum Blismodis. Signum Aldiardis. Signum Auxiliæ. Facta autem est hæc charta anno ab incarnatione Domini millesimo vicesimo quinto. »

III. *Odilo fit monachus Cluniaci, tum abbas.*

8. Odilo, ut loquitur Jotsaldus, *post despectas Brivatenses et Anicienses arces*, quod in utraque urbe aut ecclesia dignitates præcipuas sive ipse sive alii ex ejus familia obtinerent, Cluniacum secessit, monasterium sanctitate et religionis fama per totum orbem celeberrimum, ubi a beato Maiolo, sanctissimo abbate, cui jam probe notus erat, monastica veste donatus est. Id anno 991 contigisse tradit Hugo Flaviniacensis abbas in Chronico Virdunensi, cui astipulatur Chronicon Cluniacense, a nostro Stephanotio ex ejusdem monasterii veteribus membranis descriptum. Hoc tamen nemo sibi facile persuadebit, si verum sit Odilonem hoc ipso anno, uti ex aliquot chartis colligi posse videtur, a beato Maiolo in abbatiæ regiminis consortium assumptum fuisse. Certe haud multum ab ea sententia recedere videtur ipsemet Jotsaldus, et post eum Petrus Damiani, qui referunt sanctum Maiolum e vivis abiisse annis quatuor fere evolutis postquam Odilo ad conversionem venerat. Certum est autem eum anno 994 obiisse. Unde conjicere licet quanta fuerit beati Odilonis maturitas, quantumve ejus meritum, qui, adhuc neophytus et in ipso fere ad religionem ingressu, tantæ congregationis regimine ab ipsomet sancto Maiolo dignus fuerit habitus.

9. Ejus porro electionem ultra annum 992 differri non posse probatur ex multis chartis hoc ipso anno datis, in quibus nempe Odilo abbas nuncupatur. In chartario II monasterii Cluniacensis, charta 738, campus quidam in villa Bersoniaco situs datur monasterio Cluniacensi, *cui præest Odilo abbas*, anno V Hugonis regis Francorum, id est anno saltem 992. Hoc ipso anno mense Julio Girbaldus vendidit *peciolam* campi ibidem siti; charta 539 donatio est curtilis et vineæ in villa Morgono, in pago Matisconensi, facta Odiloni abbati anno VI Hugonis regis; quem eumdem annum præfert charta 753, quæ in ipsius etiam Odilonis abbatis gratiam facta est. Huc quoque proferendæ essent aliquot chartæ primo Rodulfi Burgundionum regis anno datæ, si apud omnes constaret hunc regem ante 993 thronum conscendisse. Chartis quas supra laudavimus suffragatur auctor veteris Chronici, quod penes nos manuscriptum habemus, ubi ad annum 992 hæc habentur: «In Burgundia Odilo ex clerico Brivatensi monachum professus, in Cluniacensi cœnobio præficitur, quod per annos LVI miro religionis fervore rexit et provexit,» etc. Quin et cum alii fere omnes auctores Odiloni totidem regiminis annos concesserint, certumque sit, ut et ipsi etiam attestantur, eum Kalendis Januarii anni 1049 ex hoc sæculo abiisse, istorum quoque auctoritas ad confirmandam nostram sententiam merito proferenda est. Tamen Sigebertus, in Chronico, regiminis Odilonis initium anno sequenti consignat; Hugo vero Flaviniacensis anno 994, sed iste ad Maioli mortem solum attendit. Quod expres-

sius habetur in Chronico Malleacensi, ubi vir sanctus Maiolo abbati anno 994 successisse dicitur. Et quidem præter chartas quas supra adduximus, complures aliæ occurrunt in chartariis Cluniacensibus, quæ Maiolo adhuc vivente Odilonem Cluniaci abbatem appellant. Talis est charta data anno VII Hugonis regis, id est anno 993, qua nonnulla monachis Cluniacensibus conferuntur apud Visandonum. Anno præcedenti, mense Decembri, donatur vinea Odiloni abbati Cluniacensi in villa Dambinas, in Matisconensi comitatu. Denique eodem anno VII ejusdem regis, mense Martio, proindeque anno 994, paulo ante obitum sancti Maioli, Odilo abbas *in loco Scambii* recipit et dat terram in villa Odgraco, in comitatu item Matisconensi sitam.

10. Nondum tamen monasterii regimen tunc temporis abjecerat Maiolus, uti probant variæ chartæ, annis sexto et septimo Hugonis regis datæ, quæ ipsius nomen præferunt, in libro donationum sub sancto Maiolo factarum. In charta 16 Maiolus Cluniaci abbas dicitur anno VI Hugonis regis quasdam ecclesias per commutationem acquisivisse in comitatu Augustodunensi. Eodem anno, mense Junio, Landrada Cluniacensibus, *ubi Maiolus est abbas*, nonnulla confert in pago Matisconensi sita. Anno VII ejusdem regis, Berardus clericus monasterio Cluniacensi, *ubi est*, inquit, *Maiolus abbas*, medietatem silvæ Advolt contulit. Hinc patet Odilonem fuisse Maioli veluti vicarium, atque in regendo monasterio coadjutorem; unde in charta Bernardi cujusdam viri nobilis, manumittentis aliquot e suis servis ad preces Viviani præpositi, quos hic ad suum monasterium pertinere contendebat, sic habetur: « Werpivit illam querelam quam habebat adversus dictum Cluni locum, cui domnus et reverentissimus Pater Odilo præest jussione sancti Patris Maioli. »

11. Habemus in Spicilegii Acheriani tomo VI decretum electionis sancti Odilonis in abbatem Cluniacensem, quod vivente adhuc sancto Maiolo factum est; eique, præter eumdem Maiolum ac centum septuaginta septem monachos, rex ipse Rodulfus, Burchardus archiepiscopus, aliique episcopi, complures abbates, et viri nobiles subscripserunt. Nulla autem occurrit in hoc instrumento temporis nota; at si Rodulfus ante anni 993 finem Burgundiæ regnum adeptus non fuerit, paulo ante Maioli obitum, qui die 10 Maii anni sequentis contigit, factum est. Ex eo autem patet Maiolum senio confectum in Odilonem sese exonerasse, ne regularis disciplinæ vigor, cui ob provectiorem ætatem invigilare, quantum necessarium erat, se non posse arbitrabatur, sua culpa in monasterio Cluniacensi tepesceret. « Ego, inquit, Maiolus..... ætate defatigatus, officiis quoque corporis imminutus, dum minus me pastorali cura idoneum persentisco, beati Benedicti capitulatim de constituendo abbate sollicitudine præmonitus, cum omnibus fratribus meis, filiis et conservis, beati quidem Petri pridem clericum, fratrem et filium monachis Odilonem religiosum eligimus, et abbatem A esse decernimus; ne insolentia nostræ infirmitatis ordo deteriscat, et repulsam in aliquo patiatur, Deo propitio semper ad meliora provehendus. » Ex eodem instrumento discimus Odilonem ægre hanc dignitatem accepisse, quod se tanto oneri imparem putaret. Quare beatus senex, advocatis episcopis et abbatibus, atque etiam viris nobilibus, hoc decretum eorum subscriptionibus confirmari procuravit. « Et ne, inquit, technam alicujus excusationis prætendat, nam sicut quis indigne ad regimen incautus adspirat, ita si quis dignus refugit, merito constringendus habetur, consilium episcoporum et abbatum adhibuimus, » etc. Nomina vero eorum qui electionem sua subscriptione confirmarunt retulimus in Elogio sancti Maioli, ad annum 994, quæ ideo hic repetere B non juvat, sed eorum loco damus aliquot versus ab auctore, ut videtur, æquali de hac electione editos, qui in codice ms. Cisterciensis monasterii sub hoc titulo, *Electio domni Odilonis*, habentur.

Hic Pater emeritus mox est ut ad astra vocatus,
Quem successorem Deus eligeret sibi Patrem
Haud opus est nostro perferre per omnia digne
Dogmate, quam prudens, quam morum stemmate pollens,
Sit quis in humanis rebus pariterque supernis;
Cognitor est solus dans hæc sibi munera Christus.
Qui claris patribus prænobilis Odilo dictus,
Terrea mox fugiens, tenet arma, cælica quærens,
Patri Maiolo junxit se præduce Christo.
A grege susceptus, ductor gregis ipse futurus,
Sedulus implevit quidquid sibi regula jussit.
Vivere pro tali dignatus sede magistri,
Fratribus electus Pater omnibus atque cupitus,
Præcepto Patris curam suscepit ovilis,
Huic non dissimilis, licet addit culmen honoris,
Cuncta Deo placite disponit cum pietate.
Verbo discretus manet, actu tamque modestus, C
Devius ut lævum non pergat iter neque dextrum.
Sollers rubricam metitur in omnibus æquam,
Ejus consilium quærit dominatio regum,
Atque suo summi proceres subduntur honori.
Sic agit activam quo non linquat theoriam.
Sola carne solo, versatur pectore cælo.
Sed ne plura loquar, non est virtutibus impar
Patri Maiolo, per plurima mira corusco.
Mitis ut ille fuit, divinitus hic quoque confit,
Istum cum videas, illum præsto tibi dicas.
O quantum pollet locus hic, quantumque refulget,
Qui meruit tales sibimet conquirere patres;
Qui veluti soles bini nos irradiantes,
Emicat hic cælis, alterque coruscat in arvis!

Huc usque venisse sufficiat; dicit enim sancta Scriptura: Ne laudaveris hominem in vita sua.

12. Porro, cum ita certa et manifesta videantur argumenta, quibus Odilonem sancto Maiolo adhuc superstite in abbatem Cluniacensem electum fuisse D probatur, mirari subit Maiolum in monasterio Silviniacensi morti proximum, a fratribus interrogatum cui regimen abbatiæ committendum vellet, nihil prorsus de sancto Odilone respondisse. Id quippe testatur Syrus ejus discipulus et Vitæ scriptor. Imo in altera Vita, quæ habetur in Appendice ad Bibliothecam Cluniacensem, Maiolus respondisse dicitur: *Non est nostrum, filii charissimi, vobis abbatem eligere, sed magni consilii Angelus non patietur vos diu inconsultos*, etc. An quod Odilo abbatiæ regimen suscipere renueret, ut numero præcedenti dicebamus, ita ut necessarium fuerit Hugonis regis et episcoporum auctoritatem interponere? Certe Adhemarus in Chronico ait Odilonem invitum Maiolo

successisse, eumque tam ab ipso Hugone rege quam a cuncta congregatione electum.

IV. *Acta sub sancto Odilone.*

13. Superiori paragrapho chartas aliquot laudavimus anno 992 aut sequenti datas, quæ, cum sub Maioli et Odilonis communi administratione scriptæ fuerint, nihil mirum est si alterutrius nomen præferant. Quantum vero sub tantis viris vigeret religio monastica, colligi potest ex charta Walterii Æduensis episcopi eodem tempore, anno videlicet VI Hugonis regis, mense Maio, data, in qua *cœnobium Cluniacense sibi præ cæteris amore conjunctum* dicit, *ubi pollet religio*, etc.; tum ei dimittit quidquid ad se vel ad archidiaconos spectare posset in ecclesiis ad dictum cœnobium pertinentibus, exceptis tamen synodalibus eulogiis. Ecclesias autem has exprimit, scilicet de Algaio monte, de Tresela, sancti Leodegarii, Montis Malarii, Tervisi, Vallis, et sanctæ Mariæ. Subscribunt prætor ipsum Walterium Elinardus abbas, tum præpositi, cantor, Erpertus abbas, Ugo abbas, denique archipresbyteri et canonici. Idem episcopus, anno XXIX, Lotharii regis, sancto Maiolo dederat ecclesias sanctæ Mariæ de Monte-Melardi, et sanctæ Mariæ in villa Vallis, necnon et alios proventus et decimas ecclesiæ sancti Germani villæ Tyrinaci, ubi monachi Cluniacenses *in obedientia quotidie assistebant.* De Magabrensi autem cœnobio, quod idem antistes sancto Odiloni meliorem in statum revocandum tradidit, inferius dicemus; interim de donationibus post sancti Maioli obitum Odiloni factis agendum est: quippe cum sub hujus sancti viri regimine Cluniacensium monachorum sanctitatis fama non minus quam suorum decessorum tempore celebris fuerit, episcopi aliique viri nobiles multa eis bona concesserunt, ex quorum chartis multa discimus ad historiam illustrandam haud parum utilia.

14. Anno II Rodulfi Burgundiæ Transjuranæ regis, mense Aprili, proindeque anno 995, si verum sit Conradum Rodulfi patrem die 19 Octobris anni 993 e vivis excessisse, Artaldus comes dedit sancto Odiloni ecclesiam sancti Petri in villa Marogliaco, cum presbyteratu, decimis et universis appenditiis, etc., in agro Lugdunensi et Rodenensi. Is forte ipse est Artaldus qui in altera charta, quæ est sine data, donavit villam sancti Præjecti Memboli in pago Valentinensi, cui subscripsit Pontius Ademari comitis filius.

15. Anno III ejusdem regis Rodulfi, Humbertus episcopus Gratianopolitanus dedit cœnobio Cluniacensi, *ubi*, inquit, *domnus Odilo abbas præest*, medietatem castri de Visilia cum toto burgo et ecclesia sanctæ Mariæ. Item ecclesiam sancti Martini de Ponte-Roso cum decimis, oblationibus et cœmeteriis. Subscripserunt Frideburgis, ejusdem episcopi mater, Wigo, frater ejus, et Humbertus episcopus de Valentia, ejus nepos.

16. Anno I Roberti Francorum regis, qui solus, defuncto patre anno 996, die 24 Octobris, regnare cœpit, quidam Ayroardus monasterio Cluniacensi dedit mansum indominicatum in pago Matisconensi. Anno item I Roberti, Odilo quædam commutavit cum Maiolo præposito Matisconensi, quæ commutatio die 2 Martii, proindeque anno 997 a Willelmo et Widone approbata fuit.

17. Anno 997, consignatur charta Rodulfi regis in Bibliotheca Cluniacensi, ubi ille, anno nono regni sui, compluribus bonis monasterio Cluniacensi confirmatis, nonnulla largitur, ad Emmæ conjugis suæ petitionem. Data est apud Ansam villam, XI Kalendas Julii, indictione III, etc. Reamundus ad vicem Ansusi episcopi recognovit. Sed manifestus error est. Constat quippe hanc chartam esse Rodulfi, qui, Carolo Simplice in carcere detento, Francorum rex appellatus est anno 923.

18. Anni 998, qui Rodulfi regis quintus fuit, initio, idem rex, post concessas jam antea in Cluniacensium gratiam aliquot chartas, unam dedit qua varias eis possessiones confirmat in comitatibus Lugdunensi, Forensi et Viennensi. Data est *in Paterniaco*, anno 998, Rodulfi regis quinto. *Padicius cancellarius ad vicem Purgardi archiepiscopi et archicancellarii recognovit.* Idem rex, anno regni sui sexto, sub finem scilicet ejusdem anni 998, uxoris suæ *Agilerudis* reginæ et *Purchardi* archiepiscopi interventu confirmavit omnia *præcepta regalia* et *chartas seu donationes ab aliis fidelibus Cluniacensi monasterio* intra regni sui fines factas, easque *more patris sui bonæ memoriæ in omnibus missis* renovat, ac singillatim recenset.

19. Anno item 998 aut sequenti, nam charta data est anno III Roberti regis, qui anno 996, die 24 Octobris, defuncto, ut quidem censemus, patre suo Hugone monarchiam obtinuit, Bernardus dedit Odiloni et monasterio Cluniacensi medietatem alodii sui in villa Buxerias pro anima fratris sui Israelis adhuc viventis. Idem Bernardus in altera charta, quæ data est anno V Roberti regis, dicitur *miles* et *secundum sæculi dignitatem vir clarissimus*, et cum Emma uxore sua donat ea quæ habebat in villa Buxerias in pago Matisconensi, in pignus pro ducentis solidis. Quinquennio postea elapso, id est anno decimo regis Roberti, hæc eadem Emma Bernardi uxor cum Maiolo, mariti sui fratre, partem suam ejusdem villæ Buxerias, quam cum Israele, altero Bernardi fratre, partita fuerat, eidem monasterio concessit. Denique eadem in alia charta, ubi dicitur *Bernardi clarissimi militis* uxor, dedit cum filio suo Gauceranno et filia Emma, pro sepultura sua apud Cluniacum, res quas habebat in agro Ammacensi in pago Matisconensi. Unde patet hanc familiam erga Cluniacum beneficentissimam fuisse. Hic porro Bernardus ab alio ejusdem nominis distinguendus, qui eodem tempore ac eadem in regione vivebat, quique erga Cluniacum beneficus fuit, ut patet ex ejus charta, qua cum uxore sua Ada confert monasterio coloniam unam in agro Mediolanensi in pago Matisconensi, in villa Curtilis. Hic ibidem dicitur duos

habuisse filios, Josaldum videlicet et Joserannum, quorum prioris fortasse fuit Jotsaldus, postea Cluniacensis monachus et beati Odilonis vitæ scriptor. His quoque adjungi potest Bernardus, qui cum uxore sua Atta, et Roberto eorum filio, anno quarto Roberti regis, dedit vineam in villa Noglas. Hæc autem omnia simul referre visum est, ne propter nominum consonantiam aliqua suboriretur personarum confusio. Sed jam annorum series repetenda.

20. Anno 999, mense Januario, Rodulfi regis sexto, Odilo et Vivianus prior locarunt sub annuo censu Petro militi et Ermengardi ejus uxori, castrum Condorcense cum suis pertinentiis, receptis in compensationem tribus mansis. Eumdem annum sextum Rodulfi regis præfert charta Blismodis, quæ se *feminam nobilissimam* nuncupat, et donat ecclesiam sanctæ Maximæ de Talusatis; chartæ subscripsit cum filio Albuino et aliis testibus.

21. Anno circiter millesimo, Robertus rex et Henricus, patris scilicet sui Hugonis Capeti frater, dux Burgundionum, diplomate communi vetuerunt ne quis intra certos Cluniacensis monasterii limites, quos designant, castellum audeat construere. Charta est absque data in nostro apographo, sed ultra annum 1001 differri non potest, cum Henricus hoc ipso anno e vita excesserit mense Octobri.

22. Anno VI Roberti regis, id est anno 1001 aut sequenti, si de monarchia intelligatur, Maiolus clericus quasdam consuetudines in terris monasterii Cluniacensis sibi debitas esse contendebat, sed coram Willelmo Matisconensi comite ejusque uxore Ermentrude causa cecidit. Eumdem annum Roberti sextum præfert charta data mense Junio, proindeque anno 1001, qua Arleis donat sancto Maiolo et monachis ejus, *ut per ipsius merita valeat adipisci præmia æterna*, partem de medio planto in pago Matisconensi, villa Marsiaco, loco ad Trimbladam dicto. Si tamen annus Roberti sextus hic designatus intelligatur de tempore quo simul cum patre suo Hugone regnaverit, charta ipsa ad annum 993 revocanda erit; sed Arleis Maioli jam defuncti, ut quidem videtur, patrocinium ambiebat. Nam statim post ipsius mortem sacri honores ei delati sunt.

23. Anno 1004 canonici Vallavensis ecclesiæ (*le Puy en Velay*) domos quasdam ab Odilone petierunt, Gauslino dimittendas, ut ipsi alias domos, quas ex Kigone Gauslinus habebat, acquirere possent, suis officinis amplificandis profuturas. Annuit Odilo, receptis in compensationem aliis domibus quæ ex donatione Wigonis *bonæ memoriæ* pontificis provenerant. Res acta fuit *in Aniciensi civitate*, III *Nonas Februarii*, *feria* V, *luna* VIII, *anno incarnationis* 1004, *indictione* II. Subscripserunt Beraldus præpositus Aniciensis, Robertus abbas, et alter Robertus ædituus. Hoc ipso anno Ratburnus vicecomes et Walda uxor ipsius Cluniacensibus donaverunt ecclesiam sancti Martini Laudadis.

24. Anno 1005 Rodulfus vir nobilis, qui ibi monasterii Paterniacensis conditor fuisse dicitur, ancillam quamdam suam cum altera ex monasterii Cluniacensis jure commutavit. Charta data est anno 1005, XII Rodulfi regis, indictione III; quæ temporis notæ optime sibi cohærent, si quidem Rodulfus anno 993, post patris sui obitum, mense Octobri regnare incœperit.

25. Ad hunc ipsum annum, aut certe ad annum 1020 (sola quippe indictio III regnante Roberto indicatur) revocanda est Lamberti comitis donatio sancto Odiloni facta unius mansi in villa Latonai in territorio Matisconensi. Data sic exprimitur: *Actum publice apud Cabilonem civitatem, regnante Roberto rege, apud nos vero Domino Jesu Christo* (2), *mense Aprili, die Jovis, indictione* III.

26. Eadem formula utitur Robertus quidam in chartario Celsinianensi, cui monasterio, ubi tunc præerat domnus Odilo abbas, confert pro sepultura sua vineam in monte Dorensi sitam. Charta sic concluditur: *Data regnante Roberto rege Francorum, imo Domino nostro Jesu Christo.* Fundatio Chauriaci monasterii, quod Celsinianensi subjectum est, data est sub eadem formula, quam item adhibuit Pontius comes in charta qua possessiones aliquot Cluniacensibus donat in pago Trevis juxta rivulum Lota sitas, in locis Villetas, Merdusana et Mota; sed hæc diversas omnino a præcedenti chronologiæ notas habet: Data quippe est *in castro Torana, feria* V *Septuagesimæ, indictione* VII, *epacta* XV, *regnante Jesu Christo.* Subscripsit domnus episcopus Cono. Denique Beatrix uxor Archimbaldi vicecomitis, *nuper*, ut ipsa loquitur, *defuncti*, donat Cluniaco, *ubi Odilo est abbas*, de rebus suis sitis in pago Lugdunensi, in loco qui dicitur Salseto, unum mansum. Data est charta *Cluniaci, regnante Domino Jesu Christo, mense Maio.* In his porro et similibus chartis ejusmodi formulam adhibitam fuisse nonnulli censent, quod tunc temporis rex sacris interdictus esset ob Bertham, quam, licet sibi affinitate conjunctam, uxorem duxerat. Certe id vel ex sola Beatricis charta, quam modo laudavimus, falsum esse patet. Hæc quippe post Roberti obitum scripta est. Nam Archimbaldus, quem Beatrix defunctum dicit, adhuc in vivis erat anno 1037, ut ex ejus charta inferius patebit, et quidem biennio postea monachos in cella sancti Laurentii instituit. Sed de hac formula disserendi non est hic locus, quam quæstionem alias viri eruditi fusius agitarunt.

27. Anno decimo Roberti regis, Letbaldus episcopus Matisconensis duos servos ad Odilonis preces donavit. Charta data est die Lunæ, mense Augusto, proindeque ad annum 1007 revocanda. Porro in charta quadam Cluniacensium monachorum, post Odilonem abbatem et Vivianum præpositum Letaldus episcopus subscripsisse dicitur ante alios monachos. An Letbaldus Matisconensis, qui, relicta sede, aliquando Cluniacum secesserit?

28. Anno 1008, indictione VII, octavo Kalendas

(2) Nota formulam *regnante Christo*.

Aprilis, Odilo domos quasdam Arelate sitas in emphyteosim concessit. Multi alii cum eo subscripserunt, inter quos Hugo de Calviote, et Redemptus de Botera.

29. Anno XII Roberti regis, mense Aprili, proindeque Christi 1009, quidam Rodulfus Odiloni ac monasterio Cluniacensi dedit curtillum et alia quædam in villa Aziaco in pago Matisconensi.

30. Anno 1015 Gaufredus, Cabilonensis Ecclesiæ præsul, simul cum canonicis in generali conventu residens, *exaltavit* a decimis ecclesiam Juliacensem, idque ad preces Odilonis abbatis : qui vicissim in compensationem dedit ecclesiæ sancti Vincentii, id est cathedrali, ecclesiam quamdam sibi a Goffrido Sinemurensi donatam. Subscribunt cum Gaufrido præsule Hugo comes et episcopus, scilicet Antissiodorensis, et alii. Data est anno XXVI Roberti regis, qui tamen annus non congruit cum anno 1015, quo hæc contigisse dicuntur.

31. Anno 1017, regnante Roberto, sexto Nonas Maii, Willelmus dux Aquitanorum, Roma rediens, in civitate Papiæ donavit monasterio Cluniacensi medietatem de censu piscium qui circa insulam Rado capiuntur; subscripserunt duo Willelmi filii, Willelmus et Odo.

32. Anno 1018 regnante Roberto, idem Willelmus, qui a nonnullis ob egregias ipsius dotes *Magnus* nuncupatus est, curtem quamdam in vicaria Marevenno contulit monasterio Cluniacensi. Chartæ cum Willelmo duce subscripserunt Agnes comitissa, Willelmus junior, Gislebertus episcopus, Fulco comes, etc.

33. Gislebertus episcopus, in hac charta memoratus, Pictaviensi Ecclesiæ præfectus est anno 975, ex chronico Malleacensi. Cui successit Isembertus archidiaconus, qui eidem chartæ subscripsit; sub quorum pontificatu Arnaldus, in ea pariter memoratus, decanatum ejusdem Ecclesiæ administravit. Porro idem Willelmus monetam de Niort Cluniacensibus concessit, ut ex altera ejus charta patet, cui cum illo subscripserunt Agnes ejus uxor ac duo ejus filii Willelmus et Odo.

34. Agnes, in utraque charta Willelmi ducis memorata, tertia ejus uxor fuit, Ottonis, cognomento Willelmi, Burgundiæ ducis filia. Willelmum vero et Odonem ex prioribus uxoribus susceperat Willelmus, primum nempe ex Almodia, alterum vero ex Prisca, secunda ipsius uxore. Uterque absque liberis defunctus fuit, sepultique sunt in monasterio Malleacensi, quod eorum pater condiderat, qui et ibi paulo ante obitum monastica veste donatus et sepultus fuit, anno 1030 aut sequenti. Cæterum Agnes præter Agnetem filiam, quæ Henrico imperatori, cognomento Nigro nupsit, duos etiam filios Willelmo peperit, in Historia Aquitaniæ celebres. Hos ipsa memorat in donatione quadam monasterio Cluniacensi post ejus mariti obitum facta, quam hic subjicere visum est, ex chartario Cluniacensi : « Sacrosancto et exorabili loco Cluniacensis monasterii, quod est constructum in honore apostolorum Petri et Pauli, cui præest domnus Odilo abbas, ego Agnes et filii mei Willelmus et Gauffredus, donamus habitatoribus jam dicti loci monetam totam quam habemus in villa quæ nominatur Engeliacus; et in alia villa quæ vocatur Molgong, omnes consuetudines quas illic solemus habere, ut inde faciatis emere sepicas, quas soliti eramus dare vobis. Unde etiam postulamus ascribi nomina nostra in Missali, in quo recitantur benefactores vestri, quia maximam fiduciam habemus in orationibus vestris vestræque congregationis, et hoc quod conventum habetis attendite mihi. » In hoc anno jam dicta nobilissima comitissa Agnes obsedit castrum Volventem, et, ut fuit sua consuetudo, cepit eum.

35. Quantum vero sibi Cluniacenses beneficiis tam a se quam a suis propinquis collatis devinxisset Agnes, patet ex instrumento quodam publico, quo Cluniacenses ei Lasiacum dimittunt in grati animi monumentum, ut videre est in Cluniacensi chartario.

36. Anno 1019, IX Kalendas Februarii, Rodulfus rex ad Irmingardis conjugis suæ petitionem concedit, ex propria hæreditate, monachis Cluniacensibus, *regulæ sancti Benedicti modo et deinceps obedientibus*, ecclesiam sancti Blasii, et viculum totum cum suis appenditiis. Charta, quæ etiam habetur in Bibliotheca Cluniacensi edita, col. 411, data est *in villa Tabernis, quæ aliter Urba appellatur ex fluvio ibi defluente*. Sed in ea charta conjungitur annus XXXV Rodulfi regis cum anno 1019 incarnationis Dominicæ, quod mendum est. Hunc ipsum annum 1019 præfert charta Leotbaldi (in alio apographo Theobaldus appellatur) episcopi Matisconensis, qua domno Odiloni abbati monachisque Cluniacensibus dimittit decimas, aliasque pertinentias ecclesiæ sancti Sulpicii. Data est in synodo clericorum, die IV Idus Novembris. At jam tunc defunctus erat Leotbaldus, si vulgatis Matisconensium episcoporum catalogis credamus. Et quidem hoc ipso anno placitum habitum dicitur in conspectu Ottonis Matisconensis comitis, et Gauslini episcopi (qui Leotbaldo successit), ubi adfuit Humbertus præpositus ecclesiæ Cluniacensis, cum quatuor aut quinque ejusdem loci monachis, ad vindicandas monasterio quasdam possessiones, quas Raculfus ad se pertinere contendebat. Non aliud, ut puto, fuit placitum in quo idem Humbertus, cum aliquot aliis monachis apud Matisconem, coram Odone comite et Gauslino episcopo, conquestus est adversus mulierem quæ nonnulla apud Colongias aliasque ditionis Cluniacensis villas invaserat, quæ causa cecidisse dicitur mense Octobri, anno 1019, quo circiter tempore Hugo episcopus Antissiodorensis dedit Cluniaco, *ubi Odilo abbas*, medietatem curtis de Givriaco in comitatu Divionensi; idque pro anima Lamberti patris sui, comitis scilicet Cabilonensis, et matris suæ Adheleidis, de quibus agit Glaber Rodulfus. Alteram medietatem ejusdem Hugonis soror, Mathildis dicta, simul cum viro suo Gaufredo, filiisque Gaufredo, Herveo, Odone, Thetbaldo et Lamberto, pariter

monasterio contulit. Donationi subscripsit idem Hugo simul cum Leotbaldo episcopo Matisconensi. Idem Hugo in altera charta eamdem donationem confirmavit, cui cum eo subscripsere Otto comes, Gauslenus episcopus, Ugo vicecomes, Acelinus abbas et alii. Data est anno incarnationis 1019, et unctionis regis Roberti XXXII.

37. Anno XVII Rodulfi regis, mense Martio, proindeque anno 1020, Tetberga comitissa dedit mansum unum in loco qui ad Camnium dicitur, in pago Lugdunensi, pro Artaldi sui senioris, id est mariti, salute et filiorum suorum Artaldi et Geraldi, qui donationi subscripserunt. Hoc ipso anno Wicardus, Cluniaci existens, monasterio dedit capellam sanctæ Mariæ apud Rocham in villa Quinciaco. Quam donationem iterata charta donat, anno XXXIII Roberti regis, id est 1028 si de monarchia intelligatur. Habentur in chartario Cluniacensi aliæ ejusdem Wicardi suorumque affinium chartæ, sed absque datis. Ipsius *Wadiatores* donarunt Odiloni abbati ecclesiam sancti Martini in villa Vallis, in pago Lugdunensi.

38. Anno 1021 Bernardus dedit Cluniacensi monasterio Silvam Augustam, in pago Matisconensi. Chartæ subscripsit Otto comes, quæ data est indictione IV, anno XXXIV Rotberti regis, ex quo scilicet cum patre simul regnare cœpit; nam alias annum 1029 designaret, sed dissideret indictio, nisi forte XII pro IV legatur. Anno XXVI ejusdem regis, qui cum anno incarnationis 1021 et præcedentis fine concurrit, data est Cluniacensi monasterio ecclesia beatæ Mariæ Bellimontis in comitatu Cabilonensi, in fine Senoio.

39. Anno 1022 ineunte, si quidem conjungitur cum anno XXVII. Rodulfi regis, Ademarus monasterio Cluniacensi, *ubi Odilo abbas*, contulit ecclesiam villæ Testor, cum decimis, sepulturis, primitiis, etc. Subscripserunt ejusdem Ademari filii Willelmus, Stephanus abbas, Wido, Pontius, Armannus.

40. Anno 1023, duo fratres, nobiles viri, Leodegarius et Pontius, sæculo abrenuntiantes, dimidiam partem castri Altoni Odiloni abbati dederunt, cujus alteram partem monasterio Cluniacensi eorum pater jam antea contulerat. Charta data est anno incarnationis 1023, feria IV ante Ascensa Domini, regnante Rodulfo. Donationi consenserunt eorum fratres Feraldus et Petrus episcopi, Vapincensis scilicet, ut quidem mihi videtur, et Sistaricensis, Arnulfus, Geraldus, Rodulfus et Rumbaldus. Eodem anno Gauslenus episcopus Matisconensis quædam commutavit cum Odilone abbate in villa Lupiaco, in pago Matisconensi, deditque variis in locis aliquot vinearum rascias. Cum episcopo subscripserunt Walterius præpositus et alii canonici, anno incarnat. 1023, regnante Roberto.

41. Anno XXVI Roberti regis, qui ab inito cum patre regno intelligendus est, non enim tam diu solus regnavit, proindeque anno 1023, mense Junio, Gibaldus dedit Odiloni abbati silvas, prata, terras et molendinum super fluvium Absonus, in diœcesi Augustodunensi, in comitatu Avalensi, in villa Martiniaco, indictione VIII, quæ tamen cum hoc anno non concordat. Subscripserunt Ermuinus episcopus (Augustodunensis), Landricus comes, et Rainaldus ejus filius. Eodem Roberti regis anno, XV Kalendas Julii, luna XIII, dati fuerunt Odiloni abbati Cluniacensi duo mansi in Villa-Francorum, in comitatu Matisconensi. Donationi subscripserunt Gauslenus episcopus et Wigo vice-comes.

42. Anno XXVIII Roberti regis, mense Martio, proindeque anno 1023, datur Odiloni abbati Cluniacensi curtilus in villa Casotis, in agro Salorniaco, in pago Matisconensi. Chartæ subscripsit Otto comes, et data dicitur indictione XI, quæ cum suprascriptis chronologiæ notis non convenit, nec etiam cum ejusdem regis anno XXVIII, si computetur ab inito cum patre regno.

43. Anno XXIX regis Roberti, mense Junio, ac ideo æræ vulgaris anno 1024, Odilo abbas et monachi Cluniacenses homini cuidam Hebræo, nomine Salomoni, dederunt unam vineam, unum pratum, et unam raxiam in villa Carniaco, in pago Matisconensi; et ipse in commutationem dedit eis vineam in agro Fusciaco, villa Molonaco. Subscripsere Otto comes, Elizabeth ejus uxor, Gauslenus episcopus, et alii. Actum die Veneris, mense Junio, epacta XV, anno XXIX Roberti regis.

44. Ultra ejus annum XXXI, Christianæ scilicet æræ 1026, quo Hugo junior Roberti filius excessit e vita, differri non potest charta qua ambo illi reges complures donationes variis temporibus monasterio Cluniacensi factas confirmarunt. Nullam habet datam in chartario Cluniacensi.

45. Sub iisdem regibus Otto, comes Matisconensis, villas duas Cluniacensi monasterio dedit aut restituit, ut ipse in charta loquitur: *Pro anima patris mei Widonis, nec non et avi mei Ottonis, cognomento Willelmi, et uxoris meæ, et filii mei Gaufridi, reddo ad locum Cluniacum villam, Aniscum a priscis dictam, in vicino Araris fluvii sitam, quæ olim ex hæreditate sancti Vincentii* (ecclesiæ cathedralis Matisconensis) *ad meum comitatum ab antiquis devenit, sicuti jam ante comes Leotaldus atavus meus per testamentum præcepti Ludovici regis dederat apostolo Petro et Cluniensibus monachis.* Donat etiam villam alteram priori contiguam, Asnerias dictam, cum appenditiis, etc. Data est regnante Rotberto rege cum filio suo Hugone. Uxor Ottonis, cujus nomen in charta non exprimitur, fuit Elizabeth, quæ, eodem Roberto regnante, simul cum marito suo donavit monasterio prædium quoddam in villa Fusciaco, in pago Lingonensi, in comitatu Ocherensi. Denique Otto comes Odiloni abbati quasdam res donavit in villa Camavata, in comitatu Matisconensi; item molendinum supra fluvium Graonam secus Rocamcavernosam. Subscripsit Goslenus episcopus.

46. Anno XXXV Rodulfi regis, id est æræ vulgaris 1027, aut sequenti, data est Odiloni abbati ecclesia

sancti Georgii, sita in Villa-Domina. Item vinea ibidem, et una condamina in pago Gratianopolitano.

47. Anno XXXVII Rodulfi regis, Amedeus comes, filius Humberti comitis, simul cum uxore sua Adalheida, dedit monasterio Cluniacensi, *ubi præest domnus pater Odilo*, ecclesiam sancti Mauricii in villa Maltacena, et alia multa, reservato sibi ac successoribus suis jure patronatus. Hæc charta habetur in Bibliotheca Cluniacensi, col. 412, ubi data dicitur anno XXXVII, regnante Rodulfo, incarnationis Domini 1025, Kal. Novembris, luna XX. Qui characteres chronologici non sibi cohærent, nam annus XXXVII Rodulfi regis anno 1029 vulgatæ æræ mense Octobri incœpit. Cæterum erga monachos Cluniacenses in villa Maltacena degentes beneficus fuit idem Humbertus, ut patet ex duplici ejus charta apud Guichenonem in probationibus Historiæ Sabaudicæ, ubi multa confert eidem loco. Utraque caret data, sed utrobique nominantur tres Humberti filii, scilicet Amadeus, Aymo et Odo.

48. Anno XLII Roberti regis, ex quo scilicet a patre in regni societatem fuerat assumptus, ac proinde anno 1029, datus est monasterio Cluniacensi curtilus in villa Sarciaco in pago Matisconensi, indictione XI, mense Februario.

49. Anno XXXIII ejusdem regis, qui, si de monarchia intelligatur, erit annus 1027 aut sequens, data fuit Cluniacensibus capella sanctæ Mariæ cum decimis, etc., in villa Quinciaco, in pago Lugdunensi, *et tantum terræ juxta eamdem* capellam, *quod sufficiat domui ædificandæ et officinis hortoque monachi.* Ad idem fere tempus revocari debet alia charta, qua dantur monasterio Cluniacensi septem rasciæ vinearum in pago Matisconensi, Roberto rege cum filio Henrico regnante. Anno 1027, Henricus regni socius a patre dictus est.

50. Anno 1031, Otto comes, rogatus a Roberto priore Cluniacensi, venit in capitulum, ibique amortizavit omnia quæ eis data vel ab iis comparata hactenus habebant in comitatu Matisconensi, ac silvam Cerviam, quam olim sui ipsius antecessores monasterio contulerant, confirmavit. Subscripserunt Otto comes, Gaufredus filius ejus, et Wido filius Gaufredi comitis. *Actum Cluniaci*, III *Idus Augusti*, *anno incarnationis* 1031, *indictione* XIV, *die* 25 *post transitum Roberti gloriosi Francorum regis, anno quadragesimo regni ipsius, qui est sextus filii ejus piissimi domni Henrici, ex quo unctus est in regem super gentem Francorum et Burgundionum.* Labbeus habet, et quidem rectius, *die* 22, *anno* XLIV, *qui est* V *filii*, etc.

51. Eidem anno consignanda videtur charta ipsius Odilonis concedentis aliquam terram sub censu Joscelino clerico, et duobus ejus hæredibus. Consenserunt alii monachi, ex quibus quinque post Robertum priorem subscripserunt, tum post illos Ugo abbas. Data est apud sanctum Marcellum, VII Kalendas Novembris, anno I Henrici regis Francorum. Porro ejusmodi chartis non plures quam quatuor aut quinque monachi solebant suscribere; unam tamen præ manibus habemus, cui viginti monachi subscripsere; sed est absque data.

52. Anno 1032, indictione XV, feria V infra paschalem hebdomadam, Girbardus presbyter, ad conversionem veniens, nonnulla contulit monasterio, quæ, tribus mensibus elapsis, Aia nobilis femina in præstariam sub censu trium solidorum obtinuit pro sua ac filiorum suorum vita, acceptis ab ea quadraginta solidis, *mulo valente C, adjuncto uno bancale.* Subscripsere Odilo abbas, Robertus prior cum aliis quinque monachis, e quibus unus appellabatur Josaldus, is fortasse qui beati Odilonis vitam conscripsit.

53. Ante id tempus Berlio miles dederat Odiloni abbati Cluniacensi ecclesiam sancti Germani confessoris, sitam in pago Viennensi, in agro Corsoriacensi, in insula inter Bulburum et Carusium. Charta nullam datam exhibet, sed ei subscribunt Leodegarius archiepiscopus Viennensis, atque Aymo episcopus *Belensis*, id est Bellicensis.

54. Cum hoc ipso anno 1032 Rodulfus Burgundionum rex vitam finierit, visum est huc referre aliquot chartas quæ ipso regnante, absque alia temporis nota, datæ passim occurrunt. Ex his est charta Wigonis vicecomitis, qui simul cum Euphemia uxore sua, filia Nardumi vicecomitis, dedit Odiloni abbati Cluniacensi, regnante Rodulfo, terras in comitatu Lugdunensi et Matisconensi, sitas super Ararim et Voianam fluvios, in villa Konneuco. Hanc autem donationem fecit Wigo pro anima patris sui Berardi, et matris suæ Blismodis, ac fratris sui Wichardi. Item quidam milites, sub eodem Rodulfo rege, Cluniacensi monasterio dederunt ecclesias sancti Joannis, sancti Antonini et sancti Leuterii, in comitatu Vindascensi, in territorio Dimont, quas a seniore suo Willelmo comite (videlicet Provinciæ) et ejus uxore Lucia comitissa acceperant. Walterius archiepiscopus Vesontionensis altare et decimas ecclesiæ sancti Stephani in villa Portensi Cluniacensibus monachis petentibus concessit, salvo eulogiarum et paratarum censu. Data est regnante Rodulfo, et consenserunt canonici, decanus, Robertus abbas, etc.

55. Huc quoque laudare liceat chartam Ottonis-Willelmi, quod hanc solam clausulam habeat: *regnante Rodulfo rege.* Nam cum ipse Otto comes anno 1027, et alii qui in ea habentur, longe ante Rodulfum regem obierint, non potest usque ad extremos Rodulfi annos rejici. In ea charta Otto, cognomento Willelmus, ait se diu aure surda præteriisse clamorem sancti Maioli et domni Odilonis successoris ipsius, de duabus sancti Petri Cluniacensis potestatibus, Ambariaco scilicet et Juliaco; sed declarat tandem eas se restituere simul cum omnibus silvis, villis, etc., ad eas pertinentibus. Subscripsere Otto, Rainaldus ejus filius, Otto, Gauslenus episcopus, et Adselinus abbas. Actum Ledoni, re-

gnante Rodulfo rege. In altero hujus chartæ apographo habetur et alius Ottonis-Willelmi filius, nomine Wido; et ipse Otto Henricum Burgundiæ ducem seniorem suum appellat, multaque subjungit atrocia maledicta in sui beneficii violatores, si aliquando fuerint; quo ex loco chartam hanc ultra annum 1001, quo Henricus Burgundiæ dux fato functus est, differri non posse intelligimus.

56. Post Rodulfi regis obitum, Ermengardis regina, ejus relicta, monasterio Cluniacensi, *ubi*, inquit, *præest domnus Odilo abbas*, donavit per advocatum suum, nomine Hubertum, duos mansos in pago Genevensi : unum in villa Silvigiaco, alterum in villa Cicuilatis, cum omnibus ad eos pertinentibus casis, casalibus, vineis, pratis, etc. Caret data.

57. Anno 1036 Willelmus nobilissimus comes (Provinciæ), et ejus uxor Lucia, reddiderunt Cluniacensi monasterio, *ubi præest*, inquiunt, *domnus Odilo abbas*, hæreditatem sancti Maioli, scilicet Diliadam et Septem-Fontes in episcopatu Regensi. Actum apud Podiiodolinum monasterium, feria II, anno incarnationis 1036, indictione V, Chunone imperatore regnante anno decimo. Altera charta de eadem re sic habet : *Duo fratres Provinciæ comites, Gaufredus atque Bertrannus, werpiverunt Deo et sancto Petro Cluniensi, in manu Odilonis abbatis, Diliadam et Septem-Fontes.* Testes fuere Raimbaldus archiepiscopus, Feraldus episcopus, Petrus episcopus Sextericensis, Franco episcopus, et alii multi nobiles viri. In altero apographo, inter Feraldum et Petrum Sextericensem, subscribit alius item Petrus episcopus, cujus sedes non designatur; et charta data dicitur apud Serrianum-Villam, feria V Ascensionis Domini, regnante Conone imperatore anno X. Porro Cono seu Chuno, in istis aliisque ejusmodi chartis memoratus, est Conradus imperator, cognomento Salicus, quem Rodulfus Transjuranæ Burgundiæ regni hæredem instituit. Annum 1037 præfert altera charta, anno item X Cunonis imperatoris data, indictione V, secundo Kalendas Novembris. In ea Pontius cognomento Valnerudis, et frater ejus Armannus, ac Rostagnus consobrinus eorum, dant monasterio Cluniacensi, *ubi præest Odilo abbas*, medietatem eorum quæ habent in villa Salabaldemari, in pago et episcopatu Diensi.

58. Anno 1037, Archimbaldus vicecomes dedit domno Odiloni abbati ecclesiam sancti Laurentii cum omnibus appenditiis, in pago Matisconensi. Dedit quoque in pignus silvam Planacassaneam et mansum in villa Vigoseto, donec reversus fuerit ex Jerusalem. Post reditum dedit et confirmavit donationem curtis Mommalardis, quam Hugo ipsius avus et Artaldus ejus pater fecerant Cluniaco, modo tamen ipse absque hærede moriatur. Actum apud Cluniacum, anno 1037, indictione V, Henrico regnante. Walterius episcopus et alii subscripserunt. Idem Archimbaldus biennio postea in ecclesia sancti Laurentii monachos instituit, ut suo loco dicemus. Ejus vero uxor, nomine Beatrix, post ipsius obitum Cluniacensibus, quibus tum Odilo præerat, dedit mansum unum in loco qui dicitur Salsetum, in pago Lugdunensi. Charta data est apud Cluniacum mense Maio, regnante Domino nostro Jesu Christo.

59. Anno 1038 data dicitur charta donationis Odiloni factæ unius curtilis, et trium raxarum de vinea in pago Matisconensi, in vina Manisiaco, in agro Iigiaco, III Idus Januarii, indictione V (quæ cum anno supradicto non concordat), feria quarta, regnante *Chonone* imperatore. Cæterum, cum hoc ipso anno Conradus imperator filio suo Henrico Burgundiæ regnum dimiserit, huc revocamus chartam qua, eodem Chunrado imperatore regnante, Odilone abbate, et Leutfrido comite, Richuinus et uxor ejus Lanzede dederunt monachis Cluniacensibus in pago et episcopatu Santensi quartam ecclesiæ de Dombasila et ecclesiæ de Gingivilla.

60. Anno VIII Henrici Francorum regis, qui, si de monarchia intelligatur, est annus 1038 aut sequens, Hugo Antissiodorensis episcopus dedit Odiloni abbati ecclesiam sancti Cyrici super Graonnam, cum potestate et foreste ad eam pertinente. Subscripsere Robertus dux et Joannes abbas. Actum Antissiodori, dictante Jotsaldo.

61. Anno 1039, data fuit monasterio Cluniacensi ecclesia sanctæ Mariæ cum decimis, terris, silvis, etc., in villa Silviago, in pago Genevensi. Et monachi investiti fuerunt per funem signi ecclesiæ. Data est anno incarnationis 1039, Henrici regis primo. Qui quidem Henricus ipse est Conradi filius, Niger dictus, qui patri in imperio et in regno Burgundiæ Transjuranæ successit. Eodem anno Læco donavit Odiloni abbati Cluniacensi tres *condaminas* sitas in villa Silviago. Data est anno incarn. 1039, indictione VII, regnante Henrico rege, filio Chunonis imperatoris, anno I imperii ejus. Termini condaminarum in charta a quatuor ventis describuntur; qua scilicet voce constat aliquam terræ portionem designari. Eamdem datam habet donatio allodii quod dicitur Germinata, in pago Genevensi. Eodem anno, Dundinus suscipiens monachicum habitum *sub norma sancti Petri Cluniensis cœnobii*, ut ipse loquitur, res suas monasterio contulit, anno incarnationis 1039, indictione VII, Henrici regis anno I. Idem fortasse ipse est Dundinus, qui in altero apographo *Divus* dicitur, ubi, anno pariter 1039, et indictione VII, I Henrici imperatoris, filii Cunonis, monachus Cluniaci factus memoratur, et sua apud Ansiacum villam monasterio tradidisse.

62. Anno 1040, sub rege Francorum Henrico, Wigo filius Willelmi dedit Odiloni abbati de Cluniaco curtilum in villa Berziaco, in pago Matisconensi. Donationem confirmavit Gaufredus comes. Eodem anno Bernardus episcopus Cadurcensis, et Robertus ipsius frater, dederunt Odiloni abbati ecclesiam sancti Saturnini de Carennaco. In altero

chartario habentur duæ ejusdem Bernardi chartæ, donantis eamdem ecclesiam sancti Saturnini, cum omnibus ipsius pertinentiis, Odiloni abbati Cluniacensi ordinandam. Quibus chartis, præter canonicos, duo abbates, Stephanus et Albertus, subscripserunt; sed sunt absque data. Porro Bernardus, in istis chartis memoratus, desideratur in catalogis Cadurcensium episcoporum, tum apud Cruceum, tum in Gallia Christiana. Bernardus quippe, ab istis auctoribus memoratus, jam tunc fato functus fuerat cum istæ donationes factæ fuerunt; siquidem Deodatus, sive Deusdedit, ejus successor, anno 1028 interfuit dedicationi ecclesiæ sancti Salvatoris apud Lemovicas, et anno 1034 peroravit in synodo II Lemovicensi; qui et anno circiter 1040 obiisse dicitur apud laudatos auctores.

63. Anno XII Henrici regis, qui, si de monarchia intelligatur, erit incarnationis 1042, data fuit Odiloni abbati Cluniacensi capella sanctæ Mariæ de Bracmaco in pago Cabilonensi, subscripserunt Theobaldus comes et alii.

64. Anno 1046, Hugo archiepiscopus Chrysopolitanus confirmavit *Hugoni honesto religioso et clerico*, atque uniri permisit ecclesiæ Laudonensi, quam ipse Hugo construxerat et amplificarat, ecclesias sanctæ Mariæ de Calx, sancti Albini, sancti Symphoriani, cum omnibus earum appenditiis. Actum Bisuntii, indictione VI, Henrico regnante, anno 1046. Sed annus non concordat cum Indictione.

65. Pontius comes et Rotlandus miles donant loco Cluniacensi, *ubi domnus Odilo præest abbas*, ecclesias sanctæ Mariæ et sancti Joannis, cum decimis *et presbyteratu toto*, et duodecim sextaradis (*sic*) terræ, in loco qui dicitur Heron, in pago Trevis, in episcopatu Diensi. Charta data est *anno* X *Eyco rege*, an legendum *Erico*, seu *Henrico*? Sed etsi legatur *Henricus*, inquirendum superest an rex Francorum, aut imperator, qui Burgundiæ regno, ut jam diximus, tunc præerat, hic designetur. Difficile est hunc nodum absque autographo solvere.

66. His subjicimus aliquot chartas sub sancto Odilone confectas, sed sine data. Ejusmodi est charta Geraldi, patris Armanni episcopi, ut puto, Vivariensis, qui cum uxore sua Valmode monasterio Cluniacensi, *ubi præest Odilo abbas*, donavit ecclesiam sancti Joannis in villa Meissano, in episcopatu Vivariensi. Harmannus seu Hermannus ineunte sæculo undecimo Vivariensem ecclesiam administravit. Aymo Petræfortis, *sæcularem militiam gerens*, dedit cœnobio Cluniacensi, *cui præest dominus Odilo abbas, gregi principans*, villam sitam in pago Gratianopolitano, in comitatu Sarogensi, cui nomen est Mons-Ermenoldi, cum omnibus quæ ad eam pertinere videntur, vineis, pratis, et campis. Subscripserunt Ubertus comes (Sabaudiæ), Amedeus filius ejus, Burcardus, Odo et alii, apud Guichenonem in probationibus Historiæ Sabaudicæ, pag. 5. Ansedeus quidam dedit monasterio Cluniacensi ecclesiam sancti Nazarii, cum altari et appenditiis omnibus, et quatuor cappellis juxta positis, in agro Augusto Iunensi, juxta Borbonium castrum, quam ecclesiam ab Hugone comite in beneficio tenebat. Dedit etiam ecclesiam sancti Petri in villa Leuma, et cappellam sancti Præjecti ibidem, et ecclesiam sancti Baudilii in Pistichiano, etc. Subscripsere donationi Hugo comes et Theobaldus comes. Item Rotbaldus marchio et Eimildis ejus uxor *Cluniaco, ubi est abbas domnus Odilo*, donarunt castrum Podium-Dolinum ex integro, cum omnibus suis appenditiis, in comitatu Arausico situm. Subscripserunt cum illis Adalax comitissa, et filius ejus Willelmus, Rostagnus de Sabran, Willelmus vicecomes, et alii. Tetha mulier monasterio Cluniacensi, *ubi præst Odilo abbas*, dedit Durannum clericum, servum suum. Donationi consenserunt Walterius episcopus, et Warulfus, ejusdem episcopi frater. Defuncto vero Odilone, ac in ejus locum electo Hugone, tunc apud sanctum Marcellum in diebus Quadragesimæ residente, prædictam donationem confirmaverunt iidem Walterius et Warulfus, et alius Walterius, ejusdem Warulfi filius. Idem Walterius confirmavit donationem, a matre sua Tescenda factam, de terra in villa Cueles, pro anima Walterii, fratris sui Warulfi filii. Consensere ejusdem episcopi nepotes Walterius, Bernardus et Otto, præsente Hugone priore Cluniacensi.

67. Singularis est werpitio a Bosone facta de *comanda de Polliaco*, quam ideo huc describendam curavimus ex apographo Cluniacensi, ubi sic habetur absque ulla data. « Venit Boso ad placitum, ubi cum Geraldo comite erant nobilissimi homines, et juravit Boso hoc sacramentum, ita dicens, manu sua propria : *Ego Boso, nec meus conductus, me jubente, homo, nec femina ad meam artem, nec ad meum ingenium, in Polliaco nec in ejus obedientia comandam non requiram, prensionem nullam faciam de bove, vacca*, etc. *Et si ego vel meus conductus homo vel femina aliquam comandam vel prensionem fecerit; post quindecim dies postquam sciero, vel ad rationem missus fuero, per te, Geralde, vel per tuos missaticos, sive per abbatem qui modo est, vel per ipsum qui in antea erit, vel per monachum qui ipsam obedientiam tenuerit, captam emendabo, et postea ad tuam misericordiam, Geralde, veniam, sive ad abbatem vel monachum qui modo est, vel inantea erit.* »

68. Ibidem sequitur charta, absque ulla temporis nota, Rainaldi comitis, qui donat Cluniacensi monasterio curtim Belmontis, cum terris, villis, et appenditiis, sitam in pago Navernensi (legendum forte *Nivernensi*) pro anima patris sui Landrici, matris suæ Mathildis, uxoris suæ Advisæ, et fratris sui Widonis. Ipse Rainaldus, cum uxore sua Advisa, et Willelmo eorum filio, subscripsit. Porro Landricus hic memoratus erga monachos quam bene affectus fuerit, colligi potest ex alia charta, quæ nullam quoque præfert temporis notam; in ea autem sic loquitur : *Semper optavi monachis tranquillam vitam habere, et absque impedimento vota sua persolvere; ideoque querelam quam monachi Cluniacenses cum*

Adeleide nobili femina habebant, de terra quam Antelmus frater ejus dederat eis in pago Augustodunensi, in villa Fontinellulas, componere, etc. Subscripserunt Rainaldus, Landrici comitis filius, Gauzfridus vir Adeleidis, et ejus filii Gauzfredus, Robertus et Walterius; et Adeleidis filii Girboldus, Obtrannus, Gauzfredus, Ugo, tum Hatewis comitissa.

69. Habentur in chartario Celsiniacensi, quod præ manibus habuimus, complures chartæ donationum sub beati Odilonis regimine eidem loco factarum, sed in quibus nulla fere occurrit data; nonnullæ ex his hanc clausulam habent: *quod regitur.....*, vel *sub regimine beatissimi patris Odilonis.* Pleræque sunt pro obtinendo sepulturæ jure. Ex his una est Hugonis de Ucione et Duranni Deibanio et aliorum, qui dant pro sepultura Bomparis duas appendarias, etc. In alia Stephanus et Theotberga dant vineam in villa de Samuiaco pro sepultura sua. Rotbertus presbyter dat quædam, ut, si aliquando ei, permittente Domino, voluntas fuerit ut monachus fiat, recipiatur; sin autem, et in loco moriatur, ibi obtineat sepulturam. Willelmus dedit monasterio Celsiniacensi ecclesiam in honore beati Petri constructam, quæ vocatur Casa-Meiana, cum mansis, appendariis, etc., ut remaneat beato Petro de Celsinianas (*sic*), *in advocatione sancti Petri de Roma, sine ullo contradicente*, etc. Denique, ut multos alios omittam, Bernardus de Turre cedit loco Celsiniacensi, *qui regitur sub gubernatione domni Odilonis abbatis*, multa in villa Plausiaco, omnemque alodum, *quem*, inquit, *pater meus Geraldus in ipsa villa de Plausiaco habebat, in ipsa die qua monachus fuit.* Unde patet famosum illum Geraldum de Turre, quem illustrissima hodiernorum Bullioniorum principum familia nominis sui *de Turre* primum parentem agnoscit, Cluniacensi familiæ nomen dedisse, quod et plerique ex ejus posteris fecere, ut ex eodem chartario discimus. Haud leviter prætereundum est quod in aliquot ejusdem loci chartis cum Odilone abbate Cluniacensi memoretur alius Odilo, qui scilicet Celsiniacensis monasterii tunc erat prior; quare, si quandoque occurrant chartæ Odilonis nomen præferentes, quarum chronologici characteres cum sancti Odilonis ætate non satis cohæreant, non sunt ob id in dubium revocandæ, sed tribuendæ Odiloni priori. Unam hujusmodi chartam exhibere visum est: « In Dei nomine Odilo Cluniensis monasterii indignus presbyter et negligens monachus, Odilo etiam Celsiniensis monasterii præpositus, et cæteri fratres Deo ibidem servientes. Notum esse volumus præsentibus et futuris, quia illud prædium quod bonæ memoriæ vir nobilis, nomine Eustorgius, contulit Deo et sanctis apostolis, et monasterio Celsiniacensi, non potuimus retinere firma pace, nisi Rotbertus avunculus ejus, vir nobilis et catholicus et decanus Arvernensis Ecclesiæ, dignaretur et donum nepotis sui confirmare, et ex sua parte concedere, quod et fecit sua benevolentia et dulcissima charitate. Idcirco A gratiam pro gratia duximus eidem reddere, sicut ipse studuit humiliter quærere, rogans et obsecrans ut susciperemus eum in societate fratrum nostrorum, et patrem ejus et matrem et fratres, eorumque parentes. Nos vero, ad votum ejus et desiderium attendentes, eos in nostra societate et fraternitate suscepimus, optantes, orantes et obsecrantes ut in omnibus quæ agere vel dicere potuerimus nos et omnis nostra fraternitas, intercedente beato Petro apostolo et omnibus sanctis, partem eis et societatem concedat omnipotens Dominus, ut et vivis spatium pœnitentiæ et indulgentiam peccatorum concedat, et defunctis requiem et vitam conferat sempiternam. Si ille senior domnus Robertus monastico ordini se sociare voluerit, B orando præcipimus, et præcipiendo rogamus ut cum caritate suscipiatur, et cum honore et reverentia tractetur. Si sepulturam in nostro loco habere voluerit, ibi sepeliatur ubi ipse jusserit.

V. *Varia monasteria per sanctum Odilonem instituta, aut restituta, sive reformata.*

70. Quæ monasteria anno 996 Cluniacensium abbatum jurisdictioni essent subjecta, discimus ex bulla Gregorii V, pontificis maximi, in Bullario Cluniacensi relata, pag. 10, in qua non solum variæ possessiones ad monasterium istud nobilissimum pertinentes, sed etiam cellæ, seu, ut vocant, prioratus, ab eo pendentes, singillatim recensentur. Ex iis cellis nonnullæ sub beati Odilonis regimine, aliæ vero longe antea monasterio Cluniacensi C subjectæ fuerunt. De iis solummodo hic agendum quæ Odilonis tempore Cluniacensibus attributæ sunt; quas, servato chronologico ordine, quantum ex antiquis monumentis fas erit, recensebimus.

71. Ex bulla Gregorii V, quam modo laudavimus, patet Magabrense monasterium jam anno 996 Cluniaco aggregatum fuisse; at quo id anno factum fuerit non liquet. Quanquam certi sumus id tempore beati Odilonis contigisse, uti discimus ex Walterii Æduensis episcopi charta, ubi occasionem et rationes istius unionis faciendæ ipsemet exponit; hanc ipsam ex vetusto exemplari, ab annis circiter quingentis exarato, proferimus integram. « Omnibus Christicolis sub norma catholicæ fidei degen- D tibus notum esse volumus quoniam ego, in Dei nomine, Valterius, gratia Dei Æduorum episcopus, de rebus Ecclesiæ mihi a Deo commissæ cogitans, quantum divina majestas meæ possibilitati largiri dignabitur, colligere dispersa et conservare congregata, necessarium duxi adire consilium domni Odilonis abbatis Cluniacensis cœnobii, et domni Viviani, cæterorumque fratrum supradicti monasterii, de quodam nostro monasterio, vocabulo Magabrense, quod est in honore sancti Martini consecratum, antecessorum nostrorum temporibus, non solum regulari ordine, sed etiam pene omni utilitate destitutum, restaurare cupiens ipsum in pristinum monasticæ religionis gradum. Ideoque hoc feci, quoniam nullum aliud tam salubre con-

silium invenire me posse credidi, quam ut peterem subsidium a supradicto domno Odilone Cluniacensis cœnobii abbate, et a venerandis ejusdem loci Patribus sub eo regulari tramite degentibus; atque jam dictum Magabrense cœnobium eorum traderem dominationi gubernandum. Illi itaque, nostris precibus assensum præbentes, prout possibilitas loci erat, idem monasterium regulariter disponere cœperunt, fratres ibi omnipotenti Deo servituros ordinantes. Cæterum vero noverint cuncti, tam præsentes quam futuri, quoniam ea intentione hoc agere cœpi quatenus amor et societas supradicti Cluniacensis loci, sicut tempore venerandæ memoriæ domni Maioli abbatis nostro loco charitatis vinculo colligata permansit, sic etiam cuncto in perpetuum tempore inconvulsa et firma permanere possit. Idcirco jam dictum Magabrense monasterium trado fratri nostro domno Odiloni abbati et successoribus ejus, cœnobioque Cluniacensi in perpetuum regendum et regulari ordine disponendum, per consilium nostrorum clericorum et cæterorum nobis a Deo commissæ Ecclesiæ filiorum : ea ratione, ut superius dixi, ut societas nostri loci et Cluniacensis cœnobii per succedentia temporum spatia semper sit charitatis vinculo colligata et conjuncta, atque ibi omni tempore tam vivorum quam defunctorum Ecclesiæ nobis commissæ clericorum agatur memoria digna. Similiterque eorum memoria in nostra celebretur Ecclesia. Hoc vero agens, non ut videar, quod absit ! loci mihi commissi destructor, jam dictum monasterium non a potestate successorum meorum et sanctæ ecclesiæ Augustodunensis aufero, sed potius ita ordinare disposui, ut Cluniensis abbas et successores ejus, fratresque ipsius loci per consilium nostrorum successorum episcoporum et canonicorum regulariter ordinent, teneant et possideant. Ipsique nostri successores episcopi et canonici per nostram deprecationem et obsecrationem hanc nostram descriptionem sua pontificali dignitate et auctoritate, et ut (*si*) nostri voti participes sint, rogamus et deprecamur ut semper in melius corroborent et confirment, et secundum Dei omnipotentis voluntatem et hujus nostræ descriptionis congruam dispositionem gubernent et regant, et ipsius loci, ut dignum est, semper sint advocati, et contra adversitates malorum hominum adjutores fortissimi. Hoc vero statuimus et omnino contradimus, ut nullus noster successor episcopus, neque aliqua alicujus potestatis persona, aliquem ibi abbatem aut præpositum ordinare præsumat sine licentia et voluntate supradicti abbatis Cluniacensis et successorum ejus. Cluniacensis quoque abbas et fratres ipsius loci, et successores eorum, ipsum jamdictum cœnobium cum consilio nostrorum successorum episcoporum et canonicorum, videlicet bonorum Christoque devote famulantium, ordinent et disponant. Hanc vero nostram descriptionem disposuimus roborare et Romanæ auctoritatis privilegio, et regali præcepto. Walterius peccator episcopus. » In altero hujus chartæ apographo cum Walterio peccatore episcopo, ut hic dicitur, subscripsisse memorantur Humbaldus abbas, Hemericus abbas, Autus præcentor, et Anscherius archidiaconus.

72. Rodulfus, vir nobilis, condidit monasterium Beracense, quod propriis possessionibus dotavit. Fundationis occasionem ipsemet Rodulfus exponit his verbis : « Ego igitur in Dei nomine Rodulphus, audiens quotidie per sacrarum Scripturarum auctoritatem male agentibus minari pœnas, et juste operantibus promitti sidereas mansiones, desiderans invenire aliquod confugium ubi possim declinare insidias meorum peccaminum, nullum tam salubre potui reperire consilium, quam si ædificarem, juxta possibilitatem meam, aliquod monasterium monasticæ religioni aptum, ubi quotidie Deo et sanctis ejus congruum exhiberetur servitium. Ad hoc tamen agendum et perficiendum, ad Paterniacense monasterium, venerabilis Odilonis abbatis cœnobii Cluniacensis, fratrumque ibi degentium ivi expetiturus auxilium : quorum consilio confortatus, anno ab incarnatione Domini 998, quinto videlicet anno Rodulphi regis nobilissimi, convocavi domnum Aindricum Lausaniensis Ecclesiæ præsulem, ad dedicandum ipsum monasterium, qui, ut est bonus et nobilis, benigne et nobiliter nostrum adimplevit desiderium. Est autem ipsum monasterium super ripam laci Everdunensis situm, in episcopatu videlicet sanctæ ecclesiæ Lausanensis in comitatu Waldensi, in honore sancti apostoli Petri dicatum. Hoc autem monasterium dono Deo et sancto Petro. Concedo etiam ipsi monasterio has terras, » etc. In altero hujus chartæ apographo episcopus Lausanensis hic memoratus appellatur *Amedeus*, sed retinenda est nostri exemplaris lectio. Is est enim Henricus (quod nomen aliquando *Aindricus*, seu *Ainricus*, in veteribus chartis scriptum legitur), qui ecclesiam Lausanensem sæculo decimo exeunte administrabat.

73. Iisdem ferme temporibus sancto Odiloni data creditur ecclesia sancti Mauricii de Maltacena, alias de Burgeto, ubi monachi Cluniacenses fuerunt instituti, ut patet ex variis Humberti comitis et Amedei ejus filii donationibus postea factis, quæ in probationibus Historiæ Sabaudicæ a Guichenone editæ sunt. Habetur in Bibliotheca Cluniacensi, col. 412, charta Rodulfi regis ea de re anno 1024 data.

74. Ad idem tempus, ut mihi quidem videtur, revocari potest monachorum institutio apud sanctum Victorem in urbe Genevensi. Erat quippe tunc celebris ecclesia illa sancti Victoris, quam *antiquam et nobilem* appellat auctor Vitæ sancti Odilonis : et quidem, in Fredegarii Chronico cap. 22, constructa dicitur a *Sedeleuba regina, in suburbano Genavensi*. Quæ Seleuba soror fuit Chlotildis uxoris Clodovei Magni, Chilperici Burgundionum regis filia. Hanc autem ecclesiam paucis ante id tempus annis visitans Adhelais imperatrix, pene desolatam repererat; quod ægre ferens, Hugoni ejusdem civitatis episcopo per-

suasit ut tam venerabilem locum, monasticæ religioni instituendæ aptissimum, haud negligenter tractaret. Votis Augustæ favit corporis beati martyris inventio, quæ tunc temporis contigit. Ejus quippe sacra membra, quæ diu latuerant, nescio quo casu detexit memoratus antistes, eaque, præsente Rodulfo rege, cum ejus uxore Egildrude aliisque aulæ primoribus, episcopis et comitibus, solemni pompa, sub ara ejusdem basilicæ reverenter collocavit. At non erant satis amplæ loci facultates, ut ibi abbas institui posset, quare « memorandum, » verba sunt ipsius Hugonis episcopi in charta quam ea de re confecit, « Cluniensis cœnobii abbatem Odilonem ad hoc peragendum evocavi, et permissione domni Rodulfi regis, consensu etiam fratris ejus Burchardi Lugdunensis archiepiscopi, cæterorumque comitum et nobilium virorum hortatu, prædictum locum sancti martyris Victoris ejus ordinationi commisi...., ut prædictus locus in perpetua valeat manere religione, et inter nostros successores Cluniensisque cœnobii abbates charitas excellentissima firmetur, et apud illos nostra memoria specialiter observetur, » etc. Charta hæc, quam Guicheno in Bibliotheca Sebusiana, centuria I, num. 13, edidit, est absque data; quam proinde varii variis annis consignarunt. Hugonem episcopum Genevensem, hic memoratum, anno 930 vixisse ex ista charta inferunt Sammarthani fratres, in catalogo Genevensium antistitum; at vel ex hoc eos hallucinatos fuisse evinci potest, quod Odilo, cui hac occasione commissa dicitur fuisse sancti Victoris ecclesia, nonnisi anno 992 aut præcedenti, in regiminis consortium a beato Maiolo fuerit ascitus. Eamdem anno circiter 1019 datam fuisse conjicit Guicheno. Si tamen falsa non sit data chartæ Rodulfi regis, in Bibliotheca Cluniacensi, col. 411, relatæ, anno 1019, Agiltrudis, prima Rodulfi uxor, quæ in charta pro sancto Victore memoratur, defuncta jam erat, nam ipse Rodulfus uxorem suam ibi Iraisindam appellat. Et tamen Rodulfus ad uxoris suæ Agiltrudis, et fratris sui Burchardi episcopi, necnon et Odilonis abbatis preces, omnia Cluniacensis monasterii privilegia a prædecessoribus suis concessa confirmasse dicitur in diplomate quod anno 998 datum dicitur. Unde satius visum est ad priores ejusdem regis annos prædictam sancti Victoris donationem revocare.

75. Anno 999 Hugo Antissiodorensis episcopus, et comes scilicet Cabilonensis, monasterium Aureæ-Vallis, alias Paredum, jam antea a Lamberto comite ipsius patre, cooperante sancto Maiolo, ædificatum, sed quod sub proprio abbate esse debebat, monasterio Cluniacensi penitus subjecit, ut patet ex ejus charta, quam ex autographo edidit Peraldus in collectione chartarum Burgundicarum, pag. 166 · *Data est mense Maio, indictione* XII, *anno incarnationis Domini* 999, *Roberto rege anno* IV *regni ejus. Udebaldus, licet indignus sacerdos et monachus, scripsit.* Actum in suburbio Cabilonensi, cœnobio beati Marcelli, in præsentia regis Roberti, qui tamen ipse non subscripsit, quamvis cum Hugone subscripserint Henricus dux, et alii comites ac viri nobiles, ex quibus Rodgerius et Raynaldus episcopi fuere. Porro ejusdem chartæ exemplar habemus, cujus ope suppleri possunt aliquot verba quæ in autographo Peraldus legere non potuit, quod procul dubio nonnullis in locis detritum præ vetustate fuerat. In eodem nostro apographo *Ainricus* pro *Henricus* scribitur, quod in veteribus chartis passim occurrit, mater quoque Hugonis episcopi non *Adellerdis*, sed *Adelaydis* dicitur, quod etiam aliunde nobis compertum est; et qui inter subscribentes apud Peraldum *Marcius comes*, in nostro *Mouricius comes* appellatur. Quin et in eodem exemplari nostro Hugo mentionem facit donationis ecclesiæ sancti Marcelli, a Gaufredo, matris suæ marito, olim sancto Maiolo factæ. Sic enim post hæc verba, *donationis fiat*, habet charta : « Eodem etiam voto et desiderio, consilio et auctoritate supra memoratorum principum et episcoporum roboratus, tradit jam dictus apostolis ac præfato abbati, fratribusque sibi commissis, præ libatum Cluniacense cœnobium incolentibus, nec non successoribus illorum in perpetuum, locum sancti Marcelli in suburbio Cabilonensi positum, scilicet ubi ipse idem sanctus martyr requiescit corpore, cum omnibus ad se pertinentibus, sicut olim a Gaufredo comite, matris ejusdem præsulis conjuge, sancto Maiolo suisque successoribus fuit commissum, ad possidendum et ordinandum atque disponendum jure perpetuo, sine alicujus contradictione. Placuit autem huic testamento, » etc., ut in editis. Quam additionem spuriam non esse patet ex charta Theobaldi comitis Cabilonensis, Hugonis nostri nepotis; in qua ille testatur monasterium sancti Marcelli a Gaufredo comite, qui Adheleidem, Lamberti avi sui relictam, uxorem duxerat, sancto Maiolo commendatum fuisse, consentientibus Adheleide et Hugone tum clerico, postea episcopo. *Postea*, inquit, *regnante serenissimo rege Roberto, avunculus meus dominus Hugo comes et episcopus, præsente ipso rege, comitibus et episcopis istius patriæ, supradicti monasterii donum tradidit domno Odiloni abbati, successori abbatis Maioli*, etc. Quam donationem confirmat ipse Theobaldus, cujus charta ea de re integra edita est sæculo superiori pag. 772. (3) Porro monasterii Aureæ-Vallis sive Paredi donationem Cluniacensibus factam confirmavit Robertus rex Francorum, ut observavit Andreas Duchesnius in notis ad Vitam beati Hugonis, quæ habentur in appendice Bibliothecæ Cluniacensis, col. 93. Sed et idem Hugo episcopus et comes villas de Vivens et de Moncello atque alia quædam bona eidem monasterio contulit, ut patet ex alia ejus charta anno XX Roberti regis data.

76. Hoc ipso anno 999, Otto III imperator monasterium beatæ Mariæ apud Papiam, quod vulgo Cella sancti Maioli appellabatur, Cluniacensi monasterio confirmavit. Diploma hac de re confectum

(3) Patrologiæ, tom. CXXXVII, in MAIOLO.

habetur in Bibliotheca Cluniacensi, col. 409. Hic vero *locus nobilissimus* dicitur in Vita sancti Odilonis, et *multum* ab eodem sancto viro *adauctus*.

77. Anno XV Roberti regis, mense Septembri, proindeque anno æræ vulgaris 1011, si de monarchia intelligatur, Wido, nobilis vir, monasterium Thiernense a *suis parentibus quondam sæculariter possessum* Cluniaco subjecit, assentiente Petro ejusdem loci abbate, cui toto vitæ suæ tempore reservata sunt abbatis jura et prærogativæ. De reliquiis sancti Symphoriani in altari ecclesiæ Thigernensis reconditis agit Gregorius Turonensis, lib. I. De gloria martyrum, cap. 52, de Genesii martyris inventione ibidem facta, capite 67 ejusdem libri.

78. Eodem sæculo undecimo ineunte, sed incertum quo anno, contigit monasterii apud Valentiolam in episcopatu Regensi erectio. Huic occasionem dedit donatio curtis in eodem loco, cujus meminit Gregorius V in bulla jam a nobis laudata. Cum enim ipsam monasterio exstruendo aptam judicasset beatus Odilo, hanc licentiam ab episcopo petiit et obtinuit, ut patet ex veteri notitia quam ex chartario Cluniacensi descriptam habemus, ubi hæc leguntur : « Odilo abbas mittit monachos ad Almeradum Regensem episcopum, qui postularent licentiam monasterii ædificandi juxta ecclesiam in honore almi confessoris Maximi antiquitus consecratam in villa Valentiola. Cui consensit, decrevitque ut nulla persona habeat dominationem aut consuetudinem in dicto loco, atque fratres ibi commorantes possent quæ a fidelibus offerrentur accipere. » Nulla est apposita data, sed ex eo conjicimus Almeradum sæculi undecimi initio Ecclesiæ Regensi præfuisse, quod Lirinensi monasterio, cui tunc Warnerius abbas præerat, aliquot bona contulerit. Warnerius quippe in Lirinensis monasterii regimine sanctum Odilonem præcessit. Idem Almeradus, seu, ut ibi scribitur, Helmeradus, in charta quadam, agente domno Warnerio Cluniacensi præposito, agnovit coram reliquiis in imagine sancti Petri contentis sibi decimas proprii laboris non deberi in terris Valentiolæ et aliarum possessionum a Cluniaco pendentium. Charta data est in ipsa ecclesia Valentiolæ, sed est absque data, sicut et tertia, ubi idem antistes sancto Odiloni dimittit annuos quosdam reditus, quos ecclesia Valentiolæ solebat episcopo solvere. Denique Archimbertus quidam et Pontius filius ejus Cluniacensibus monachis dimisere quidquid sui juris in villa Valentiolæ, etc., esse contendebant. Hoc actum est in concilio quod fuit in *capu* (sic habet nostrum apographum, an legendum *campo* aut *capitulo?*) sancti Romani, præsente Joscelino episcopo, et aliis quampluribus, in episcopatu Fricdunensi. Annus non exprimitur : quis vero sit episcopatus Fricdunensis, cui iste præfectus fuerit, nos latet ; nisi forte legendum sit *Forojuliensi*, cui Ecclesiæ circa hæc tempora præerat Gaucelmus sive Gocelinus, qui multa bona Lirinensi monasterio contulisse dicitur.

79. Anno 1022, Odilo Lirinense monasterium regendum suscepit, eique præfuit ad annum 1028, quo in ejus locum suffectus est Amalricus, ut discimus ex duobus chronicis mss. quæ penes nos habemus, quorum chronicorum ope emendandus est Vincentius Barralis, ejusdem loci monachus, qui Odilonem Lirinensi insulæ paulo post sancti Maioli obitum præfectum fuisse scripsit in Chronologia sanctorum Lirinensium. Duas idem auctor chartas refert, quæ Odilone Lirinensi abbate datæ sunt ; sed nullam habent temporis notam, sicut nec in Bibliotheca Cluniacensi, ubi iterum editæ habentur.

80. Varias vices passa est Juliacensis ecclesia, unde difficillimum est tempus assignare quo a monachis Cluniacensibus primum inhabitata fuerit. Certe jam supra laudavimus chartam Ottonis cognomento Willelmi, Burgundiæ ducis, datam regnante Rodulpho, in qua, postquam fassus fuisset se Maioli et Odilonis abbatum voces surda aure diu audivisse, compunctus tandem Juliacum restituisse dicitur.

81. Verum post factam Cluniacensibus Juliaci restitutionem ab Ottone Willelmo, eumdem locum nonnulli sæculares viri sibi attribuere tentaverunt, quorum conatus nonnisi alterius terræ largitione retundere potuit comes Raynaldus, Ottonis filius. Id probamus ex veteri notitia quæ in chartario Cluniacensi habetur his verbis : « Otto comes, qui cognominatur Willelmus, reddidit monachis in famosissimo cœnobio Cluniensi Deo servientibus potestatem quæ dicitur Juliacus. Longo tempore transacto, surrexerunt Aymo et Otbertus filii Aldonis, proclamantes eam potestatem suam hæreditatem esse : sed hæc calumnia cessavit in præsentia Raynaldi comitis, filii supradicti Willelmi, qui pro hac calumnia dedit præfatis Aymoni et Otberto aliam quamdam potestatem, quam susceperunt, et querelam deposuerunt. Signum Raynaldi comitis. Signum Adheleidis uxoris ejus. Signum Azelmi abbatis de Monte Sancti-Joannis. Acta sunt hæc apud castrum Divionense, anno 1022, indictione VI, Rotberto rege Francorum. » Nondum tamen anno 1022 defunctus erat Otto-Willelmus ; sed error est librarii. Utriusque vero restitutionis meminit Robertus Burgundionum dux in veteri quadam notitia, ex eodem chartario, tempore Henrici regis fratris sui data ; in qua quidem notitia testatur Robertus Willelmum ejusque filium Raynaldum, auctoritate et jussu patris sui Roberti regis, Juliacum Cluniacensi monasterio restituisse, cum consensu Hugonis comitis Cabilonensis, aliorumque virorum *nobilium utriusque militiæ*, quod ipse confirmat et corroborat.

82. Anno 1025, beatus Odilo monasterium Voltæ in paterno fundo construxit. Hoc enim, quod a fratribus suis ante complures annos promissum fuerat, nec satisfacere potuerant, ipse cum nepotibus suis, eorum filiis, adimplevit. Exstat etiam nunc, ut testatur Andreas Duchesnius in notis ad Vitam sancti Odilonis, append. Bibliothecæ Cluniac. pag. 74, ver-

sus, supra januam ecclesiæ ejusdem loci, qua aditus est ad claustrum, insculptus, qui hæc indicat paucis istis verbis :

Hoc tibi, Rex regum,.... condidit, Odilo templum.

Verum totam rei gestæ seriem exponit ipsemet sanctus abbas in instrumento fundationis, quod supra paragrapho secundo integrum dedimus.

83. Circa hæc tempora Kadolenus vicecomes cum uxore sua et filio Willelmo dedit monasterio Cluniacensi locum qui dicebatur Sancti Joannis de Molgone, cujus rei complura instrumenta exstitisse colligimus ex variis notitiis quæ in Cluniacensibus chartariis ea de re habentur. Hæc donatio facta fuit *regnante Roberto rege et præsidente Aquitanis Willelmo duce, mense Maio.* Ei subscripsit Isembertus episcopus Pictaviensis, qui sese *pontificem Aquitanorum* appellat, et cum eo Jordanis episcopus Lemovicensis, et Robo Encolismensis. Item Joffredus et Acfredus vicecomites, tum Willelmus de Partenaco. Nusquam vero Kadolenus subscripsisse legitur, quod fortasse nonnisi post ipsius mortem instrumenta hujus rei confecta fuerint.

84. Non liquet quo tempore incœperint monachi domum de Sariano inhabitare. Initia sua debet Leodegario cuidam, monacho Cluniacensi, qui ibi proprio labore ecclesiam construxit; qua dotata, factum est ut ibi monachi instituerentur. Dicata est ecclesia a Regimbaldo Arelatensi archiepiscopo, qui anno circiter 1031 huic ecclesiæ præesse cœpit. Hæc discimus ex veteri quadam notitia, quam penes nos habemus in veteribus membranis descriptam, ubi, præmissa brevi formula, hæc leguntur : « Quidam Dei famulus, nomine Leodegarius, Cluniensis monasterii frater et monachus, in villa quæ vocatur Sarrianis, quam Willelmus quondam dux provinciæ et pater patriæ, sanctorum apostolorum Petri et Pauli et monasterio Cluniensi et loco in quo se sepeliri rogavit, et beato Maiolo adhuc in carne vivente, et vivens delegavit, et moriens donando attribuit, ecclesiam construere studuit, et eam consecrare et dedicare rogavit a domno et venerabili Regimbaldo Arelatensium archiepiscopo, ad honorem Dei et memoriam Dominicæ et victoriosissimæ crucis, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et beati Marcelli papæ et martyris, et beati Saturnini martyris inclyti, et omnium sanctorum viventium et regnantium cum capite suo Christo per omnia sæcula sæculorum. Donat etiam supradictus frater supradictæ ecclesiæ die consecrationis suæ mansum unum, ad sustentationem et utilitatem per succedentia tempora inibi Deo servientium. » Et in fine, absque ulla cujusquam subscriptione, habetur hæc clausula : « Valeant cuncti fideles, hujus nostræ operationis laudatores. »

85. Anno 1029, Rodulfus, Burgundiæ Transjuranæ rex, ad petitionem Reinoldi comitis, filii Ottonis cognomento Willelmi, concessit Cluniacensibus monasterium Vallis in diœcesi Vesontionensi situm, confirmatque ei omnia quæ tam ab Ottone-Willelmo quam a Reinoldo ipsius filio collata fuerant. Chartam integram refert Perardus, pag. 177, quæ data est Logis, anno 1029, Rodulfi regis XXXV. Ibi dicitur « monasterium in honore Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ejusdemque genitricis Mariæ, sanctique Petri apostoli, necnon et beati Nicolai almi confessoris constructum, situm in episcopatu Bisoncionensi juxta Polliniacum, in loco qui recte Vallis vocatur, constructum. » Porro monasterium istud ab Ottone-Willelmo a fundamentis ædificatum fuisse discimus ex charta Hugonis archiepiscopi Vesontionensis, ubi confirmat donationem decimarum, oblationum, sepulturarum, cappellarum, etc., in villa quæ dicitur Mediolanum, et cappellæ sancti Victoris apud Madriacum, a Walterio prædecessore suo factam ecclesiæ loci Vallis, quam, inquit, Otto-Willelmus construxerat, et ipse Walterius in honorem beatæ Mariæ consecraverat. In alio apographo hæc omnia intercedente Odilone abbate concessisse dicitur ipse Hugo. Data est anno 1033, die sancti Joannis, et subscripserunt R. præpositus, Robertus abbas, tum archidiaconi duo, Radaldus abbas, et alii complures canonici et sæculares.

86. Ante annum 1034 consignanda est fundatio monasterii de Chauriaco, quæ a Stephano Claromontensi episcopo facta est sub regimine sancti Odilonis, in gratiam Celsinianensis monasterii. Eo quippe anno jam Renco, Stephani IV successor, Ecclesiæ Claromontensi præerat, quam Ecclesiam adhuc anno 1052 regebat. Hujus porro fundationis notitiam habemus in chartario Celsinianensi : « Stephanus sanctæ Dei Ecclesiæ Claromontensis episcopus, et mater sua et fratres sui, simulque Rorgius et filius ejus Faramundus, et omnes canonici sanctæ Ecclesiæ Claromontensis, dederunt Deo et sancto Petro et ad locum Celsiniacensem, qui regitur sub gubernatione domni Odilonis abbatis, tres ecclesias et sex appendarias; prima ecclesia vocatur Chauriacus, ut ibi monasterium construatur; secunda sancta Maria; tertia, sancta Marcella cum decimarias (*sic*), baptisteriis, sepulturis, campis, pratis, etc. Facta est hæc donatio mense Decembrio, feria tertia, regnante Domino nostro Jesu Christo. »

87. Sub ejusdem Stephani pontificatu, atque iisdem fere conditionibus, fundatum est monasterium sancti Flori apud Arvernos, quod Cluniacensibus monachis sub beati Odilonis regimine in monasterio Celsinianensi degentibus concessere Amblardus et Eustorgius, viri nobiles, quorum donationis instrumentum in Celsinianensi chartario habetur, eique cum donatoribus subscripserunt Stephanus episcopus Claromontensis et Robertus vicecomes. Monasterium sancti Flori sub Cluniacensis ordinis obedientia perseveravit usque ad annum 1317, quo, repudiata a Gerardo abbate Auriliacensi episcopali dignitate, Raymundus Vehens, prior sancti Flori, episcopus factus est, et ejus monasterium in cathedralem mutatum. Ibi tamen perseverarunt monachi usque ad annum 1476, quo a Sixto IV sæcularis toga eis indulta est.

88. Anno 1037, monasterium sancti Marcelli apud Salciacum, in episcopatu et comitatu Valentino constructum, monachis Cluniacensibus traditum est ad instaurandam ibi disciplinam regularem, quæ sub abbatibus ibi constitutis servari non potuerat. Habemus ejus concessionis chartam, quam ex chartario Cluniacensi proferimus. « Primo homine transgrediente, etc. Ego Ademarus comes, et uxor mea, nomine Rotildis, una cum filiis nostris, Pontio videlicet episcopo, Hugone, Lamberto, Gontardo, Geraldo, quemdam locum, Saltiacum nomine, situm in episcopatu et comitatu Valentinæ civitatis, consecratum in honore sancti Marcelli martyris, sub quibusdam abbatibus hactenus in negligentia curæ animarum positum, ut ad statum melioris rectitudinis valeat converti, cum omnibus quæ ad ipsum locum pertinent, videlicet terris, pascuis, silvis, vineis, aquis, molendinis, pratis et cunctis suis appenditiis, donamus Deo et sanctis apostolis Petro et Paulo, et monachis Cluniacensibus, quibus præest domnus Odilo abbas, ad possidendum et ordinandum, et jure hæreditario quidquid agere voluerint agendum. Ideo autem hæc facimus quatenus tam nos quam cuneti propinqui et amici nostri, anima etiam domni Lamberti comitis, vel animæ omnium fidelium Christianorum mereantur habere societatem et partem orationum servorum Dei [in] Cluniaco monasterio vel in cunctis suis appenditiis Christo militantium. Actum publice, anno ab incarnatione Domini 1037, regnante Conone imperatore, anno x regni sui. Testes Ademarus comes, et uxor sua Rotildis, qui hanc donationem fecerunt, et decem uncias auri a monachis pro ea acceperunt, et Edraldus monachus magnum servitium eis fecit, qui eam sancto Petro acquisivit. Pontius episcopus, et frater ejus Hugo, et Lambertus, Gontardus, Geraldus fratres eorum. Rainardus presbyter scripsit, dictante Raintardo. » Pontius episcopus, Ademari filius, qui in hac charta memoratur eique subscripsit, Valentinensem Ecclesiam post Guigonem rexit. Sedebat adhuc anno 1047, ut ex nonnullis chartis colligitur; at quo anno hanc sedem inierit aut dimiserit, nobis compertum non est.

89. Porro Lambertus comes, ibidem memoratus, Ademari donatoris pater fuit, qui monasterium ipsum sancti Marcelli penitus desolatum restaurari curaverat, ut ex alia charta patet, in qua sic cum uxore sua Fuletrude loquitur: « Donamus de rebus proprietatis nostræ Deo et sancto Marcello, et monachis Oddoni et Duranno, et ad illos qui ad illum locum venerint, damus pro filiis nostris Ademaro et Lamberto et parentibus nostris, ut ecclesia sancti Marcelli ibi reædificetur, monasteriumque ibi fiat, nullique loco ipse locus nisi sancto Petro principi apostolorum sit subjectus. Abbatem (*sic*) quoque in dicto loco sancti Marcelli de Fellinis, non habeatur neque eligatur, nisi qui regulam sancti Benedicti teneat et custodiat, et ad hoc fratres sibi subditos charitative compellat » Ob lacerum folium data non habetur; in ejus tamen titulo facta fuisse dicitur sub rege Conrado. Et quidem hanc donationem confirmavit idem Conradus, anno XLVI regni sui, id est æræ vulgaris anno 983.

90. Anno 1039 consignanda est fundatio cellæ sancti Laurentii in pago Matisconensi, ut patet ex charta Archimbaldi vicecomitis, qui hoc ipso anno, indictione VII, regnante Henrico rege, dedit Odiloni abbati mansum vineale in pago Matisconensi situm, ea scilicet conditione ut in ecclesia sancti Laurentii, quam ipse jam antea Cluniacensi monasterio contulerat, monachorum sub disciplina Cluniaci abbatum viventium conventus institueretur, in quorum usus mansum illud cum cæteris ad eamdem ecclesiam pertinentibus cederet.

91. Anno 1045, cui tamen indictio XI, quam in apographo charta præfert, non concordat, monasterium sancti Salvatoris Nivernensis Cluniacensibus subjectum fuit ab Hugone ejusdem urbis episcopo, assentientibus Adalelmo loci rectore et canonicis ecclesiæ sancti Cyrici, ad quorum jus antea pertinebat. Instrumentum ea de re confectum in chartario Cluniacensi exstat, datum publice in sancta synodo, anno 1045, indictione XI, octavo Idus Novembris.

92. Sub Henrico rege Francorum, at incertum est quo anno, Petrus Rogerii episcopus Tolosanus apud Cluniacum existens, monachorum ibi degentium sanctitatem miratus, contulit eis ecclesiam sanctæ Columbæ in sua diœcesi sitam. Ibidem monachos fuisse institutos colligimus non solum quod ad hanc ecclesiam multæ aliæ cum prædiis et appenditiis attinebant, verum etiam quod in diplomate Paschalis II, in Bibliotheca Cluniacensi, pag. 571, inter alia quæ Cluniacensibus confirmat, occurrit, *in episcopatu Tolosano monasterium sanctæ Columbæ*. Eamdem ecclesiam, nescio quo pacto a Cluniacensibus alienatam, ipsis restituit Amelius episcopus Tolosanus, Pontio tunc Cluniacensi abbate, ut ex ejus charta patet, data anno 1110, regnante Ludovico rege, quæ integra habetur in Bibliotheca Cluniacensi, col. 578. Anselmus canonicus ecclesiæ Leodiensis, in libro De gestis ejusdem ecclesiæ pontificum, capite 53, scribit beatum Odilonem ejusque successores *plures ecclesias in parochia Leodiensi* acquisivisse; *in quibus*, inquit, *religiosi monachi ab ipso sub nomine prioratus sunt statuti, qui nocte et die pro statu ecclesiæ aures divinæ misericordiæ non cessant perpulsare*.

93. Hæc fuerunt præcipua monasteria quæ, quantum discere potuimus ex antiquis monumentis, Odilonis tempore, abbatum Cluniacensium regimini commissa fuerunt, præter alia bene multa, quæ, jam antea sub ejus præcessoribus Cluniaco subjecta, restauravit aut plane renovavit, ut testatur ipsius Vitæ auctor. Sed præter hæc, varia item alia monasteria, quæ temporum injuria aut incuria abbatum a disciplinæ regularis fervore defecerant, ad meliorem frugem revocavit Odilo, quæ tamen Cluniacensibus subjecta non fuere. Ex his exstitere celebre sancti Dionysii monasterium, aliaque bene multa

per Gallias; in quibus, agente potissimum Hugone rege, ut testantur Ademarus et auctor Chronici sancti Maxentii, vir sanctus disciplinam regularem restituit. Willelmus quoque Aquitanorum dux, ut idem Ademarus asserit, nonnulla ditionis suæ monasteria Odilonis magisterio eadem de causa commendavit. Hinc in monasterio Angeriacensi Raynaldum abbatem instituti curavit in Alduini locum, qui fato functus erat, et pro Raynaldo pariter defuncto Aymericum substituit; quamvis Raynaldo Goffridum successisse dicat Chronici Malleacensis auctor. Tanta nempe erat beati Odilonis, et monachorum Cluniacensium sub ipsius regimine viventium, apud omnes opinio, ut plerique aliorum locorum monachi, quibus disciplinæ regularis amor inerat, Cluniacensium mores amplecterentur; imo et inde abbates acciperent, quamvis sui juris remanerent, nec alias monasterio Cluniacensi subjici vellent. Quod tum maxime fiebat si id postularent monachi, aut placeret episcopis sive principibus sub quorum dispositione constituta erant ejusmodi monasteria. Sic Durando, qui consilio abbatis Cluniacensis, aliorumque ordinis abbatum, Saviniacensis abbas creatus fuerat, suffectus est iterius monachus Cluniacensis, consilio sancti Odilonis, uti testatur Burchardus Lugdunensis antistes in charta ea de re conscripta, cujus authenticum præ manibus habemus.

94. Non autem continebatur intra Galliarum fines monasterii Cluniacensis ejusque sanctissimi abbatis fama, quæ occasionem præbuit Cluniacense institutum in exteras nationes propagandi. Illustre hujus rei exemplum habemus in Sancio Hispaniarum rege, qui, cum monasteriorum in suo regno recte instituendorum desiderio teneretur, Cluniacum, ex episcoporum et optimatum consilio, misit unum e suis, Paternum nomine, qui regulari disciplina sanctisque loci illius consuetudinibus probe imbutus, eas postmodum redux in Hispaniarum monasteriis observari curaret. Id discimus ex ejusdem regis diplomate pro monasterio Oniensi, quod noster Yepezius in appendice tomi V Annalium ordinis nostri edidit, ubi piissimus princeps sic loquitur: « Ordo monasticus, omnium ecclesiasticorum ordinum perfectissimus, tum temporis omni nostræ patriæ erat ignotus..... tandem, inspirante Deo, a prudentibus ac religiosis viris salubre reperi consilium; quibus referentibus didici quia perfectionem hujus sanctæ quam requirebam professionis nemo perfectius ostendere poterat, quam congregatio monasterii Cluniacensis, quæ in eodem tempore clarius cæteris monasteriis sancti Benedicti perfecta florebat regulari religione, auxiliante Deo, et venerando abbate Odilone administrante. Igitur super hoc negotio accepi ab omnibus episcopis nostris consilium et optimatibus, et unum ex nostris patriotis virum, quantum hominibus possibile est ad cognoscendum, religiosum et timoratum, vocitatum Paternum, cum devoto comitatu religiosorum sociorum, misimus ad prædictum Cluniacense cœnobium, ut in ipso perfectionem monasticæ vitæ cognosceret ac disceret: qua sufficienter imbutus ad patriam nostram rediret, et sitienti patriæ nostræ potum monasticæ professionis propinaret. Quod, donante gratia Dei, ut ordinavimus factum est. Nam isdem vir, doctrina disciplinæ regularis cum suis sodalibus perfecte instructus, prospere ad nos reversus est. Quem primo doctorem monasticæ vitæ in monasterio sancti Joannis de Peña constituimus, et, ut fratres sub ipso regulariter viverent, eum pastorem animarum præfecimus, et prædictum monasterium, ut firmiter in stabilitate regularis vitæ persisteret, regalibus donis atque firmissimis privilegiis munivimus, etc. Hoc ergo monasterio regulari dispositione decenter ordinato, omnes episcopi et principes totius regni communiter consilium inierunt, et ad me venientes unanimiter, ut cœnobium sancti Joannis de Peña decoraveram monasticæ religioni, sic etiam honestarem eadem regulari beati Benedicti professione Oniense monasterium, quondam a religioso Santio comite in honore sancti Salvatoris constructum, etc. Ad monasterium sancti Joannis de Peña misi, et domnum Paternum, quem ibi abbatem venerandæ congregationis præfeceramus, ad nos venire cum aliquantis religiosis fratribus expostulavi. Qui benigne obediens meæ justæ petitioni, quod ab eo petebam sine aliqua dilatione impetravi; depulsisque mulieribus in Oniensi monasterio sine aliqua reverentia habitantibus, consensu et voluntate atque petitione omnium patriæ nostræ episcoporum ac clericorum, statuimus ibi congregationem religiosorum monachorum, quibus abbatem, Garseam nomine, secundum regulam sancti Benedicti, communi etiam fratrum acclamatione præposuimus. Domnum vero Paternum, abbate loci diligenter instructo, et congregatione honorifice ordinata, ad proprium monasterium remisimus. Ut ergo inconvulsa, » etc. Plura decernit rex pro electione abbatis ac monasterii immunitate, quod nulli omnino subjectum esse vult, ita ut si abbas aliquando gravium delictorum reus dejici mereretur, id solummodo fiat in consilio. Cæterum Paternus, in diplomate regio memoratus, is ipse est ad quem Odilo epistolam scripsit, in Spicilegii tomo II, pag. 386, editam, ubi eum *divini amoris fervidum domnum Paternum, gregis Christi affectu paterno procuratorem providum*, appellat. Ex eadem vero epistola facile colligi potest quantum Sancio regi atque ejus filio Ranimiro devinctus esset Odilo, qui quotidianis precibus ad omnes horas Hispaniæ regnum in publico conventu commendari curabat. Habuit quoque Cluniacensis ordo monasteria in Hispaniis omnino suæ jurisdictioni subjecta, etiam tempore sancti Odilonis. Ex his fuit celebre monasterium sancti Zoili de Carrione, ubi Arnulfus primus loci prior ab ipso sancto abbate institutus dicitur apud historiæ Hispanicæ scriptores. Sed et huic monasterio complura alia parebant, quæ omnia Cluniacum, uti matrem, venerabantur. Sed, anno

1435, Eugenius quartus Carrionenses priores, Cluniacensibus subtractos, abbatis titulo donavit.

VI. *Summorum pontificum, regum, aliorumque principum erga sanctum Odilonem affectus.*

93. Tanta erat Cluniacensium monachorum sub beati Odilonis regimine sanctitatis fama, ut fideles quique ac pii viri eos beneficiis aut donationibus sibi devincire cuperent, rati nihil sibi defuturum, si tantorum virorum precibus et patrocinio apud Deum adjuvarentur. Hinc tot pontificum bullas, tot regum et imperatorum diplomata in eorum gratiam data legimus, queis aut vetera privilegia confirmarentur, aut nova concederentur; tot principum aliorumque virorum, nobilium simul et ignobilium, chartas, quibus aut nova instituebantur cœnobia a Cluniacensibus monachis inhabitanda, aut certe jam erecta prædiis variisque possessionibus augebantur, ut in eis saltem accresceret Deo sub tam sancta disciplina servientium numerus. Certare videbantur pontifices et reges, utri eorum erga Cluniacenses magnificentiores essent. Pontifices intercedentibus sæculi principibus privilegia impertiebantur; isti vero commendatione pontificum, sua auctoritate bona monasterio jam parta tuebantur, novisque donationibus vetera amplificabant.

96. Videre est in bulla Gregorii quinti, quam se interventu Ottonis imperatoris concessisse testatur, quam accurate et minutatim omnia Cluniacensis monasterii bona recensuerit, ne qua essent quæ ipsius confirmatione carerent. Edita est in Bullario Cluniacensi, pag. 10, quam ideo huc proferre visum non est. Observatione digna sunt quæ ibidem, pag. 11, Silvester II, Gregorii successor, ad beatum Odilonem scribit: *Silvester.... Odiloni dilecto filio, et abbati præclaro, atque universæ congregationi sibi commissæ charam salutem et apostolicam benedictionem. Vestris nos sanctissimis omni tempore committimus orationibus, et ut accipere dignemini fidelibus exoramus petitionibus: quia in quocunque noster valuerit status, nullo modo vester defectum sentiet profectus*, etc. Habemus duas Benedicti VIII epistolas adversus Cluniacensis monasterii bonorum invasores. In priori epistola adhortatur Aquitaniæ, Burgundiæ ac Provinciæ episcopos, quibus ipsa inscripta est, ut viriliter agant in tuendo Cluniacensi monasterio, quod a Willelmo nobilissimo Aquitanorum principe constructum, et ab eo, simulque laudantibus et approbantibus Romanorum imperatore, ac Francorum et Burgundionum regibus, sub speciali Romanæ Ecclesiæ tutela positum fuerat. Ex eadem epistola colligimus Robertum Francorum regem ejusmodi monachorum Cluniacensium vexationes ægre admodum tulisse, siquidem pontifex testatur querelas ea de re ad se fuisse delatas *in præsentia Deo devoti domini Roberti regis Francorum, principumque ejus et optimatum, qui cum eo venerunt ad limina apostolorum.* Altera Benedicti papæ epistola inscripta est Stephano Arvernensi episcopo, cui mandat ut nonnullos ex recensitis in superiori epistola invasoribus, quos pro- A priis nominibus designat, ob inobedienter neglectam bonorum Cluniacensis monasterii restitutionem excommunicationis vinculo innodare non differat. Joannes XIX, ut præfert titulus in Bullario Cluniacensi, pag. 8, interventu sancti Henrici imperatoris, jura omnia tam spiritualia quam temporalia monasterii Cluniacensis asseruit in epistola quam ea de re scripsit Odiloni. Laudatur ibidem alia ejusdem pontificis epistola, qua interventu Conradi imperatoris omnia monasterii Cluniacensis bona et jura confirmat. Idem pontifex, in epistola ad Robertum Francorum regem, eum ut eumdem locum contra invasores tueatur invitat. Scripsit et ad Burchardum Lugdunensem archiepiscopum, tum ad Gauslenum Matisconensem, pro asserenda ejusdem monaB sterii immunitate ab omni jurisdictione episcopali. In epistola autem ad universos fideles directa testatur se, antecessorum suorum vestigiis inhærentem, cum consensu multorum episcoporum tunc Romæ in synodo in præsentia domni Conradi imperatoris nuper coronati congregatorum, omnia Cluniacensium privilegia et immunitates confirmasse. Data est quinto Kalendas Aprilis, anno Joannis papæ tertio, indictione x; quæ quidem chronologicæ notæ anno 1027 optime congruunt. Denique Clemens II ad episcopos, principes et magnates Galliæ scripsit, ut eis pariter Cluniacensis monasterii tuitionem commendaret.

97. Quo autem loco apud sæculi principes haC bitus fuerit Odilo, probant complures donationum chartæ quas supra laudavimus, et varia diplomata in ejus gratiam data. Idem testantur pontificum bullæ, in quibus Romani pontifices Cluniacensium curam se suscepisse testantur, ad id potissimum imperatorum aut regum interventu permoti. Certe Otto tertius, quo imperante Odilo in monasterii Cluniacensis regimen assumptus est, confirmavit ipsi monasterium sancti Maioli apud Papiam, ut ex diplomate ea de re confecto patet, quod ex Bibliotheca Cluniacensi jam supra laudavimus. Præ cæteris vero Odilonem coluit Adhelais Augusta, Ottonis I imperatoris uxor, cujus Vitam ipse vir sanctus conscripsit. Unicum locum proferre sufficiet, ex quo patebit quanta et quam sincera fuerit beatæ hujus feminæ erga sanctum abbatem veneratio. Sic quippe D ea de re loquitur ipse Odilo, de se, tacito licet nomine, sic loquens: *Erat quidem ibi in præsentia ipsius*, paulo scilicet antea quam esset e vita exitura, *monachus, qui, licet esset indignus abbas vocitari, ab ea tamen putabatur alicujus esse momenti: quem cum illa respiceret, et ipse eam esset intuitus, cœpit uterque flere uberius. Dicam eam plus fecisse, quam si dicerem eam multos infirmos sanasse. Vestem enim satis incultam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, et sanctissimis oculis, et serenissimæ suæ faciei osculando impressit, eique humiliter et cum silentio dixit: « Memento mei, fili, in contemplativis, et scias me non amplius te visuram corporalibus oculis. Cum enim humanis rebus excessero, orationibus fratrum*

animam meam committo. » *Inde per iter quo venerat, pervenit ad locum ubi, ordinante Deo, decreverat sibi parari sepulcrum.* Ottoni imperatori successit sanctus Henricus, monachorum tutor, qui suum erga Cluniacum affectum donis magnificis comprobavit. Inter ea erant, ut refert Ademarus in Chronico, *sceptrum aureum, sphæra aurea, vestimentum imperiale aureum, corona aurea, crucifixus aureus, pensantia simul libras centum, et alia multa.* Sed et, uti prosequitur laudatus auctor, *cum Odilone abbate ejusdem loci crebrius colloquium familiare exercebat, et in aula palatii sui cum primoribus ducebat.* Eadem repetit auctor Chronici sancti Maxentii seu Malleacensis.

98. Diplomata varia Hugonis Francorum regis, et Roberti ejus filii et successoris, ultro probant qua in veneratione apud eos essent Odilonis sanctitas et morum innocentia. Eum cum aliis regni episcopis et proceribus adesse voluit Robertus translationi corporis sancti Aniani apud Aurelianos, quam piissimus princeps celeberrimam esse volebat. « Non defuit etiam, » inquit Helgadus, « præsentia domni et venerabilis Odilonis Cluniacensium abbatis, et aliorum bonorum virorum non minimi meriti, cum quibus semper desiderabat colloqui. » Quanti vero Odilonis sanctitatem veneraretur Robertus, ex Chronico Divionensi intelligere possumus, ubi legimus quod, cum Willelmus sancti Benigni abbas accepisset Robertum regem in Burgundia omnia devastantem Divionem accedere velle, « præfatus abbas Willelmus, » ait Chronographus, « monachos per alia monasteria jussit secedere..... paucis ob custodiam loci et sancti Benigni servitium cum domno abbate Odilone in hoc loco dimissis : quem ad hoc accerserat, ut, si forte rex aliquid mali contra hunc locum moliretur, illius precibus exoratus dimitteret. » Et re ipsa Robertus nihil mali monasterio intulit. Robertus Burgundionum dux, ejusdem Roberti regis filius, sanctum Odilonem *suæ salutis et honoris devotum et fidelem amicum* appellat. Willelmus Aquitanorum dux ita eum venerabatur, ut, teste Ademaro, se in *eo Spiritus sancti templum contemplari* putare diceret, *seque ei in manibus commendatum traderet*, cui ideo, ut supra observavimus, aliquot ditionis suæ monasteria subjecit.

99. Rodulfus Transjuranæ Burgundiæ rex, hujus nominis tertius, in ipso regni sui initio chartam edidit, qua declarat se monasterii Cluniacensis velle esse *tutorem invictissimum*, omnesque regni sui proceres ac judices contestatur ut idem ipsi faciant. Habetur hoc diploma in Bibliotheca Sebusiana, centuria I, ch. 55. Plura de hoc principe congerere superfluum esset, cum varias ipsius chartas passim supra laudaverimus. Haud minor erat apud exteras gentes Odilonis fama quam apud Gallos. Eum Sancio in Hispania regi ejusque filio Ranimiro acceptissimum fuisse colligi potest ex ipsius Odilonis epistola ad Paternum, quam supra laudavimus. Idem patet ex altera epistola, ad Garciam Sancii filium et successorem data, ubi sic loquitur : *Scimus itaque, ex indissolubili familiaritate et societate qua olim patri vestro probamur copulati, ita in vestra fidelitate devoti*, etc. Ejus implorat opem tempore famis, quæ jam a biennio in Galliis invaluerat.

100. Quanta autem polleret apud principes simul et populos eis subjectos auctoritate probari potest ex famoso illo fœdere publico, quod vulgo *Treuva-Dei* appellatur, ab ipso Odilone cæterisque, ut refert Hugo Flaviniacensis in Chronico ad annum 1041, viris piis *divinis revelationibus institutum.* Aliud exemplum auctoritatis ejus in populos suppeditat Ademarus in Chronico, ubi refert cives Bituricenses Goslino, qui ex monacho sancti Benedicti factus fuerat a Roberto rege archiepiscopus Bituricensis, per quinquennium restitisse, quod Goslinus, etsi ex stirpe regia, ex scorto tamen natus fuisset; sed, *sequestro tandem Odilone*, inquit ille auctor, regis voluntas prævaluit. Odilonis tamen auctoritatem exosam nonnulli habuere. Talis fuit Adalbero Laudunensis episcopus, qui in carmine ad Robertum regem, quod Valesius edidit, Odilonem *regem* per deridiculum nuncupat.

101. At nemo existimet principum gratiam Odilonem adulationibus aut molli assentatione, vel etiam apud simplices fastu sibi conciliasse, cum e contrario maximam hanc auctoritatem sanctitate morum et boni studio promovendi, etiam aliquando severioribus verbis, acribus reprehensionibus, ac minis de divino judicio intentatis sibi comparaverit. Testatur Otto Willelmus dux Burgundionum, vir istorum temporum potentissimus, in charta jam a nobis superius laudata, se diutius *surda aure sancti Maioli et domni Odilonis clamores præterivisse*, eisque tandem morem gessisse. Narrat quoque Glaber Rodulfus, Historiæ suæ libro II, cap. 8, beatum Odilonem Roberto regi cum exercitu suo ad obsidionem castri sancti Germani prope Antissiodorum urbem properanti occurrisse; sed cum, uti idem auctor prosequitur, regem ejusque primates vir sanctus redarguisset, quod adversus tantum Dei pontificem, sanctum Germanum, hostili manu insurgerent, ipsique viri Dei monita contempsissent, statim nebula, divinitus exorta, castrum omnino contectum fuit, qua muniti obsessi magnam obsidentium stragem fecere. Simili fere miraculo, Willelmus, cognomine Bucca-Uncta, comes Matisconensis, cum exstruxisset castrum contra Cluniacum, repente claudus factus est, et Ugo comes ejus hostis captum paulo post castrum illud diruit, ut narrat Ademarus in Chronico ad annum 1020. Ermengardem comitissam, quæ Odilonem ad peccandum incitasse dicitur, ita sese super carbones ardentes volutando deterruit, ut hæc piis operibus dein intenta multa bona monasterio contulerit. Carbones illi etiam nunc asservantur in sacrario Silviniacensis monasterii. Ibidem vero Ermengardis anniversarium solemniter celebrandum memoratur in Necrologio Gaufridi Choleti anno 1453 scripti, in quo hæc leguntur :

« XI Kal. officium fiat plenum pro domina Ermengarde comitissa, quæ donum sancti Mauricii cum appendiciis suis ad servitium et recreationem fratrum debilium et infirmorum de conventu Silviniacensi per manum beatissimi P. N. Odilonis Deo et ecclesiæ Silviniacensi donavit. Item dedit etiam portum de Firmitate super Aligerim. Item dedit magnam crucem auream. Item duo candelabra argentea. Item duos pannos purpuratos, multaque alia bona huic monasterio fecit et dedit in terris et pratis. »

VII. *Monasterii libertates tuetur, archiepiscopatum Lugdunensem recusat.*

102. Tantus pontificum et principum erga beatum Odilonem ac Cluniacenses affectus cohibere non potuit monachorum æmulatores, quin eis negotia facesserent, tum ob temporalium bonorum possessiones, tum ob privilegia eis concessa, quæ nonnulli convellere totis viribus conati sunt. Paragrapho superiori bullas aliquot pontificum laudavimus, queis viros in sæculo potentes redarguebant bonorum monasterii invasores. At multo difficilius fuit Matisconensium episcoporum conatibus obsistere, qui ægre ferebant monasterium Cluniacense, intra suæ diœceseos fines constructum, a sua ipsius jurisdictione eximi. Concesserant quippe pontifices Romani privilegia Cluniacensibus, quibus ex Willelmi conditoris testamenti præscripto ac regum et principum concessu immunitas omnimoda monasterio Cluniacensi asserebatur : scilicet ut monachi Cluniacensis monasterii a quocunque episcopo, prout abbati placeret, ordinari possent ; nec quidquam juris in loco illo haberet episcopus Matisconensis, imo nec nisi ab abbate invitatus illuc accedere posset. Hæc diserte habentur in bulla Gregorii quinti a nobis paragrapho superiori laudata, quæ a subsequentibus pontificibus confirmata fuerunt.

103. Privilegiis istis munitus Odilo Burchardum Viennensem archiepiscopum invitavit ut ordinationes apud Cluniacum celebraret. Quod cum ille fecisset, graviter conquestus est Gauslinus Matisconensis episcopus adversus eum, remque detulit ad synodum Ansanam, cui anno 1025 habitæ inter alios pontifices intererat quoque Burchardus. Qui cum a Gauslino ea de re coram Patribus accusaretur, culpam omnem in Odilonem rejecit. Accersitus itaque sanctus abbas cum aliquot e suis monachis comparuit, protulitque in medium privilegia quæ modo recensebamus, queis licitum est abbati Cluniacensi ut, post habito Matisconensi episcopo, quemcunque mallet episcopum posset accersere ad celebrandas in monasterio Cluniacensi ordinationes. At Patres qui ibi aderant, lectis synodi Chalcedonensis canonibus, aliisque antiquorum conciliorum decretis, censuerunt eis præponi non debere quod obtendebatur ab Odilone privilegium. Quare Burchardus, a Gauslino obtenta venia, pollicitus est se, quandiu in vivis ageret, tantum olei sese ei præstiturum, quantum pro chrismate sacro singulis annis conficiendo opus esset. Ea fuit occasio, ni fallor, cur Joannes XIX Romanus pontifex ad Gauslinum, tum etiam ad Burchardum Lugdunensem litteras scripserit, eos graviter reprehendens quod monasterium Cluniacense, speciali apostolicæ tuitioni commissum, et Odilonem sanctissimum abbatem vexarent. Defuncto tamen paulo post Gauslino, vestigiis ipsius institit Walterius ejus successor, ut narrant Petrus a Sancto Juliano, aliique passim scriptores. Unde ansam sumpsit, uti videtur, idem Joannes pontifex Roberto regi scribendi adversus eos sacerdotes qui privilegia per sedem apostolicam Cluniacensi monasterio concessa convellere tentabant. Imo rem ad synodum quæ Romæ anno 1027 habita est delatam fuisse patet ex ejusdem pontificis epistola ad universos fideles, in qua, confirmatis de consensu astantium pontificum monasterii Cluniacensis privilegiis, præsente etiam Conrado imperatore, paulo antea coronato, prohibet ne quis monachos Cluniacenses excommunicare audeat, aliaque fusius exponit, quæ videri possunt in Bullario Cluniacensi, pag. 9. Cæterum hæc controversia sæpius postea sub Odilonis successoribus recruduit ; sed quid tandem ea occasione in concilio Remensi sub Callisto II statutum fuerit, legesis apud Ordericum Vitalem.

104. Eam vero monasterii sui immunitatis tuendæ sollicitudinem, qua tenebatur vir sanctus, ambitioni nequaquam esse tribuendam vel ex eo solo patet quod amplissimas dignitates ultro sibi oblatas constanter recusaverit. Hujus rei exemplum illustre suppeditat nobis Glaber Rodulfus libro V Historiæ suæ, cap. 4, ubi, post relatas varias disceptationes quæ post Burchardi Lugdunensis episcopi mortem in successoris electione exortæ fuerunt, hæc subjungit : « Quæ omnia dum perlata fuissent Romano pontifici, suggestum est ei a viris fidelibus ut sua auctoritate Patrem Odilonem, Cluniacensis monasterii abbatem, ibidem eligeret consecrari pontificem ; sic enim totius cleri ac plebis optans acclamabat devotio. Qui protinus mittens eidem Patri pallium simul et annulum, imperavit eumdem prædictæ civitati fore archiepiscopum. Sed vir religiosus suæ humilitatis attendens propositum omnimodis renuit fieri, pallium et annulum suscipiens, illi qui Deo dignus existeret, reservavit futuro pontifici ejusdem sedis. » Idem narrat Hugo abbas Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, ubi id a Gregorio papa factum fuisse scribit, quem quidem Gregorium ejus nominis sextum fuisse refert vetus auctor Chronici Cluniacensis ms. At Gregorius anno 1044 electus est in Romanum pontificem, quo tempore jam ab aliquot annis Odelricus, qui renuenti Odiloni substitutus est, Lugdunensi Ecclesiæ præfectus fuerat. Et quidem Hugo ipse refert Odelricum ab Henrico imperatore Lugdunum cum ornamentis pontificalibus anno 1041 directum fuisse ; aliunde vero certum est Odelricum, ex quo in episcopum assumptus est, sedem suam nemine contradicente tenuisse. Unde Garnerius in notis ad cap. 4

Diurni Romani ait Odilonem a Benedicto IX in archiepiscopum Lugdunensem fuisse electum. At id, ut quidem censemus, sub Joannis XIX pontificatu contigisse verisimilius est. Ipse enim Joannes, in epistola ad Odilonem, graves adversus eum querelas movet, quod, posthabita quam debebat pontifici reverentia, oblatum Ecclesiæ Lugdunensis regimen recusasset. Epistola ea de re integra habetur tomo II Spicilegii Acheriani, pag. 87, quam legisse neminem pœnitebit.

105. Non paruit tamen papæ monitis Odilo, qui hac in sola re pontificum mandatis non obtemperare licitum esse sibi existimabat; alias quippe nihil sibi licere putabat absque eorum venia, si res esset alicujus momenti. Hinc cum homicida quidam, qui Stephanum Claromontensem occiderat, Cluniacum secessisset, ibique monachus factus pœnitentiæ lacrymis commissum crimen diluisse nonnullis videretur, imo et ob egregia talenta talem eum esse censerent qui ad sacerdotium deberet promoveri, id non est ausus piissimus abbas absque peculiari pontificis mandato. Qua de re interrogatus pontifex id nequaquam fieri permisit, satis esse ratus si illi homicidæ toto vitæ suæ tempore communione sancta privato *in exitu vitæ pro misericordia viaticum detur*, ut testantur Patres concilii II Lemovicensis, sessione 2, sub finem.

VIII. *Odilonis virtutes præcipuæ.*

106. Humilitatis, quæ virtutum omnium fundamentum est, egregium exemplum jam in Odilone admirati sumus, qui dignitates eo ardore refugiebat, quo plerique alii solent eas aucupari. Quantas in corde ipsius radices egisset ista virtus, colligi potest ex eis quæ apud Casinum montem ei contigere. Cum enim aliquando beatus vir, ut legitur apud Leonem Marsicanum in Chronico Casinensi, libro II, cap. 53, illud sacrum ordinis nostri caput monasterium invisere statuisset, montem ipsum ob sanctissimi Patris reverentiam pedes integrum conscendere voluit. Tantum virum cum eo honore quem exigere videbatur summa ejus sanctitatis fama, excepere Casinates; sed cum in capitulum pro antiqua monasterii consuetudine deductus fuisset, ibi a Theobaldo abbate unam sibi gratiam concedi efflagitavit, ut scilicet omnium fratrum vestigiis provoluto eorum pedes osculari sibi liceret: quod cum, ægre licet, impetrasset, illud summa cum humilitate ac devotione animi exsecutus est. Contigit his diebus festivitatem sancti Patris Benedicti celebrari; quam occasionem nactus Theobaldus abbas gratiam unam sibi ab Odilone vicissim rependi postulavit, ut scilicet ipse in tanta solemnitate publice missas celebraret in sacro monte; cui Odilo, quamvis animo reluctanti, tandem acquievit. Paratis itaque omnibus, cum ad altare esset progrediendum, Theobaldus baculum, quem pro abbatum more inter celebrandum gestabat, beato viro obtulit: at ille ad id faciendum nunquam potuit adduci, ferendum non esse affirmans ut, A præsente beati Patris Benedicti vicario, qui abbatum est abbas, quispiam alius abbas virga pastorali uteretur; idque beati viri humilitati indulgendum fuit. Denique eum e sacro monte discedentem Theobaldus et multi e fratribus honorifice prosecuti sunt, a quo impetraverunt ut omnem suam operam interponeret ad obtinendum monasterio Casinensi aliquid e sancti Mauri reliquiis; quod septennio postea factum est. Etenim cum os brachii sancti Mauri a Fossatensibus sibi fuisset concessum, illud argentea in theca inclusum sex e suis fratribus commisit, qui ipsum in Casinense monasterium detulerunt.

107. Non minus autem Odilo erat domi humilis inter suos quam apud exteros. Hinc nascebatur tanta erga eos qui sibi subjiciebantur mansuetudo, B ut etiam nonnulli ei vitio vertere conati fuerint, quod in agendo videretur, quam ut superiorem deceret, indulgentior. At ipse, uti Petrus Damiani, aliique post eum auctores scripserunt, respondebat: *Si damnandus sum, malo damnari de misericordia quam de duritia.* Hinc, uti refert idem auctor, in imponendis pœnitentiæ modis, ita erat circa errantes compatiens, ut nequaquam districtum patris imperium, sed maternum potius exhiberet affectum. Quo quidem agendi modo, ut observat Chronographus Cluniacensis, præclarissimum *clementissimi* viri titulum consecutus est, quem ibidem *misericordissimum* Odilonem appellat. Hæc omnia tamen prudentia, virtutum nutrice, ita temperabat, ut non ejus facilitate regularis disciplinæ vigor dispendium C aliquod pateretur. Certe summam ejus prudentiam laudaverunt Patres concilii Lemovicensis anno 1031 in causa apostolatus sancti Martialis congregati. Ipse vero ita sibi ipsi vilescebat, ut in Vita sanctæ Adheleidis *cunctorum* se *peripsema* declararet *Cluniacensium pauperum.*

108. Eo potissimum intendebat vir sanctus, ut charitas inter suos illibata et inviolata vigeret, hincque adeo invidentiæ malum abhorrebat, ut sæpius, testante Glabro Rodulfo libro V, plangere solitus fuerit tam immane scelus apud nonnullos qui monasticæ professioni astricti erant reperiri. Eos vero qui charitatem et unionem inter fratres labefactare susurris aut adulationibus conabantur, sive qui inveniebantur murmurantes, ita vir sanctus exsecra- D batur ut eos e monasterio ejiciendos esse censeret, hac solum in re austerus. Id testatur Abbo Floriacensis abbas in epistola ad monachos Miciacenses, ubi ejusmodi homines detestatur, quos derdendo *historiographos* appellat, quod fratrum suorum mores traducere solerent, in idque laudat beati Odilonis exemplum, qui aliquot e suis hac labe inquinatos, flagris cæsos e monasterio ejici jusserat. « Si quidem, » inquit Abbo, « et in nostra professione singularis Odilo Cluniacensium rector hujusmodi historiographos nuper detectos de suo monasterio flagris cæsos expulit, et ferro abscissionis terribiliter inussit. »

109. Charitatis igne ita exæstuabat vir sanctus,

ut, negotiorum licet pene infinitorum multitudine obrutus, nunquam omitteret pietatis exercitia, quibus illa aleretur. Nec itinerum difficultates, nec monasteriorum cura, nec alia quælibet occasio eum ab offerendo quotidie sacrosancto Eucharistiæ sacrificio avocare poterant, quod solebat cum exuberanti lacrymarum effusione præstare; tremendam adeo actionem excubiis sacris, jejuniis, aliisque corporis et animæ macerationibus præveniens, ut purior ad altare sacrum accederet. Virginitatem adeo coluit, ut vulgo *virgo centenarius* diceretur, ut discimus ex Chronico Lemovicensi, tum ex Senonensi sancti Petri Vivi in Spicilegii tomo II. Inde nascebatur in beatissimam Virginem adeo fervens devotio, ut cum caneretur in ecclesia versus ille : *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum*, statim, teste Petro Damiani, in terram reverentiæ causa pronus corrueret. Observat Jotsaldus in Planctu metrico de ejusdem beati viri obitu, eum tenero affectu beatissimam Virginem semper coluisse; cujus ideo et aliorum ipsius tutelarium patrocinium implorat, ut eum dignentur in sui societatem admittere.

110. Quam erga Deum habebat vir sanctus charitatem, in proximum etiam, dum sese offerebat occasio, diffundere nunquam omisit. Quod potissimum eluxit tempore famis, qua invalescente vasa sacra ac pretiosa quæque ornamenta, quibus ex regum ac principum donariis affluebat Cluniacensis ecclesia, distrahere ac vendere non dubitavit, ut pauperum necessitatibus subveniret. Coronam ipsam imperialem, quam sanctus Henricus beatorum apostolorum Petri et Pauli altari impositam eis consecraverat, hac occasione venundedit, ratus nihil prorsus esse membrorum Christi vitæ anteponendum. Et quidem ejusmodi largitionibus Cluniacense monasterium difficillimis illis temporibus adeo exhaustum fuit, ut ab exteris gentibus opem efflagitare fuerit coactus, cum nihil sustentandis ejus loci fratribus, et populis vicinis adjuvandis superesset. Id patet ex ejus epistola ad Garsiam regem, ubi ea de re sic scribit : « Licet non sine rubore pandere cogimur vestræ sublimitatis munificentiæ nostræ inopiæ necessitatem, qua jam per duos et eo amplius annos affligimur continue. Nam generalis totius regni paupertas, famis quoque et inopiæ nos opprimit calamitas, sicut et alios nostræ vicinitatis compatriotas : quod periculum ut evadere possimus, vestro adminiculo, si placet, perquam plurimum indigemus. » Sed nihil magis Odilonis misericordiam in pauperes commendat, quam quod ipse habet in prologo ad Vitam sancti Maioli a se conscriptam, ubi fatetur, se ita *provinciæ calamitatibus, ac pauperum grandi lamentabilique dispendio* affectum fuisse, ut etiam noctes perplures insomnes transegerit. Denique cum aliquando improbis illis famis temporibus iter agens duos pueros fame enectos mediis in agris reperisset, commota sunt viscera ejus, et quos adhuc viventes juvare non potuerat, mortuos detractis propriis vestibus circumtectos sepeliri curavit.

IX. *Commemoratio fidelium defunctorum a sancto Odilone primum instituta.*

111. Celebris est in tota Ecclesia memoria beati Odilonis, quod primus omnium diem commemorationi generali omnium defunctorum solemniter celebrandæ peculiariter dedicatum constituerit; quem ritum cum primo suis in monasteriis instituisset, postea universalis approbavit Ecclesia, et generali decreto ubique observandum præscripsit. Jam quidem antea in plerisque locis fiebat aliquo certo die commemoratio defunctorum, ut patet ex multis passim veteribus Martyrologiis et Necrologiis, imo et ex Udalrico, qui in Consuetudinibus Cluniacensibus observat feria secunda post festum sanctissimæ Trinitatis commemorationem defunctorum apud Cluniacenses celebrari solitam fuisse. Sic in vetustissimo Kalendario ms. Antissiodorensi ista commemoratio x Kal. Februarii memoratur, et longe ante id tempus in cap. ultimo Regulæ beati Isidori, quotannis sacrificium altera die post Pentecosten præscribitur pro spiritibus defunctorum. Sed ejusmodi preces pro iis solummodo fiebant, qui ex eadem congregatione aut aliqua saltem societate ipsi conjuncti fuerant, aut certe qui hanc gratiam donationibus, consanguinitate, aut familiaritate, aliisque beneficiis, meruerant; at Odilo, cujus charitas intra limites adeo angustos coarctari non poterat, hanc ad omnes omnino fideles defunctos gratiam extendi voluit.

112. Hujus instituendæ commemorationis occasionem fuse describunt Jotsaldus et Petrus Damiani in beati viri Vita; quare satis visum est hic proferre Burchardi cujusdam monachi epistolam hac de re scriptam, quam ex ms. codice Thuaneæ bibliothecæ habemus : « Dominis Patribus et senioribus Cluniacensis cœnobii Burchardus pauper et exiguus ipsorum servus et monachus, cœlestis gloriæ munus. Quia enim novi vos ferventissimos communis domini et Patris nostri Odilonis coronæ gloriæque propalatores et commendatores, sanctitatis vestræ auribus intimamus, quod de ejusdem præconii laudibus veridicis testibus nuper audivimus. Homo quidam religiosus et miles abbatis Voltensis perrexit Hierosolymis causa orationis ad sepulcrum Domini; cumque idem reverteretur ad propria, perdidit viam recti itineris : qui ingressus in quadam silva grandi errando vagabatur nesciens quo iret. Contigit autem nutu Dei dum erraret in silva, ut inveniret quemdam senem eremitam sanctissimum virum. Cum ergo vidisset eum senex ille, interrogavit illum quis esset, aut quid quæreret, vel unde veniret, quove tenderet? At ille humiliter intimavit ei causam erroris et unde esset, et quod de Hierosolymis rediret, seque viam recti itineris perdidisse. Audiens autem ille senex eremita quod de Gallia esset, inquisivit ab eo an sibi notus et cognitus fuisset locus Cluniacus, et abbes ipsius loci, san-

ctus Odilo nomine. Cui miles ille peregrinus respondit sibi quidem locum ipsum et abbatem ipsius loci esse incognitum, sed tam frequentius se audisse a suo seniore abbate, scilicet de Volta, supradicti loci atque abbatis se esse. Ad hæc senior dixit ei : *Ego quod mihi de eo divina pietas revelavit, indicabo tibi. Abbas supradicti cœnobii sanctus Odilo tantæ excellentiæ et tanti meriti est apud Deum, ut obtinuerit ab ipso, quod nulli sanctorum unquam concessum, ut duos insuper dies, videlicet secunda feria et tertia feria, liberæ sint omnes animæ defunctorum fidelium a tormentorum cruciatu, et ab omnibus gehennæ incendiis atque suppliciis. Tu vero viæ tuæ citius redderis, qui, ut hæc audires a me, voluntate Dei permissus es paululum de via errasse. Cumque in patria tua reversus fueris, ubicunque poteris, nomen hujus sancti Odilonis divulgabis, denuntians omnibus hominibus, divitibus et pauperibus, majoribus et minoribus, ut unusquisque pro suis viribus orationes et eleemosynas studeant facere pro glorificatione illius animæ, cujus intercessione singulari etiam defunctis peccatoribus, sive etiam damnatis, tam inaudita et tam benigna atque inæstimabilis a Deo concessa est misericordia.* Quid inde faciendum sit sapietis, sanctissimi Patres. Scitote tamen quia nulla remansit ecclesia in Germania, ubi non pulsatis omnibus signis in supradictis duobus diebus publica et largissima pro ejus charitate facta sit eleemosyna. »

113. Huic epistolæ subjungimus decretum de tam celebri institutione a beato abbate factum, jam quidem editum a Chesnio in Bibliotheca Cluniacensi; sed illud huc proferimus ex veteri ms. Cluniacensis monasterii, in quo sic habetur : « Decretum est a beatissimo Patre domno Odilone, una cum consensu et rogatu omnium fratrum Cluniacensium, ut sicut in ecclesiis Dei, quæ per orbem terrarum longe lateque constructæ sunt, in die Kalendarum Novembrium agitur festivitas Omnium Sanctorum, ita apud nos agatur festivo more commemoratio omnium fidelium defunctorum, qui ab initio mundi fuerunt usque in finem, tali modo. Ipso die supradicto, post capitulum facient eleemosynam decanus et cellerarii de pane et vino omnibus supervenientibus pauperibus, sicut mos est agendi in Cœna Domini; et quidquid ipso die ex refectione fratrum remanserit ad prandium, ex integro recipiat eleemosynarius, nisi tantum panem et vinum quæ pro cœna recipiet. Ipso etiam die post vespertinalem synaxim pulsentur omnia signa, et canantur Vesperæ pro defunctis. In crastino autem post Matutinas pulsentur denuo omnia signa, et agatur officium pro defunctis; ad missam vero matutinalem festivo more agatur officium, omnia signa pulsentur, tractum a duobus fratribus cantetur. Cuncti fratres offerant privatim; et publice missam celebrent pro requie omnium animarum fidelium, et duodecim pauperes reficiantur. Et ut hoc decretum perpetuum vigorem obtineat, volumus et petimus, et præcipimus, ut tam in hoc loco quam in cunctis locis ad istum locum pertinentibus servetur, et si alius aliquis ex ista nostra fideli inventione sumpserit exemplum, particeps omnium bonorum efficiatur votorum. Ergo qualiter omnium memoria Christicolarum semel in anno agatur, monuimus et præcipimus, dignum profecto ducimus, ut pro nostrorum fratrum animabus sub almi Benedicti norma in cœnobiis Domino militantibus, ut divinis aliquid obsequiis plus more solito adaugeamus, necnon ut memoria chari nostri imperatoris Henrici cum eisdem præcipue agatur constituimus, ut merito debemus, multis ab ipso ditati opibus, scilicet ad vigiliam mortuorum post psalmum : *Ad dominum cum tribularer*, qui post lectiones recitatur, *Domine, quid multiplicati sunt*, dicamus; ad matutinas laudes, post *De profundis*, *Usquequo, Domine;* ad Vesperas post *Lauda, anima mea, Dominum, Nisi quia Dominus;* ad... *Deus, auribus nostris*, post *Domine refugium, Dominus regit me;* Ad Litaniam, *Judica me, Deus, et discerne.* Et ita divina favente gratia, ut præmisimus, eorum agatur memoria per omnia futura tempora, tam in hoc loco, quam in omnibus ad hunc respicientibus. »

114. Hujus instituti meminit Udalricus libro Consuetudinum Cluniacensium, cap. 42, ubi, cum egisset de festivitate Omnium Sanctorum, subdit de sequenti die, decretum esse a Patre Odilone, ut sicut in priori die commemoratio fieri solet omnium sanctorum, sic et in sequenti fieret commemoratio omnium fidelium defunctorum. Tum de occasione instituendæ hujus consuetudinis sic prosequitur: *Unde acciderit quod hoc pius Pater constituit, qui ejus Vitam legerit, ibi bene hoc ipsum cognoscere potest.* Quæ Udalrici verba confirmant ea quæ in utraque beati viri Vita de hac re habentur. Suffragatur quoque Gaufridus prior Vosiensis in Chronico, cap. 12, ubi ait Odilonem *divina revelatione* instituisse *festum defunctorum*, quod *post festivitatem omnium sanctorum celebrarit, et toti ordini suo celebrandum indixit.* Quæ institutio brevi apud alias quoque Ecclesias invaluit, ut inter alios testatur Sigebertus Gemblacensis monachus in Chronico, ubi post relatam ad annum 928 supra memoratam visionem, et Odilonis de celebranda defunctorum memoria constitutionem, subjungit: *Qui ritus ad multas ecclesias transiens, fidelium defunctorum memoriam solemnizari fecit.* Id a Notgero episcopo in diœcesi Leodiensi receptum fuisse monet Anselmus, ejusdem ecclesiæ canonicus, capite 53, in Gestis pontificum Leodiensium, ubi post expositam hujus solemnitatis a sancto Odilone instituendæ occasionem, subjungit eam variis in Ecclesiis statim receptam fuisse, tum, *quam*, inquit, *consuetudinem etiam episcopus Christi Notgerus ad suam diœcesim transtulit, eamque solemniter fieri ordinavit.*

115. Trithemius in veteri editione Chronici Hirsaugiensis decretum ea de re a sancto Odilone factum consignat anno 1010; quo anno narrat hi-

storiam vulgatam eremitæ, qui huic institutioni occasionem præbuisse dicitur. Eum vero inhabitasse scribit eremum juxta montem Æthnæ seu Vulcani in Sicilia situm. Hæc eadem, sed paulo fusius, repetit in nova ejusdem Chronici editione Sangallensi, nisi quod loco eremitæ monachum quemdam peregrinum e Cluniacensi familia inducit. Subdit deinde institutum istud a Joanne XVIII pontifice Romano confirmatum fuisse. Quod potius ad Joannem XIX referri debet, si hæc ipsa constitutio post Henrici Augusti obitum, ut in decreto a nobis superius laudato disertis verbis habetur, facta fuerit; siquidem Joannes XVIII jam e vivis excesserat ab aliquot annis, cum sanctus Henricus obiit. Longius a vero abest, quod in veteri Martyrologio Adonis ex Corbeiensi sancti Laurentii præpositura habetur his verbis: IV *Nonas Novembris.... item ipso die generalis memoria fidelium defunctorum, constituta a beato Odilone, auctorizata vero et confirmata a beatissimo papa Leone, anno ab incarnatione Domini millesimo secundo.* Hoc quippe anno Silvester, non vero Leo, Romæ sedebat. Sed error est fortasse amanuensis, qui vocem *quinquagesimo* incaute omisit. Anno quippe hujus sæculi secundo supra quinquagesimum Leo IX vir sanctissimus Romanam Ecclesiam regebat.

A

B

X. *Odilo studia promovet. Ejus scripta.*

116. Odilonem litterarum scientiam cum honestate morum in se ipso conjunxisse, probant ea quæ jam de ipsius virtutibus diximus et opera quæ edidit. Studia vero etiam in suis approbasse discimus ex iis quæ ad illa promovenda ab eo facta fuisse apud vetustos auctores passim legimus. Certe Abbo Floriacensis abbas, vir illorum temporum sanctitate et doctrina celeberrimus, scripit epistolam prolixiorem ad cujusdam monachi Cluniacensis *attenti et docilis* petitionem, *de repetitione similium numerorum, qui habentur frequentius in canonibus Evangeliorum.* Quam quidem quæstionem se mandasse scriptis, et prolixiore sermone exposuisse testatur, quod nequivisset illi ex tempore facere satis, tum ob ipsius quæstionis difficultatem, tum quod tempus ad integram illius explanationem non suffecisset: ex quo patet monachum illum ad difficiliores Scripturæ sacræ quæstiones enodandas animum applicuisse. Studiis etiam historiæ incumbebant monachi Cluniacenses sub beati Odilonis regimine, ut patet ex Glabri Rodulfi Historia, ipsimet Odiloni nuncupata, quamque se suscepisse scribendam Glaber testatur, *studiosorum fratrum querimoniis* excitatum, qui ægre ferebant neminem inveniri, qui suorum temporum eventus *tam in ecclesiis Dei quam in plebibus* posteritati commendaret, tum dicit se hac in re Odilonis *præceptioni ac fratrum voluntati* obedientem præstitisse. Et ne quis fortasse putet hanc Historiam pro monachis scriptam non fuisse, Glaber hanc ipsam *pro religiosis* se scripsisse disertis verbis affirmavit. Vitam sancti Maioli cum duobus libris Miraculorum *domni ac reverentissimi abbatis* C *Odilonis paterno imperio obediens* scripsit Syrus monachus. Cætera omittimus, ut dicamus aliquid de ipsismet beati abbatis operibus et doctrina.

117. Odilonis eloquentiam laudat Abbo Floriacensis abbas in epistola superius laudata. Jotsaldus vero ejusdem in Scripturis eruditionem et in sermone facundiam pluribus commendat in ejus Vita. Ejusdem *exhortationes* laudat Petrus Blesensis in epistola 123, quæ est ad Richardum Londoniensem episcopum, ubi refert aliquot sancti abbatis loca de sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Trithemius, qui ejus solummodo sermones viderat, eum tamen recenset inter viros doctos qui sæculo XI floruerunt. Eidem cum iis qui ortu et doctrina insignes erant, locum concessit Platina. Ad calcem veteris codicis ms. ecclesiæ Aniciensis exstant nonnulli versus de laudibus sancti Maioli, qui beato Odiloni inscripti sunt. Horum aliquot proferimus, in quibus beati viri doctrina laudatur:

D

Oydelio domino Patri, probitate colendo,
Dogmate perspicuo, divino munere fulto,
Quem Domini Phœbum dat nobis onoma Græcum,
Cum grege commisso Regi parente superno,
Hunc omnes fratres Domini matri famulantes
Vallari rogitant, et pervenire peroptant, etc.

Omitto auctores qui virorum illustrium catalogos contexuere; at mirari satis non possumus beati viri humilitatem, qui sibimetipsi ita vilis et abjectus videbatur, ut Vitam Adheleidis imperatricis, quam Basilii et Hieronymi more *Epitaphium* nuncupavit, se ideo solum scripsisse *vili brevique sermone* dixerit, ut occasionem præberet alicui viro erudito de tam sancta imperatrice digne et competenter, prout par erat, scribendi. Eodem spiritu ductus Vitam sancti Maioli sui præcessoris conscripsit *secundum parvitatem intellectus sui*, ut ipse aiebat. Hymnos etiam et orationes aliquot in Officiis divinis de sancto Maiolo et sancta Adheleide, in horum festivitatibus recitandas composuit: quæ omnia in Bibliotheca Cluniacensi edita sunt cum ejus sermonibus, aliquot epistolis, professione fidei, et orationibus nonnullis. Tres item ejusdem beati viri epistolas edidit noster Lucas Dacherius in Spicilegii tomo II, quas ex archivis Cluniacensibus descripserat. Unum item ex ejus sermonibus ineditum præ manibus habemus, quem de solemnitate sanctæ Crucis composuit. Huc etiam revocari potest sollicitudo beati viri pro asservandis privilegiorum et donationum monasterio suo factarum chartis, qui earum collectionem accuratam fieri sategit, ut discimus ex collectoris prologo in veteri ms. Cluniacensis cœnobii. Denique præter hæc omnia, a nonnullis ex cod. ms. laudatur Chronicon quoddam vetustum nostro Odiloni tributum; sed cum ejus rei apud veteres nullum exstet vestigium, conjicimus Odilonis nomen pro Odone in hunc codicem irrepsisse. Et quidem monachus Majoris Monasterii, qui gesta consulum Andegavensium collegit, edita tomo X Spicilegii Acheriani, laudat Thomam Luochensem, qui *breves chronicas nomine Odonis*

abbatis intitulatas conscripsit; non alias, uti videtur, ab iis quæ illi Odiloni nostro tribuerunt. Cæterum ea qua pollebat vir sanctus humilitas non minus in ejus scriptis quam in cæteris vitæ ejus actionibus eluxit, ita ut ea propriis etiam discipulis examinanda committere non erubesceret. Testis est hujus rei ipsemet sanctissimus abbas, qui ea de causa Vitam sancti Maioli a se exaratam Hugoni et Almanno Cluniacensibus monachis nuncupavit, ut ex epistola Vitæ præfixa patet, quam hic brevitatis causa omittimus, quod jam non semel edita sit.

XI. *De aliquot beati viri discipulis.*

118. Ita suave erat Christi jugum sub beati Odilonis regimine, ut mirum non sit si complures genere aliisque dotibus illustres viri, relictis sæculi pompis, Cluniacensibus accenseri voluerint, eo tempore quo percelebri illi monasterio præfectus erat. Eos omnes recensere nec vacat, nec sinit multitudo. Nonnullos ex illustrioribus memorare sufficiat, præter eos quos supra ex variis chartis in parag. 4 laudavimus. Inter eos vero qui scientia et litterarum studio illustres fuerunt, Sirus, Arlebaldus, et Jotsaldus locum habere debent; sed unus omnium loco esse potest sanctus Hugo, sanctitatis ejus simul et dignitatis successor. Nec defuerunt episcopi qui sub Odilonis disciplina vitam humilem ducere maluerunt, quam cæteris præesse. Certe cuidam chartæ, quam supra num. 27 laudavimus, post Odilonem abbatem et Vivianum præpositum, *Ledbaldus* episcopus subscripsit : unde conjicimus eum relicta sede episcopali tunc temporis apud Cluniacum monasticæ vitæ nomen dedisse. Alium vero Ledbaldum episcopum istis temporibus nescimus, præter Ledbaldum Matisconensem, aliunde satis notum, qui, ut ex variis chartis discimus, monasterio Cluniacensi nonnulla contulit. Hunc tamen ipsum esse in ea charta memoratum asseverare absque alio argumento non audemus. Habemus item in epistola Silvestri II papæ, a nobis superius laudata, episcopum quemdam cujus nomen non expressit, qui relicta sede sua Cluniacum secesserat. An is fuit Letbaldus, aut Sancius episcopus, incertum est. Sancium dimisso episcopatu ex Hispania Cluniacum adventasse, ubi sub Odilonis regimine monasticæ vitæ institutum professus est, colligimus ex beati viri epistola 1, Spicilegii tomo II edita, quam Paterno episcopo sic inscripsit : *Igne*, etc., *frater Odilo cum domno episcopo Santio, omnisque pauperum Cluniacensium congregatio*, etc.

119. Richardum quemdam episcopum laudat semel et iterum Jotsaldus libro II, quem beati viri discipulum et ejus itinerum comitem fuisse scribit. Denique Walterium episcopum Matisconensem in monasterium Cluniacense secessisse, ubi sub habitu monasterio defunctus est, narrat Sanjulianus ex veteri catalogo, in Historia Matisconensi : quod idem habent quoque Sammarthani in Gallia Christiana. Abbates ejus discipuli tot recenseri possent, quot fere monasteria ad meliorem frugem revocavit. Ex his in ejus Vita a sancto Petro Damiani edita laudatur Adraldus Bremetensis abbas. Nec repetere hic vacat quæ supra diximus de Paterno et Garsia abbatibus, qui Regulæ Benedictinæ, simul cum institutis Cluniacensis monasterii, accuratam observationem in Hispaniæ monasteriis renovarunt. Alii aliis in locis passim occurrunt apud vulgatos auctores; sed multo plures sunt qui, hominibus licet ignoti, vivunt in perenni gloria. Talis fuisset Walterius, cujus nec nomen, nec ulla gesta perspecta haberemus, nisi Glaber ejus mentione, occasione quasi fortuita, eum nobis notum fecisset. Erat quippe homo nec corporis statu, nec ingenii subtilitate multum commendandus, sed sanctitate morum et cordis puritate Deo acceptissimus, ut ex ejus vitæ exitu patuit. Sed ipsius Rodulfi Glabri verba proferre libet, ex libro V Historiæ, cap. 1 : « Contigit ibidem (*Cluniaci*) ipso tempore (*sancti Odilonis*) ut aliqui e fratribus migrarent ex hac vita, quorum unus, nomine Walterius, cognomento, ut erat statura, Pusillus, ac natura simplicissimus, incipiente nocte magni Sabbati Resurrectionis Dominicæ obiit. Apparuit enim in hora sui exitus innumerabilibus viris ac mulieribus columna lucis igneæ a culmine monasterii ad cœlum usque pertingens : quibus nempe non dubium fuit misericordissimi Dei actum largitione, qui animam fratris istius suæ gloriosæ resurrectionis voluit participem fore, ac viventibus viam innocentiæ demonstrare. » Walterius in fastis Benedictinis cum titulo beati locum invenit, die 7 Aprilis. Nullo tamen cultu publico unquam donatus fuit. Jotsaldus in Planctu quem edidit de beati Odilonis obitu, ei gratulatur quod in futura resurrectione multis discipulis stipatus Christo Domino sit obviaturus.

> Odilo tunc que novus cœlesti lumine clarus,
> Sanctorum medius incedet, et obvius ibit,
> Agmine multorum vallatus comitantium,
> Quos Domino verbis, exemplis consociavit.

120. Hic autem omittere non licet Casimirum, Miceslai II Polonorum regis filium, quem historiæ Polonicæ scriptores aiunt post patris mortem, quod regni proceres Rikschæ matris ejus regimen ferre non possent, adhuc juvenem e regno pulsum, in Cluniacense monasterium secessisse; ibique, abjectis sæculi pompis, monasticam vitam professum diaconum fuisse ordinatum. Sed cum crebrescentibus in Polonia dissidiis calamitates publicæ eo crevissent, ut nulla restituendæ tranquillitatis spes affulgeret, nisi regnum Casimiro restitueretur, rex ab omnibus Casimirus etiam absens proclamatur : et legati, qui eum accerserent, quocunque in loco delitesceret, quo enim ille secessisset nullus sciebat, deputantur. Hi post varias fortunas a Riksha accipiunt Casimirum Cluniaci monasticam vitam professum, nihil jam de rebus terrenis cogitantem degere. Illi tamen Cluniacum petunt, regem suum salutant, abbatemque precantur ut licentiam ei det repetendi regni, cum alia non superesset via tam nobilem Christiani orbis portionem ab imminenti

exitio liberandi. Negat Odilo, protestatus id in sua potestate non esse constitutum; nec unquam id permissurum respondet absque speciali pontificis Romani mandato. Romam itaque legati contendunt, expositisque pontifici (is erat Benedictus IX) regni calamitatibus, et acceptis variis conditionibus, quas isti auctores memorant, postulata impetrant. Atque sic Casimirus, dissoluto castitatis voto, monachus simul et diaconus in Poloniam revertitur, rex iterum proclamatur, uxorem ducit, filios procreat. Memor tamen suæ conditionis pristinæ, pietatis officiis, quantum status ferebat, animum applicuisse dicitur, et varia monasteria pro suis Cluniacensibus exstruxisse. Ne vero tanti beneficii immemores aliquando essent Poloni, cautum est ut præter nummum annui census, quem regni nobiles sedi apostolicæ solvere tenerentur, illi etiam cæsariem in modum coronæ deferrent, et alia præstarent quæ Poloniæ historici fusius narrant. De hac enim re in veteribus Cluniacensis monasterii instrumentis nihil reperire licuit. Casimirus vero regnum iniisse dicitur anno 1041, quod defunctus anno 1058 filio suo Boleslao II reliquit. Cæterum initio sæculi XIV Voladislaum, qui primum Cistercii, tum in monasterio sancti Benigni Divionensis monachus conversus fuerat, a votis absolvit Clemens V summus pontifex, ut Casimiro Poloniæ regi defuncto succedere valeret. Sed innuit pontifex in litteris ea de re datis, quæ habentur tomo VII Spicilegii Acheriani, istius professionem liberam non fuisse. Casimirum cum *beati* titulo commemorat Bucelinus in Menologio Benedictino die 28 Novembris.

121. Mirum est quanti fecerint beati Odilonis consilia plerique ejus temporis antistites et alii viri potentia et sæculi dignitatibus illustres, quibus cum pro suæ conditionis statu in monasteriis degere non liceret, ita tamen sese suaque omnia beati viri regimini commiserant, ut nihil alicujus momenti absque ipsius consilio aut jussu facere aggrederentur. Ex his fuit Fulbertus Carnotensium episcopus, præclarissimum hujus undecimi sæculi lumen, qui se excusans quod ad beatum virum accedere non potuisset, spondet sese id quam primum ei licuerit, facturum. *Veniam*, inquit, *aliquando ad vos, quos vere inhabitat Spiritus sanctus, consilium divini oraculi petiturus*, etc. Et certe ex epistola quam beatus abbas ad Fulbertum scripsit, et ex illis quas ipse Fulbertus ad eum direxit, quæ habentur in Bibliotheca Cluniacensi, vol. 351, patet Fulbertum ita sese beato Odiloni subjecisse, ut totus ex ejus nutu penderet. Non enim de uno aut altero negotio, sed de toto suæ ipsius vitæ statu consilium ab eo requirebat. In alia epistola Leutherico Senonum archiepiscopo suadet, ut sese omnino *Odilonis et ejus asseclarum consilio* committat, si ipse velit *non solum animæ periculum, sed et vitæ præsentis gloriam et honorem recuperare*. Deplorat sortem suam H. quidam monachus in epistola ad Divionenses monachos, Spicilegii tomo II, pag. 390 (is est, ut puto, Halinardus sancti Benigni post Guillelmum abbas) quod absens tardius nuntium accepisset de Odilonis apud Divionem adventu, ubi eum potuisset videre. En ejus verba : « Quod tarde, inquit, domni sanctissimique Patris Odilonis ad vos mihi adventum mandastis, valde effectus sum tristis; quia quem longe positum dulcissimæ ac benignissimæ gratia consolationis decreveram quærere, propriam visitantem patriam non potero videre, » etc. Alia occasione Alinardus vidit beatum Odilonem, ut testatur ipsemet Odilo in charta quadam compositionis factæ inter se ipsum et Elizabeth Balmæ abbatissam, cujus rei gratia Odilo cum aliquot e suis, et ex altera parte abbatissa, comitata pariter aliquot sanctimonialibus, prout ferebat istorum temporum consuetudo, in locum designatum convenerant. Id ipsum narrat Odilo in veteri hujus rei notitia, quæ in Chartario Cluniacensi habetur. « Ego Odilo Clun. monasterii presbyter et monachus, et domnus Rotbertus ejusdem loci præpositus, notum esse volumus, contentionem cum ratione et pace inter nos et abbatissam monasterii de Balma Elizabeth fuisse pro prædiolo juxta villam Givriacum. Ob id simul dicta abbatissa et plures Dei ancillæ cum illa et nos ad supradictum locum convenimus, ubi præsentes fuerunt venerabiles abbates domnus Allenardus, domnus Guidricus, domnus Otgerius, etc., qui rem composuere, et partes fraternitatem mutuam pepigere. » Nulla apposita est huic chartæ data, ne quidem in autographo; eam tamen post annum 1030 factam fuisse colligimus, quod Alinardus anni 1031 initio Guillelmo suffectus fuerit. Et quidem Rotbertum Cluniaci priorem tunc temporis fuisse et multis chartis patet, quas suo loco laudavimus.

122. Cæterum Odilo non quæ sua erant, sed quæ Jesu Christi attendens, haud minus aliorum quam propriæ utilitati invigilabat. Cujus rei præclarum argumentum suppeditat Hugo Flaviniacensis abbas in Chronico Virdunensi, ubi narrat beatum Richardum et Fredericum comitem, abjectis jam sæculi pompis, de eligendo monasterio, ubi vitam religiose transigerent, sollicitos ad beatum Odilonem accessisse, ut ea de re consilium ab eo acciperent, paratos sese beati viri disciplinæ subjicere, si id melius ipsi videretur. At vir sanctus, prophetiæ spiritu plenus, eis ut ad beati Vitoni Virdunense monasterium, quod jam elegerant, remearent, persuasit, « adjiciens, » inquit ille auctor, « posse per eos fieri in processu temporis, ut habitacula servorum Dei nunc modica postmodum crescerent, et fieret eorum industria locus ille insignis, qui tunc videbatur angustus et despicabilis. » Pluribus extollit postea idem Hugo beati Odilonis charitatem, utpote qui hac actione sinceræ charitatis exemplum præbuerit, multo magis de alieno quam de proprio bono sollicitus. Unde concludit totum, quantus ille fuerit, Virdunensis monasterii profectum beato Odiloni acceptum referri debere.

XII. *Odilonis elogia ex variis auctoribus.*

123. Quamvis tot tamque præclaræ virtutes, quibus Odilonem enituisse fuse probavimus, videantur ad ejus elogium conficiendum plusquam sufficere, operæ tamen pretium erit huc proferre elogia aliquot, quibus ab auctoribus potissimum æqualibus fuit donatus, ut inde pateat, quo in pretio tantus vir apud omnes fuerit. Et quidem tanta erat sanctitatis fama Odilonis, fratrumque sub ejus regimine degentium, ut vulgo monasterium Cluniacense præ cæteris *et religione præcipuum, et divitiis opulentissimum* diceretur. Id testatur Hugo in Chronico Virdunensi, et Joannes XIX Romanus pontifex in epistola quam supra laudavimus, Gauslenum episcopum Matisconensem arguit, quod *cœnobium Cluniacense* perturbaret *cunctis pene nationibus sanctitate præfulgens*, cujus abbatem appellat *venerandum etiam infidelibus Patrem domnum Odilonem*. Injurias eidem loco illatas in totam Ecclesiam redundare innuit Benedictus VIII, scribens Galliarum episcopis in hæc verba : Cluniacensis monasterii *dispendium commune est omnium nostrorum detrimentum*, ob scilicet interruptas orationes, aliaque pia opera, quæ eo loco pro totius Ecclesiæ statu jugiter fieri solebant. Unde Cluniacensium monachorum preces tanti faciebat Silvester II, ut se omnino eis commendatum vellet. « Vestris, » inquit, « nos sanctissimis omni tempore committimus orationibus, et ut accipere dignemini fidelibus exoramus petitionibus. » Idem Odilonem *præclarum abbatem* nominat. Summorum pontificum vestigiis inhæserunt cæteri episcopi. Odilonem, ut modo dicebamus, veluti Patrem suum venerabatur Fulbertus Carnotensium antistes, qui eum *sanctum monachorum archangelum* appellare consueverat. Eumdem veluti *clarissimum in mundo speculum* ab eo datum fuisse dixerunt Carnotenses canonici, quem *sanctissimum Patrem* adhuc viventem in epistola sua nuncupant. Hunc ipsum *in nostra* id est monastica, *professione singularem* ab Abbone Floriacensi in epistola quam supra laudavimus, dictum fuisse jam a nobis observatum est, at in epistola ad G. abbatem, illum tanquam *totius religionis signiferum* commendat. Eumdem sancto Maiolo *virtutibus et merito vitæ non disparem* fuisse testatur auctor Chronici sancti Maxentii. Virum *vitæ et famæ venerabilem* appellat Leo Marsicanus in chronico Casinensi. Arvernorum regioni gratulatur Petrus Pictaviensis, quod talem alumnum, quem *Odilonem magnificum* nuncupat, protulerit. Petro autem Venerabili abbati Cluniacensi cui panegyricum dicit, Odilonis et aliorum Patrum *spiritum* optat. Laudatur a Sigeberto aliisque chronographis, quod monasterium Cluniacense per annos quinquaginta sex *miro religionis fervore* rexerit *et provexerit*. Tum addit : *qui præter cætera, pietate etiam insignis, non solum vitæ exemplis, sed etiam miraculis in vita claruit*, etc. ; quæ verba chronographus noster Magdeburgensis in cod. ms. adoptavit. At idem Sigebertus ad annum 1048 inter *viros religiosos et illustres sanctitate* eum prædicat ; et ad annum 1027 inter *abbates nominabiles*, quorum opera *religio ecclesiastica florebat*, eumque *pietate insignem* peculiariter nuncupat. Eumdem Maioli successorem et virtute ei non imparem prædicat Ademarus. Ipsum, uti jam diximus, reverebatur tanquam *templum Spiritus sancti* Guillelmus dux Aquitanorum ; *virginem centenarium* alii vulgo appellabant, quod eum centuplum fructum in Ecclesiæ agro proferre putarent ; alii *clementissimum Patrem* nuncupabant, quod sese totum misericordiæ operibus impenderit ; alii denique aliis encomiis ejus sanctitatem, præclaraque opera celebrare studuerunt, quorum verba referre non vacat ; satis fuerit si hæc omnia beati Bernardi sententia concludamus, qui in Apologia ad Guillelmum abbatem Cluniacenses monachos adhortatur, ut ad sanctos Odonem, Maiolum, Odilonem et Hugonem, quos ipsi *principes et præceptores habere* gloriabantur, attendentes, mores suos reformare satagant.

XIII. *Beati Odilonis morbus extremus, obitus. Cultus sacer.*

124. Quæ a beato Odilone gesta sunt cum morti proximus sese ad cœlestis patriæ iter accingeret, ita accurate descripsit Jotsaldus in Vita quam inferius daturi sumus, ut vix quidquam ea de re hic adjiciendum videatur. Certe habemus epistolam monachorum Silviniacensium ad quemdam abbatem de beati Odilonis exitu scribentium ea quæ coram viderant et audierant ; sed in qua nihil fere aliud occurrit præter ea quæ a Jotsaldo referuntur. Eam tamen huc referre visum est, quod paulo post beati abbatis obitum scripta sit, et conferre possit ad conciliandam nostro Jotsaldo auctoritatem. Hanc vero epistolam habemus ex duobus codicibus mss., uno scilicet Christinæ reginæ Sueciæ, qui olim fuit sancti Maglorii Parisiensis, altero sancti Mauri Fossatensis. In priori hunc præfert titulum : *Epistola monachorum Silviniacensium ad A. abbatem Cluniacensem. Incipit*, etc. In altero, *De obitu Odilonis abbatis. Totius nobilitatis*, etc. Persuasum autem habemus titulum in codice Magloriano appositum, sincerum non esse, quod vel ex sola epistolæ lectione patet, sed tamen quis fuerit ille AL. vel. A. qui in utroque codice *abbas abbatum* appellatur, si conjicere licet, non alius videtur quam Albertus Majoris-Monasterii tunc abbas. Nobis satis fuerit hanc epistolam, prout eam invenimus, hic integram repræsentare.

Incipit qualiter domnus abbas Odilo migravit ad cœlos, et de virtutibus ejus.

« Totius nobilitatis et sanctitatis luce corusco, in domo Dei olivæ fructiferæ, domno AL. [*cod. Mag.* A.] abbati abbatum humilis concio Silviniensis, Regem cœlorum et regnum. Quia, sanctissime Pater, comperimus vos admodum velle scire quot dies beatæ memoriæ domnus et abbas Odilo languerit jacendo in ultima infirmitate, quidve appropinquante hora vocationis suæ fecerit vel dixerit, necnon quid beni-

gna Dei pietas, postquam excessit ad superos, demonstravit ad tumulum ejus, studuimus vobis breviter cuncta innotescere. Post duos menses ergo, ex quo domnus abbas venerat ad nos gratia visitandi tumulum sancti Maioli prædecessoris sui, volens Cluniacum redire, rogatus est quamdam ecclesiam adire, ibique die Dominico, astante innumera multitudine hominum, missam canere. Hinc vero altera die, quæ tertia decima est a die Natalis Domini, dum revertebatur, solitus dolor ventris eum invasit; et invadendo per sex continuos dies torquere non destitit. Post quos tandem relinquens illum, solam corporis defectionem, uti ipse referebat, non dolorem pertulit, non valens ultra quidquam cibi vel potus sumere, præter aliquid mulsi, quod etiam post modicum projiciebat. Vigilia enim Natalis Domini veniens in capitulum, se solo ubertim lacrymas fundendo prostravit, cum Domini nativitatem pronuntiare audivit. Denique sermonem postquam mirifice peregit, seipsum valde cœpit judicare, dicens se nihil boni unquam egisse, attamen Dei gratia virginem corpore esse; et nos absolvens, et summo Pastori commendans benedicendo admonuit, ut ipsam sacratissimam solemnitatem cum gaudio spirituali celebraremus, nihilque ob sui incommoditatem dimitteremus. Ad matutinos vero in eadem nocte in oratorium beatæ virginis Mariæ ipse delatus, cum psallentibus coram se fratribus psalmos et responsoria cecinit, benedictiones protulit; *Te Deum laudamus* adnisu quo valuit excelsa voce pronuntiavit. Enimvero quia jam terrenum cibum omiserat, spiritualem quotidie sumebat, faciendo coram se legere sanctorum Patrum sermones, eorumque suffragia implorando, quo ex hac lacrymarum convalle eorum precibus assumeretur. Porro vigilia festivitatis sancti Silvestri, antequam fratres ad matutinos surgerent, sentiens se ingravescere jamjamque propinquare ad exitum, communionem Dominicam et crucem sibi jussit afferri; quam crucem ut vidit, statim ab imo pectoris longa suspiria protrahere cœpit, eamque lacrymas fundendo, et quasdam orationes, quas corde tenus retinebat, decantando, adoravit; sicque sanctam communionem suscepit. Eadem vero die, vespertinali scilicet hora, ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ faciens se deferri, ibique vesperas solemniter canere, diutissime eam cum lacrymis rogavit, quo sui dignaretur misereri. Denique se faciens iterum referri in domum infirmorum, postquam aliquantulum videlicet quievit in lectulo, sese erigere fecit, et inde sedendo tenere, quo usque subito caput inclinavit. Quod statim ut viderunt qui astabant, nos vocaverunt, ponentes eum interim in cilicio, et lumina accendentes, quia nox imminebat, qua sacratissimus dies Circumcisionis Domini habetur. Occurrentibus ergo nobis continuo, et vocem in cœlo cum lacrymis dando ob tanti Patris amissionem, innuit ipse ut taceremus: quibus tacentibus, interrogavit illos qui se tenebant, si esset positus in cilicio. Cumque illi respondissent: *Utique*, subjunxit ille, et dixit: *Trahite me*, respiciens nescimus quid. Quod verbum quidam ex nobis cum non bene intellexerunt, ei dixerunt protinus: *Domine, dicitis ut vos radamus*. Quibus ille respondens, dixit valde aperta voce: *Nunquam hoc dixi quod dicitis*. Deinde respiciens terribiliter contra orientem quasi cum aliquo loqueretur, cœpit alternatim silere et fari. Tum postquam ejus organum quasi ridendo diutissime visum est moveri, felix ejus anima migravit ad cœlos. Hinc corpus ejus ut fuit lotum et aromatibus conditum, ac iisdem vestibus, quibus ipse vivendo jusserat, indutum, delatum est in ecclesia, et positum ante altare apostolorum Petri et Pauli, ubi maximus dolor et luctus actus est ab illis qui excubias ante ejus feretrum illa nocte peregerunt.

« Interea quidam frater, nomine Grégorius, valde religiosus, stratum petens, eum sibi assistere vidit, quasi in eodem loco quo obierat: quem interrogans quomodo se haberet, memorans videlicet quod jam obiisset, respondit omnia bona sibi provenisse, ipsumque Regem gloriæ Jesum Christum sibi occurrisse. Dixit etiam quod forma diaboli instar tetri hominis sibi adprimum apparuerit, ostendens illi in quam partem, ostium videlicet latrinarum, confusus abscesserit, cum in se nihil invenit. Deinde velociter transitu ejus personante, incredibilis multitudo hominum in obsequium funeris ejus agglomerari cœpit, quem [*Mag.* quia] universi quo jam germano et dulcissimo affectu plangebant, et nescimus quo divino instinctu, compunctius eum lugebant, ob id videlicet quod eum placuisse Domino non ignorabant. Evolutis exinde paucis diebus, postquam est sepultus in sinistra ipsius ecclesiæ crypta prope altare sancti Lauriani martyris, virtutum signis Salvatoris nostri dignatio cœpit eum manifestare mundo. In Longoumnis villa quædam degebat vidua, cujus unica filia occulto Dei judicio, non solum mentis sensum perdiderat, verum etiam linguæ officium et aurium. Hanc itaque tertio in somnis admonuit ipse, quod ad suum sepulcrum eam duceret. Accipiens ergo mulier miseram prolem, et ad ejus tumulum ducens, mox ut ei vinum bibere, unde sacratissimum ejus corpus fuit lotum, auribusque infudit de eo, loquelam et auditum ac sensum mentis recepit. Interim dum hæc grates persolvebat omnipotenti Deo, quidam surdus adveniens, sibi etiam infundi auribus ex illo vino rogavit; qui statim audiens, rediit ad regionem deserti unde advenerat. Quidam etiam homo ex Biturigensi patria, qui per decem annos officium linguæ perdiderat, ad ejus tumbam accedens post aliquot dies quo advenerat, loqui bene promeruit. Denique quidam vetulus in longissimæ cæcitatis remanens tenebrositate, illico ut cryptam, qua tumba ejus habetur, intravit, vigilia videlicet Ramis Palmarum, ductori suo se clare videre dixit, gratia Dei et ejus meritis, cujus tumulum expetebat [*Mag.* exspectabat *pro* spectabat]. Quædam deinde mulier ex Montis Lucii castro, aggravata videlicet visus dispendio, ad ejus mausoleum se pro-

trahi fecit : quo dum verba orationis multiplicat, et fide Deum invocat, adest beati Odilonis generale auxilium, quo cæcitas orbatæ mulieris depellitur ab oculis, quia filius lucis et ei non filius tenebrarum fuit. Ex Diezeze castro quidam homo ad ejus sepulcrum veniens, loquendi officium quod perdiderat, non solum recepit, verum etiam pedis dextri et manus nihilominus, sicque lætus ad propria remeavit. Turonis erat quidam vetulus, lumine oculorum privatus : hic ergo secundo postquam ad ejus sepulcrum venit, lumen quod amiserat recipere meruit.

« Hæc de miraculis Patris nostri breviter vobis explicavimus. Dicuntur etiam præter ea multa, quæ ideo non creduntur, quia a contemptibilibus personis referuntur. Valete. (*Hic desinit in Fossat.*)

« De electione vero clarissimi Patris nostri domni Hugonis abbatis, canticum novum cantantis, si cupitis nosse, sciatis illum secundum almi Patris Benedicti imperium electum esse, omnique sapientia et eruditione præditum, ac morum probitate, utilitate, honestate subnixum, abbatiæque honorem invitum accepisse, lacrymando scilicet et judicando se indignum esse tali honore. Denique a Burgundionum principibus et Arvernorum, imo et a summo pontifice sanctæ apostolicæ sedis valde diligitur, honoratur, attollitur; et quidquid in prædecessoris sui erat ditione, ei conceditur et donatur. »

Jodsaldus observat beatum virum in extremis positum, fratribus ab eo sciscitantibus quis in ejus locum monasterii regimen esset suscepturus, ab ejus quippe nutu omnino pendebant, respondisse, se *hanc rem in Dei dispositione et fratrum electione committere*. Verebatur fortasse beatus Pater, ne si ipse successorem sibi designaret, res in exemplum traheretur, eoque tandem deveniret, ut abbates Cluniacenses non fratrum electione, quod tamen adeo diserte præscribit beati legislatoris regula, sed ejusmodi designationibus crearentur. Qui enim Cluniaci beatum Odilonem præcesserant abbates omnes, aut a præcessoribus suis fuerant designati, aut certe, veluti in subsidium ab iis adhuc viventibus in regiminis consortium assumpti. Ita Bernoni successit Odo, Odoni Aymardus, Aymardo Maiolus, uti probatum est in ejusdem Aymardi Elogio. Et tandem Odilonem eodem modo sancti Maioli primum collegam, tum successorem fuisse nemo est qui possit inficiari. Cæterum Jodsaldo suffragatur Udalricus, qui libro III Consuetudinum Cluniacensis monasterii, capite 1, exponens qua ratione ad abbatis electionem procedendum sit, ea quæ post sancti Odilonis obitum in beati Hugonis electione contigerant, in exemplum his verbis enarrat : *Beatus Pater Odilo, rogatus in extremis suis quid sibi de successore videretur, non acquievit ad hoc quemdam nominare*. Subjungit tamen aliquot e *majoribus et probabilioribus personis* monasterii a beato sene fuisse designatos, quorum judicio ac suffragiis cæteri stare possent; et quidem, ut idem auctor prosequitur, cum prior claustralis primus omnium Hugonem, qui tum erat prior, nominasset, cæteri omnes unanimi consensu hanc electionem comprobarunt. Id fortasse innuere voluit auctor Chronici Malleacensis, qui ad annum 1048 ait, Odilonem in senectute bona annos septuaginta sex [*legendum* octoginta sex] natum quievisse, *in cujus locum*, inquit, *jussu suo, et electione omnium fratrum, ordinatus est Hugo nobilis pastor, vitæ merito non dissimilis*.

125. Cum vero Jodsaldus disertis verbis scripserit beatum Odilonem ipsis Januarii Kalendis anno 1049 excessisse ex hac vita, nullus ea de re remanere potest ambigendi locus. Qui vero eum anno 1048 obiisse scripserunt, aut annum a Paschate incœpisse censendi sunt; aut certe, cum in ipsa nocte, quæ inter utrumque annum media fuit, beatus abbas excesserit, alii diei præcedenti, qui extremus erat anni 1048; alii subsequenti, qui primus erat anni 1049, ejus obitum consignasse videntur. Et quidem cum, Jodsaldo teste, die Dominica obierit Odilo, ejus mors necessario consignanda est anno 1049, qui ipse revera a die Dominica exordium sumpsit. Nulla item est difficultas circa tempus quo beatus vir Cluniacensi monasterio præfuerit. Qui enim nonnisi quinquaginta sex regiminis annos ei tribuunt, computant eos a beati Maioli obitu, quamvis, ut fusius supra exposuimus, saltem biennio antea in monasterio Cluniacensi nomen et officium abbatis impleverit.

126. Porro licet ipsismet Kalendis Januarii beatus Odilo excesserit e vita, ejus tamen festivitas in diem sequentem translata fuit, quod scilicet ipso ejus obitus die Circumcisionis Dominicæ festivitas ageretur. Id vero paulo post ejus mortem factum fuisse colligimus ex Udalrici libro I Consuetudinum Cluniacensium, capite 47, ubi ille ait depositionem sancti Odilonis *tam chari sancti et tam familiaris* fecisse, ut dies octava natalis sancti Stephani solam haberet commemorationem cum una tantum antiphona et una collecta. Unde Henricus Cluniacensis abbas in Statutis, initio sæculi decimi quarti editis, potius antiquam consuetudinem firmasse dicendus est quam de novo instituisse, statuendo ut deinceps festivitates sancti Odilonis, Hugonis, Odonis et Maioli sub ritu duplici celebrarentur. Et certe tanta fuit erga sanctum Odilonem Cluniacensium animi propensio, ut statim post ipsius mortem ejus fecerint simul cum aliis monasterii patronis specialem commemorationem in illis precibus, quæ vulgo suffragia sanctorum appellantur. Idipsum testatur Udalricus libro I jam laudato capite 3. Habemus in Bibliotheca Cluniacensi, col. 328, hymnum et orationes quæ in ejus festivitate antiquitus recitabantur, et in ejus missa præter tres orationes consuetas, adjicitur quarta super populum recitanda. Adeo celebre jam tunc erat apud omnes sancti Odilonis nomen, ut anno 1064 capella in ejus honorem constructa fuerit. Id discimus ex veteri chartario quod vivente sancto Hugone conscriptum est, ubi in charta 689 Achardus episcopus Cabilonensis anno 1064, indi-

etione II, feria VI, luna XXIII, Nonis Decembris dedicasse memoratur capellam in honore beatæ Mariæ et *dulcissimi Patris Odilonis*, in loco dicto Alacarmeda, in parochia Cidanis. Inde factus est tantus populorum concursus ad illud oratorium, in densissima licet silva situm, ut cum multi suam sedem ibi fixissent, necessarium fuerit postea parochiam ibidem instituere. Odilonem inter quatuor sanctos Cluniacensis monasterii abbates recenset Gaufridus, Vosiensis prior, in Chronico sui monasterii cap. 34; cujus festivitatem in Claromontensi ecclesia celebrari procuravit Odilo de Mercorio, nostri, ut jam diximus num. 5, sancti Odilonis consanguineus. Ipsa Necrologii verba huc referre visum est, ex Quercetani notis ad Bibliothecam Cluniacensem, col. 69 : IV *Nonas Januarii, Octava sancti Stephani, et Odilonis abbatis et confessoris, pro quo festo librando Odilo de Mercorio canonicus Claromontensis et præpositus Brivatensis promisit quadraginta solidos censuales, aut reddere semel quadraginta libras, et debent librari in missa et in vesperis diei festi.* Cæterum Martyrologia vulgata Odilonis memoriam celebrant 1 Januarii, aut certe die sequenti, quod in aliis obitus dies, in aliis vero depositionis, seu potius ejus festivitatis memoria indicetur. In Martyrologio sancti Arnulfi apud Mettas II Kalendas Januarii fit Odilonis commemoratio. In Necrologio autem Remensis Ecclesiæ ipsa die Kalendarum Januarii laudatur *Oydelo abbas*, simul cum Willelmo pariter abbate.

XIV. *Odilonis sacræ reliquiæ, et earum translationes.*

127. Sacrum beati Odilonis corpus in Silviniacensis monasterii, ubi ipse defunctus est, ecclesiæ navi prope sanctum Maiolum depositum fuit. Visitur etiam nunc ejus tumulus, licet sacræ exuviæ a multis retro sæculis exinde elevatæ fuerint et publicæ fidelium venerationi expositæ. Certe si fides est libro Anniversariorum Silviniaci, quem Gaufridus Choleti, ejus loci prior, anno 1453 fieri curavit, Petrus Damiani, proindeque paulo post beati abbatis mortem, ipsius corpus e terra levatum primus transtulit. Ibi quippe legitur : VIII *Kalendas Februarii officium fiat plenum, sicut de abbatibus Cluniacensibus, pro Petro Damiano episcopo, qui corpus beati Patris nostri Odilonis relevavit, et in loco in quo nunc requiescit, mira devotione collocavit. Refectionem fratrum procuret sacrista.* Consentit ejusdem loci Necrologium, ubi VIII item Kalendas Februarii *depositio domni Petri Damiani episcopi* recolitur. Apud Saussaium in Martyrologio Gallicano recolitur die 3 Maii *Reseratio corporis sancti Odilonis abbatis Cluniacensis*. Quæ verba Bollandiani ad eamdem diem in Prætermissis adoptarunt. Clemens IV et Honorius item IV, qui Romanæ Ecclesiæ labente sæculo decimo tertio præfuerunt, testantur in bullis, quæ habentur in Bibliotheca Cluniacensi, col. 309, corpora sanctorum Maioli et Odilonis, quæ in ecclesia Silviniacensi requiescunt, multis miraculis suis temporibus coruscasse : sed nihil habent de sancti Odilonis translatione, quamvis beati Maioli elevationem approbent, quod forte jam dudum facta fuisset.

128. Alia tamen beati Odilonis reliquiarum translatio peracta fuit a Rogerio archiepiscopo Bituricensi : quam quidem, convenientibus ea occasione ad monasterium Silviniacense compluribus episcopis et abbatibus, solemnem fuisse discimus ex instrumento veteri quod in Bibliotheca Cluniacensi habetur.

129. Clemens sextus, quo mandante ista translatio facta fuit, indulgentias concessit iis qui Silviniacensem ecclesiam inviserint diebus festis sanctorum Maioli Odilonis et aliorum quos recenset, item et die translationis beati Odilonis ; ex qua quidem speciali translationis memoria colligimus eam fuisse cæteris celebriorem. Verum cum hæc bulla data sit, ut quidem habetur in Bibliotheca Cluniacensi col. 312 anno II Clementis, id est æræ vulgaris 1343, aut de alia translatione ab ea quam ipse fieri mandaverat loquitur pontifex, quod non est verisimile; aut instrumentum Rogerii biennio saltem post factam translationem datum fuit ; aut denique error in bullæ notas chronologicas irrepsit. Certe litteræ Aymonis prioris, quibus fidem facit unam e beati viri costis Carnotensibus canonicis datam fuisse, hanc translationem anno pariter 1343 consignant. Has litteras huc integras proferimus ex schedis V. C. Antonii Wionis Herovallii.

130. Cæterum sacræ reliquiæ beati Odilonis etiamnunc in ecclesia Silviniacensi a nostris Cluniacensibus religiose asservantur, corpus quidem in scrinio, quod est super altare ad ecclesiæ odeum, e regione scilicet alterius altaris, quod ad asservandum beati Maioli corpus constructum fuisse alias dictum est. Eorum vero capita in thecis separatis inclusa sunt, quæ in jucundo adventu Caroli ducis Borboniensis et Arverniæ deferri fecit Gaufridus ejusdem loci prior, cum primum anno 1434 princeps ille Silviniacum advenit, ut ex instrumento publico ea de re facto patet, quod in Bibliotheca Cluniacensi, col. 312, editum est. Is est, ut quidem mihi videtur, Gaufridus Choleti, de quo jam diximus, qui capsam ad sancti Odilonis corpus recondendum, et aliam pro ejus capite cum armario fieri curavit.

Littera testimonialis costæ sancti Odilonis confessoris abbatis Cluniacensis canonicis Carnotensibus concessæ.

« Venerabilibus Patribus et dominis domnisque et amicis charissimis, dominis decano cæterisque canonicis Carnotens. Nos frater Aymo de sancto Geranno humilis prior prioratus Silvigniacensis, totusque ejusdem loci Deo devotus conventus, salutem in eo qui est omnium vera salus. Cum per reverendum in Christo Patrem ac dominum dominum R. permissione divina archiepiscopum Bituricensem, adjunctis secum nonnullis episcopis, abbatibus, clero ac populo pro majori parte totius patriæ..... ad dictum prioratum confluentibus, et ipsis præsentibus, secundo Idus mensis Aprilis, anno Domini millesimo trecen-

tesimo quadragesimo quinto, corpus pii ac gloriosissimi Patris nostri beati Odilonis ad laudem totius curiæ Paradisi, et ejusdem sancti solemnitatis cum illa devotione, honore et reverentia qua decuit relevavit. Qua relevatione completa, venerabili et discreto viro domino Stephano Rogerii concanonico vestro ac officiali Bituricensi nos humiliter cum magna instantia supplicante, quatenus de reliquiis sanctissimi corporis prædicti vobis mittere vellemus; cui supplicationi annuentes in quantum nobis Altissimus desuper ministravit, unam de costis præfati sancti Odilonis per ipsum vestro sanctissimo collegio duximus destinandam, quam in vestro capitulo cum magna reverentia et solemnitate recepistis; ordinare ac statuere proponentes, quod tam in vestra ecclesia cathedrali, quam in tota diœcesi faceretis ejus festum translationis ad exaltationem ejusdem sancti jugiter celebrari : dum tamen per nostras patentes litteras testificaremur dictam costam eduxisse de corpore ejusdem sancti, prout hæc omnia in litteris vestris nobis destinatis vidimus plenius contineri. Devotioni vestræ, domini charissimi, cui in quantum possumus et debemus, super tam devota et solemni receptione dictarum reliquiarum regratiamur, significamus per præsentes dictam costam per præfatum dominum Stephanum Rogerii canonicum vestrum vobis traditam, de corpore beatissimi Odilonis extractam fuisse, et vobis per eum deferendam in præsentia plurium fide dignorum fuisse commendatam; quapropter vobis cum devota precum instantia supplicamus, quatenus festum translationis ipsius facere velitis in ecclesia vestra, et in tota diœcesi Carnotensi celebrari annuatim.

« In cujus rei testimonium sigilla nostra in his præsentibus litteris duximus apponenda. Datum in prioratu nostro prædicto, die vicesima secunda mensis Julii, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo. »

INCIPIUNT CAPITULA VITÆ SEQUENTIS.

CAPITULA LIBRI PRIMI.

Prologus Jotsaldi monachi ad Stephanum pontificem.
Item præfatio vel deploratio ex transitu ejusdem Patris.
De generis ejus nobilitate.
Cap. I. *Qualiter Deo militare cœperit in sua ipsius pueritia.*
II. *Quomodo Maioli sancti se conjunxerit societati.*
III. *Qualiter deseruit hujus sæculi pompam.*
IV. *Qualiter sanctus Maiolus illum elegerit successorem sibi.*
V. *De habitu corporis ejus, et quod nihil in eo fucatum vel affectatum fuit.*
VI. *Quod in eo quatuor virtutes principales refulserint.*
VII. *De justitia, vel quod a pontificibus, regibus, ducibus, vel imperatoribus maximo fuit amore dilectus.*
VIII. *Quod in pauperes munificus fuit.*
IX. *Qualiter binis pueris jam defunctis indumenta præstitit, vel sepulturæ eos tradidit.*
X. *De clerico contagio lepræ maculato.*
XI. *Quam hospes fuit, et quamplures diversæ ætatis diversi generis Christo acquisivit.*
XII. *De fortitudine.*
XIII. *De temperantia, et renovatione suorum locorum.*
XIV. *De transitu ejus quomodo terram ejus beatus spiritus deseruit, cœlosque petivit.*
XV. *Commendatio animæ.*
XVI. *Qualiter sanctus vir apparuerit cuidam monacho.*
XVII. *De simili visione.*

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

Cap. I. *Quomodo quondam puer liberatus sit divinitus a gravissima infirmitate.*
II. *De cæco illuminato.*
III. *De aqua in vinum conversa.*
IV. *De furto apud Papiam invento.*
V. *Item de alio simili furto.*
VI. *De transmeatione profundissimæ Ticinensis aquæ, et accensione lucernæ.*
VII. *De simili miraculo.*
VIII *De paucis piscibus plurimis refectis.*
IX. *De exuberatione vini in parvo vasculo in monte Aventino.*
X. *De quodam homine a febribus liberato.*
XI. *De utribus in usus pauperum evacuatis, et iterum divinitus impletis.*
XII. *De vase vitreo confracto et solidato.*
XIII. *De quadam visione cujusdam eremitæ.*
XIV. *De revelatione domni Benedicti papæ.*
XV. *De quodam puero ab infirmitate gutturis sanato.*
XVI. *De libris et aliis supellectilibus aqua infectis et minime læsis.*
XVII. *De quodam puerulo monacho a gravissima infirmitate liberato.*
XVIII. *De libro et vasis repertis.*
XIX. *De quodam potente a dolore oculi liberato.*
XX. *De clerico a morbo brachii curato.*
XXI. *De quodam mente capto sive dæmoniaco sanato.*
XXII. *De quodam muto sanato.*
XXIII. *De quodam parvulo vasculo a vino exinanito, et virtute sancti postmodum pleno reperto.*

CAPITULA LIBRI TERTII.

Cap. I. *De quadam puella insana, surda et muta sanata.*
II. *De homine surdo et muto liberato.*
III. *Item de alio muto.*
IV. *De quodam paralytico simul et muto curato.*
V. *De presbytero muto.*
VI. *De cæco illuminato.*
VII. *Item de cæca sanata.*
VIII. *Item de alio cæco illuminato.*
IX. *De quodam insano ad mentem revocato.*
X. *De quodam paralytico.*
XI. *De hydropico liberato.*
XII. *Item de alio hydropico.*
XIII. *De quadam contracta sanata.*
XIV. *Item de alia simili modo sanata.*
XV. *De quadam puercula simili modo curata.*
XVI. *De quodam captivo a vinculis liberato.*
XVII. *De quodam mente capto sancto.*

INCIPIT PROLOGUS JOTSALDI MONACHI

AD STEPHANUM PONTIFICEM

DE VITA ET VIRTUTIBUS SANCTI ODILONIS ABBATIS.

Reverendo Patri STEPHANO, secundum sui nominis interpretationem pontificali gloria coronato, ultimus servus servorum Dei, nomine tantum monachus, JOTSALDUS, quidquid in utraque vita jucundius.

Antiquorum philosophorum studia scriptis et monumentis extulerunt priorum suorum laudes et memorias, talibus indiciis sperantes se facere immortales, quos noverant fuisse mortales. Deinde gradu secundo regula ecclesiastica, tanto dicendorum materia sublimior, quanto spei certioris directior, sanctorum virorum præclara describit opera, ut succedentes et futuri habeant semper quorum sequantur exempla, totumque ad illum referatur, a quo virtus et prudentia datur, a quo etiam derivatur fortitudo et sapientia. Ad horum formam ego, quan- A tilluscunque homuncio, nutritus magni Odilonis magisterio, informatusque beneficio, quemadmodum Hieronymus de Blæsilla et Nepotiano, epitaphium (4) quoddam volui de morte virtutibusque ejus inscribere, et veluti flores ad sepulcrum ejus spargere, quæ introeuntibus præstent aliquid suavitatis et gratiæ, redoleantque secundum sui speciem quantulocunque odore. In hoc vero devotionem animi mei offero, et altiora describere volentibus materiam præsto, non occasionem agendi id melius subripio. Quod opus tibi, sancte præsul, ideo mittere disposui, quia te nepotem ipsius, et per illum ad sacerdotii gloriam accersitum novi; confidens tuo complacere judicio, quidquid in laudibus ejus descripserit cultus vel incultus sermo. B

ITEM PRÆFATIO VEL DEPLORATIO EX TRANSITU EJUSDEM PATRIS.

Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo desolationem, non unius hominis, neque duorum vel trium, sed multorum populorum promiscui sexus, diversæ conditionis, diversæ ætatis, diversi ordinis! Plorabo, inquam, vastitatem nobilissimæ congregationis, amplæ familiæ, destitutæ dormitione sui patris Odilonis: de cujus visceribus, de cujus magisterio et virtutibus, quasi quibusdam vinculis et funibus religata dependebat, et, ut ita dicam, indissolubilibus amoris nexibus complexa sustentabatur. Quid agis, gravissimarum lacrymarum excitator, et tantæ calamitatis delator [*Mss.* 2, desolator]? Erumpe et clama in auribus promiscuæ multitudinis, dicens: Quomodo decessit miserorum adjutor? Quomodo siluit mœ- C rentium opportunus consolator? vel quo abiit plurimorum monachorum desiderabilis auriga innumerabiliumque populorum discretus moderator et rector? O quam incertus humanæ conditionis status! o quam mutabilis rerum mortalium cursus! Dum putavimus eum esse nobis in communi vita socium, tenemus defunctum, et quem sperabamus præsentem, dolemus absentem. Si tamen dolendus est, qui dolorem evasit; si lugendus est, qui de luctu ad gaudium, de tenebris ad lucem, de pœna ad requiem, et de morte transivit ad vitam. Quid agimus, anima? Quo nos convertemus? Si intemperantius exaggerare dolorem cœperimus, timeo ne acies mentis reverberetur, et id quod de virtutibus ejus volumus inscribere, immoderato dolore perturbati, minime D prosequamur. Sed primo de carnis ejus nobilitate, quæ in titulis sanctorum virorum pro additamento laudis ponitur, dicamus, et postmodum, sensim per vestigia virtutum ejus incedentes, quasi quibusdam gradibus ad iteratos lugubres luctus funeris veniamus. Præcepta rhetorum sunt, ut majores ejus qui laudandus est memorentur, et eorum altius gesta repetantur; sicque ad ipsum per gradus sermo perveniat, quo videlicet avitis paternisque virtutibus illustrior fiat, et aut non degenerasse a bonis, aut mediocres ipse ornasse videatur. Nos carnis bona quæ semper et ipse contempsit, in animæ laudibus non requiramus; tamen quia non de mediocris nobilitatis sanguine descendit, quod possumus in laudibus ejus assumamus. Exstitit pater ejus inter proceres Arvernorum nobilissimus, vir in armis strenuus, possessionibus et divitiis locupletissimus, in consilio providus, et in omni morum honestate suo tempore nulli secundus, qui etiam privilegio auctoritatis et gratiæ, Major Beraldus vocabatur ab omnibus. Fidei virtute ita præcipuus, ut quod alii difficile sacramentis, hoc iste inviolatum custodiret simplicibus verbis. Longe se habebat actus aliter ejus et habitus, quam modo videri possit in quovis principe quilibet actionis modus. Fuit illi uxor, Girberga nomine, non degener natalibus et moribus. Quæ quantæ continentiæ, quantæ castitatis, et cujus voluntatis fuerit sub marito, post mortem ejus omnibus fuit in aperto. Nam relicta patria, relictis propinquis et filiis, et magnis fundi possessionibus atque divitiis, tanquam alia Paula secuta est Christum, et apud monasterium (5) sancti Joannis Augustiduno positum, sanctimonialium suscepit locum, et religionis habitum. Quam laudabile ibi duraverit propositum, quamque dulcis et utilis omnibus ibi

(4) Sic etiam Odilo ipse librum de Vita Adelheidis imperatricis *Epitaphium* vocat, Hieronymi exemplo.

(5) Subsistit etiamnunc antiquum illud monasterium, quod sub B. Mariæ titulo a Brunichilde fundatum S. Gregorius privilegio donavit. Alii tamen censent monasterium a Brunichilde conditum illud esse, quod hodieque sub S. Andochii nomine celebre est. Utrumque est ordini Benedictino astrictum.

deinceps ejus vita fuerit, et quam glorioso exitu vitam finierit, paucis quæ supererant cum gemitu narrare audivi. Fuerunt denique istis alii filii potentes et nobiles, et in suo ordine quantum ad mundanam gloriam nulli inferiores. Quædam etiam non prætereunda filia, nomine Blismodis, abbatissa, quæ in sancta virginitate, nocte et die Deo serviens, prope centenarium explevit annorum numerum. His ita breviter descriptis, ad illum quem celebriter commendat nobilitas mentis et celsitudo generis stylum vertamus.

IN NOMINE DEI SUMMI

INCIPIT VITA EJUSDEM PATRIS.

CAP. I.— *Qualiter Deo militare cœperit in sua ipsius pueritia.*

Igitur Odilo vir beatissimus, nobilitatis stemmate procreatus, inter ipsa primordia tanquam alter Isaac Christo consecratus, et Brivate (*Brioude*) apud sanctum Julianum gloriosum martyrem clericali sorte est donatus. Delectabatur in ipsa pueritia, humilitate, castitate, innocentia et puritate, et prout ætas admittebat, misericordiæ operibus insistebat. Superabat coætaneos sapientia et moribus, ita ut jam non puer, sed senex maturitate, non tempore, ab omnibus putaretur. Decursis itaque puerilibus annis, ubi robur juventutis succedere cœpit, tacitus secum deliberat, ut Ægyptias ollas desereret, et per media mundi discrimina, terras repromissionis intraret. Jesu bone, quam suavis tua vocatio, quamque dulcis tui spiritus inspiratio! qui mox ut mentem pulsaverit, æstus fornacis Babyloniæ in amorem transformas cœlestis patriæ. Ecce enim cor nostri juvenis, dum subito pulsas, mutas, et in veros amplexus Salomonis mirabiliter accendis.

CAP. II. — *Quomodo Maioli sancti se conjunxerit societati.*

Certe dum talia meditatur in animo, magnus ille Maiolus, per totum pene mundum famosus, Arvernorum fines ingreditur. Et divina dispositione is de quo loquimur, ante eum adducitur. Qui considerans in eo præstantem elegantiam corporis et nobilitatem generis, magnum quiddam et divinum oculis interioribus in eo prævidens, totus in ejus amorem illabitur, et vicissim inter eos ignis divinæ charitatis magis magisque accenditur. Fit inter eos familiare colloquium, junior seniori suum prodit desiderium; senex ut præmeditata perficiat, modis quibus potuit junioris instruit animum.

CAP. III.— *Qualiter deseruit hujus sæculi pompam.*

His ita inter se dispositis, senex ad propria revertitur, sollicitudo juvenis ad ea perficienda quæ cœperat, præparatur. Non multis itaque interjectis spatiis, novus miles tanquam Benedictus Romuleas, deserit et iste Brivatenses seu Anicienses (*le Puy*) arces. Despicit patrias opes, propinquos et fratres, et quasi antiquus Abraham de Ur Chaldæorum egrediens, Cluniacum quasi quemdam terræ repromissionis requirit introitum, et veteri iterum deposita sarcina, monachicum suscipit indumentum. Jesu bone! quam jucundum erat tunc videre ovem mundano vellere detonsam, de lavacro baptismatis iterum ascendentem, cum gemellis fetibus dilectionis utriusque procedentem, nihil sterile secum portantem nihilque vanum meditantem! Jam sumpto habitu videres nostram ovem inter alias primam opere, extremam ordine, æternæ viriditatis pascua requirere, lucernarum ministeria concinnare, infantum custodiendorum excubias observare, pavimenta verrere et quæque vilia officia humiliter peragere. Sed non diu latuit margarita, non diu potuit occultari in privato loco fortis athleta.

CAP. IV.— *Qualiter sanctus Maiolus illum elegerit successorem sibi.*

Evolutis post hæc fere quatuor annis, sanctus Maiolus post multos pro Christo desudatos labores de tenebris Ægypti egreditur, transitoque maris periculo Jerusalem ingreditur, atque in æterna pace a Christo collocatur. Instante vero mortis articulo domnum Odilonem sibi successorem eligit atque proprias oves Domino et sibi reliquit. Qui reluctans, et ultra quam credi possit invitus, communi omnium voto, communi omnium sententia ad injunctum officium ordinatur, et tanquam alter Moyses Dei populo præficitur. Quid agis Deo, dilecta anima? Quid reluctaris? Quid adhuc vis stare post parietem, et respicere per cancellos et fenestras? Egredere jam ad diffusam lucem, egredere. Loquitur tibi sponsus tanquam ad sponsam, in Canticis canticorum: *Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni* (*Cant.* II, 10), videlicet aperte dicens: Surge de stratu quietis, in quo tuimet solius curam agere quæris, propera et veni, ad impendendam etiam proximis curam salutis, per studium sedulæ prædicationis. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Susceptio itaque regiminis officio, magis ac magis sanctorum conformabatur exemplo, et in omnibus cœlesti adornabatur magisterio. Prælucebat in eo quoddam insigne documentum, quod subjectis imitandum esset et timendum; et qualis esset in eius, relucens in eo gratia declarabat exterius. Habitus enim mentis, ut ante nos dictum est, in corporis statu cernitur. Et quia ita est, nunc de ipsius corporis positione, pauca dicamus.

CAP. V.— *De habitu corporis ejus, et quod nihil in eo fucatum vel affectatum fuit.*

Erat mediocris in eo statura. Vultus ipse plenus

auctoritatis et gratiæ; mansuetis hilaris et blandus, superbis vero et offensis, ut vix sufferri posset, terribilis. Macie validus, pallore ornatus, canitie decoratus. Oculi illius veluti quodam splendore fulgentes, intuentibus et terrori erant et admirationi, lacrymis assidui, quia sæpius aderat virtus compunctionis. Renitebat etiam in ipsius motu, gestu, incessu, species auctoritatis, pondus gravitatis tranquillitatisque vestigium. Occursus illius quasi quidam gratissimæ jucunditatis radius, et insolitæ delectationis eventus. Vox illi virilis, et ita plena decoris, ut mentes audientium non mediocriter demulceret dulcedine modulationis. Sermo illius plenus suavitatis et gratiæ, prout ratio causarum se habebat, medie temperatus; nec modum progrediens loquendi, nec minus pro tempore improvidus disserendi. Nihil in eo B fucatum, nihil affectatum; sed natura mirabiliter reddebat eum corporis positione et ordine vitæ quadratum. Et quamvis, secundum beatum Ambrosium, in pulchritudine corporis locum virtutis non poramus, gratiam tamen non excludimus. His vero omissis, ad compositionem morum ejus, quibus per divinam gratiam adornatus exstitit, redeamus.

Cap. VI. — *Quod in eo quatuor virtutes principales refulserint.*

In quantum humana æstimatio se habet, quatuor in sancto viro principales non mediocriter relucebant virtutes, prudentia, justitia, fortitudo et temperantia. Prudentiam philosophi definiunt in veri investigatione consistere, et scientiæ plenioris cupiditate. Quo genere virtutis ita enituit, ut non diebus neque noctibus a veri investigatione cessaret. Semper ei liber divinæ contemplationis in manibus, semper ei sermo de Scripturis assiduus, et ad ædificationem cunctorum labor continuus. Ut Hieronymus Eustochium instruit, faciem dormientis interdum pagina sancta suscipiebat, evigilantem iterata lectio recreabat. Nihil ei in hac vita dulcius, nihil amabilius fuit. Lectioni oratio jugis succedebat. Qui gemitus, quæ suspiria, vel affluentia lacrymarum, et præcipue in illo sancto sacrificio Agni immaculati erat, Spiritus sanctus auctor ipsius muneris et gratiæ novit. Rem miram dicturus sum, et certe veram. Cum sæpius illum psallentem in stratu somnus exciperet, tamen psalmus ab ore dormientis D non recedebat, ut si nescires, vigilare eum putares. Evigilans vero ita psalmum cum festinatione arripiebat, quasi non intermisisset. Loquebatur credo tunc cum sponsa in Canticis canticorum : *Ego dormio et cor meum vigilat* (*Cant.* v, 2). In Scripturis quam fuerit eruditus, et in sermone facundus, quamque etiam in recta fide catholicus, testantur sermones ejus, et multiplices epistolæ, quas, tanquam favos dulcedinis pinguissimæ, videas redolere odore prudentis eloquentiæ, decoreque suavitatis et gratiæ.

Cap. VII. — *De justitia, vel quod a pontificibus, regibus, ducibus, vel imperatoribus maximo fuit amore dilectus.*

Justitia est, ut volunt philosophi, quæ suum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat. Hæc omnia in illo non mediocriter, sed profuse noveris reluxisse. Omnibus enim ætatibus, personis, et conditionibus, prout justitiæ fuit, debitum honorem exhibuit; et omnibus ita se gratum præbuit, ut non aliter quam angelus, si ita dicendum est, imo quia ita dicendum est, cunctis charus exstiterit. Principibus et potestatibus Christianis secundum apostolicam sententiam in nullo restitit, sed ita amicabilem et officiosum se reddidit, ut tanquam alter Joseph ab omnibus amaretur et celebriter veneraretur. Concurrat in hunc amorem Rotbertus rex Francorum; accedat Adeleida mater Ottonum; veniat Henricus imperator Romanorum; intersint Conradus et Henricus, videlicet pater et filius, Cæsares et ipsi nobiles invicti : quorum omnium amicitiis, officiis et imperialibus muneribus ita magnificatus est, ut sibi et illis cor unum et anima fuerit. Quid etiam Stephanus rex Hungrorum, sive Sancius rex Hesperidum populorum, qui quamvis eum præsentialiter non viderint, tamen ad famam sanctitatis ejus intercurrentibus legatis et reciprocis litteris, astrinxerunt illum sibi beneficiis et copiosis muneribus, co mendantes se humiliter orationibus illius et suffragiis. Fuit etiam in remotis partibus occidentalium alter Sancius, Pampulanorum episcopus, qui ita sibi in amicitiis adhæsit et copiosis muneribus deservivit, ut ad eum etiam de tam longinquis regionibus veniret, et monachum se ab eo fieri decerneret. Quem intantum dulcis memoriæ O ilo dilexit, ut etiam moriens de eo mentionem faceret, et post mortem suam ad eum visitandum, cum exuviis vestimentorum suorum duos fratres mitteret, qui illi finem vitæ suæ nuntiarent, et antiquam amicitiam sibi mortuo conciliarent (6), et rursum eamde n viventibus renovarent. Non prætereundi sunt etiam illi Domini sacerdotes et apostolici viri, Silvester, Benedictus, Joannes, et in ultimis piæ memoriæ Clemens, quorum gratiam ita promeruit, ut tanquam ex fratribus unus exstiterit. Quæ enim persona undecunque locorum non cuperet habere Odilonem tanquam alterum Salomonem amicum et patrem, et pro se apud Deum intercessorem? Gaudebat Italia cum Odilonis aderat præsentia, et præcipue familiaris sibi Papia, cujus prece et industria, temporibus Henrici et Conradi imperatorum liberata est ab excidio gladii et periculo incendii. Lætabatur etiam urbs Roma, mundi domina, tanti viri conturbernio, frequentata sæpius sanctorum apostolorum amore et desiderio. Officiales etiam et clerici, sive monachi, ita sibi applaudebant venienti, ut tanquam de suis charissimum fratrem haberent amore vehementi. Hæc ideo in

(6) Hæc verba, *et rursum eamdem viventibus renovarent*, desunt in mss. 2.

partes justitiæ posuimus, ut aperte monstraremus illum proprium cuique tribuisse, et idcirco omnium gratiam et amorem promeruisse, et ut etiam omnibus declararetur, quia necesse erat ut quem Deus perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Bene itaque de eo omnes in commune senserunt, quia ubique cunctis et amori et honori fuit. Jam vero de inferioribus seniores honorabat ut patres, juniores ut fratres, anus ut matres, virgines ut sorores; omnes tamen æstimans sibi superiores, cunctis in commune præbebat familiare consortium et salutare colloquium. Nulli onerosus, nulli importunus, nullius honoris cupidus, alienum non vindicabat, imo magis quod suum erat hilariter alteri concedebat. Utilitatem propriam negligebat, ut communem æquitatem custodiret. Benevolentiam et liberalitatem, quæ etiam et ipsæ partes sunt beneficentiæ, sive justitiæ (7), ita retinebat, ut in eis nostris temporibus in suo ordine singulariter solus reluceret. Omnibus enim in commune volebat benefacere; sed quibus poterat liberaliter liberalis existebat. Plus gaudebat datis quam acceptis, sciens illud felicitatis, istud indigentiæ esse, et secundum Dominicæ Veritatis sententiam, beatius esse dare quam accipere.

Cap. VIII. — *Quod in pauperes munificus fuit.*

In pauperes ita munificus erat, ut aliquando non dispensatorem sed profusum largitorem videres. Etenim magis delectabatur in faciendis eleemosynis, quam aliquis gratulari possit in acquirendis pecuniis. Et quid dicam? Cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium fuit. Et quid dicam? Misericordiæ visceribus ultra quam dici possit affluebat, et, quantum in se erat, nullum a beneficio misericordiæ excludebat. Et sicut in epitaphio Sabiniani papæ legitur :

Hic hominum vitia blando sermone removit :
Nec culpis judex, sed medicina fuit.

Erat certe in hac virtute intantum diffusus, ut ab imprudentibus in officio hujusce virtutis dijudicaretur nimius. Sed ille ad hoc objectum eleganter alludere solitus erat. « Ego, inquit, magis volo de misericordia misericorditer judicari, quam de crudelitate crudeliter damnari. » Ut enim ait Ambrosius : Bonus [*Mss.*, bonum] est misericors homo, qui dum aliis subvenit sibi consulit, et in alieno remedio vulnera sua curat. Agnoscit enim se esse hominem, qui novit ignoscere : et vias Christi sequitur, qui, carne suscepta, maluit in hunc mundum Redemptor venire quam judex. Unde et iste vir sanctus, ut prædiximus, malebat esse culparum medicina quam judex. At hoc aliquoties quod offerebatur, libentissime accipiebat, ut haberet quod pauperibus distribueret. Implebatur semper in eo quod dicitur in Evangelio : *Omni habenti dabitur, et abundabit* (*Matth.* XIII, 12). Vidimus enim multoties marsupium illius ita exinanitum, ut quod daret fratribus non haberet, cum subito ex insperato veniebat sibi sufficiens benedictio, unde sedaretur petentium vociferatio. Et ne generaliter hæc prosequendo, ejus aliqua misericordiæ opera specialiter ignorare videamur, quædam hic sunt inserenda, satis memoratu digna, quæ fidem præbeant etiam his quæ nominatim non sunt ponenda.

Cap. IX. — *Qualiter binis pueris jam defunctis indumenta præstitit, vel sepulturæ eos tradidit.*

Quodam tempore cum ad sanctum Dionysium Parisius pergeret, et per publicum iter incederet, offendit duos pueros famis et frigoris supplicio occubuisse, et sub oculis omnium, dictu miserabile! nudos et insepultos in media via jacere. Erat enim eo tempore fames valida, quæ sui magnitudine pene totas Galliarum sive Aquitaniæ oppresserat provincias. Compunctus itaque vir sanctus tali horrore, equo desilivit, substitit, pollinctores mercede quæsivit. Lanea veste, quam vulgo staminiam vocant, a dorso abstracta, illorum nuditatem propriis manibus cooperuit, sepelivit, debitum mortuis obsequium persolvit, sicque cœptum iter tenuit. Si Martinus per totum orbem celebratur in dimidia tunica pauperi divisa, cur non et iste secundum sui speciem celebris habeatur in tunica integra, non uni vivo, sed duobus mortuis data? Multa proferri possint similia, nisi succumberent nostræ parvitatis ingenia. Sed tamen ne silentio premantur omnia, tunc tali temporis, et deinceps per multos annos incumbente miseria, in usus pauperum confregit plurima vasa ecclesiastica et ornamenta insignia, inter quæ etiam imperialem Henrici imperatoris coronam, indignum judicans talia denegare pauperibus Christi, pro quibus effusus est sanguis Christi. In thesauris Ecclesiæ pauperibus datis divinis et humanis oraculis Laurentius prædicatur mirabilis ; cui licet istum æquiparare non audeamus, tamen cunctis quos vidimus moderni temporis hominibus (quod sine præjudicio cujusquam dixerim) in suo ordine in hac virtute præferimus. Consuluit quibus potuit, et quibus per se non valuit, alios ut misererentur rogavit. Cum enim non sufficeret tam acerbæ famis prædictis temporibus omnium miseriis subvenire, vidimus eum vicos et ecclesias quas poterat circuire, ad eleemosynas faciendas principes (8), divites, mediocres suadere, dulcibus sermonibus ad misericordiam provocare, eisque inde plenissimam peccatorum remissionem libera voce de cœlis repromittere. Ita vir sanctus quos non sufficiebat alere sumptibus, juvabat apud illos quos poterat sermonibus misericordiam suadentibus. Certe tali consultu multa millia pauperum cognovimus famis et mortis evasisse periculum. Nullius miseriam

(7) Sic mss. 2. At Thuan. cum edit. *Beneficentiam et... partes sunt justitiæ*, etc.

(8) Huc dubio procul revocanda est beati viri epistola ad Garsiam regem, edita tomo II Spicilegii, qua vir sanctus pii principis implorat opem, tempore famis.

præterivit, nullius necessitatem despexit, nullius infirmitatem exhorruit.

CAP. X. — *De clerico contagio lepræ maculato.*

Denique quidam sanctæ Dei Genitricis Aniciensis ecclesiæ clericus, secundum carnem nobilissimus, lepræ contagio maculatus, privatum sibi veluti tantæ corruptioni necessarium juxta Ligerim (9) fluvium quemdam elegerat locum monasteriolo quod dicitur Volta contiguum. Quo adveniens Dei famulus et hoc agnoscens, infirmo compatitur, solatiari illi in quibus necesse erat, fratribus imperat. Requirit vero ipse miserabilis sancti viri privatum colloquium, et ut ad se accedat humiliter rogat per internuntium. Quod sanctus facere non recusavit, recolens Dominicæ humilitatis exemplum, qui etiam non rogatus venire voluit ad centurionis servum. Dum vero ad eum pervenitur, illius non exhorrescens miseriam, nobis qui videbamus valde mirantibus, in oscula ruit, amplexatur, et diu cum illo familiare colloquium participatur. O virum per omnia laude dignum! qui magis in homine naturæ diligebat prærogativam, quam alicujus morbi expavescebat accidentem miseriam.

CAP. XI. — *Quam hospes fuit, et quamplures diversæ ætatis, diversi generis Christo acquisivit.*

In suscipiendis hospitibus festivus erat et jocundus. Nihil unquam sibi deesse liberalis confidebat animus, sed in abundantia benedictionis Christi omnibus largiter erat profusus. Munditiam integritatis ita inviolabilem custodivit, ut Spiritus sancti mereretur fieri domicilium et castissimæ puritatis receptaculum. Humilitatis etiam tanta in eo fuit perfectio, ut ne ad modicum quidem notaretur in illo superbiæ vestigium. Innocentia in illo non mediocriter reluxit. Ex suo affectu pensabat omnes; et sicut ille erat alienus a felle malitiæ, ita etiam æstimabat alios nullius doli peste corrumpi posse. Honestatis decore ita pollebat, ut in omni sua actione hujus virtutis pulchritudine, tanquam cujusdam fulgoris resplenderet lumine. Nihil enim inhonestum, nihil indecorum illa sancta anima videre vel audire volebat. Veritatem corde retinebat, et ore proferebat; mendacium vero tanquam pestiferum morbum modis omnibus cavebat. Humanæ etiam laudis favores non requirebat, neque gloriam suam in ore hominum ponebat. Si quando vero a confratribus vel episcopis more ecclesiastico officiosis obsequiis suscipiebatur vel honorabatur, testor Jesum advocatum animæ ejus, quia talia parvipendebat, et veluti quoddam nullius momenti pretium computabat. Tamen quia hoc sine scandalo plurimorum declinare non poterat, exterius quidem fraternum obsequium suscipiebat, sed interius a proposito humilis rigoris non discedebat. Conventus fratrum fortiter tenuit, donec ad ipsa mortis extrema pervenit. O quam jocundus inter alios procedebat, quam festivus in illo sancto choro medius stabat, a dextris et a sinistris prospiciens coronam novellæ plantationis, memor illius versiculi Davidici carminis : *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ* (*Psal.* CXXVII). Et quanto magis augebatur numerus fratrum, tanto magis quibusdam signis et certis indiciis declarabat sui animi gaudium. Et quia multoties videbat quibusdam id oneri esse, solitus erat dicere : « Nolite, fratres, in augmentatione gregis contristari. Cujus enim nutu et vocatione congregantur, ejus providentia et miseratione gubernabuntur. » Multorum enim monachorum pater exstitit, quos de diversis conditionibus, diversis ætatibus et temporibus Domino acquisivit. Alios namque in pueritia, alios in juventute, alios in senectute accepit; et quamvis diversis ad eum venerint temporibus, tamen sub una moderatione discretionisque virtute, materna charitate, paterna sollicitudine fovit, nutrivit et ex multis partibus disparibusque moribus in unum corpus collegit. Quocunque exibat, quocunque procedebat, tanta sequebatur eum frequentia fratrum, ut jam non ducem et principem, sed revera putares eum esse archangelum monachorum. Hoc enim nomine censebat eum appellandum in suis sermonibus et epistolis Fulbertus ille sibi præcordialis amicus, Carnotensis episcopus, in sanctitate laudabilis, in sapientia mirabilis, in cujus morte studium philosophiæ in Francia periit, et gloria sacerdotum pene cecidit.

CAP. XII. — *De fortitudine.*

Jam de fortitudine animi ejus, vel corporis pauca dicturi, etiam virtutis illius definitionem, juxta veterum æstimationem adhibere debemus. Fortitudo est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter adversa, vel prospera. Hac itaque fretus virtute, quam fortis fuerit in repellendis inimicorum insidiis, quam patiens in tolerandis, dictu videtur difficile. Cerneres in illo hoc privilegium patientiæ; quia his qui læserant, tanquam alter David, majorem rependebat beneficii gratiam, et his qui oderant potiorem conservabat benevolentiam. Non valebant hunc adversa dejicere, nec prospera elevare. O quantas infestationes, et quam gravissimas insectationes a

(9) Sic habent codd. mss. Crispeiensis et S. Germani. At in Thuaneo legitur *juxta Alierim*, quo nomine designaretur Elaver, vulgo *l'Allier*, cui insidet Volta, locus ob monasterium ab ipso S. Odilone ibi conditum celebris; et quidem idem codex habet infra *monasterio, quod*, etc., pro *monasteriolo quod*. Favet Bibliotheca Cluniacensis, ubi in hac ipsa Vita legitur juxta *Alexim..... monasterio*. Bollandus ex veteri cod. ms. S. Maximini habet quidem *monasterio*, sed tamen *Ligerim fluvium* appellat. Unde lectionem, quæ exhibet *Ligerim* prætulimus. Nam præter Voltam illam celebrem, quam modo laudabamus, ad Elaverim fluvium, haud procul ab urbe Aniciensi dissitam, invenimus in tabulis geographicis paulo infra eamdem urbem locum *la Volle* nominatum, supra Ligerim situm, quem hic indicari suspicamur. Certe ibi tunc fortasse erat exiguum aliquod monasterium, quod auctor noster *monasteriolum* appellavit.

domesticis et extraneis ipsa sancta anima sustinuit; et præter has, quam duras corporis pœnas in jejuniis, in vigiliis, in orationibus ipse sibi adscivit, et, quod jam libere dicendum est post navigantis felicitatem, quibusdam vinculis et nexibus ferreis, solo Deo teste, membra sua ita damnaverat, ut vix humana caro hoc tolerare potuerit. Cilicium ei semper asperrimum interius adhærebat, desuper vero mediocri et communi veste indutus apparebat. Multiplices etiam et diversos labores sustinuit pro pace Ecclesiarum, pro statu suorum locorum, pro utilitate proximorum et propriis periculis quæsivit tranquillitatem universorum. Scis et tu misericors et miserator hominum, Jesu Christe, ad comprobandam ejus patientiam quam gravissimos dolores et acerbos cruciatus dederis sibi in occulto : et tamen in his invictum tenuit animum, tanquam bona terra fructum reddens in patientia, dicens se majora mereri quam patiebatur supplicia. Animarum redemptor, Domine, qui ad hoc percutis ut sanes, ad hoc mortificas ut vivifices, secundum multitudinem illius præteritorum dolorum, succedant sibi consolationes tuarum sanitatum et lætitia cœlestium gaudiorum.

CAP. XIII. — *De temperantia et renovatione suorum locorum.*

Temperantia, quæ ultima in catalogo propositarum virtutum est, in sui definitione modum et ordinem servat eorum quæ dicenda sunt, vel agenda. In quo virtutis officio tantum valuit, ut in omnibus actionibus et imperiis modum teneret, ordinem servaret, et discretus mirabiliter existeret. Jejunia in aurigæ modum, secundum beatum Hieronymum, pro lassitudine et viribus corporis moderabatur ; et sic apposita quæque libabat, ut et superstitionem fugeret, et continentiam reservaret. Cultus ipse nec munditiis, nec sordibus notabilis erat. Gravitatem morum hilaritate frontis temperabat. In corrigendis vitiis pro modo et tempore severus, in remittendis gratiosus, et in utroque æqua lance libratus. Hæ vero quas proposuimus in eo relucebant virtutes, et in has concurrebant cæteræ omnes. Tota enim cerneres in illo exempla virtutum. Ita in singulis eminebat, quasi cæteras non haberet ; ita omnes retinebat, ut nulla deesset ; ita etiam affabilem se et benevolum subjectis exhibebat, ut magis vellet diligi quam timeri, magis prodesse quam præesse. Quis unquam de hoc viro quod displiceret audivit ? quis audivit ut crederet ? quis credidit ut non magis se ipsum malignitatis et infamiæ denotaret ? Ipse enim sibi auctoritatem dabat, qui in omnibus suis actibus vel actionibus A euformis et compositus coram Deo et hominibus apparebat. Et præter hæc interiora, fuerunt in eo extrinsecus gloriosa studia in ædificiis sanctorum locorum construendis, renovandis, et ornamentis undecunque acquirendis. Demonstrat hoc Cluniacus suus principalis locus, in cunctis ædificiis interius et exterius, præter parietes ecclesiæ, ab ipso studiose renovatus, et ornamentis multipliciter adornatus : ubi etiam in novissimis suis claustrum construxit, columnis marmoreis ex ultimis partibus illius provinciæ, ac per rapidissimos Durentiæ Rhodanique cursus, non sine magno labore advectis mirabiliter decoratum : de quo solitus erat gloriari, ut jucundi erat habitus, invenisse se ligneum et relinquere marmoreum, ad exemplum Octaviani B Cæsaris, quem describunt historiæ Romam invenisse lateritiam (10) et reliquisse marmoream. Incœpit etiam ciborium super altare sancti Petri, cujus columnas vestivit ex argento cum nigello (11), pulchro opere decoratas. Jam vero de omnibus monasteriis suis quid Paterniacus (12) ob Dei Genitricis amorem, sibi delectabilis locus? Romanum monasterium a fundo constructum, locus sancti Victoris Genevensis, præter suam antiquam et nobilem ecclesiam ex toto etiam suo tempore constructus, Carus locus, Amberta valde celebris ecclesia, Rivis ex toto, Celsinanias, Silviniacus, translata Firmitas, monasterium sancti Saturnini, apud Papiam sancti Maioli nobilissimus locus, et præter hæc diversarum ecclesiarum multiplex numerus, hæc omnia illius industria suo tempore in ædificiis, in possessionibus et C ornamentis amplissime dilatata creverunt. Construxit etiam in ultimis vitæ suæ in prædiolo genitorum suorum quoddam monasterium, Volta (*la Voute*) a revolutione aquæ circumcurrentis nuncupatum, studioso opere decoratum, quod de redditibus suorum amicorum antiquorum et parentum, prout potuit, ad serviendum Deo hæreditavit, et competentibus libris vel ornamentis decenter adornavit. Si inimici subsanaverint, vel amici reprehenderint me hæc superflue posuisse, noverint profecto, noverint hæc omnia ad virtutes animi ejus spectare, et pro talibus patrocinia sanctorum feliciter promeruisse atque coronam beatæ retributionis jam a Domino percepisse. Quid jam, agimus anima ? cur tam prolixas D circumlocutionis moras innectimus ? sic differre volumus mortem, et vitam facere longiorem, quasi timeamus venire ad ultimum. Manet adhuc illa sententia primo homini data : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Quotquot post hanc venerunt, omnes præterierunt, et mortis legem persolverunt. Mortui sunt patriarchæ, prophetæ et apostoli, reges,

(10) Sic codex Crespeiensis, alius cum Bollando *ligneam*. Nostra lectio videtur melior, quod auctor videatur alludere ad Augusti Cæsaris dictum de urbe Roma.

(11) Sic mss. pro quo Bollandus legit *jugello*.

(12) Monasteria aliunde nota fusiores non exigunt hic notationes. Paterniacum et Romanum in diœcesi Lausannensi sita Odilo ab Adhelaide habuit. Carus locus in pago Matisconensi situs, datus est S. Odoni a Roberto episcopo Valentiæ et Edwardo ejus germano. Amberta ad pagum Lugdunensem pertinet, ad Arvernos vero Rivis, vulgo *Riz*, et Celsiniæ, *Saucillanges*. Silviniacum, *Souvigni*, apud Borbonios, Firmitas, *la Ferté*, prioratus Silviniaco subjectus ; de cæteris alias dictum est.

imperatores, principes, majores et minores; quotquot habuerunt initium nascendi, habent conditionem moriendi; excepti sunt Elias et Enoch, et ipsi in suo ordine, temporibus Antichristi morituri. Moritur Filius Dei; aliter nos, aliter ille; ille potestate, nos conditione; ille voluntate, nos necessitate, quamvis et ipse necessitate, quia pro nostra liberatione. Nisi enim ille moreretur, nos non resurgeremus; moritur ille, ut nos post mortem vitam speraremus æternam.

CAP. XIV.—*De transitu ejus. Quomodo terram ejus beatus spiritus deseruit cœlosque petivit.*

In extremis itaque vitæ suæ felicis memoriæ Odilo per quinquennium novis iterum et gravissimis cruciatibus cœpit vehementer affligi. Qui cum jam mortem vicinam sentiret, sanctorum apostolorum limina adiit, eo voto, ea spe, ut ibi sub tantorum apostolorum protectione debitum mortis exsolveret, sicut semper in votis habuerat. Sed quia non est in hominis potestate via ejus, aliter se res habuit quam speravit. Mansit itaque ibi per quatuor menses, gravissima corporis detentus infirmitate. Aderat sibi dulcis memoriæ Clementis papæ, de quo supra memoravimus, desiderabilis collocutio, et apostolicæ reverentiæ benedictio: frequens etiam monachorum et clericorum grata visitatio, inter quos sæpius revisebat domnus Laurentius archiepiscopus de Malfia (13), vir per omnia sanctissimus, in Scripturis utriusque linguæ, Græcæ videlicet et Latinæ, facundissimus, istiusque nostri Patris familiarissimus: quorum uterque animus conglutinabatur individui amore spiritus. Postquam vero contra spem convaluit, fultus sanctorum apostolorum suffragiis, et munitus benedictionibus apostolicis ad propria rediit; Cluniacum venit, et ibi per totum fere annum semetipsum, in quantum infirmitas concessit, jejuniis, orationibus et vigiliis vehementer afflixit; fratres ibi manentes et supervenientes piis exhortationibus instruxit, et velocem sui corporis depositionem imminere prædixit. Decreverat post hæc ut monasteria sua et cellas circuiret, fratres visitaret, paternis admonitionibus instruendo ad meliora provocaret, et sic demum quocunque secederet, ibi suam sollicitus vocationem exspectaret. Hoc opere incœpto, Silviniacum venitur, quo prædecessor suus sanctus Maiolus moritur et sepultus requiescit. Ibi itaque non paucis diebus commoratus, cum instaret jam adventus Dominicæ Nativitatis, et ipse tanquam vox præcurrens, de die in diem populo tantæ festivitatis gaudia in suo sermone publice denuntiaret, subito illi sui diuturni cruciatus, et antiquissimi dolores simul ad vitalia congregantur, et de ejus vita, heu, proh dolor, desperatur! Ut est ecclesiasticæ consuetudinis, fratres cum psalmis ante eum veniunt, secundum apostolicam sententiam oratio fidei super eum celebratur, mysterium vivifici corporis et sanguinis sumitur, pax fratribus præbetur, et ad ultimum illa salutifera crux nostræ redemptionis, et imago crucifixi Domini nostri ad orandum præsentatur. O Domine Jesu! in illa hora quæ suspiria, qui gemitus fuerunt! quæ recordatio et confessio delictorum, quæ glorificatio tuæ majestatis, quæ invocatio tui nominis, et quæ memoria tuæ passionis et nostræ redemptionis! Ita enim suspensis oculis, et lacrymarum imbribus plenis contemplabatur et compatiebatur tui vultus imaginem, quasi iterum te videret crucifigi et mori. Astabat tibi totus suspensus cum Maria matre, pertransiebatque animam illius acerrimæ compunctionis gladius. Nescio corporeis an incorporeis oculis respiciebat e latere inimicum insidiatorem humani generis, qui nec ab ipso Domino conatus suæ fraudis abstinuit, contra se stare. Videres illum, et libero clamore audires quibusdam terribilibus contradictionibus eum increpare, et ut a se longe recederet imperialibus verbis jubere. Et ut verbis ipsius loquar: « Tibi, inquit, humani generis inimice, interdico per virtutem Domini mei Jesu Christi et per vexillum sanctæ crucis, averte a me machinas tuas, occultas et apertas insidias, quia crux Domini mei vita mihi, mors tibi. Crux Domini mei mecum est, quem semper adoro, semper benedico et nunc in manibus ejus spiritum meum commendo. His ita expletis, appropinquabat jam solemnitas Dominicæ Nativitatis, in quibus diebus solemne sibi in vita sua fuerat, ut magis gratiosus et officiosus appareret. Vigilia vero adveniente, in capitulo cum fratribus procedit; nuntium cœlestis oraculi et venturæ festivitatis audit; genua flectit, adorat, orationem terminat. Post hæc tam festive et luculenter, ut nunquam melius ante in vita sua fecerat, sermonem perorat, de sua morte dolentes fratres consolando relevat, de Dei misericordia sperare post mortem suam denuntiat, deinde cum illis gaudiis tantæ festivitatis interesse sollicitus procurat. Sed quia jam pene exanimis in majori ecclesia sancti Petri, quo conventus fratrum conveniebat, interesse non poterat, in ecclesia Dei genitricis et virginis Mariæ, aliquibus fratribus secum detentis, quasi quidam festivus præcentor, psalmos et antiphonas imponebat, benedictiones dabat, et quæque officia tantæ festivitati congruentia, oblitus corporeæ infirmitatis, lætus persolvebat. Jucundus enim et festivus, festive, non jam per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem, Dominum venientem suscipere volebat, et ad hoc toto desiderio suspirabat. Erat certe sollicitus valde, ne minus imparatum se inveniret jam imminens divinæ vocationis exitus. Viribus itaque corporis ex toto pene deficientibus, per totam solemnitatem bajulorum manibus per singulas horas dierum ac noctium, et celebrationes missarum ad ecclesiam defertur, vivificis

(13) Legendum *de Amalphia*, et quidem Petrus Damiani habet *Amalfitanus*. Is est Laurentius Amalphitanus archiepiscopus, qui ex monacho Benedictino hujus Ecclesiæ antistes factus, eam egregie administravit usque ad annum 1049, quo, ut ex cap. 17 infra discimus, obiit.

semper mysteriis recreatur, et diem suæ vocationis circa festivitatem Dominicæ Circumcisionis imminere pro certo testatur ; memorans illius perfectissimi viri domni Willelmi abbatis Divionensis in eadem sancta Circumcisione obitum, qui propterea eadem die coronam accepit divinæ remunerationis, quia semper pie compatiebatur tenera vulnera Dominici cruoris, videlicet secundum Hieronymum, injuriam Circumcisionis. Simili modo et iste in humanitate Salvatoris, eamdem habebat qualitatem affectionis. Igitur utrique uno eodemque afficiebantur pietatis genere, simili quoque de hoc mundo vocantur solemnitatis tempore, non dispari etiam in cœlis refulgent claritate. Fuerunt enim inter se, dum viverent, amici indissolubiles, in sancta professione æquales, et in omni morum honestate non dispares. Suspensus itaque tali exspectatione, totum illud tempus pene sine cibo et potu transigebat. Et mirum in modum rem privatam et communem, ac si nihil pateretur, disponebat, et de corporis sui compositione vel sepultura, lætus et alacer, quomodo fieret commendabat.

Advenerat sancti Silvestri pontificis festivitas, et vigilia exspectatæ Circumcisionis, cum subito ante lucem magis ac magis urgeri cœpit ad extrema mortis. Mysterium corporis et sanguinis Domini cum festinatione requirit, fideliter agnoscit, devotus sumit ; iterum crux adoratur, iterum diabolus repellitur, et ne ad se funestus propinquare audeat, imperialibus verbis iteratis prohibetur. Succedente vero die, contra malignorum spirituum illusiones cogitationumque pessimarum incursiones, pro scuto fidei symbolum coram omnibus legitur; Augustinus exponens introducitur, intente auditur, in sermone etiam cum astantibus replicatur. In longum diem lectio prolongatur, atque in ultimo certamine positus animus, in virtute fidei solidatur, morsque inter hæc paulatim claustra carnis irrumpens ingreditur. Fratres ante eum venientes denuo salutantur, paternis exhortationibus et benedictionibus instruuntur, muniuntur, et ut de vocatione sua solliciti sint admonentur. Consultus de successore : Hoc, inquit, in Dei dispositione et electione fratrum committo. Post hæc ad vesperum dies trahitur, vespertina officia a fratribus persolvuntur, et ipse bajulorum manibus ante sanctum altare Dei genitricis Mariæ cum lecto defertur. Rem miram! psalmos imponit, cum psallentibus moriens psallit; et sicut ad tale spectaculum, doloris, cum a fratribus in tristitia mortis ejus positis aliqua psallendo negliguntur, ab illo emendantur, et quod ab illis obliviscitur ab illo recordatur. His expletis, ut fratres exirent innuit, et ipse aliquandiu in oratione mansit. Postmodum quando voluit, ad domum reportatur. Quidnam ageret conventus fratrum sollicitus requirit. Erat enim Sabbatum. Nox jam interveniebat, et ipse de mandato abluendorum pedum, ne hora prolongaretur a fratribus, sollicitus erat. Cum inter ista spiritus ejus in mortem resolvitur, subito pene exanimis redditur, inter manus tenetur; cilicium a fratribus festinanter in terra sternitur, cineres sparguntur, et sanctum corpus superponitur. Tandem resumpto spiritu, ubi esset quemdam fratrum suæ senectutis bajulum, nomine Bernardum, requirit. Quo dicente, domine in cinere et cilicio, Deo gratias respondit. Deinde si infantes et conventus fratrum adessent sollicitus interrogat. Cui cum responsum esset omnes præsto adesse : tandem respiciens crucem astantem, visus oculorum in illam dirigit, et motu labiorum quædam ultimæ orationis verba sub silentio profert. Et ita sine ulla concussione corporis, et sine aliqua habitudine incompositæ affectionis, clausis oculis in pace quievit. Corpus ejus a fratribus, quibus ipse jusserat et quemadmodum ordinaverat, lavatur, aromatizatur, componitur, in gestatorio sibi consueto collocatur ; ante sanctum altare ad ecclesiam defertur, et per triduum propter fratres undecunque ad sepulturam concurrentes reservatur. Jam vero ad exsequias funeris ejus, non dico solum villa, sed pene tota provincia venit. Videres hinc alios dolere, hinc alios gaudere, et tamen omnes flere. Flebant alii præ gaudio tanto donati patrono; flebant alii præ dolore tanti Patris destituti solatio. Jam vero post triduum, expletis de more exsequiis, cum magno psallentium choro, discipulorum suorum manibus ad sepulcrum in eamdem ecclesiam defertur, et decenter in loculo novo de petra exciso, ut decebat, sepelitur. Decessit vero vir sanctus nocte Circumcisionis Domini nostri Jesu Christi, in prima vigilia noctis, quæ etiam Dominica habebatur, ætatis suæ anno octogesimo septimo, ordinationis vero quinquagesimo sexto, anno etiam Dominicæ incarnationis millesimo quadragesimo nono.

Cap. XV. — *Commendatio animæ.*

Nunc jam, Domine Jesu, illius animam tibi commendamus, quem defunctum tenere non possumus. Gaudemus quia tale munus ex te habuimus; dolemus quod tam cito amisimus. Absentiam ejus ferre non possumus, sed in hoc consolamur, quia esse tecum eum speramus. Cur enim, Domine, non tecum sit ibi qui hic nunquam voluit a te separari? Quis unquam illo magis te dilexit? quis illo magis te secundum suum velle et posse glorificavit? Pro te cum dolentibus dolens exstitit, pro te multos labores sustinuit, pro te pauperibus multa ministravit. Et quid dicam, Domine? Licet sanguinem pro te non fuderit, tamen martyrii fructu non carebit; quia hoc si necesse esset totis viribus ferret [*ms.* 1 vellet], et quia hoc esse non potuit, ipsi sui diuturni cruciatus et labores passionibus sanctorum tuorum reddentur æquales. Si quid, Domine, virtutis et gratiæ in eo refulsit, totum de tuo et suo fuit, de tuo per gratiam, de suo per voluntariam obedientiam. Tua gratia præcessit, illius operis effectus successit. Jam animarum sanctarum susceptor, Fili Dei Jesu Christe, laborum illius sis perpetuus remunerator, et sis nostri in illo et per illum clemen-

tissimus consolator, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum, amen.

CAP. XVI. — *Qualiter sanctus vir apparuerit cuidam monacho.*

Eadem vero nocte qua vir sanctus discessit, quidam frater, Gregorius nomine, Ninivita (14) natione, simplicis naturæ et innocentissimæ vitæ, illo, sicut diximus, in ecclesiam deportato, lassitudine et infirmitate gravatus, ad proprium stratum in eamdem domum, in qua sanctus obierat, rediit, et se quieti dedit; qui necdum in somnum plene resolutus, eumdem Patrem sibi astare vidit. At ille præsumptibili voce : Quid agis, inquit, domine? Ipse vero : Bene, frater, et optime, respondit. Nam Dominus meus Jesus Christus per semetipsum dignatus est venire ad servum suum; sed in hora meæ discessionis ibi in angulo, ostendebat autem quasi digito locum; vidi trucem et valde terribilem figuram, quæ me sui horrore et ingenti deformitate terrere voluit; sed Domino mihi præsente, nocere non potuit. Hæc dicens recessit. Frater vero inde surgens, quæ audierat et viderat fratribus qui ibi tunc aderant, et nobis postmodum in veritate narravit.

CAP. XVII. *De simili visione.*

Succedente vero Quadragesima, domnus Laurentius archiepiscopus, de quo supra diximus, Romæ moritur. Aderat devotus in exsequiis ejus quidam clericus, Albero nomine, natione Teutonicus, genere nobilissimus, patri Odiloni dum viveret familiarissimus, qui cum domno papa Leone, sibi proximo parente, Romam advenerat ea tempestate. Is itaque, memorato archiepiscopo defuncto et ad ecclesiam deportato, lassitudine cogente, se sopori dedit in quodam ejusdem ecclesiæ angulo, cum subito adhuc pene vigilanti, Odilo vir beatus apparuit. Cui cum ille tremens et pavidus amicabili voce diceret : Domine, quando huc et cur advenisti? Ad exsequias, inquit, fratris nostri domni Laurentii archiepiscopi veni : quibus expletis, hinc recedens quin viderem te præterire nolui. His dictis, visio disparuit. Ipse vero postmodum hæc nobis et pluribus aliis in veritate narravit.

Epitaphium jam terminetur, ne mentibus audientium longæ orationis fastidium generetur. Verumtamen in calce sermonis compendiose dicatur, Odilonem ex multo tempore terminum vitæ sibi optasse, sed secundum Apostolum, subditorum cogente necessitate, per Dei gratiam tam diu in carne mansisse. Erat certe præsens vita sibi tædium, et mori lucrum. Usque ad effusionem lacrymarum multoties dolebat coætaneos et juniores suos præcessisse, et se dolorum videre miseriam superstitem remansisse. Videbatur sibi inter alios esse peregrinus, quia paucorum illi discretus et moderatus consentiebat affectionis habitus. Compungebatur sæpius, quia de mundo pene recesserat totius honestatis decus, et ingenitæ bonitatis virtus. Heu me! quia incolatus meus prolongatus est, cum David frequenter canebat, et secundum Apostolum dissolvi et cum Christo esse multo melius eligebat. Quia ergo jam recessit ut voluit, luctus funeris ejus cum sermone claudatur, et requies ejus in Jerusalem omnibus diebus iterum atque iterum imprecetur, et per omnia sæcula sæculorum repetatur. Amen.

Odilo cum Christo tu vivas semper in alto :
Odilo perpetuam capias tu sancte coronam.
Odilo virgineus temet præcedat et agnus :
Currere post valeas, lætus vestigia tangas,
Illius unguenti pleno perfusus odore,
Quo recreat mentes [*ms.* 1, animas] diffuso no-
[mine sanctas,
Quo caput ipsa Dei perfudit odore Maria,
Ex se peccatrix, divino munere felix.

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRO SECUNDO.

In superiore libro, vel potius denominato epitaphio, de moribus patris Odilonis, et animi virtutibus, etsi non ad plenum, tamen secundum quod potuimus diximus. Signorum vero inquisitoribus, et meritum cujusque in miraculi novitate (15) metientibus id dicendum est, quia divinæ dilectionis prærogativa ponitur, non in ostensione signorum, sed in perfectione virtutum. Neque enim miracula vel signa nos Deo commendant, sed virtutes operum perfectos esse demonstrant. Cum et Judas simul cum apostolis signa fecerit, et reprobi in die judicii foris a regno exclusi, dicant : *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine multa signa fecimus?* (*Matth.* VI.) Et ipse Dominus in Evangelio sanctis apostolis a prædicatione redeuntibus dicat : *Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia subjecta sunt vobis; sed in hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X, 20). Cum ergo hæc ita sint, vanum est pro magno ducere, quod constat reprobos aliquando cum electis habere. Tamen ne noster Odilo ab hac etiam gratia excludatur, dicenda sunt pauca de multis, quæ Dominus noster ad laudem et gloriam suam, et ad illius meritum hominibus commendandum, ante mortem, et post mortem dignatus sit demonstrare.

(14) Mss. 2, *Ninevita*. An a Niniva Flandriæ oppido, medio inter Bruxellas et Aldenardam in comitatu Alostensi? Petrus Damiani apud Bollandum habet *Juveneta*.

(15) Cod. S. Germ. *miraculis novitatum*.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAP. I. — *Quomodo quondam puer liberatus sit divinitus a gravissima infirmitate.*

In exordio vero virtutum ejus, dicendum est quid illi contigerit cum adhuc puer esset, quod ne cui videatur incredibile, ab ipsis agnovi quibus ipse solitus erat narrare. Dum adhuc puerulus in domo patris nutriretur, antequam etiam scholis daretur, contigit ut membrorum omnium pene virtute privaretur, incedendique vel per se movendi ei possibilitas negaretur. Accidit vero quadam die familiam patris ejus de loco ad locum mutari, et infantem sub custodia nutricis servulorum ministerio bajulari. Cumque in medio itinere ad quamdam ecclesiam in honore Dei genitricis Mariæ consecratam divertissent, deposuerunt puerulum cum sarcinulis ante ostium ejusdem ecclesiæ. Erant autem domus B adjacentes eidem basilicæ, in quibus necesse erat illis quædam victualia quærere. Dum vero diutius in his implicarentur, videns se puer solum relictum, inspiratione divina attractus, cœpit tentare si quo modo ad ostium posset accedere, et ecclesiam Dei Genitricis intrare. Itaque virtute qua poterat, manibus et pedibus reptando, ostium attigit, ecclesiam intravit, ad altare usque pervenit, pallam altaris manibus arripuit ; deinde summo conamine brachiis in altum protensis surgere conabatur, sed nodis diu male ligatis retinebatur. Vicit tandem [*al. cod.*, tamen] divina virtus, redintegrans pueri languidos artus, atque mirabili modo Dei Genitricis interventu surgit, et stat super pedes sanus, et in circuitu altaris hac illacque discurrit. Clientes vero postmodum ad sarcinas redeuntes, et puerum non invenientes, mirati valde cœperunt illum ubique locorum requirere ; et non invento, nimis inter se conturbati, tandem casu ecclesiam introeunt, vagantem et discurrentem per ecclesiam conspiciunt, divinæ virtutis potentiam recognoscunt, puerum lætabundi in ulnis accipiunt, quo tendebant perveniunt atque parentibus incolumem et sanum cum magna lætitia reddunt. Ostendebat jam Dominus in puero, quam gratus et acceptus sibi deberet esse in futuro, quem necdum pene loquentem, vel aliqua discernentem, misericorditer liberavit a tantæ contractionis vinculo. Erat autem præsagium Dei Genitricis ecclesia, quam D ipse dum ad liberam scientiam et ætatem pervenit, omnibus votis dilexit, coluit atque pro viribus in omni vita sua glorificavit. Refertur etiam quod jam adultus ætate, in ecclesiam simili modo in honore Dei Genitricis consecratam intraverit, et nullo alio nisi Deo teste, semetipsum collo mancipatum eidem altari tradiderit dicens: O piissima virgo et mater Salvatoris omnium sæculorum, ab hodierna die et deinceps me in tuo servitio habeto, atque in omnibus meis causis, misericordissima advocatrix, mihi semper adesto. Post Deum enim a modo nihil tibi præpono, et ultroneus in æternum meipsum, tanquam proprium servum, tuo mancipatui trado. Hæc de pueritia ejus dicta sufficiant, nunc veniendum est ad illa quæ, jam in perfectiori ætate positus et regimine abbatiæ decoratus, Domino cooperante fecerit. Verum plurima quæ in prima fronte dicturus sum ipse non vidi, sed duobus monachis ejus, Petro videlicet monasterii sancti Maioli, quod apud Papiam est præposito, viro scilicet religioso et Syro (16) cujusdam monasterii abbate, per adnotationem fratris Bosonis, miræ simplicitatis et innocentiæ monachi, sicut rogaveram dum hoc opus inciperem, referentibus agnovi. Fuerunt enim prædicti fratres probabiles viri, patris Odilonis admodum familiarissimi, secretorum etiam illius in pluribus conscii, et itineris vel laboris per multa tempora socii. Quapropter ea quæ ab illis referuntur, tanto credibilia sunt, quanto illos certissime constat narrare illa quæ oculis viderunt, auribus audierunt, manibus etiam tractaverunt, atque ut certo tempore nobis et multis nota fierent, prudenti (17) memoriæ commendaverunt. Ideo vero hanc nostram relationem probabilium virorum testimoniis cingimus, ne ab æmulis gratia cujusquam falsæ adulationis hæc finxisse judicemur. Sicut enim Gallus in Sulpicii Severi et Posthumiani dialogo refert de Martino, C non indiget ut mendaciis asseratur Odilo, quem Christus jam, ut pia fide credimus, glorificavit in cœlo, atque diversis virtutum signis celebriter commendat in mundo. Absit enim me nisi visa et experta, et a fidelibus personis sive idoneis testibus relata, de tanto viro aliquid mendaciter fingere vel narrare.

CAP. II. — *De cæco illuminato.*

Exiens quodam tempore beatissimus pater Odilo a Cluniaco celeberrimo loco, devenit ad quemdam sui juris locum, non longe ab eodem monasterio situm, nomine Besorniacum [*al.*, Bersoniacum]. More sibi consueto ecclesiam petiit, ut Christo Domino persolveret vota orationum : inde se domum recepit, quæ ipsi ecclesiæ contigua videtur. Accenso autem igne, quia frigus erat, cœpit sedendo gelidos artus calefacere. Postmodum vero oculorum orbes hac illacque volvens, conspicit eminus puerum, cujus faciei effigiem pulchra manus superni opificis decoram effecerat. Interrogat quis esset. Aiunt circumstantes: Servitutis vinculo in vestro, domine, servitio annexus tenetur. Et sanctus : Quomodo, inquit? Filius

(16) Aliqui codd. habent *Syrone*. Hic porro est Syrus abbas, qui Vitam S. Maioli in litteras retulit.

(17) Avulso hic in codice nostro S. Germani folio, hiatus, qui interdum occurrunt in Thuaneo usque ad cap. 5 suppleri non potuerunt.

est, inquiunt, villici vestri, qui licet videatur decorus aspectu, caret tamen oculorum visu. Tacuit Deifer heros, et animum ad spem reformans, Altitonantis clementiam tacita prece invocat. Et advocans parvulum, damnatis cæcitate oculis signum imprimens Dominicæ crucis, quæ natura minus dederat, virtutum Deo cooperante, illico accommodat. Moxque videntem remittit ad propria ovantem. Amabat enim pueros, non lasciviam sectans, sed ætatis innocentiam pie in illis amplexans..... *talium est enim regnum cœlorum* (*Matth.* XIX). Quis loquetur magnalia Dei, fratres charissimi? Cernimus namque impleri veridicum dictum Christi : *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet* (*Joan.* V, 36). Egit quidem simile opus potens Salvatoris dextera, commorans in carne humana : et nunc eodem insigni miraculo servum suum magnificare dignatus est in nostri temporis ævo, ut facile quis perdiscere queat, quanti æstimandus sit qui opere consimili, Domino sæculorum rege cooperante, meruit sublimari.

CAP. III. — *De aqua in vinum conversa.*

Degebat aliquando sanctus Odilo in quodam suo cœnobio, quod nuncupatur Aurea vallis, loco scilicet religioso, et fratrum illic commanentium sanctitate famoso. Aderat ille primus dies jejuniorum, quæ Domini Pascha præcedunt, in quo et cineris super capita impositio suscipitur, et arduæ inceptio abstinentiæ a fidelibus inchoatur. Dei itaque cultor consuetum morem explere cupiens, cum jam hora diei nona fratres, modico cibo percepto, lectioni vacarent, clam cinere impleto pugillo consedit ad mensam, et cœpit secundum Psalmigraphi dictum, pane simul cum cinere fessum corpus reficere. Innuit vero cuidam fratri, ut sibi aquæ potum deferret, quo imbecilles artus arido edulio sustentaret. Attulit ille quod jusserat. Ut vero applicuit labiis, ecce saporem odor aquæ contulit vini, substitit ille, et quasi ignarus, iterum fratri ut aquam deferret, innuit manu. Qui miratus se aquam obtulisse significavit. Tandem evacuato vase, iterum idem aqua plenum detulit Patri. Attigit ille summotenus ore, denuo vinum pro aqua cœpit redolere. Vir ergo beatus Dei pietatem erga se persentiscens, humili devotione quod Deus miserat sumere non recusavit. Ecce..... in Cana Galileæ convivantibus de aqua vinum exhibuit. Nunc vero famulo suo sponte se atterere volenti, pallentem lympham in vini saporem convertit. Quali vero cordis jubilo, vel qua mentis fiducia æstimandus est tunc tripudiasse, cum ita de se Deum curare cognovisset? Potuit tunc Psalmistæ verbis concinere : *Dominus sollicitus est mei*, vel sicut alibi dicitur, *Dominus curam habet mei.*

CAP. IV. — *De furto apud Papiam invento.*

Eo tempore quo Heinricus rex ad arcem Romani imperii festinabat, ut de regno ad imperium promoveretur, comitabatur cum eo beatissimus Odilo, et gloriosissimæ Virginis adorandum partum utrique celebraverunt apud Papiam, ditissimum Italiæ oppidum. Expletis itaque illius diei sacris hymnorum officiis, consedit senior cum fratribus ad mensam, ut sumptis ciborum dapibus, amissas revocarent vires. Erant autem discumbentes multi, atque obsequentes non pauci; inter quos quidam fraudis possessor se velle obsequi simulans, captabat oculis quomodo aliquid quiret furari. Cernens igitur mappam operosam super viri Dei mensam, illectus cupiditate lethifera anhelabat patrare, quod cupiverat iniqua mente. Postquam ergo exempta est fames epulis mensæque sunt remotæ, illis sua curantibus, ille malignus casu repertam mappam subito rapuit, et discessit festinato, gaudens de inventa præda, et ignarus quanta sibi in proximo futura erant membrorum detrimenta. Altera vero die hora competenti apposita mensa, requiritur quod deerat. Orto inter clientes de amissa mappa querelarum murmure, dapsilis Pater hoc parvipendens : Afferte, inquit, aliam, et ne tale aliud ulterius accidat solliciti estote in posterum..... postmodum beato viro simul cum rege, malignus ille rem male sublatam detulit in forum venalium rerum; sed distrahi nullo modo potuit, quia hoc ille iniquus possidere non meruit. Semel, bis terque frustra conatus, tandem rubore frontis confusus casam repetit inanis : et ecce divina ultio scelestum facinus in injuriam sui servi perpetratum extemplo vindicat. Subito enim manibus pedibusque arefactis, miser et miserabilis simul cum furto sancti Maioli [*supple* ad ecclesiam] defertur, in terram ponitur, mappa vero sursum appenditur. Fit concursus populi, constipatur ecclesia multitudine innumerabili, meritum Odilonis quale sit agnoscitur, et beatus Maiolus ut opem misero ferat omnium votis exoratur. Tandem divina pietas inolitis miserationibus miserum erigit, brachia manusque nativo humore perfundit, bases ejus et plantas consolidat, isque cum omni populo Deum magnificans, ad propria remeat.

CAP. V. — *Item de alio simili furto.*

Alterius etiam furis effera mens simile direptionis damnum supradicto Patri inferre molita est. Morabatur namque jam fatus Pater in denominata Papia civitate, cum ecce in una noctium quidam fur ingressus stabulum equorum, abegit unum, quem præ cæteris perspexerat optimum, et cujus tergo vir beatus sedere solitus erat. Sed quia in eadem urbe non solum homo Dei, verum etiam quæ sui juris erant nota videbantur, veritus ibidem morari, confugit ad Laudense oppidum, ut illic de venditione equi cupitum acquireret pretium. Verum quia Deus semper suorum curam gerit, omnium cernentium corda ita obstrusa sunt, ut nullius ad emendum adhiberetur convenientia. Quod cernens ille malevolus, tactus pœnitudine cordis, et pervidens se nequiter egisse, confestim rediit ad locum suæ fraudis conscium, et mœrentibus famulis repræsentat equum fraude subductum. Nuntiatur hoc viro Dei. Agit ille grates summo rerum opifici, et ne quid molestiæ inferatur latroni, imperiosa prece sæviem-

lium mitigat voluntates. Non enim erat avidus vindictæ, sed nimia cordis benignitate, bona pro malis semper studebat recompensare. Secundum beati Pauli apostoli, qui vas electionis dicitur, admonitionem, nulli malum pro malo alicui volebat unquam reddere, sed omnibus in commune benefacere.

CAP. VI. — *De transmeatione profundissimæ Ticinensis aquæ, et accensione lucernæ.*

Ea tempestate, qua regnum Italiæ quidam nobilis Arduinus arripuerat, et ille magnus Henricus, inter cæteros clarissimus, regni monarchiam consentientibus Italiæ principibus, jam in eodem solo Italico positus affectabat; supradictus Pater transiens per Italiam, devenit ad quamdam aquam, quæ mœnia Papiæ præterfluens, ab australi parte, mutuato a se nomine dat vocari Ticinum. Hanc ergo festinanter transire cupiebat; sed navigium deerat, quo tantæ altitudinis flumen transvadari posset. Confidens itaque de Deo, cui tota mente adhærebat, vocat unum ex famulis, cui nomen Wolveno, et in nomine Domini jubet eum per alta fluminis haud dubie incedere. Mirum dictu! sed tamen omnia possibilia sunt credenti, obedivit illico famulus, et subsequitur post eum dominus, et ita cum omni comitatu absque subsidio cymbæ, sine aliqua læsione, Christo ductore, ventum est ad ripam ulteriorem. Impleta est tunc prophetia sancti Habacuch dicentis: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum* (*Habac.* III, 15). Quid vero mirabilius, vel laude dignius videtur? Quondam populus Israeliticus inter divisiones maris per siccum transivit; nunc vero beatus pater Odilo super ipsas undas æquoris viam sulcavit. Sed quia utrumque Dei munus est, de utroque a nobis Deus magnificandus est. Hoc cernentes qui ibi aderant, putaverunt consuetum aquæ transitum, et ascensis equis id tentare conati sunt; sed priusquam prima vestigia sonipedum ripam tangerent, pene submergerentur, nisi confestim retroacti gradum pressissent. Viso tanto miraculo, unus ex circumstantibus accurrit ad genua sancti viri, orans ut hospitio suæ domus uti dignaretur: cui vir beatus libenter assensum dedit, vergebatur enim jam dies ad occasum. Veniens itaque cum suis ad domum, et charitate illius hominis refectus, dormitum perrexit. In noctis vero medio, jam beato viro soporato, repente ventus aspirans per rimas domus quæ patebant, suo flatu lucernam exstinxit. Expergefactus cubicularius qui ante eum cubitabat, nomine Deodatus, atque exterritus, doluit tenebras irrepsisse, ubi se lucem meminerat reliquisse. Exsilivit a lectulo, et nesciens quo lumen peteret, sumpta fidei audacia, cœpit Deum orare, dicens: O lumen divinum, qui totum illustras mundum, audi me immeritum [*al. cod.*, miserum], et per Odilonem tuum depelle ab hac domo horrores tenebrarum. Nec mora, lux ab æthere fusa illum lætitia et securitate, et domum luminis perfudit claritate. Et ne cui ista incredibilia videantur, o viri fideles et Christiani fratres, Creatoris est miranda potentia, qui devotos ejus animos cernens, taliter illum glorificare voluit, ut lux meritorum ipsius per orbis climata diffunderetur.

CAP. VII. — *De simili miraculo.*

Memorialis dies divinæ visitationis et humanæ salutis, festivitas videlicet Dominicæ Nativitatis appropinquabat, et sanctus Dei Odilo primos dies Adventus Dominici apud Paterniacum, delectabile sibi cœnobium, celebraverat. Inde gressum movens, et per montana paulatim iter faciens, pervenit ad quemdam vicum, nomine Leodonium [*Lons-le-Saunier*], ubi conficitur sal, humanorum ciborum condimentum. Festinabat enim pio desiderio beatæ Virginis partum apud Cluniacum, virtutis et religionis habitaculum, celebrare. Advenerat autem domnus Petrus ab Italia, et in ejus obsequium gradiebatur, in cujus solatio valde pius Pater gratulabatur. Hospitati igitur in prædicto vico, præcepit senior suis, ut essent diluculo parati, et primo mane proficiscerentur, ut diurna itione [*ms.*, diurnatione] peracta, possent attingere ad monasterium sancti (18-19) Marcelli. Imminebat namque ille dies quartæ feriæ, in qua et solemne jejunium, et electio Dei matris in Ecclesia præconatur (20). Illic ergo cupiebat festivum cœlestis oraculi legatum beatæ Virgini directum audire pariter et celebrare. Facto itaque mane carpebant iter, cum jam cœlum nubibus prætectum diffunderet terris immensitatem imbrium impelleretque incommoditates aurarum (21); sed fortem viri Dei animum a statu sui desiderii hæc aspera revocare nequiverunt. Quinimo confortabat socios ne animos frangerent, sed viam constanter explerent. Qui enim non patiebatur vinci a voluptate, invictum se præstabat a labore, quia manebat liber ab omni animi perturbatione. Laborioso igitur itinere cum plurimo spatio diei confecto, venerunt ad quoddam flumen, quod ita intumuerat, ut ultra littoris terminum protensum intransmeabile videretur. Comites vero circumcirca discurrentes, et plurima conantes, meabilem transitum minime reperiebant. Tunc Christi famulus spem in Deum ponens, vocat unum ex famulis, nomine Arbaldum. Videtur, inquit, mihi per hanc partem fluminis inesse cursum meandi. Ergo in Dei nomine securus ingredere, et experiendo disce utrum et nos queamus transire. Ille nihil moratus, agit imperata, transit flumen, et allabitur ad ripam ulteriorem, et emissa voce clamat se omnes sequi posse. Et senior: Non, inquit, sed te ad nos oportebit redire. Transvadavit ille iterum interventu Patris,

(18-19) Hoc monasterium situm est in suburbio Cabilonensi.

(20) Feria quarta Quatuor Temporum, in hebdomada tertia Adventus, qua scilicet legitur Evangelium: *Missus est angelus Gabriel*, etc.

(21) Alter codex, *implereteque incommoditates aurarum*.

æquoris evadens periculum. Præcede ergo, inquit, nos in nomine Domini. Ad lineam itaque cuncti ingredientes, transierunt gurgitem vastum, aquis usque ad partes femorum irrigati; viro autem Dei, sicut testati sunt qui adfuerunt, neque usque ad corrigiam calceamenti aqua potuit diffundi. Ex infusione itaque aquarum, nimioque algore constricti omnes socii, tandem profunda nocte venerunt ad locum diu flagitatum, eximii martyris Marcelli honore dicatum. Facta oratione petierunt domum, et sedentes circa ignem copiosum, alii se calefacere, pars cœperunt vestes mutare. Quorum gravem laborem cernens dulcissimus Pater incaluit cordis, et dictis amicis afflicta pectora mulcet.

O quondam fortes per multa pericula fratres!
Ne vestra vestris frangatis pectora rebus,
Per varios casus per tot discrimina rerum
Tendimus ad regnum cœli, sedesque beatas.
Durate, et hæc olim meminisse juvabit.

Credite meæ parvitati, beata Dei mater, ob cujus obsequium convenistis, hujus vestri laboris erit pia remuneratrix. Post hæc cibo sumpto, fessos artus somni quiete refocillarunt. In crastinum autem completis officiis ecclesiasticis, omnipotentis Dei dono, cibo et lætitia corda fratrum implevit ac deinde Cluniacum pervenit.

CAP. VIII. — *De paucis pisciculis plurimis refectis.*

Lutetiæ (22) Parisiorum proximum est monasterium, sancti Dionysii martyris gloriosi corporis honore præclarum, qui locus a Francorum regibus Hugone et Rotberto, viro Dei Odiloni fuerat commissus, ut monachali ordine et doctrina regularis vitæ proveheretur in melius. In quo cœnobio aliquando Dei famulus commanens, vitæ pabulum et salutis haustum facundo ore suis auditoribus ministrabat. Quadragesimale tempus effluxerat, et dies mysticæ cœnæ nec non et salutiferæ passionis Christi desierant, cum lux lætitiæ, triumphus videlicet Dominicæ resurrectionis, mundo irradiaret. Esus vero piscium in tanta diei solemnitate patri fratribusque deerat. Gerebat tunc officium præposituræ senior Ivo, amicabilis homo, qui bene meritum Patris observare et colere studebat; quique valde mœstum gestiens animum quod sterilitas aquarum sibi non præberet affluentiam piscium: actitabat enim ut undecunque acquireret ejusmodi edulium, sed quæcunque agitabantur minime ad profectum proficiebant. Divina enim providentia id agebatur, ut in nova festivitate novus hospes gurgitis novo etiam homini, secundum Apostolum spiritu mentis suæ de die in diem renovato, Dei munere mitteretur. Sub ipso itaque magnæ diei crepusculo, completo a fratribus celebriter matutinali officio, prædictus Ivo fidem possidens in Deo, de meritis Patris præsumens, movit gressum ab ecclesia, et ad famulorum tendit habitacula. Piscandi gnaros vocat, multa cum eis conquæritat, super capiendis piscibus multa inculcat, nunc pium Odilonem venisse, nunc diem Dominicæ resurrectionis adesse, nunc fratres melodiarum cantu fatigatos fore. Imperat demum in Christi virtute, ut Sequanam fluvium retibus expetant. Ite, inquit, et meritum Odilonis interpellate nomenque Christi invocate: credo enim quia non frustrabitur spes vestra. Id sine mora fidissima clientum turba dant fluvio rete; fluvius ex improviso reddit piscem magnitudine enormem, vocabulo sturionem, in quo fluminis gurgite piscis vix unquam ferebatur a piscatoribus captus esse. Redeunt ergo onusti qui abierant vacui. Præsentatur novus piscis, quem non prædictus fluvius dare solebat, sed Christi largiflua manus suo servo direxerat. Quod videlicet inopinatum miraculum in tanta admiratione est a sancto Patre habitum, ut etiam infantes scholæ, quibus erat invisus et incognitus tantæ enormitatis piscis, ad videndum venire præciperet, et ad glorificationem Dei omnipotentis super hoc beneficio seniores cum juvenibus et pueris magis ac magis accenderet. Agitur dies solemnis pro gloria Dominicæ resurrectionis. Lætantur heroes novitate rei peractæ meritis tanti viri.

Est prope sanctum Dionysium monasteriolum in honore sancti Martini (23) consecratum, et vulgariter ad Publicam Stratam dictum: in quo videlicet loco fratres, qui in prædicto sancti Dionysii monastero causa infirmitatis vel fatigationis manere non possunt, aliquando secedunt. Quadam itaque die vir sanctus fatigatus adveniens, monasterium declinans, causa repausationis illuc divertit. Quod agnoscentes illius monasterii majoris procuratores, mittunt sibi quæque necessaria, sed de piscibus, nusquam enim reperiri apud eos valebant, valde parva munuscula. Interea dum vir Domini privatam requiem se putat habere, ecce subito, sicut ad eum semper frequentia monachorum quocunque locorum veniebat, credo duo abbates cum pluribus monachis accedunt. Quos cum gaudio suscepit, et in longum cum eis sermonem protraxit, atque ad ultimum ut secum prandierent, invitavit. Accedens vero ad coquos et inferiores ciborum, inquirit quid haberent unde suos quos invitaverat hospites reficere posset. At illi cætera quidem utcunque se habere, de piscibus vero pene nihil esse, quod tantæ multitudini valeret sufficere. Pueri, inquit vir sanctus, illi vestram super hoc sollicitudinem committite, qui de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum valuit satiare, et ita nobis hospitibusque nostris plenissimam refectionem præparate. Hæc dicens abscessit; illi vero quod jussum fuerat, diligentius

(22) Hæc usque ad hæc verba *tanti viri* habemus ex unico cod. S. Germani.

(23) Subsistit hodieque ecclesia S. Dionysii de Strata vulgo, *saint Denys de l'Estrée*, ubi visuntur vetustissima sepulcra SS. Dionysii et sociorum. Nulli ibi habitant monachi, quamvis redditus pinguissimi sint, qui a priore commendatario percipiuntur; juxta hanc ecclesiam alia habetur parochiali titulo insignita, sub sancti Martini patrocinio.

ut possunt procurarunt. Quid morer? Ventum est ad mensam, omnes ordinata sede recumbunt. Mira dicturus sum, sicut in veritate testantur qui præsentes fuerunt. Dum a coquis pisces ministrantur, et ab infertoribus ad mensam fratribus inferuntur, ita in manibus comedentium, sive ministrantium illa parvitas piscium vel aliorum ciborum cœpit excrescere, ut abundanter et superabundanter omnes inde haberent, et multa servitoribus remanerent. Tandem finito convivio : Pueri, inquit vir sanctus, parva promisistis, et multa dedistis; famem timuistis, et superabundanter refecistis. Tantum videte ut de plenitudine nostræ refectionis vobis aliquid servetis. At illi nimia cordis lætitia exhilarati, respondent : Adhuc, domine, nobis multa supersunt, quæ nobis et aliis si supervenerint, sufficere possunt. Et si deinceps vestra sanctitas aliqua suadere voluerit, ad credendum in cordibus nostris nulla difficultas erit. Ecce enim contra spem nostræ pusillanimitatis contigit, quod vestra de Deo præsumens fiducia repromisit [*al. cod.*, non diffidit]. Ad hæc vir sanctus : Non hæc, inquit, mea fides, sed vestra obedientia, et meritum hospitum nostrorum promeruit, ut quod sumpsimus pro charitate, divina operante benedictione, valeret nobis omnibus sufficere. Verumtamen nobis et vobis in illo spes est semper ponenda, apud quem omnia sunt possibilia quæ hominibus sunt impossibilia.

Cap. IX. — *De exuberatione vini in parvo vasculo in monte Aventino.*

Huic etiam non dissimile miraculum alio tempore contigit evenisse. In Romulea urbe, quæ sui magnitudine et formositate, nec non et apostolica dignitate arcem totius retinet orbis, reverendus senior Odilo uno in tempore morabatur. Habebat autem hospitium in monasterio sacræ puerperæ Virginis, quod est situm in Aventino monte (24), qui præ cæteris illius urbis montibus ædes decoras habens, et suæ positionis culmen in altum tollens, æstivos fervores aurarum algore tolerabiles reddit, et habilem in se habitationem facit. Ovibus autem spiritualibus intra septa ejusdem cœnobii accubantibus ministrabat vitæ pascua abbas quidam, Armo nomine, beato viro speciali annexus amore. Una igitur dierum veniens domnus Odilo ad mensam, interrogat an tale vinum in promptu haberet, quod suæ imbecillitati accommodum foret. Intimant hi quibus cura erat commissa, minime hujusmodi habere, quod sibi utile valeret esse. Conversus autem homo Dei ad præfatum abbatem, qui suo lateri assidebat : O, inquit, bone vir, si habes quod possit esse utillimum, confer inde mihi charitativum subsidium. Ille hilari vultu placidoque animo jubet illico afferri quantum esset suæ voluntati. Tunc Pater : Hoc nostrum vasculum licet videatur exiguum, modo deferatur plenum. Studebat enim in suis semper esse largus, in alienis vero parcus. Allatum est modicum vas mero plenum, præ se ponit et cœpit more pincernæ illud expendi sibi et abbati juxta recumbenti, et quandiu prandium moras habuit, uterque prout libuit hausit. Alii vero fratres, qui erant vegetiores viribus, alterius liquoris utebantur potu, cui tamen non inerat similis saporis gustus. Jam epulæ defecerant, et a mensa surgendum erat, cum illud vas, velut inexhaustum, videbatur adhuc retinere meri pusillum. Tunc veræ pietatis amator blande subridens : Non, inquit, fratres mei, integram charitatem erga vos modo habui. Accepto confestim parvo holovitreo infudit iterum, et singulis pro benedictione largitur potum. Accidit tunc res stupenda. Cum enim essent fratres fere duodecim, haustis secundum numerum poculis, vinum illico ultra fluere desivit. Lætantibus vero inter se fratribus, et quod evenerat stupentibus, prudentissimus senior infit : Hospes iste noster uberibus eximiæ dilectionis abundare fecit in exiguo vase vinum præstitæ charitatis. Ita opus per se divinitus factum, alterius religione attestabatur actitatum. Excellebat enim in illo pura humilitas, per quam, sicut Apostolus dicit, omnes sibi superiores seque inferiorem arbitrabatur.

Cap. X. — *De quodam homine a febribus liberato.*

Inclyta post hæc Urbe relicta, incedens per aggerem publicum venit ad Taurinense (*Turin*) oppidum, ubi quidam patiens ardores febrium per ablutionem manuum ejus orat sibi dari remedium. Occulte igitur a ministris obtentum recipit infirmus sine mora sanctitatis beneficium, collaudans æterni Patris unicum Dominum Jesum Christum. Sed ne ad aures Patris perveniretur, alto silentio ab omnibus occultatur.

Cap. XI. — *De utribus in usus pauperum evacuatis, et iterum divinitus impletis.*

Inde ad Alpes Jovinas tendens, jamque arduum iter conscendens, obviat egenorum turba, quæ tota simul strepebat, ut præberet stipem necessariam. Illico munificentissimus Pater jussit exinaniri utres vino, et egentium dari desiderio; et statim hoc sine dilatione perficitur. Non multo post aderat competens hora, qua cibi perceptionem exigebat fragilis natura. Discumbunt itaque cuncti, et ecce utres vino vacui, reperiuntur salubri liquore pleni. Obstupescunt omnes, et pro tanto munere divinæ majestati persolvunt solemnes gratiarum actiones.

Cap. XII. — *De vase vitreo confracto et solidato.*

Cum in Pannonia simul cum domno abbate Hugone (25) essem, quadam die cum venerabili viro Richardo episcopo, patris Odilonis nutrito et monacho, cœpi de virtutibus ejusdem Patris collocutionem habere, et ego illum, si qua nosset, ut mihi panderet, sollicitus eram inquirere. Fuit enim sibi ipse episcopus valde familiarissimus, et per multa

(24) Ibi educatus fuit sub avunculo suo abbate Hildebrandus, postea Gregorius VII papa, ut in ejus Vita dicitur.

(25) Cod. S. Germani, *domno et seniore Hugone abbate.*

tempora suorum secretorum conscius itinerisque vel laboris socius. Erat vero inter alia mentio de vase quodam confracto, et orationibus Patris, ut fertur, consolidato : unde ego adhuc incertus, ab illo rei veritatem inquirebam sollicitus. At ille : Recolis, inquit, frater, illam contentionem Albérici episcopi Cumani (26), quam habuit cum Odilone, senioris Odilonis nepote, de abbatia Bremetensi ? Et ego : Recolo certe et bene reminiscor. Dum illa, inquit, contentio esset, quadam die ego et prædictus episcopus in via simul pergentes, et de multis ad invicem colloquentes, inter cætera cœpi eum arguere, cur supradictam abbatiam injuste sibi præsumpsisset acquirere, cum sciret illam primum ab imperatore Conrado traditam esse prædicti Patris Odilonis ordinationi : et inter alia ei cœpi opponere sanctitatem viri, et quia multum audiebantur ab illo laudabilia fieri, inter quæ etiam fama erat de redintegratione cujusdam vasis vitrei confracti. Hoc, inquam, me, respondit Albericus, melius quam te scire fateor; et quia te ex hoc incertum video, ne deinceps sis dubius, audi veritatem apertius. Et ego : Libenter, inquam, audiam, et diligentius animo recondam. At ille : Quodam tempore, ille tuus senior, quem dicis, et abbas (27) ad curiam Henrici imperatoris mei senioris venerat; et dum ibi maneret, accidit quadam die ut in mensa imperatoris vas pretiosissimum vitreum Alexandrini generis (28) cum pigmentis tritis ante eum poneretur. Ille vero advocans me et Landulfum [*ms.*, Laudulfum], postea Taurinensem episcopum, præcepit ut ipsum vas cum pulvere pigmentorum ad mensam senioris Odilonis deferremus, et ei gratia corporeæ salutis daremus. Nos vero, sicut imperator jusserat, vas detulimus, coram abbate ex parte Cæsaris posuimus, et sicut decebat, humiliter inclinavimus. At ille humiliter recipiens, vase retento, præcepit nos redire, et tempore constituto iterum pro vasculo repetendo redire. Nobis vero redeuntibus, sicut humanæ curiositatis est novas et inconsuetas res libenter velle inspicere, cœperunt inter se monachi vas manibus attrectare, alter alteri de manu ad manum tradere : cum ecce de manibus vas labitur, et, ut erat fragile, labendo confringitur. Quod agnoscens vir Deo amabilis, non leviter contristatus ait : Fratres, non bene fecistis, quia pro tali vestra negligentia, juvenibus clericis, sub quorum custodia vas a vobis confractum positum erat, gratiam imperatoris fortasse abstulistis; sed ne illis damnum eveniat qui immunes sunt a culpa, accedamus ad ecclesiam, et Domini super hoc imploremus misericordiam. Ad cujus imperium ad ecclesiam concurrunt, psalmis et orationibus incumbunt, et ne nobis inde innocentibus damnum eveniat, unusquisque pro nobis sollicitus exorat. Finita vero oratione, vir sanctus vas sibi confractum præsentari jubet, oculis inspicit, manibus attrectat : et ecce nihil rupturæ vel confractionis recognoscit. Indignatus vero circa monachos : Quid, inquit, vobis, fratres, videbatur? credo, certe visus vester nescio qua caligine detinebatur. Fingebatis fallaciter fracturam vasculi, cum ecce inde nulla conspiciantur signa periculi. Fratres vero hæc videntes, attoniti stupore miraculi, nihil inde audebant loqui. Post hæc tempore constituto, ego cum socio pro vase repetendo venimus, et a bajulo illius requisivimus. Qui advocans me in partem vas reddidit, et ut imperatori pro magno munere redderem suasit. Quem percunctatus cur talia diceret, per ordinem cuncta quæ acciderant narravit. Ego vero gratulabundus cum socio redii, imperatori quæ agnoveram sub silentio retuli, et super hoc miraculo magno illum replevi admirationis gaudio et insolitæ delectationis jubilo. Supra modum enim eum diligebat illiusque consiliis humiliter adhærebat. De quo etiam talia agnoscens, magis ac magis omni veneratione dignum habebat. Hæc ita mihi Albericus ecclesiæ Cumanæ episcopus in veritate narravit, quæ etiam a pluribus aliis personis vera esse pro certo agnovi.

Cap. XIII. — *De quadam visione cujusdam eremitæ.*

Retulit mihi etiam domnus Richardus episcopus quamdam visionem, quam et ego quondam audieram, sed tunc animo minime retinebam. Quodam tempore, inquit, vir quidam religiosus de pago Rotomensi (*Rodez*) oriundus ab Jerosolymis revertebatur. Transiens autem mare, quod a Sicilia versus Thessalonicam protenditur, pertulit cum pluribus aliis gravissimum ventum in medio positus. Qui navim impellens, appulit ad quamdam insulam sive rupem, ubi quidam servus Dei reclusus manebat : ubi aliquandiu tranquillitatem maris exspectans prædictus vir commoratus, cœpit cum illo servo Dei de multis collocutionem habere. Inquisitus vero a viro Dei unde genus duceret, Aquitanum se esse respondit. Tunc idem homo Dei sciscitatus est si quoddam monasterium quod nominaretur Cluniacum, et Odilonem ejusdem loci abbatem nosset. At ille respondit : Novi, et bene novi, et hoc quare percuncteris scire cupio. Dicam tibi, inquit, et ut animo recondas quæ audieris admoneo. Vicina loca sunt nobis, ex semetipsis manifesto Dei judicio, gravissima eructantia ignis incendia, in quibus animæ peccatorum ad tempus statutum diversa luunt supplicia. Sunt vero ad eorum semper renovanda tor-

(26) Id est Comensis, qui sæpius Cumanus dicitur. Nam inter Cumanos in Campania Italica episcopos nullus Albericus occurrit. At Albericus Comensis episcopus celebris est, qui novam cathedralem ecclesiam a fundamentis exstruxit, vetere, quæ erat extra civitatem, monachis Benedictinis attributa, quæ postmodum ad Cistercienses transiit, ac tandem in commendam tradita nullos nunc habet monachos, teste Ughello tomo V Italiæ sacræ, ubi ex Chronico Novalicensi contentionis hic memoratæ historiam refert. De abbatia Bremetensi, quam nunc Olivetani monachi possident, plura idem auctor. Vide et Lubinum in Notitia abbatiarum Italiæ.

(27) Ms. S. Germani. *Ille tuus, quem dicis senior et dominus abbas.*

(28) Idem. *Alexandrium cum*, etc.

menta multitudo dæmonum deputata, qui eorum pœnas de die in diem restaurantes, intolerabiles magis ac magis exaggerant dolores. Quos tamen sæpius audivi lamentantes, et non parvam querimoniam facientes, quia orationibus religiosorum hominum, et eleemosynis pauperum, quæ fiunt per diversa loca sanctorum, multoties per Dei misericordiam ab eorum pœnis liberarentur animæ damnatorum. Inter cætera vero mentionem et maximam querimoniam noveris illos præcipue fecisse de illa Cluniacensi congregatione, et ipsius abbate. Quapropter per Deum te admoneo, si ad tuos cum prosperitate habueris reditum, ut hæc omnia quæ a me audisti nota facias prædictæ congregationi, et ex mea parte denunties, quatenus magis ac magis insistant orationibus, vigiliis et eleemosynis pro requie [*Thuan.*, redemptione] animarum in pœnis positarum, ut per hæc gaudium multiplicetur in cœlo, et damnum sive luctus inferatur diabolo. Regressus itaque vir prædictus ad patriam, hæc per ordinem sancto Patri et fratribus nuntiare studuit (29). Quod audientes, admirationem non parvam cum maxima cordis lætitia sumpserunt, Domino gratias egerunt, orationes orationibus addiderunt, eleemosynas eleemosynis apposuerunt, et pro requie defunctorum instanter laborare studuerunt. Hac igitur occasione sanctus Pater generale propositum per omnia monasteria sua constituit, ut sicut in capite Kalendarum Novembrium festivitas agitur Omnium Sanctorum, ita etiam insequenti die, memoria generaliter ageretur pro requie omnium fidelium animarum; privatim et publice missæ cum psalmis et eleemosynis celebrarentur, omnibus supervenientibus pauperibus eleemosyna multipliciter daretur : quatenus per hæc jacturam sibi provenire magis ac magis doleret adversarius, et e contrario gratularetur sub spe misericordiæ in hoc laborans Christianus.

CAP. XIV.— *De revelatione domni Benedicti papæ.*

Cum semper observare visiones et somnia vanissimum sit, tamen plerumque fides adhibenda est his quæ eveniunt divina dispositione, aut manifestatione præteritarum rerum, aut ostensione futurorum. De his habemus tam in veteribus, quam in novis tot exempla pene quot volumina. Quapropter huic nostro operi inserere dignum duximus, quamdam visionem memoratu dignam, multis adhuc viventibus luce clarius cognitam, per quam conjicere possumus, quantam apud Deum is de quo sermo est adhuc in mundo superstes promeruit gratiam. Præerat quondam apostolicæ sedi senior Benedictus (30), in Romana nobilitate præcipuus, prudenti ingenio solertissimus, et quantum ad mundanum culmen attinet, urbanis causis aptissimus. Qui beatum Odilonem clara affectione diligebat, et summo studio excolebat; et quoties arcis Romanæ mœniis sui præsentiam vir beatus intulisset, larga liberalitate necessitudinum juvamen exhibebat. Hic ergo mortalis vitæ curriculo jam decurso, corpus terræ animam supernæ remisit potestati. Regimen vero sedis apostolicæ adeptus est Joannes, sibi affinis carnis germanitate. Multum tempus effluxerat cum prænominati præsulis anima, non adepta lucis æternæ consortium, luebat pro commissis pœnale judicium : cum ecce clementis Dei miseratio ad significandum beati Odilonis meritum, manifestare voluit et pœnam illius hominis, et donum suæ immensæ pietatis. Apparuit namque spiritus jam dicti præsulis in revelatione Joanni (31) Portuensi episcopo, et aliis duobus, quorum nomina non recolo, indicans eis quæ circa se gererentur; quia videlicet non splendore lucis, sed pœnarum teneretur in umbris. Monet itaque ut eant ad fratrem, et ocius pio Odiloni legationem dirigat : ipsius enim suffragiis destinavit superna censura illum eripi a tormentis. Recedentibus ergo tenebris, hujus visionis conspectores papam adeunt, quæ injuncta fuerant sibi edicunt. Talia præsul audiens et multum de fratre condolens, rumpit morulas omnes, et pugillarem chartam secundum tenorem visionis descriptam, per prædictum episcopum Joannem beato viro dirigit. Nec mora, fidus legator viam arripiens attigit Papiam, et pertæsus itineris labore, domno Petro cellæ beati Maioli præposito, quæ revelata vel præcepta sibi fuerant aperit; eumque oppido exposcit, ut ipse hujus causæ velox internuntius esse studeat. Ille impiger bullatam epistolam sanctissimo Patri transmittit, et contigit divino nutu, ut isdem Dei servus Cluniaco reperiretur. Delatam itaque epistolam perlegens, convocat nobilem monachorum senatum, et seriatim cuncta perorat. Aperit profunda sapientiæ suæ, multaque replicat, et ne talis legatio parvipendatur exorat. Dein præcipit ut libamina precum et dationes eleemosynarum pro generalis præsulis liberatione solemniter peragantur. Suscipiunt ergo seniores gratanter onus leve charitatis, publice et privatim aures pii Conditoris devotis precibus appellant. Nec tantum in eodem cœnobio, sed ubicunque fratrum cœtus manebat diffusus, præcepto Patris similis persolvitur famulatus. Jam præfixi termini spatium complebatur, cum tot preces et oblationes, atque eleemosynarum largitates aditum divinæ benignitatis penetraverant. Unde et libuit supernæ clementiæ haud dubio relatu id propalare. Erat in prælibato cœnobio quidam senior, nomine Eldebertus, nobilis carne, nobilior spiritu, ministrans egenis eleemosynæ subsidium, cui talis visio per soporem revelata est. Videbat namque quamdam personam decore conspicuo cum multo agmine candidatorum intrare monasterii claustrum,

(29) Cod. S. Germ. *Regresso itaque viro prædicto... fratribus ac religiosis viris nuntiatum est.*

(30) Octavus scilicet, cujus frater ac successor fuit Joannes XIX seu XX, ambo filii Gregorii comitis Tusculani, teste Leone Marsicano in lib. II Chronici Casinensis, cap. 27. Adi Baronium ad ann. 1024.

(31) Hanc historiam refert Sigebertus in Chronico ad annum 1025, sed cum multis mendis. Id tamen observari velim quod dixerit, pontificem a *pœnis infernalibus* Odilonis interventu fuisse liberatum, quibus verbis nihil aliud quam piaculares purgatorii flammas designare voluit.

et usque ad capitulum, ubi domnus Odilo cum sacro senatu residebat, pervenisse, et ad ejusdem Patris genua caput humiliter flexisse. Cumque frater ille requireret quænam illa fulgida esset persona, didicit domnum Benedictum papam Romanum, primæ sedis episcopum, referentem gratiarum actiones pro sua liberatione, quod domni Odilonis et fratrum interventu immane chaos evasisset, et ad supernam beatitudinem evolasset. His visis, expergiscens frater a somno, et tenaci memoria visa et audita retinens, die relucente cuncta per ordinem narrat. Tripudiat tunc sacer senatus, et cum pio Patre æternæ majestati personant vota jubilationis; palam constat omnibus quantum venerabilis Odilo de individuæ Trinitatis gratia possit, per quem uterus mortis raptata præda potuit evacuari.

CAP. XV. — *De quodam puero ab infirmitate gutturis sanato.*

Quodam tempore dum idem vir sanctus apud Paterniacum moraretur, erat ibi quidam puerulus monachus, nomine Rodulfus, quem illa satis horrenda infirmitas, quæ in illis regionibus multis accidere solet in gutture, ita deturpaverat, ita dehonestaverat, ita etiam vocem pene intercluserat, ut in illa parte corporis, non jam species esse gutturis, sed quædam videretur intumescere pestis. Misertus itaque vir Dei tantæ calamitati, puerum ad se evocat, manibus locum tumoris attrectat, signum crucis superimprimit, salutaria quædam verba simul dicit, et sic abire permittit. Mirum in modum ille tumor, sicut in aliis postquam semel affecerit in dies solet crescere, ita versa vice in isto ex tunc cœpit evanescere, et in pristinam formam deturpatum guttur redire, et usque in præsentem diem optata fruitur sanitate.

CAP. XVI. — *De libris et aliis supellectilibus aqua infectis et minime læsis.*

In locis Jurensibus Nantoatis est monasterium, sancto Patri ad componendum regularis vitæ statum a Gisleberto comite traditum. De hoc quadam die egressus, iter agens ad urbem Genevensem, hora jam diei tertia incumbente, transivit fluvium per eadem montana discurrentem. Mulus autem suarum rerum portitor, qui lectulum hominis Dei ferebat simul cum libris absque ductore transiens, devians a publico vado, per profunda fluminis jam cœperat mergi. Concurrerunt omnes, levatis in altum vocibus, conantes opem ferre pereunti. Animal autem valido conatu ab aqua emersum, ad ripam pervenit, capite protenso. Currens vero unus ex famulis extendit manum, ut capistrum arriperet, sed nequidquam. Mutum namque animal nihil intelligens, iterum retroactum natando per profunda ad alteram ripam ejectum est, nihil de se dans videndum, præter solum caput. Ecce autem magnanimus heros per plana incedens veniebat. Intuens vero quæ gerebantur, nil mortale sonans, cygneum caput pileo operiens, antetulit gressum, cœptumque iter progreditur. Inter alios vero qui hujusmodi fluctuatione agebantur, præcipue senior Petrus anxie discurrebat, cui sollicitudo disponendarum rerum Patris commissa erat (32), hic exclamavit cuidam, ut captato ingenio proprius accederet, si quoquomodo animal capere posset. Qui nihil moratus, protensa manu capistrum arripiens, forti adnisu educit mulum ab aquis. Concurrunt cuncti, perniciter equis desiliunt, et exonerato saumario perscrutantur erutam ab aquis Patris supellectilem, lectulum scilicet ipsius atque libros. Quæ omnia Deo teste et his qui interfuerunt, ita intacta ab aquis reperta sunt, ut nullum vestigium infusionis in eis appareret. Mirantur cuncti præ gaudio Deumque magnificant, et tanti viri merita laudibus extollunt. Onerato rursum mulo, ovantes subsequuntur seniorem, et domnus Petrus anticipans cæteros, Patri quod acciderat refert. Qui leviter indignans: Quid, inquit, dicis? num aliquid aquis immersum potest videri non madidum? Confecto itaque itinere, die jam decurso, receperunt se in cujusdam villulæ hospitium. Tunc jussit sibi afferri libros, et cætera quæ de aqua fuerant abstracta, mantilia scilicet ac manutergia: quæ sicut semper ad utilitatem, ita et tunc sine damno aquis reperta sunt madida. Tunc vir benignissimus Deum collaudans, fratribus sic cœpit loqui: O fratres dilecti, cernitis circa nos miram Dei nostri pietatem? Certe quæ recuperare non possemus, si aquis intingerentur, ea conservavit illæsa; quæ vero absque damni discrimine poterant intingi, ipsa passus est madida fieri. Ita nihil sibi, sed totum Deo qui in illo et per illum operabatur, fideli corde tribuebat. Excellens enim erat animus, et humana contemnens, nec desiderabat gloriam quasi mercedem rerum gestarum.

CAP. XVII. — *De quodam puerulo monacho a gravissima infirmitate liberato.*

Quia vero de Nantoacensi monasterio superius memoriam fecimus, dicendum est nobis etiam quid ibi aliquando contigerit evenire. Quodam tempore cum ibi sanctus Pater advenit, puerum nomine Gerardum reperit, quem illa detestanda infirmitas caducæ passionis ita de die in diem vexabat, ut in eo nec vox, nec memoria, nec aliqua membrorum officia remanerent, et pene a mortuo jam nihil distaret. Tali calamitate vir Dei compunctus, fratribus ut pro eo Dominum precarentur rogavit; ipse ad sanctum altare missam celebraturus accedit, ut interesset infirmus præcepit, divinis mysteriis refecit, aquam sanctificatam, ut sibi moris erat, ex calice sancti Maioli bibere compulit. Nec mora, infirmitate fugata, salus optata succedit, et usque in diem præsentem in supradicto homine integra perseveravit.

CAP. XVIII. — *De libro et vasis repertis.*

Gradiebatur aliquando verus Dei amator Odilo per Alpes Jurenses: et subito equus multis oneratus sarcinis lapsus, per devexa montis usque ad pro-

(32) Cod. Thuan. : *progreditur. Tunc domnus Petrus qui præsens aderat, exclamavit.*

funda vallis inter asperrimos scopulos dilabitur. Ruunt præcipites Allobroges frustra nitentes, et ultra vires aliquid conantes. Tandem post multos animi conatus, reperto equo sano, et aliquanta de sarcinulis, cognoscunt deesse librum Sacramentorum aureis litteris scriptum, cum vitreis vasculis anaglypho opere formatis. Quæ res non parum viri Dei mœstificavit animum, verum cum his quæ repererant cœpto itinere gradiebantur. Advesperascente autem die, devenerunt ad quamdam cellam sancto Eugendo abbati jure subditam, ubi honorifice a fratribus illic manentibus suscepti, post exhibitam humanitatem quieverunt. Defluebat autem imber copiosus nivibus commistus. Vir autem Domini intimat fratribus quæ sibi acciderant, summa exposcens prece, ne pigritarentur ad eadem loca scrutanda accedere, si forte auratum librum reperire valerent. Illi vero mente promptissima spondent se exsequi ejus mandata. Quis enim tanti viri precibus non acquiesceret, cui etiam Deus noster plerumque, ut ita dicam, obsequi videbatur. Aurora itaque apparens, missos dirigit, dies subsequens ad loca deducit (33), librum perditum cum vasis requirunt; sed ipso suo labore diutius fatigati sine fructu ad propria redeunt. Erant montes et circumjacentes colles tanta densitate nivium cooperti, ut spes nulla superesse videretur ulterius prædictas res recuperandi. interjectis itaque fere duobus mensibus, cum jam hiemis asperitas prædictorum montium et collium evanescendo faciem denudaret, et de perditis rebus pene jam nulla memoria esset, quidam presbyter, nomine Ermendrannus, locum in quo prædictæ res perierant casu adiit, oculorum orbes huc illucque deflexit, et ecce contra spem librum reperit, quem Christi protectio a nimbis et diuturnitate nivis intactum meritis patris Odilonis servavit. Vasa enim sana invenit, quæ Dei nostri pietas ne frangerentur protexit. Tollens itaque ea quæ invenerat, Gauzeranno abbati sancti Eugendi consignavit, et postmodum jussione ejusdem prædictus presbyter Odiloni patri, dum ad illas Jurensium partes rediret lætus et alacer reddidit : qui quanto gestierit gaudio, ex immensis Deo laudum fusis præconiis qui vult dignoscere poterit.

Cap. XIX. — *De quodam potente a dolore oculi liberato.*

Aliquando dum transiret per pagum Genevensem et castrum Albiense, quidam senior, Siebodus nomine, dominus ejusdem castri, ampla persona, non parva potestas, ad eum accessit. Huic quadam die sub arbore jacenti fortuito casu particula corticis ceciderat in oculo : quæ ita turbaverat, ita corruperat ejusdem membri officium, ut nec expelli, nec aliquod inde remedium inveniri posset. Fugerat somnus ab oculis, fastidiebatur cujuscunque generis cibus nullusque sospitatis inveniebatur locus. Cognoscens itaque vir sanctus causam tanti periculi, et condolens viro sibi satis familiari, seorsum illum accipiens, super locum doloris signum imprimit sanctæ crucis cum insufflatione oris et virtute orationis, spondens se, dum veniret ad hospitium, pro illo sacrificium offerre salutiferæ oblationis. Nec mora : sancto recedente, somnus diu negatus prædictum hominem dormire coegit evigilansque particulam corticis ab oculo cum quadam lanugine deductam invenit, et præteriti doloris molestiam non sensit. Mox etiam cibum omnino fastiditum requirit, cum desiderio sumit, suæque liberationis causam præ gaudio per internuntium viro Dei apud Silvigiacum (*sic.*), quo jam pervenerat, innotescit, gratias agit et deinceps eum in magna veneratione habuit.

Cap. XX. — *De clerico a morbo brachii curato.*

Quodam etiam tempore dum a Roma reverteretur, et Lucas (34) castro hospitaretur, cuidam sancti Martini Turonensis canonico, Archimbaldo nomine, lethale vulnus in brachio excreverat, quod sibi non jam languorem, sed ipsam mortem pene interminare videretur. Accedit itaque ad sanctum, et tantæ necessitatis ostendit periculum. At ille quasi hæc se videre dissimulans, latenter propria manu tangit brachium, sanctæ crucis implorat præsidium, et super vulnus ejusdem crucis impressit signaculum : sicque a se dimittit, et ut caute prævideat præcipit. Mirum in modum dum recedit et locum vulneris videre vel tangere voluit, nulla signa præteriti doloris nec invenit, nec sensit. Attonitus vero stupore miraculi ad hominem Dei regreditur, quæ sibi contigerant palam facere voluit. Sed Dei servus ubi hoc prævidit, indignatus valde, illum nec quidquam passum fuisse, nec quid diceret scire, objurgavit. Ita enim timebat rumores hominum, tanquam lethale venenum, et quasi pestiferum malum sic fugiebat vanæ laudis appetitum.

Cum (35) quodam tempore apud monasterium suum, quod Volta nominatur, moraretur, et murus ecclesiæ adhuc imperfectus consummaretur, contigit ut quadam die dum ministri operis operi complendo insisterent, deambulatoria ubi stabant, retortis cum quibus ligata erant ex nimia vetustate ruptis, deorsum ruerent, cum quibus cæmentarii ex altitudine muri ad terram ceciderunt, et collisionis membrorum.....

Cap. XXI. — *De quodam mente capto sive dæmoniaco sanato.*

Alio tempore cum ex partibus Ultrajuranis Nan-

(33) Sic codex S. German. At Thuaneus, fere ut Petrus Damiani in altera Vita cap. 13, sic habet : *Ad loca deducit; auratum librum reperiunt, quem Christi protectio a nimbis intactum servaverat; vasa sana inveniunt, quæ Dei nostri immensa pietas ne frangerentur, protexerat. Confestim igitur inventa tollentes, repedant orantes, et ea Patri consignant, qui quanto gestivit gaudio, ex immensis Deo laudum fusis præconiis qui volet dignoscere poterit.*

(34) Hic designatur Lucæ civitas nobilissima et ducalis in Etruria, vulgo *Lucques*.

(35) In cod. Germ. habetur hoc capitulum quod deest in Thuaneo; sed imperfectum est, avulsis e codice reliquis foliis.

toatis, de quo supra diximus, cum eo advenissemus, quemdam juvenem militem, nomine Mainerium, mente captum, a propriis servulis ibi adductum invenimus. Qui rejecta militia, omnique cura privata vel publica postposita, huc illucque miser nudus nisi teneretur oberrabat, incognitas voces emittens, sine cibo perseverans, et, ut talibus consuetudo est, nusquam tutam sedem, nullam habebat requiem. Misertus itaque homo Dei tantæ calamitati, et condolens gratissimæ juventuti, cum fratribus in terram ante altare sancti Petri prosternitur, psalmis insistit, patrocinia sanctorum cum litaniis requirit : deinde surgens ad vexatum accedit, aqua sanctificationis aspergit, bibere cogit, et sic recedere permittit. Post hæc sancto recedente, ipse jam non infirmus, sed sanus; non ligatus, sed liber; non coactus, sed voluntarius, Cluniacum usque prosequitur, gratias Deo et illi pro recuperata sanitate reddidit, voto charitatis munera piscium detulit, sicque ad propria rediit. Sequenti etiam anno eum ibidem requisivit, sed non invento, Silviniacum die qua sanctus obiit et ipse advenit; tristis et mœrens ejus exsequiis interfuit, et quia vivo non potuit, defuncto pro sua liberatione iterum atque iterum gratias egit.

CAP. XXII. — *De quodam muto sanato.*

Abbas quidam religiosus de Brolio (*Ebreuil*) monasterio, nomine Girbertus, quemdam nepotem habuit militem strenuum, nomine Gauzfredum, qui ex multo tempore officium linguæ amiserat, audiendi tamen efficaciam et prudentis senis memoriam, quemadmodum de Zoe uxore Nicostrati legitur, non mediocriter retinebat. Hic per visionem admonetur ut ex aqua qua sanctus manus abluebat requireret, et eam bibendo deinceps effectum loquendi recuperaret. Qui mox familiares ministros advocat : utcunque sapit, utcunque valet, quæ volebat manibus innuit, non sine magno tamen labore innotescit; et Silviniacum, quo sanctus tunc manebat, ad hoc obtinendum pro eo prædictus Girbertus dirigit, suasisque quibusdam viri Dei ministris, fidele furtum perpetratur, aqua latenter manibus ablutis subripitur, sub occasione etiam calice sancti Maioli ab ipso viro Dei signata altera aqua superadditur, et sic infirmo transmittitur. Quam accipiens mutatis prius vestibus in ecclesiam ingreditur, orationi incumbit : deinde cum summa veneratione aquam sumit, et sumendo pristinæ vocis officium mox ad integrum recuperat; loquitur, atque non jam manibus innuit, sed ex ordine quæ viderat verbis enarrat et Deo gratias pleno ore, plena voce lætus proclamat.

CAP. XXIII. — *De quodam parvulo vasculo a vino exinanito, et virtute sancti postmodum pleno reperto.*

Omnipotens Deus remunerator et glorificator fidelium suorum, se in hac mortali ærumnosaque vita pro scire et posse glorificantium per sibi fidelis dilectique famuli Patris Odilonis in hacce convalle lacrymarum coram hominibus confitentis et glorificantis merita, inter alia plura præclara prorsus atinde eum proficiscentem frater Adraldus aliquantu-

A que memoranda miraculorum signa, quoddam valde jucundum atque mirificum virtutis opus, hic etiam eum glorificando, operari est dignatus. De quo ne quisquam, quia illud scripto tradere succedentium memoriæ suscepimus, dubitare queat, habemus et proferimus veracem fidelemque, quæ hoc narrat, personam ad hoc astipulandum sic idoneam ut constet luce clarius, quia is qui hoc refert et hujus Deo dilecti Patris est monachus, et nomine proprio vocitatur Adraldus, atque ipse solus cum alio quodam laico homine hujus tunc rei gestæ fuit conscius. Quodam siquidem tempore isdem vir Domini Odilo rediens a Francia, et Cluniacum totius religionis locum festinanter expetens, eidem jam dicto fratri apud quamdam ecclesiam, quæ vocatur Tolonnis
B (*Toulon*), cui obedientiæ causa præerat, estque juris monasterii quod vocatur Aurea vallis, commoranti, improvisus et insperatus supervenit. Quidam tamen ex fratribus beatum virum comitantibus, nomine Warnerius, ipsum Patrem comitesque parvo præcurrens spatio antecessit, et adveniens patrem Odilonem adesse nuntiavit. Qui jam fatus Adraldus miratus et obstupefactus, primo non credidit, post tristis et mœrens, et quia susceptioni ejus non se præparaverat, miserum se clamans expavit. Verumtamen confortatus in Domino resumpsit vires, et missis circumquaque pueris domus ad quærendum necessaria, instabat, prout angustia temporis permittebat, præparare quæque erant tanti Patris susceptioni congrua. Inter hæc dilectus Deo et
C hominibus pater Odilo adveniens, ab eodem ipso fratre gaudenter admodum et jocunde suscipitur, amabiliter et affectuose exosculatur et amplectitur; sed tamen humilis et submissa querela et objurgatio de suo adventu sic insperato minime perdonatur. Sed ad hæc isdem dulcissimus Pater dulci et suavi, ut sibi moris erat, alloquio cœpit et se excusare et ipsi satisfacere, occasione temporis et loci dicens hoc contigisse, seque illuc nequaquam sumptuosum apparatum quærere. Et quia ipso anno sterilitas vinearum nimis charum reddiderat vinum, ejusque nisi locupletioribus subtraxerat usum, providus et moderatus Pater ne fratrem gravaret, emere se vinum dixit, sed protinus eidem ipse ob hoc non leviter indignatus contradixit. Qua, inquiens, fronte,
D hoc vos, domine, in domo vestra patiar agere? Ventum itaque ad prandium et cibis eidem Patri suisque omnibus largissime sufficienterque, prout discreto ordini eorum congruebant, appositis, vinum etiam de parvo singularique et pleno emptu vasculo profertur. At discretissimus Pater monachis scyphos geminari, cæteris vero semel præcipit dari. Sed statuta mensura exceditur, et absque ulla æstimatione chari pretii potus large omnibus præbetur. Postquam autem sumptæ epulæ mensæque sunt remotæ, succedunt grates et laudes charitativæ refectionis a dulcissimi patris Odilonis gratioso atque mellifluo ore. Succedit igitur nox diei, et Pater Odilo inibi laxabat membra quieti. Mane vero facto,

lum prosequitur; sed ab illo redire jussus, mox ut domum suam subintravit vocato dispensatore, jussit eum citius quantum in vasculo remansisset vini diligenter considerare sibique renuntiare. Is itaque famulus et jussis obtemperans, curiosius vas æstimat offenditque contra spem, et (quod est dictu mirabile) plenum, quod credebat ex maxima parte exinanitum. Invadit formido hominem, et stupidus de hoc aliquandiu secum cogitationes versat, sed tamen reversus inventum indicat. Res fratri visa est auditu incredibilis, et hanc referens insanienti similis. Parvitas denique vasis, et numerositas multitudinis illud exhaurientis suadebat valde parum superesse in illo residui liquoris. Attamen itur, et oculorum fideliori ministerio res discutitur, et ita esse deprehenditur. Tunc geminatur stupor misto timore talia cernenti, quæ nihil aliud prius illum dicere submonebant quam : *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Vere enim mirabilis, vere omnipotens, vere misericors Deus in sanctis suis, qui in illorum munda et sincera mente augustissimum sibi palatium statuens, ibi residet, ibi regnat, indeque disponit multa et magna, et ait mirifica prorsus et non imitanda.

Multa similia si notarentur diligentius, de ejus possent describi virtutibus. Multum enim per Dei gratiam in talibus in occulto posuit, quæ nunquam ad publicum venire voluit, et maxime in febricitantibus, quibus semper succurrebat calicis sancti Maioli signaculo, dicens talia non suis, sed ejusdem prædicti Patris fieri meritis, cum revera dubium non esset, discipulum in talibus cooperatorem esse magistri virtutibus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

Itaque de his quæ dum viveret gessit, pauca de multis diximus, sicut nos ipsi quædam vidimus, et ab idoneis testibus alia etiam vera fuisse pro certo agnovimus : nunc de his quæ post mortem per illum Dominus operatur, sicut veracium testium affirmatione comperimus, quæ possumus, Domino annuente loquamur.

Cap. I. — *De quadam puella insana, surda et muta.*

In fundo Longovernis nominato, Silviniaco prope quatuor milliariis contiguo, erat quædam miserabilis mater quæ filiam habebat tribus passionibus obnoxiam, insanam videlicet, surdam et mutam. Hæc tertio admonetur in somnis a quadam satis formosa et jucunda persona, ut Silviniacum pergat, filiam secum deducat, sepulcrum senis (se autem ipsum esse dicebat) noviter sepulti requirat, et inter eundum videbit quid sibi contingat. Ter itaque per tres consequentes noctes, sicut diximus, admonita, dat fidem verbis et illo cum filia pergere cœpit. Inter eundum vero, antequam ad locum destinatum venirent, portentum visionis compleri cœpit. Nam quamdam prætereuntes silvam prædicto loco, Silviniaco videlicet, satis contiguam, filia ex multis annis surda et muta : Mater, inquit, mater, hinc audio magnos sonitus tintinnabulorum. Dicebat autem de campanis monasterii quas audiebat. Hinc vero cerno simul et audio boves et sonitus collo pendentium cymbalorum. Mater, his auditis, signa visionis recognoscit, ad sepulcrum usque deducit, pro posse oblationem obtulit, gratias egit, deinde cum filia sana ad propria rediit.

Cap. II. — *De homine surdo et muto liberato.*

Succedit et huic aliud non dissimile miraculum. Nam de illis vastis Alpibus interioris Aquitaniæ venerunt ad sepulcrum viri Dei duo juvenes, quorum alter erat surdus et mutus, sed ut curaretur ab altero fuerat adductus. Introgressis vero ad sepulcrum, qui sanus erat ex aqua qua beati Patris membra lota fuerant dari sibi petiit, et accepta in auribus socii infudit, bibere coegit, et sic ad hospitium (erat enim vesperum) uterque secedit. In crastinum vero, qui pridem surdus et mutus fuerat, audiens et loquens cum oblatione in manu ad sepulcrum rediit, pro sua liberatione gratias plena voce reddidit, et sic ad propria repedavit.

Cap. III. — *Item de alio muto.*

Sub eodem tempore ex pago Bituricensi, quidam mutus advenit, qui, ut postmodum referebat, a septem annis ex toto amiserat efficaciam vocis. Hic etiam ad sepulcrum de misericordia Dei præsumens accedit, ex multis annis, ut prædiximus, perditam loquelam recepit, quid sibi contigisset omnibus enarravit et lætus recessit. Ad comprobandum vero utrum vera essent an non quæ dixerat, cum illo quidam curiosi curiosum quemdam mittunt, qui diligenter hæc a vicinis et veracibus testibus inquireret. Qui hæc ita esse inveniens, se nobis obtulit assertorem veracem et idoneum testem.

Cap. IV. — *De quodam paralytico simul et muto curato.*

In pago Nevernensi, et in castro Dizetensi paralysis languor quemdam hominem ex una parte totum damnaverat, et sermonis loquelam penitus abstulerat. Vicinorum itaque amicorumque nutu et auxilio ad memoriam sancti Patris accessit, membrorum sanitatem ex integro recepit, linguam ad loquendum dissolutam promeruit, Deo gratias egit, et sic ad propria repedavit. Erat vero pluribus notus, qui hæc ita se habere suis affirmant assertionibus.

Cap. V. — *De presbytero muto.*

Et pago etiam Bituricensi et de castro Briodorensi presbyter quidam mutus ad sepulcrum viri Dei accedit, reddi sibi quod perdiderat humiliter prostratus in oratione petiit; sed dum diutius preces suas differri vidit, domum regredi studuit. At ubi pervenit, mox quod diutius quæsierat accipere me-

ruit; silentium in verba resolvit, et se hæc promeruisse Domini virtute et patris Odilonis intercessione libera voce narravit. Hoc ita verum esse mercator quidam dives, nomine Salomon, et plures alii fatentur sua assertione.

CAP. VI. — *De cæco illuminato.*

Quidam senex ex toto privatus lumine, cum se deduci faceret a puero ad Patris sanctissimi urnam, antequam attingeret limen ostioli illius cryptæ qua sanctus requiescit, lumen amissum recepit, ductoremque suum jam illuminatus et velox præcessit, atque in terram ante sanctum sepulcrum prostratus pro concesso sibi lumine gratias egit, et gaudens recessit. Erat vero tunc Sabbatum ante Ramis palmarum festum.

CAP. VII. — *Item de cæca sanata.*

Ex castello Lucii montis quædam femina cæca ad limina sancti Patris est adducta. Quæ diutius ibi persistens et in oratione perseverans, dum vidit quæ petebat in longum sibi differri, jam desperata, ad propria cupiens regredi, ad sepulcrum iterum accedit et licentiam redeundi a sancto cœpit cum lacrymis deprecari. Inter hæc verba, profundaque mœsti cordis suspiria, oculi male clausi aperiuntur, lumen ex insperato mox redditur, et ita domum propriorum, non aliorum oculorum intuitu revertitur.

CAP. VIII. — *Item de alio cæco illuminato.*

Alius etiam quidam veteranus Turonensis urbis indigena, oculorum privatus lumine, admonitus per visum, ductu cujusdam suæ filiæ sepulcrum sancti Patris studuit invisere. Qui veniens ex aqua, qua sancti fuerant membra abluta, quæsivit et accepit, oculis tenebrosis infundi fecit, ut sibi redderetur lumen oravit. Et quia jam nox instabat inde recedens, hospitium et subsidia victus (erat enim pauper) requisivit, et nusquam invenit. Sine cibo itaque et hospitio totam noctem pernoctavit. In crastinum vero ad sepulcrum festinus rediit, statimque visum recepit, et lætus Deo gratias magnis clamoribus inclamare cœpit. Erat autem ecclesia plena hominibus, presbyteris et clericis missam celebrantibus. Ad tale spectaculum omnes cucurrerunt, rei veritatem agnoverunt, cuncti in commune Deum benedixerunt, atque pro tam evidenti manifestoque miraculo simul cum paupere gratias egerunt.

CAP. IX. — *De quodam insano ad mentem revocato.*

In burgo Silviniacensi, quo sanctus requiescit, erat quidam mercator, nomine Rainaldus, qui propter diuturnum et gravissimum languorem penitus memoriam et sensum amiserat. Hunc fratres et parentes ad sepulcrum tanti Patris cœperunt deducere; sed ut signo sanctæ crucis se muniret, vel pectus tunderet, non potuerunt suadere. Venientes itaque ad sancti Patris memoriam, quoddam oblationis munus pro infirmo super sepulcrum offerunt, et censum denominatum omnibus annis vitæ suæ persolvere se promittunt. Hoc itaque pacto, quem adduxerant amentem et insanum jam memoria valentem et ex integro sanum ad domum reducunt.

CAP. X. — *De quodam paralytico.*

In burgo Antissiodorensis civitatis quidam ruricola nomine Rainaldus manebat. Hic a renibus deorsum omnem vim membrorum amiserat. Auditis ergo virtutibus signorum quæ fiebant ad sepulcrum tanti Patris, in plaustro se poni fecit, et ad limina sancta a fratribus et uxore duci præcepit. Qui veniens et ad sepulcrum sancti Patris accedens, ex aqua sæpius dicta dari sibi petiit, languida membra lavit, et ut sibi sanitas redderetur devotus exoravit. Post hæc paulatim dolor a membris abscessit, salus optata redit, et magis magisque de Dei præsumens bonitate et tanti Patris confidens intercessione ad propria se reportari fecit. Non multis interjectis diebus non jam vehiculo, sed firmis incedens vestigiis ad limina sancta regreditur, pro reddita sanitate gratias egit, vota obtulit, suæ curationis indicia omnibus manifestavit, et sic ad propria recessit.

CAP. XI. — *De hydropico liberato.*

In comitatu Flandrensi, et in burgo venerandi patris Otmari, quidam juvenis clericus nomine Geraldus manebat, qui hydropico morbo ita affligebatur ut neque cibum, neque potum sine magno dolore sumere valeret : ita venter intumuerat ut cutis supra modum extensa pene rumpi videretur; stare vel sedere sine maximo periculo non valebat, incedere etiam vix poterat. Et quid dicam? omnium membrorum officiis ita carebat ut melius sibi mortem quam ipsam miserrimam vitam optaret. Hic ergo nutu divino Silviniacum cum magno labore advenit, ad sepulcrum sancti Patris se introduci petiit, ad orationem in terra procubuit, se de longe venisse flebili voce conquestus, ut sanctus sibi misero opem ferret cum lacrymis rogavit. Nec mora, rivum concreti sanguinis ibidem, dum oraret, ab interioribus per os, videntibus cunctis, evomuit, et inde surgens, nutibus et verbis se sanum fore exclamavit. Ostendebat autem vestimento sursum collecto rugas cutis prius extensæ, nunc vero inflatione recedente vacuas remansisse. His ita peractis, ad propria gaudens repedavit.

CAP. XII. — *Item de alio hydropico.*

Jampridem etiam quidam senex vulgaris, ibidem a simili liberatus fuerat morbo.

CAP. XIII. — *De quadam contracta sancta.*

In extremo confinio Augustodunensi Molinis (*Moulins*) est castrum super Aleris (*l'Allier*) fluvium situm. Ibi quædam juvencula jacebat sub solario Ermengardis nobilissimæ matronæ. Hæc ex multis annis membrorum usum ita perdiderat ut nec incedere, nisi portaretur, uspiam valeret. Hæc igitur in somnis monita ut ad memoriam sancti Patris pergeret, a vicario ejusdem matronæ nimiis clamoribus et importunis precibus extorsit ut se vehiculo imponeret et Silviniacum deduci faceret. Nec mora, dum illo pervenit, et ad sepulcrum sancti accessit seseque in orationem dedit, membrorum officia redintegrantur, et quæ contracta venerat erigitur, cum ipsa Deo laudes ab omnibus qui eam noverant

redduntur. Post hæc regredi illuc unde venerat cœpit, sed nescio quo occulto judicio, antequam veniret ad extrema villæ, iterum debilitatur. Iterum aliorum manibus ad sepulcrum reportatur, atque iterum Dei omnipotentis miseratione et patris Odilonis intercessione pristinæ sanitati redditur; sed nequaquam ulterius extra villam egreditur, nec terminum suæ debilitationis denuo transire conatur.

CAP. XIV. — *Item de alia simili modo sanata.*

Quidam mercator nomine Rainaldus ibidem apud Silviniacum degebat. Hic habebat filiam debilem cruribus, invalidam et ad supplementum doloris ex superiori parte corporis. Hanc itaque ad tumulum sancti Patris deferunt: at ubi delata est, mox se erigere et paulatim incedere cœpit, et tandiu ibidem stetit donec ex integro effectum standi vel incedendi promeruit.

CAP. XV. — *De quadam paupercula simili modo curata.*

Altera mulier paupercula ibi tunc aderat, similiter ex multo tempore toto corpore debilis, quæ et ipsa eadem die in conspectu multitudinis vigorem obtinuit integræ sanitatis. Sanctorum enim apostolorum Petri et Pauli festivitas tunc advenerat et multorum populorum ibidem turba confluxerat. Qui videntes uno eodemque tempore hæc tria supra scripta miracula fieri, repleti sunt stupore vehementi. Fit itaque ingens lætitia, currit per aures cunctorum miraculorum volitans fama. Hominibus promiscui sexus ecclesia completur, diversis et immensis clamoribus concutitur. Psallebant monachi cum clericis in jubilo, ad cœlum usque populi voces dabant præ gaudio tantæ novitatis stupefacti miraculo. Christus in sanctis suis semper mirabilis ab omnibus prædicatur, et quantum servus sibi fidelissimus de ejus gratia possit, certis indiciis manifestisque signis declaratur et cunctorum ore celebratur.

CAP. XVI. — *De quodam captivo a vinculis liberato.*

Quidam miserabilis a quodam perverso homine captus compedibus aretatur, et ut diligentius custodiretur arca recluditur, saxorum acervus desuper congeritur, seracula firmantur, et ita miser per longum tempus tenetur. Verum ille captivus in Deo spem retinens, de illis abditis tenebrarum Deum, cui obscura sunt manifesta, supplex exorat et patrem Odilonem intercessorem advocat ut se inde ejiciat et liberum ire concedat. Inter hæc verba suæ petitionis, sentit et audit quamdam personam ad arcam accedere, et se inde ut exeat inclamare. Mox virtute divina saxorum acervus huc illucque dispergitur, seracula resiliunt, compedes solvuntur: et ita incarceratus liber et absolutus de tenebris ad lucem procedit, gaudensque ad sepulcrum sancti Patris quantocius venit, et quæ sibi contigerant certis indiciis omnibus enarravit.

CAP. XVII. — *De quodam mente capto sanato.*

Alius quidam sancti Maioli monachorumque proprius ruricola, nomine Rotbertus, habens uxorem et filios, in amentiam totus versus fuerat. Hunc totis viribus repugnantem filii et parentes violenter ad memoriam sancti Patris adducunt, oblationem pro eo offerunt, et mox mente et corpore salvatum domum reducunt.

SANCTI ODILONIS EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

AD FULBERTUM CARNOTENSEM EPISCOPUM.

[*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 349.]

Domino et venerabili sanctoque charissimo fratri et compresbytero FULBERTO frater ODILO salutem in Domino.

Dilectissime vir, quid sibi vult quæstio prolata nobis a quodam vestro fideli clerico, placuit, ut ipse fatetur, paternitati vestræ, me, licet indignum, judicem fieri vitæ vestræ, mandando mihi ut litteratim describerem vobis quid mihi videtur de vestra, quantum dici fas est, irreprehensibili conversatione. Sed oculi caligine cæcitatis obtecti non valent perspicue intueri splendorem firmamenti et globos stellarum cœli. Splendorem firmamenti voco et stellam; stellam etiam matutinam te vocabo, Danielis prophetæ usus testimonio: *Qui docti fuerint*, inquit, *fulgebunt sicut splendor firmamenti. Et qui ad justitiam erudiunt multos, sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Vos enim, qui talis ac tantus estis, quem nec quidem digne cogitare valeo, nostro debetis æstimari judicio? Nos enim, qui ignorantiæ tenebris pressi, nosmetipsos non possumus dignoscere, justorum vitam nostro arbitrio nullomodo debemus æstimare. Vos omnis homo adeo laude dignum merito judicat, ut plus de vobis mirari libeat quam aliquid dicere liceat. Obrueretur intellectus nostræ parvitatis pondere vestræ quæstionis, nisi esset in promptu recordatio divini sermonis. Ut enim daret exemplum fidelibus auctor vitæ et salutis, ut ipse melius scitis, utpote vir omnia evangelicus, veniens in partes Cæsareæ Philippi interrogabat discipulos suos: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et post pauca: *Vos autem quem me esse dicitis?* Non idcirco interrogat, quem nemo novit et quem nihil latet, veluti qui nesciat, sed ut prælatis Ecclesiæ exemplum de se interrogandi præbeat. Et ideo unusquisque præpositus Ecclesiæ a subditis debet exquirere cujus famæ, cujusve sit opinionis; et si aliquid de se audierit, Deo, a quo si quid boni est,

habeat gratias et referat, ut de virtutibus in virtutem, ipso annuente, felici cursu perveniat, usquequo Dominum deorum in Sion videre queat; si vero sinistrum aliquid de se audierit, pœniteat, et de cætero sollicite emendare satagat. Sed et si vos movet exemplo doctorum de vobis interrogandi auctoritas, prædicanda a nobis est vestræ sapientiæ claritas, vestræ fidei puritas, vestræque industriæ probitas : quippe quia caret omnino silentio veritas, sed ab homine idiota et sine litteris non potest prædicari Deo amabilis et in mundo odibilis. Hæc de vobis nunc et alias, et in communi locutione, non aliqua fraude adulationis deceptus, non alicujus muneris, laudis, vel pecuniæ cupidus retuli; sed, quod veraciter credo et quod ut fiat quam maxime opto, dicere etiam non recuso, nec recusabo. Si autem me adulatorem judicaveritis, audite Scripturam : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas illis.* Non est tamen culpabile, si illos laudemus quos dignos laude credimus, dicente Scriptura : *Laudet te alienum, et non os tuum.* Si autem aliquis velit opponere quod Scriptura dicit : *Ne laudes hominem in vita sua;* et ego assentior, quia mortali vita vos mortuos existimo, qui ab Apostolo audistis : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et cum ipso et verbis et operibus dicitis : *Si enim vivimus, Domino vivimus; si vero morimur, Domino morimur. Sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus.* De cætero, charissime, ut quidam Sapiens ait : *Omnia fugere poterit homo præter cor suum.* Non enim potest a se quisquam recedere. Ubicunque enim abierit, conscientia sua illum non derelinquit. Et apostolus Paulus : *Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Dicerem tamen aliquid exhortandi gratia, sed quomodo debet docere indoctus, quem unctio spiritualis docet de omnibus? Sed illud reticem evangelicum : *Adhuc unum tibi deest.* Quid illud sit quamoptime nosti. Vale

EPISTOLA II.

AD PATERNUM ABBATEM.

[Apud Acherium, *Spicilegii* tom. III, p. 381.]

Igne divini amoris fervido domno Paterno, gregis Christi affectu paterno procuratori provido, frater Odilo cum domno episcopo Santio, omnisque Cluniacensium pauperum congregatio, monastici laboris bravium a Christo.

Si cuncta circa vos sunt prospera et pacata, gaudemus et exsultamus, et ut semper de bono proficiatis in melius votis omnibus præoptamus. Pro statu quoque regni ut liberetur ab incursione paganorum et a persecutione falsorum Christianorum, omnipotenti Deo supplices et continuas preces omni devotione cordis assidue offerimus. Et ut firmissima pax inter filios divæ memoriæ domini nostri Santii regis defuncti a Deo reformetur, et continuis orationibus et indefessis die ac nocte precibus exoramus, præcipueque pro charissimo nostro et visceribus totius amoris ac dilectionis domino Redimiro, de cujus benignitate et probitate, morumque paternorum in cunctis repræsentatione, domnus episcopus, ipsi per omnia fidelissimus et devotissimus, tanta et talia ad nos veniens narravit, ut indissolubilibus vinculis charitatis ita nos ejus familiaritati et fidelitati colligaverit, quatenus nulla unquam oblivione ipsius memoria a nostris cordibus avelli possit in divinis obsequiis. Nam quotidie pro ejus pace et salute corporis et animæ, post Matutinas recitamus omnes generaliter psalmum : *Domine, quid multiplicati sunt.* Et per omnes alias horas : *Levavi oculos meos*, ut Dominus eripiat animam et corpus ejus ab omni malo, custodiatque introitum et exitum illius, non solum in præsenti, sed et in sæculum sæculi. Rogamus præterea ut hos missos, quos dominus Santius episcopus et nos mittimus, usque ad sanctum Joannem conducatis. Vult enim domnus episcopus sua omnia quæ ibi dimisit, secum habere. Argentum, ut opus quod in nomine ipsius et in nomine regis defuncti super altare sancti Petri cœpimus, ad perpetuum memoriale sui, et supra dicti regis perficiat. Ornamenta vero divinis officiis consecrata penes se quandiu vixerit vult esse. Nam de auro quod ad nos veniens secum detulit, duas listas tabulæ majoris altaris, dexteram videlicet et sinistram, quæ destructæ erant, sicut scitis, jam perfecit. Subteriorem vero quæ remanet, et de vaccis quas apud sanctum.....

EPISTOLA III.

AD DOMNUM GARSEAM.

[*Ubi supra.*]

Morum probitate regalia decenter sceptra regenti, domno Garseæ religioni..... Odilo cum grege Cluniacensium pauperum sibi commisso, firmam cum fratribus et amicis, omnibusque vobis jure subjectis pacem in Domino, ac de cunctis inimicis victoriam cum triumpho.

Gaudemus, et omnipotenti Deo gratias referimus, quod vos sublimiter et gloriose tam in sui dilectione et notitia quam in sæculari semper audimus crescere et proficere potentia. Sumus itaque ex indissolubili familiaritate et societate qua olim patri vestro probamur copulati, ita in vestra fidelitate devoti, ut pro vestra vestrorumque salute et incolumitate, atque de cunctis inimicis vestris victoria Deum exoremus assiduis precibus, poscentes ejus clementissimam benignitatem, ut sic cuncta vestra secundum suam voluntatem nobiliter disponat, quod post præsentem gloriam et felicitatem, ad cœlestia gaudia vos perducat. Præterea, licet non sine rubore, pandere cogimur vestræ sublimitatis munificentiæ nostræ inopiæ necessitatem, qua jam per duos et eo amplius annos affligimur continue; nam generalis totius regni paupertas, famis quoque et inopiæ nos opprimit calamitas, sicut et alios nostræ vicinitatis compatriotas : quod periculum ut evadere possimus, vestro adminiculo, si placet, perquam plurimum indigemus. Pacem et victoriam atque perpetuam vitam ut Dominus vobis concedat, tota nostra fraternitas et optat et orat. Vale.

EPISTOLA IV.

AD MATRONAM R...

[Ubi supra.]

Nobilissimæ matronæ R. frater Odilo fideles orationes.

Mirarer, domina, valde cur me ignotum et immeritum toties salutationibus tuis lætificas, muneribus amplificas, nisi illam maternam bonitatem agnoscerem et in te sentirem, quæ omnibus tam notis quam ignotis, promeritis et immeritis, communis et æqualis esse solebat. Unde non ad mirandum, sed ad gratias referendum totus convertor, scilicet de omnibus bonis quæ tua charitas nobis et nostris semper solet impendere. Orationibus nostris fratrumque nostrorum per fratrem Luitfridum dignata es te commendare; in quibus scias devotissime te esse susceptam atque ascriptam, et non solum te, sed etiam charissimum amicum nostrum seniorem tuum A..... ac dulcissimum fratrem ejus E..... de quibus semper bene audivi, et adhuc, Deo gratias, audio. Quos utrosque ut officiosissime ex nostra parte salutes, multum tuam rogo charitatem. Vale, et memor tui, nunquam immemor existas.

SANCTI ODILONIS

ABBATIS CLUNIACENSIS V

DE VITA BEATI MAIOLI ABBATIS

LIBELLUS.

(*Bibliotheca Cluniacensis*, pag. 279.)

PRÆFATIO.

Hugoni (36) et charissimo fratri Almanno, Odilo presbyter, in Domino salutem.

Cum residerem præterito tempore paschali, in claustro Romani monasterii, pridie quam patris nostri Maioli superveniret solemnitas, unus e fratribus, nomine Joannes, qui, secundum sui nominis congruam interpretationem, Domini gratiæ ditatus est munere, incœpit inquirere in quo volumine eadem nocte lectiones deberet adnotare. Ad quem ego : Consequens est ut in hujus patris memoria beatissimi patris Gregorii recitentur eloquia, quippe quia idem pater, dum advixit, eadem studiosissime frequenter et audivit et legit, et, cum libuit, de eisdem facundo sermone disseruit. Exempto post modicum vespertinali officio, ac præfinito diurnæ servitutis tempore, tam ordo quam necessitas invitabat nos ad stratum accedere. Eram tunc temporis lugens et deflens non modo damnum rei familiaris, sed et insolitæ calamitatis et inauditæ miseriæ ingens periculum, et, quod magis urgebat, totius patriæ et omnium pauperum grande lamentabileque dispendium. Tanti vero discriminis tantique mœroris anxia cogitatio perplures jam me noctes insomnem reddiderat. Sed eadem denique nocte, cum solito more mordax cogitatio sensibus nostris importune se vellet ingerere, ut mihi a Domino deposceret consolationis auxilium, beatum cœpi exorare Maiolum. Post paululum vero mihi suggerere cœpit tanti patris dulcis memoria et quodammodo promittendo dicere ut, si animum in ejus laudibus occupare satagerem, cœlestis consolationis præsidium quantocius procul dubio invenire possem. Idcirco, dilectissimi seniores et fratres, etsi non secundum magnitudinem sui, tamen secundum parvitatem intellectus nostri, opus subjectum scribere curavi. Qualecunque etenim istud opus sit, ignis spiritualis sensus vestri ut examinet, discernat et corrigat, nostra fraternitas optat et orat.

INCIPIT TEXTUS LIBELLI.

Post apostolorum et evangelistarum sacrosancta, divina et salutaria documenta, ac victoriosissima et invictissima beatorum martyrum gloriosa certamina, tertio, ut ita dicam, loco, præstitit divina dignatio Ecclesiæ suæ nova solatia, luminaria videlicet amore ardentia, sermone lucentia. Apostolicos dico sacerdotes et illustrissimos viros, humana scientia non vane, sed salubriter præditos, divina sapientia refertos, per quorum spiritalem intelligentiam et in divinis litteris perspicacissimam indagationem legis umbra lucesceret, sermo propheticus, sui profunditate altissimus suique altitudine profundissimus,

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

36) *Hugoni.* Qui post ipsum Odilonem electus est abbas Cluniacensis, ordine sextus.

spiritaliter intellectus ad lucem procederet, Evangelici quoque luminis gloria, virtus ac majestas totius mundi densissimas effugaret tenebras. Per horum etenim sincerissimam industriam apostolici actus exponuntur et commendantur fidelibus. Per horum devotissimum studium, beatorum martyrum triumphus Ecclesiæ sanctæ commendatur et meritum. Istorum namque fide, sapientia et prædicationis instantia susurrantium et oblatrantium contra fidem catholicam murmur compescitur et opprimitur, schismaticorum strepitus sedatur et os vana loquentium obstruitur, idolorum potestas destruitur, gentilium crudelitas superatur, philosophorum insania contemnitur, conspuitur et annullatur; omnium hæreticorum falsitas, perfidia, infidelitas, error et rabies veluti fetor fumosus, et fumus fetidissimus, ut nunquam et nusquam possit apparere, exsufflatur, et in nihilum resolvitur et exhalatur. Postquam tales et tantos viros, utpote cives suos, et Regis sui domesticos aula cœlestis lætabunda suscepit, ex ipsa suprema cœlestique republica, divina censura quarto loco ordine congruo parvulis Ecclesiæ consulere voluit, ita ut gratiam, quam præstare dignabatur per sublimes et fortes, postmodum præstaret per humiles et innocentes et simplices. Deinde cœpit monasticus ordo pullulare, et, ut verius dicamus, reviviscere; quem a beato Helia et Joanne Baptista novimus processisse, et ita per apostolicam et conversationem et vitam, et incrementa virtutum, et exercitia sanctorum spiritualium Patrum ad nos usque gaudemus pervenisse. Per ipsos etenim et ab ipsis perfectissime adimpleta est perfectio illius unius ac specialis evangelici, imo Dominici præcepti : quod deerat illi adolescenti, de possessione vitæ æternæ apud Salvatorem conquirenti, respondente sibi eodem Domino Christo ac dicente : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni sequere me* (*Matth.* XIX).

Inter hujus vero salutiferi præcepti intentissimos auditores et strenuissimos executores, beatissimus pater, merito Benedictus et nomine, quasi quoddam sidus cœleste præclarus enituit. Qui tantus ac talis, vita, moribus et miraculis exstitit, ut ejus ortum, vitam et obitum describendo sanctissimus papa Gregorius, per omnia vir apostolicus et apostolicæ sedis episcopus, testimonium ei præberet, qui inter principales primates Ecclesiæ insigne quoddam et principale privilegium et vitæ et doctrina dignoscitur obtinere. Processu vero temporis, post transitum videlicet supradicti piissimi patris, per beatum Maurum ejus discipulum omnis pene Gallia (37) ejus institutionis et religionis suscepit exordium. Deinde per eum et eos quos ipse ad justitiam erudivit, per plurima temporum spatia, eadem religio ad cumulum perfectionis excrevit, eis ab hac vita decedentibus, justitia rarescente, nequitia crebrescente, et matre omnium bonarum virtutum disciplina tepescente, cœperunt studia Patrum piorum deficere, et sicut per religiosos et fervore sancti Spiritus plenos sanctæ institutionis norma gradatim perfectionis accepit augmentum, ita per negligentes et desidiosos paulatim decidit in defectum. Salutaris igitur propositi perniciosa defectio usque ad tempus illud irrepserat latitando, quo favente Willelmo Christianissimo Aquitanorum principe, beatæ memoriæ abbas, Berno nomine, in partibus Burgundiæ, cespite Matiscensi, pago qui vocatur Cluniacus, monasterium cœpit construere et, in quantum potuit, in eadem constructione elaborare studuit et piæ devotionis affectum laborioso certamine ad laudabilem perduxit effectum. Hujus enim merito et exemplo, plures tranquillum portum monasterii requirentes convertuntur de sæculo. Ex quibus omnibus unum excipiendo recolimus et recolendo excipimus, quem ad salutem multorum provenisse comperimus.

Fuit vir ille, Odo nomine, vir per cuncta laudabilis, beatissimi Martini Ecclesiæ Turonensis pontificis fidelis devotissimus, et ejusdem Ecclesiæ clericus et canonicus. Hic etenim vir honestus et humilis, admodum in regulari exercitatione edoctus, postquam supradictus pater ab hac luce discessit, ad regimen abbatiæ multorum fidelium electione successit. Deinde qualiter ad culmen virtutum pervenit, studiis ejus narrantibus, Romanus orbis edidicit. Huic successit felicis memoriæ, Heymardus nomine, beatæ simplicitatis et innocentiæ filius. Hic in augmentatione prædiorum et acquisitione temporalis commodi adeo studiosus fuit et in observatione satis devotus. Hic et amissionem temporalis luminis et quidquid sibi adversitatis accidere potuit absque omni murmuratione et indignatione patientissime tulit. Hic etenim vir ob meritum patientiæ simplicis et innocentis vitæ tanto talique a Christo ditatus est munere ut, ejus tempore, ad amorem monastici ordinis auctorem nostræ salutis beatum Maiolum dignatus sit accersere. In hujus vero conversionis obsequio, multum valuit venerabilis viri Hildebranni (38) dulcis collocutio et

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(37) *Per B. Maurum omnis pene Gallia.* Sic Petrus Venerabilis epistola 28, lib. I : « Discipulum ipsius beati Benedicti, sanctum Maurum, ad has Galliarum partes, pro construendis secundum ipsius doctrinam cœnobiis, ab ipso directum legimus. » Et Glaber Rodulfus, lib. III Hist., cap. 5 : « Fertur eadem institutio ex S. patris Benedicti monasteriis vel regula exordium habuisse, atque per beatum Maurum, ipsius videlicet discipulum, ad nostrum, id est, Gallicanum territorium delatam fuisse. » Integram autem Vitæ S. Mauri historiam Faustus ejus sub sancto Benedicto condiscipulus et itineris per Gallias individuus comes fideliter composuit, exstatque apud Surium tom. I, die 15 Januarii.

(38) *Venerabilis viri Hildebranni.* Multi nominis hujus et monachi et priores, sive præpositi Cluniacensis cœnobii. Joannes enim sancti Odonis abbatis secundi discipulus, et ejus vitæ scriptor, unum memorat his verbis : « Deinde quæ domnus Hildebrannus, vir nempe veridicus, et Cluniaci cœnobii præpositus, in regularibusque disciplinis præceptor meus. » Nec dubitandum quin ille ipse, cujus hic

spiritalis suggestio. Hic cum esset ex prioribus Cluniensibus monachis, et ejusdem monasterii præpositus, bis invitatus ut officium abbatiæ susciperet, sed noluit, quia semper plus obedire quam præcipere et magis subesse quam præesse voluit. Putat me aliquis forsitan desipuisse idcirco quia, cum de beato Maiolo disponerem scribere, de superioribus me tanta contigit edixisse. Non enim quis credat fortuitu accidisse, sed de industria provide factum esse. Quidquid enim in superioribus de justis et sanctis hominibus diximus, totum in isto de quo loqui volumus, vel pleniter, vel ex magna parte redolere cognovimus.

Fuit vir iste, beatissimus pater noster Maiolus, præclaro stemmate ortus ac nobilibus parentibus pervigili cura ad ipsa infantia nobiliter enutritus. A Procedente pueritiæ tempore, addictus est ecclesiasticis studiis, ut imbueretur litteris spiritalibus. Superno igitur nutu et divina providentia actum est ut tam bonæ spei puer tunc in divinis actibus arctius intentus esset, ut totum adolescentiæ tempus sine periculo castitatis transigeret, et ita factum est ut, per totum vitæ suæ spatium decus in corpore suo retineret virgineum. Juvenili jam imminente ætate, altiora et potiora in divinis, acriora in humanis studiis et graviora non distulit attentare, et ideo per utramque exercitatus doctrinam non timuit accedere Lugdunensem ad aram (39). Deinde apud hanc urbem philosophiæ nutricem et matrem (40), et quæ totius Galliæ, ex antiquo more et ecclesiastico jure, non immerito retineret arcem (41), Antonium, virum eruditum et prudentem, in liberalibus studiis habere

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

sanctus Odilo menimit, æstimandus sit, cum subjungat eum « ex prioribus Cluniensibus monachis, et ejusdem monasterii præpositum, bis invitatum ut officium abbatiæ susciperet, sed noluisse, quia semper plus obedire quam præcipere et magis subesse quam præesse voluerit. » Ab Odonis namque tempore usque ad Maiolum abbatia Cluniacensis bis vacavit, et Odonis scilicet ipsius et Aymardi successoris ejus morte, post quem tandem Maiolus hujus Hildebranni discipulus electus est. Sed alter etiam Hildebrannus fuit et monachus et prior Cluniacensis sub sancto Hugone abbate, de quo nos alias. Nunc satis erit addere quod anonymus Silviniaci monachus ait in Vita sancti Maioli, cap. 5, quia luculenter hunc Odilonis locum illustrare videtur. « MunJani, inquit, arbitrii dimittens amplam et spatiosam viam, se sub levi jugo Christi constrinxit, et monitione et exhortatione domni ac religiosissimi patris Hildebranni, Cluniacensis monasterii prioris, monachilis districtionis nobile magisterium expetivit. Qui ipsum patrem Maiolum secum per multos dies in Christi Domini servitium enutriens perfectum athletam Dei protulit. »

(39) *Accedere Lugdunensem ad aram.* Augusto imperatori dedicatam Lugduni, Julio Antonio, Fabio Africano coss., ut notat Suetonius in Claudio cap. 2; De qua et Florus, lib. III : « Ara, inquit, Cæsari ad confluentem Araris et Rhodani dedicata, sacerdoteque creato C. Julio Verecundato Eubio, Eduo. » Et Strabo, lib. IV : « Adest ara dignitatis eximiæ, gentium LX numero, inscriptum habens titulum, earumque singularium statua una; alia subinde ingens locata est ara. » Ad hanc autem aram Caligula ludos miscellos edidit, inquit idem Suetonius in Caligula, cap. 20. « Et certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ. Quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorumdem et laudes componere coactos. Eos autem qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluissent. » Unde etiam Juvenalis satyra 1 :

Pallleat ut nullis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

(40) *Apud hanc urbem philosophiæ nutricem et matrem.* Scholarum Lugdunensium antiquitatem satis commendat, et quod ait Plinius, epist. lib. IX : « Lugduni bibliopolas esse non putabam ; » et quod scribit Ausonius in gratiarum actione pro consulatu ad Gratianum : « Quomodo Titianus magister, municipalem scholam apud Vesontionem Lugdunumque variando, non ætate quidem, sed vilitate consenuit. » Sed in ea philosophiæ studium viguisse, nullum, quod sciam, utilis vestigium reperitur, hoc uno B S. Odilonis dempto, et altero adhuc ejusdem in Vita sanctæ Adalheidis imperatricis, quod sic habet : « Exsultabat Lugdunus, philosophiæ quondam mater et nutrix, urbs inclyta. » Quanquam longe post, juris et civilis et canonici lectionibus fuisse celebrem diffitendum non est, visis his sententiæ quorum arbitrorum in monasterio S. Germani de Pratis anno 1290 datæ verbis : « Item cum invenire-mus discordiam esse inter archiepiscopum et capitulum supradictos, super danda licentia doctoribus legere volentibus in civitate Lugduni, in jure canonico vel civili, prædictam diffinivimus discordiam, » etc.

(41) *Quæ totius Galliæ ex antiquo more et ecclesiatico jure retineret arcem.* Patet hinc vel non adeo novum esse, sicut quidam asserunt, Ecclesiam Lugdunensem inter omnes Galliarum Ecclesias primam esse et primatus honore gaudere. Quod et insinuat optime Guillelmus Brito cum ait in Philippide :

C Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat,
Ut fama est, primate regi.

Fredericus item, Romanorum imperator, in diplomate dato sub annum Dominicæ incarnationis 1157 : « Venientem, inquit, ad curiam nostram sedis Lugdunensis, quæ antiquis temporibus, vel gentilium primis Flaminibus, vel primis legis doctoribus, cæteris civitatibus præeminebat, nunc autem divina religione et imperiali magnificentia latius præsidet, et inter omnes Ecclesias Galliarum prima est et primatus dignitate præfulget; Eraclium archiepiscopum et primatem debita honorificentia suscepimus. » Unde et Petrus ipse Venerabilis, hujus Eraclii frater, ad Petrum archipræsulem Lugdunensem scribens, epistola 2, lib. II, dicit eum « in sublimi Ecclesiæ specula a Deo collatum, inter duces spiritualis prælii constitutum, nec tantum episcopi, sed primatis, vel patriarchæ nomine insignitum : imo et ecclesiastica dignitate omnibus Gallicanis Ecclesiis superiorem. » Hoc autem primatus decus ex beneficio Romanorum pontificum archiepiscopis Lugdunensibus indultum confirmavit Urbanus II suis ad Hugonem archiepiscopum litteris, quibus et contentionem inter eum et Richerium Senonensem archiepiscopum super illa dignitate diutius agitatam terminavit. Litterarum initium est. « Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Hugoni Lugdunensi archiepiscopo primati ejusque successoribus canonice promovendis in perpetuum. » Et circa finem ait : « Itaque suffraganeis, qui præsentes aderant, sententiam nostram debita humilitate suscipientibus ac obedientiam promittentibus, sic tandem Lugdunensis Ecclesiæ querela diuturna annuente Domino terminata est. Per præsentem igitur

voluit præceptorem (42). Postea vero multo magis exempla secutus Antonii illius magni et solius Christi discipuli, quam studia istius Antonii sæcularis professione philosophi. Postea vero a supradicta urbe ad civitatem Matiscensem a proceribus patriæ et civibus suis, videlicet cognatis et amicis invitatus veniens, ut erat vir religiosus, religiose aliquantulum apud illos manens, cujus vita laudabilis et admirabile studium non potuit latere supradictæ civitatis episcopum (43). A quo humiliter invitatus, consultu clericorum et civium, ut in eadem Ecclesia non dedignaretur administrare archidiaconatus officium. Vir quippe, ut erat humilitatis gratia præditus, parere non distulit quo sibi divinitus per ministerium pontificis imperari cognovit. Et, ut res postmodum late patuit, totum illud negotium ad majoris utilitatis dirigebatur cumulum.

Suscepto denique tantæ dignitatis officio, talem se exhibuit ut Deo placeret et mundo; non mundo in maligno posito, sed mundo per sanguinem Christi reconciliato Deo Patri. Habet enim prædicta civitas vicinum monasterium, quod multis videtur spiritalibus studiis decentissime adornatum, ad quod jam dictus senior, a patre monasterii et fratribus frequenter accersitus, cum quibus et frequens habebat colloquium et spiritale contubernium. Inter ipsa denique dulcissima colloquia et mutua sincerissimæ charitatis obsequia, videntes fratres supradicti cœnobii mentis intuitu ejus angelicam faciem, audientes cordis auditu mellifluam facundiam, desiderabant ut eum possent sibi acquirere fratrem, quem postmodum habere merentur et patrem. Erat ad hoc intentus grex omnis Dominicus, sed ille senior Eldebrannus [Hildebrannus], de quo supra diximus, ut evenire posset elaborabat ardentius. Generabat jam in eo gratia Domini contemptum sæculi, secundum et votum fratrum supradicti cœnobii. Quid plura? Deposito ecclesiasticæ dignitatis officio, spreto mundanæ nobilitatis supercilio, relicto sæculari et amicorum et parentum consortio, ut libere posset servire vero Regi Christo, totum se subdidit cœlesti magisterio. Nec multo post condicto tempore, certo die ad monasterium veniens A officiosissime suscipitur, regulariter introducitur et, ut moris est, honorabiliter et charitative tractatur. Quam grande fuit gaudium inter fratres de ejus adventu, quam ingens lætitia, quam celebris exsultatio, non potest ad plenum noster edicere sermo. Deinceps adfuit ei ad contemptum mundi prompta voluntas, ad amorem Dei firmissima charitas, ad dilectionem proximi chara fraternitas, ad perdiscendum regularis observantiæ ordinem nulla difficultas, et ad exhibendum non solum abbati, sed etiam fratribus obedientiæ bonum celebris alacritas, et ad dandum omnibus exemplum regnabat in eo pura simplicitas. Qualis fuit ejus conversatio inter fratres in initio suæ conversationis, apparuit ex affectu eorumdem fratrum, tempore celeberrimæ B suæ electionis. Non erat jam necesse ut aliquis eum ad observantiam regularem instrueret, quem, ut sanctus evangelista dicit, *unctio gratiæ cœlestis de omnibus erudiebat* (*I Joan.* II).

Cœpit interea vita et doctrina tam perfecte clarescere ut in domo Dei laude fidelium omnium primum et præcipuum locum meruerit obtinere. Sic enim placuit Divinitati ut per diversos gradus humilitatis ascenderet ad culmen monasticæ perfectionis, ut non jam ex aliis unus, sed inter cæteros et super omnes videretur præcipuus. Sexto namque anno, ut fertur, conversionis suæ a sæculo, supra nominatus abbas felicis memoriæ, domnus videlicet et pius pater, Haymardus nomine, cujus monachus beatus erat Maiolus cujusque monitis C et jussionibus tota mentis intentione et corporis possibilitate parebat semperque parere decreverat, cœpit destitui in terra [interea] tota valetudine corporis et, quod sibi gravius erat, licet patienter ferret, amissione temporalis luminis. Et cum jam se ad occasum vergere præsciret et cognosceret se non posse diu tanti cœnobii tantarumque spiritualium ovium curam gerere, de ordinatione cœpit monasterii suique successoris electione cum spiritalibus et religiosis fratribus spiritaliter tractare, et cum tranquillitate animi patienter disponere. Facta est autem ab omnibus inquisitio, et ad quem omnium fratrum tendebat, ad domnum

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

paginam Lugdunensi Ecclesiæ tuæ primatum super quatuor provincias confirmamus. » Ac rursus paulo post: « Provincias autem illas, quas vobis confirmamus, dicimus Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem et Senonensem, ut hæ videlicet provinciæ condignam Lugdunensi Ecclesiæ obedientiam solvant, et honorem, quem Romani pontifices reddendum esse scriptis propriis præfixerunt, devote humiliterque exhibeant. » Confirmavit quoque Paschalis II, anno Christi 1116, in persona Gozerani archiepiscopi et primatis, ad quem hæc reperiuntur in diplomate verba: « Idcirco venerabilis frater, Gozerane, Lugdunensis archiepiscope, præsentis decreti pagina, fraternitati tuæ, tuisque successoribus, et per vos eidem Lugdunensi Ecclesiæ confirmamus primatum super quatuor Galliarum primatiis, videlicet Lugdunensi, Rothomagensi, Turonensi, et super Senonensi, sicut a nostris constat antecessoribus institutum. »

D (42) *Antonium virum eruditum habere voluit præceptorem.* Idem refert monachus Silviniacensis in Vita ejusdem Maioli: « Unde factum est, inquit, ut litterarum discendarum studio instigatus, audita cujusdam Antonii opinione, qui magnæ deditus philosophiæ, Lugdunenses regebat scholas, illuc gressum dirigeret formaque discipuli assumpta, præsidentis magisterio se devotus committeret. »

(43) *Matisc. civitatis episcopum.* Naymbodum fortasse, qui sedit ab anno 941 usque ad annum 962, affuitque testamento principis cujusdam, nomine Sebonis, per quod recognoscens injuste se prioratum, sive abbatiolam Cariloci, sancto Odoni abbati Cluniacensi mancipatam detinuisse, « D. Eymardo Cluniensis cœnobii venerando abbati illam reddidit pro animæ suæ remedio, » circiter an. 942.

scincet Maiolum, pervenit electio. De cujus etenim electionis negotio, secundum granditatem sui dicere non sufficio, sed ut eloquio utar brevissimo, nec ibi nec alibi ad illud officium beato Maiolo nec potuit nec poterit præstantior inveniri. Quid plura? Electus advocatur, invitatus restitit, rogatus contradicit, adjuratus tremiscit, interdictus quiescit. Proinde laudes Deo referimus quoniam superavit contradictionis decretum obedientiæ prædicabile documentum. Postremo a fratribus eligitur, a populo acclamatur, a pontificibus benedicitur, et a supradicto patre monasterii in loco sublimi celeberrime collocatur, et a fratribus officiosissime salutatur, et ab omnibus domnus et abba honoratur (44) et colitur. Et non solum a suis, sed etiam ab omnibus qui eum videre et cognoscere potuerunt, ultra omnes sui temporis homines omni honore et veneratione est habitus. De cujus ortu et vita, moribus, miraculis et obitu, majorum nostrorum dicta præclaro famine prolata sufficiant. Illi vero qui de magnis maxima dicere potuerunt, clarissimos ejus actus et merita a Domino sibi collata magnifice descripserunt. Ego vero ultimus servorum illius servulus, non alia, sed ea quæ ipsi præfati sunt, stylo paupere ac brevissimis distinctionibus capitulatim quoquomodo ausus sum adnotare, secutus Alcuinum (45), majoris Caroli imperatoris magistrum, sic et impar eo quantum peccator justo, illiteratus perito, fari nesciens facundissimo. Ille summi et incomparabilis viri et sanctissimi sacerdotis Martini Vitam, a Severo Sulpitio altissimo stylo descriptam, dictis plenioribus clucidatam, ad nostram nostrorumque similium destinavit notitiam. Sicut nemo post apostolos beatissimo æquatur Martino, ita et ego multum me imparem profiteor Alcuino. Dixit ille, utpote magnus, magna de magno; dicam ego parvus parva de magno. Dixit ille de suo Martino sicut de summo sacerdote et incomparabili viro; dicam ego de Maiolo, sicut de piissimo patre et abbate sanctissimo, præstantissimo viro et vere catholico.

Fuit igitur ille clarissimis natalibus ortus, et ex utroque parente gemina nobilitate coruscus. Hic, ad illuminationem multorum, ab ipso æterno Lumine luminum, velut astrum persplendidum, humanæ conditionis destinatur ad ortum. Fuit enim ipse, nobilis ut erat, et nobiliter nutritus, et solerter eruditus. Et ut ab inferioribus ad altiora conscendere valeamus, erat vir jam dictus, sæpe dicendus sæpeque recolendus, ingressu gravis, voce sublimis, ore facundus, visu jucundus, vultu angelicus, aspectu serenus, in omni motu, gestu vel actu corporis honestatem præsentans. Omnium membrorum convenienti positione decentissime comptus, omnium mortalium mihi videbatur pulcherrimus. Erat enim fide firmus, spe certus, gemina charitate refertus, sapientia clarus, intellectu mirabilis, consilio providus, robustus fortitudine, spiritalis scientiæ assiduus cultor et charitativæ pietatis verus amator. Replevit eum spiritus timoris Domini : qui, ut David propheta testatur, *initium sapientiæ* (*Psal.* cx) esse dignoscitur, illius videlicet sapientiæ, cujus claritate beatus Maiolus perfusus, cœlestium beatitudinum meruit percipere munus. Hujus muneris lumine noster Maiolus accensus, cum pauperibus spiritu pauper voluit fieri, ut a rege cœlorum regno cœlesti mereretur ditari. Cum beatis mitibus studuit mitescere, ut cum ipsis posset terram viventium possidere. Cum beatis lugentibus desiderabat filiorum suorum negligentias et totius mundi discrimina plangere, ut ad æternam consolationem cum suis omnibus posset pervenire. Esurientibus et sitientibus justitiam, eamdem justitiam esuriendo et sitiendo studuit sociare, et cum ipsis in cœlesti convivio epulari, semper et spiritalibus deliciis satiari. Studuit ut miseris misericors esset, ut cum beatis misericordibus misericordiam a Domino consequi posset. In quantum homo intentus assidue cœlesti desiderio, divinam contemplationem justis meritis et jugi deprecatione meruit obtinere, ut cum beatis cor mundum habentibus dignus mereretur Domini visione. Et, ut verissime mereretur Dei filius vocari et esse, perfecte didicit esse pacificus, ut non tantum modo ad possidendam animam suam haberet patientiam, sed ut omnes discordantes, ut potuit, ad concordiam revocaret et pacem. Propter justitiam persecutiones et passiones ab antiquo hoste et malis hominibus patienter didicit sustinere, ut beatus propter justitiam patientibus et spiritu pauperibus ad percipiendum et possidendum regnum cœlorum posset fieri sociatus (*Matth.* v, 3-11).

Tribus supradictis adornatus virtutibus, beatissimus pater Maiolus, et octo ex Evangelio benedictionibus circumfultus undique, etiam quatuor cardinales disciplinas ferventi desiderio studuit acquirere et acquisitas operibus justis incolere, ut per prudentiam suam suorumque in antea provideret salutem; per temperantiam, quæ alio nomine vocatur modestia, temperamento justæ discretionis modeste disponeret spiritalia injuncta sibi negotia; per fortitudinem diabolo vitiisque ejus valeret resistere, et resistendo, ipsum auctorem malitiæ, decertando legitime, viriliter superare; per justitiam vero, quæ per omnia genera virtutum diffunditur et earumdem virtutum condimentum esse videtur,

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(44) *Et ab omnibus domnus et abba honoratur.* Ex regula S. Benedicti desumptum hoc, in qua, cap. 53, hæc leguntur : « Abbas autem, quia vices Christi agere creditur, domnus et abbas vocetur : non sua assumptione, sed honore et amore Christi. » Vivenda quæ notabimus ad Petri Venerabilis epistolas.

(45) *Secutus Alcuinum*, virum et pium et doctum, Anglum natione, civitatis Eboraci decus unicum, Parisiensis academiæ, sicut vulgo creditur, primum institutorem, abbatemque sancti Martini Turonensis, cujus omnia scripta partim ex veteribus editionibus, partim ex ms. codd. nondum typis excusis, brevi, si Deus faxit, edituri sumus.

sobrie, et pie et juste vivendo (*Tit.* II), bonum certamen certando, cursum consummando, fidem servando, repositam sibi coronam justitiæ ab ipso mereretur percipere (*II Tim.* IV), qui est omnium virtutum largitor et auctor, et ante omnia et super omnia Deus benedictus in sæcula, cujus benedictionis largitas et clemens benignitas contulit nobis in munere quo tali tantoque frueremur pastore. In quo habemus exemplum quod sequamur, et in quo nobis apposita est forma cui imprimamur, sicut B. Gregorius de capite nostro Jesu Christo, Domino nostro, dicit, in cujus corporis propagatione beatus Maiolus, veluti sanissimum membrum, optimum locum meruit obtinere. De cujus vita et virtutibus animæ cum quis audierit præscripta prædicamenta retexere, curabit forsitan de miraculis visibilibus et corporalibus signis inquirere, quibus astipulatur et corroboratur fides illorum qui solent dubitare de meritis et præmiis electorum; quibus B. Gregorii verbis respondendum est : « Fides non habet meritum, ubi humana ratio probat experimentum. » Et ne quis dubitet de sanctitate ejus et gloria, discat ab eis qui eum visu et auditu noverunt qualiter vixit, qualiter docuit et qualiter plenus dierum, adornatus virtutibus ab hac luce discessit, et cum cognoverit eum fidelium attestatione sancte vixisse, recte docuisse, credat eum procul dubio ad sanctorum omnium gloriam Christo duce pervenisse. Quanta per eum Dominus et ante et post transitum ejus ostendere dignatus est miracula, testantur volumina a doctissimis viris ordinata sensu catholico, calamo conscripta rhetorico et in quibusdam locis metro variata dactylico. Et quia Deus omnipotens nullum tempus patitur transire sine testimonio suæ benignitatis, ad corrigendas negligentias nostræ fragilitatis frequenter renovat exempla sanctitatis. Sed et isto tempore frequentius solito contigit evenisse.

Inter omnes titulum sanctitatis præferentes qui nostris temporibus effulserunt, beatus Maiolus præcipuus apparuit. De cujus honestis moribus et vitæ honestæ virtutibus, a nobis pro tempore pauca dicenda sunt. Ut vere fatear, fuit ad omnia utilis et per cuncta laudabilis. Erat enim honestas in actione, sobrietas in consuetudine, humilitas in prosperitate, A patientia in adversitate. Mansuetis erat affabilis, superbis terribilis, parcus cum debuit, diffusus ut decuit. Non diversus in habitu, non confusus in actu. Quantum ad hominem unus semper et idem. Devotus imitator sanctorum, et eorum maxime intentus auditor esse studuit, quorum servituti et disciplinis ad obediendum et serviendum se subdidit. Illam septenariam copulam ab apostolo Petro in ternario et quaternario numero ordine mirifico luculenter dispositam, non aure surda audiens audiendo addidicit, et, ut alii discerent, lingua ac manu perdocuit, ministrans in fide virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem (*II Petr.* I). Præferebat etiam dialecticis syllogismis, et rhetoricis argumentis et omnibus ingeniis philosophorum omnium apostolicæ simplicitatis prædicabile documentum, dicens cum Paulo : *Ego enim didici, in quibus sum sufficiens ; scio et humiliari, scio et abundare. Ubique et in omnibus institutus sum, et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat* (*Phil.* IV). Tantorum doctorum et divinorum philosophorum sapientia perdoctus, et totius ecclesiasticæ disciplinæ eruditionibus et virtutibus illustratus, ut de Moyse Ecclesiasticus sermo loquitur : *Factus est Deo dilectus et hominibus, et ideo memoria ejus in benedictione est* (*Eccli.* XLV). Vere dilectus Deo et hominibus exstitit Pater C Maiolus, quia, per dilectionem Dei et proximi quam firmiter tenuit, Deo placuit et hominibus ; ita studuit placere hominibus ut Deo non displiceret, ita Deo ut hominibus prodesset. Placuit Deo, bene vivendo et recte docendo. Placuit hominibus, pro posse spiritalia et temporalia eis beneficia exhibendo. Vere enim memoriam ejus in benedictione cognoscimus existere, dum recolimus et adhuc perspicue cernimus per eum et eos quos in Christo genuit ædificia fabricæ cœlestis excrevisse, crevisse et crescere. Et ut pace spiritualium artificum in eadem fabrica laborantium dicam, unus præcipue refulsit, qui nuper rebus humanis excessit, et qui plus omnibus nobis, laboravit, domnus videlicet et abba Willelmus (46), de cujus clarissimis actibus et vita laudabili et mi-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(46) *Domnus videlicet et abba Willelmus* qui monasterium S. Benigni Divionensis præcipiente Maiolo reformavit, ejusque abbas et rector constitutus est, uti docet Chronicon ejusdem monasterii his verbis : « Videns domnus episcopus Bruno statum loci in ambiguo positum, supplex adiit D. Maiolum Cluniacensis monasterii abbatem, multaque prece poposcit quatenus ejus auxilio quivisset reparare in melius, interius religionem, et exterius possessiones. Cujus precibus flexus reverendus abbas Maiolus, dedit ei duodecim monachos ex omni congregatione electos, disciplina sanctæ religionis instructos, divina et humana sapientia doctos, nobilitate carnali claros. His abbatem præfecit, Willelmum nomine, et patrem spiritalem sibi poscentibus filiis instituit. Hic Italia exstitit oriundus, alto satis germine, et D nobili prosapia editus, quem supradictus D. Maiolus, Romam veniens, in monasterio Lanceio dicto, ubi a puero educatus fuerat, reperit assumensque eum ipso deprecante, secum adduxit Cluniacum ætate juvenili florentem. Ordinatus est igitur abbas a D. Brunone episcopo, anno Domini 990. Officio vero abbatis accepto, divinis seipsum cœpit exercere virtutibus. Erat enim corpore castus, mente devotus, affabilis alloquio, prudentia præditus, temperantia clarus, interna fortitudine firmus, censura justitiæ stabilis, longanimitate assiduus, patientia robustus, humilitate mansuetus, bonorum operum gratia plenus, » etc. Hujus audita fama religionis, « Henricus dux Burgundiæ, » sicut fert idem Chronicon, « commisit ei abbatiam Verzeliacensem, pene ad nihilum redactam, ut ab eo restitueretur in pri-

ravili conversatione parvitas nostra non sufficit quod sentit ad plenum referre.

Quam perspicue beatissimi Maioli ejusque discipulorum in benedictione existat memoria, respondeant monasteria ab ipsis alia a fundamentis constructa, alia de corruptione cum incremento virtutum ad meliorem statum reducta. Quantum vir iste, de quo loquimur, Deo placuit, per signa et miracula quæ per meritum ejus Dominus operatus est, hominibus manifeste dignatus est demonstrare, dum multorum fidelium, ut fidelissima testatur relatio, multis diversis infirmitatibus constricti, etiam de de vita desperantes, ab eo visitati per gratiam Domini pristinæ sanitati sunt redditi. Plures, oculorum detersa caligine, per meritum ejus clarius cœperunt videre. Multi diversi generis febribus afflicti, præstante Domini gratia, ejus orationibus sunt liberati. Multi, ut ferunt, a veneno serpentium, morsibus luporum et canum, incursione et illusione dæmonum per Dominicæ crucis signaculum dextera ejus expressum meruerunt recipere salutare remedium. Multi, in periculis fluminum, ab ictibus fulgurum et cæteris incommoditatibus ejus sunt liberati intercessionibus. Aliquando candelæ, vel negligentia cubicularii vel occasione alicujus eventus in noctibus ante lectum ejus exstinctæ, ut testati sunt qui adfuerunt, divinitus sunt lumini restitutæ.

Cum esset aliquando in monasterio sanctissimi martyris Dionysii, et nocturno tempore legeret, ut sui moris erat, ejusdem martyris et admirabilis utraque lingua, utraque conditione philosophi, librum De principatu cœlesti, gravi somno superveniente candela de manu ejus super libri paginam defluit. Accidit tunc quiddam mirabile et insolitum. Ignis, naturæ suæ officium prosequens, lignum [linum] consumpsit et ceram, paginam dimisit illæsam. Si non ressuscitavit mortuorum corpora, sunt alia potiora et clariora quæ per eum Dominus patravit miracula. *Si anima plus est quam corpus* (*Matth.* VI), multo major et excellentior est animarum ad vitam æternam reparatio quam resuscitatio corporum ad vitæ hujus ærumnas et pericula redeuntium. Quantos de morte animæ et vitiorum voragine suscitavit et in vias vitæ suo exemplo introduxit, eorum numerositas, soli Deo cognita, dinumerare non sinit. His et ejuscemodi virtutibus clarus Deo et hominibus exstitit charus. Multi catholici et honorabiles clerici, religiosi monachi et reverendi abbates venerabantur illum ut sanctissimum Patrem. Sancti et sapientes episcopi tractabant illum ut charissimum fratrem. Ab imperatoribus et imperatricibus, regibus et mundi principibus senior appellabatur et dominus. Honorabatur a pontificibus apostolicæ sedis, et vere erat eo tempore princeps religionis monasticæ. Ille D. Cæsar et Maximus Otto eum diligebat pectore toto. Diligebat eum ejusdem Cæsaris conjux, diva Adaleida imperatrix Augusta (47), charitate sincerissima et devotione charissima. Diligebat eum eorum filius humili devotione, imperator Otto, affectu et non dissimili voto ; Chuonradus, supradictæ imperatricis frater nobilis et pacificus, ejusque Mathildis nobilissima conjux. Quanto frequentius faciem ejus cernebant, tanto amplius in ejus amore crescebant. Quid dicam de nobilissimo Henrico Burgundionum duce ? Quid de Lamberto, illustrissimo viro et nobilissimo comite? Quid de Willelmo? (48) quid de Ricardo (49) Aquitanorum et Normanorum fortissimis ducibus ? Quid de Italicis principibus et marchionibus? Quantum illum Willelmus rector Provinciæ (50) coluit, vita illius et finis ostendit. Per ejus

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

stinum statum; quod et fecit auxiliante Deo. Dominus quoque episcopus Bruno omnia in suo episcopio monasteria ipsius delegavit providentiæ, abbatiam scilicet Besuensem apostolorum Petri et Pauli honore dicatam, monasterium sancti Joannis quod Reomans dicitur, locum sancti Michaelis archangeli juxta castrum Tarnodorum, abbatiam Mellundensem ubi sanctus Valerius archidiaconus et martyr quiescit. » Devotissimum Deo vocat Asson, lib. II Historiæ Berchorii abbatis, ubi et illum ait « sancti Benigni Divionensis Ecclesiam religione et parietibus per auxilium Brunonis Lingonensis episcopi miro opere innovasse. » Sed et Glaber Rodulphus lib. III Hist. Franc., cap. 5, summopere commendat ejus ardorem in monasteriis vel reformandis, vel ex novo instituendis : « Claruit, inquit, eo in tempore in prædicta domorum Dei meliorathone venerabilis abbas Willermus, a beato siquidem Maiolo primitus Ecclesiæ sancti martyris Benigni pater constitutus. » Et paulo post : « Erat prædictus Willermus acer ingenio, et insignis prudentia; ideirco summum in palatiis regum ac cæterorum principum obtinebat locum. Quodcunque denique monasterium proprio nudabatur pastore, statim compellebatur tam a regibus vel comitibus quam a pontificibus, ut meliorandi gratia illud ad regendum susciperet, quoniam ultra cætera divitiis et sanctitate ipsius patrocinio assumpta cernebantur excellere monasteria. »

(47) *Diva Adalcida imperatrix augusta.* Cujus Vitam ipse sanctus Odilo scripsit, exstantque etiam Gerberti, qui postea fuit pontifex Romanus, Silvester secundus dictus, ad eam aliquot epistolæ.

(48) *Quid de Willelmo Aquitanorum duce.* Ebli scilicet Arvernorum Pictavorumque comitis filio, qui Caputstupæ cognominatus est, ut docet Ademarus in Historia Aquitaniæ : « Filius, inquit, Ranulfi Eblus Arvernis et Pictavis simul comes promovetur, acceptaque in conjugium Adela filia Rosi Rothomagensis ex ea genuit Willelmum Caputstupæ. » Et postea : « Willelmus Caputstupæ, filius Ebli Ranulfi comitis Pictavensis, Arvernis, Vallatis, Lemovicæ, et Pictavis comes provectus, dux Aquitaniæ exstitit. »

(49) *Quid de Richardo Norman.* Richardus hic I nomine, Willelmi ducis filius, qui et filium reliquit, Richardum etiam dictum, sui ducatus hæredem.

(50) *Willelmus rector Provinciæ.* Qui Bossonem, primum Provinciæ comitem, patrem habuit, paterque ipse fuit Constantiæ, Roberti Francorum regis uxoris. Est enim ille sine dubio Guillelmus, quem Historia consulum Andegavensium Arelatensem comitem vocat his verbis : « Accepit autem supradictus rex Robertus neptem prædicti Fulconis » Nerræ comitis Andegavorum, « nomine et animo Constantiam inclytam reginam, filiam Guillermi comitis Arelatensis, natam de Blanca sorore ejus, ex qua etiam suscepit filios quatuor et filias duas. » Unde patet et illos decipi qui Blancam Constantiæ reginæ ma-

quoque meritum et fidele obsequium beati Benedicti percipere meruit habitum.

Archeanbaldus (51) etiam Silviniacensis loci provisor (52) fidelissimus, inter suos clarissimus, et adjacentis patriæ pater et pauperum tutor fortissimus, quantum et qualiter exstitit beato Maiolo devotus, supradictus multimode prædicat locus, ab eo et ante et post transitum semper dicendi patris ædificiis, et divitiis et diversorum ornamentorum speciebus ornatus et nobilitatus, ita ut deceret si tale quid fecisset aliquis ex regibus. Iste vero, qui nunc superest, honoris ejus hæres et nominis, bene tractat locum illum, nullum etiam infert habitatoribus damnum. Adeo magnificatus et glorificatus est beatus Maiolus, Domini præveniente gratia, in conspectu regum et principum, coram omni populo, ut possimus dicere de eo sine dubio, quod de Moysis Dei famulo Ecclesiasticus replicat sermo : *Glorificavit illum in conspectu regum, et ostendit illi gloriam suam* (*Eccli.* XLV). Hugo, rex Francorum, quotrem hujusque Guillelmi conjugem, sororem faciunt Godefridi, cognomento Grizætunicæ, Fulconis avi.

(51) *Archeanbaldus.* De Borbonio dictus, magnique illius Archembaldi comitis proles, qui Clotario I Francorum rege vixit, uti quidam asserunt.

(52) *Silviniacensis loci provisor.* Imo et forte fundatoris filius. Archembaldos enim primos Silviniacensis cœnobii benefactores exstitisse testatur vel Urbanus II papa litteris suis ad monachos Silviniacenses datis anno 1097, in quibus hæc inter cætera leguntur : « Unde etiam egregium militem Archimbaldum sub manus propriæ stipulatione in manum nostram polliceri supra parentis proprii tumulum fecimus, ut universa quæ pater, aut avi ejus loco vestro contulerant, tam in rebus quam in immunitatibus et consuetudinibus omni vitæ suæ tempore debeat illibata servare. » Quod et instrumentum publicum super adventu jucundo Caroli Borbonienses et Arverniæ comitis, confectum anno 1434 aperte confirmat, ubi majores ejus, Archembaldi nempe Borbonii domini, « fundatores et protectores Silviniacensis monasterii » nuncupantur. Quando vero, quisve veterum illorum Archembaldorum monasterium hoc primus construxerit ac dotaverit, haud usquequaque certum, quia, cum destructione Silviniaci, quæ contigit tempore Stephani Cluniacensis abbatis, periit et Chartarum cœnobii major pars, sicut Pontius Claromontensis episcopus docet in diplomate, cujus initium tale est. « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, anno ab incarnatione Domini 1173. Ego Pontius Dei gratia Arvernorum episcopus, compatiens desolationi et destructioni Silviniacensis monasterii, solo intuitu divino pro bono pacis, et stabilitate, ex mandato etiam et consensu Stephani Cluniacensis abbatis totiusque capituli, et postmodum in præsentia domini Ludovici, Francorum regis, ab ipso abbate confirmato, onus et laborem relevandi monasterium, quod ab antiquo magnis debitis fuerat prægravatum suscepi, propter quod Cluniacum venientes, monachos et Burgenses de consuetudinibus villæ et monasterii dissentientes, in præsentia nostra constitutos diligenter audivimus, » etc.

(53) *Hugo rex Francorum rogavit, ut monasterium S. Dionysii ejus consilio melius ordinari posset.* Rogavit quidem rex Hugo, sed abbas Maiolus morte præventus id ipsum successori suo præstandum reliquit, ut ex his Ademari verbis constat : « Beati Dionysii cœnobium, quod jam pristinam monasticam corruperat regulam, rex Hugo regulari honestate, sicut in Ecclesiis Domini rectum erat, honestius restauravit per manum venerabilis Odilonis abbatis, et alia sanctorum nonnulla monasteria in decorem pristinæ disciplinæ revocavit. »

(54) *Usque ad locum Silviniacum pervenit.* Maiolum Silviniaci obiisse, et ad sepulcrum ejus infinita miracula contigisse memorant omnes qui de transitu illius scripserunt Unde et propter corporis sui gloriosi præsentiam, Romani pontifices locum illum speciali sedis apostolicæ protectione munierunt, et Francorum reges etiam nummorum cudendorum jure speciatim decorarunt, quorum aliquos æreos beneficio D. Savaronis Arvernorum præsidis vidimus, inscriptionem et effigiem S. Maioli gerentes impressam hoc modo :

Vidimus et alios minores, in quibus eadem inscriptio, sed diversa pedi pastoralis tum repræsentatio, tum constitutio. Valor autem omnium, si quis scire desiderat, sic habet in registris Monet. general. Paris.

La monnoye de Sauuigny, qui est Monsieur Loys de Clermont et au Prieur de Sauuigny, les deux doivent estre à iij. d. XVI. *grains de loy argent le Roy, et de* XIX. *souz* VI. *d. de poids au marc de Paris. Item les maailes de ladicte monnoye doivent estre à* III. *d. de loy argent le Roy, et de* XVI *souz* VI *d. maailes doubles de pois au marc de Paris. Et ne pourront faire que le disieesme des maailes, c'est à dire neuf livres de deniers, et* C. *livres de maailes doubles, et aussi vaudront les deniers, et les maailes dessusdictes à value luy parmy l'autre à petiz t. et à ob. t.* XX. *d. mains la livre que petiz t. C'est à sçauoir que les* VIJ. *d. de la monnoye dessusdicte ne vaudront que* XII. *petiz t. Et doit faire Monsieur Louys de Clermont et le Prieur de Sauuigny le coing de leur monnoye deux croiz et deux piles.*

(55) *Rex Hugo adventus sui præsentia et regalibus donis exsequias ejus honoravit.* Imo et aliquanto post tumulum cum Burchardo comite Corboliensi, illoque ejus Rainaldo Parisiensi episcopo, ad S. Maioli expetendum auxilium visitavit, et ut loquitur scriptor Miracul. ejus, lib. II, cap. 3, « super infirmita-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ

patrantur miracula, et plurimis plurima præstita sunt et præstantur beneficia : quorum numerositatem et magnitudinem non sufficit per ordinem omnium nostrorum enarrare memoria. Sed ut brevissima utar conclusione, ad sepulcrum istius sanctissimi viri de quo loquimur et cujus vitam et merita charitati fidelium commendare nitimur, gratia et misericordia Christi a quacunque infirmitate detenti multi sanati sunt et sanantur infirmi. Ibi paralytici eriguntur et claudi, ibi febricitantes et cæci, ibi a dæmonibus possessi mundantur, et nescimus cujus generis igne terribiliter et miserabiliter adusti liberantur (56). Et quisquis ibi devotus adveniens de quacunque necessitate fideliter auxilium expetit, voti sui compos effectus redit ad propria sospes et lætus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Cum enim huic sententiæ vellem finem imponere, in qua de beati Maioli vita et moribus fideli temeritate et humili præsumptione nisus sum aliquid dicere, venit in memoria memorabile quoddam præsagium, quod in genitore illius quorumdam fidelium relatione audiveram gestum. Quod, ut quidam referunt, isdem pater frequenter jucundo sermone solitus erat referre. Sed ego huic operi timebam inserere, ne alicui videretur incredibile. Postquam accidentia quædam, quæ temporibus illius evenire contigit, quibus præsagium illud apertissima ratione favebat, recolere cœpi, indubitanter inde aliquid dicere disposui. Sed insolitæ rei nova materies contradicebat incipere, quod ob granditatem sui timebam me non posse perficere. Et cum hæc cogitarem, dicebat ipsa mea cogitatio mihi : Tam idonee poterit quis referre ingenio alicujus viri boni delusam crudelissimam rabiem lupi, sicut ille retulit mansuetudinem et obedientiam leonis, qui scripsit Vitam B. Hieronymi divinæ legis interpretis, doctissimi, eruditissimi et catholici viri? Imminente itaque tempore illo quo ab Hispaniæ finibus ebulliens crudelissima Sarracenorum ingens multitudo per iter navale ad terminos usque Italiæ atque Provinciæ pervenit et in utroque regno utriusque ordinis sexus ætatis hominum strages dedit ; deinde monasteria destruens, urbes, vicos villasque depopulans et sic per Alpes Julias usque ad juga Penninarum Alpium rapido cursu pervenit, ibique impietatis suæ frena relaxans, per multorum temporum spatia Christiani nominis populos diversis infestationibus et calamitatibus afflixit, alios occidendo, alios capiendo, alios bonis suis omnibus exspoliando, impietatis suæ vota taliter tyrannica exercitatione complevit ; inter cætera mala quæ populus ille nefandissimus gessit, beatissimum Patrem Maiolum, a liminibus apostolorum redeuntem, fraude et insidiis cepit, rebus omnibus exspoliatum, vinculis alligavit, fame et siti afflixit. Ille vero divinitus absolutus, ad postremum pecuniis monasterii sui redemptus, de manibus illorum Domino protegente evasit illæsus, et ejus injusta captio expulsionis illorum et perpetuæ perditionis fuit occasio. Sicut vero, post passionem Christi, Judæi sunt a suis exsulati, ita, post captionem servi illius et fidelissimi ejus famuli Maioli, Sarraceni a finibus Christianorum sunt expulsi. Et sicut per Titum et Vespasianum, Romanorum principes, Dominus a Judæis vindictam exercuit, ita per Willelmum illustrissimum virum (57) et Christianissimum principem, meritis beati Maioli jugum Sarracenorum ab humeris Christianorum deposuit. Et multa terrarum spatia, ab eis injuste possessa, ab eorum tyrannica dominatione potenti virtute eripuit. Sed, his dictis, necesse est ut ad proposita redeamus.

Quæ sunt quæ proposuimus? Præsagium quoddam memorabile, favens accidentiis temporibus beati Maioli supervenientibus. Quæ sunt illa accidentia? Sarracenorum improvisus adventus, Christianorum afflictio, monasteriorum et urbium destructio, ipsius beati Maioli captio, redemptio, et liberatio (58), et ejusdem ferocissimæ gentis a Christianorum finibus, Christo auxiliante, dejectio. Quod vel quale est illud præsagium memorabile? Præcessit enim crudelissimam infestationem Sarracenorum rabies inaudita luporum in illis maxime partibus, in quibus post transitum maris totus Sarracenorum efferbuit impetus. Diximus pro modulo qualiter liberata est fidelium multitudo a Sarracenorum persecutione, dicamus pro posse quo ordine liberata est patria a luporum infestatione. Fuit eodem tempore quidam miles in illis partibus, nomine Folcherius (59), in armis strenuus, jure hæreditario cæterisque bonis et divitiis ditissi-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

tis suæ gravitudinem invenire promeruit aliquantulam levigabilitatem. »

(56) *Nescimus cujus generis igne terribiliter adusti liberantur.* Idem refert Glaber, lib. II, cap. 7, cujus verba, quia locum hunc aliquomodo explicare videntur, hic exscribere non pigebit. « Pontifices, inquit, in Galliis quique religiosiores a sæculo excesserunt, inter quos etiam bonæ memoriæ sanctus videlicet Maiolus apud Silviniacum cœnobium, vitæ præsentis terminum consecutus. Cujus scilicet vitæ honestatem pretiosus etiam commendat transitus. Nam ad illius famam sanctitatis confluxere ex universo Romano orbe viri et mulieres utrorumque ordinum plurimi, exinde referentes diversarum infirmitatum gratias sanitatis. Desæviebat eodem tempore clades pessima in hominibus, ignis scilicet occultus, qui quodcunque membrorum arripuisset, exurendo truncabat a corpore. Plerosque etiam in spatio unius noctis hujus ignis consumpsit exustio. Sed cum in plurimis sanctorum memoriis hujus tremendæ pestis sint inventa remedia, maximus tamen concursus factus est ad trium sanctorum confessorum ecclesias, Martini scilicet Turonorum, atque Odolrici Bajoariorum, necnon et istius venerabilis patris Maioli, optatæque salutis inventa sunt remedia. »

(57) *Per Willelmum illustrissimum virum.* Arelatæ sive Provinciæ comitem, de quo jam supra.

(58) *B. Maioli captio, redemptio, et liberatio.* De quibus et Glaber, lib. I Hist. cap. 4 et Monachus Silviniacensis in Vita sancti Maioli.

(59) *Miles, nomine Folcherius.* Pater scilicet

mus, et, ut de nobilissima ejus prole diximus, ex utroque parente gemina nobilitate coruscus, vir magni consilii, prudentis sagacisque ingenii, pater videlicet istius sanctissimi Patris nostri, de quo loquimur, Maioli. In cujus possessione et affinitate supradicta rabies luporum excrevit quam maxime. In quorum horum, videlicet luporum, multitudine unus videbatur cæteris corpore validior, cursu velocior, ad dilacerandum crudelior, ad devorandum elatior in tantum ut humanorum corporum membra sua voracitate deglutiret integra. Tunc vir ille, audiens et videns quotidie talem pestem tantamque calamitatem excrescere, non modo suam, sed etiam aliorum necessitatem cœpit intra se tractare et intensissime cogitare qualiter se suosque cives de tanto talique periculo potuisset liberare. Tunc demum divino nutu admonitus, cœlesti consilio confortatus, præcepit sepes erigere, caulas componere, arietes, oves et agnos in eas introducere, quod nullus eo tempore propter luporum rabiem ausus erat facere. Deinde armis militaribus, lorica videlicet et galea indutus, desuper totus ovinis pellibus tectus, cœpit nocturno tempore juxta caulas residere ovium.

Facta est autem in una noctium super easdem caulas ovium incursio luporum. Nutu Dei accidit ut lupus qui crudelior erat super virum præstolantem se irrueret; super dorsum ejus saltum dedit, utrosque pedes super humeros ejus posuit, cœpit circumquaque exquirere unde facilius arietem, qui non aderat, posset exstinguere. Guttur et collum inveniebat lorica munitum, caput galea tectum, corpus regio septum munimine; nulla parte potuit illum nocere. Vir ille, statim utrasque manus extendens, lupi pedes ambos arripiens, fortis ut erat, fortiter lupi membra suis membris astringens, concito cursu ad socios rediens, quibus diu exspectantibus et tali agone dubitantibus offertur eorum obtutibus magnus pro magno munere lupus. Servatur vivus in crastinum, præsentatur hominibus, quibus fuerat semper infestus. Occiditur, dilaceratur, et inter ejus viscera humanorum corporum inveniuntur integra membra. Occisus trunco suspenditur, et dum unus occiditur, omnes alii ab illis finibus effugantur. Si quis hæc prudenter intelligi voluerit, aliquid spiritale inde conjicere poterit. Per luporum rabiem ego credo denuntiatam Sarracenorum sævitiam. Per illum virum in laico habitu in multis laudabilem, qui lupum delusit et deludendo occidit, filium et intelligo præmonstratum, qui lupo invisibili, antiquo videlicet hoste, Christi virtute superato, cum suis omnibus vitiis et illusionibus spreto, cœlesti virtute et spiritualibus armis subacto, multorum fidelium animas, de potestate ejus, exemplo, doctrina et meritis suis eripuit, et in viam salutis, vitæ, et veritatis et justitiæ introduxit. Ipso præcedente, comitante et subsequente, qui est via, veritas et vita, Dominus videlicet Jesus Christus, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

Maioli, quem unius mutatione litteræ Fulcherium appellat anonymus his verbis: *Beatus Maiolus regionis quæ Provincia nuncupatur oriundus, oppidanorum Avennicorum alumnus, Gallicana generositate conspicuus, patre Fulcherio procreatus, nobilis parentelæ germen eluxit nobilius.*

SANCTI ODILONIS

HYMNI QUATUOR

IN VIGILIA BEATI MAIOLI.

(*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 291.)

IN VIGILIA B. MAIOLI

Hymnus ad Vesperas.

Victoris Agni sanguine
Dies sacratus hodie,
Fusus supremo lumine,
Gemina pollens lampade:
Ecce paschale gaudium
Fulget per omne sæculum;
Magni Maioli transitum,
Vitam simul et meritum
Pangat clerus et populus,
Maxime grex monasticus,
Quo nil habuit dulcius,
Dum esset terris positus.
Præcedit Christus patiens,
Maiolus illum confitens
Sequitur recto tramite,
Dei præventus munere.
Patriarcharum solidam
Fidem opere coluit:
Quod chorus vatum cecinit,
Fideli fide credidit.
Ordinis apostolici
Sectando sacra dogmata

Factus est pater inclytus
Ipse vir apostolicus.
Cujus clara confessio
Coronatur martyrio
Decertando legitime,
Subacto mundi principe.
Templum ipse virgineum
Pectus sacravit proprium,
Cœlestis vitæ nuntius
Recte vocatur angelus.
Quorum gaudet nominibus
Pater noster egregius
His nos jungat in æthera,
Christi favente gratia.
Cui sit laus et gloria
Tollenti mundi crimina :
Cum Patre et sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Hymnus in Nocturnis.

Christe, cunctorum via, lux sanctorum,
Precibus sacris venerandi Patris
Magni Maioli populo fideli
Gaudia pacis
Mitte de cœlis, veniamque nostris
Largire culpis. . . . . .
Adsit et nobis gratia perennis
Spiritus almi.
Cujus protecti munere potenti,
Patrum exemplis meritisque celsis,
Pariter arctum mereamur altum
Scandere regnum.
Gloria Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriusque semper,
Spiritus alme, Deus unus omni
Tempore sæcli. Amen.

In Laudibus. Hymnus.

Maiole, consors procerum
Regum Regi placentium
Inter cœlestes aulicos
Divinitatis conscios,
A Honoris privilegio
Cœtu junctus monastico :
Sed et choris angelicis
Frueris aula luminis.
Unde, Pater, nos respice
Pressos peccati pondere;
Depone gravem sarcinam
Leviga conscientiam.
Hic fascibus depositis,
Mortis solutos vinculis,
Junge nos tuos servulos
Monachis præstantissimis
Cum quibus nos perpetua
Possideamus gaudia,
Christi favente gratia,
B Per infinita sæcula. Amen.

Ad secundas Vesperas. Hymnus.

Christe, cunctorum pariter tuorum
Palmitum vitis, Deus alme, nobis
Præbe Maioli celebrare tanti
Festa patroni.
Quem tibi nostris placuit diebus
Pluribus signis meritisque dignis
Regibus coram hominumque turmis
Glorificare.
Annuas istisque sic interesse
Gaudiis nos perpetuis et amplis
Pro reis gestis merito carere
Ut nequeamus.
Quæsumus, Rector, pietatis auctor,
C Noster hic pastor tibi sit precator,
Quo tua nobis pietate cunctis
Crimina dones.
Cujus in tanto pia vota festo
Congruit nobis jugiter canendo
Insuper Paschæ tibi duplicatas
Solvere laudes.
Trinitas, Deus unus atque summus,
Sit tibi, Rex, gloria sempiterna,
Qui regis tanta bonitate cuncta
Omne per ævum. Amen.

EPITAPHIUM ADALHEIDÆ IMPERATRICIS

AUCTORE S. ODILONE

(Apud D. Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. IV, pag. 633.)

MONITUM.

S. Odilo, quintus Cluniacensium abbas, celeberrimus monasteriorum sui temporis reformator, Arvernis circa an. 962, natus, an. 993 Maiolo in D regimine cœnobii Cluniacensis successit, et plurimis memoria dignis peractis, an. 1049 obiit.

Litteris sacris bene eruditus et assiduus librorum

Hieronymi lector, Odilo ejus exemplo (60) Adalheidi imperatrici, quacum ultimis vitæ ejus annis intima charitate conjunctus fuerat, anno 999 defunctæ, epitaphium conscripsit, quo beatam ejus vitam et præcipua facta succincte exposita oblivioni eximeret, et, ut ipse fatetur, alium rei exigendæ aptiorem ad vitam imperatricis scribendam incitaret. Non igitur vitæ historiam integram et accuratam exspectes; sunt præcipua tantum feminæ egregiæ fata strictim recensita (61), opera pia enumerata (62), et ultimus vitæ annus, quo auctor Adalheidam comitatus esse videtur, fusius tractatus (63), sed a viro qui omnia ista aut ab Adalheida (64) aut præsens (65) comperisse censendus est. Liber defuncta imperatrice statim scriptus, ab Odilone Andreæ abbati et congregationi Ticinensi, fortasse et reliquis cœnobiis ab Adalheida fundatis, Paterniacensi et Saltzensi, transmissus est. Certe Saltzenses epitaphium noverant, cui sæculo XI medio (66) librum alterum, miracula S. Adalheidis enarrantem adjecerunt (67). Et quare unum Paterniacum, ubi ipse cum imperatrice ultimo vitæ ejus anno moratus fuerat, prætergrederetur? Accedit, quod codices epitaphii, quotquot reperiri potuerunt, textum trifarium præbent, quem ea ratione immutatum fuisse opinor, ut cum Odilo librum suum primo Ticinencibus obtulisset, eum secundis curis recognitum Paterniacum, et aliis parvi momenti correctis Saltziam mitteret. Ticinensis igitur codicis apographa exstant:

1) C. Oxoniensis inter Bodleianos n. 2690 (817, Bodl. Sup. D. Art. 91,) signatus, membranaceus in folio sæculi XI, quo ipse anno 1827 usus sum. Complectitur Vitam Odonis abbatis Cluniacensis, credulitatem Odilonis, Odilonis Vitam Maioli, Petri Damiani Vitam Odilonis, Odilonis Vitam Adalheidis, cujus ultimæ sententiæ octo paginis excisis desiderantur, fragmentum Vitæ S. Simeonis et sermones sex Odilonis (68). Textus in universum integer et bonus. Cui consentit

2) C., olim S. Martini de Campis, quem Martinus Marrier, ejus cœnobii monachus, tanta diligentia in Bibliotheca Cluniacensi Andreæ Duchesnii nomen præferente p. 353-362, expressit, ut ad instar codicis, qui hodie inter libros S. Martini de Campis bibliothocæ regiæ Parisiensi illatos desideratur, esse videatur. Epitaphium Ottonis I et Heinrici II subjicitur. Editioni isti Chesnius notas paucas aspersit.

3) C. olim Vallicellensis jam inter regios Bruxellenses n. 7460 insignis, et

3*) C. olim S. Salvatoris Aquicinensis, jam bibliothecæ Duacensis n. 792, — uterque Bethmanno referente multas sanctorum Vitas complexus, membr. in fol. maximo sæculi XIII, — ex antiquiore quodam fluxerunt, scripto jubente Attala filia Roberti regis et Constantiæ, Flandriæ comitissa, quæ, monasterio Watinensi prope S. Audomarum constructo et Romæ ab Alexandro II viduæ habitu suscepto, Messanæ obiit. Versus (69) enim in fine Vitæ Adalheidis hi leguntur:

Quo vixit more regina Adalaida Romæ,
Odilo quæ vidit abbas, quæ scripta notavit,
Nobis hæc Atala scribi jussit comitissa,
Exemplum vita sibi quo captaret in ista,
Nolle malum, sed velle bonum deducere seclum.
Regnet cum Domino semper laudanda virago,
Quæ pravos vitat, justos imitarier optat.

Librum Bruxellensem Bethmannus in usus nostros exscripsit.

Hi quatuor codices, paucissimis exceptis, inter se consentiunt, et soli omnium litteras Odilonis ad Andream præbent; a quibus reliqui omnes certis locis recedunt. Propius tamen ad Ticinenses libros alii tres, quos Paterniacenses vocare liceat, accedunt:

4) C. bibl. regiæ Parisiensis inter Supplementa Latina n. 854, mbr., in fol. longiori sæculi XI, Vitas SS. Amalbergæ, Hildulfi Trevirorum archiepiscopi, Adalheidæ, Odiliæ, Liutwini Treverici archipræsulis, Willehaldi (70), aliaque manu Albani et Celsi complexus, a Waitzo in usus nostros anno præterito conversus est.

5) C. bibl. universitatis Wirtzeburgensis inter Theologos in fol. n. 34, mbr., sæculi XI, olim *sancti Petri in Wissenburg*, Vitæ Adalheidæ epitaphium Ottonis præmittit. Usus sum eo an. 1835. Ejusdem codicis lectiones docti Bollandiani sæculo XVII in schedas suas retulerunt, quas in cod. regio Bruxellensi n. 8978 hodieque haberi Bethmannus vidit.

6) C. bibl. Palatinæ Vindobonensis inter historicos profanos n. 994, jam n. 622 signatus, mbr., sæc. XI, paginis 1-3 epitaphium Ottonis, 3-26 epitaphium Adalheidæ continet, locis aliquibus adrasum, quod in usus nostros converti fecit Chmelius noster.

Ab his iterum lectionibus nonnullis et libro Miraculorum addito codices Saltzenses recedunt:

7) C. olim SS. Mauritii et Germani Spirensis, cujus apographum in usum doctorum Bollandianorum sæc. XVII confectum Bethmannus in codice regio Bruxellensi n. 8976 reperit, et æque ac proximum

(60) Hieronymus epitaphium de Blæsilla et Nepotiano edidit libr. II, epist. 22.
(61) Capp. 1-8.
(62) Capp. 9-12.
(63) Capp. 13-23.
(64) Cap. 2: « Sæpe enim inde... cum familiaribus fidelibus conferebat quanta et qualia t. t. passa fuerit, » etc.
(65) Cap. 5: « Hæc quæ de ea dicimus, non modo auditu, sed et visu et experimento cognovimus. Multa ab ea salutis verba audivimus, plurima dona suscepimus, » etc.; cf. capp. 15, 19.

(66) Anno 1056, ut videtur, scilicet ante annum 1057, Ottonis ducis de Swinvorth, quem auctor vivum celebrat, emortualem.
(67) Leopoldum Babenbergensem in libro De veterum principum Germanorum fide et religione librum Odilonis laudasse Chesnius adnotavit.
(68) Vide Annales nostros VII, p. 418, 419.
(69) *Versus Garini clerici* in Bruxellensi inscribuntur.
(70) Textus cum editione nostra SS. II, 377 sqq., consentit.

exscripsit. Ultima codicis inde a voce capitis *fulgorem* exciderunt.

8) C. olim Bodecensis in Westfalia apographum Bollandianum in bibl. regia Bruxellensi n. 8977 signatum, et

9) C. olim S. Magni Ratisponensis a Canisio in Lectionibus Antiquis tom. V, II, p. 395, et edit. alterius tom. III, I, p. 73, expressus, textum minus purum exhibet, quem Leibnitius in SS. Brunsv. I, 262 sqq. repetivit. Ultimo nominandus venit

10) C. Einsidlensis, mbr., sæc. xv, ab Hartmanno A Annalibus Eremi an. 1612 subjectus, qui cum Canisii textu plurimum consentit.

Breve Vitæ et Miraculorum excerptum sub titulo *Vitæ sancte Adelhaydis* 4 foll. in 8° Durlaci sæculo XV prodiit.

Optimis his subsidiis ita usus sum ut, lectione codicum Ticinensium in textu expressa, lectiones Paterniacenses et Saltzenses, quæ in omnibus septem exstant, singulis capitibus subjicerem, quæ vero nonnisi in Saltzensibus aut uno alterove codice occurrunt lectionum varietati inseri facerem. Capitum divisionem in codice Vallicensi oblatam, rejecta Canisiana, retinui.

EPITAPHIUM OTTONIS MAGNI IMPERATORIS [71].

Hoc tegitur loculo divus et maximus Otto [1],
Fortis [2] in imperio, David ut [3] tempore prisco,
Clarus ut ipse sophus Salomon et pacis amicus;
Obtat [4] Ezechiæ (72) majori præditus hic spe,
Ut pax eveniat, verum per sæcula [5] crescat.
Phase [6] (73) sat celebre fecisse scribitur, ecce,
Atque suas ferias primus sub sole Josias;
Illud non solum, sed mystica facta priorum,
Regna prius moderans, legum sacra jura reformans,
Ad lucem celebrat (74), mundum celebrando coronat.
Quod habuit melius umquam Germania tellus,
Felix Italia, tu cum muliere beata (75)
Cœpisti. Tumidum studiose rinocerotem (76)
Et mitem reddit, qui plurima regna subegit,
Sarmatas edomuit, Christo servire coegit,
Pellere demonium, crucis insignire triumphum.
Ungros [7] debellans, victricia signa reportans,
Eripuit fidei sacræ vocitamine dignos,
Innumeros populos, diro [8] discrimine pressos.

B Tu quondam domina [9] felix et splendida Roma,
Præstitit Otto tibi pariter cum conjuge sancta,
Ut referas solito sceptrum mundi et diadema.
Tripudiat cunctus [10] tanto sub cæsare [11] mundus;
Pax sublata perit, cum maximus Otto recessit.
Dum repetit [12] Maius lugubres ex ordine Nonas,
Cæsar ad æthereas rapitur pius Otto catervas,
Mauricio [13] ducente suo sociandus in alto
Ipsi, cui [13] cessit propriam, quam conspicis, aulam.
Conjuge [14] tu celebris, tu namque propagine felix,
Lætatur mundus, cum nascitur Otto secundus.
Tertius imperitat; cœlum jubilando resultat.
Sed nunc stemma tuum claro moderamine mundum
Protegit, agustat [15], ditat, sublimat, honorat;
Cui pater ille tuus, HEINRICUS nomine dictus,
C Cesserat hoc nomen, cui tu quoque cedis honorem.
Dum [16] stabit rutilus eous et ultima tellus,
Pontus et astra poli, plangent te climata cosmi [17].

EXPLICIT [18].

INCIPIT [19] PRÆFATIO [20] IN VITA [21] DOMNÆ ADALHEIDÆ [22].

Domno ANDREÆ [23] venerando abbati, cunctisque fratribus sibi commissis, in suburbio Ticinensis urbis, Domino et Salvatori nostro devote famulantibus, frater ODILO, Cluniensium [24] pauperum cun-

VARIÆ LECTIONES.

[1] Enituit mundo d. vel m. O. 2. [2] Mortis 2. [3] in 2. [4] Obta 2. Obtat [scilicet more] ezechie 5. 6. [5] secla clarescat 2. [6] Fase 2. [7] Hungros 2. [8] magno 2. [9] dominans 2. [10] cunctis... mundis 2. [11] cesare 5. [12] recitat 2. 6. [13] *hi duo versus desunt* 2. [14] Conjunge 2. 6. [15] augustat 2. 6. [16] Cum 2. Qum 6. [17] *totus hic versus litera majori scribitur in* 5. [18] *vox deest* 2. 5. *In codice* 2. *hæc Heinrico II defuncto addita leguntur :*

Omne quod est plangat, quod posse plangere constat.
Plangere qui nescit Deus est, his planctibus adsit,
Ut relevet casus patitur quos principe mundus
Heu moriente, preces quem propter fundite, fratres!
Cæsar Heinricus patrum de nomine dictus
Plangitur, augustus divus celebrisque venustus,
Victor et invictus, Dei fulgore coruscus.
Clamitet hunc luctus Hieremiæ famine fusus,
Commendent domino Davidica cantica Christo,
Jungant virgineo Salomonis et oscula sponso
Cujus in obsequio construxit corde benigno
Plurima divinis famulamina cultibus apta.
Ex quibus est templum præclaro schemate tectum,
Intus et exterius gemino decoramine comptum,
Quem tremuit mundus, jacet in quo carne sepultus.
Spiritus ætherea fœlix congaudet in aula.
Suscepturus eam posuit quam tempore glebam,
Ut capiat veræ cum sanctis præmia vitæ.

[19] *tota præfatio deest in* 4-10. [20] prologus 3. [21] v A. imperatricis 3. [22] Adaleidæ *nonnunquam* 1. scribit. [23] Andræ 1. [24] *ita* 1. 2. 3. *et Odilo ipse in charta fundationis cœnobii Voltæ a.* 1025. *ap. Mabill. Acta SS. O. S. B. VI*, 1. p. 634.

NOTÆ.

(71) Cod. bibl. Palat. Vindob. *E. maximi O. Augusti imperatoris.*
(72) cf. 4. Reg. 19, 15 sqq. Ies. 38, 10.
(73) *i. e.* pascha. cf. 4. Reg. 23, 22. et 2. Paral. 35. v. 18.
(74) Otto.
(75) Adalheida.
(76) Berengarium?

ctorum peripsima [35] (77), præsentis vitæ prospera et sempiterna gaudia.

Epitaphium domnæ nostræ Adalheidæ, imperatricis Augustæ, descriptum stilo paupere vestræ fraternitati curavi transmittere, ratum fore dijudicans, ut apud vos ejus continua recolatur memoria, cujus industria atque prudentia vestri monasterii a fundamentis creverunt ædificia, cujusque sustentamini [36] larga continuaque [37] munificentia. Non enim ad hoc tam grandem [38] materiem vili brevique sermone perstrinximus, ut ad laudem tantæ virtutis atque nobilitatis oratio nostra sufficiat, sed ut aliquis inde vir adeo eruditus occasionem scribendi suscipiat, qualinus res eminens, eminentioribus enucleata sermonibus, imperatricum ac reginarum sonet in auribus, ut dum magna de magnis audierint, et eam [39] de qua loquimur gressibus honestatis sequi studuerint, saltem per eas cura domestica vigeat, sicut per eam res publica longe lateque valebat.

EXPLICIT PRÆFATIO [40].

INCIPIT TEXTUS EJUSDEM LIBRI.

1. In hujus igitur ætatis nostræ temporibus cuncta disponens totiusque [41] honoris et honestatis largitor Dominus, primo Ottone in sceptris feliciter agente, Romanæ rei publicæ in femineo sexu præstitit venerabile decus. Multorum etenim bonorum tunc accidentium atque virtutum, post Deum, auctrix [42] divæ celebrisque [43] memoriæ Adalheida extitit imperatrix. Quam cum memoriæ succedentium scriptis commendare satagimus, timeo ne digne [44] reprehendamur, ideo quia tantæ nobilitatis atque virtutis materiem minus idonei paupere stilo explicare conamur. Quisquis [45] nos reprehenderit, utpote reprehensionis [46] dignos, sive propter incultum sermonem, seu propter rem noviter inceptam, et propter naturalis eloquii simplicitatem, sciat procul dubio, sciat [47] quia non invitavit nos ad hoc humanæ laudis appetitus, sed veræ et [48] sincerissimæ caritatis affectus. Si abhorrere vis, ut quippe merito debes, lector, nostri ingenioli rusticitatem, attende ipsius, quam commendare cœpimus [49], mentis et corporis nobilitatem. Si enim vis exspectare [50] virum tanta eloquentia vel sapientia præditum, qui hujus feminæ possit convenienter describere vitam, necesse est aut Cicero rethor revocetur ab inferis, aut Ieronimus presbyter transmittatur e [51] superis. Si enim ille sanctus et incomparabilis in divina et humana sapientia [52], sacer Ieronimus, fuisset istius augustæ temporibus, si Paulam [53] et Eustochiam [54], Marcellam quoque et Melaniam, Fabiolam quoque et Blesillam, Lætam [55], et Demetriadem [56] (78) septiesque [57] percussam commendare curavit libris et epistolis, commendaret utique istam haud voluminibus paucis. Si enim deest talis ut Ieronimus, aut aliquis alius liberalibus disciplinis adeo eruditus, qui possit digne tantæ feminæ mores et vitam describere, aggrediamur [58] nos indocti, Deo juvante [59], pro posse [60].

2. Hæc, regio ac religioso stemate (79) orta, cum adhuc esset juvencula et sextum decimum [61] ætatis suæ [62] ageret [63] annum, Deo donante adepta est [64] regale matrimonium, juncta scilicet regi Lothario, Hugonis ditissimi regis Italici filio. Ex cujus contubernio filiam habuit (80), ex qua Lotharius [65], rex Francorum, Ludovicum [66] regem genuit, qui sine liberis mortuus, regio more Compendio dinosciur fuisse sepultus. Supradicto vero Lothario [67] ante annum circiter tercium postquam domnam [68] Adalheidam duxerat defuncto, remansit ipsa viduata viro, privata regno [69], destituta maritali solatio [70]. Affuit ei persecutio mordax, quæ solet purgare electos veluti aurum fornax [71]. Affuit ei, ut vere fatear, nutu divino exterius corporalis [72] afflictio, ne intus cremaret [73] eam, utpote juvenculam, incentiva [74] carnis libido. Voluit [75] eam Dominus tot verberibus atteri, ne secundum sententiam apostoli Pauli esset vivens vidua in deliciis mortua (*I Tim.* v, 6). Vo-

VARIÆ LECTIONES.

[35] peripsema 2. [36] sustentamine 2. [37] continuatim 3. continuat in m. 2. [38] magnam 3. [39] ea 1. [40] prologus. I. vita Adaleidæ nobilissimæ imperatricis 3. Incipit vita sanctæ Adalheidæ augustæ 4. Epitaphium domnæ Adalheidæ augustæ 5. 6. Incipit prologus in vitam sanctæ Adalheidis imperatricis 7. 8. 9. 10. [41] totius 7. 8. 9. 10. [42] autrix 5. 6. [43] celebris 3. [44] indigne 3. [45] Q. ergo n. 4. [46] reprehensioni 4. reprehensione 5. 7. 8. 9. 10. [47] *deest*. 3. [48] ac 4. [49] cupimus *corr.* cupimus 1. cepimus et cœpimus *reliqui*. [50] exspectare *deleto* s 1. [51] ex 7. 8. 9. 10. [52] *deest* 7. 8. 9. 10. [53] paulum 1. [54] eustochium 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. [55] lettam 1. [56] demedriadete *corr.* demetriadem 1. [57] septiesque *deleto* que 1. septies 7. 8. 9. 10. [58] adgr. *corr.* aggr. 1. adgr. 2. [59] donante 4. [60] posse. Explicit Prologus. Incipit vita. Hæc 7. 8. 9. 10. [61] sextum LEIBN. [62] *deest*. 4. [63] duceret 3. [64] *deest* 7. 8. 9. 10. [65] hlotarius 4. 5. [66] lutho:::uicum 4. ludowigum 7. 8. 9. 10. [67] hlothario 4. 5. [68] sanctam 7. 8. [69] p. r. *desunt* 7. 8. 9. 10. [70] consilio 4. 7. 8. 9. 10. consilio et solatio 6. [71] fornax. [Non ergo accidit ei tale quid propriis exigentibus culpis, sed, ut credimus, potius ex accidentibus divinæ providentiæ donis.] Affuit *codd.* 4-10. [72] corporis 3. [73] cremasset 3. [74] *deest* 4. [75] V. enim e. 7. 8. 9. 10.

NOTÆ

(77) Id est immunditiæ, ultimus.

(78) De muliere Vercellensi septies icta v. S. Hieron. epist. 49, ad Innocentium, t. III ep. 7,

Duchesne.

79) Welforum in Burgundia.

(80) Emmam.

luit enim eam paterno affectu tot perpeti [66] pericula, ne esset indigna illa filiatione [67], de qua loquitur Scriptura : *Castigat Dominus omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Sæpe enim [68] inde gratias Deo referebat, et cum familiaribus fidelibus [69] conferebat [70], quanta et qualia tunc temporis passa fuerit [71], et quam misericorditer eam Dominus de manibus inimicorum suorum liberaverit [72]. Judicabat enim oportunius sibi fuisse, ut ad tempus temporalibus fuisset occupata anxietatibus, quam vivens in deliciis perpetuæ mortis esset subdita legibus.

3. Postquam enim mortuus est Lotharius [73-74] (*an.* 950), vir ejus, honorem regni Italici adeptus est quidam vir nomine Beringarius [75], qui habebat conjugem [76] nomine Willam. A quibus indecenter [77] innocens capta, diversis angustiata cruciatibus, capillis [78] cæsarie [79] detractis, pugnis frequenter agitata [80] et calcibus, una tantum comite famula ad ultimum tetris inclusa carceribus (*an.* 951, *April.* 20); liberata divinitus, postmodum ordinante Deo imperialibus est sublimata culminibus. In ipsa enim [81] nocte qua educebatur de carcere (81), incidit in quandam [82] paludem [83]. Ubi per dies et noctes sine cibo et potu mansit [84] perseverans, auxilium a Deo sibi subvenire [85] deposcens. Tali cum esset detenta [86] periculo, venit quidam subito piscator navigio [87], deferens in navicula piscem qui vocatur sturio (*Aug.* 20). Quas cum vidisset (82), interrogavit quæ essent aut quid ibi agerent. Dederunt sibi responsum, secundum instantem necessitatem satis congruum : « Videsne quod hic humano consilio peregrinamur [88] destitutæ, et quod durius est, solitudine periclitamur et fame? Si potes, aliquid nobis victus impende; sin autem, [89] solatium [90] præbe. » Qui misericordia super eas motus, sicut ipse a quo mittebatur fuerat quondam super pauperes in deserto fame periclitantes Christus, dixit eis : « Nichil nobis adest ad victus necessaria nisi tantum piscis et aqua. » Habebat ignem secum, sicut solent illi qui piscationis exercent negocium. Accensus est ignis, præparatus est piscis. Sumpsit cibum regina, servivit piscator et famula.

4. Dum hæc [91] agerentur, supervenit quidam clericus, qui ei [92] fuerat captivitatis et fugæ socius, nuncians adesse exercitum militum armatorum; qui eam cum gaudio accipientes, duxerunt [93] secum ad [94] quoddam inexpugnabile castrum (83). Postea enim consultu Italicorum principum, præveniente gratia Dei, de solio regni ad arcem pervenit imperii (*an.* 962, *Febr.* 2). Hæc enim Augustarum omnium Augustissima nominari et venerari est digna :

Nemo ante illam
Cervicosam Germaniam
Has cum suis principibus
Ottonem, regem nobilem,
Ex quo genuit filium,
Ita auxit rem publicam,
Ac fecundam Italiam,
Romanis subdidit [95] arcibus.
Romæ præfecit cæsarem,
Imperio dignissimum.

5. De nobilitate carnis satis dicta sufficiant. Nobilitatem vero mentis quomodo vel qualiter exercuit, mortalium nemo dicere sufficit. Sed ut pro modulo compendiose loquar :

Spe fideque certa, atque [96] gemina pleniter caritate [referta [97],
Justa satis, fortis, prudens nimiumque modesta
Extitit, et vixit felix, dum secula rexit,
Auxilio Domini moderantis climata cosmi.

Prolata tamen Salomonis sapientis famine [98], huic sanctissimæ conveniunt feminæ : *Manus suas*, inquit, *aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis, omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum* [99] *ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus* [100] *terræ. Fortitudo et decor indumentum ejus et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus* [101]. *Consideravit* [102] *semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt, et vir ejus laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas* (*Prov.* XXXI, 20-29). Hæc enim quæ de ea dicimus, non modo auditu, sed et [103] visu et experimento cognovimus. Multa ab ea salutis verba audivimus, plurima dona suscepimus. Sæpe enim [104] indigentes nummo, fecit esse [105] divites auro; carentes enim [106] aliquando cottidianis sumptibus, fecit esse claros

VARIÆ LECTIONES.

[66] pati 7. 8. 9. 10. [67] filiatione divina de *codd.* 4-10. [68] etenim 7. 8. 9. 10. [69] *deest* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. [70] referebat *corr.* conf. 1. [71] fuerat 2. 7. 8. 9. 10. [72] liberaverat *corr.*—rit 1. liberaverat 2. 5. 6. 7. 8. 9. 10. [73-74] hlotharius 4. [75] berangarius 5. berengarius *corr.* berengerus 4. berengerus 7. [76] uxorem 7. 8. 9. 10. [77] *deest*. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. [78] capillorum c. detracta 4. [79] cæsariæ *corr.* —rie 1. cæsarici distractis 7. 8. 9. 10. [80] exagitata 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. [81] *deest*. 7-10. [82] cujusdam harundineti pal. *codd.* 4-10. [83] palude 4. 5. 6. paludem cum una ancilla 8. [84] permansit 1. [85] subvenire *corr.* venire 1. [86] de tanto *corr.* detenta 1. [87] piscator cum limbo deferens *codd.* 4-10. [88] *deest* 7-10. [89] a. minus s. 10. [90] solatium nobis præbe *cod.* 4-10. [91] h. ita a 7-10. [92] ejus 4-10. [93] deduxerunt 4-10. [94] in 6-10. [95] subdit 6. .[96] atque gemina pleniter caritate r. *deleto* caritate 1. [97] speque fide certa gemina caritate referta *codd.* 4-10. [98] famina 2. 9. 10. [99] vestimentum 3. 10. [100] senioribus 1. 2. [101] ejus et cætera. Hæc *media desunt* 4. [102] considerat 5-10. [103] *deest* 4. 5. 6. [104] *deest* 4. [105] esse — fecit *desunt* 1. 2. 3. [106] *deest* 3. 4. 5. 6.

NOTÆ.

(81) Castri Gardæ. Donnizo.
(82) Scil. piscator.
(83) Canusium Leo Ostiensis et Donnizo nominant.

honoribus. Hæc [107] ad decorem mundi, primi et A maximi Ottonis, toto orbe famosissimi [108] imperatoris [109], conjux, et ad multorum profectum [110-111] imperatorum genitrix, illa meruit benedictione potiri, quam meruisse perfrui legimus Tobiam in ejusdem patris volumine, videlicet ut videret filios filiorum usque in tertiam [112] generationem.

6. Postquam enim [113] augustissimus Otto universæ carnis ingressus est viam (*an.* 973), augusta cum filio Romani imperii feliciter diu gubernavit monarchiam. Sed postquam divino nutu ipsius augustæ meritis et industria solidatus [114] fuerat Romani imperii [115] principatus, non defuerunt viri iniqui, qui inter eos nisi sunt seminare [116] discordiam. Quorum deceptus adulatione, recessit corde cæsar a matre. Si commendaremus litteris, quanta et qualia B passa fuerit [117] tunc [118] temporis, derogare videremur speciem tanti generis. Non enim debemus perstringere stilo, quod cito sedavit humilis satisfactio. Filium diligens, auctores discordiæ ferre non valens, secundum Apostoli præceptum dans ad modicum iræ locum (*Rom.* XII, 19), paternum decrevit expetere regnum (*an.* 978). Ubi a fratre, rege scilicet Chuonrado [119], et nobilissima Mahtilde (84) ejus conjuge benigne et honorabiliter est suscepta. Tristabatur de absentia ejus Germania, lætabatur in adventu ejus tota Burgundia [120] exultabat Lugdunus [121] philosophiæ quondam mater et nutrix urbs inclita [122], necnon et [123] Vienna nobilis sedes regia.

7. Postmodum vero Cæsar Otto, ductus pœnitentia, direxit legationem regi avunculo et sanctæ recordationis patri Maiolo (*an.* 980), sub celerrima festinatione obnixius deprecans, ut gratiam matris, quam suis [124] exigentibus culpis [125] perdiderat, eorum interventibus [126] promereri posset; orans iterum eos et [127] obsecrans, ut [128] quantocius possent una cum augusta matre Papiam [129] ei studerent occurrere. Tantorum enim virorum usa consilio, apud Papiam (85) tempore statuto [130] occurrit mater filio (*Dec.*). Quo cum mutuo se cernerent, flendo et lacrimando, toto corpore solo prostrati, humiliter se salutare cœperunt. Affuit in filio humilis pœnitudo, erat in matre liberalis [131] remissio; permansit in utrisque de cætero perpetuæ pacis indivisa [132] conexio.

8. Non post multum [133] vero temporis (*an.* 983.) unico orbata [134] filio, cui successit [135] tercius ex Græca genitus Otto. Igitur reciduis [136] diu afflicta verberibus, non possumus enarrare per singula, quot et qualia post mortem filii sibi successerunt incommoda. Licet illa imperatrix Græca sibi et aliis fuisset satis utilis et optima, socrui tamen Augustæ fuit ex parte contraria. Ad postremum vero cujusdam Græci (86) aliorumque adulantium consilio fruens, minabatur ei quasi manu designando dicens: « Si integrum annum supervixero, non dominabitur Adalheida in toto mundo, quod non [137] possit circumdari palmo [138] uno. » Quam sententiam inconsulte prolatam divina censura fecit esse veracem. Ante quattuor ebdomadas Græca imperatrix ab hac luce discessit (*an.* 991, *Jun.* 15); Augusta Adalheida superstes felixque remansit. Perseverabat [139] discrimina mundi lugens et deflens, curam tamen Romani imperii necessario gerens. Otto vero tercius, unici sui filius, a primatibus regni felicissime et honestissime educatus, nichil erga illam egit, nisi quod illam et illum decuit. Iccirco meritis aviæ [140] et industria [141] primatum [142], Romanum [143] adeptus est principatum (*an.* 996, *Mai.* 21). Ab ipsa enim ætate primæva jam dicta imperatrix multa ab extraneis sive a [144] domesticis fuerat perpessa, ut posset [145] dicere cum Propheta : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea* (*Psal.* CXXVIII, 1) et [146] cætera. Dicebat enim sæpe illud Apostoli [147] : *Existimo enim quod non sint* [148] *condignæ passiones hujus temporis ad* C *superventuram* [149] *gloriam, quæ revelabitur in nobis* [150] (*Rom.* VIII, 18). *Si compatimur, et conregnabimus* (*II Tim.* II, 12); et iterum : *Si fuerimus socii passionum* [151], *erimus et consolationum* (*II Cor.* I, 7). Multis bonum [152] pro malo reddidit, et secundum Domini [153] præceptum, peccantibus in se ante solis occasum dimisit (*Ephes.* IV, 26). Nichil ex objectis injuriis sibi reservabat, sed totum Domino committebat, sciens [154] esse dictum a Domino per prophetam : *Michi vindictam* [155], *ego retribuam* (*Rom.* XII, 9). Parcite, quæso, quibus pepercit! Et dicamus pro tempore, quibus in adversitatibus quibusve studiis in prosperitatibus inservire contendit. Quot enim in primis cum cæsare, deinde [156] cum filio et D filii filio, Ottonum [157] videlicet augustorum et cæsa-

VARIÆ LECTIONES.

[107] hæc enim ad *codd.* 4-10. [108] famosissima 7-10. [109] *deest.* 5. 7-10. [110-111] provectum 5. 7-10. [112] t. et quartam g. 4. [113] *deest* 1. [114] solidatum 4? 5-10. [115] pr. imperium 4-10. [116] disseminare 7-10. [117] sit 7-10. [118] *deest* 4. [119] Conrado *hic* 1. [120] burgunnia 1. [121] lugdunum 7-10. [122] u. i. *desunt* 7-10. [123] *deest* 4. [124] propriis 7-10. [125] meritis 4. [126] interventu 4. interventionibus 7-10. [127] i atque o. 4. [128] et 1. [129] pappiam 1. *sæpius.* [130] constituto 7-10. [131] liberaris 5. [132] *deest* 6-10. [133] multo post 4. [134] o. est f. 7-10. [135] succedit 3. [136] recidivis 5-10. *est vox eadem.* [137] *deest* 4. quin. 7-10. [138] palino 1. [139] perseverabat autem discrimina *cod.* 4-10. [140] avæ *constanter* 3. [141] industriæ 1. [142] primarum 4. [143] romani imperii *codd.* 4-10. [144] jam 3. [145] possit 4. 7-10. [146] et c. *desunt* 4. [147] apostolicum 4-10. [148] sunt 2. [149] superfuturam 2. [150] nobis. Et alio loco : *Si codd.* 4-10. [151] passionis — consolationis 4-10. [152] bona p. malis 4. [153] apostoli 7-10. [154] siens 1. [155] v. et ego 7-10. [156] inde 2. 7-10. [157] ottonem 1.

NOTÆ.

(84) Filia Ludowici IV, Gallorum regis.

(85) Otto d. 5 Decembris a. 980 Ticini commoratus est; eum Pascha a. 981 cum matre et uxore Romæ celebrasse, ex fonte antiquo Halberstadiensi Chronographus Saxo refert.

(86) Joannis Calabritani.

rum Deo annuente possederat regna, tot ex propriis sumptibus ad honorem Regis regum condidit monasteria.

9. In patris vero, Rodulfi [158] videlicet [159] nobilissimi regis, et domni Chuonradi [160] fratris regno [161], loco videlicet Paterniaco (87), ubi matrem reginam vocabulo [162] Bertham [163] (88), Deo in omni humilitate [164] devotam, sepulturæ tradidit, in honorem Dei genitricis monasterium condidit, et sanctissimo patri Maiolo suisque successoribus sua munificentia et fratris sui Chuonradi regis præcepto ordinandum, perpetuo commisit [165] (89). Postmodum (*an.* 981) in Italia juxta Ticinensem urbem monasterium a fundamentis [166] incepit et ad honorem Salvatoris mundi honorifice imperiali auctoritate et sua largissima [167] donatione perfecit, prædiis et ornamentis amplissime ditavit [168], ac jam dicto patri [169] Maiolo ordinandum regulariter tradidit (90). In Saxonia vero post discessum [170] jam dicti rei publicæ principis, cooperante unica [171] sapientissima et prudentissima filia (91), sanctimonialium cœnobiis plurima contulit dona.

10. Ante duodecimum circiter obitus sui annum (*an.* 987), in loco qui dicitur Salsa (92), urbem decrevit fieri sub libertate Romana (23), quem affectum postea ad perfectum perduxit effectum. In ipso etiam [172] loco monasterium a fundamentis miro opere condidit, et ad honorem Dei et apostolorum principis, tertio imperante Ottone nepote [173] suo in præsentiarum secum [174] assiante [175], quarto decimo Kalendas Decembris (94) augustissime et devotissime a Wideraldo [176] Argentinæ civitatis episcopo consecrari [177] jussit (*an.* 996, *Nov.* 18). Et ut majori auctoritate per succedentia [178] temporum [179] esset ille sacer locus subnixus [180], cum præfato cæsare est etiam episcoporum conventus a sæpe dicta et sæpe dicenda Adalheida augusta, ipsius cæsaris avia, convocatus. In ipso vero [181] monasterio claustrum monachis satis aptum præparavit, et secundum regulam sancti Benedicti ordinare decrevit. Abbatem ibi præfecit nomine Eccemagnum [182] (95), boni testimonii virum, humana scientia et divina sapientia doctum, quem in divinis litteris habere voluit assidue præceptorem. Ipsum vero monasterium [183] adeo ditavit et nobilitavit prædiis, ædificiis, auro et gemmis, et [184] vestibus preciosissimis, aliisque variis ornatuum supellectilibus [185], ut nichil deesset illo in loco Deo famulantibus. Quattuor (96) quod [186] supervixerat [187] annos Creatori suo sua seque dando, pauperes Christi et servos sibi adquisivit amicos, ut cum [188] temporalia deficerent, in æterna tabernacula [189] eam reciperent [190].

11. Cum igitur summis rei publicæ fascibus implicata teneretur, variis miserorum et inopum anxietatibus subsidia præbere non dedignabatur. Cumque mirificis, ut imperiali dignitati congruebat, valeret [191] corpus decorare indumentis et preciosissimis caput redimire [192] gemmis, talibus nolebat se gravare [193] implicamentis; sed aut pauperibus largienda decernebat, aut dominicæ crucis vexilla [194] et Christi Evangelia [195] exinde adornari [196] parabat [197]; sedula imitatrix sui existens Redemptoris, qui cum esset omnium altissimus, humanitatis abjecta perpeti [198] non est dedignatus. Innumeris præterea tam canonicorum quam etiam monachorum et sanctimonialium cœnobiis, circumquaque per diversas orbis partes constitutis, plurima largiebatur beneficia [199], quatinus Deo famulantium agmina ejus munifica dapsilitate recreata, liberius sibi reique publicæ divinitus conferenda implorarent suffragia (97).

12. In cunctis enim quæ gessit justiciæ formam tenuit, communem liberalitatem servavit; credens eum procul dubio judicem futurum, quem et occulta non fallant [200] et indecora offendant et honesta de-

VARIÆ LECTIONES.

[158] ruotholfi 4. [159] v. n. r. et d. C. f. r. loco *desunt* 8. v. et n. 7. 9. 10. [160] chunradi 4. [161] regni 7. 9. 10. [162] nomine 3. [163] bertam 1. [164] bonitate 2. 4-6. [165] o. permisit 1. [166] fundamento 3. [167] largissimi 1. [168] p. et o. a. d. *desunt* 3? 7-10. [169] *deest* 3? 7-10. [170] decessum 6. [171] u. et s. 7-10. [172] enim 10. [173] nepote videlicet suo *codd.* 4-10. [174] suarum 4. [175] adstante 2. [176] wilderaldo 10. [177] consecrare 7-10. [178] succedentium 7-10. [179] t. curricula 9. [180] subnixius 1. [181] etiam 7-10. [182] ecce magnum 1. 2. 3. eccemannum 4. 6. ecemagnum 5. essemannum 8. ezemannum 7. ezzemannum 9. 10. [183] *deest* 7-10. [184] *deest* 4-10. [185] suppell. 1. 4. 6. [186] *i.* q. quot; — quos 2. 3. 4. 7-10. [187] vixerat 5. [188] non 10. [189] *deest.* 1. [190] susciperent 7-10. [191] valebat 2. [192] redi *corr.* radiare 1. [193] gravari 4-10. [194] *deest* 1. [195] evangelica 5. [196] adornare 3. [197] præparabat 7-10. [198] *deest* 7-10. [199] dona 4. [200] fallunt 4.

NOTÆ.

(87) Peterlingen, ab occidente Friburgi Helvetici. Chartas regias inde ab a. 974 in favorem monasterii editas v. in Schoepflini Alsatia dipl. I. Cæterum monasterium anno 961 a Bertha Adalheidæ matre fundatum erat; v. chartam in Guichenon Bibl. Sebus. p. I sqq.

(88) Filiam Burchardi, ducis Alamanniæ.

(89) Cf. Ottonis II chartam d. 25 Julii a. 979, apud Schoepflinum Als. dipl. I, 124

(90) Vide Ottonis II chartam anno 981, Sept. 30, apud Margarin. Bullar. Casin. II, 53, qua tamen anteriores Ottonis I et Adalheidæ donationes confirmantur, quarum chartæ non supersunt.

(91) Mahthildis, abbatissa. Quedlinburgensis.

(92) Seltz in Alsatia; chartas regias a. 992 et sqq. eidem concessas v. apud Schoepflinum l. c.

(93) Ex chartis monasterio concessis apparet locum ab Ottone III et Heinrico II immunitate regia donatum, et a Joanne XVI jurisdictioni episcopali exemptum, Romanæ Ecclesiæ « non potestate donationis, sed libertatis tantum causa subjectum » fuisse; v. Schoepflin l. c. p. 139, 145. Libertatem igitur Romanam de immunitate loci regia intelligo. — Cf. et Cl. Eichhorn Staats-und Rechtsgeschichte, § 224.

(94) Anno 996; nam d. 19 Nov. a. 995. Otto Aquisgrani chartis subscripsit.

(95) Ezemannus in charta Heinrici II audit.

(96) Tribus potius.

(97) Cf. Ann. Quedlinb. a. 999.

lectent [201]. Quapropter justicia cernebatur [202] excelsa, liberalitate gratissima, beneficentiæ opera locans super [203] Christum, quem beatus apostolus ponit [204] fundamentum [205]; intelligens prudenter fidem esse fundamentum omnium [206] virtutum. Usa [207] est ergo perfecta liberalitate, ut silentio, quantum valeret, opus suum tegeret [208] et necessitatibus singulorum cuperet subvenire; quatinus eam non labia sua, sed Christi pauperum laudarent ora, ut jam in ea impletum [209] videretur, quod beati Job voce profertur : *Benedictio perituri in me veniebat* (*Job* XXIX, 13). Diligenti illud consideratione perpendere studebat juxta ipsius vatis assertionem, ut ab ejus tecto nunquam [210] vacuo sinu pauper exiret (*Eccli.* XXIX, 12); ut talibus intenta commerciis adquirere valeret in terra viventium hereditatem supernæ sortis [211].

13. Jam jamque ultimo ætatis suæ anno (*an.* 999), cum [212] non lateret eam, ut credo, exituram de seculo, pacis ut semper amica, pacis [213] caritatisque causa paternum solum [214] adiit, fidelibus nepotis sui Rodulfi [215] regis inter se litigantibus, quibus potuit, pacis fœdera contulit, quibus non potuit, more sibi solito Deo totum commisit. De cætero quam studiose, quam devotissime loca sanctorum curavit visitare, non est [216] facultatis evolvere. In ipso quoque tempore monasterium Paterniacum adiit, quod [217] ipsa ad honorem Dei genitricis, pro remedio animæ suæ matris ibi requiescentis, tam ex suis quam ex [218] maternis rebus nobiliter [219] condidit; et quod tunc temporis in temporali necessitate fratribus ibi Deo famulantibus defuit, ut semper erat solita, manu largissima sumministravit [220].

14. Accidit [221] tunc aliquid novum, quod huic operi judicavimus inserendum. Fatigata ex itinere non potuit more solito manu propria elemosinam dare pauperibus (98), et vocavit unum de fratribus qui vice sua nummos daret pauperibus. Ejus [222] jussu ventum est ad pauperes. Excessit [223] numerus pauperum denariorum numerum. Timuit minister minus habere quam indigentibus posset sufficere. Quid multa ?

Affuit [224] Augustæ meritis virtus illius qui
Quinque [225] ex panibus saciavit milia plebis.
Multiplicatis [226] denariis recesserunt pauperes cum [munere læti.

15. Expressa inde, locum Agaunensium petiit, ubi rupes [227] felicissima martyrum milia [228] retinet corpora. Quanta cum devotione, quanta [229] cum reverentia magni martyris Mauricii sociorumque ejus expostulavit suffragia ? Quot gemitus [230] ejus ibi fuerunt ? Quot [231] suspiria ? Quot luctus ? Quot [232] lacrimarum flumina ? Nunquam fuerunt, ut reor, ulla peccamina, quæ tunc non mererentur æterna remedia. Si enim respiceres augustæ faciem, excedere diceres [233] humanam effigiem; quam [234], si aliud aliquid labiis promeret, nichil aliud crederes, quam ut [235] propheticum illud evolveret [236] : *Effundo in conspectu ejus orationem meam* [237] ; *tribulationem meam ante ipsum pronuntio* (*Psal.* CXLI, 3). Quæ fuit maxima ejus tribulatio procunctis a lege Dei declinantibus caritativa compassio, ut posset dicere [238] cum Propheta : *Defectio tenuit me pro peccatoribus* (*Psal.* CXVIII, 53), et cum Paulo : *Quis infirmatur, et ego non* [239] *infirmor* ? [240] (*II Cor.* XI, 29.) Ita deplorabat [241] aliorum peccata, qualiter non possunt multi propria deplorare discrimina. Lætabatur in gravitate et profectibus præteritorum; tristabatur cotidie [242] in defectibus præsentium maximeque futurorum. Cum enim de futuris dico, prophetiæ spiritum procul dubio eam habuisse denuncio. Adesset [243] enim in sermone defectus, si non [244] essem publico documento expertus.

16. Cum enim esset ab illo sacro loco egressura, et secum staret in angulo æcclesiæ orationis gratia, quidam nuncius venit ad eam de Italia, Franconem Wangionensem [245] episcopum nuntiavit [246] Romæ fuisse defunctum (99). Et quia vir boni testimonii erat, domna augusta valde illum [247] diligebat, sicut et omnes bonos diligere solita erat. Et statim ut ejus obitum audivit, ex familiaribus qui aderant unum vocavit, et ut pro eo [248] Domino preces funderet, [249] humiliter rogavit, et quasi in excessu mentis ita exorsa est dicens : « Quid faciam, Domine, vel quid dicam de illo seniore nostro et [250] nepote meo? Peribunt in Italia, ut credo, multi cum eo; peribit post ipsos [251], ut timeo, heu misera! augustæ indolis Otto; remanebo omni humano destituta solacio. Absit, o domine rex seculorum [252], ut videam superstes tam lugubre dispendium! » Tunc videres [253] augustam toto corpore solo [254] prostratam, non minus crederes [255] eam toto [256] mentis adnisu cœlo intentam et quasi jam martyris Mauricii vestigia invenisse ac lacrimoso [257] ore perlingere [258]. Post

VARIÆ LECTIONES.

[201] delectant 1. 3. [202] videbatur 7-10. [203] supra 2. 5. [204] *deest* 1. 2. 3. [205] f. i. p. f. e. *desunt* 7. [206] o. dixit v. 3. [207] versa 5. [208] tegere 5-10. [209] i. ē. v. 1. [210] numquam 2. [211] s. s. *desunt* 4. [212] c. jam n. 4. [213] *deest* 6. 9. 10. [214] solum *corr.* sol. 1. [215] ruotholfi 4. [216] est nostræ facultatis *codd.* 4-10. [217] q. ab i. 7-10. [218] *deest* 7-10. [219] *deest* 4? 7-10. [220] subm. 2. [221] A. autem t. 3. [222] et 3. Ex e. 7-10. [223] excedit 7-10. [224] adf. 2. [225] quinis 4-10. [226] multiplicati denarii; r. 5. [227] rupis 4. 5. [228] *deest* 3. [229] *deest* 7-10. [230] *deest* 7-10. [231] *deest* 7-10. [232] *deest* 10. [233] crederes 7-10. [234] quod 2. [235] *deest* 9. 10. [236] evolvere 10. [237] m. et t. 7-10. [238] d. domino cum p. 3. [239] *deest* 1. [240] *infirmor?* et cætera. Ita *codd.* 4-10. [241] deplorat 1. [242] *deest* 4. [243] Id esset 10. [244] nisi 7-10. [245] ::vangionensem 1. [246] nuncians 4. [247] eum 10. [248] *deest* 10. [249] effunderet 7-10. [250] et n. m. *desunt* 3. [251] ipsum 3. [252] celorum 3. [253] videns 3. [254] *deest* 4. [255] videres 9. *deest* 10. [256] *deest* 4. [257] a lymphatico 4-6. ac lymphatico 7-10. [258] pertingere 2.

NOTÆ.

(98) Cf. Ann. Quedlinburg. a. 999.

(99) Cf. Thietmari chron. IV, 39.

paululum vero ab oratione surrexit; munera martyribus, elemosinam dedit pauperibus.

17. Dehinc Genevensem [289] adiit urbem, desiderans videre victoriosissimi Victoris martyris aulam. Inde Lausonam [290] venit, ibique memoriam Dei genitricis devotissime adoravit. Quibus in locis a rege et ab episcopis, suis videlicet nepotibus, honorabiliter suscepta, devenit in vicum qui vocatur Urba (100). In ipso enim [291] vico aliquandiu demorata, egenis supervenientibus et miseris quotquot potuit tribuit [292] necessaria. Cum rege et [293] principibus patriæ pacis et honestatis conferens negocia; inde etiam sacris locis diversa et varia direxit donaria. Quæ enim æcclesia, quæ monachorum cœnobia, sibi affinitate vel vicinitate conjuncta, quæ non merereiur [294] habere [295] donaria vel exenia [296]? Et ut pauca [297] de multis dicam, in [298] ipso tempore, quo instabat sibi dies supremus [299], beatissimum patrem Benedictum (101), licet exiguis, tamen propriis visitavit muneribus; necnon et beatæ recordationis patrem Maiolum, cœlesti gloria jam coronatum, quem, dum in hac mortali carne [270] subsisteret, præ cunctis mortalibus in [271] illo ordine diligebat. Non enim [272] oblita [273] Cluniacum, adeo sibi familiare cœnobium. Ad restaurandum igitur beatissimi confessoris Christi Martini (102) monasterium, quod non [274] multo ante (103) fuerat igne combustum, destinavit transmittere [275] non modicum argentum, et ad honorem altaris partem [276] unici filii sui Ottonis augusti clamidis [277].

18. Ut enim ad memoriam reducamus ejus dulcissima verba ad eum cujus mittebantur [278] officio, ait inter cætera : « Obsecro, karissime, obsecro, ut ita alloquaris sanctissimum sacerdotem [279] : » « Meo « obsequio accipe, sacerdos Dei, parva munuscula, « quæ tibi delegavit Adalheida, servorum Dei an- « cilla, ex se peccatrix, dono Dei imperatrix. Accipe « unici mei Ottonis Augusti clamidis partem, et ora « pro eo ad ipsum, quem veste divisa vestisti in « paupere, Christum. » In illo die, in quo de [280] supradicto loco [281] erat exitura, una eademque hora, nobis peccatoribus astantibus [282], et exemplum perfectæ humilitatis reliquit, et prophetiæ spiritum, non arroganter sed humiliter, se habere ostendit.

19. Erat quidam ibi in præsentia ipsius mona- A chus qui, licet esset indignus abbas vocitari [283], ab ea tamen putabatur alicujus esse [284] momenti (104). Quem cum illa respiceret [285], et ipse eam esset intuitus, cœpit uterque flere uberius. Dicam eam [286] plus fecisse, quam si dicerem [287] eam multos infirmos sanasse. Vestem enim satis incultam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, et sanctissimis oculis et serenissimæ suæ faciei osculando inpressit, eique [288] humiliter [289] et cum silentio dixit : « Memento mei, fili [290], in contemplativis, et scias me non amplius te visurum [291] corporalibus oculis. Cum enim [292] humanis rebus excessero, orationibus fratrum animam meam committo. » Inde per iter, quo venerat, pervenit ad locum (105), ubi ordinante Deo decreverat sibi parare [293] sepulchrum.

20. In ipso igitur ultimo sui temporalis cursus B itinere [294] erigebat se, in quantum valuit, super se, ut divinæ contemplationi, spreto secularium turbine, libere posset insistere. Familiaris [295] rei negocium erat sibi etiam importunum. Transegerat jam strenue [296] Liæ et Marthæ satis laudabilem [297] actum; optabat appetere [298] Rachelis et Mariæ desiderabile otium. Itaque [299] lectionibus intenta, assidua [300] orationibus, respuebat terrena, inhians tota mente cœlestibus. Et si aliquis eam de secularibus negociis interpellaret, non ad hoc responsum dabat, sed apostolicum illud lugens in corde volvebat : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et secura de spe divinæ retributionis aiebat : *Gratia Dei per Jesum Christum* (*Rom.* VII, 24.) Deinde edocta C cœlesti magisterio, devenit ad locum, ubi ultimum [301] spiritum erat redditura Deo. Instabat enim dies, in qua devotio annua agebatur pro filii sui Ottonis augusti memoria. Confluxerat ad eam ex adjacentibus locis, ut semper faciebant, pauperum plebes.

21. Erat ei consuetudo talis, ut in amicorum et familiarium suorum anniversariis spiritale donativum suis spiritalibus erogaret [302] militibus, elemosinam dico Christi pauperibus. Erat autem [303] indigentium [304] multitudo ordinatim constituta in loco [305]. Ad quos ipsa venit, et exemplo Abrahæ patriarchæ [306] Deum inter illos esse non dubitans, humiliter adoravit; et oblita infirmitatis suæ, super vires [307] temptavit [308] aggredi [309]; singulis manu D propria tribuit, et quos miserabiliores vidit, vesti-

VARIÆ LECTIONES.

[289] gevensem 4, genevensium 7-10. [290] lausoniam 7-10. [291] *deest*. 4. [292] *deest*. 9. suppeditavit 10. [293] et cum p. 4. [294] merentur 4. 5. [295] habere ejus dona *codd*. 4-10. [296] xenia 2. 4-10. [297] parva 4. 5. 8. 9. 10. [298] *deest* 4? 9. 10. [299] suppremus 1. [270] hac vita 7-10. [271] *deest* 1. 7-9. ex 10. [272] *deest* 4. [273] o. est c. 3. [274] *deest* 4. [275] *deest* 4. [276] *deest* 4. [277] a. partem cl. 4. [278] mittebantur *corr.* mittebatur 1. mittebatur 10. [279] a. s. Christi 4. a. s. confessorem 7-10. [280] *deest* 10. [281] *deest* 4. [282] adst. 2. [283] vocari 7. 9. 10. [284] *deest* 9. 10. [285] cum insp. 7-10. [286] eam tunc-plus *codd*. 4-10. [287] dicam m. 7-10. [288] itaque 2. [289] familiariter 4-10. [290] filii 10. [291] visuram 2. 4. 7-10. [292] *deest* 1. [293] parari 4. 6-10. parari *corr.* parare 5. [294] temporis cursu e. 4. [295] familius 1. familiarius 2. 3. 7-10. [296] st. l. et m. s. l. a *desunt* 3. [297] laudabile 5. 6. [298] *deest* 1. [299] et ita 4 [300] assidue *corr.* assidua 1. [301] *deest* 1. 3. [302] *deest* 4. [303] *deest* 4. [304] indigentibus 10. [305] loca 10. [306] *deest* 2. [307] v. suas t. 9. [308] *reliqua codicis* 1. *abscisa sunt*. [309] adg. 2. aggredere 5. 6.

NOTÆ.

(100) Orbe.
(101) Casini.
(102) Turonis
(103) Anno 997, d. VIII Kal. Augusti.
(104) Ipse Odilo.
(105) Selz.

menta [310] vel alia munuscula dedit. Finito isto spiritali negotio, a quodam venerabili archiepiscopo (106) missas fecit [311] celebrari pro filio. In ipsa enim nocte a [312] febre corripitur, et per aliquot dies ingravescente mole infirmitatis, ad extremum usque perducitur [313]. Adhuc autem [314] pro posse intenta erat in oratione, et oculis desiderantibus Christum, nichil aliud dignabatur aspicere. Resumptis aliquantulum viribus corporis muniri se rogavit attentius mysteriis ecclesiasticis. Tum sacri olei unctione peruncta, sacramentum dominici corporis humiliter et devotissime adorando percepit, in quem semper speravit et credidit. Talibus deinde [315] fulta præsidiis talique pasta convivio, dixit senioribus qui astabant [316] et clero, ut psalmos pœnitentiales [317] cantarent et nomina sanctorum ecclesiastico more recitarent. Quo facto, cum psallentibus psallebat, cum orantibus orabat, usque ad illum locum, ubi Deum sibi adesse precabatur propitium. Erat autem nesciens [318] cum sorore Moysi tenere tympanum et chorum, cum David chordas et organum; sed assumptis bene sonantibus cymbalis cum [319] sequentibus agnum, tota jam versabatur in jubilum.

22. Anno igitur [320] instante ab incarnatione Domini millesimo, desiderans videre diem unum nescientem occasum in atriis Domini super milia, dicebat sæpe cum Apostolo : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I, 23). Præstolans etiam in præsentiarum cum spiritali lætitia ejusdem domini Jesu Christi nativitatis [321] festum, cum sextum decimum diem solveret December felix (107), et ipsa, feliciter deposito carnis onere, evolavit ad purum purissimi ætheris fulgorem [322]. Erat enim ei cum domesticis gravis jocunditas, cum extraneis honestissima gravitas, in pauperibus vero [323] infatigabilis pietas, in honorandis ecclesiis Dei affluentissima largitas, erga bonos perseverans benignitas, contra improbos [324] liberalis severitas, in appetendis timor, in appetitis [325] vigor, in prosperitatibus vera humilitas, in adversitatibus patiens longanimitas, in victu cotidiano sobrietas, in vestitu etiam mediocritas, in [326] lectionibus et orationibus [327], vigiliis et jejuniis assiduitas, in dandis elemosinis una eademque voluntas. De nobilitate carnis nulla [328] eam præpediebat elatio, nulla de [329] bonitate [330] sibi a Deo concessa ad se trahi [331] poterat humanæ laudis cupido. Nulla [332] de virtutibus a Deo sibi concessis præsumptio, nulla de excessibus propriis dominabatur [333] ei suasa [334] desperatio; nulla de honoribus, divitiis et deliciis [335] mundi in ea [336] principabatur ambitio; sed comitabatur eam in [337] omnibus omnium virtutum mater discretio. Eratque ei in fide secura firmitas, in spe firma securitas, in [338] dilectione Dei et proximi radix omnium bonorum principalisque [339] causa virtutum caritas. Sed ut vere fatear, quanta [340] et qualis fuerit ejus vita, clarescentibus ad sepulchrum ejus miraculorum prodigiis, virtus patefecit divina. Quæ [341] si describerentur ex ordine, proprio indigerent volumine; non enim possunt nostro explicari eloquio. Sed ne ex toto remaneant tecta silentio, prolixitatem loquendi vitando, brevi comprehendere placuit capitulo.

23. Ad sepulchrum ejus cæci amissa oculorum lumina recipiunt, paralitici valitudinem corporum. Febricitantes sanantur ibi. Ex [342] diversis infirmitatibus multi reparantur infirmi, gratia et miseratione Domini nostri Jesu Christi [343].

APPENDIX.

LIBER MIRACULORUM (108).

PROLOGUS IN LIBRUM SECUNDUM.

Quia superiori stylo evidenter patet quanta sedulitate beatam Martham hæc Dei ancilla imitaretur, oportet etiam aliqua supernæ speculationis indicia [344] proferre, quibus sororem ejus Mariam perfectius assecutam possimus conjicere. Insuper facili intelligentia capere valemus, qualiter ipsa corpus suum,

VARIÆ LECTIONES.

[310] vestimentis induit aliaque 4. [311] petit 6-10. [312] jam 3. [313] deducitur 6-10. [314] enim 4. [315] *deest* 7-10. [316] adst. 2. [317] pœnitentiæ 4. [318] Erat enim sciens 4-10. [319] *deest* 7-10. [320] autem 3. [321] *deest* 2. [322] *hic desinit* 7. [323] *deest* 3. [324] impios 8-10. [325] a. u. in *desunt* 8-10. [326] in l. et o. v. et i. *desunt* 6. [327] o. et 8. 9. o. et in 10. [328] *deest* 2. [329] ex 10. [330] potestate 8-10. [331] attrahere 4. trahere 8-10. [332] N. d. v. a. D. s. c. p. *desunt* 10. [333] denominabatur 2. [334] malesuada 4. 8-10. male suasa 5. 6. [335] d. hujus m. 3. [336] eam 4-6. 8-10. [337] *deest* 7. 9. 10. [338] in — caritas. Sed *desunt* 8-10. [339] principalis 4. [340] f. quæ et q. 8-10. [341] *Reliqua desiderantur in* 8. 9. [342] et ex 4-6 [343] cui est gloria in secula seculorum amen. 2. cui est honor et gl. in s. s. a. 3. qui regit ambitum cœli per omnia seculorum secula amen 4. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula seculorum amen. Explicit vita sanctæ Adalheidæ imperatricis augustæ composita a venerando patre Ottone Cluniacensis loci abbate. [344] judicia 10.

NOTÆ.

(106) Willegisus Moguntinus fuerit.

(107) Igitur ipsa media nocte, qua de causa in necrologiis et annalibus vel diei 16 vel 17 Decembris obitus ascribitur.

(108) Ex cod. Bodecensi, Canisio et Hartmanno

juxta Apostoli præceptum, castum et pudicum servando, templum Dei [346] vivi [347] promeruerit pleniter effici. Namque [348] cum per omne vitæ tempus regalibus divitiis et dignis suo generi facultatibus abundaret, carnem a primævo viduitatis tempore cilicio edomans, atque mundanæ gloriæ culmen mentis despectu A conculcans, Christo soli, videlicet [349] justitiæ, per cœlestis contemplationis desiderium in tantum astare cognoscitur, ut cum suavi voce Psalmistæ concordaret, qui bonum suum non regni deliciis frui, sed Deo inhærere conclusit.

EXPLICIT PROLOGUS.

MIRACULA EJUSDEM ADALHEIDIS REGINÆ [350].

1. Quàdam vero die (*an.* 994) cum ad refectionem corporis cum honorabili frequentia tam clericorum quam laicorum consideret, tamque [351] purissimæ epulæ necessitati omnium satisfacerent, uti mos est sanctarum mentium, pro declinando favore alia foris ostendere et alia intus agere, ipsa simulata intentione edentis, cultrum manu diutius tenuit; sicque non ad suam voluptatem, sed ad aliorum voluntatem convivium protraxit, cum [352] subito colore faciei cum mentis habitu permutato, ferrum de manu super mensam cecidit [353]; atque in hoc non insolentiæ notam accidisse, sed mira quædam per divinam revelationem se [354] sensisse, cum suspirio innotuit. Omni vero turba, quid hoc portenderet, admirante nec quærere præsumente, illa ad evangelicæ perfectionis decorem celavit multitudinem [355] secreti dignitatem, solumque Augustensem episcopum, nomine Dudonem (109), sibi pro vitæ meritis familiarem jugique obsequio inhærentem, tali dignata est alloqui [356] præfatione : « Nunc, Pater venerabilis, multa opus est [357] consolatione, quia paries [358] vestræ occidentalis matrinæ ecclesiæ lapsus est divina dispositione. Tanta vero jactura non magis vestræ prudentiæ sollicitudinem ad restaurationem sui ingerit, quam pro vestra vexatione sive communi damno ecclesiæ nostræ [359] menti mœroris nebulam intulit. Sed simul consolari vos in divinitatis tranquillitate juboo et persuadeo, quæ sine mutabilitatis vicissitudine sola [360] inaccessibile lumen inhabitans, omnia quodammodo moveri pro nostro reatu permittit, sed plura [361] ad integritatis statum ineffabili sua clementia reducet. » Præsul vero tam præsagio quam rerum damno perturbatus, tempus præfatæ ruinæ diligenter notavit, nunciumque pro experienda ratione reique veritate Augustam festinanter direxit; cujus relatione, casum contigisse et horam convenisse juxta Dei famulæ præfationem, cognovit.

2. Alio quoque tempore huic præsagio simile prodigium ab ipsa patuit, quod tanto magis admiratione B extitit dignum, quanto et loco et tempore rei eventu fuerat diversum. Filius namque illius Romanæ rei publicæ princeps electus, dum uxorem [361] Græcam in thalami consortium suscepisset, ejus pravo ingenio [362], deteriori consilio deceptus, regnum Græcorum conatus est adipisci. Igitur exercitu ex omni copia [363] collecto, fines Italiæ excessit (*an.* 982), atque ita regi Græcorum patrandi belli occasionem dedit, sibi vero suisque famæ ac vitæ contulit amissionem. Interim pia mater ejus die noctuque [364] divinis cultibus insistens, felicis Annæ [365] devotionem [366] procul dubio implevit, et juxta canonicam regulam omni diligentia exhibuit viduitatis obsequia. Quadam vero die devotionis [367] studio pro unici filii salute totiusque regni statu C obnixius intenta, dum se vivam hostiam more solito, stans ante crucifixum, Deo mactaret, rapta in extasi humanis visibus æstimabatur præmortua. Ad se autem post horam reversa, quid viderit memori mente tenebat, fatumque præfatæ pugnæ in spiritali visu sibi prænonstratum, non rem dicendo, sed bonorum cædem condolendo innotuit. Ex his quidem signis patenter potest colligi quali puritate animi fulgeret, immo quanta libertate spiritus Christo serviret occultius, cui cum prophetis futura Dominus revelavit, cum patriarchis fidem roboravit, cum apostolis evangelii perfectionem edocuit, cum martyribus tribulationum tolerantiam tribuit, cum sacerdotibus ecclesiæ curam indidit, cum virginibus sacris sanctissimæ mentis sinceritatem auxit, familiarem sui D præsentiam cum monachis ostendit [368], cum apostolicis discipulabus, dico viduis a Petro et Paulo electis et religionis officio deputatis, in terris devotione præditavit [369], in æterna gloria sublimavit. Curationum vero in tantam gratiam per benevolentiæ meruit operam [370], ut sicut egenorum inopiam elemosinarum largitate sublevavit, ita etiam infirmorum et debilium sospitatem potenti munere restauraret. Sed mirum in modum humanam cognitionem vitandæ insolentiæ causa fugiens, tanti [371] muneris [372] lar-

VARIÆ LECTIONES.

[349] deo 10. [346] *deest* 9. 10. [347] nam 9. 10. [348] v. et i. 9. 10. [349] *hæc desunt* 10. incipit liber de miraculis 9. [350] consederet jamque 10. [351] tunc 9. 10. [352] decidit 9. 10. [353] *deest* 9. 10. [354] multitudini 9. 10. [355] *deest* 9. 10. [356] e. vobis c. 9. 10. [357] q. p. *desunt* 10. [358] *junge* nostræ menti — vestræ 9. 10. [359] solus 9. 10. [360] plena 10. [361] illam 9. 10. [362] i. et d. 10. [363] c. ac conatu c. 10. [364] nocteque 9. 10. [365] anne *superscripto* id est animæ 8. A. viduæ d. 9. 10. [366] devotione 8. [367] orationis 9. 10. [368] o. et c. 9. 10. [369] prædicavit 10. [370] opera 9. 10. [371] tantique 9. 10. [372] muneri 10.

NOTÆ.

(109) I. q. Liutoldus, qui sedit an. 989-996.

gitori secreto mentis placere gestiens, aut [373] omnino [374] furtiva celeritate signorum efficaciam rapuit, aut si qua suorum scientiam præterire non potuit, edicto egit [375], ne usquam levi sermocinatione dilatarent, illam nimirum sententiam gentium doctoris vigili sub corde revolvens [376] (110) : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Et quod ipse Dominus dextræ opus a sinistra celari præcepit (111), simplici prudentia in omni conversatione adimplevit. Tamen urbs super montem posita haud potuit esse omnibus [377] occultata (112). Unius namque signi flagrantia ad nostram pervenit notitiam, cujus patrandi potentiam plurimarum virtutum docemur existere causam.

3. Quodam vero tempore cum cœlesti meditatione occupata in conclavi resideret [378] omnisque arbiter [379] excepto claudo abesset, villicus nomine Hicemannus [380] fide et taciturnitate illi acceptus, pulchrorum malorum attulit munus. Quod serenissimo [381] vultu, ut hilaritatis amica erat [382], accipiens, unum ex multis excepit, cæteros servatori hujusmodi rerum præsentari præcepit. Sed casu accidente pomum a manu longius prolapsum est; quod statim claudus reportare jussus, obsequium renuebat, quia scabella, quibus gressum [383] simulabat, domina [384] retinebat. Illo vero reluctante rationemque debilitatis rationabiliter pro inobedientia reddente, tandem sanctorum domestica [385] ante venerabiles reliquias, quas [386] in conspectu suo jugiter positas habebat [387], caput reverenter inclinavit, suosque dominos secum velle, ut claudus ambularet, affirmavit.

Mox citius dicto surrexit claudus ab imo;
Parens obsequio, fit sanus corpore toto;
Et jussus tanti retinere silentia signi,
Gaudia prodebat; nec gratia tanta latebat

4. Igitur eo tempore quo beata migravit a seculo, Herimannus dux Sueviæ, qui fratris illius Chuonradi filiam in conjugium acceperat, hereditario jure res ancillæ Dei ad monasterium (113) pertinentes occupare volebat. Sed ipsa illi et cunctis in circuitu degentibus manifestis indiciis comprobat, quod nullum heredem præter apostolos et eis servientes monachos relinquebat. Erat tunc temporis forte apud eundem ducem quidam recenter visu privatus, qui olim arte flebotomandi edoctus, et ea causa beatæ reginæ gratia largius est usus. Quia vero illius beneficentiæ nimietatem sanctitatisque claritatem experimento [388] didicerat, orandi studio ad sepulchrum ejus veniens, in adjutorium suum precibus et fletibus eam invitaverat. Cumque per omnem septimanam sacri corporis locum obsecrationis instantia frequentaret, una vice fessus et tristis super pavimentum residens, præ tædio languentis animæ perfusus est somni humore. Tum illi sancta Adalheidis per somnium, admodum reverendo vultu ultra humanam speciem decora, manifesta apparuit; quare dominus ejus Herimannus privatas res apostolorum suæ injustæ ditioni [389] usurparet, terribili voce quæsivit. Illa autem ignorantiam confitente, vel potius tyrannidem ducis adnectente : « Vide, inquit, ut, si nostris meritis sanitatem oculorum recipias, nostræ etiam legationis fidus interpres principem adeas, planoque sermone hujusmodi pravitatem omnino deponere cum signo edoceas. Sin autem [390], me meosque dominos bissenos apostolos, totius scilicet judices orbis, proprium jus persequi, sciat, ultionisque inevitabili ictu sese cum suis flagellandum prædiscat. » His [391] dictis, statim homo evigilans, visionis et allocutionis memoria lætificatus, pedes recedentis usque ad sepulchrum est prosecutus; ubi toto corpore prostratus, tamdiu orationi deditus jacuit, quousque chorus monachorum missæ officia celebravit. Ut vero primum cantor introitum inchoavit, cæcus lumen recepit atque gaudia sua cantantibus commiscuit. Confestim miraculo per sonitum campanarum intimato, ab omni populo concurritur, homo recognitus inde miratur [392], Dei famula veneratur, lucisque repertor, immo [393] facturæ confirmator [394], ab omni sexu et conditione conlaudatur. Post hæc luminis adeptor testimonii legationisque injunctæ non immemor, dominum suum gratulanti cursu revisit, quid in somno præmonitus foret [395] explicuit, suique inluminationem testabatur [396] divini examinis esse argumentum; si ipse aut aliquis potentum sive quælibet persona ulterius in ecclesiastica beneficia gloriosæ in Domino feminæ præsumeret damnum inferre. Ita dux timore perculsus, quidquid injusto incepto contra Dei voluntatem in Dei famulæ rebus desipuit, emendare curavit, addiditque prædicto monasterio prædium ad conficiendum sal utile, situm videlicet ad oppidum Marsile (114).

5. Dignum vero relatione nobis videtur, quomodo Heinricus [397] rex, sancti [398] Georgii martyris singularis cultor, hujus sanctissimæ etiam viduæ supplex fuerit [399] adorator. Nam cum ad præfatum

VARIÆ LECTIONES.

[373] ut 8. [374] omnimodo 9. 10. [375] edidit *corr.* egit 8. e. e. *desunt* 9. 10. [376] volvens 10. [377] e. in o. 9. 10. [378] sederet 9. 10. [379] arbitrio e. a. 8. [380] huozemannus 9. 10. [381] sinceriss. 8. [382] fuit 10. [383] ingressum 9. 10. [384] dona 8. [385] domestici 8. [386] *deest* 9. [387] p. adorare solebat. c. 9. [388] experimentis 10. [389] justitio d. *(fortasse* jurisdictioni) 8. [390] aliter 9. 10. [391] p. Cum h. 9. 10. [392] h. r. i. m. *desunt* 9. 10. [393] primo facturiæ 8. [394] reformator 9. 10. [395] esset 10. [396] testatur 10. [397] henricus 9. 10. [398] *deest* 9. 10. [399] fieret 9. 10.

NOTÆ.

(110) II Cor. I, 12.
(111) Matth. VI, 3.
(112) Cf. Matth. V, 14.
(113) Salsense.
(114) Marsal in Lotharingia, salinis jam tunc celebre.

locum adepto imperio venisset, forte contigit ut ibi posito lecto pausaret, ubi sanctissima anima carnis ergastulo soluta est. Itaque imperator tantæ infirmitatis mole perculsus est, ut lecto surgere non valens, suorum diversa ingenia conquireret, quid de tanti tamque subiti doloris casu sentirent. Omnes quidem in [609] una voce dicebant illius sæcri loci reverentiam talis incommodi causam. Hæc ipse secum diu volutans, et si quo alio modo venerandam Augustam offenderet retractans, et pœnitentia ductus, ad sepulchri sacellum se portari jussit. Et quia illius merita sine apostolici decreto clerique consensu celebrari non licuit, prædicto in loco beatæ Mariæ oratorium se constructurum promisit, atque abbatem illius cœnobii, sicut ipsa [611] constituit, ab imperatoria servitute absolvit (115).

6. Sub idem tempus (*an.* 1008) venit ad eundem locum quidam eques temerarius; qui dum pauperis cujusdam bene receptus hospitio esset, parvam ejus supellectilem diaboli instinctu male tractare aggressus est. Inter alias quidem injurias, quas hospiti suo ingessit, aves domesticas [612] occidit, alienaque substantia fecit sibi præparari [613] cibaria. Magister vero domus in preces fletusque cum uxore profusus, rogavit in primis hominem parcere sibi per abbatem dominum suum; postremo per sanctæ Adalheidis reverentiam imploravit deponere tantam proterviam. Ille procacitatis incepto perdurans, immo majora mala accumulans: *Ego*, inquit, *vivus in hac nocte tui tuorumque dominor* [614]; *Adalheida vero mortua impotens est tibi præstare tutamina.* Nec mora, pro tanta calumnia superne flagellatus, dum male partum cibum festinaret sumere, cœpit etiam manus et cætera membra mandere. Statim pro sui impotentia et furoris noxa ligatus, per ejusdem noctis spatium mentis et corporis durum pertulit vinculum. Sed cum prima luce manibus trahentium ad sepulchrum Christi famulæ invite adductus, sanitatem sensuum in fratrum præsentia recepit, quia illa piissima offensionem, quam vindicabat potenter, postmodum pœnituro indulsit liberaliter.

7. Quædam sanctimonialis femina vocabulo Frowessa [615], cum a prima ætate claudicaret utroque pede, in proximo anno memorabilis transitus augustæ sera lætificata est salute. Et quia hujus virtutis opinio populares aures attigerat prima, totius plebis conventus effectus est admodum lætus, ac usque [616] illius manibus crucem et cereum imponens, per diversas discurrendo ecclesias laudes celebravit deificas.

8. Nec hoc taciturnitate prætereundum esse videtur, quod ob illius dilatanda merita cuidam ignoto homini contigisse dinoscitur. Qui dum per sylvam iter haberet quæ rustico vocabulo nuncupatur Biwalt [617], forte ab equo juxta pascente usque ad oppidum Salsense comitatus est. Quam ob rem apud quendam potentem nomine Heimonem [618] furti accusatus est, qui eodem tempore cum prædicto imperatore Heinrico illuc venerat. Ille de incertis certam sententiam proferens, jussit hominem miseris modis flagellari, spoliari, excæcari. Mox advena cæcatus, levans ad cœlum mentem et manus: *Si ego*, ait, *furti dolique innocens immerito tanta mala perpessus sum, tu sancta Adalheida, redde mihi tuis precibus et meritis visum!* Post hæc cujusdam viri nomine Bennonis domo et cura receptus, post paucos dies lenito dolore ad pretiosi thesauri thecam accessit, testificansque sui innocentiam, oculorum sanitatem recepit. Idem tamen medietate oculorum pupillæ divisa, veræ cæcitatis postmodum ostendit vestigia.

9. Inter cætera vero donaria, quæ sancto Petro (116) contulit hæc sanctorum domestica, existebat quædam familia [619], pagi Nortgowe nuncupati accola [620]. Quam dum quidam proterva præsumptione sibi suisque posteris mancipare temptaret, nulloque pacto repugnantem quis [621] edomare sufficeret, unum istiusmodi generis Benzonem [622] dictum incautius excæcavit apprehensum. Quem post aliquantos dies quidam videre resciscens, denuo captivans, tandem altius omnem eruit visum. Nec mora, cæcus cruento miserandoque vultu turpatus, adhuc crudo vulnere monachos adiit, dominæ suæ venerabile sepulchrum petiit, rituque rusticæ simplicitatis exprobrare cœpit illi causam tantæ calamitatis. Ergo non ante a fletu et planctu eam incusando cessavit, quam integritatem pupillarum cum lucidissimo oculorum officio, quod non inusitatum sed potius rarum a sanctis scimus, recepit.

10. Venit etiam de territorio Mettensi aliqua [623] femina (*an.* 1038), cui divino nutu cæcitatis increvit calumnia. Hæc cum per diversa loca adipiscendæ salutis appetitu discurreret, istius sanctæ quærere subsidia per somnia admonita est ab ipsa. Dum autem solam oculorum appeteret salutem, gratiam adepta est duplicem. Nam eodem tempore contigit Chuonradum Romani imperii gloriosum principem cum thori regnique consorte Gisila advenisse. Cumque venerabilis regina mulierem illuminatam in præsentiarum cerneret, Deum bonorum auctorem dignis laudibus magnificans, sibique [624] consanguineæ augustæ sanctitati congratulans, personam a beati-

VARIÆ LECTIONES.

[609] *deest* 9. 10. [611] *deest* 8. [612] *deest* 9. [613] parari 9. 10. [614] dominorum 8. [615] Eruowela 9. 10. al. Eruovvezza. *Can.* (9) *in margine.* [616] anusque ipsius 10. [617] ingens silva ultra Lutram fluvium, Luterburgum inter et Weisseburgum, hodie dicta Bienwald. *glossa codicis* 8. biwald 10. [618] hermonem 10. [619] famula 8. [620] nuncupata 8. [621] *deest* 9. 10. [622] Bezonem 8. Penzonem 9. 10. [623] quædam 10. [624] s. et c. 10.

NOTÆ.

(115) Fortasse charta Heinrici II Kal. Oct. a 1002. Spiræ edita huc pertinet.

(116) In Seltz; cœnobium SS. Petro et Paulo dedicatum erat.

tudine ejus lumine visitatam in suæ liberalitatis suscepit curam.

11. Fuit etiam in partibus Galliæ potens comitissa, muti filii mater tristis effecta. Pro hac ergo causa dum plura circuiret devote monasteria, tanta virtutum opinione audita, sacrum locum desiderabiliter petiit, trium dierum spatio inibi orationibus operam dedit. Post hæc a dono curationis [115] prolixitate temporis desperata, cum ad propria redire disponeret, semet ipsam cum puero ante altare prostravit, quod ad caput vivifici corporis consecratum est. Mater vero lacrimabili prece intenta, se solam indignam et expertem fatetur, spe lætam venisse, sed tristem redire narrat. Puer autem [116] interim subita soporis quiete solutus est. Qui transacta hora sponte sua evigilans, lætus surrexit, matrem veste apprehendit, si hoc sepulchrum sanctæ Adalheidæ esset, prima voce quæsivit, quæ sibi in somno apparens linguæ vinculum resolverit. Eo modo matrona præ desperatione discessura, reliquum diei duxit illic in lætitia, et pro sospitate filii devota et grata, fratribus in sanctis suis Deum collaudantibus obtulit munuscula.

12. Quidam homo de Burgundia progenitus, ab utero matris ita exstitit claudus et curvus, ut plantæ pedum ad nates, manus vero ad genua conglutinatæ viderentur. Qui dum ab hoc infirmitatis incommodo per sancti Sulpitii (117) meritum liberaretur, idem alia calumnia divino nutu vexari permissus est, ut dum hujus piissimæ atque sanctissimæ feminæ precibus curaretur, virtus præclarissimi confessoris æquaretur. Contigit vero [117] hujusmodi hominem apud præfati loci abbatem Gerbertum, piæ memoriæ virum, cum reliquorum egenorum turba degere, matutinisque laudibus in festivitate beati Petri apostoli vano auditu interesse. Namque malorum et bonorum immemor, etiam temporis et loci venerandi contemptor, cœpit cum viris et feminis miscere verba turpitudinis, sicque cum stultorum conventiculis fecit impedimenta divinæ laudis. Tum subito mira celeritate utraque brachia strictim in terga resilierunt, ambæque manus ejus tanta vi in se reflexæ sunt, ut disruptis digitorum nodulis, astantes maderent aspergine sanguinis. Nec tamen minori intus percussus est supplicio, utpote arreptus dæmone pessimo, sicque duplici pœna devinctus, miserabili spectaculo totius populi movit fletus [118] et planctus. Sed dum chorus monachorum Dei laudes per missam celebraret, omnisque plebs mœstis modis sanctæ Adalheidæ merita precibus provocaret, tandem nodis brachiorum solutis, adeptus est integritatem mentis et corporis. Ipse tamen post aliquantos dies mutus effectus, ad sepulchrum ejusdem beatissimæ matris linguæ recepit usus.

13. Temporibus vero tercii Heinrici [119] imperatoris unius signi mirificus claruit eventus, per quem in sanctorum numero spiritalem potentiam illam verissima argumentatione agnovimus. Quidam vir nomine Burchardus [120], in ministerio Liudpoldi [121] Magunciensis archiepiscopi (118) fideliter degens, parentelæ suæ servili conditione cedit dominio venerabilis augustæ. Cujus liberalissima [122] benignitate donatum majoribus suis prædium hereditario jure absque ambigua lite possidebat, ideoque summa devotione donatricem dominam omnimodis venerari solebat. Accidit autem, ut dux Alamannorum Otto de Swinvorth (119), licet justitiæ aliarumque virtutum quam plurima exempla sectaretur, tamen insaciatæ cupiditatis facibus accensus, prædictum prædiolum, suæ latissimæ possessioni [123] contiguum forte, more Achab vel potius Jezabelis, proprie ditioni injuste vendicare est aggressus. Ergo homo talem jacturam agrorum violenter, non legaliter [124] perpessus, dum humanum præsidium contra tantæ potentiæ culmen desperaret, recolens animo liberalis doni privilegium, ad donantis dominæ fideliter accessit patrocinium, cartulam quoque in præfatam possessionem conscriptam miserabili cultu afferens, sacratæ tumbæ imposuit; commodo sonitu campanarum querulosaque [125] adclamatione dominam suam sibi dormientem excitare se rustico more asseruit, fratrumque congregationem suum casum misereri [126] ob [127] solatium [128] patronæ piæ incitavit. Igitur fraternæ consolationis promissis delibutus, anchora spei in tantæ adversitatis fluctuationibus domum rediit roboratus. Post hæc vero prædicto duci gravissimæ infirmitatis plaga percusso, beata Adalheida, tam severo quam honesto vultu, nocturno silentio apparens, horribiles minas infernalis incendii potenter indixit, nisi famulo suo injuste ablatum citius restitueret prædium. Princeps vero, tam sensatus quam venerabilis personæ invectiva comminatione tremefactus, injuriam patientem calumniamque intolerabilem sustinentem festina legatione adduxit, eique amissæ possessionis jus, exposita prius miranda visione et admodum tremenda minitatione subitæ mortis et perennis supplicii, prompto animo redonavit. Extemplo homo tanta damna expertus et talia [129] commoda consecutus, domino Deo et sanctæ Adalheidæ condignas grates referens, ad ejus monasterium gratulabundus festinavit, complura donativa ecclesiasticis ornamentis

VARIÆ LECTIONES.

[115] domino curatione 8. [116] *deest* 10. [117] ergo 9. *deest* 10. [118] fletum 9. 10. [119] henrici 9. [120] burcardus 10. [121] liudolfi 8. [122] uberissima 9. 10. [123] possessionis 10. [124] l. est p. 10. [125] querelosaque 9. 10. [126] miserari 8. [127] et. 9. 10. [128] sola cui p. 8. [129] tanta 10.

NOTÆ.

(117) Biturícensis.
(118) Sec. lit. a. 1051-1060.
(119) Dux annis 1048-1057.

vel [829] necessitatibus fratrum accommoda contulit, A cessavit a laude sanctæ Adalheidæ et omnipotentis et relata causa vel modo restitutæ rei, nunquam Dei [831].

VARIÆ LECTIONES.

[830] *et* 10. [831] *hic* 8. *desinit*. Explicit vita sanctæ Adalheidæ imperatricis augustæ. 9. — *In* 9. *et* 10 *hæc sequuntur* : Hymnus ad vesperam :

Anni voluto tempore,
Festiva lux Adalheidæ
Nobis beatæ claruit,
Qua [quam 10] seculum jam respuit.
Apostolici dogmatis
Instructa didascalicis,
Sic utitur regalibus,
Ut usa non sit fascibus.
Fudit opes largissimas,
Domis replens ecclesias;
Regni facultas maxima
Dispersa pavit agmina.
Martham sequi decreverat,
Opus manu compleverat (o. m. c. *des.* 10);
Amat Mariam pectore,
Secura Christum cernere.
Summo Tonanti gloria
Æterna sit per secula,
Qui nos sacris solemniis
Jungat polorum gaudiis. Amen.

Sequitur officium Missæ B. Adalheidis et in 10. *etiam officia in vesperis, in nocturnis, etc.*

S. ODILONIS SERMONES.

(*Biblioth. Cluniac.*, p. 371.)

SERMO PRIMUS.

DE NATIVITATE DOMINI SALVATORIS.

Dominicæ nativitatis sacratissimum diem celebrantes, oportet nos, dilectissimi fratres, ad illius divinam æternitatem et æternam divinitatem, et, ut ita dicam, ex Deo Patre inimitabilem et ineffabilem aciem mentis dirigere : in cujus temporali ortu, ea quæ in cœlis sunt et quæ in terris necessario ac singulariter spirituali jubilatione constat exsultare. Non immerito ea quæ in cœlis et quæ in terris sunt in adventu Conditoris sui exsultare diximus, quia duas ad intelligendum et laudandum se creaturas, angelicam videlicet et humanam, in primordio Deum fecisse cognoscimus. Eæ vero creaturæ auctori comparatæ, licet nihil sint, multo tamen præstantius et felicius cæteris creaturis subsistunt, quia ut Creatorem suum laudarent et cognoscerent, ab ipso specialiter meruerunt. Cætera vero mundi machina, non per se, sed per nos Deum laudat, dum ipsam considerantes, vel ejus pulchritudinem, vel Artificis miramur sapientiam. Et dum cuncta quæ creata sunt cernimus, in Creatoris admirationem sublevamur. Nos vero qui ad cognoscendum et collaudandum Deum, ipsius dono gratiæ, angelis socii effecti sumus, nato Domino Christo, et cum angelis, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, cantemus et cum Propheta dicamus : *Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro*. Ad contemplandum quippe Creatorem suum homo conditus fuerat, ut ejus semper speciem quærendo cerneret, et cernendo quæreret, atque in solemnitate illius amoris, sine defectu permaneret. Postquam enim humanæ naturæ conditio, suadente apostata angelo, in primo parente lucem invisibilium perdidit, et totam se in amorem visibilium fudit, tanto est ab interna speculatione cæcata, quanto foris déformiter sparsa; et quæ futura erat, si servare voluisset præceptum Conditoris, carne spiritalis, deserendo Auctorem facta est mente carnalis. Unde fit ut nulla noverit nisi ea quæ corporis oculis, ut ita dixerim, palpando cognoscit, et ea sola cogitet quæ ad animum per imagines corporum trahit. In quibus, dum totam se dilatata mens prospicit, ab internæ intelligentiæ subtilitate grossescit. Et quia jam erigere ad summa se non valet, cœlesti pulchritudine perdita, in his deformiter libenter jacet.

Sed Deus omnipotens, qui hominem ad imaginem suam condidit, noluit illum in sua deformitate æternaliter perire, misit Filium suum, qui etiam apparuit inter homines speciosus forma præ filiis hominum, ut hominem quem potestate suæ divinitatis mirabiliter formaverat humanitatis suæ præsentia misericorditer reformaret, et de informi forma formosam in formam transformaret. Susceptit Dominus formam servi, ut reconciliaret nos Deo Patri. In nostra carne visibilis voluit apparere, ut ad amorem invisibilium ipso duce possemus redire. O magnæ pietatis indicium ! o ineffabile divinæ misericordiæ sacramentum ! Omnipotens Deus hominem decrevit redimere, et redimendo homini etiam se corporaliter ostendit, et ipse, ut ita dixerim, fugitivi sui vestigia subsequens, ad redimendum quem amiserat hominem locus venit. Si enim appellari locus nequaquam Conditor posset, Deum laudans nequaquam Psalmista dixisset : *Filii servorum tuorum habitabunt ibi*. Ibi enim non dicimus, nisi cum specialiter locum designamus. Conditor etenim noster, cum sit omnium rerum locus, sed illocalis, veniens in mundum, non habuit proprium locum in terris, sicut ipse dixit : *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Et secundum Lucam evangelistam, *positus est in præsepio*, quia non erat integerrimæ genitrici ejus *locus in diversorio*. Quis vidit unquam tale? Quis audivit huic simile? Tanta enim erat in assumpta humanitate humilitas, quanta in

divina majestate sublimitas. Quam sublimis in suis, quam humilis in nostris, in præsepe jacebat, in cœlo residebat. Jacens in sinu matris, sedens in dextera Patris. Cum esset Dei Patris ante tempora unicus, factus est Virginis in tempore filius. Non amittens quod erat, factus est quod non erat. Factus est particeps mortalitatis nostræ, ut nos vitæ suæ participes faceret. Hodie impletum est vaticinium illud Isaiæ prophetæ dicentis : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Item ipse apertius : *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Item idem ipse propheta : *Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis.* Nimis dulce quod natus est; nimium salubre quod datus est. Cum audis Christum tibi natum, gaude. Cum audis etiam tibi datum, multo magis lætare. Sed inter patrem et natum, et inter datorem et datum, secundum divinam naturam non contingat tibi ullam tibi credere differentiam. Unius enim substantiæ sunt secundum deitatis essentiam pater et natus, dator et datus. Tantus est ille qui datus est quantus est ille a quo datus est. Et qualis est ille qui genitus est, talis est ille a quo genitus est. Non præcessit tempore genitor; non est genitore genitus inferior. Ejusdemque naturæ, potentiæ et majestatis creditur et prædicatur Spiritus sanctus, quo superveniente suscepit Verbum Dei sanctissimæ et semper Virginis uterus, cujus singularem partum universus hodie recolit mundus. Tantæ enim rei tamque divinissimi mysterii et ineffabilis sacramenti gratia, non solum in terris exsultant justi; sed etiam summæ divinitatis in excelsis tripudiant ministri.

Nos ergo licet propriis excessibus gravati, præoccupemus faciem in confessione Domini, et in psalmis jubilemus ei. Assistamus ei humili devotione, ut ipse nobis adsit pia miseratione, ut fideliter dicamus. Adest utique nobis qui, ut dictum est, natus et datus est nobis. Aderit procul dubio nobis Dominus, idemque totus ubique secundum divinam naturam omnibus habetur in locis. Qui enim secundum incircumscriptam substantiam semper habet esse, non potest nobis famulantibus non adesse, sicut ipse discipulis suis dixit : *Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Si omnibus diebus, fidelibus suis se promisit adfuturum, quanto magis die sui natalis nobis erit præsentior, si nostri famulaminis servitus ei fuerit promptior! Qui per Salomonem loquitur: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam;* Et iterum: *Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ante sæcula, ordinata sum.* Et qui per Isaiam dicit : *Cœlum et terram ego impleo,* mirabili suæ dispositionis mysterio natus hodie ponitur in præsepio. Quem Salomon ostendit ante sæcula æternaliter exstitisse, Isaias affirmat nullo loco deesse. Ille qui semper est et ubique non potest nobis deesse. Audenter dixi : non potest. Potenter hoc non potest. Talis impotentia est omnipotentia. Ista impossibilitas est summa possibilitas. Quam sint vera et fidelia antiquorum vatum testimonia de æternitate Christi ejusque divina et incircumscripta præsentia, ductilis illa cœlestis magnivoce concrepat tuba. *Jesus Christus,* inquit, *heri et hodie, ipse et in sæcula.* Et in alio loco Davidico usus testimonio. *Tu autem,* inquit, *idem ipse es, et anni tui non deficient.* Et ipse Salvator in Evangelio ad Judæos. *Antequam Abraham fieret ego sum.* Sed quia ante Abraham, et ut verius dicam, ante omnem creaturam semper cum Deo Patre esse æternaliter habuit, de semine tamen Abrahæ nasci temporaliter voluit. Abrahæ namque a Deo Patre dictum est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.*

Hujuscemodi etiam promissionis insigne privilegium beatus David patriarcha promeruit, cui Deus Pater, incerta et occulta sapientiæ suæ manifestando, dixit : *De fructu ventris tui ponam super sedem meam.* Hoc ipsum Jeremias propheta asseruit ubi dicit : *Ecce dies veniunt,* dicit Dominus, *et suscitabo David germen justum.* Hujus enim nobilissimi germinis magnificentiam, et dulcissimi fructus sublimitatem et excellentiam, Isaias propheta considerans, Spiritu sancto præventus prænuntiabat, dicens : *In die illa erit germen domus Domini in magnificentia et fructus terræ sublimis.* Hi vero duo, qui præ cæteris patribus de adventu Salvatoris promissionem apertissime acceperunt, in descriptione Dominicæ generationis, secundum evangelistam Matthæum, primum et principalem locum digne promeruerunt, cujus exordium tale est : *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* Illis sacris evangelistæ verbis conveniunt et prophetarum oracula et apostolica verba. Quod Mediator Dei et hominum ex semine Abrahæ secundum carnem natus sit, Isaias propheta manifestissime commendare studuit, ex persona Dei Patris dicens : *Et sic, Israel, serve meus, Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendi te.* Et egregius prædicator in Epistola ad Hebræos ita scribit, dicens : *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Et quod de semine David natus sit, ipse doctor egregius ad Romanos scribens ita exorsus est, inquiens : *Paulus, servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Et ad Timotheum scribens ait : *Memor esto Dominum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum.* Quisquis ignorantiæ tenebris liberatus et fidei lumine illustratus, in Evangelio Filium Dei filium David appellavit, non solum spirituale, sed etiam corporale lumen recipere meruit. Vult se Dominus Christus tali nomine vocari, quia scit non esse aliud nomen in quo possit mundus salvari. Nos ergo, dilectissimi fratres, ut ab ipso qui est Salvator mereamur salvari, dicamus omnes, dicamus singuli : Domine, fili David, miserere nostri. Amen.

SERMO II.

DE EPIPHANIA DOMINI.

O fraterna charitas et Deo grata societas, scire nos oportet quia præsentis diei festivitas, quæ de affectu Magorum devotionem jam declarabat gentilium, aliis est etiam decorata mysteriis, ac multiplicibus subnixa privilegiis, et ideo per totum orbem merito prædicatur celebris. Hodie namque ministerium virginei partus, et gaudium Dominici natalis declaratur aperte, signo novi et perspicui sideris. Claritas enim Dei, quæ, sicut Evangelium loquitur, nato Christo pastores circumfulsit, de remotis terræ partibus ad præsepium illud hodie Magos adduxit, in quo Virgo puerpera Deum infantem posuit. Deus est qui tunc in homine nascebatur, homo est qui a Deo assumptus, hodie a Magis adoratur. Miraris forsitan dixisse me Deum in homine natum, vel hominem a Deo assumptum. Audi Apostolum dicentem, Vas electionis Deo plenum. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* De hoc B. Augustinus ita sentit, et in suis litteris scriptum reliquit. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Deus occultus ex Deo Patre; homo manifestus ex homine virgine. Quem cognoverunt pastores, angelo docente, adoraverunt Magi, stella nova ducente. Quod pastores angelos vident, Bethleem adeunt, infantem, ut eis dictum fuerat, in præsepio positum et pannis involutum inveniunt; admonet ut illi qui pastores sunt spiritualium ovium, per cœlestis vitæ contemplationem, semper Deo adhæreant, et de Pane illo qui in Bethleem natus est edant, et subditis ipsum panem vitæ ministrent. Quod Magi novum sidus cernentes ab oriente veniunt, Regem natum quærunt, quærendo cum Maria matre ejus inveniunt et apertis thesauris suis munera offerunt, admonet ut fideles omnes per sanctæ conversationis exhibitionem et activæ vitæ sanctam operationem semper Deo placere studeant.

Succedunt, dilectissimi fratres, spiritualibus gaudiis spiritualia gaudia, sacris junguntur solemniis sacra solemnia. Inde cumulantur fidelibus, si bene considerant, virtutes et præmia. Doctissimus ille Gregorius, qui apud Græcos vocatur Theologus, sermonem faciens de hac solemnitate, ita inchoavit, dicens: Jesus meus, et iterum mysterium. Non ante multum temporis spatium celebravimus diem, in quo die homo factus exivit de virginali utero *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Hodie illum celebramus diem in quo seipsum manifeste innotuit mundo. In illo die cantibus angelorum est acclamatus; in isto die Magorum muneribus est honoratus. Sicut in illo die ab angelis hominibus bonæ voluntatis, teste Evangelio, est pax annuntiata, ita hodie, Davidico asserente oraculo, *lux orta est justis et rectis corde lætitia.* Si vero rectis corde et justis, pastoribus videlicet et Magis, Zachariæ et Elizabeth, Simeoni et Annæ, et multis aliis mundi salutem devote præstolantibus, adveniente Christo exorta est lux et lætitia; injustis et iniquis, Herodi scilicet, Scribis et Pharisæis ipsius crudelitati consentienti-

A bus, advenit ingens mœror atque tristitia. Quale fuit gaudium, dilectissimi fratres, de adventu Christi justis, et exsultatio, si vultis ad plenum scire, beati Lucæ evangelistæ fidelissima et sincera præmonstrabit descriptio. Qualis e diverso accidit injustis et iniquis ira et indignatio, hodierna sancti Evangelii sacra manifestat lectio. Quam timida fuit de rege nato Herodis iniqui et anhela suspicio, testatur ad Magos ipsius nefandi subdola et formidolosa locutio. Dicebat eis: *Ite et interrogate diligenter de puero*, etc. Promittit se Christum subdolus adorare, quem occulte moliebatur occidere, quærebat impius interficere, per quem omnis justus desiderat vivere et sine quo nemo potest subsistere. Multos interimendo perdidit, sed unum quem quæ-
B rebat invenire non potuit, non intelligens, miser, contra se dictum: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Et beatus papa Gregorius adeo concionator festivus, in homilia præsentis diei, ad exprobrandam calliditatem Herodis suorumque similium, ita affatus est, dicens: Qui Deum ficte quærunt, invenire minime possunt. Quomodo ille illusus angelo monente, per aliam viam declarat Magorum reditus. Qualiter post illusionem iratus, parvulorum ac matrum manifestat luctus et gemitus. Quam tumide se extulit contra Dominum, declarat mors pretiosa sanctorum. Quantum sibi malus, quantum suis pessimus, sui suorumque, ut patrum dicta referam, infelicissimus demonstrat exitus. Testium Christi lætitiam, et piorum innocentum exsultationem et gaudium, Herodis etiam iniquorumque omnium pœnas et interitum Isaias propheta prævidens, brevi sententia comprehendit, dicens. *Adsint milites in Domino lætitiam, et pauperes homines in sancto Israel exsultabunt, quoniam defecit qui prævalebat. Confusus est illusor, et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem.*

Quam felix vates qui prophetica auctoritate impios damnat, et divina promissione pios remunerat, et, ut ita dicam, utramque partem hominum bonorum et malorum condigno charactere notat. O prophetæ mirabilis, qui ut B. Hieronymus dicit, non tam propheta dicendus est quam evangelista, qui etiam omnia nostræ salutis mysteria ad liquidum pandit, alia adhuc futura vaticinando pronuntiat, alia quasi jam peracto evangelizando prædicat. Virginem parituram promittit, virgam de radice Jesse processuram introducit, parvulum nobis natum asserit, et filium nobis datum ostendit, et quod ipse sit Deus talia ei nomina inserendo perdocuit. *Et vocabitur*, inquit, *nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Quod super solium David sedeat, et regnum ipsius in judicio et justitia, modo et in æternum confirmet et corroboret, aperta voce declarat. Hierusalem hortatur ut surgat, lumen suum jam sibi venisse denuntiat; jubet ut oculos levet et videat, omnes in fide congregatos sibi jam venisse congaudeat; processuras gentes in lumine suo, et reges in splendore or-

tus sui clara voce pronuntiat, quod hodie totus mundus impletum concelebrat. David nempe rex, ex quo, ut Cyprianus victoriosissimus dicit, secundum carnem Christi nativitas oritur, et qui tantam gratiam meruit, sicut B. Ambrosius scribit, ut ex ejus familia Virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet; in psalmo qui recitatus est, sacratissimos Epiphaniarum dies devote celebrantibus favet, et quid unicuique festivitati prospiciat plenissime intonat. Dominicæ incarnationis mysteria enarrare cupiens, ita exorsus est inquiens. *Descendet sicut pluvia in vellus*, etc. Prævidens quoque tempore nativitatis cum justitia pacem mundo venturam dicit: *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis.* Sciebat enim quia per assumptam humanitatem decrevit Deus totum sibi subdere mundum, *et dominabitur a mari usque ad mare*, etc. Et quia non solum Judæi, sed etiam gentiles ad fidem vocandi erant, et nigredine peccatorum tecti, ad lucem veritatis convertendi, subdidit, dicens: *Coram illo procident Æthiopes.* Sacramentum præsentis diei considerans voce clara pronuntiat dicens: *Reges Tharsis et insulæ munera offerent*, etc. Adhuc etiam magnitudinem potestatis ejus admirans, ait; *Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.*

In hujus enim pauperculæ nostræ declamationis exordio, præfati sumus hujus diei festum multis divinorum mysteriorum privilegiis consecratum, et ut verum esse sciat vestra fraternitas, multifarie catholicæ fidei commendat auctoritas. Hodie Christus mundo manifestus apparuit, hodie baptismatis sacramentum suscepit, et suscipiendo sua præsentia consecravit. Hodie, ut fides credentium credit, aquas ad nuptias in vinum convertit. Fit spiritualiter vinum ex aqua, quoniam cessante legis littera, fulget per Christum Evangelii gratia. Baptizatur Christus, renovatur mundus. Christus baptizatur, vetus homo exuitur, novus homo induitur. Expellitur ille primus homo de terra terrenus; secundus induitur de cœlo cœlestis. Quando Christus baptizatus est, mysterium sacri baptismatis consecratum est præsentia totius Trinitatis, vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* in specie columbæ Spiritus sanctus apparuit, et sicut solus filius a beato Joanne baptizari voluit. De hac vero sententia beatus Hilarius tam pulchre scribit quam sane sentit. Et licet tota Trinitas incarnationem Verbi et mysterium baptismi operata sit, tamen solus filius baptizatus est a Joanne, sicut solus natus est de Virgine, et omnes assumptæ mortalitatis passiones sine peccato transcurrit, et secundum divinitatis naturam semper impassibilis mansit.

Sed ut ad priora redeamus. Est hic dies, ut sæpe diximus, satis per se festivus, sed ideo nimis perspicuus, quoniam natali Dominico dignoscitur esse contiguus. Cum Deus in puero adoratur, virginei partus honor excolitur. Cum homini Deo munera deferuntur, divini puerperii dignitas adoratur. Dum Maria cum puero invenitur, vera Christi humanitas et Dei genitricis prædicatur integritas. Sic enim dicit evangelista: *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum et, apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* Ea quæ Magi offerunt munera, secreta de Christo produnt sacramenta. Dantes aurum, regem prædicant, thus offerentes, Deum adorant; myrrham ostendentes, mortalem agnoscunt. Nos ergo ita credamus Christum assumpsisse mortalitatem nostram ut per ejus simplam mortem duplam nostram cognoscamus abolitam. Quomodo Christus mortalis apparuit, et mortis debitum solvit, habes scriptum in Isaia: *Sicut ovis ad occisionem ductus est.* Et sub persona Jeremiæ de ipso a Judæis dictum legimus: *Morte turpissima condemnemus eum.* De morte turpissima, id est de morte crucis, Apostolus: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et in alio loco: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur;* et: *Quod mortuus est percato, mortuus est semel;* et: *Quia mortuus est propter delicta nostra.* Et B. Petrus de passione ejus dicit: *Christus passus est pro nobis; qui cum pateretur, non comminabatur.* Quomodo Christum regem esse credamus, divina auctoritate approbamus. Ipse enim de se dicit in psalmo: *Ego autem constitutus sum rex ab eo*, id est a Deo Patre; et David patriarcha: *Deus, judicium tuum regi da.* Et quod sit Rex regum, ipse dicit per Sapientiam: *Per me reges regnant, et principes legum jura decernunt.* Et quod vere sit Christus Deus et Dominus, testatur per ipsum conditus totus undique mundus. Ipse enim dicit in Evangelio: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Et Apostolus asserit ei a Deo Patre datum *nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.* Et in alio loco Apostolus: *Quoniam per ipsum, et in ipso creata sunt omnia, et ipse ante omnes et omnia in ipso constant.* Et beatus evangelista: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Si omnia per ipsum facta esse et in ipso constare noscuntur, consequens est ut adventum omnia cognovisse credantur.

Quid de rationabili creatura, angelica videlicet et humana dicam? Quæ quantum Creatori suo per cogitationem est vicinior, tantum de adventu ejus exstitit lætior. Et non solum illa quæ rationabilis est, Deum in carne venisse cognovit, sed etiam irrationabilis quibusdam nutibus Auctorem suum ipsum esse declaravit, et ei servitutis obsequium quodammodo præbuit. Et, ut pauca de multis dicam, ut majorum tradit auctoritas, eo nascente, cœlum novum sidus produxit. Pedibus ejus mare se calcabile præbuit, ventus, eo jubente, conticuit; eo moriente, terra contremuit. Sol radios lucis suæ retraxit, saxa et monumenta patuerunt, mortui surrexerunt, multi qui tenebantur captivi ab inferis liberi exierunt. De his Joannes satis convenienter Chrysostomus. Omne quod est necessario famulatur

ei a quo ut esset accepit originem. Idcirco, fratres, de divinitate Christi tanta diximus et adhuc dicere volumus ut, dum illum in præsepio positum, pannis involutum, humilem hominem inter omnia cernimus, Deum verum et Dominum super omnia esse non dubitemus. Illud vero singulare nomen deitatis quod est Deus, multoties in divinis litteris ad Patrem refertur, aliquoties ad Filium. Quoties ad Patrem referatur, nullo modo mens humana potest colligere, et quod aliquando ad Filium referatur, multis testimoniis edocemur. Unde est illud : *Deus, judex justus.* Cum dicimus, *Deus, judex justus*, de Filio dictum esse non dubitamus. Ipse enim dixit : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Et in alio loco Psalmista, postquam dixit; *Domine*, addidit : *Deus salutis meæ.* Jesus *Salvator* sive *salutaris* interpretatur. Item Scriptura clamitat : *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Quam frequenter Christus Jesus Dominus vocetur, omnis pagina divina testatur : *Dominus conterens bella*, *Dominus nomen est illi*, et Psalmista : *Dominus illuminatio mea et salus mea.* Illuminatio nostra est, quia sicut evangelista dixit : *Ipse illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et sicut B. Petrus apostolus ait : *Ipse eduxit nos de tenebris in admirabile lumen suum.* Salus nostra est Christus, sicut idem ipse pastor Ecclesiæ dicit, Isaiæ usus testimonio : *Cujus livore sanati sumus.* Et B. Petrus : *Domine, ad quem ibimus?* Et ipse in alio loco : *Domine, bonum est nos hic esse.* Et Thomas post resurrectionem ejus; *Dominus meus et Deus meus.* Sicut sæpissime Christus Jesus Dominus simul et Deus vocitatur, ita aliquando rex et Deus, aliquando vero Dominus et rex appellatur. Rex et Deus, in quinto psalmo : *Rex meus et Deus meus*, Dominus et rex, sicut in vicesimo tertio : *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.*

His ergo et aliis, fratres dilectissimi, Scripturæ divinæ testimoniis eruditi, si credimus Dominum nostrum Jesum Christum, mediatorem Dei et hominum, Deique et hominis filium in nostra fuisse carne mortalem, et prædicamus illum Regem regum, et adoramus illum Deum deorum, et Dominum dominorum, recte credendo et bene operando, vitiorum errores declinando, per justitiæ vias incedendo, carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis mortificando, visibilia contemnendo, invisibilia concupiscendo, cum illis tribus Magis tres supradictas species munerum, quotidie spiritualiter ad ejus portamus præsepium. Cui sit gloria et potestas, honor et imperium, cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen

SERMO III.

DE PURIFICATIONE SANCTÆ DEI GENITRICIS MARIÆ.

Omnipotentis Dei Patris omnipotens Sermo, a regalibus sedibus veniens, hominibus homo factus apparens, indutus amictu corporeo, Mosaicæ legis voluit adimplere decretum, ut antiquæ prævaricationis deleret chirographum. Sicut enim octava die sui ortus Dominus noster legaliter voluit a parentibus circumcidi, ita, quaterdeno numero dierum deducto, cum legalibus hostiis a matre Virgine voluit in templo præsentari. Circumcisio tunc temporis ab originali peccato circumcisos purgabat, et legalis oblatio pueris et matribus purificatione indigentibus et radice Adæ pollutis purificationem præstabat. Sed nihil horum noster parvulus, nec ejus sanctissima et mundissima genitrix indigebat. Vere non indigebat Dei Filius legali circumcisione, qui non erat carnali admistione concretus, sed adventu Spiritus sancti et Altissimi virtute, angelo nuntiante, in utero virginali conceptus. Ipse enim est lapis, quem Daniel vidit præcisum de monte sine manibus, Christus videlicet natus de Judæorum gente, nullo humano opere interveniente. Non indigebat etiam Dei genitrix purificatione carnali, quæ concepit non operatione virili, sed virtute Altissimi, et illustratione Spiritus sancti. Sed ideo voluit se suamque genitricem decretis legalibus subdere, ne videretur esse legis contemptor, qui erat utriusque Testamenti largitor et conditor. Urgebat enim legis jussio, ut parvulus octava die circumcideretur, et quadragesimo die, ut dictum est, in templo præsentaretur, et parentes ejus pro eo par turturum aut duos pullos columbarum offerrent, si agnum invenire non possent. In utroque vero animali, præfulgebat gratia salutaris mysterii. Turtur, ut illi volunt qui de naturis animalium disputant, castissimum est animal; columba mansuetissimum et patientissimum. Bene pro Christo turtur sive columba offertur, quia ipse est patientiæ et mansuetudinis auctor, ipse virginitatis custos et castitatis amator. Ipse ad nos veniens, ex Virgine verum corpus assumens, virginitatem in matre consecravit; pro nobis moriens patientiæ nobis exemplum reliquit.

Sistitur hodie, sicut Lucas refert, præsentia carnis puer Jesus Domino, qui nunquam per præsentiam divinitatis a paterno solio discessit. Dives in suo, pauper in nostro, recolitur hodie præsentatus in templo, quod olim sibi præparaverat Davidis prudentia et Salomonis industria. Jure ab illis domum sibi condere decrevit, de quorum stirpe matrem eligere voluit. Convenienter ditissimorum, sapientissimorum et fortissimorum omnium regum propagine generatur Dei genitrix et semper virgo, Maria, quia illum erat paritura, qui est Dei virtus, sicut apostolus Paulus intonat, et Dei sapientia, et ut ipse Paulus testatur : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Erat enim eadem nostra puerpera, pauper terrena possessione, sed plena cœlesti benedictione. Erat progenita stemmate regali, sed pauper adeo stipendio temporali. Pauper rebus, referta divinis muneribus. In tantum pauper ut agnum, qui pro peccato offerebatur, non haberet; in tantum dives ut Agnum, peccata mundi tollentem, salva virginitate, generare posset. Una eademque res fuit, et quod de paupere matre, et quod de desponsata Virgine Christus nasci voluit, ut videlicet Vir-

ginis partu divinitas quæ erat in homine, usque ad tempus præfinitum a Deo, diabolo et mundi principibus celaretur. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent;* quod pernecessarium erat. Si Christus non crucifigeretur, homo non liberaretur. Ipse enim Dei Filius paulominus minoratus ab angelis, pro nobis etiam egenus factus est, ut nos sua paupertate ditaret. O beata paupertas, quæ nos divites reddidit! o felix inopia, quæ nos locupletes effecit! Quanta et qualis est ista paupertas quæ ab angelis nuntiatur, a pastoribus veneratur, a Magis officiosissime salutatur et adoratur, et cui omne genu flectitur! Quales et quantas divitias in illo puero grandævus ille Simeon justus et timoratus intuitu mentis agnovit, quem postquam videre meruit, nihil præter ipsum concupivit videre, nec etiam in hac vita desideravit vivere! Nisi cognosceret senex ille Simeon in Christo et per Christum posse consequi perpetuam vitam, non tam libenter eo cognito appeteret temporalem mortem. *Responsum acceperat*, ut Lucas Evangelista testatur, *a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.* Postquam Christum Domini secundum promissionem Spiritus sancti Simeon ille senex vidit, et salutare lumen mundo venisse cognovit, benedixit Deum et dixit : *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

Nos ergo, dilectissimi fratres, hujus sanctissimi senis Simeonis exemplum sequentes, Dominum Christum in mundum venisse credamus, ulnis sincerissimæ dilectionis adventus ejus memoriam fideliter amplectentes, ei utpote membra capiti conjungamur, ita ut non ab eo separemur, usque dum eum in templo gloriæ suæ videre mereamur. Vitam quoque istam fallacem et caducam fugientes, ad illam quæ vera et permanens est, toto mentis desiderio tendamus, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui est, ut ipse dicit, via, veritas et vita: via, videlicet recte gradientium; veritas, veritatem amantium; vita, bene viventium. Qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

DE INCARNATIONE DOMINICA.

Dominicæ incarnationis et nostræ reparationis, quod fides fidelium hodierna die recolit, sacramentum, licet granditate sui et excellentia humanum et angelicum excedat intellectum, tamen quidquid de eodem potuit vel debuit comprehendere et scire electorum devotio, totum per antiquos patres, Veteris videlicet Testamenti patriarchas et vates disposuit nuntiare, et per apostolos et evangelistas, idoneos novæ legis ministros, dignata est enarrare divinæ dignationis Majestas. Quanta enim et qualia præfulserunt in serie veteris Instrumenti testimonia, huic sacro mysterio adeo faventia et apertissime congruentia, non potest ad plenum colligere nostræ parvitatis ignorantia. Quidquid vero Evangelia, apostolorum Epistolæ et Actus loquuntur, totum ad homines Christum per Virginem venisse fatetur. Ex dictis igitur majorum, catholicorum doctorum cognoscimus, utriusque Testamenti patres, licet essent locis et temporibus divisi, unanimiter tamen sensisse de gloria adventus Dominici. Et ut hoc sine dubio cognoscamus, beatus papa Gregorius, ad instar cœlestis sideris, quod septem stellis non simul stantibus, sed simul micantibus, quas divina pagina Pleiades nominat, divinos auctores ad enarranda nostræ salutis mysteria, etsi discretos locis et temporibus, in una tamen fide et veritate refulsisse denuntiat.

Hos non solum stellas, sed etiam cœlos, Davidici sermonis vocat auctoritas, dicens : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Illi etenim cœli, hæ stellæ, cæteraque spiritualia et rationabilia astra verbo lucentia, amore ardentia, non a se, sed ab auctore suo habuerunt ut sermone lucerent, dilectione arderent, et ea quæ de ipso senserunt, Spiritu sancto docente, narrarent. Quorum alii diffusius, alii compendiosius, alii apertius, alii obscurius de divinis sibi revelatis mysteriis locuti sunt. Ex quibus sicut inter veteres patres ad prænuntianda divina beneficia, insigne quoddam nobilissimus prophetarum privilegium obtinuit Isaias, ita ad enarranda incarnati Verbi et virginei partus, arcana mysteria, principalem locum obtinere promeruit Lucas. Hic vir divinissimus et, ut omnis ejus descriptio patefecit, omni sapientia et scientia eruditissimus, non in primis ad ea de quibus magis dicturus erat, et ad quæ ipsius tota tendebat devotio, ordinem narrationis incipere voluit, sed circumstantia miracula, generationem videlicet Dominici præcursoris et ortum, vitam ejus mirabilem, conversationem sanctam, et inauditam a sæculis in victu et vestitu abstinentiam, et in omni genere perseverantem constantiam et constantem perseverantiam, et ad reprehendenda vitia robustissimam liberalitatem. Parentum etiam ejus nobilissimam et sine omni querela justitiam ad liquidum describere voluit. Postquam vero de his sufficienter dixisse se credidit, ad disserenda ea quæ in voto habebat, præeunte lumine cœlestis gratiæ, se totum dedit, inquiens : *Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen virginis, Maria.*

Audivimus, fratres, angelum a Deo Patre ad Virginem missum, audivimus Virginem novo salutationis famine salutatam, et in ipsa salutatione, ut Evangelium loquitur, fuisse turbatam. Audivimus Gabrielem archangelum verbis consolatoriis, ne timeret allocutum, eo quod invenisset gratiam apud Dominum, deinde generaturam et parituram asseruit filium, quem præcepit ut vocaret Jesum. Hunc esse magnum et filium Altissimi, sedem David, et domum Jacob, et regnum sempiternum sine fine secundum humanitatem adepturum prædixit. Quod semper secundum divinitatem cum Deo Patre et Spiritu sancto æternaliter, antequam mundus fieret, in æterna sua præ-

scientia habuit et disposuit. Post consolationis officiosissima et jucundissima famina, Virgo sanctissima interrogando et potius in cunctando cœpit inquirere quomodo fieri posset quod angelus insolitam et inauditam rem tanta auctoritate nuntiare præsumeret; hujus rei factum, quod natura non habuit, quod exemplo caruit, Spiritu sancto superveniente et virtute Altissimi obumbrante angelus fieri posse perdocuit. O inauditum et admirabile singularis humilitatis exemplum! Ea quæ se Dominum et Creatorem suum concepisse gaudebat et de se nasciturum non dubitabat, cum posset se cognoscere sine dispendio suæ sincerissimæ humilitatis omnium fidelium dominam, non distulit se vocare Domini sui ancillam, dicens : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Videte, fratres, humilitatem Virginis Verbum Dei concipientis. Videte obedientiam Domini ad nos per Virginem venientis. Videte claritatem et dilectionem, circa humanum genus, Dei Patris angelum ad Virginem, nomine Mariam, mittentis. Hujus nobilissimi nominis prædulcis interpretatio claritudinem meritorum illius atque virtutum aperta ratione demonstrat. Interpretatur enim Maria *stella maris* sive *domina*. Merito vocatur Domina, quia Dominum totius creaturæ, salva perpetua sua virginitate, hodierna die concipere et certo tempore gignere meruit. Cui Deus Pater, ut David patriarcha testatur in psalmo, dicens : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*, etc. De quo idem Propheta : *Domini est terra et plenitudo ejus.* Item in eodem psalmo : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Et ut illum fortem et potentem credamus, Gabriel archangelus qui *fortitudo Dei* dicitur, nasciturum de Virgine evangelizare debuit, quem ad debellandum perditionis principem et mortis imperium destruendum, velut geminæ gigantem substantiæ omnipotens Pater unicum Filium suum transmisit. Consequens etenim est ut Dei genitrix et semper virgo Maria maris stella vocetur, quia sicut illi qui inter fluctus maris exercitatione navigii laborant, stellis sibi Deo auctore famulantibus, ad portum quietis venire desiderant; ita quisquis in hujus sæculi periculoso naufragio, fluctibus perniciosis irruentibus, sive de animæ, sive de corporis vita periclitatur, necesse est ad contemplationem istius stellæ aciem mentis dirigat, per cujus meritum et gratiam posse se ab omni periculo liberari non dubitat.

Stellæ enim, ut scitis, divino nutu ordinantur quod in nocte luceant et solem diei præcedant. Et hæc nostra stella splendida et matutina, adhuc incumbentibus ignorantiæ tenebris et jam jamque Deo propitio deficientibus, præparabatur, ut per illam ad nos procederet sol justitiæ Christus Deus noster, de quo scriptum est : *Ecce vir Oriens nomen ejus.* Hunc, Zacharia propheta testante, promittebat se Deus Pater missurum ad illuminationem fidelium, dicens : *Ecce ego mitto vobis Orientem servum meum.* Quis audivit unquam tale? Aut quis vidit huic simile? Virgo, Dominum paritura, ancillam se Domini vocat; Deus Pater hominem nasciturum servum et Orientem appellat. In quantum homo, servus; in quantum Oriens, Filius cœternus, consubstantialis et unicus. De quo Malachias propheta : *Vobis timentibus Deum, orietur sol justitiæ.* Et Zacharias in Evangelio : *Visitavit nos Oriens ex alto.* O quanta qualisque stella Dei genitrix et semper virgo Maria exstitit! Ex qua illa claritas, illa lux illudque lumen, Verbum caro factum ad nos processit. Qui non solum, ut evangelista Joannes prædicat : *Omnem hominem venientem in mundum illuminat;* sed etiam stellas, lunam et solem et omnem creaturam quam condidit, regit, disponit et ordinat. Qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

DE RESURRECTIONE DOMINI

Certissima fiducia est Christianorum divinitus promissa resurrectio mortuorum. Hanc enim Veritas repromisit; Veritas autem mentiri non potest. Vera est igitur de resurrectione corporum promissio veritatis, quia Veritas quæ mentiri non novit, totum necesse est impleat quod promisit. Hanc autem resurrectionem corporum, ut futuram certissime noverimus, ipse Dominus nobis in suo corpore dignatus est demonstrare. Resurrexit Christus, ut resurrecturum se non dubitet Christianus. Quod enim præcessit in capite, sequitur in corpore. Nosse autem debemus, dilectissimi fratres, duas esse mortes et duas resurrectiones. Dicitur enim mors prima, dicitur et secunda. Porro primæ mortis duæ sunt partes : una qua peccatrix anima per culpam discedit a Creatore suo, altera qua, judicante Deo, excluditur per pœnam de corpore suo. Mors autem secunda ipsa est mors corporis et animæ punitio sempiterna. Per mortem ergo primam, anima boni et mali hominis ad tempus a suo corpore separatur. Per mortem vero secundam, anima solius mali hominis in æternum cum suo corpore cruciatur. Utraque ergo mors omnem hominem tenebat obstrictum, quia naturæ transgressio unumquemque peccati propagine tenebat obnoxium. Venit autem Dei Filius immortalis et justus, et ut moreretur pro nobis, carnem mortalem suscepit ex nobis. In qua carne, quia nullum potuit habere peccatum, sine reatu pertulit peccati supplicium. Secundam itaque primæ mortis partem, id est solius corporis mortem, Dei Filius pro nobis accepit, per quam a nobis et dominationem peccati, et pœnam æternæ punitionis abstersit. Hoc ergo Christus nunc in mundo misericorditer operatur, his quos ad bene vivendum hortatur, donans fidem ut recte credant, tribuens charitatem, ut bonis operibus libenter insistant. In novissimo vero die, ad hoc eos corpore resuscitare dignabitur, ut eis æternam beatitudinem largiatur. Resuscitati ergo in anima per fidem, dilectissimi

fratres, cum justitia vivamus, ut etiam corpore ad æternam lætitiam resurgamus. Sentiemus primæ resurrectionis munus quod nobis largitus est Christus, ut, cum resurrexerimus corpore, mereamur cum ipso Salvatore sine fine regnare, quando absorbebitur mors in victoriam et dabitur fidelibus vera vita veraque lætitia, cum idem omnipotens Deus pro meritis fidei atque bonorum operum dabit suis fidelibus regna cœlorum. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

DE EADEM RESURRECTIONE DOMINI

Quamvis, fratres dilectissimi, ad hoc nostra esset intenta devotio, ut ex nostro ministerio procederet ad vos tenuis quidem vel exigua verbis simplicibus prolata declamatio, hujus tamen diei venerabile sacramentum, opportunum nobis et convenientius indicit silentium. Sed cum de tanta ac tali re loqui pertimescimus, dat ausum loquendi singularis jucunditas præsentis diei. Et quia id esse nostri judicatur officii, licet minus simus idonei, tamen huic sacro conventui omnino apparere non debemus ingrati. Invitat nos ad loquendum vestræ charitatis affectus, ad credendum promptus, ad audiendum devotus, ad operandum strenuus. Excitant nos ad extollenda hujus excellentissimi festi sacrosancta mysteria, circa sepulcrum Domini, terribilia nimis angelorum obsequia. Admonent idipsum sine defectu agere gestis suis et dictis ordinis utriusque sanctissimæ personæ. Invitant nos ad enarranda hujus diei magnalia sanctarum mulierum indefectiva studia. Sane dum Deum quærimus, ut nostrum desiderium nullus possit mundialis perturbare defectus; hortatur dignissimus discipulorum cursus, visu gratissimus, auditu dulcissimus, visu mirabilis, auditu delectabilis. Sic enim loquitur Evangelium : *Currebant duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit prior ad monumentum.* Quis non desideret Christum in dexteram Patris sedentem quærere, et, ut quærendo possit invenire, spiritualiter currere, cum tantos apostolos ad sepulcrum ejus etiam gressu corporeo delectabiliter recolit cucurrisse? Sed ut ipse nostrum desiderium adjuvet, unusquisque nostrum illud de Canticis canticorum, *trahe me post te, curremus*, desideranter proclamet, ut postea cum David et apostolo Paulo bene cucurrisse, legitime certasse, cursumque consummasse se gaudeat. Ad quem finem hujuscemodi cursus tendat, suprascripti versiculi lucide pars ultima notat. Postquam dixit : *Trahe me post te, curremus*, addidit, *In odore unguentorum tuorum.* In odore unguentorum est currere, virtutum sancto nos refectos odore, semper ad auctorem nostrum gressu mentis incedere. Isto vero laudabili cursu currebant hæ devotissimæ mulieres, quæ, ut Evangelia narrant, a Galilæa Dominum secutæ fuerant et ad tempus usque passionis ejus, discipulis etiam discedentibus, ei fideliter adhærebant. In odore unguentorum eas et spiritualiter, et secundum litteram cucurrisse constat, quia, ut Dominici corporis ungerent membra, sicut Marcus testatur, emerunt aromata.

Quam pervigil fuit de Dominico corpore sanctarum mulierum ac sedula inquisitio, manifeste denuntiat, licet sera, certa tamen inventio. Si vero laudabilis est ab exordio suæ conversationis erga ipsum Dominum sincerissimæ charitatis affectus, multo laudabilior est circa sepulturam ejus piissimi obsequii famulatus. Legimus in Evangelio secundum Lucam, Dominum Christum in quoddam castellum ab illis officiosissime susceptum. Et ut sanctus Evangelista narrat, pro resuscitatione fratris sui, Lazari videlicet, fiducialiter invitatum. Inde ad crucem, verum usque ad tumulum illæ secutæ sunt, ut amorem, quem viventi exhibuerant, jam mortuo, si liceret, studio humanitatis impenderent. Si dignum admiratione ducimus quod sanctæ mulieres diligenti cura exsequias mortalitatis ejus celebrant, cujus doctrina de vitiis ad virtutes, de tenebris ad lucem reductæ fuerant, cujusque mirabili potentia fratrem suum Lazarum ex mortuo vivum se recepisse gaudebant, qui sermo, quæ facundia digne possit dicere quo vel quali quantoque affectu piissima ejusdem Dei et Domini genitrix, ut sanctus evangelista refert, ante crucem stabat, et piis oculis exspectans non pignoris mortem, sed mundi salutem? Non enim mens concipere, non spiritus ullus agnoscere potest quo amore, quo desiderio, huc illucque se vertens, Dominicæ passionis et resurrectionis loca circumiens, quem toto mentis ardore quærebat, videre desideraret. Sciebat illum non posse fieri legibus mortis obnoxium quem sanctus David prævidit inter mortuos liberum. Sciebat illum a morte nullo modo posse teneri, quem, nullo interveniente mortis contagio, salva sua virginitate pro restauratione mundi sciebat ex se ineffabiliter, et voluisse, et potuisse nasci. Quærebat filium cum cæteris in sepulcro, sed multum dispari voto, et, ut ita dicam, quantum ejus professio a cæterarum proposito, et quanto fecunda virginitas a continentiæ bono. Aliæ quærebant ut condirent defectum, illa credebat a Deo Patre jam de morte reductum.

Ideo, fratres, constantissimum circa sepulturam Dominicam discipulorum discipularumque Christi famulatum paucis recitare curavimus, ut exemplis eorum nosmetipsos ad enarranda pro modulo Dominicæ resurrectionis gaudia excitaremus. Valde enim indignum est, ut beatus Gregorius dicit, eo die laudes debitas taceat lingua carnis, quo videlicet die caro resurrexit Auctoris. Compellit nos etiam pro sui magnitudine aliquid dicere auctoris tanti gaudii præclara resurrectio et de antiquo hoste triumphalis congressio. Ex hujus congressionis nobili mirabilique victoria, atrium suum custodiens, fortis ille armatus, fortiore superveniente, fortiter est superatus; arma et spolia in quibus confidebat, amisit, quia inter ipsa initia mundi, et periit primus, et perdidit. Ille, angelica majestate subnixus, postquam

ad imaginem Dei factum conspexit, malivolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens quam ipse dejectus, captivus antequam capiens, perditus antequam perdens, et dum homini gratiam datæ immortalitatis eripit, ipse quoque id quod prius fuerat, amisit, et, dum vitam mordendo absorbere appetit, morsus suus mors ei perpetua fuit, sicut per prophetiam Oseæ mortis destructor, vitæ largitor et fortis bellator dixit : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam vos.* Et iterum : *Ero mors tua, o mors; morsus tuus, inferne.*

Cum ipso igitur mortis auctore hodie mors subacta detruditur, hodie per Christum vita mortalibus redditur. Servitus hodie dæmoniaca pellitur, libertas Dominica hodie Christianis conceditur. Hodie namque divinæ propitiationis dignatio singulare remedium contulit mundo, cum homini perdito tenebris mortis circumfuso, resurgente Christo, lux vera refulsit ab alto. Humani etenim generis massa, quæ in ipsa radice suæ originis lividi serpentis astutia et primi hominis culpa miserabiliter fuerat corrupta, secundi hominis gratia hodie mirabiliter et misericorditer est restaurata. Superbiendo dejectus hominem mortis auctor prostravit, humiliando seipsum hominem hodie vitæ largitor erexit. Mortales nos fecit priorum parentum male suasa præsumptio, vitæ nos hodie reddidit dexteræ cœlestis mutatio. Apostata vero angelus ideo irremediabiliter periit, quia nullam in se peccandi materiam naturaliter habuit, sed propria sponte contra suum auctorem a seipso deceptus intumuit. Homini vero idcirco pietas divina condoluit, quem non proprio tantum, quam alieno instinctu cecidisse cognovit. Unde pulchre satis sanctus David in psalmo canit : *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Et hæc est illa, quam supra diximus, dexteræ cœlestis mutatio. Vere, inquam, dexteræ cœlestis mutatio, quia inter culpam et gratiam diversus est ordo. Qui per naturam nos edidit, vitæ nos exsules fecit. Qui per gratiam genuit, vitæ consortes effecit.

Audiamus quid primus homo, a paradiso ejectus, audivit : *Terra tua spinas et tribulos germinabit tibi.* Audiamus quid David patriarcha, dandam per Christum gratiam prævidens, dixit : *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Audiamus etiam quid Adam ille, mortalis effectus et auctori inobediens, audivit. Audiamus quid latro, in cruce pendens et vitam confitens, Christi pietate promeruit. Illi dictum est : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo;* isti dictum est : *Hodie mecum eris in paradiso.* Timeamus quod, exigente peccato, in primo parente commeruimus : Terra es et in terram ibis. Diligamus quod, operante justitia, Deo Patri a capite nostro pro nobis dictum esse confidimus : *Pater, volo, ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.* Et in alio loco : *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Et illud apostolicum : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Illa videlicet gloria, de qua Propheta dicit in psalmo : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Et nos satiemur tot promissionum refecti dulcedine, qui quondam periclitabamur, tantarum minarum attriti formidine. Servilis absit timor, divinus adsit amor. Vetustæ servitutis recedat trepidatio, novæ libertatis accedat exsultatio. Illa, inquam, exsultatio, quam sæpedictus Propheta venturam sibi decantabat in psalmo : *Anima autem mea exsultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.* Et quod specialiter ad spem Dominicæ nostræque resurrectionis pertineat, præcedens sententia et subsequens aperte demonstrat. Antiquo etenim hosti superior versus præcipitium optat quod ipse humano generi per mortem Christi parabat. Subsequens vero sententia humani corporis ossa ad laudem Dei introducit clamantia : *Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tui?* Ac si dicant : Qui cum a morte surrexeris, spem nobis resurgendi donabis. *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum simul ac pauperem a diripientibus eum.* Propter quorum gemitus et miserias, in alio psalmo resurrecturum te esse promittebas. Promisit Dominus et implevit. Mortuus est et resurrexit. *Mortuus est propter peccata nostra, resurrexit propter justificationem nostram.* Moriamur pro eo, ut resuscitemur ab eo. *Si compatimur*, inquit Apostolus, *et conregnabimus.*

Credamus Dominum Jesum a Deo Patre resuscitatum de sepulcro, et gratiam et salutem invenientibus in auxilio opportuno, testante apostolo Paulo atque promittente. *Si confessus fueris et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. In quem*, sicut pastor ille Ecclesiæ beatissimus Petrus dicit, *nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exsultatis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ, scientes quod non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conversatione, paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi Agni incontaminati et immaculati, Christi, præcogniti quidem ante constitutionem mundi, manifestati autem novissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deum, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Domino.* Nos igitur, tanti auctoris eruditi sententia, credentes in Christum exsultemus inenarrabili lætitia. Sed in hac præcipue paschali solemnitate, in qua sicut apostolorum princeps dicit : Redempti sumus de vana nostra conversatione incontaminati et immaculati Agni sacrosancto sanguine. In hoc etiam oportet nos plurimum gaudere, quia solutum est hodie jugum captivitatis nostræ, contritus est hodie malleus universæ terræ. *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus in ea et lætemur, quoniam laqueus contritus est et nos liberati sumus.* Et, secundum Zachariæ vaticinium, de lacu, in quo non erat aqua, in sanguine testamenti hodie educti sumus. Hoc ipsum præfigurabat Moyses aspergens taberna-

culum et omnia vasa ministerii sanguine dicens : *Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus. Omnia pene in sanguine mundantur secundum legem*, et dicit quod *non fit remissio sine sanguinis effusione*, aperte demonstrans quia non fieret peccati abolitio, nisi intercederet Domini nostri Jesu passio. Et nisi esset ipse pro peccatis oblatio, per quem nobis datur omnium peccatorum remissio. O quale sacramentum, quo veniente cessat omne peccatum ! o quale sacrificium, quo redolente fugit omne delictum ! o qualis sacerdos, qui semetipsum obtulit, ut ingratos servos a perpetua morte, sua morte faceret liberos ! Factos etiam liberos fratres vocat et filios. Eia, fratres dilectissimi, studeamus toto mentis affectu esse pacifici, ut mereamur vocari et esse filii Dei. Faciamus, prout ipse donaverit, voluntatem Dei, ut potestate accepta possimus adoptivi fratres ejus fieri, qui secundum fidem et confessionem primi apostolorum, Petri, est naturalis et unicus Filius Dei vivi, cum quo vivit et regnat per infinita sæcula Deus, in unitate Spiritus sancti, qui nos perpetua pace custodiat suumque Pascha digna veneratione continue celebrare concedat. Amen.

SERMO VII.

DE EADEM RESURRECTIONE.

Hodie, dilectissimi fratres, Domino nostro Christo resurgente atque de subacto tenebrarum principe triumphum victoriæ referente, spes immortalitatis mundo reddita est, et quod a sæculis difficile incredulis ac perfidis impossibile videbatur, ope atque divina miseratione in plenam securitatem conversum est. In lætitiam mentes redeant, quoniam tempestate exitialis pressuræ ac nube discussa cæcitatis antiquæ, tranquillitas æternæ quietis et serenitas divini luminis effulserunt. Dandæ Deo laudes, et beneficia ejus ac munera tam grandia, ut grandiora esse non possint, cum gratiarum actione celebranda sunt. Nos etenim, fratres, qui Deum corde toto, et anima et virtute diligere debemus, necesse est benedictiones ejus et laudes semper et ubique cum gloria prædicemus. Sed nunc magis ac magis fieri convenit quia exoptatus votis omnium fidelium dies advenit, et post longæ noctis horribilem terræque caliginem Domini luce radiatus mundus eluxit. Hujus enim luminis, perpetuæ videlicet claritatis, adventum ipsiusque adventus sacrosancta mysteria, ab ipso mundi principio antiquorum Patrum actibus præsignata, ac multiplicibus vaticiniis perorata verisque attestationibus promissa eodemque lumine in homine apparente exhibita, sicut nos colimus et tenemus in re vera, ita et antiqui Patres colebant in spe certa. Ita enim in spe certa, ut etiam de his quæ credebant et prædicabant, quædam sicut erant ventura nuntiabant, quædam jam percepisse sibique jam advenisse gaudebant. Nonne jam patriarcha David hujus diei lætitiam præsentem se habere credebat qui dicebat : *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea ?*

A Unde illi aderat in exspectatione hujus diei tanta lætitia talisque exsultatio? Sciebat enim se per hujus diei sacramentum, de valle lacrymarum et planctu antiquæ ploralionis transiturum ad æternæ beatitudinis gaudium. Sciebat præterea se sine dubio in spe resurrectionis Christi, conscisso diuturnæ pœnitudinis sacco, vestibus mortalitatis et corruptionis exui, quas primi parentes de pellibus consuerant et foliis verecundiam suam texuerant, et stola immortalitatis et indumento lætitiæ et jucunditatis indui, quæ sibi eloquia divina promiserant. Dicebat etiam se post revelatam Dominicæ resurrectionis gloriam, et resurgente Christo nobis in sæculi fine promissa non posse ad ullam tristitiam compungi, sed divinis
B cantibus et confessione cœlestibus plena laudibus Domino Deo suo æternaliter cum gloria famulari, et idcirco adjuncta personæ suæ omnium fidelium massa exsultans, et cantans laudes, et gratias referendo Domino dicebat : *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar, Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.* Hoc igitur genus confessionis magis ad prædicandas pertinet misericordias Domini Salvatoris quam ad detegendas miserias hominis peccatoris, sicut idem Salvator in Evangelio ostendens dicit : *Confiteor tibi, Pater cœli et terræ*, id est, laudo et glorifico te. Et sanctus in Psalmis : *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Hujus inæstimabilis
C bonitatis, Dominus Jesus Christus minister et testis, largitor et monstrator factus est. Minister nascendo, testis moriendo, largitor resurgendo, monstrator ascendendo. Est enim ipse summi et æterni boni, quod idem ipse est, minister cum nascitur, testis dum patitur, largitor cum de morte reducitur, monstrator cum in dexteram Patris assumitur.

Hæc sunt quatuor specialia divini muneris beneficia, ex omnibus Dominicis beneficiis excepta, et per quatuor Evangeliorum libros, et quatuor evangelicos viros, per quatuor mundi spatia, fidelibus sunt reserata. Hæc cum fideliter credimus et firmiter retinemus, et digna pro posse veneratione recolimus, quoniam ex his maxime Domini bonita-
D tem cognoscimus, consequens est ut, sicut Davidicus sermo nos admonet, faciamus : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.* Mundus sanguine Christi Deo Patri reconciliatus, Ecclesia videlicet catholica per totum mundum diffusa, in sæculum misericordiam ejus prædicat, dum ab hujus sæculi miseriis ejusdem misericordiæ munere se posse liberari non dubitat. Domini misericordiam in æternum omnium plenitudo fidelium prædicat, dum per Christi resurrectionem, quam hodie singulari veneratione devotissime celebrat, ad gloriam venturæ resurrectionis et gaudium æternæ beatitudinis pervenire sine dubio sperat, et facie ad faciem gloriam videre sui Redemptoris ho-

dierna festivitate de morte resurgentis. Nos ergo confiteamur Domino quoniam bonus est, peccata nostra humiliter accusando, bonitatem illius sublimiter prædicando. Confiteamur quoniam misericors est, misericordias ejus sine fine laudando, ut in hoc sæculo sua nos bonitate custodiat, et in æternum sua misericordia simul et præsentia perfrui concedat, et præstet ut, sicut in carne, quam assumpsit ex Virgine matre, intuitu fidei cernimus resurgentem, ita in divinitate quam habet ex Deo Patre, facie ad faciem videamus regnantem, cum eodem Deo Patre et consubstantiali sibi et coæterno Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VIII.

DE ASCENSIONE DOMINI SALVATORIS.

Postquam Dominus et Salvator noster sacrosancto suæ passionis mortisque triumpho, abolito peccati chirographo, contrito mortis aculeo, dæmoniacæ crudelitatis destruxit tyrannidem, humanum genus, quod tenebatur morte captivum, solus inter mortuos liber morte subacta reddidit liberum. Corpus vero quod sine peccati discrimine ex Virgine sumpsit quodque pro nobis assumptæ mortalitatis, non necessitate, sed potestate legibus subdidit, ab inferis rediens, apostolorum conspectibus resurrectionis gloria clarificatum et, ut ita dicam, redivivum ostendit. Mulieri namque se devotissime requirenti, non absque admirabili ratione et rationabili admiratione primum apparere dignatus est. Decebat enim ut sexus, qui primum hominem, diabolo se fallente, fefellit eique mortis suggessit interitum, prior hominibus vitæ renuntiaret remedium. Et ut ab excellentioribus argumentum assumam, consequens erat ut sexus, qui, Christo nascente sine peccati contagione, salvo suæ virginitatis perpetuæ signaculo exstitit prævius, resurgente Christo justificatus a peccatis perpetuæ salutis fieret nuntius. Apostolorum principi Petro Dominum apparuisse non est dubium, sed apostolica relatione et evangelica descriptione creditur esse certissimum. Voluit ei Dominus præ cæteris apostolis singulariter apparere, ne desperaret ex negatione. Noluit illum diu remanere suspectum, ne desperaret se posse percipere apostolici culminis privilegium. Idcirco illum Dominus cadere permisit, sicut festivus concionator Gregorius dixit, ut ex collato sibi munere disceret qualiter aliis misereri debuisset.

Discipulis vero duobus, discipulabusque duabus, ipso die quo surrexit a mortuis apparere voluit : Istis, festive salutando, *Avete*, dixit; illis secum gradientibus, et de se dubitantibus sacramenta divinarum Scripturarum aperuit, et in fractione panis se vere resurrexisse perdocuit. Deinde quoties tam sacratissimum et excellentissimum exigebat officium, generaliter discipulis suis apparuit eisque pacem, quam per angelos in mundum veniens ventura prædixit, per semetipsum jam venisse manifestavit, dicens : *Pax vobis*. Quibusdam vero discipulis de se dubitantibus, cicatrices vulnerum suorum ostendit, corpusque de morte resumptum palpabile præbuit et de cordibus eorum maculas dubietatis extersit. Septem quoque discipulis in piscatione frustra laborantibus Dominus apparere voluit, et quod erat eis difficile, ipse sua corporali præsentia et majestate divina fecit esse possibile, ita ut ad ejus nutum, designato numero caperent et multitudinem piscium. Quem numerum si videres arithmetica ratione dispositum, scires in eo non mediocriter refulsisse mysterium; quod si ad plenum scire te delectat, apud beatissimum Augustinum satis late patet. Ut enim in Christo Domino veritas patesceret resuscitati corporis, ac sine dubio gloria peractæ resurrectionis accedit ad cumulum veræ fidei ac sincerissimæ credulitatis solemnitas dignissimæ resurrectionis. Assum enim piscem et favum mellis comedit, ut in asso pisce ostenderet se passum, et in favo mellis a Deo Patre vera fide resuscitatum. Nos enim, fratres charissimi, per amaritudinem acerbissimæ passionis, Dominum Jesum Christum pervenisse credimus ad gloriam resurrectionis. Hanc autem resurrectionem Dominici corporis, ut futuram in nobis certissime noverimus, ipse in corpore suo dignatus est demonstrare. Resurrexit Christus, ut resurrecturum se non dubitet Christianus. Processu vero temporis, peracto mysterio suæ resurrectionis, Dominus Jesus Christus ad cœlos ascendit, ut eo Christianus ascendere se posse confidat, ubi caput suum se præcessisse non dubitat.

Hujus etenim ascensionis Dominicæ nobilitatem et gloriam, Veteris Instrumenti multo ante multipliciter prænuntiavit auctoritas, et ipso ascendente exsultans angelica declaravit sublimitas, evangelicæ etiam descriptionis atque apostolicæ prædicationis per totum orbem narravit satis aperte majestas. Apostolica vero prædicatio, ut dictum est, mysteria supradicta vehementer enarrat, cum beatus Petrus apostolus, omnium de quibus loquitur, idoneum testem se esse declarat, et apostolica libertate subnixus, ut propositum est, liberalissimo sermone pronuntiat, dicens : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Statim subintulit. Et his cum quibus tunc res ipsa gerebatur dixit : *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno. Hunc Deus, Principem ac Salvatorem, exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israel et remissionem peccatorum. Et nos sumus testes horum verborum et Spiritus sanctus, quem dedit Deus hominibus obedientibus sibi.* Et in alio loco idem pastor Ecclesiæ, Davidico fruitus [fretus] vaticinio, David igitur, inquit : *Propheta cum esset et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum suscitavit Deus, cui omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hoc donum quod vos*

videlis et auditis. Non enim David ascendit in cœlos. Dicit autem ipse : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Paulus denique prædicator egregius, cum hoc nostræ salutis mysterium auditoribus suis commendare vellet, affectu optantis et voto orantis prudentissima et spiritali circumlocutione aggressus est eos, dicens : *Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus, illuminans oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credidimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed et in futuro.* Et : *Omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius.* Et ut idem Apostolus ad Timotheum scribit : *Columna et firmamentum veritatis.* Et manifeste : *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria,* sicut per Marcum et Lucam descriptio intonat evangelica. Lucas vero cum ad Theophilum scriberet, dicit se sermonem fecisse *de omnibus quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est.* Et Marcus in hodierna lectione, *Dominus,* inquit, *Jesus, postquam locutus est discipulis suis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.*

Quomodo vel qualiter præsentis solemnitatis gaudia, ascendente Domino, angelica declaravit sublimitas, non potest ore dicere, non corde concipere humana fragilitas. Sed tamen illud unum, ut Lucas narrat, testimonium admirabile atque jucundum, officiis ecclesiasticis adeo festive recitandum, huic declamatiunculæ dignum duximus inserendum. *Cumque intuerentur apostoli Dominum euntem in cœlum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Ascendente Domino angeli apparuisse leguntur in vestibus albis, quia humanum genus, quod fuerat obtectum tenebris mortiferæ cæcitatis, per gratiam Christi meruit percipere indumentum æternæ jucunditatis, et consortium angelicæ dignitatis. Instrumenti Veteris auctoritatem, ut proposuimus, multo ante multipliciter prænuntiasse manifestum est, illis videlicet qui Scripturam sanctam et studiose legunt et fideliter intelligunt. Quid per Enoch Scriptura divina clamat translatum, quid per Eliam igneo curru transvectum, nisi Dominum Christum hodierna festivitate in dextera paternæ majestatis elevatum? Sicut ipse per Prophetam in psalmo dicit ad Patrem : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me.* Ecce illud Domini Salvatoris iter astriferum, sanctus in psalmo vocari voluit cursum. Quod David cursum vocat, Salomon in Canticis saltus appellat. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Et ille : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.* Hunc enim quem David currentem præcinuit, Salomon salientem prævidit. O prudentissimi vates, o tantæ prolis felicissimi parentes, cujus meruistis prophetica denuntiatione fieri parentes et testes! De vestra namque radice Isaias propheta virgam cum flore processuram prædixit. De quo ipse alias dicit : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in verticem montium, et elevabitur super colles.* Et in alio loco : *Erit germen domus Domini in magnificentia, et fructus terræ sublimis.* Quem, fratres, intelligere debemus per montem super verticem montium præparatum, nisi mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, niumm hominum naturam superantem et meritum? Quem per germen Domini magnificum et gloriosum, et fructum terræ sublimem, nisi eumdem Dei et hominis filium, hodierna die super cœlos cœlorum et dignitatem omnium angelorum in dextera Dei Patris assumptum? Ergo, dilectissimi fratres, omnium vitiorum phantasmata fugientes, cunctarum virtutum charismata diligentes, ipsum, de quo loquimur, toto cordis affectu quæramus, toto mentis ardore diligamus, passibus dilectionis et fidei sequamur, ut per ipsum cum ipso ad eum possimus pervenire, qui per ipsum corruptam generis humani naturam voluit reparare, et reparatam in ipso, hodierna festivitate ad se dignatus est revocare. Qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IX.

IN DIE PENTECOSTES.

Indicibilis et immensa præsentis diei majestas et gloria, verbo præsidente et linguis favantibus, vi propriæ potestatis exigit ut dicamus pro posse quantum divina miseratio miseriis humanis consuluit. Scitis quoniam unumquodque negotium cum fuerit ad finem deductum, exercentes se quodammodo compellit in sese colligere simulque revolvere quid mœroris, quidve lætitiæ in ipso actionis itinere contigit evenisse. Hoc vero permaxime ut fiat, ipsa eademque res congruum fore dijudicat quatenus ereptus liberatori gratias referat, et largitori lætitiæ omnibus votis adhæreat, et cum Propheta clamet et dicat : *Mihi autem Deo adhærere bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Si nostræ mortalitatis defectus, et quotidiana delicta, et dubiæ vitæ præcipites cursus, sollicita consideratione ad mentem reducere commonemur, multo magis opera misericordiæ quæ circa nostram salutem salutis auctor exercuit, summa cum veneratione nos recolere convenit.

Videamus saltus quos pro nobis incarnata divini-

tas dedit, cogitemus quid Deus in homine gessit, quid homo a Deo assumptus temporalis apparens corporaliter pertulit. Quod enim omnia Dominici adventus mysteria Dei Patris sint voluntate peracta, nulli dubium quin firmissime teneat fides ecclesiastica. Quod et Spiritus sanctus Patri et Filio cœternus sit cooperator, et auctor ejusdem Filii Dei assumptæ humanitatis, tanti sacramenti exordium declarat. Christo namque misericorditer ad homines veniente, Spiritus sanctus in Virginem supervenit. Christo in Patris dextera magnifice residente, Spiritus sanctus super apostolos descendit, sicut universalis Ecclesia in eodem spiritu congregata summa cum veneratione hodie devotissime recolit. Cum enim Dominus ac Redemptor noster crucis esset addictus supplicio, potatus aceto *consummatum est*, dixit. Quod duobus modis a nobis intelligi voluit, ac si diceret : *Consummatum est*, videlicet Vetus Testamentum, et initiatum est Novum. Sive, consummatum est adventus mei mysterium usque ad hanc quam pro vobis sustineo mortem. In passione siquidem Domini plurima pietatis ejus opera fuerunt consummata, nonnulla postmodum etiam consummanda, sicut post triduum præclara resurrectio : processu vero temporis mirabilis ascensio ; et in igneis linguis super apostolos hodierna die toto mundo spectabilis spiritalis infusio. Hodie namque Spiritus sancti super apostolos venientis, manifestissima contestatione, per divinitatis potestatem completam esse cognoscimus assumptæ humanitatis Christi dispensationem. Si enim, uti præfati sumus, uniuscujusque negotii causam necessario ad mentem reducimus, conferentes læta cum tristibus, exsultantes nos incommoda evasisse, prospera adeptos fuisse, quid tam utile, quid tam consequens quam in hac die, in qua Christi corporalia finem suscipiunt, et in qua spiritalia charismata luce clara patescunt, omnia retro peracta, recapitulando quodammodo recitare pro modulo? Non enim nos putamus vel dicimus idoneos tantæ rei ministros jactanter, sicut faciebat beatus Apostolus humiliter ac sapienter, sed ad confirmandam fidem nostram et ad excitandam devotionem vestram nostra parvitas dicere censuit quibus modis, ut supra dictum est, divina miseratio miseriis humanis consuluit.

Natus est Christus ex incorrupta Virgine, ut humana corrupta nativitas in spiritalem transferretur originem. Legalem voluit suscipere circumcisionem, ut ejusdem legis se demonstraret auctorem, et nos, exemplo ejus spiritalibus gaudiis circumcisi, id est cœlestibus disciplinis eruditi, ad fabricam cœlestis ædificii inveniamur idonei. Deinde a magis adoratus, tres significativas suscepit species munerum, ut qui erat pro nobis mortalis effectus, Rex sæculorum crederetur et Dominus. Voluit etiam in templo præsentari, turturem et columbam pro se voluit offerri, dans nobis exemplum ut, cum ad altare accedimus, castitatis et innocentiæ cæterarumque virtutum victimas immolemus. Duodennis in templo matre Virgine nesciente remansit, post paululum studio ferventi cursuque citato requiritur, et, ut Lucas refert, *in medio doctorum sedens*, non docens, sed discens et audiens invenitur. Interrogante autem matre, cur se ignorante remansit, in domo Patris sui esse se respondit. Hæc etenim puerilia gesta catholicæ fidei sunt firmitate subnixa. Cum vero Jesus a matre requiritur, procul dubio verus homo cognoscitur. Dum esse se in domo Patris oportere testatur, a cunctis fidelibus verus unicus Dei Filius creditur. In medio doctorum sedens, audiens illos et interrogans, signat ut nullus nisi perfecta ætate prædicationis officium assumere præsumat.

Sciendum præterea quod de infantia Salvatoris non plus Ecclesiæ pietas approbat quam quod divinus sermo pronuntiat. Infirmitates tamen assumptæ mortalitatis, sicut fides fidelium credit, absque ullo contagio peccati percucurrit, sed Deus occultus in homine semper impassibilis mansit, et licet Dei Filius nullam haberet mundandi vel purificandi necessitudinem, certo tamen die determinato tempore, trigesimo videlicet ætatis suæ anno, illud singulare ac singulariter salutare mysterium baptismatis suscepit, suscipiendo sanctificavit, sanctificando cunctis fidelibus ut per illud sanctificarentur, ac si cœleste donativum contradidit. Sed dum baptizandi possibilitatem ministris Ecclesiæ concessit, potestatem baptizandi quasi quoddam insigne sibi vindicans reservavit, sicut divina vox B. Joanni homini magni meriti nuntiavit, quando Christus ad illum gratia baptizandi venire non distulit. *Super quem videris*, inquit, *Spiritum descendentem et manentem super eum, ipse est qui baptizat.* Ipse etenim amicus Sponsi, fidelis humilisque Præcursor, quo inter natos mulierum, teste Veritate, non surrexit major; baptizans et baptismum prædicans sicut sacer evangelicus sermo describit. Ait enim : *Ego quidem vos baptizo in aqua, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.*

Quomodo in Spiritu sancto et igni baptizat, hodierna festivitas satis aperte ac solemniter approbat. Beato Luca evangelista in Actibus apostolorum narrante, cognoscimus quia *apparuerunt apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum Spiritus sanctus.* Idcirco, dilectissimi fratres, de sacramento baptismatis, hodie vel modicum dicere libuit, quoniam illud isto in tempore Christiana religio magis ac magis peragere consuevit. Baptizatur Christus, et non modo jam patriarcharum prodigiis, non prophetarum oraculis, sed voce Patris dilectus Filius approbatur : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.* De quo Psalmista : *Rex dilecti, dilecti.* Et de quo Salomon in Canticis : *Dilectus ex dilecto.* Deinde, sancto ducente Spiritu, desertum petiit, exempto [exacto] quadragesimali jejunio, ut pote verus homo esuriit, diaboli tentamenta divina virtute superavit; deinde angelico, ut verus Dei Filius, usus ministerio, post-

modum, ut Isaias propheta multo ante præcinuit, terram Zabulon et terram Nephtalim adiit; habitantibus in regione umbræ mortis et sedentibus in tenebris lumen veritatis ostendit, semetipsum videlicet qui dixit : *Ego sum lux mundi*, et de quo sanctus Evangelista : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* vocatis discipulis, cœlestis disciplinæ perfectionem tradidit eis, octo beatitudinum species disserendo, fontem se totius beatitudinis esse declaravit. Aperta pronuntiavit in quibus ædificaremur, obscura proposuit in quibus excitaremur. Quibusdam vero assumptæ carnis motibus, sed prorsus peccato carentibus hominis filium se esse demonstrans, insolitis miraculorum prodigiis divinitus adhibitis, Dei Filium se esse contestans, et sic humana divinis, divina humanis conjungendo, ex duabus substantiis in una persona prædicatur Christus, Deus verus et homo.

Videamus quomodo divinitati famulabatur humanitas, vel quomodo humanitati favebat divinitas. Lazarum suscitans, quod est Dei; amicum flevit, quod est hominis, et sic de cæteris. Sed, ut de multis pauca referam, infirmos curans, ingemuit; famelicos pascens, oculos ad cœlum levavit; discipulos alloquens, in montem ascendit; languidos curans, in campestribus stetit, esuriens, superavit hostem; excitatus a somno, pontum jubet esse quietum; sitiens, Samaritanis propinavit salutem; cum capi voluit, inimicos retrorsum cadere fecit; moriens, mortem pertulit et in morte ejus omnis creatura congemuit. Morte etenim Christi tenebrescunt lumina cœli, scinduntur velamina templi. Captivos reddit inferus, rediviva cadavera tellus. In mortis discrimine hominem agnosce, in virtutis operatione Deum intellige. Cum enim a mortuis resurrexit, sæculo vitam reddidit, suis fidelibus spem resurgendi concessit. In divinitatis potentia clausis januis ad discipulos intravit, in resumpto corpore stigmata passionis palpabilia monstrat, ostendens quod in eadem carne sumus resurrecturi et ampliori gloria sine fine victuri. Et ut nemo dissideret de gloria resurrectionis, carnem quam Dei Filius ex nobis assumpsit, ad cœlos ascendens collocavit in dexteram Patris, ut eo nos ascensuros credamus, quo caput nostrum nos præcessisse cognoscimus. Inde fidelibus hodie in Spiritu sancto Dei dilectio mittitur, quæ per Apostolum charitas nominatur. *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Spiritus etenim sanctus, Patri et Filio coæternus et consubstantialis, non sicut minor et nolens transmittitur, sed sicut æqualis propria voluntate a Deo Patre et Filio mittitur, quia, sicut Veritas dicit, *Spiritus ubi vult spirat.*

Obmutescant qui in divinitate Spiritum sanctum minorem esse somniant, et qui inter creaturas creatum esse connumerant. Non potest esse minor qui totius operis divini legitur et creditur esse cooperator. Nec inter creaturas potest connumerari qui creator et renovator est totius machinæ mundi. Si creatorem et renovatorem Spiritum sanctum prædico, desideranter propheticis verbis consentio : *Emitte*, inquit, *Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Si cooperantem totius divini operis esse pronuntio, ab auctoritate divinæ Scripturæ non dissentio. Quando Deus per Verbum fabricam mundi condidit, Spiritus sanctus super aquas ferebatur, sicut divina pagina divinis lectoribus innotescit. Postquam priore gratia invidia diaboli primis hominibus adempta, pietas divina ad agnitionem sui hominem pereuntem revocare voluit, Spiritus sanctus patriarchas edocuit, prophetas implevit, Dei Filium Virginem parituram angelo nuntiante obumbravit, super eumdem Christum baptizatum in specie columbæ visibilis apparuit, idem in igneis linguis super apostolos hodierna festivitate descendit; et quos puros homines invenit, Deos, imo et Dei filios per gratiam adoptionis effecit. Pulchre Spiritus sanctus Deus ac Dominus, creator ac renovator dicitur, quia quos in baptismo divina regeneratione recreat, remittendo peccata a contagio veteris hominis renovat, et in secundi hominis speciem renovando commutat.

De eodem spiritu per Psalmistam dicitur : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et Salomon de eo : *Omnium artifex docuit me sapientia.* Quia sicut Apostolus dicit : *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*; et : *Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu.* O quantus est iste artifex, quam potens, quam efficax, qui sicut cum Patre et Filio omnia ex nihilo condidit, ita corrupta potuit reparare, cum voluit! In illis homiliis quas ad gloriam præsentis diei duo illi amplissimæ auctoritatis describunt Gregorii, quædam spiritus opera nitescunt principalia. Ideo principalia, quoniam a tantis auctoribus sunt festive prolata. Dicunt quoniam Spiritus sanctus David citharœdum puerum, multiplici sua gratia præditum, provexit ad regni fastigium. Amos agrestem hominem vellicantem siccamina, mirabili potentia ditavit auctoritate prophetica. Petrum peritum piscium captione, pastorem fecit totius Ecclesiæ, Matthæum publicum exactorem evangelicum fecit esse scriptorem. Fecit ex Saulo Paulum, et ex lupo agnum, ex persecutore doctorem. Fratres, quantum est hominem de Deo loqui? Quid plus dicam? Dicam tamen quod sentio. Quidquid est, quidquid fuit, quidquid unquam esse bene poterit, hujus artificis munere non carebit. Nam quidquid ordinem servat justitiæ, quidquid profectum præstat prudentiæ, quidquid virtuti cedit victoriam, quidquid honestam facit temperantiam, quidquid rectum in fide, in spe certum, in charitate perfectum, totum ab illo initium et augmentum percipit, qui præsentem diem adventus sui præsentia mirabiliter consecravit. Cujus nos gratia gratificati, lumine illustrati, consolatione consolati, diligamus Dominum nostrum Jesum Chri-

stum, sermones ejus servando, ut digni mereamur fieri dilectione, adventu et hospitio Dei Patris et Filii, et ejusdem Spiritus paracleti, ita ut ad nos tota Trinitas veniat, et templum nos gloriæ suæ inhabitando perficiat Deus unus, vivus et verus, qui absque initio et sine fine per infinita sæcula sæculorum vivit et regnat. Amen.

SERMO X.

DE ADMIRABILI PRÆCURSORIS CHRISTI JOANNIS BAPTISTÆ NATIVITATE.

Ortum Dominici Præcursoris celebrantes, fratres charissimi, oportet nos fideli devotione perpendere quantas ob ejus memoriam cum gratiarum actione laudes Deo debemus persolvere. Ad repellendas igitur et effugandas densissimas ac tetras mortis et ignorantiæ tenebras, quas tenebrarum auctor mundo infuderat, venturum erat lumen illuminans omnem mundum. Idcirco consequens erat ut illud ineffabile et æternum temporalium et rationabilium numerositas præcederet lucernarum. Patres dico religionis antiquæ, quorum virtutibus, exemplis et dictis fideles populi illuminati et docti, discussa perpetuæ cæcitatis caligine, cum illud superveniret, si non ex toto, vel ex parte possent agnoscere. Fuerunt itaque, ut diximus, lucernæ, non a se, nec aliunde, sed ab illo supremo lumine illuminante, cultores videlicet cœlestium præceptorum, alii ante legem, alii sub lege, alii vero judicum, regum et prophetarum temporibus, Dominicæ nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis mysteria præconantes. Post quos, Domini Præcursor, Joannes effelsit, qui omnium patriarcharum præconia et vaticinia prophetarum luce perspicua deduxit ad publicum. Hic enim vir sanctus non solum justus, sed etiam ex parentibus justis exortus. Justus in prædicatione, justus in omni conversatione, justus in passione. Cujus nativitatem, justitiam et sanctitatem, et omnes sacratissimos actus Gabriel nuntiavit archangelus, stylus ad plenum descripsit evangelicus. Dignum valde erat ut puer, tanta præditus dignitate, tali vocaretur nomine. Ut enim majorum nostrorum testatur auctoritas, sive prudentia, Joannes interpretatur *Dei gratia*, sive *in quo est gratia*. Quantæ sanctitatis, quantæque cœlestis gratiæ Domini Præcursor ditatus est munere, humanæ scientiæ sermo non potest dicere. Et quia de eo humanæ scientiæ sermo dicere non valet, quod de eo et ad eum dictum est silere non debet. Quid præstatur homini tanto, cum de illo tantillus loquitur homo? Quid valet ad hæc exiguitas hominis, quoniam de illo summa et ineffabilis loquitur Trinitas? Loquitur de eo Deus Pater in psalmo, loquitur idem in Evangelio. In psalmo : *Paravi lucernam Christo meo*. De quo sanctus evangelista : *Ille erat lucerna ardens et lucens*. In Evangelio : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, ipse est qui baptizat*. Quædam vero testimonia, quæ Spiritus sanctus per Isaiam et Jeremiam in Domini Salvatoris persona specialiter intonat, ad Præcursorem ejus cœleste magisterium et sensus catholicus convenienter pertinere denuntiat. Multo etiam apertius ei Spiritus sanctus testimonium perhibuit, quo repletus ad adventum genitricis Domini clausus adhuc matris utero, ut Evangelium loquitur, non natura præstante, sed gratia annuente, mirabiliter exsultavit. Ipse enim Dominus Christus, cui testimonium ille perhibuit, dicens : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*; tempore suæ prædicationis, de illo dixit : *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, et quem inter natos mulierum majorem fuisse dixit, levitatis vitio et voluptate deliciarum carere innotuit, prophetam et plusquam prophetam eum esse asseruit, et quem ipse potentia suæ divinitatis tantarum virtutum et gratiarum privilegiis dedicavit, ut mortalium omnium merita excederet, Angelum a Deo vocatum, et ad præparandum iter salutis ante se missum, prophetæ Malachiæ oraculo referente, perdocuit. Si enim angelus Græce, Latine dicitur nuntius, merito B. Joannes appellatur angelus, qui nascendo de sterili matre, nuntiabat nasciturum de Virgine matre, prædicando nuntiabat prædicaturum, baptizando baptizaturum, patiendo passurum, ejusque passione genus humanum redempturum. Qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

IN VIGILIA APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

In exordio vigiliarum apostolicæ solemnitatis illum puerum citharœdum, David dico regem potentem et fortissimum Israeliticæ plebis ducem, qui tanta Dei gratia et providentia præditus est ut ex ejus propagine Virgo eligeretur, ex qua Dei Filius corpus nostræ redemptionis susciperet, istum tantum ac talem cantantem audistis, et cum eo lætis vocibus et piis affectibus cantastis : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Cœlos audivimus, firmamentum vidimus. Cœlos gloriam Dei enarrantes, firmamentum annuntians. Quæramus et videamus qui sunt isti cœli, et quomodo enarrant gloriam Dei, et quod est firmamentum, et qualiter opera Dei annuntiat. Non enim introduceret sermo propheticus gloriam Dei enarrantes cœlos, nec opera Dei annuntians firmamentum, nisi spiritualiter vellet intelligi apostolos et apostolicos viros super fundamentum et firmamentum fidei immobiliter constitutos. Si vero propheticum sermonem ad litteram intelligere volumus, dicamus quia tunc cœli gloriam Dei enarrant quando solem et lunam et stellas, in sese compositas, miro ordine suis temporibus repræsentant, et firmamentum opera Dei annuntiat, cum astra cœli in se et lucere et moveri præmonstrat. Non enim consequenter sic, sed magis intelligere spiritaliter debemus. Figuram vero magis cœli ac firmamentum spiritalium doctorum possunt retinere quam gloriam Dei et opera manuum ejus ad liquidum demonstrare. Sunt enim hæc elementa muta

et irrationabilia, sed cœlesti virtute et divina sapientia rationabiliter et sapienter disposita. Et quia jam prænuntiati psalmi sensus noster ad litteram, quæ occidit, dignosci non valet, necesse est Spiritus, qui vivificat, ut spiritaliter intelligamus nos spiritaliter doceat. Apertissime enim patet spiritales cœlos sanctos fuisse et esse apostolos. Si enim cœlos dicimus quos præstantissimos scimus, in ordine doctorum per diversa tempora contemporalium suorum, profecto isti sunt cœli cœlorum, isti sunt doctores doctorum, principes populorum, filii excussorum, qui, ob meritum magnæ fidei Abrahæ, maximi patriarchæ, effecti sunt filii, de quibus in psalmo Spiritus sanctus Ecclesiæ loquitur dicens : *Pro patribus suis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram.* Cum enim Petrum et Paulum cœlos dicimus, non ab illo excelso nomine alios apostolos excludimus. Omnes ergo apostoli jure vocantur cœli, per quos mundus agnovit doctrinam veræ fidei. Ergo Petrum et Paulum cœlos dicimus et unumquemque illorum firmamentum fatemur.

Primum videamus qua auctoritate divinarum Litterarum appellantur cœli, qua assertione Scripturæ firmamentum dicantur; deinde quomodo vel qualiter gloriam Dei enarrent, quam alte et profunde opera Dei annuntient. Non enim immerito cœli vocantur apostoli, Domino dicente per Isaiam : *Cœlum mihi sedes est*, et iterum Scriptura : *Anima justi sedes est sapientiæ.* Et si anima justi sedes est sapientiæ, et cœlum sedes Dei est, anima Petri et anima Pauli sedes sunt Dei, et sedes sunt sapientiæ, sicut ipse Paulus asserit Dominum Christum, Dei virtutem, Deique sapientiam esse, et si super humilem, et quietum et trementem verba sua Dominus requiescere se promittit, procul dubio in istis sedem suæ divinitatis constituit, in quibus sedens et habitans mundum sibi sternit, et per eos fidelibus populis iter salutis ad [ac] viam veræ humilitatis ostendit. Cognovimus, Scriptura testante, Petrum et Paulum spiritales esse cœlos; videamus illos enarrantes Dei gloriam, non nostris, sed eorum ipsorum sacratissimis verbis. Nonne enarrabat Petrus gloriam Dei, quando dicebat se speculatorem factum esse cœlestis ac divinæ magnitudinis, et accepisse Dominum Jesum a Deo Patre honorem et gloriam voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; et : *Hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Nonne firmamentum erat Petrus cum dicebat : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus?* Cum enim deos alloqueretur stans in medio plebis in firmamento veræ fidei dixit : *Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam, incipiens enim a Galilæa post baptismum, quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute. Qui pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo; et non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Paulus etiam nihilominus cœlum aut firmamentum fuisse et esse creditur, cum ab eo dictum fuisse legitur : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Quoniam ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Et in alio loco : *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

Si quis vult scire vera esse quæ breviter proposuimus, legat studiosius Actus apostolorum et Epistolas amborum, et cum eos invenerit diffusius, abundantius et manifestius gloriam Dei enarrantes, et opera manuum ejus annuntiantes, credat certissime eos firmamentum fuisse et cœlos. Non est Paulus inferior Petro, quamvis ille Ecclesiæ fundamentum. Nam et hic sapiens architectus, sciens vestigia credentium fundare populorum, nec Paulus, inquam, indignus apostolorum collegio. Cum primo quippe facile conferendus, et nulli secundus; nam qui se imparem nescit, Dei præveniente gratia fecit æqualem. Ambo a Christo vocati, ambo in Christo fideliter conversati, ambo a Christo gloriosissime coronati. Alter vocatus de littore, alter appellatus ab æthere. Ille de piscatione, iste de persecutione, et idcirco duplici sunt digni honore, quia simul laboraverunt in verbo et prædicatione. Cæterum fratres, domini, seniores et patres, quorum prædicamus initium piæ conversionis, et fidei et sanctæ conversationis provectum, eorum libet et dicere admirabilem et prædicabilem exitum. Scimus etenim Romam, ut ipsa cum toto orbe sibi subdito gloriatur et prædicat, horum prædicatione edoctam, horum sanguine consecratam, horum meritis et præsentia de variis erroribus in unitatem fidei permutatam. Fuit in conflictu et congressione sanctorum fides firma, spes certa et victoriosissima charitas; fuit contra eos impia Neronis crudelitas, et Simonis Magi nefandissima falsitas; horum insectatione Petrus cruci affixus, Paulus capite plexus, alter passus cruce, alter truncatus ense. Idem passionis locus, par et sepulturæ loculus. Meritis fuerunt æquales, et passione pares, cœlestis regni hæredes, et Christi cohæredes. Qui quos vocavit, ut alter istorum asserit, illos et justificavit, et quos justificavit, illos et magnificavit, et quos magnificavit, illos et glorificavit. Quorum justitiam incitantes, et magnitudinem laudando magnificantes, ad illam gloriam mereamur pertingere, ad quam illos ho-

dierna die prædicamus et credimus pervenisse. Amen.

SERMO XII.

DE ASSUMPTIONE DEI GENITRICIS MARIÆ.

Congrue satis et convenienter videtur a Patribus fuisse sancitum, ut in memoria Domini Genitricis ea recitetur evangelica lectio, quæ narrat illas duas mente et carne sorores Dominum Jesum excepisse hospitio. Cui enim illa venienti in mundum templum præparavit virtute cœlesti sacratum et perpetuæ virginitati dedicatum, huic istæ, ut Evangelium loquitur, temporalis habitationis præparaverunt domum, et piæ humanitatis ac sincerissimæ charitatis præbuerunt obsequium. Harum enim vita et actus ita fuerunt mirabiles et fidelium recordatione celebres, ut duarum vitarum figuram eas retinere asserant divinarum litterarum catholici et doctissimi tractatores. Martha igitur quæ curam domus gerebat, et tanto talique hospiti ejusque discipulis, quæ necessaria erant præbebat, activæ vitæ figuram, ut diximus, præferebat. Per Mariam vero, quæ ad pedes Domini sedens, instantissime sermonis ejus audiebat colloquia, vita perspicue præmonstrabatur contemplativa. Eia, fratres charissimi, videamus si domina nostra in domo Domini et Dei Genitrix, et semper virgo Maria, utramque vitam ad plenum exercuit, et activam vitam laudabilem quam opere Martha excoluit, et contemplativam optimam quam Maria audiendo et eligendo obtinuit. Sane sicut dilectum Domini Joannem theologum de humanis et corporalibus actibus Domini Jesu pauca dixisse, et multa de natura divinitatis ejus, potentia et majestate dixisse et scripsisse, teste sacratissima serie descriptionis ejus cognoscimus ; ita Domini Genitricem non adeo fuisse credimus intentam activæ conversationi, quam se totam contulit divinæ conspeculationi. Non enim ad activam ultra quam matrem Domini decuit se contraxit, sed toto mentis affectu et desiderio, ad vitam se contemplativam erexit : et ne ex toto esset vitæ exsors activæ, postquam est electa a Domino, salutata ab angelo, obumbrata a Spiritu sancto, fecundata Dei verbo, exsurgens de loco, per iter devium et abrupta montium veniens ut deferret amicis actualis vitæ laboriosum officium, Zachariæ vatis ingreditur domum Elisabeth salutans. Cognovit in spiritu in sinum ejus nobile pignus depositum, et in his paucis, ut diximus, Marthæ complevit actum. Si Martha felix, quæ activæ vitæ præferebat figuram, quanto magis istæ sanctissimæ, de quibus loquimur, personæ exstiterunt felices, quæ tantorum gaudiorum et munerum meruerunt fieri compotes? Quæ major potest esse felicitas quam cum in matre Domini et, ut ita dicam, in aula regali, in alvo virginali fecunditas regnat et virginitas? quam cum infecunda et vetusta generat et parit sterilitas, et cum ætas senectutis et antiquitatis nomen promeruit novæ paternitatis? Et ut B. Hieronymus jucundo sermone prosequitur, Joannes etiam ad introitum Mariæ exsultavit et lusit : et per os Virginis audiebat verba Domini pertonantis, et de utero matris gestiebat in occursum ejus erumpere. Quomodo, quantum et qualiter officiis et obsequiis speculativæ vitæ cum altera Maria se subdidit, Gabrielis archangeli profiteatur assertio, sermonis evangelici prosequatur oratio, quia ad hæc narranda nostræ parvitatis deficit sermo. Unum profecto scimus, quia omnis ejus vita et actio intenta semper fuit in Domino. Et sicut de altera Maria dictum est : *Ista optimam partem elegit*, quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit ; et idcirco promeruit ut Dei Filius angelo nuntiante ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet. Diximus eam semper intentam fuisse speculationi divinæ, sed oportet nos hoc ipsum catholicis verbis astruere. Ut enim humano usu loquar, ubi erat corpore quando a Domino mittebatur angelus ad eam? utique in domo parentum. Ubi erat spiritu? vere, ut diximus, in illo divinæ speculationis intuitu. Quid agebat? Sine præjudicio alicujus irreprehensibiliter vivens, ut suæ professionis proprium erat, orabat, legebat. Quomodo orabat? Canticum quod cecinit tympanizans, exclamat : *Magnificat anima mea Dominum.* Quid legebat? Forsitan occurrebant ei divinæ Scripturæ testimonia ad illud ineffabile sacramentum quod in ea gerebatur sine dubio pertinentia. Nonne in pignore quod gerebat illud impleri posse credebat Mosaicum : *Prophetam*, inquit, *suscitabit Dominus de fratribus vestris tanquam meipsum audietis?* Et multas alias in aperto cernebat prophetarum sententias, in quibus tanti sacramenti ac mysterii præmonstrabatur et ad liquidum declarabatur veritas. Nonne ad hoc pertinere videbatur illud Jacob patriarchæ testimonium dicentis : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* Quid manifestius quam quod ille fatebatur Balaam ariolus, ex se falsiloquus, Dei nutu veridicus : *Orietur*, inquit, *stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel?* Sciebat enim Dei Genitrix in arce divinæ contemplationis assumpta, Davidicis edocta testimoniis, processurum de se Dominum, tanquam de thalamo suo sponsum eumdemque speciosum, ut idem propheta præcinuit, præ filiis hominum. Non enim dubitabat ad se pertinere, Spiritus sancti illustrata lumine, quod Isaiam prophetam recolebat dixisse : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium* ; et : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Quid apertius? quid jucundius? et Virginem parituram, et virgam de radice Jesse processuram nobilissimus prophetarum pronuntiat.

Placuit igitur inserere huic nostræ declamatiunculæ sententiam psalmi octogesimi sexti quam ad memoriam Domini Genitricis, et mysterium Dominicæ incarnationis et nativitatis, B. Ambrosius, vir per cuncta laudabilis et verus assertor fidei catholicæ, adeo festive voluit exponere, et idcirco, ut dixi, sententiam tanti pontificis pauperculo nostro operi apponere volui, ut quod digne non potuit per-

sequi ingenioli nostri paupertas, sententiæ tanti pontificis nobilitet et commendet auctoritas. Ait enim secundum antiquam interpretationem jam dictus doctissimus doctor : *Mater Sion dicet : Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Matrem autem secundum divinitatem habere non potuit, qui auctor est Matris. Ille factus est non divina generatione, sed humana. Quia homo factus est, Deus natus est. Sic et alibi habes : *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis.* In *Puero* enim nomen ætatis, in *Filio* plenitudo est divinitatis. Factus ex matre, natus ex patre. Idem tamen et natus et datus, non diversum, sed unum putes. Unus enim Dei filius, et natus ex patre, et ortus ex Virgine. Distanti ordine, sed in uno concurrit nomine, sicut et præsens lectio docet quia *et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Homo utique corpore, Altissimus potestate. Etsi Deus et homo diversitate naturæ, idem tamen non alter in utroque. Aliud ergo speciale naturæ suæ, aliud nobiscum commune, sed in utroque unus et in utroque perfectus. Non igitur mirandum est quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus. Fecit ergo Jesum. Eum utique qui ex corpore nomen accepit, fecit cum a quo etiam patriarcha scribit David : *Mater Sion dicet homo, et homo factus est in ea :* dissimilis utique non divinitate, sed corpore. Nec discretus a Patre, sed exceptus in munere. Hujus etenim muneris gratiam angelo nuntiante virgo Maria Dominum concipiendo promeruit, pariendo obtinuit, et post partum virgo perpetuo permanens incorruptam possedit. Ejusdem gratiæ muneribus conferta, ut fas est credere, omne tempus Dominicæ infantiæ, pueritiæ et adolescentiæ cum ipso peregit, et obsequium maternæ dulcedinis, ut vera mater, vero humanitatis suæ filio ministravit. Quæ fuerunt illorum inter se colloquia, quam dulcia, quam amabilia, quando in matre fulgebat virginitas et lætabatur fecunditas! In filio apparebat humanitas et latebat divinitas. Quantum vel quale illud erat Deificum ac virginale consortium? non dico nostrum, sed omnium hominum prorsus excedit intellectum. Deinde idem ipse qui erat unigenitus Virginis matris, cum voluit apparere unicus Dei Patris, tempore sui baptismatis hoc ipsum ostendit majestas Trinitatis. Cum Pater auditur in voce, Filius videtur in homine, Spiritus dignatus est in specie apparere columbæ. Est enim hujus magnitudinis testis, magnus præ cæteris homo nomine Joannes a Deo missus. Iste vero tantus homo, qui hactenus erat Dominicæ incarnationis et nativitatis arcani mirabiliter conscius, factus est minister mirabilis mysterii hujus.

Nos ergo, fratres, ut corde credamus et ore confiteamur tres denominativas et discretas personas, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius esse divinitatis, Deitatis, dominationis, essentiæ, simplicisque substantiæ, æqualis etiam majestatis, virtutis, honoris, potestatis, æternitatis, immensitatis et gloriæ, admoneant nos et doceant veritatis veracissima verba, prophetarumque, apostolorum et evangelistarum veridica testimonia. Et ut in tribus personis summa, simplex, æterna et incomprehensibilis credatur, confiteatur et adoretur unitas, summa etiam, simplex, æterna et incomprehensibilis credatur, confiteatur et adoretur Trinitas : invitet nos sanctarum divinarum Scripturarum sinceritas et catholicorum Patrum, eorum videlicet fidelis auctoritas nos doceat, in quorum intellectu et scriptis fidei pietas et veritas non vacillat. Mysterio itaque baptismatis peracto ac præsentia totius Trinitatis consecrato, Dominus Jesus non alieno, sed suo spiritu et propria voluntate desertum petiit, ubi ad tentandum eum malignus spiritus invenit. Qui ipsius virtute superatus, angelis ministrantibus recessit ab eo confusus. Postea a B. Joanne invenitur, et ob incomparabilem innocentiam ab eo Agnus Dei mundi peccata tollens appellatur. Et ne lumen divinitus accensum sub modio poneret, sed nec diutius celaretur, exivit ad publicum. Et quia totum invenit mundum peccatis obnoxium, omnibus medicinæ indixit remedium, et in suo adventu appropinquare dixit regnum cœlorum. Et ut illud Isaiæ impleretur vaticinium : *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Deinde ipso divinitatis suæ lumine præeunte, ex diversis hujus vitæ conversationibus et officiis, ut Evangelia loquuntur, discipulos vocavit et ex iis duodecim elegit, quos et apostolos vocavit, per quos humano generi salutis iter ostendit. Quorum sacro conventui et nobili contubernio semper adhærebat sanctissima Virgo. Cum illis semper habitabat seseque Dominicis conspectibus frequenter præsentari gaudebat. Eam vero optimam partem quam soror Marthæ Maria in spe et figura gerebat, Dei Genitrix in re vera firmissime retinebat, et cum apostolis de humanis Christi actibus, ut verius ac specialius cognoscebat, verius ac specialiter conferebat, ut ab ea discerent qualiter arcanum tanti mysterii et ipsi crederent et lucidius aliis enarrarent. Et cum opportunum fieret, sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent. Ipsa vero, ut sanctus evangelista Joannes refert, Domini miraculis nonnunquam interfuit. In his et in cæteris divinitatis ejus operibus et virtutibus ultra quam dici potest gloriabatur. Et si Maria quondam peccatrix, cui donando peccata erat propitius, intente audiebat verba ex ore ejus, quanto magis hæc, quæ erat mente et corpore sancta, audiebat ardentius cujus idem ipse et Dominus erat et filius? Cæterum ut Simeonis justi prophetia imploretur dicentis : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, tempore Dominicæ passionis cum dilecto discipulo de ea dictum est : *Ecce mater tua.* Circa sepulturam vero Dominicam multo magis quam mulieres illas sanctas quidem dicunt fuisse sollicitam, quorum opinionem, ni fallor, astruere videtur bonus ille Sedulius poeta evangelicus, orator facundus, scriptor catholicus.

Si enim scire volumus quid Dei Genitrix, post resurrectionem Domini, antequam ipse cœlos ascen-

deret, agebat, sine dubio loca Dominicæ Nativitatis, passionis, sepulturæ et resurrectionis frequenter circuiens, invisere cupiebat. In eisdem etiam locis lacrymas fundebat et sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat. Deinde ad notum sibi refugium, apostolicum videlicet contubernium, pasta intuitu Dominicorum locorum cum gaudio remeabat. Credimus eam interfuisse gaudiis Dominicæ Ascensionis, in die sancto Pentecostes cum sanctis apostolis percepisse eam gratiam Spiritus sancti, quam constat esse plenissime habere ab ipsa conceptione Christi. Si quis vero adhuc studio pietatis vel piæ curiositatis affectu indagare voluerit quid post Ascensionem Domini egerit, quam sancte et juste vixerit et cum quibus habitaverit, soli Deo cognitum esse videtur et Gabrieli archangelo, cui ejus causa tota commissa esse prædicatur a Domino, et angelis sibi collætantibus secumque colloquentibus, Joanni etiam dilecto Domini discipulo qui ab ipsa cruce suscepit in sua sollicitudine et cura, videlicet ut Virgo virgini deserviret, et Domini matri rependeret servitutis et dilectionis obsequium, qui eum præ cæteris sua dilectione fecerat dignum. Beatissimo etenim Petro apostolorum principi cæterisque apostolis non incognita fuit ejus purissima vita et actio; sancta quoque et admirabilis et prædicabilis conversatio. Quippe quia cum eis semper fuit ab ipsorum conversionis initio, usque ad illum diem in quo unigenitus Dei Filius, homo ex ea vera fide genitus, a laboribus hujus vitæ voluit eripere, et ad gloriam sibi a sæculis præparatam, ut creditur et prædicatur, super choros angelorum dignatus est elevare.

Hujus diei lætitiam hodie totus mundus concelebrat, hodie namque ob venerationem Assumptionis Domini Genitricis angeli lætantur, virgines gratulantur, patriarchæ et prophetæ Deo gratias referunt, quia præsagia et vaticinia sua per eamdem Domini Genitricem completa esse cognoscunt, apostoli et evangelistæ tripudiant, cum in carne Dominum venisse, et de Virgine natum vera fide scriptis suis pronuntiant. Gloriantur etiam hodie martyres, Genitricis Domini sui solemnia dignis laudibus celebrantes. Gaudent summi pontifices, confessores et doctores catholici, dum per eorum doctrinam fideles Dei credunt et colunt Dei Filium suscepisse quod non erat, et non amisisse quod erat; et Genitricem Domini prædicant virginem peperisse, et post partum virginem exstitisse. Dicam aliquid plus, si audeo; dicam fideli præsumptione, dicam pia temeritate. Totus mundus hodie condigna jubilatione lætatur et gaudet, tartarus tantummodo ululat, fremit et submurmurat, quoniam gaudium et lætitia hujus diei, claustris infernalibus inclusis, aliquod remedium et refrigerium præstat. Non audent, ut opinor, ministri tartarei hodie attingere suos captivos, quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute est dignatus nasci de Virgine. De cujus Virginis meritis et gloriosissima hodierna ejus Assumptione, divinæ legis interpres, sanctus videlicet Hieronymus et alii doctores egregii talia ac tanta potuerunt et voluerunt dicere, quibus nos nec audemus aliquid, nec debemus adjicere. Et qui ad plenum vult cognoscere gloriam solemnitatis hodiernæ, legat sermonem quem supradictus Pater Hieronymus edidit, et ad sanctam Paulam, et ad Eustochium filiam ejus virginem, et ad cæteras virgines non solum præsentes, sed etiam ad superventuras transmisit. In eodem vero sermone possunt addiscere virgines feminæ, et non solum virgines feminæ, sed etiam virgines masculi, quomodo debeant virginum virgini, virginaliter ac viriliter militare. Hodie, reverendissimi Patres et charissimi fratres, domini et seniores, matres et sorores devotissimæ, beatæ Dei Genitricis et semper virginis Mariæ celebremus festum, ut per ejus singulare meritum, et orationes omnium sanctorum sanctarumque virginum, pium mereamur habere atque propitium Virginis filium, et virginum sponsum, Dominum nostrum Jesum Christum. Qui vivit et regnat cum Deo Patre, et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Dei vero Genitrix, quæ hodie ad cœlorum gloriam, super choros angelorum et usque ad summæ divinitatis præsentiam assumpta esse creditur, veneratur et colitur, ipsa est, ut quidam ex nostris humili devotione alloquentes soliti sunt dicere : Tu es enim aula regalis, forma pudoris, id est verecundiæ, quæ semper est comes individua integræ virginitatis et continuæ castitatis. Tu es enim post Deum causa præcipua humanæ salutis. Tu mater singularis, tu virgo perennis. Tu mater intacta, tu virgo fecunda. Tu mater sine viro, tu virgo sine exemplo. Tu puerpera sine tuæ integritatis dispendio. Tu tot divinis muneribus functa, tu tantis muneribus cœlestibus compta. Tu tam granditer gratia Dei es referta, ut per florem tui virginalis uteri omnipotens Pater superaret tenebrarum principem, mortis auctorem, et amoveret a paradisi aditu gladium flammeum atque versatilem : et per eum, quem tua generavit virginitas, cœlestis regni fidelibus aperiret portas, quas clauserat hostis antiqui calliditas et priorum parentum præsumptuosa temeritas. Per has itaque portas, ut credit fidelium fidei firmitas, assumpsit te ad æternitatis suæ solium cum multitudine angelorum, occurrens tibi festive ex te incarnata Divinitas, sicut universo orbi hodie tuæ gloriosæ Assumptionis repræsentat celebritas. Nos vero ad hujus pauperculæ declamationis cumulum, non hymnum, sed ad instar hymnorum, tenuem satis et pauperem composuimus dictionem.

SERMO XIII.

DE NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

(*Deest init.*) partum. Talibus enim obsequiis angelus intentam invenit atque salutavit. Utpote virgo verecunda erubuit; a quo confortata, quæ dicebantur credidit, et credendo auctorem nostræ salutis edidit Jesum Christum Dominum nostrum,

quem patriarchæ et prophetæ præviderunt et prædixerunt de virgine nasciturum. Apostoli viderunt et prædicaverunt vera fide jam de Virgine natum, et ipsum factum esse secundum humanitatem, qui semper erat secundum divinitatem. Quid erat? Quid factus est? Deus erat, homo factus est. Suscepit humanitatem, non amisit deitatem. Factus humilis, mansit sublimis. Natus est homo, non destitit esse Deus. Natus est parvulus, latens magnus. Qui libenter amplectitur Deum natum, non horret Virginis partum. Dicit Deus creator hominis, filius hominis. Quid est quod te permovet in mea nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate, ego matrem de qua nascerer feci, ego viam meo itineri præparavi atque mundavi. Hanc quam despicis, Manichæe, mater est mea, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic et mea non est ibi maculata majestas. Si solis radius cloacæ sordes exsiccare novit, inquinari non novit, quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinatum occurrit? Quocunque radiaverit, mundare potest, ipse pollui non potest. Stulte, unde sordes in Virgine, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in eam quæ nec concupiendo [concipiendo] libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? Unde sordes in domo ad quam nullus hospes accessit? Solus ad eam Dominus et fabricator venit; vestem quam non habebat induit, eamque sicut invenit clausam reliquit. Sicut ille natus est solus inter mortuos liber, sic istius ex qua natus est matris pudor solus permansit integer. Eva inobediens meruit pœnam, Maria obediens consecuta est gratiam. Illa gustans prohibitum maledicta fuit. Hæc credens angelo est benedicta. Illa nobis mortem contulit, hæc vitam nobis peperit. Quid agis, Manichæe? Christi matrem opprimis, non Christum defendis. Taceat immunda..... quia de mundissima Virgine natus est mundi..... Cui est cum Deo Patre et Spiritu sancto æqualis honor..... nec differens gloria, coæterna majestas. Per infinita sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIV.

ITEM DE NATIVITATE BEATÆ MARIÆ.

[Apud Marten., *Thes. Anecd.* V, 621, ex ms. codice Silviniacensi.]

Sit igitur nobis tanquam in imagine descripta virginitas, vita Mariæ, e qua velut speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quod tenere debeatis ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit? Quid castius ea quæ corpus sine corporis contagione generavit? Nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu, sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in parte pauperis spem reponens, intenta operi, verecunda sermoni, arbitrium mentis non hominum, sed Deum quæreret. Nulli lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit inopem? eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestu fractior, non incessu solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum, ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat. Quid ergo exsequar, ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturæ defuisse. Illic nulla intermissa fuisse tempora, hic congeminatos jejuniorum dies, et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque habitus, qui mortem arceret, non delicias ministraret, dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit. Et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus : quæ frequenter insomnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat, prodire domo nescia, nisi cum ad ecclesiam conveniret. Et hoc ipsum cum parentibus aut propinquis domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen custode quam seipsa, quæ incessu affectuque venerabilis, non tam vestigium pedum tolleret, quam gradum virtutis attolleret, et tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat custodem ipsam. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat quæ virtutis magistras habet, quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi a pluribus moneretur. Sic omnia implebat virtutis officia, ut non tam disceret quam doceret. Talem hanc evangelista monstravit, talem angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? ut eam parentes dilexerint, extranei prædicarint, quæ digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur. Hæc ad ipsos ingressus angeli inventa domo in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet neque obstreperet. Neque enim comites feminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat, quin etiam sibi minus sola videbatur cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent? tot archangeli, tot prophetæ? Denique et Gabriel eam ubi revisere solebat invenit, et angelum Maria quasi virum specie mota trepidavit, quasi non incognitum audito nomine recognovit; ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in angelo, ut agnoscas aures religiosas, oculos verecundos.

Denique salutata obmutuit et appellata respondit. Sed quæ primo turbaverat affectum, postea promisit obsequium. Quam vero religiosa in propinquas fuerat Scriptura divina significat. Nam et humilior facta est, ubi a Deo se cognovit electam, et statim ad cognatam suam ad montana processit. Non utique ut exemplo crederet quæ jam crediderat oraculo. Beata enim, inquit, quæ credidisti, et tribus mensibus cum ea mansit. Tanti autem intervallo temporis non fides quæritur, sed pietas exhibetur. Et hoc posteaquam in utero parentis exsiliens puer matrem Domini..... *Cætera desunt.*

SERMO XV.

DE SANCTA CRUCE

[Apud Marten. *ubi supra*, ex ms. Cluniacensi.]

Post illum singularem, et admirabilem, et toto mundo prædicabilem, et salutarem Dominicæ passionis triumphum, et ejusdem Domini nostri resurrectionis gloriam, et sacrosancta festa paschalia, dignissime satis et convenienter illa dies recolitur celeberrima, in qua Dominicæ passionis ad honorem et gloriam nominis Dei et ad salutem generis humani reperiuntur insignia; crux videlicet, in qua nostræ salutis auctor pependit, et clavi quibus confixum est illud sacratissimum corpus, quod ex intemerata Virgine assumere dignatus est Dei Filius ante omnia tempora sæcularia ab ipso Deo Patre ineffabiliter genitus. Merito igitur celeberrime recolit totius Ecclesiæ fidelis familia per diversa annorum spatia salutaris patibuli inventionem et exaltationem, quia per crucem didicit destructum mortis imperium, per crucem se recolit evasisse perpetuæ mortis interitum, et per crucem se gaudet invenisse æternæ vitæ subsidium. Cum enim Dominicæ et victoriosissimæ crucis celebratur inventio, manifestissime Domini crucifixi recolitur resurrectio; et cum ejusdem crucis exaltatio colitur, in ea crucifixus Dominus Jesus Christus ad cœlos ascendisse dignoscitur. Ad confirmanda hujus rei magnalia, quædam in Scripturis paria inveniuntur præconia, ut cum similia junguntur similibus, in his quæ dicuntur de Deo nullus inveniatur incredulus. Mulier serpentino delusa mendacio mortem propinavit viro, imo etiam omni generi humano: mulierum sanctarum humilis devotio, angelico asserente sermone veridico, Dominum resurrexisse apostolico nuntiavit collegio. Audistis hominem inobedientem per ligni gustum a paradiso expulsum; audistis latronem confitentem per humilem confessionem in paradisum inductum. Lasciva femina divortium male suadendo insinuavit viam ad inferos, integra virgo iter rectum direxit ad superos. Mulier corrupta suæ propagini mortem intulit, virgo intemerata humano generi vitam perpetuam contulit. Maria Magdalena, quondam peccatrix, de ejusdem resurrectione gaudium attulit; Helena imperatrix de inventione crucis et cæterorum insignium Dominicæ passionis gaudium et lætitiam ostendit præsentibus et superventuris fidelium populis. Maria genitrix Domini, tempore quo patiebatur unigenitus Filius ejus Dominus, ante crucem stabat, et piis oculis, ut doctor catholicus scribit Ambrosius, exspectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem, quam etiam ille vir Sedulius poeta evangelicus asserit circa Domini sepulturam plus cæteris mulieribus fuisse sollicitam: Helena vero econtra princeps Romani imperii ad inquirenda et reperienda Dominici corporis supplicia et nostræ salutis insignia, solerter et studiosissime insistebat, et pio affectu et sincero effectu votis omnibus laborabat, ut invenire posset quod quærebat; et inventum ad honorem et gloriam Domini honorare gestiebat. Ad quod negotium peragendum adjutorem habebat strenuissimum filium suum, Romani imperii principem Constantinum, qui primus inter sæculi principes cum consilio et studio matris supradictæ et sæpedicendæ Helenæ libertatem et privilegium Romanæ concessit Ecclesiæ. Inde cœpit prædicari publice, Domino annuente, et supradicto principe faciente, nullo contradicente, honor et virtus Christi, fides et victoria Domini crucifixi per spatia cuncta mundi quousque tendebat potestas Romani imperii, et non dicam usque ad terminos Romani imperii, sed quousque prædicatur majestas divini et incarnati Verbi, et auctoritas mundi salutaris sancti Evangelii, quæ viva et libera voce intonat honorem et gloriam crucis et actus et mirabilia Domini crucifixi. Quid nos miseri, ad laudem crucis dicere tentamus, et quid indocti fari præsumimus, qui tanta ac talia a majoribus et melioribus nostris quotidie dicta cognoscimus, ut et notum et angelis et hominibus, et omnium fidelium firmissime credi prædicabat et novi fidelis prudentia? Dei Filius misericorditer hominem ex Virgine dignatus est suscipere, homo factus, hominibus voluit apparere, et per ipsum hominem quem suscepit, genus humanum a perpetuæ mortis interitu voluit liberare, et de tenebris ad lucem, de morte ad vitam reducere, et scivit sicut omnia scit, quia non posset corrigi priorum parentum præsumptio, nisi humanitatem nostram susciperet divina dignatio; sed semper regnaret in mundo, ut diximus, priorum parentum superba temeritas, nec culpa solveretur quæ mundo creverat per illicitum ligni gustum, nisi Christus in ligno crucis pendens sanguine suo deleret mortalis præscriptionis chirographum. Necesse est, fratres charissimi, ut qui se gaudet redemptum Christi sanguine pretioso, studeat se munire Dominicæ crucis signaculo, et ut B. Hieronymus imperat, ad omnem actum, ad omnem incessum contra omne periculum manus pingat crucem, sicut omnes faciunt qui per crucis mysterium se Deo fideliter dedicant. Et in alio loco idem orator facundissimus in laudem crucis luculenter perorat vexilla militum, et purpuras regum, et diademata Cæsarum supplicii salutaris pictura condecorat. Omnis qui se a tempore Dominicæ passionis pati vel mori pro Christo disposuit, per crucis supplicium ad Christum pervenire optavit. Petrus per crucis martyrium optabat pervenire

ad Christum. Idcirco Christus nn prædixit qualiter ad regnum pervenire debuit : *Cum esses junior cingebas te*, inquit, *et ambulabas ubi volebas ; cum autem senueris, extendes manus tuas.* In extensione manuum significavit eum adepturum, ut desiderabat, crucis patibulum. Andreas fideliter prædicavit crucis mysterium, et per crucis supplicium pervenit ad triumphum. Paulus vero si non est crucifixus corpore, crucem Domini gemino affectu, ut beatus papa Gregorius docet, corde gestabat et corpore, qui dicebat : *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi ;* qui etiam se ideo gaudebat pervenisse ad scientiæ et sapientiæ cumulum, cum gloriabatur nihil se scire nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. Quidquid enim pro Christo quis patitur ad exemplum Dominicæ passionis, causa honoris et gloriæ eadem passio cruciatus vocatur. Illa mulier de libro Regnorum, quæ prophetante Elia ad speciem crucis duo studuit ligna colligere, ut divinarum litterarum tractatores volunt, figuram præferebat Ecclesiæ. Duo enim ligna a muliere jam dicta collecta ad figuram crucis a Patribus, ut diximus, sunt spiritualiter intellecta. Ad hujus igitur crucis sacrosancta mysteria spiritualiter intelligenda illos alloquitur, et alloquendo admonet Pauli optabilis illa sententia, quibus inerat et inest amor et studium et honor et gloria sub ejus consistere disciplina, et ejus desiderant percipere saluberrima monita : *Det vobis*, inquit, *Dominus Deus secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris : in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum* (*Ephes.* III, 16), secundum Apostoli dictum ad crucis Dominicæ credimus pertinere mysterium. Latitudinem crucis a summitate unius usque ad summitatem brachii alterius, ut reor, sine periculo simplicis intelligentiæ intelligere possumus. Altitudinem namque a crucis crepidine usque ad lignum in transverso positum dicimus secundum majorum seniorum fidele documentum. Profunditas vero est ultima pars crucis, quæ in terris defixa non potest videri luce corporea. Sublimitatem credimus esse excellentiam summæ et principalis virtutis, quæ est fides in Deo et de Deo, sine cujus sinceritate et integritate impossibile est ei placere. Aliter in latitudine bona opera charitatis, in longitudine perseverantiam usque in finem, in altitudine spem cœlestium præmiorum, in profundo inscrutabilia judicia Dei possumus intelligere, ut Patrum refert fidelis et amplissime opinata relatio. Imperante Helena Augusta cum Augustissimo ejus filio Constantino, crux inventa prædicatur et creditur, et regnante Eracleo victoriosissimo rege et Christianissimo principe ejusdem Dominicæ adoratur et colitur triumphalis et celebris exaltatio. Nos quid sumus qui aliquid ad laudem crucis imperiti scientia, indocti sapientia, lingua balbutiente, vel parum præsumimus dicere? Quot

A et quanti et quales illi fuerunt qui de tam grandi re granditer dicere potuerunt? Ad enarranda eorum merita et studia non sufficit nostræ parvitatis ignavia, neque eorum numerositatem nobilium dictionum, ignorantia obsistente, tenuitas nostræ memoriæ valet etiam quæ dicunt ad plenum agnoscere. Omnes etiam catholici doctores Ecclesiæ studuerunt de mysterio crucis et passionis Dominicæ quantum necesse tunc fuit edicere, alii occultius, alii manifestius, alii diffusius. Inter quos Joannes Chrysostomus locutus est multo cæteris abundantius. Multo post illum tempore eluxit quidam monachus, post monachum Moguntinæ civitatis episcopus, nomine Rabanus, sæculari scientia affatim eruditus, fide catholicus, speciali scientia ad plenum edoctus. Hic B tale de laude crucis orditus est opus et texuit, et texendo perfecit, quo pretiosius ad videndum, amabilius ad legendum, dulcius ad retinendum, nec laboriosius ad scribendum potest inveniri nec poterit. Placuit beatissimi Joannis cognomento Chrysostomi, regiæ civitatis nobilissimi patriarchæ, sententiam de laude crucis huic exiguæ declamatiunculæ integram inserere, eo tenore ut quod nostra non potuit digne enarrare rusticitas, ejus nobilitet simplex et sublimis auctoritas. Scripsit enim aliquando jam dictus vir sententiam de cruce Dominica, in qua allocutus est quemdam suum amicum dicens inter cætera : « Et si nosse desideras, charissime, virtutem crucis, et quanta, ut possum, ad ejus laudem dicere, audi : crux est spes Christianorum, crux C resurrectio mortuorum, crux cæcorum dux, crux desperatorum via, crux claudorum baculus, crux destructio superborum, crux consolatio pauperum, crux refrenatio divitum, crux male viventium pœna, crux adversus dæmones triumphus, crux devictio diaboli, crux adolescentium pædagogus, crux sustentatio inopum, crux spes desperatorum, crux navigantium gubernator, crux periclitantium portus, crux obsessorum murus, crux pater orphanorum, crux defensor viduarum, crux justorum consiliarius, crux tribulatorum requies, crux parvulorum custos, crux virorum caput, crux senum finis, crux lumen in tenebris sedentium, crux regum magnificentia, crux scutum perpetuum, crux D insensatorum sapientia, crux libertas servorum, crux imperatorum philosophia, crux lex impiorum, crux prophetarum præconatio, crux adnuntiatio apostolorum, crux martyrum gloriatio, crux monachorum abstinentia, crux virginum castitas, crux gaudium sacerdotum, crux Ecclesiæ fundamentum, crux orbis terræ cautela crux templorum destructio, crux idolorum repulsio, crux scandalum Judæorum, crux perditio impiorum, crux invalidorum virtus, crux ægrotantium medicus, crux emundatio leprosorum, crux paralyticorum requies, crux esurientium panis, crux sitientium fons, crux nudorum protectio. » Sit nobis via, vita, salus Christus crucifixus, qui nos semper salvet, qui sæcula cuncta gubernet. Sit

crux nostrorum omnium virtus et refugium, auxiliante eo qui pro salute hominum tulit crucis supplicium, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI ODILONIS CREDULITAS.

(*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 369.)

Æternam illam et incircumscriptam summæ divinitatis unitatem, sicut sancti angeli et archangeli omnesque sancti adorant in cœlis, adoro, laudo, glorifico et benedico. Credo et confiteor Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, trinum in personis, unum in Deitate et substantia, atque sicut sancti patriarchæ et prophetæ prædixerunt, angelus Gabriel de cœlis ad Virginem missus enarravit, sancti apostoli denuntiaverunt, evangelistæ evangelizaverunt, martyres prædicaverunt, confessores docuerunt et sanctæ virgines confessæ sunt. Credo et confiteor illud Verbum, quod in principio erat, et apud Deum erat, et Deus erat; pro mea et totius mundi liberatione et redemptione, ex sacratissima et intemerata virgine Maria, in veritate nostri corporis, sine humana concupiscentia temporaliter procreatum et natum, secundum legem Moysi octava die cum impositione nominis Jesu circumcisum, quadragesimo die in templo a matre cum hostiis et muneribus præsentatum, Magis manifestatum, a Joanne baptizatum, in desertis a diabolo tentatum nec superatum; post multa et innumerabilia miraculorum, sanitatum concessa beneficia, et prædicationem Evangelii, statuto et præordinato tempore a discipulo proprio traditum, a Judæis comprehensum, ligatum, flagellatum, colaphizatum, spatis illitum, spinis coronatum, aceto potatum, crucifixum, mortuum et sepultum; tertia die, devicto diabolo et spoliato inferno, a mortuis propria virtute resuscitatum; per quadraginta dies apostolis in carne qua crucifixus est manifestatum; quadragesimo die videntibus eisdem apostolis et multis aliis fidelibus super cœlos exaltatum, inde venturum ad judicandum vivos et mortuos et sæculum per ignem. Credo etiam Spiritum sanctum, super eumdem Dominum nostrum in columbæ specie et super sanctos apostolos in linguis igneis descendisse eisque omnium linguarum scientiam distribuisse, et invictam contra omnium persecutionem inimicorum constantiam dedisse. Credo sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam futuri sæculi. Amen.

SANCTI ODILONIS
CARMINA SACRA ET PRECES.

(*Bibliotheca Cluniac.*, p. 406.)

I.

HYMNUS IN ASSUMPTIONE SANCTÆ MARIÆ.

Adest dies lætitiæ,
Jucundus omni lumine,
In quo Regina virginum
Scandit iter astriferum,
Angelorum præfulgidis
Circumvallata cuneis,
Quamque sanctarum virginum
Sequitur agmen inclytum.
Ut decet omnes credere,
Cœlesti diademate
Clarus, occurrit obvius
Christus, ex ea genitus.
Ultra angelorum gloriam
Torum delicti nescium
Secum ad Patris solium
Reportat pignus optimum.
Cœlestis regni civitas,
Et ejus omnis dignitas,
Parentem sui Principis
Votis honorat congruis.
Cum quibus nos lætissima
Hujus diei gaudia
Concelebremus alacres,
Deum laudando, supplices.
Hujus festi clarissima
Prosequamur præconia,
Mentis affectu supplices,
Effectu vocis alacres.

Reliqua desiderantur in ms.

II.

Oritur sidus inclytum
Illustrans omne sæculum,
Per quod dies et tempora
Assumunt vitæ lumina.

Reliqua non exstant in ms.

III.

AD CRUCEM ADORANDAM ORATIO.

In cujus nomen omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et infernorum, ei nunc mea curvo genua, sive confiteor culpam Patri luminum, possessori omnium spirituum, imperanti tam terrenis quam cœlestibus : ubique, inimice humani generis, interdico, qui circuis quærens quem devores, averte a me machinas tuas et occultas insidias; quia mecum est crux Domini quem semper adoro. Crux mihi refugium, crux mihi via et virtus, crux inexpugnabile signum, crux invincibile genus armorum. Crux repellit omne malum. Crux effugat tenebras. Per hanc crucem divinum aggrediar iter. Crux mihi vita est; mors, inimice, tibi. Crux Domini nostri sit sublimitas mea, sanguis ejus maneat in me redemptio vera. Resurrectio illius sit mihi de resurrectione justorum firma fides et spes certa; et illius ad cœlos gloriosa ascensio sit mihi ad cœleste desiderium quotidiana provectio, et sancti Spiritus in cordibus nostris infusio sit omnium præteritorum nostrorum remissio. Amen.

STATUTUM S. ODILONIS DE DEFUNCTIS.

(*Biblioth. Cluniac.*, p. 338.)

Decretum est a beatissimo Patre domino Odilone, una cum consensu et rogatu omnium fratrum Cluniacensium, ut sicut in ecclesiis Dei quæ per orbem terrarum longe lateque constructæ sunt, in die Kalendarum Novembrium agitur festivitas Omnium Sanctorum, ita agatur apud nos festivo more commemoratio omnium fidelium defunctorum, qui ab initio mundi fuerunt usque in finem, tali modo. Ipso die supradicto post capitulum faciant eleemosynam decanus et cellerarius de pane et vino omnibus supervenientibus pauperibus, sicut mos est agi in Cœna Domini. Et quidquid ipso die ex refectione fratrum remanserit ad prandium, ex integro recipiat eleemosynarius, nisi tantum panem et vinum, quæ post cœnam recipiat. Ipso etiam die post vespertinalem synaxim, pulsentur omnia signa, et agatur officium pro defunctis. Ad missam vero matutinalem, festivo more agitur officium, omnia signa pulsentur. Tractus a duobus fratribus cantetur, cuncti fratres offerant : privatim et publice missas celebrent pro requie omnium animarum fidelium, et duodecim pauperes reficiantur. Et ut hoc decretum perpetuum vigorem obtineat, volumus et petimus et præcipimus tam in loco hoc quam in cunctis ad istum locum pertinentibus servetur. Et si alius aliquis ex ista nostra fideli inventione sumpserit exemplum, particeps omnium bonorum efficiatu votorum. Ergo qualiter omnium memoria Christicolarum semel in anno agatur monuimus et præcepimus, dignum profecto ducimus ut pro nostrorum fratrum animabus, sub almi Benedicti norma in cœnobiis Deo militantibus, in divinis aliquid obsequiis plus more solito adaugeamus. Necnon ut memoria chari nostri imperatoris Heinrici cum eisdem præcipue agatur, constituimus : ut merito debemus, multis ab ipso ditati opibus. Scilicet ad vigiliam mortuorum, post psalmum : *Ad Dominum cum tribularer*, qui post lectiones recitatur, *Domine, quid multiplicati sunt*, dicamus. Ad matutinas vel post, *De profundis; Usquequo Domine.* Ad vesperas post *Lauda, anima mea. Nisi quia Dominus. Deus, auribus nostris.* Post *Domine, refugium, Dominus regit me.* Ad letaniam, *Judica me, Deus, et discerne.* Et ita divina favente gratia, ut præmisimus, eorum agatur memoria per omnia futura tempora, tam in hoc loco quam in omnibus ad hunc respicientibus. Auctoritas divinæ legis nos admonet ut in domo Domini, quæ est Ecclesia fidelium, unusquisque devotorum, pro viribus a Domino sibi collatis, aliquid offerre studeat, ne scilicet ut piger servus pro talenti absconsione jure a Domino damnetur, sed potius cum bono servo pro lucro fideliter multiplicato digna mercede remuneretur.

APPENDIX AD S. ODILONEM.

PRÆCEPTA QUÆDAM

De nonnullis ecclesiis et locis Cluniacensi cœnobio concessis, tempore S. Odilonis abbatis Cluniac. V.

(*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 409.)

I.

Præceptum Ottonis imp. de sancto Maiolo de Papia.

(Anno 999.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto, Dei gratia, Romanorum imperator Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus nostris quoniam ob petitionem domni Odili venerabilis abbatis et salutem animæ nostræ, per hoc nostrum præceptum confirmamus cuidam cellæ, in honore sanctæ Mariæ dicatæ, in civitate Papia sitæ, ad Cluniacum monasterium dono et traditione Gaidulfi suorumque hæredum pertinenti, qui quondam capella dicebatur Gaidulfi, sed nunc ab omnibus cella dicitur sancti Maioli, omnes res et proprietates ad eamdem cellam intus et foris pertinentes, B quas habet, vel in futuro Deus ibi concesserit, cum terris cultis et incultis, aquis, molendinis, piscatoribus, omnibus rebus mobilibus et immobilibus; ea videlicet ratione ut jam dicta cella habeat, teneat, firmiterque possideat, et semper in ordinatione et dispositione Cluniacensis abbatis, sicut Gaidulfus ordinavit, permaneat. Etiam cum nostra donatione et auctoritate, insuper imperiali jubemus potentia ut nullus dux, archiepiscopus, episcopus, marchio, comes, judex, vicecomes, nulla imperii nostri magna parvaque persona, de prædicta cella, aut suis pertinentiis, intromittere, vel aliquid ordinare, aut dispensare sine jussione et voluntate abbatis Cluniacensis præsumat. Si quis igitur hoc nostræ stabilitatis præceptum fregerit, C componat centum libras auri, medietatem cameræ nostræ et medietatem Cluniacensi monasterio. Quod ut verius credatur et semper observetur, manu propria roborantes, sigillo nostro sigillari præcepimus.

Signum domni Ottonis inclitissimi imperatoris Augusti.

Data Idib. Aprilis, anno Dominicæ incarnationi 999, ind. XII, anno tertii Ottonis regis 15, imp. 3 Aug. Romæ feliciter.

II.

Præceptum Rodulfi regis de Chaviniis, Blenosco, sancto Victore et aliis capellis.

(Anno 997.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Ro- D A dulfus, divina propitiante clementia, pius Augustus atque invictissimus rex.

Sicut certum indubitanter est nullam potestatem nisi a Deo prorsus existere, sic consequens utique est ut quisquis ejus dispositione terrenæ potestatis culmine sublimatur sub potenti ejusdem largitoris manu sese humiliet eique de suis donis placere studeat. Quapropter notum sit omnibus per temporum curricula sibi succedentibus, tam regibus videlicet quam comitibus, cujusque magistratuum gradibus, vel reipublicæ administratoribus, quod ad deprecationem Emmæ, nostri imperii consortis, aliorumque nostrorum quorumdam fidelium quasdam res, ob amorem Dei sanctorumque principum apostolorum, Petri scilicet atque Pauli, ad Cluniense monasterium trado; eo siquidem tenore ut fraternitas monachorum inibi degentium res ipsas sine cujuslibet aut regis, aut comitis, vel cujuslibet inferioris gradus contrarietate perpetuo jure possideant, et eidem loco pro nostro memoriali reservantes, tam pro nobis quam pro statu regni nostri, Christi clementiam atque prædictorum apostolorum patrocinia jugiter deposcant, et pro illis nihilominus qui hanc donationem inconvulsam permanere concesserint. Sunt autem ipsæ res sitæ in comitatu Matiscensi in vicaria . . . . . et vocatur villa ad Chivineas, quam damus cum omnibus appendiciis suis, et tertiam partem piscinæ quæ vocatur Osa, cum mancipiis, vel reliquis rebus ad eamdem piscinam pertinentibus, ut semper iidem monachi medium tractum habeant. Confirmamus etiam donationem quam vir bonus Leuthaldus de Blenosco fecit; sed et illam de capella sancti Victoris, quæ est in Absgogia, vel de aliis rebus quæ Altaldus vel alii ad prædictam capellam tradentes Cluniaco delegaverunt. Has itaque res cum capellis, mancipiis utriusque sexus, vineis, pratis, aquis, molendinis, silvis, casis cultis et incultis, atque omnibus quæ ad eas pertinere probantur, vel prædicto monasterio acquirenda sunt, per nostram concessionem firmamus. Scripturam quoque illam quam Berno episcopus supradictis monachis de eorum decimis fecit, ratam esse censemus, ita ut nihil de decimis quæ ad eas antiquitus pertinuerunt, per ullam recentem auctoritatem subtrahere cuiquam liceat. Hæc autem omnia

nostræ auctoritatis præcepto confirmamus, atque sigilli nostri impressione consignamus; successoribus nostris id suggerentes : *Maledictus qui transfert terminos*, id est constitutiones proximi sui.

Signum Rodulfi regis gloriosissimi.

Reamundus ad vicem Ansusi episcopi recognovit.

Actum Ansavilla XI Kal. Julii, indictione III, anno 9 regnante Rodulfo rege gloriosissimo.

III.

Charta ejusdem regis de S. Blasio in Viculis, cum omnibus pertinentiis suis.

(Anno 1019.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Rodulfus Dei gratia rex.

Igitur cum totius ordo religionis, secundum decreta præcedentium regum, sanctæ conversationis exordium sumeret, et ad perseverandum in ea, sustentacula alimoniæ his qui districtius atque familiarius in Dei servitio se coercent [*al.*, exercent], publica regalis res ad sufficientiam aliis, et minus aliis subministraret, et ita per ordinem sanctæ Ecclesiæ status usque ad præsens per longa temporum curricula extensus sit : nihilominus dignum est ut nos, qui quasi per novissimos operarios in vinea Dei laboramus, eosdem operarios in exercitio operis Dei deficere non sinamus; quin potius, ut vires suppetunt, nobis usque ad unguem perducere tentemus. Quapropter sciant omnes, præsenti tempore decedentes et futuro succedentes, qualiter ego Rodulfus, petente atque exoptante dilectissima conjuge mea Irainsanda, dono ex hæreditaria mea possessione quoddam prædiolum, ob animæ meæ et supra memoratæ conjugis meæ remedium, cœnobio S. Petri quod dicunt Cluniacum et abbati ejusdem monasterii, et monachis ejus, præcepto et S. Benedicti regulæ modo et deinceps obedientibus, et ibidem Deo famulantibus, ecclesiam S. Blasii in Viculis totam, cum omnibus ibidem pertinentibus, cum montibus et planitiis, agris, pratis, pascuis, silvis, decimatione, servis et ancillis, et cum omnibus utensilibus, dono ego et prædicta conjux mea ad suprascriptum monasterium, ut si nos minus idonee injunctum a Deo peregimus officium, delicti nostri et negligentiæ non pro merito recipiamus dispendium, sed per eorum orationes quos sustentamus; subministrantes temporalia, ad stadium currentes remuneremur mercede perpetua. Hæc, ut a nobis facta credantur et a posteris nostris non infringantur, manu nostra roboravimus, et sigillari fecimus.

Signum Rodulfi regis pii.

Albicer, indignus presbyter, jussu regis scripsit hæc.

Acta sunt hæc in villa Tabernis, quam alio nomine propter fluvium ibidem defluentem Utba appellant. Data XVIII Kal. Febr., anno ab incarnatione Domini 1019, regnante Rodulfo rege, anno regni sui 31.

Hoc itaque beneficiolum, id est, supra memorata ecclesia, quam damus fratribus Cluniaco degentibus, jacet in pago et in comitatu Genevense, cum vicis ibidem appendentibus.

IV.

Charta Amedei comitis de ecclesia S. Mauritii in pago Maltacena.

(Anno 1025.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi, regnante Rodulfo anno 37, incarnationis Domini 1025, II Kal. Nov. luna XX.

Ego Amedeus filius Humberti comitis, et Adalegida uxor mea, hanc chartam donationis fieri jussimus de ecclesia S. Mauritii, quæ est sita in pago qui vocatur Maltacena, et de omnibus terris quas in præsenti damus, et in futuro daturi sumus ad honorem Domini Dei et Ecclesiæ SS. Petri et Pauli, Cluniensis monasterii, cui præesse videtur domnus pater Odilo, pro redemptione et salute animarum nostrarum, permittente et confirmante domno Maleno, episcopo Gratianopolitanæ Ecclesiæ, seu Humberto episcopo et omnibus canonicis ejusdem civitatis, damus Domino Deo omne quod supra memoratum est, et beatis apostolis ejus Petro et Paulo, Cluniensis monasterii, et omnibus monachis ibidem morantibus, ut orationum eorum participes esse possimus, nobis reservando illud jus, quod vocatur jus patronatus, atque jus præsentandi pro nobis, et natis nostris et eorum successoribus, dum nostræ fuerit voluntatis, etc. Si quis hanc donationem inquietare voluerit, in aula regis centum libras auri componat, et insuper maledictionem Gratianopolis episcopi incurrat, etc.

Sigillum Humberti comitis, Ancilliæ uxoris ejus. S. Amedei comitis. S. Adelidis uxoris ejus.

Hanc donationem fecerunt, et chartam istam fieri jusserunt, et in præsenti in curia regis firmare rogaverunt.

Signum Rodulfi regis, Ermingradis, Odonis, Ancelini.

HYMNUS DE S. ODILONE.

(*Bibl. Clun. ubi supra*, p. 328.)

[*Immediate subsequentis Hymni, cujus initium est :* Commenda gregem Domino, *priores versus tres obdiruptam membranam in ms. lector hic desiderabit.*]

DIVISIO.

O vir ubique nobilis
. . . . . spoliis :

Quo sibi prædas adimi
Flent spiritus tartarei.

Tu nos decus Ecclesiæ
Mundi procellis eripe :
Quem dum fluenta metuunt
Naturæ vires reprimunt.
Certe membra debilium
Robur instaurant pristinum
Manus ablutæ : poculum
Muto reddit eloquium.
A
Tu nostris lumen mentibus,
Sacris infunde precibus :
Qui cæcis visum reparas,
Et nostras pelle tenebras
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Unigenito :
Sit utriusque parili
Majestas summa Flamini. Amen.

MISSA BEATI ODILONIS.

(*Ubi supra.*)

ORATIO.

B

Deus, qui beato Odiloni super gregis tui dedisti vigilare custodiam, da familiæ tuæ, quæsumus, ut ejus informetur exemplis cujus est instituta doctrinis. Per Dominum.

SECRETA.

Oblatum tibi sacrificium, quæsumus, Domine, beati Odilonis commendet oratio, quod nos et ab adversitatibus muniat et ad amorem tuum indesinenter accendat. Per Dominum.

POSTCOMMUNIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut, intercedente B. Odilone confessore tuo, quos pondus proprii reatus aggravat, cœlestis mensæ vigor attollat. Per Dominum.

SUPER POPULUM.

Da quæsumus, omnipotens Deus, per beati Odilonis ad te vestigia tendere, cujus nos magisterio dignatus es erudire. Per Dominum.

JOTSALDI MONACHI

PLANCTUS DE TRANSITU DOMNI ODILONIS ABBATIS CLUNIACENSIS.

(*Biblioth. Cluniac.*, p. 329.)

Ad fletus voces extendat chorda sonoras,
Organa cunctorum vertantur sorte modorum.
Plangite, vos populi, vos linguæ sidera cœli,
Prorumpat in tenebras resplendens orbita solis,
Deficiant plene radiantia cornua lunæ,
Lugeat et mundus protenso corpore totus :
Nunc terras, pelagus, montes, silvasque cielo :
Quadrupedes, bipedes, reptantia cuncta movebo.
Condoleant Patrem subtractum nunc Odilonem
Conciso plausu, pungantur viscera fletu,
Et variis lacrymas profundant vocibus istas :
Odilo, dulce decus, venturi gloria seeli,
Odilo, dulce decus, fraternæ pacis amicus,
Odilo, dulce decus, meritorum lampade clarus.
Tu fessis requies, languentibus es medicina,
Debilium baculus, miserorum maxima virtus :
Splendida quo facies abiit, quo sermo recessit
Aureus, humanos componens optime mores?
Quo tua sancta manus, fulgorus denique visus
Quo jacet in spatio, vel quo requiescit in antro?
Ratio, ad hæc respondens, ait :
Ordine funereo clauduntur membra sepulcro
Fœdere perpetuo, lex est mortalibus ista :
Naturæ genitor, rerum plasmator et auctor
C Jussit in occiduas morientes ire tenebras.
Tendit ad occasum quidquid lucis capit ortum,
Doctus et indoctus æquali sorte recedunt,
Divitis et modici similem mors suscipit umbra,
Vertitur in cinerem cineris compago soluta :
Quod nequit absolvi, debet patienter haberi.
Revelatio doloris, et consolatio mortis.
Musa, mihi causas memora, quo tristia solvam
Deponens lacrymas steriles, et gaudia sumam.
Odilo non moritur, sed mortis funera spernit :
Odilo non moritur, sed vitam duxit honestam.
Odilo non moritur, sed vitam morte recepit.
Regnat in æternum gaudens se cernere Christum
Quem coluit, docuit, quæsivit, glorificavit,
Cujus gloria crux fuit, et Christus crucifixus.
D Virgo Maria, tuo quantum servivit honori!
Te mundi Dominam, cœlorum necne benignam,
Omnibus in votis tenuit, præeligit, amavit
Firmiter, atque Deum recolens de te generatum,
Extorsit lacrymas sibi, quod tua sancta mamilla,
Quam lactasse Deum cœlum stupet, orbis adorat!
Illi quam fuerit pia circumcisio Christi,
Quæ teneris membris influxit vulnera cultri,
Testes sunt gemitus, oculorum lumine fusi :

Hacque die merito carnis dissolvitur antro,
Compatitur Christo, radians jam vivit in illo,
Christo commoritur, cum Christo denique surgit.

Ex eadem die Dominus Willelmus ab hac luce migravit.

Hisdem decessit Willelmus sorte Kalendis,
Magnus et ipse Pater monachorum Divionensis.
Hi fuerant monachi Mayoli denique sancti,
Uno florentes in tempore, corpore mundo,
Unius et fidei, veræ pietatis amici.
Junxit utrosque fides, similes habuere recessus,
Gloria non dispar, eadem sequiturque corona.

Hic dilecto lectulus præparatur, et diversæ species mysticæ offeruntur.

Odilo dilectus, nunc candidus et rubicundus,
Securo incessu sequitur vestigia Christi;
Floridus et niveus defertur lectulus illi
Quem tegit alta cedrus, redolensque cupressus ad-
Sparguntur violæ, sternuntur lilia quæque. [ornat:
Tum videas roseos illum sibi pingere flores,
Et varias herbas oculis spectare benignis.
Balsama non desunt, et aromata multa teruntur,
Nardus, myrrha, nitent, et fortia cinnama flagrant,
Omnibus et primis copulantur fistula [frustula] cru-
Unguentis aloes, stactus, et maxima cyprus. [cis
Mille sunt species, plures variantur odores,
Nectareusque sapor cœlum replet altius ipsum.

Hic sponso conjungitur.

Odilo deliciis his utitur, et renovatur,
Proximus et sponso resplendet lumine claro:
Oscula jam celebrat, et sponsæ fœdera firmat.
Cantica nunc resonant, paschalia tympana ludunt,
Jam videt in facie lætus Dominumque Deumque.

Dilectus turri comparatur, et mysticis armis munitur.

Odilo, dum vixit, virtutum sparsit odores,
Turris erat fortis, clypeus munita supernis,
Quam circumcingebant propugnacula septem,
Fortia pendebant ex illis arma virorum,
Nullus et hanc hostis potuit superare malignus.

Dilectus quæritur.

Quo pascis recubans, votorum chare meorum?

Hic invenitur.

Meridiana tenes, ut sol sublimia tangis.

Dilecto ferculum offertur.

Mysticus et Salomon tibi fercula sancta ministrat.
Libanus hæc præstat nullius sorde putrescens:
Argento solidæ fabricantur namque columnæ:
Aurea fit requies, ascensum purpura nescit,
Denique constrantur medio pietatis amore.

Qualiter musice concinat.

Alternis modulis nunc epithalamia cantas,
Dulcibus et rhythmis per mystica dogmata curris.

Quam suaviter dicat se requiescere.

Illius optata jam nunc requiesco sub umbra:
Quem volui, colui, quæsivi, semper amavi;
A Ipsius atque mihi dulcescit gutture fructus,
Cujus amor propriis membris nunc pulvere lectis
Concedit gratos nimia dulcedine somnos.

Ad filias Hierusalem, ne evigilare faciant dilectum.

Hierusalem natæ, contestor, pacis amicæ,
Præstetis requiem sibi, nec prohibete jacere,
Donec ipse velit, et donec transeat umbra,
Adveniatque dies cui nox succedere nescit.

Hic excitatus resurgit.

Odilo supremum spectat de morte triumphum;
Jam renitet prima, servatur et altera palma,
Cœlis divisis, cum venerit arbiter orbis
Cernere cunctorum causas actusque virorum:
Tunc crucis indicium parebit et omnibus altum,
Quam Dominus Jesus suspensus morte sacravit.
B Angelicus cœtus tunc formidabit, et omnis
Cœlorum virtus resonans tremefacta silebit;
Splendens sol fugiet, pallescens luna recedet:
Corpora de tumulis procedent tunc reseratis;
Gloria sanctorum segregatur sorte malorum:
Nam bonus ad lucem, pravusque resurget ad ignem:
Odilo tuncque novus cœlesti lumine clarus,
Sanctorum medius incedet, et obvius ibit,
Agmine multorum vallatus commilitonum,
Quos Domino verbis, exemplis consociavit.

Precatio pro dilecto.

Virgo Maria, tuum miserans tunc collige servum,
Et Baptista potens, tu respice te recolentem:
Spiritus angelicus rapiat hunc hoste fugato.
Petre beate, piam cœlo sibi prospice sedem,
C Qui tibi devotus semper fuit officiosus.
Cœtus apostolicus Domini splendore beatus,
Testes purpurei cœlorum cardine summi,
Ordo sacerdotum, dux et lumen populorum,
Virgineusque chorus in Christo sanctificatus,
Intercessores habeat vos Odilo noster,
Quo simul in cœlis per sæcula gaudeat. Amen.

Epilogus salutationis.

Odilo, vive, vale, toto mihi charior orbe,
Lucidior vitro, fulgenti clarior auro,
Vultu conspicuo, niveo candente capillo,
Candidior cygno, rubeo formosior astro.
Te, bone, dum recolo, lacrymarum rore madesco,
Qui tibi præcipui nodis cingebar amoris.
Quam celebres oculi pietatis fonte repleti,
B In me quot gemitus sunt dulces sæpe retecti!
Quem similem quæram? quem similem teneam?
Tum pax et requies, vitæ spes certa manebat,
Portus eras tranquillus de pelago redeunti.
Turris eras, de qua terrentes respiciebam,
Antidotum salubre, quo cuncta venena fugabam:
Tu pes, tuque manus, et in omnibus omnia factus.
Et ne multiplices causer producere versus,
Odilo jam valeas, Jotsaldi jam memor esto,
Almaniique tui votis pie semper adesto.

TRANSLATIO CORPORIS S. ODILONIS

A Rogerio Bituricensi archiepiscopo facta anno 1345.

(*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 345, *ex chartulario Silviniacensi.*)

Rogerius, permissione divina Bituricensis archiepiscopus, universis Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam.

Noveritis quod de licentia et mandato sanctissimi in Christo Patris domini nostri, domini Clementis, digna Dei providentia papæ sexti, nos una cum reverendis in Christo Patribus domnis Capitulien. Augustinorum, et Saulonien. Prædicatorum ordinis episcopis et quamplurimis abbatibus, prælatis et personis ecclesiasticis ad hæc vocatis, et insimul in ecclesia Silviniacensi Cluniacensis ordinis Claromontensis diœcesis, congregatis, venerabile corpus almi confessoris B. Odilonis de loco in quo hactenus ibidem tumulatum exstitit solemniter relevavimus, juxta sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ traditam nobis formam, ordinationem atque modum, ac ipsius S. confessoris caput et alia corporis membra vidimus, et propriis manibus tetigimus, tenuimus et palpavimus, et eadem in capsa posuimus et recondidimus honorifice et decenter. Nos enim, pensatis hujusmodi sancti confessoris meritis, quæ nos ad sui revelationem adduxerunt devote et attraxerunt, cupientes totis viribus incrementum laudis et honoris ejusdem exercere, ut a Christi fidelibus congruis honoribus et laudibus decoretur, et etiam veneretur, necnon ut ecclesia memorata eo libentius causa devotionis ab ipsis Christi fidelibus visitetur ac etiam frequentetur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum, et beati Stephani protomartyris patroni nostri, ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in ejusdem almi confessoris festivitatibus, et specialiter in die relevationis ejusdem, et per ipsius octavas, ipsam ecclesiam annis singulis visitaverint, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis futuris et perpetuis temporibus duraturis, misericorditer in Domino relaxamus. Præterea volumus et concedimus de speciali gratia quod quilibet prædicator qui in ecclesia præfata populo ibidem existenti verba divina prædicabit, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in prædicatione ejusmodi præsentes exstiterint, ex parte et auctoritate nostra viginti dies de indulgentia concedere valeat et conferre, quando et quotiescunque prædicationis officium contigerit exercere. In quorum omnium testimonium præsentes litteras fecimus munimine nostri sigilli roborari. Datum apud Tolon. Claromontensis diœcesis, nostram provinciam visitantes, die 21 Junii, anno Domini 1345. *Signatum* : Guillermus Vincenti.

ANNO DOMINI MXLVIII.

BERNO

ABBAS AUGIÆ DIVITIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Joannis Egonis libro *De viris illustribus Augiæ Divitis*, apud Bernardum Pezium, *Thesaur.* I, III, 687.)

Bernonem, quem alii Bernardum malunt vocare, ex monacho Prumiensi a S. Henrico imperatore Augiensi cœnobio præfectum, præstantissimis Augiæ doctoribus jure comparandum, aut etiam plerisque præferendum existimo. Inter poetas enim sui ævi fuit excellens. Rhetor facundus, philosophus præstans, musicesque adeo peritus, ut doctissimis illam commentariis illustrarit; litteris etiam in sacris ita nobiliter instructus, ut omnes in non exiguam sui admirationem rapuerit. Composuit plurimos tractatus, de quibus auctores qui de scriptoribus ecclesiasticis libros edidere, ut Trithemius, Bellarminus, As-

noldus Wion et Antonius Possevinus meminerunt, A suntque sequentes :

De officio missæ lib. I, qui, multoties excusus, nuper tamen tom. XI Biblioth. Patrum est insertus.

De Vita S. Udalrici lib. I, qui editus est tom. IV Surii. De advento Domini ad Aribonem archiepiscopum Mogunt. lib. I.

De jejunio Quatuor Temporum lib. I.

De jejunio Sabbati lib. I.

Sermonum tam ad fratres quam alios lib. I.

Epistolarum ad diversos lib. I.

De musica ad Pilegrinum Coloniensem archiepiscopum lib. I, cujus originale se habuisse scribit Trithemius.

De instrumentis musicæ lib. I.

De mensura monochordi lib. I.

De historia Alemannorum lib. I, prout refert Trithemius in prologo Chronici sui Hirsaugiensis, asseritque se ex eo aliisque historicis multa in Chronicum suum inseruisse, quam tamen Alemannorum historiam mihi videre nunquam contigit. Scripsisse præterea fertur plura alia, inter quæ non nemo arbitratus esse quoque Vitam S. Meginradi martyris, cujus supra auctorem feci anonymum ; sed de hac ego nunc judicium meum suspendo.

Berno, quod huc quoque spectare visum est, S. Henrico imperatori charissimus fuit, et ejus in expeditione Italica itinereque Romano individuus comes ; unde contigit ut res Augiensis monasterii optime administrarit, insignibusque privilegiis a sede apostolica impetratis adauxerit. S. Marco item Augiensi patrono novam basilicam exstruxit, eamque consecrari fecit anno Christi 1048 pridie solemnitatis S. Marci.

Hic gravis etiam lapsus Eckerardi San-Gallensis castigandus venit, qui honori suorum plus æquo favens, ait Bernonem ante prælaturam in S. Gallo fuisse monachum. Sed cum sine ratione solus hoc scribat, neque adeo antiquus sit, non opinor fidem apud ullum mereri ; præsertim cum Hermannum B Contractum, qui Bernonem novit, magistrumque in Augia habuit, et Annales Augienses Germanice elucubratos Arnoldumque Wionem repugnantes habeat, qui expresse testantur Bernonem Prumiensis cœnobii monachum fuisse. Obiit tandem bonus Berno, annis et meritis æque maturus, non sine certa magnæ sanctitatis opinione anno Christi 1048, II Idus Junii, et in S. Marci a se constructa basilica tumulatus est.

NOTITIA LITTERARIA.

(Apud Oudin, *Comment. de Scriptoribus et scriptis eccles.* II, 598.)

Berno, Augiæ Divitis abbas, exstitit primum C monachus sancti Galli in Germania, ordinis divi Benedicti, ubi cum diu sub disciplina regulari laudabiliter militasset, atque animum scientia tum musices, tum ecclesiasticarum historiarum excoluisset, clarus meritis ad abbatiam Augiæ Divitis prope Constantiam ad Rhenum, anno 1014 promotus. Quo ergo tempore Henricus II et Conradus II ac primo Henrici III quinquennio claruit Berno, qui Henrici II coronationi se interfuisse ipse inquit cap. 2 *De quibusdam rebus ad missæ officium spectantibus*. Quid autem in cantu Ecclesiæ præstiterit, docebit Eckerhardus Junior in Vita B. Notkeri Balbuli, cap. 10. Gerardus Joannes Vossius lib. II, cap. 44, pag. mihi 367, falso hunc Bernonem facit Hincmari Remensis archiepiscopi discipulum, cui rei indicio esse videtur D epistola ipsius Hincmari ad Æneam Parisiensem episcopum, quam ex Vaticana bibliotheca Baronius refert in Annalibus, ad annum 912. Verum aperte Vossius fallitur et fallit, id enim intelligendum est de Bernone altero annis centum seniore, abbate primo Cluniacensis Ecclesiæ, qui anno 912 Burgundiam petens, in cœnobio Balmensi, a se nuper fundato, Odonem Turonensem clericum, musicum et archidiaconum Turonensis Ecclesiæ anno 901 factum, monastico cucullo ibidem indutum, monasterii scholæ præposuit ; de quo etiam intelligi debent quæ Eckerardus habet supra citatus in Vita Notkeri Balbuli, cap. 10. Et sane tempus Bernonis Augiensis abbatis cum ætate Hincmari Remensis archiepiscopi ejusque discipulatu stare nequaquam potest. Exstat ab eo scriptus libellus *De quibusdam rebus ad missæ officium pertinentibus*, editus primum inter scriptores De divinis officiis, collatus ad mss. codd. studio et cura Melchioris Hittorpii, Coloniæ 1568 et Parisiis 1610, pag. 661 in folio. Item Venetiis seorsim 1572, in 8, cum aliis ejusdem argumenti. Hinc translatus in Bibliothecam Patrum editionis Parisiensis 1575, tomo IV, col. 572 ; anni 1589, tomo VI, col. 709, anni 1610, ibidem tomo X, pag. 697 ; editionis Coloniensis 1618, sæculo seu tomo XI, pag. 51 ; item Parisiensis anni 1624, tomo X, pag. 697 ; Lugdunensis 1677, tomo XVIII, pag. 56. Idem ornatiori Latinitate expolivit Vitam S. Udalrici Augustini episcopi, quam habes apud Surium die 4 Julii. Hanc autem ante Bernonem conscripserunt alii duo, quorum primus anonymus seu Gerardus presbyter, sancti Udalrici discipulus ; alter, Gebehardus Augustanus episcopus, qui eumdem quoque vidisse potuit. De his anterioribus ita Gerardus Joannes

Vossius lib. III De historicis Latinis, parte IV; De Historicis prætermissis cap. 5, p. 764.

« At Ottonis I et II temporibus fuit is (*Gerhardus*) qui primus sed rudi stylo conscribilavit Vitam sancti Udalrici episcopi Augustani. Ætatem indicat, quod cum hoc S. Udalrico conversatus fuerit, qui anno Christi 924 episcopus factus est, atque anno 973 IV Nonas Julii obiit, episcopatus sui anno 50, cum annos 83 vixisset. Ex hoc scriptore sua in Vita S. Udalrici hauserunt Gebehardus episcopus Augustanus et Augiæ abbas, qui in eo elaborarunt ut quæ rustica dictione ab anonymo prius expressa essent, a se elegantius politiusque composita plures oblectarent; atque ita egerunt ut fons ipse multum negligeretur, imo aliquot sæculis nesciretur, usquedum tandem incognitum reperit, atque litterario orbi obtulit Marcus Welserus; nam is primus illam S. Udalrici Vitam e tenebris eruit, ac publici juris fecit. » Idem pag. 766 : « Æqualis Dietmaro fuit Gebhardus Augustanus episcopus, qui anno 1006 sedere cœpit, ac novennio Ecclesiæ præfuit. Est autem Gebhardus ille, qui ecclesiam S. Afræ a sancto Udalrico exstructam, ubi et sepeliri voluerat, adductis eo S. Benedicti monachis, in monasterium et abbatiam convertit. De hoc superius diximus quod Vitam S. Udalrici, quæ ab ejus æquali rustice atque ineleganter scripta erat, nitidius ornatiusque expresserit, uti et a Bernone Augiensi abbate paulo post factum iterum fuit. Scripsit quoque Berno Vitam S. Meginardi episcopi et martyris, quam edidit Joannes Mabillon Sæculo IV Sanctorum ordinis divi Benedicti tomo II, pag. 63 et seqq. Exstant quoque inter mss. codices philosophicos bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, repositorio philosophico 1, serie 2, in libris mathematicis et astronomicis in folio, codice 30 : *Bernonis abbatis Augiensis libellus tonarius. Ejusdem Antiphonarium et Musica.* Codice 31 : *Bernonis Musica, Libellus tonarius, Monochardi mensura;* quibus opusculis in musica et cantu excelluisse constat. Hæc Joachimus Fellerus in Catalogo mss. codicum bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, impresso pag. 328 codd. 30 et 31 editionis 1686, Lipsiæ in 16. Agunt de Bernone abbate Augiensi, qui decessit anno gratiæ 1045, VII Idus Januarii, cum Augiense monasterium annis 39 rexisset, Gerardus Joannes Vossius lib. II De historicis Latinis, cap. 44, pag. mihi 367. Ego ipse in Supplemento Bellarmini De scriptoribus ecclesiasticis anno 1030, pag. 327. Guillelmus Cavus in Historia rei litterariæ ad annum 1014, pag. 599. Antonius Possevinus, tomo I Apparatus sacri, verbo *Berno abbas Augiensis.*

NOTITIA LITTERARIA ALTERA.

(Bernardus Pezius, *Thesaurus Anecd.*, tom. IV, Præf. p. VII.)

De vita et scriptis Bernonis abbatis Augiensis, quem Sigebertus Gemblacensis *in humana et divina scientia claruisse* scribit, nemo accuratius elegantiusve egit Joanne Egone in libro De viris illustribus Augiæ Divitis, parte II, cap. 27 (*vide supra*). Eo itaque lectorem qui plura de Bernone, anno Christi 1049 defuncto, nosse cupit, remittimus. Hic duntaxat de ejus opusculis nunc primum prelo commissis tractabimus. Eorum primum est inscriptum Ariboni archiepiscopo Moguntino, qui Ecclesiæ suæ ab anno circiter 1020 usque ad 1031 præfuit, ut Nic. Serrarius tradit Rer. Moguntiac. lib. V, p. 729. Argumentum libri est : *Qualiter Adventus Domini eo anno celebrari debeat quo Nativitas Domini secunda feria evenerit.* Qua de re non una erat tum omnium sententia : « Ut enim, inquit Berno ad Aribonem cap. 1, apertius, unde quæramus, agnoscas, intimamus, quod tamen jam dudum te latere minime credimus : quotiescunque Natalis Domini in secunda feria, velut in præsenti anno, evenerit, magnus error per Ecclesias Dei se infundit, aliis dicentibus non debere plus quam quatuor dies Dominicos cum ipsa sacratissima Dominicæ Nativitatis vigilia celebrari; aliis vero e regione contendentibus magis oportere quatuor plenas hebdomadas Adventum Domini habere, quintum diem Dominicum specialiter vigiliæ Domini dedicantes : nullum aliud, ut investigare potuimus, defensionis suæ argumentum vel rationem habentes, nisi ut illa quatuor officia, quæ in nocturnalibus Antiphonariis inveniuntur, vel lectiones sanctorum Evangeliorum nec non et Apostoli plenius adimpleantur. » Berno priori sententiæ in hoc opusculo accedit, eamque auctoritate celebriumque Ecclesiarum consuetudine confirmat. Egregia sunt ea quibus capitis secundi disputationem concludit : « Hunc morem, inquit, tota pene, ut fertur, observat Gallia ac ipsa civitas Romana, quondam mundi domina, ut per veracissimos relatores, ac præcipue sanctæ recordationis Adalboldum episcopum, qui scriptis nostris pulsatus, Romæ positus hoc requisivit, didicimus, quamvis postea, nescio qua de causa, aliter agerent, Placentina tamen, ut ipse ego eodem in tempore et audiendo et videndo cognovi, aliisque Italiæ civitatibus antiquæ institutionis regulam servantibus. Sed et abbas Herigerus, vir non parvæ auctoritatis nostris temporibus, proprium super hac re libellum composuit, in quo, ut asserunt qui illum legerunt, probabilius argumentis eos convincit contra Patrum instituta agere, qui plus quam quatuor Dominicos dies Adventus Domini ce-

lebrare contendunt. » Adalboldus hic a Bernone laudatus sine dubio celebris ille episcopus Ultrajectensis est, cujus opusculum De crassitudine sphæræ tom. III, parte II, edidimus (*Patrolog.* t. CXXXIX). Porro Herigeri abbatis Laubiensis de præsenti controversia libellus, a nullo quod sciamus hucusque memoratus, penitus excidisse videtur. Bernonis opusculum sequitur *Rescriptum* Aribonis archiepiscopi, in quo *bene et artificiose inventis, optime dispositis, facunde elocutis, et postremo firma memoria pronuntiatis, ex animo favet Bernonis tractatibus, et si qua illa est pontificatus tantilli auctoritas, ejus, sicut rogavit, manum eis imponit.* Prodit opusculum ex ms. cod. inclyti monasterii S. Emmerammi Ratisbonensis in 4, sexcentorum annorum. Idem vidimus in ecclesiæ cathedralis Frisingensis membraneo volumine, cujus characteres ætatem Bernonis assequi videbantur.

Alterum Bernonis abbatis opusculum, quod nunc primi luce donamus, inscribitur in mox citato codice Sancti Emmerammensi : *Ratio generalis de initio adventus Domini secundum auctoritatem Hilarii episcopi*, tametsi nemo veterum recentiorumve scriptorum sub hoc titulo istius commentatiunculæ Bernonianæ meminerit. Tenue quidem hoc opusculum est, sed, ut speramus, viris eruditis, duabus de causis gratissimum. Primo enim excerpit *librum Officiorum S. Hilarii, gloriosi Ecclesiæ auctoris et doctoris eximii*, id est episcopi illius celeberrimi Pictaviensis, cujus tamen libri nulla apud scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores memoria superest. Deinde paulo ante finem novam nobis *Aurelianensem synodum*, in qua de legitimo Adventum Domini inchoandi ritu actum sit, recludit, cujus nulla, quod equidem sciam, apud conciliorum et synodorum collectores mentio injicitur. Adeo nihil facile antiquorum monumentorum spernendum est.

Dialogi *De Quatuor Temporum jejuniis*, etc., a Bernone Aribonis archiepiscopo Moguntiaco dicati, argumentum his verbis Sigebertus Gemblacensis in libro De scriptoribus eccles., cap. 156, complexus est : « Sed non præteribo quod scripsit (Berno) de jejuniis Quatuor Temporum, de quibus celebrandis est inter multos dissonantia, dum alii secundum considerationem temporum, ad jejunium quartæ et sextæ feriæ accipiunt dies Februarii, vel Maii, vel Septembris, et Sabbato in Kalendis proveniente terminant jejunium; alii vero sine consideratione temporum non jejunant nisi quarta et sexta feria jejunii cum ipso Sabbato in Martio, vel Junio, vel Octobri proveniant. Et talem jejunandi ritum auctorizant multi, et maxime Teutones, his Bernonis scriptis. » Porro quid Aribo Bernoni ad hoc opusculum pro more rescripserit, nullibi hucusque reperimus. Gratum tamen id habuisse satis constat ex concilio Salegunstadiensi, anno 1022 in causa disciplinæ ecclesiasticæ ab Aribone celebrato, cujus capitulum secundum his verbis conceptum legitur tom. VI Concil., parte I, col. 828 edit. Harduinianæ : « De incerto autem jejunio Quatuor Temporum hanc certitudinem statuimus ut si Kalendæ Martii in quarta feria sive antea evenerint, eadem hebdomada jejunium celebretur. Si autem Kalendæ Martii in quintam feriam aut sextam aut Sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo si Kalendæ Junii in quartam feriam aut antea evenerint, in subsequente hebdomada jejunium celebretur. Et si in quintam feriam aut sextam aut Sabbatum contigerit, jejunium in tertiam hebdomadam reservetur. Et hoc sciendum est quod si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecostes secundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solemni Pentecostes, » etc. Quæ ipsissima Bernonis nostri hac de re doctrina est toto fere opusculo, præsertim cap. 4, quod vide. Hoc opusculum ex pervetusto codice membraneo celeberrimi monasterii Benedictoburani excepi, in calamum dictante eruditissimo et amicissimo Patre Carolo Meichelbeckio, cui multis titulis noster *Thesaurus* obstrictus est. Idem postea etiam inveni in codice imperialis monasterii ad S. Emmerammum, supra citato, ex quo prologum, qui in codice Benedictoburano desiderabatur, supplevi.

Johannes Trithemius De scriptoribus ecclesiasticis cap. 311 tria Bernoni opera tribuit quibus musicen illustrarit, videlicet *de Musica seu Tonis lib. II*, quorum primus incipiat : *Omnis igitur regularis Mo. De instrumentis musicæ lib. I*, cujus initium : *Musicam non esse contem.* Et *De mensura monochordi lib. I*, cujus nullum exordium recitat. Ex his primos duos libellos et ultimum unum prorsus esse idemque opus vehementer suspicor. Certe Sigebertus Gemblacensis De scriptoribus eccles. cap. 156, ita de inventis musicis Bernonis loquitur, ut ex ejus verbis quis ægre plura ejusdem de his opuscula extundat : « Prætereo ea, inquit Sigebertus, quæ de humana scientia scripsit, in quibus eminet hoc quod in arte musica præpollens de regulis symphoniarum et tonorum scripsit, et quod in mensurando monochordo ultra regulam Boetii, sed assensu minoris Boetio Guidonis supposuit unum tonum tetrachordohypaton, et, contra usum majorum, in ipso tetrachordohypato inseruit utiliter synemmenon. » Nec nisi de uno de musica opere Bernonis agit Anonymus Mellicensis de Script. Eccles. cap. 81, ubi hujusmodi abbatis Augiensis elogium texit : « Bern musicus, vir pius ac doctus, in monasterio Prumensi sub monastica professione degut, quem postmodum Henricus Pius imperator abbatem Augiæ constituit. Qui gratanter acceptus a fratribus dispersos recollegit, et a Lamperto Constantiensi episcopo consecratus, magna insignis pietate ac scientia præfuit annis quadraginta. Hic scripsit librum De institutione missarum, et De musica opus præstantissimum. » Ita Mellicensis Anonymus, plura de musica Bernonis opera ignorans. Sed sive libri De mu-

sica seu tonis et de monochordo inter se distincti sint, ut vult Trithemius, sive non, opus Bernonis De tonis exstat in codice Mellicensi, signato nunc lit. N, num. 3, non nisi sæculo XV, et quidem perquam flagitiose exarato. Alterum ejusdem Tonarii exemplum servatur in codice membraneo Tegernseensi quingentorum circiter annorum. Cujus monasterii veteres præstantissimos libros dum excuteremus, incidimus etiam in aliud egregium De musica opus Theogeri seu Dietgeri e nostris episcopi Metensis, de quo Anonymus Mellicensis De Scriptoribus eccles. cap. 109 : « Dietgerus abbas, a Latinis Theogerus, a Theotunicis quibusdam Theokarius dictus, domini Wilhelmi abbatis (Hirsaugiensis) primo discipulus, deinde in monasterio S. Georgii abbas tertius, ac tandem Metensis episcopus, aliquantisper administrato episcopio sepultus est in Cluniaco. Et hic quoque tractatum unum De musica scribit, in quo de ejus inventione et numeris ac propositionibus juxta arithmeticos breviter quidem, sed satis subtiliter agit. » Nec rem lectori nostro ingratam nos facturos speramus, si integrum, qui brevis est, Theogeriani operis prologum hoc loco dederimus. En eum igitur ex codice Tegernseensi :

Incipit Musica Theogeri episcopi.

« Pythagoras philosophus apud Græcos primus musicæ artis repertor fuisse legitur : translator autem asseritur Boetius genere et scientia clarissimus, et ejusdem artis secundum numerorum proportiones indagator profundissimus. Guido vero monachus exstitit vocum investigator diligentissimus. Exstat autem Monochordum hujus artis argumentum evidentissimum, cujus etiam institutor primus dicitur supradictus Græcorum philosophus. » Incipit Opus : *Monochordum autem est musicum instrumentum, quod naturaliter et sufficienter antiquitus constabat octo chordis*, etc.

Verum hæc de Theogeri Musica non nisi incidenter commemorata sint occasione Tonarii Bernonis Augiensis, cujus operis, cum veteribus figuris et peregrinis litterarum ac notarum ductibus, quos typographi nostri ægerrime imitentur, distinctum et pictum sit, non nisi prologum hic edere visum fuit.

Joannes Trithemius etiam Bernonis librum Epistolarum ad diversos laudat, quem quidam amicorum nostrorum nuperrime in percelebri Germaniæ bibliotheca detexit.

Magni momenti sunt epistolæ Bernonis, præsertim numero undecima, ubi errores Joannis Cassiani circa liberum arbitrium ex Cassiodoro et Prospero late exponit, et « Cassianum, virum licet in aliis probatum, in hac parte jure culpatum » fuisse concludit. Ut adeo hinc facile colligas monachos auctoritate Cassiani non usque eo motos fuisse, ut ex ejus *Collationibus*, quas perpetuo in manibus habebant, una cum sanæ doctrinæ lacte etiam Pelagianos aut Semipelagianos errores vulgo imbiberent, quod nuper vir, alias celeberrimus Jo. Franciscus Buddeus, in Academia Ienensi doctor theologiæ, in Institutionibus Theologiæ Dogmaticæ lib. III, c. 2, non sine sanctorum in Ecclesia catholica virorum ac integrorum ordinum injuria contendit. Quale enim est illud : « Factum id cumprimis » (scilicet *ut Pelagiani errores in dies latius serperent*) « cum sæculo XIII Franciscus atque Dominicus novos monachorum ordines, qui magnam deinceps in Ecclesia Romana celebritatem consecuti sunt, instituerent. Dominico enim Cassianus maxime se probavit; hinc et, ut ejus placita certatim in monasteriis resuscitarentur, effecit, » etc. Dolet amico in re litteraria ista excidisse! Vide Edmundum Martene, virum pietate ac eruditione celebrem, in Commentario in Regulam S. Benedicti, pag. 10 et 24.

BERNONIS

LIBELLUS

DE QUIBUSDAM REBUS AD MISSÆ OFFICIUM PERTINENTIBUS.

[*Biblioth. vet. Patr.* tom. XVIII, pag. 56.]

CAPUT PRIMUM.

Qualiter priscis apostolorum temporibus missarum celebritas ageretur.

Igitur in exordio nascentis Ecclesiæ non eo quo nunc modo vel ordine sacra celebrabantur missarum solemnia, teste etiam beatissimo Gregorio papa, qui inter multa quæ constituit utilia, cum in celebratione missarum, tum etiam in vario ecclesiasticarum rerum usu ad conficiendum corpus et sanguinem Christi, orationem Dominicam fecit decantari, sicut de eo scriptum est : Orationem Dominicam mox post canonem super hostiam censuit recitari. De hoc et de aliis cum quosdam murmurare sentiret, pissimus Pater inter alia non dedignatus est hujusmodi rationem reddere, dicens : Orationem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos apostolorum fuit ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi in-

conveniens visum est ut precem, quam Scholasticus
A composuerat, super oblationem diceremus, et ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus et sanguinem non diceremus. Sed crescente statu religionis simul accrevit decus ecclesiastici honoris. Attamen ipsum canonem non unus solus totum composuit, sed per tempora aliud alius interposuit vel adjecit, sicut de hoc sanctissimo papa legimus. In canone apposuit : *Diesque nostros in tua pace dispone, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari.* De Alexandro quoque papa, qui a B. Petro septimus erat in ordine, ita legimus : Hic passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando missæ celebrantur. Leo papa constituit ut intra actionem sacrificii diceretur : *Sanctum sacrificium*, et cætera. Deinde Gregorius, tertius ejusdem nominis papa, faciens oratorium in basilica sancti Petri apostoli in honorem omnium sanctorum, quotidiana missarum solemnia ibidem celebrare constituit, pariterque in canone a sacerdote dicendum ordinavit : *Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ majestatis celebratur, Domine Deus noster, toto in orbe terrarum.* Quod quia specialiter ad illam pertinet celebritatem non est canoni, qui generaliter dicitur, adnotatum. Hæc de canone, qui et actio dicitur, dicta sunt : nunc de cæteris quæ Dominus dederit, videamus. Cœlestinus papa constituit ut psalmi David centum quinquaginta ante sacrificium psallerentur in ordine antiphonarum ex omnibus, quod antea non fiebat, nisi tantum Epistola B. Pauli recitabatur, et sanctum Evangelium. Litaniæ, id est *Kyrie eleison, Christe eleison*, quæ sequuntur, a Græcorum usu sumptæ creduntur. Orationes autem, quas Collectas dicimus, a diversis auctoribus compositæ creduntur, a Gelasio præsule Romano et beato Gregorio papa. Unde et in Vita ipsius legimus : Sed et Gelasianum codicem de missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens, in unius libelli volumine coarctavit. Quod volumen librum Sacramentorum prætitulavit. Et fortasse primis temporibus solius Pauli Epistolæ legebantur, postmodum intermistæ aliæ lectiones sunt, non tantum de Novo verum etiam de Veteri, prout solemnitatum ordo poscebat, Testamento. Ubi notandum, ut sicut sanctum Gregorium, quicunque has vel has cantilenas composuisset libri Sacramentorum
D et Antiphonarum, ita et beatum Hieronymum credimus ordinatorem Lectionarii, ut ipsius testatur prologus appositus in capite ejusdem Comitis (sic eum appellavit). Postea cum gradualia et *alleluia* inter apostolicam et evangelicam lectionem cœperunt frequentari, Hispani quasi novitate rei perculsi multum restiterunt dicentes : In quibusdam Hispaniarum ecclesiis laudes post Apostolum decantantur priusquam Evangelium prædicetur, dum canones præcipiant post Apostolum non laudes, sed Evangelium annuntiare. Præsumptio enim est ut anteponant ea quæ sequi debent. Nam laudes ideo Evangelium sequuntur, propter gloriam Christi, quæ per idem Evangelium prædicatur. Verumtamen ex auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, postea est constitutum ut responsoria et *alleluia* canantur ante sanctum Evangelium. Iidem etiam in Toletano statuerunt concilio (*Conc. Tolet.* IV, c. 11) ut hymnus trium puerorum omni Dominico die, et in solemnitatibus martyrum in pulpito decantetur : quod tamen Romani minime faciunt nisi quater in anno, his Sabbatorum diebus qui prætitulantur, in duodecim lectionibus. Symbolum quoque fidei catholicæ post Evangelium recitatur, ut per sanctum Evangelium corde credatur ad justitiam, per symbolum autem ore confessio fiat in salutem (*Rom.* x). Quod tamen non secundum Nicænum concilium, sed secundum Constantinopolitanum canimus translatum. Concilio quoque Toletano statutum
B est (*Conc. Tolet.* III, c. 11), id omni die Dominico secundum morem orientalium ecclesiarum decantari.

Agnus Dei, in confractione corporis Domini, a clero et a populo Sergius papa dici constituit. Offertorium, quod inter offerendum cantatur, quamvis a prioris populi consuetudine in usum Christianorum venisse dicatur, tamen quid specialiter addiderit aperte non legimus ; quemadmodum de illo angelico hymno, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, vel de illa antiphona quæ post communionem dicitur, fateri possumus, cum veraciter credi possit, priores sanctos silentio obtulisse vel communicasse, quod etiam hactenus in Sabbato S. Paschæ solemnis observare : quanquam non desint qui affirment Xistum papam, supradictum hymnum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ad missam
C addidisse. Verum in his omnibus est attendendum, quia sicut sapientissimus papa Gregorius librum Sacramentorum diligentissime ad veritatis lineam correxit, ita musicæ quoque modulationis harmoniam satis utiliter composuit ac ordinavit.

CAPUT II.

De gloria in excelsis.

Nunc stylus ad movendam quæstionem sese vertat, ad quam totus hactenus sermo habitus intendebat, videlicet cur non liceat omni die Dominico vel natalitiis sanctorum presbyteros illum hymnum canere, quem nato in carne Domino angeli decinere, dicentes : *Gloria in excelsis Deo*, etc. Quod si concessum est illum cantare in Pascha secundum prætitulationem Missalis, non multo minus licitum puto in Nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris qualiter ab angelis canebatur in cœlis. Proferant contradictores in medium ubinam sit a sanctis Patribus, vel ab ipso sanctissimo papa Gregorio interdictum, et si ad hæc respondere non valemus, merito manus damus. Quisquis enim vult ex sacræ Scripturæ auctoritate aliquid confirmare, debet ex prophetarum oraculis apostolorum dictis, antiquorum Patrum conciliis, nec non et eorum scriptis vel gestis, et, quod omnibus his majus est, ex sancti Evangelii veritate locum ostendere, unde velit sententiam suam corroborare. Unde solemnis dicere : Scriptum est in illo, et in illo loco ; et legimus in decretis pontificum, vel in tali concilio, in

illo capitulo. Sed cum sanctum Gregorium nusquam legamus ipsum hymnum interdixisse, liceat nostros quoque testes idoneos introducere, quo eorum testimonio possit probari, utrumnam jure debeat decantari. Nam cum scriptum sit : In ore duorum aut trium testium stat omne verbum (*Matth.* XVIII), prius proferam duos, deinde multos. Denique Telesphorus papa, a beato Petro octavus, constituit ut ante sacrificium hymnus diceretur angelicus, hoc est : *Gloria in excelsis Deo.* Qualiter ejus debeat credi testimonio, testatur martyrium quod sustinuit pro Domino. De Symmacho quoque papa ita legimus : Hic constituit ut omni die Dominica vel natalitiis martyrum *Gloria in excelsis* hymnus diceretur. Cujus sanctitatis vir iste fuerit, de bonis ejus operibus quæ fecit, ex libro Dialogorum legere volentibus satis liquebit. Ubi beatus papa Gregorius narrat quod quidam Paschasius sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus, cum tanti meriti apud Deum esset ut quidam dæmoniacus, tacta ejus post mortem dalmatica, a dæmone sit liberatus : tamen quia tanti pontificis ordinationi restitit, cuidam religioso viro in purgatoriis pœnis constitutus, non per somnium, sed visibiliter apparuit, ac pro qua culpa hæc pateretur innotuit. Ecce de hoc hymno angelico duo testes inventi sunt idonei, qui a nemine, ut puto, possunt refelli. Quod si adhuc tertius quæritur, non jam unius, sed sexaginta episcoporum in medium profero testimonium, qui in quarto Toletano concilio (*Tol. conc.* II, *pag.* 730), in nomine Domini congregati, tam super hoc quam super aliis hujusmodi hymnis promulgaverunt decretum cap. 12. De hymnis, inquiunt, etiam canendis et Salvatoris et apostolorum habemus exemplum. Nam et ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo evangelista testante : *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti* (*Matth.* XXV). Et Paulus apostolus ad Ephesios subscripsit, dicens : *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus* (*Ephes.* V). Et quia cernebant nonnullos in Ecclesia eos hymnos spernere, qui humano ingenio videbantur in laudem apostolorum et martyrum triumphos compositi esse, vehementer arguebant eos hujusmodi verbis, dicentes : Respuant et illum ergo ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque officio in fine omnium psalmorum dicimus : *Gloria, honor Patri et Filio et Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.* Pro quo nos canimus : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto usque in finem.* Et post hæc inferunt. Nam et ille hymnus quem nato in carne Christo angeli cecinerunt : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, angelicus est. Reliqua quæ ibi sequuntur ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec ipsi in ecclesiis canendi sunt, quia in sanctarum Scripturarum locis non inveniuntur. Componuntur missæ sive preces, vel orationes sive commendationes, seu manus impositiones, ex quibus si nulla decantantur in Ecclesia, vacant officia omnia ecclesiastica. Et paulo post : Sicut igitur orationes, ita et hymnos in laudem Dei compositos, nullus nostrorum ulterius improbet, sed pari modo Gallia [in Gallicia] Hispaniaque celebrent, sintque excommunicatione plectendi qui hymnos rejicere fuerint ausi. Unde sanctus Pater Benedictus jubet nos monachos ad omnes regulares cursus celebrare hymnos quos ille vocat Ambrosianos. Ad hæc potest aliquis dicere, tunc temporis Gallos et Hispanos in missarum suarum celebritate nondum habuisse usum sanctæ Rom. Ecclesiæ. Quod et nos non negamus. Testatur hoc abbas Hilduvinus, vir in divina lege apprime eruditus, in ea epistola quam ad Ludovicum imperatorem direxit pro passione sanctorum martyrum Dionysii et sociorum ejus, ubi inter alia quæ suæ narrationi videbantur congrua hæc adjecit : Cui astipulari videntur antiquissimi et nimia vetustate pene consumpti missales libri, continentes missæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei usus in hac occidentali plaga est habitus, usquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum suscepit. In nostri quoque monasterii archivo habetur Missalis longe aliter ordinatus quam Romanæ Ecclesiæ se habeat usus. Et quod iis omnibus majus est cum una sit fides, cur super missarum celebratione, Galliarum Ecclesiæ a Romana discordent Augustino requirenti, Gregorius respondit : Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet ut sive in Romana, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, et Anglorum Ecclesiæ, quæ adhuc nova est, ad fidem institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt eligas, et hæc quasi vasculo collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem vertas. His satis instruimur exemplis nil nos delinquere, si ea, quæ ex auctoritate pontificum, qui illum sanctum virum tempore præcesserunt, instituta suscepimus, et vel ex Gallicanarum ecclesiarum aut Hispanicarum usu mutuavimus, fideli devotione servamus, imitantes ipsius beatissimi papæ prædicandam humilitatem. Qui cum reprehenderetur a quibusdam quod aliarum ecclesiarum morem sequeretur, inter alia fatetur, dicens : Si quid boni vel ipsa videlicet Constantinopolitana, vel altera Ecclesia habet, ego et minores meos quos ab illicitis prohibebo in bono imitari paratus sum. Stultus est enim qui in eo se primum existimat ut bona quæ viderit discere contemnat. Nam si ideo, ut sæpe dictum, illum angelicum hymnum prohibemur in festivis diebus canere eo quod Romanorum presbyteri non solent eum canere, possumus simili modo post Evangelium symbolum reticere, quod Romani usque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati cur ita agerent, me coram assi

stente, audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta, sed secundum sancti Petri doctrinam in soliditate catholicæ fidei permaneret inconcussa: et ideo magis his necessarium esse illud symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At dominus imperator non antea desiit quam omnium consensu id domino Benedicto apostolico persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent. Sed utrum hanc consuetudinem servent adhuc affirmare non possimus, quia certum non tenemus. Eo etiam modo possunt objici multa quæ post sancti Gregorii tempora causa decoris videntur adducta [*al.*, adjecta], cum e contrario Psalmista dicat: *Adjicium super omnem laudem tuam* (*Psal.* LXX). Et mirum valde videtur cum certa sit ratione discretum, quid soli liceat episcopo, non autem presbytero : videlicet, ut ad episcopum pertineant ordinationes clericorum, dedicationes ecclesiarum, sacri chrismatis confectio, ad dandum Spiritum paracletum, sacra impositio manuum, quid aliud esse possit in sacramentis divinis quod non sit presbyteris commune cum episcopis, præcipue cum id quod excellentissimum est in omnibus sacramentis, sanctum videlicet corpus et sanguinem Christi, quotidie sicut episcopi, ita et consecrent presbyteri, nec sanctius sit illorum quam istorum. Unde sanctus Hieronymus dicit de iisdem presbyteris: Hi namque in benedictione cum episcopis consortes sunt mysteriorum ac nulla in conficiendo corpore Christi ac sanguine inter vos et episcopos credenda distantia est, quia et eucharistiam pridem per presbyteros benedictam, si necessitas exegerit, accipere debent. Et post pauca: Nam si quis ad injuriam revocat, ut putet non debere se accipere eucharistiam quam presbyter benedicit, is profecto perversus est : credens Deum duo corpora habuisse, unum majus, aliud minus; quod episcopus conficit majus, quod presbyteri minus; qui Christum ita dividit, Deo injuriam facit. Super hæc omnia cum in capite libri missalis, quando presbyteri Romani *Gloria in excelsis Deo* canere et non canere soleant, legimus solummodo prætitulatum : nusquam autem vel a beato papa Gregorio, vel aliquo sanctorum Patrum nobis interdictum puto, quin omni die Dominica vel in sanctorum natalitiis liceat nobis sæpe dictum hymnum canere ad augmentum laudis divinæ.

CAPUT III.

De octava Pentecostes.

His ita utcunque digestis, non absimile videtur si quid de octavis Pentecostes loquamur. Nam dum adhuc apud Gallos essem constitutus, non modicam super hac re quæstionem cognovi exortam in illis regionibus, aliis affirmantibus quod sicut Dominicæ Nativitatis ac Resurrectionis, ita oporteret celebrare et octavas Pentecostes, præcipue cum sæpius in nostris officialibus libris scriptum legamus, post octavam Pentecostes, aliis e regione contendentibus, in hac solemnitate, quia Spiritus sanctus super apostolos in linguis igneis apparuit, non plus quam septem dies debere expendi juxta dona ejusdem Spiritus sancti. Sed ad hanc litem inter utrasque partes dirimendam, ipso sancto Spiritu adjuvante, ostendamus cui parti merito favere debeamus. Nam cum S. Augustinus doctor egregius de sermone Domini in monte habito disputaret, et singulas beatitudines septem donis Spiritus sancti compararet : nam prima beatitudo incepit : *Beati pauperes spiritu*, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V), cum ad octavam perveniret, ita intulit : Octava tanquam ad caput redit, quia consummatum perfectumque ostendit et probat. Itaque in prima et octava nominatum est regnum cœlorum. Cum dicitur autem : Quis nos separabit a charitate? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? (*Rom.* VIII) : septem sunt ergo quæ perficiunt : nam octava clarificat, et quod perfectum est demonstrat ut per hos gradus perficiantur et cæteri, tanquam a capite rursum exordiens. Videtur ergo mihi etiam septiformis operatio Spiritus sancti, de qua Isaias loquitur (*Isa.* XI), his gradibus sententiisque congruere. Et post aliquanta : Hæc octava sententia, quæ ad caput redit perfectumque hominem declarat, significat fortasse et circumcisionem octava die in Veteri Testamento, et Domini resurrectionem post Sabbatum, qui est utique octavus dies idemque primus dies, et celebrationem octavarum feriarum quas in regeneratione novi hominis celebramus et numero ipso Pentecostes. Nam septenario numero septies multiplicato, quo fiunt 49, quasi octavus additur, ut 50 compleantur, et tanquam redeatur ad caput, quo die missus est Spiritus sanctus, quo in regnum cœlorum inducimur, et hæreditatem accipimus, et consolamur, et pascimur, et misericordiam consequimur, et mundamur, et pacificamur, atque ita perfecti omnes extrinsecus illatas molestias pro veritate et justitia sustinemus. Ex his S. Augustini verbis liquido potest intelligi quid de octavis Pentecostes possit sentiri. Sed interim vel breviter de sacramento nostri baptismatis aliquid loquamur, quod in similitudinem mortis, sepulturæ, resurrectionis Christi regitur, Apostolo teste qui ait : *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (*Rom.* VI), et cætera. Unde et beatus papa Leo : In baptismatis, inquit, regula et mors intervenit interfectione peccati : sepulturam triduanam imitatur dimersio, et ab aquis elevatio, resurgentis instar est de sepulcro. Unde rectissime sancti Patres duo tantum legitima tempora ad baptizandum, si nulla necessitas intervenit, constituerunt : Sabbatum videlicet Paschæ et Sabbatum Pentecostes. Quæ

utraque per octo dies celebrantur. Merito consepeliuntur Christo baptizati in Sabbato, ut cum ipso valeant resurgere die Dominico. Sicut enim Sabbatum requiem animarum, sic Dominicus dies, qui est primus et octavus, significat resurrectionem corporum. Si enim certi gratia mysterii per octo dies noster baptismus colitur, ita ut octava die vestimenta mutentur baptizatorum, cur non magis celebratur per octo dies baptismus apostolorum? Quod enim apostoli per adventum Spiritus sancti, qui in igne apparuit, baptizati sunt in die sancto Pentecostes, testatur in Evangelio Joannes Baptista, qui confluentibus ad se turbis ait: *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam. Qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Matth.* III). Et ipse Dominus ad apostolos ait: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies* (*Act.* I). De qua quidem octavæ Pentecostes solemnitate dicit quidam doctor egregie: Octavus dies est, qui et primus, secundum formam octo beatitudinum. Prima beatitudo dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). Octava ita: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Ibid.*). Ad regeneratos pertinent hæ sententiæ, ut qui pauperes sunt in hac vita propter regnum cœlorum, usque ad finem vitæ perseverantes sint, ut accipiant regnum pro quo hic laboraverunt. Baptismus vero neophytorum, quamvis in Sabbato agatur, ad illum baptismum pertinet quem apostoli acceperunt in die sancto Pentecostes, cujus octava est dies Dominica sequens, quam solemus appellare octavas Pentecostes. Et iterum post aliqua: Celebratur per septem dies opus septiformis Spiritus, et octava die consummatio et declaratio et glorificatio ejusdem operis. Quod si ita est, merito eamdem glorificationem in nostris officiis recolit octava dies, quæ redit ad caput, quæ et prima dies. Itaque sicut celebravimus majestatem Spiritus sancti in Pentecoste, celebremus et in octavis ejusdem festivitatis, quatenus sæpissime recolendo ejus dona, dignetur charitas ejus se profusius infundere cordibus nostris. Ex his omnibus manifesta ratio patet quod hi qui octavam Pentecostes celebrant rectius agunt quam qui hoc agere nolunt. Igitur justissime et rectissime a sancta matre catholica Ecclesia toto orbe terrarum diffusa octavæ Pentecostes solemnitas celebratur, veneratur et colitur. Si quis vero huic sanæ diffinitioni contradicit, ejusdem matris Ecclesiæ unitatem scindit. Finito tandem eo, quo hactenus utebamur, sermone, libet aliam rationem inchoare.

CAPUT IV.

De Adventu Domini.

Dominica prima de Adventu Domini, Dominica secunda, Dominica tertia, Dominica quarta, quæ proxima est ante Nativitatem Domini. Aliter vero in Lectionario, quem librum Comitis appellavit, sic Dominica quinta ante Nativitatem Domini, quam Amalarius præparationem Dominici Adventus nominavit. Deinde Dominica quarta ante Nativitatem Domini, Dominica tertia ante Nativitatem Domini, Dominica secunda ante Nativitatem Domini, Dominica prima ante Nativitatem Domini, ut converso modo quæ apud Hieronymum dicitur prima vel proxima ante Nativitatem Domini, apud Gregorium dicatur Dominica quarta de Adventu Domini, non inconvenienter, ut reor, propter quinque hujus sæculi ætates, in quibus hominum genus sub jugo diaboli captivum tenebatur, quousque ex intactæ Virginis utero nascendo in carne appareret, qui carnis peccata per sui corporis hostiam aboleret et initium sextæ sequentis ætatis sanctificaret: vel quia interior noster homo per quinque sensus corporis corrumpitur, ita ut in nobis mors operetur, sicut propheta dicit: *Introivit mors per fenestras vestras* (*Jer.* IX); quatenus in his quinque hebdomadibus hospitium mentis illi regi nostro præparetur, quem prophetica lectio in ipsa hebdomada quinta his verbis pronuntiat venturum: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra* (*Jer.* XXIII). Quaternarium vero numerum, quem, ut supra notavit sanctus Gregorius, in quatuor Dominicis de Adventu Domini diebus posuit, tali celebrant sacramento, ut homo, qui quatuor consistit elementis, per quatuor hebdomadas ejus exspectet Adventum, quem per tres ordines librorum, legis scilicet, prophetarum, psalmorum olim promissum, et per quartum, id est, principium Evangelii, angelo sanctæ Mariæ semper virgini conceptum ac nativitatis ejus ordinem narrante, ad salutem humani generis certissime sciunt huic mundo præsentatum. Et ne tantilla parvitatis meæ attestatio, quam ex aliorum magis quam ex propria protuli sententia, videatur parvipendenda, majorum dicta ponantur in medio, ut vel ex his liquido comprobetur quorum usus rectior habeatur. Ait nempe Amalarius divinorum officiorum scrutator non contemnendus: In antiquis libris Missalium et Lectionariorum reperitur scriptum: hebdomada quinta ante Nativitatem Domini. Totidem enim lectiones habemus in Lectionario, et totidem Evangelia a tempore memorato per dies Dominicos usque ad Nativitatem Domini. Antiphonarius habet tria officia diurna, et quartum in die Dominico qui vacat post lectiones duodecim; nocturna vero quatuor, ut superius dixi, per dies Dominicos. Auctor Lectionarii excitat fidem nostram ad recolendum Domini nostri Jesu Christi venturi in mundum præconium per quinque ætates mundi. Auctor Missalis qui nominatur Gregorialis, et Antiphonarii, nos tangit ut recolamus Nativitatem Domini celebratam per tres ordines librorum, scilicet legis, prophetarum et psalmorum; necnon et per quartum, id est, principium Evangelii, in quo narratur Gabriel archangelus

missus ad Zachariam, videlicet nuntius præcursoris Nativitatis Domini, verum etiam et prophetæ Zachariæ de adventu Domini, et Gabriel missus ad Mariam virginem (*Luc* I), narrans ei conceptionem Salvatoris nostri, et cætera talia usque ad ipsam Nativitatem. Nempe et ipsa quarta hebdomada, hoc est, quæ proxima est ante Nativitatem Domini, sive in qua celebratur, singularis est; habet in matutinali officio per unamquamque feriam antiphonas proprias in psalmis. Et alio modo auctor Lectionarii docet nos quam fortis sit Dominus, qui venturus est ad nos, et intraturus domum nostram ut in ea habitet quam nos solemus sordidare quinque sensibus nostris. Illices formæ intrant per oculos, suspicio mala de fratre per aures, odor libidinosus per nares; per os nos ingluvies polluit, per actum crudelitas. In sordibus non vult habitare rex venturus, nisi ita purgetur hospitium ut nec saltem pulvis talium phantasmatum remaneat, non dignabitur hospes venturus intrare in illud. Ideo scribit auctor Lectionarii quinque lectiones quinque hebdomadarum ut nos hortetur circumcidere quinque sensus nostros ab omni vitio, et parare mansionem dignam regi et Domino atque vero prophetæ. De ipso rege dicit prima lectio : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit* (*Jer.* XXIII). At vero de Domino : *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster* (*Ibid.*). Et iterum in Evangelio de propheta : *Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum* (*Joan.* VI). Auctor Missalis sive Antiphonarii eamdem præparationem hortatur nos facere per quatuor hebdomadas. Sicut enim homo internus quinque sensibus ad animam bene aut male operatur, ita per quatuor elementa aut ruit ad mala opera, aut surgit ad bona. Quapropter, ut dixi, hortatur nos auctor memoratus ut si usque modo torpuimus negligentia, dehinc surgamus ad mundandam domum nostram, ut qui non excitatus est in quinta hebdomada, saltem in quarta surgat. Ipsum enim sonat lectio quæ legitur in quarta hebdomada : *Scimus quia hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* I), et reliqua. Non dubito propterea cantorem in memorata hebdomada cum tuba sua exaltare vocem : *Ad te levavi animam meam*, ut excitet eos qui in quinta hebdomada sopore negligentiæ oppressi sunt. Quomodo nostram domum præparare debeamus in sequentibus memorata lectio monstrat : *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XIII). Eamdem præparationem inculcat in aras [*for.*, aures] cordis nostri Sacramentarium : *Suscipiamus*, inquiens, *Domine, misericordiam tuam in medio templi tui* (*Psal.* XLVII), *ut reparationis nostræ ventura solemnia congruis honoribus præcedamus.* Hæc autem causa est, qua Patrum sententia fulcitur [*forte deest hic*, qui tria in Antiphonario ordinarunt diurna officia, *aut aliquid simile*]. Omnis enim omnipotentis Verbi humanitati dispensatio, sanctæ Trinitatis individua est operatio. Et quanquam ad solum Filium respiciat humanitatis assumptio, tamen ad totam Trinitatem pertinet effectiva nostræ redemptionis consummatio. Quapropter æquum per omnia fore et conducibile censetur, quatenus tres tantum hebdomadæ observentur in adventu Domini. Quod si aliquid supercreverit, synecdochicos accipitur, ne tanti mysterii ordo et regula præsumptuose (quod absit) annulletur. Est autem et alia ejusdem negotii ratio, haudquaquam vilipendenda, qua gloriosus Ecclesiæ auctor et doctor eximius Hilarius in libro Officiorum utitur : Sicut, inquiens, pater ille familias in Evangelio trino adventu infructuosam ficulneam visitavit (*Luc.* XIII), sic sancta mater Ecclesia Salvatoris annuo recursu per trium septimanarum secretum spatium sibi incitavit. Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat (*Luc.* XIX). Venit ante legem, quia per naturalem intellectum quid unicuique sequendum, quidve agendum sit innotuit. Venit sub lege, quia patriarcharum exemplis et prophetarum præconiis semini Abrahæ legalia confirmavit decreta. Venit tertio post legem per gratiam ad vocationem gentium, ut a solis ortu usque ad occasum laudare discerent pueri nomen Domini, quos usque ad finem mundi ad suæ majestatis cultum exhortari non desinit.

CAPUT V.

De missa, Deprecationem nostram, *et concordia officiorum Dominicalium.*

De missa, *Deprecationem nostram, quæsumus*, Domine, *benignus exaudi*, quæ in quibusdam Sacramentorum libris bis solet poni, primo videlicet peracta Pentecostes hebdomada, post officia jejunii mensis quarti, quæ prætitulatur in Missali, Dominica vacat. Item secundo, post duas Dominicas, tertia incipiente. Ubi quærendum reor quo loco rectius dicatur : nam per singula quatuor tempora peracto jejunio, sequens Dominica vacat ab officio, quamvis missæ non desint inde compositæ. Et quia officia jejunii primi mensis, in prima Quadragesimæ hebdomada, et jejunii quarti mensis in hebdomada Pentecostes inveniuntur conscripta, licet semper eodem perveniant ordine, tamen, sicut peracta prima Quadragesimæ hebdomada, ea Dominica quæ ibi posita est, dicitur, et lectiones Apostoli et sancti Evangelii leguntur, ita et hic agendum esset recte et præcipue cum eadem missa, lectio Apocalypsis Joannis et Evangelium, quæ eodem die leguntur, miro inter se concordent modo. Nam sacerdos et sua et Ecclesiæ voce deprecatur sibi præstari suppleandi affectum et defensionis auxilium : et in lectione scriptum est : *Et procidérunt viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum. Amen* (*Apoc.* IV). Et in Evangelio princeps Judæorum Nicodemus venit ad Jesum nocte (*Joan.* III), rogans et interrogans de animæ suæ salute. Et deinceps, finita hac eadem hebdomada usque ad adventum Domini, par numerus invenitur

tam officiorum quam et missarum. Nam viginti tres hebdomadæ computantur, ita concordes, ut aliquando omnis cantus videlicet antiphonarum, quæ dicuntur introitus, gradualium, offertoriorum, communionum, cum lectionibus apostolicis et evangelicis ita conveniant, ut velut quoddam organum distantis inter se vocis concordem symphoniam reddant. Ut enim exempli gratia pauca ex plurimis proferamus, primam Dominicam post octavam Pentecostes intendamus, ubi introitus ita incipit : *Domine, in tua misericordia speravi* (*Psal.* VII), et responsorium : *Ego dixi, Domine* (*Psal.* XXX), et vers. *Beatus qui intelligit super egenum* (*Psal.* XLI). Offerenda quoque : *Intende voci orationis meæ* (*Psal.* V). Nonne suis vocibus videtur tibi, prophetam in voce pauperis Lazari vel in persona sanctæ Ecclesiæ, hoc quidem tempore pauperis et afflictæ, ad Deum proclamare ut in hac convalle lacrymarum dignetur misereri membrorum suorum? Et quid ipso die lectio Joannis, nisi tota charitatis melle redundat, dum dicit : *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV)? Et paulo superius : *Deus dilexit nos, et nos debemus invicem diligere* (*Ibid.*). Quid autem sanctum Evangelium sonat, nisi ut ad misericordiæ opera nos provocet, quando pauperis Lazari patientiam in sinu Abrahæ remuneratam et divitis superbi avaritiam ostendit damnatam (*Luc.* XVI)? Pro hujusmodi re sacerdos illum deprecatur qui est in se sperantium fortitudo, ut adsit invocationibus nostris propitius : et quia sine illo nihil potest nostra mortalis infirmitas, sicut nec Lazari sine ejus adjutorio potuit, præstet nobis auxilium gratiæ suæ ut in exsequendis mandatis ejus illum diligendo ex toto corde, et ex tota anima, et ex omnibus viribus, et proximum nostrum sicut nosmetipsos, et voluntate illi et actione placeamus, ut quandoque post hujus vitæ terminum in sinu Abrahæ recepti, unusquisque nostrum læto cordis jubilo cantare possit cum Lazaro : *Narrabo omnia mirabilia tua, lætabor et exsultabo in te; psallam nomini tuo, Altissime* (*Psal.* IX). Et in hunc modum per viginti tres hebdomadas, si illa missa superius dicta, tertio loco prætermittitur aut omnia cum omnibus, aut aliqua cum aliquibus, maxime autem, si diligenter inspicitur, missæ concordant cum evangelicis lectionibus. Et ne multiplex sermo lectori fastidium gignat, prætermissis plurimis, pauca adhuc dicamus sub exemplis. Qualiter illa evangelica lectio, qua Dominus Petro prædicit : *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens : et ille subductis ad terram navibus, cum sociis suis secutus est illum* (*Luc.* V), congruat orationi missæ, non est laboriosum investigare, quæ hujusmodi componitur prece : *Deus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur.* Ut hæc omnia cum apostolis mereamur consequi, hortatur nos Petrus in lectione omnes unanimes in oratione existere. Iterum illi evangelicæ lectioni, ubi Dominus quatuor millia hominum septem panibus et pisciculis paucis pavit, hæc missa congruit : *Deus cujus providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus ut noxia cuncta submoveas, et omnia nobis profutura concedas.* Providit enim Deus quid esurienti populo esset facturus. Merito populi divinæ largitatis pabulo refecti, cum Daniele propheta decantant læti : *Sicuti in holocausto arietum, rogantes ut sic fiat sacrificium in conspectu Domini, ut placeat sibi* (*Dan.* III). Et quia hæc verba ad legalia pertinebant sacrificia, et ea nunc in mysterium corporis Christi et sanguinis sunt mutata testantur verba secreta, quæ ita incipiunt : *Deus, qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti.* Illi Evangelio in quo Dominus super civitatem Hierusalem flevit (*Luc.* XIX) hæc oratio congruit : *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam* (*Luc.* XVIII). Illud Evangelium : *Duo homines*, et illa apostolica lectio, quæ ea die legitur, bene concordant dum Apostolus dicit : *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei* (*I Cor.* I). Et publicanus a longe stans, nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : *Deus propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII). Inter hos medius stans sacerdos orat et dicit : *Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ et merita supplicum excedis et vota, effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, et adjicias quod oratio non præsumit.* Nunc videamus de duodecima Dominica post octavas Pentecostes quæ concordia in illo officio esse possit. Nam in Evangelio secundum Marcum eo die legimus, qualiter *adducunt Domino surdum et mutum, et deprecabantur illum ut imponat illi manus;* et post pauca : *Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte* (*Marc.* VII). Quod intuens Propheta ex persona infirmantis introitu deprecatur Deum, dicens : *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina* (*Psal.* LXIX). Congruit etiam titulus ejusdem psalmi qui ita inscribitur : In finem David in rememorationem, eo quod *salvum me fecit Dominus.* Cernens sacerdos hanc sanitatum gratiam non nisi ex divino munere evenire, orat ad Dominum hujusmodi prece : *Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur, tribue, quæsumus, nobis ut ad promissiones tuas sine offensione curramus.* Unde et in lectione Apostolus profitetur fiduciam se habere per Christum ad Deum. Et in responsorio jam quasi soluto linguæ vinculo Propheta laudes se Deo promittit referre, dicendo : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabitur anima mea* (*Psal.* XXXIII). In lectione introducitur nomen Moysis, et in offerenda, *precatus est Moyses in conspectu Domini pro*

peccatis populi sui, ut sicut in Evangelio corpore infirmum, ita hic sanet Dominus populum in anima languidum. Unde scriptum est : *Et placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo* (*Exod.* XXXII). Et in versu : *Dixit Dominus ad Moysen : Invenisti gratiam in conspectu meo, et scio te præ omnibus* (*Exod.* XXXIII). Sic uterque populus Novi ac Veteris Testamenti curatus divina commemorat beneficia, ita canens cum Propheta : *De fructu operum tuorum, Domine, satiabitur terra, ut educas panem de terra, et vinum lætificet cor hominis* (*Psal.* CIII). Terra, quæ in primo homine maledicta spinas et tribulos germinavit, nunc cœlesti imbre perfusa ac bonorum operum fructu satiata, illum panem producit qui de cœlo descendit, cujus gustu reficimur et vini poculo in mysterio sanguinis Christi potamur, ut oleum divinæ misericordiæ faciem interioris hominis exhilaret et panis ejusdem cor hominis confirmet. Illi Evangelio ubi Dominum legisperitus de mandato interrogat, et ille respondens dixit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII); et Samaritanus curat illum vulneratum, et stabulario dat et promittit præmium (*Luc.* X), congruit hæc oratio ad Dominum : *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et charitatis augmentum, et ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.* Hæc et alia quæ vel prætermissa, vel dicta sunt, vel quæ adhuc restant, si diligenti cura observentur, concordi fine concluduntur, si tamen illud officium, *Exsultate Deo*, nullo canitur die Dominico. Nam cum cæteræ Dominicæ quæ post jejunia vacant, lectiones et Evangelia habeant constituta, et hæc Dominica, quæ hic vacat, ita non habeat, jure illud officium prætermittitur, ut in cæteris concordia reservetur. Si quis vero objicit cur officium quartæ feriæ non hic similiter cantetur, sicut in Adventu Domini et in Quadragesima, respondemus quia cum quatuor hebdomadæ in Dominico Adventu ante Natale Domini sint prænotatæ, et in Quadragesima per singulos dies singula sint officia constituta, ut in Adventu Domini quarta, et in Quadragesima secunda Dominica vacent, merito ab ecclesiasticis viris est constitutum qualiter illi duo dies supplerentur per officia quartarum feriarum. At vero finita Pentecostes hebdomada, et sequenti Dominica quæ vacat, non jam officium quartæ feriæ repetitur, sed Spiritus Domini canitur; ita et finito septimi mensis jejunio non repetendum puto quartæ feriæ officium, sed magis, si necesse fuerit aliquod officium observandum et non occurrit aliqua festivitas sanctorum, rectius prioris hebdomadæ officium, sicut solet fieri in Galliarum ecclesiis, repetitur, quam concordia Evangeliorum et officiorum dissipetur. Nec satis mirari queo quid causæ obsistat cur non liceat unum officium, si ita evenerit, cantari per duas, sicut et unam historiam cum suis responsoriis, vel per duas, vel per tres, vel per quatuor hebdomadas. Nam finita hebdomada quæ vacat, in introitu missæ cantor pacem a Domino regat ut prophetæ ejus fideles inveniantur. Et responsoria propheta David : *Lætatus sum* (inquit) *in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus* (*Psal.* CXXI) : et in versu : *Fiat pax in virtute tua* (*Ibid.*). In Evangelio facit Dominus mentionem prophetæ Moysis, dicens : Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi (*Matth.* XXIII). Sequens offerenda ita incipit : *Sanctificavit Moyses altare Domino*, et primus versus : *Locutus est Dominus ad Moysen;* secundus versus : *Oravit Moyses Dominum.* Et in communione hortatur nos Psalmista cum Moyse tollere hostias, et introire in atria Domini, adorare Dominum in aula sancta ejus (*Psal.* XCV). Et quia Deo nec in sacrificio, nec in oblatione hostiarum sine ejus adjutorio placere possumus, nec in atria ejus introire, nec in aula ejus adorare eum, merito sacerdos ex sua et nostra voce Deum deprecatur, dicens : *Dirigat corda nostra, Domine, quæsumus, tuæ miserationis operatio, quia tibi sine* [*te*] *placere non possumus.* In sequenti Dominica in introitu consolatur nos ipse, dicens : *Salus populi ego sum*, et cætera. Unde et in Evangelio non solum sanat paralyticum quem ei offerebant jacentem in lecto, verum etiam dimittit peccata, sicut eidem dicit : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX). Unde et merito nos Dominum in oratione missæ rogamus, ut omnipotens et misericors Deus universa nobis adversantia propitiatus excludat, ut sicut paralyticus ex miseratione Dei libero gressu incedebat, ita et nos mente et corpore expediti quæ Dei sunt liberis mentibus exsequamur. Et quia Apostolus quosdam de Scribis sciebat intra se dixisse : Hic blasphemat, in epistola sua prænonebat, dicens : Propter quod loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, et nolite locum dare diabolo (*Ephes.* IV). Deinde occurrit illa Dominica, ubi illud Evangelium legitur, in quo quidam ad nuptias filii regis invitati neglexerunt venire, sicut scriptum est : Et abierunt alius in villam suam, alius ad negotiationem suam; reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumelia affectos occiderunt. Quod nos præcavere volens Apostolus, in Epistola sua admonet, dicens : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto* (*Ephes.* V). Ubi etiam inter discumbentes, rex, videns hominem non vestitum veste nuptiali, jussit eum ligatis manibus et pedibus mittere in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* XXII). Quod intuens populus pœnitens : *Super flumina*, inquit, *Babylonis sedimus et flevimus dum recordaremur tui, Sion.* Et cantor volens Justum Judicem placare et benevolum reddere, hujusmodi verbis confitendo incipit canere : *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi* (*Dan.* III), et cætera. In responsorio jam aspirans ad convivium Dei ita canit : *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno* (*Psal.* CXLIV). Propter hæc omnia rogat sacerdos pium judicem, ut fidelibus suis largiatur indulgentiam placatus et pa-

cem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis et secura sibi mente deserviant. Et in communione jam quadam spe ex divino munere Propheta animatus, ex persona fidelium canit lætus : *Memento verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi spem dedisti, hæc me consolata est in humilitate mea* (*Psal.* CXVIII). Concordia inter lectionem evangelicam et apostolicam, offerendam et missam in ea quæ subsequitur hebdomada, in propatulo est. Nam in Evangelio Dominus infirmum reguli filium sanat (*Joan.* V), et offerenda narrat de beato Job qualiter Satan a Domino petiit ut tentaret eum et, data ei potestate in facultates et in carnem ejus, perdidit omnem substantiam ipsius, et filios, carnem quoque ejus gravi ulcere vulneravit (*Job* I). Ad resistendum hujusmodi insidiis, hortatur nos Apostolus, exemplo beati Job, confortari in Domino et in potentia virtutis ejus : *Induite vos*, inquit, *armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli* (*Ephes.* V), et cætera, usque ad finem lectionis. Et in Evangelio legimus : *Quia postquam cognovit pater, quia illa hora sanatus est puer in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit, credidit ipse et domus ejus tota* (*Joan.* IV). Domus ejus intelligitur familia ejus. Pro qua familia, id est, Ecclesia de gentilitate collecta, rogat sacerdos his verbis : *Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut a cunctis adversitatibus te protegente sit libera, et in bonis actibus tuo nomini sit devota.* In responsorio Propheta beneficia justi Judicis potestatemque commemorat, dicens : *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX), etc., usque ad finem subsequentis versus. Unde et cantor in introitu confitetur quod in voluntate Domini universa sint posita, et non sit qui possit resistere ejus voluntati. In communione quoque Propheta ex persona beati Job vel sanctæ Ecclesiæ, multimodis persecutionibus subditæ, orat ad Dominum, dicens : *In salutari tuo anima mea, et in verbo tuo supersperavi, quando facies de persequentibus me judicium. Iniqui persecuti sunt me, adjuva me, Domine Deus meus* (*Psal.* CXVIII). Nunc superest tantum ut dicamus de Dominica vigesima secunda post octavas Pentecostes quam convenientiam illud officium totum cum Evangelio habeat, in quo introducitur persona regis, qui voluit rationem ponere cum servis tuis. Cui cum oblatus esset debitor decem millium talentorum, nec haberet unde redderet, misertus ejus, dimisit ei debitum. Sed quia ille noluit misereri conservi sui, iratus Dominus, debitum quod dimisit, repetit, tradiditque eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum (*Matth.* XVIII). Quo hæc parabola tendat, Dominus manifeste denuntiat, dicens : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (*Ibid.*). Quam sententiam Propheta pertimescens, in introitu clamat ad Dominum, dicens : *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit* (*Psal.* CXXIX)? Et quoniam sciebat eum justum judicem esse, hac voce studebat eum benevolum eddere. *Quia*, inquit, *apud te propitiatio est, Deus Israel* (*Ibid.*). Unde sacerdos confidenter Dominum rogat, dicens : *Deus refugium nostrum et virtus* (*Psal.* XLV), *adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, et præsta ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur.* Tunc enim fideliter petimus, si conservis nostris debita dimiserimus, ut et nos a nostris debitis per Dominum absolvi valeamus. Nam et apostolica lectio de observanda fraternæ charitatis unitate satis nos admonet, dum Apostolus seipsum in exemplum ponens inter cætera sic dicit : *Testis enim mihi est Deus quomodo cupiam vos omnes in visceribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiæ per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei* (*Philipp.* I). Quam charitatem commendat responsorium, dicens : *Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Psal.* CLXXII). In offerenda, beata Esther, Ecclesiæ typum gerens, Dominum rogat recordari sui et ut det sermonem rectum in os ejus. Si enim rectus sermo in ore nostro sonuerit, videlicet peccata nostra confitendo, pœnitendo, proximis nostris debita remittendo, statim in communione illa ad nos divina dirigitur promissio : *Dico vobis, gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Matth.* XVI). De vicesima autem tertia Dominica, quoniam tractavi in quadam epistola quam ad Aribonem archiepiscopum de Adventu Domini composui, nunc aliquid dicere supersedeo.

CAPUT VI.

Inter hæc non otiose querendum puto cur auctor officiorum tantummodo viginti tria inter octavas Pentecostes et Adventum Domini, ordinator vero Lectionarii viginti quinque lectiones posuerit, exceptis his quæ in octava Pentecostes et Dominica quinta ante Nativitatem Domini, et in sancta Trinitate legi solent. Quæ si viginti quinque adduntur, XXVIII numerus adimpletur. Qui officia ordinavit, embolismales annos in decennovenali cyclo attendit, in quibus Pascha tardius solet occurrere, et breviora temporum spatia inter octavas Pentecostes et Adventum Domini conficere; alter vero communes, in quibus eadem Paschalis festivitas maturius consuevit provenire. Dicamus sub exemplo, quando ultimus terminus paschalis XIV Kalendis Maii, et ipse Paschalis dies septimo Kalendas ejusdem mensis occurrit, qui diligenter computare voluerit, non plus quam viginti tres hebdomadas ab Octava Pentecostes usque ad Adventum Domini invenire poterit. Et ita accidit ut officium, *Domine in tua*, necessario debeat cantari in ipsa octavæ Pentecostes hebdomada. Quando vero terminus primi Paschæ duodecimo Kalendas Aprilis, ipsum vero sanctum Pascha statim in crastinum, hoc est H Kalendas Aprilis evenit, tunc ab octava Pentecostes usque ad Adventum Domini, completur numerus viginti octo hebdomadarum, juxta computationem Lectionarii, dignus profecto numerus, qui inter has solemnitates Spiritus sancti et Domini Ad-

ventus medius incedat, quia non solum juxta hujus mundi sapientes, eo quod partibus suis consistat perfectus esse dignoscitur, verum etiam magis propter sacramentum septiformis gratiæ et evangelicæ doctrinæ. Nam septenario quater ducto in hanc perfectionis summam excrescit, ut sicut senarius infra denarium, ita et iste infra centenarium numerum perfectus inveniatur. Quod prudens calculator facile intelligere quibit, si partium ejus divisiones diligenter in unum colligit. Nulli vero dubium quin septem ad Spiritum sanctum, quatuor vero pertineant ad Evangelium; quia per septiformem gratiam Spiritus sancti prædicatur Evangelium per quatuor plagas mundi. Si quis vero contentiose conatus fuerit reprehendere, quod in prædictis officiis non æque omnia omnibus ex toto conveniant, hujusmodi responsum a B. Augustino percipiat : Non sane omnia quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa quæ aliquid significant, adduntur. Solo enim vomere terra proscinditur; sed ut hoc fieri possit etiam cætera aratri membra sunt necessaria. Et soli nervi in citharis atque hujusmodi vasis musicis aptantur ad cantum, sed ut aptari possint insunt et cætera in compagibus organorum, quæ non percutiuntur a canentibus, sed ea quæ percussa resonant, his connectuntur. Ita in prophetica historia dicuntur etiam aliqua quæ nihil significant, sed quibusdam adhæreant quæ significant et quodammodo religantur.

CAPUT VII.

De jejunio quatuor temporum.

Terminos rectæ fidei sanctæque doctrinæ posuerunt ab initio Patres catholici, quos omnino nefas est transgredi. Sed et multæ consuetudines ecclesiasticæ inveniuntur a sanctis Patribus infra canonicæ regulæ terminos constitutæ, sicut sunt Adventus Domini, Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, Quadragesima, litania major, dies Rogationum ante Ascensionem Domini, vigiliæ quorumdam sanctorum, nec non et hæc ipsa Quatuor temporum jejunia, quæ præ manibus habentur, aliaque perplura quæ omnia jure perpetuo absque ulla transgressione nobis sunt observanda ac pro lege tenenda, dicente sancto Augustino ad Casulanum presbyterum de jejunio Sabbati : In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta Majorum pro lege tenenda sunt. Accedit etiam hoc quod nihil sine ratione in ecclesiasticis consuetudinibus a sanctis Patribus constitutum reperitur, si causa diligenter inquiritur. Ut ex veterum ac præcipue sancti Augustini sermonibus intelligi potest, necessarium est nostræ religioni annuatim Quatuor jejunia celebrare. Nam Quatuor temporibus volvitur annus : Vere, æstate, autumno, hieme. Hæc Quatuor tempora solent nos per delectamenta sua revocare ab amore Creatoris. Qua de re jejunandum est in unoquoque tempore, ut castigentur nostra quatuor elementa, ne subripiantur a delectatione mundi. Ipsa quatuor elementa conjuncta sunt Quatuor temporibus anni. Ver est humidum et calidum, et in eo facimus unum jejunium ut elementum humoris in nobis castigetur, ne consentiat falsæ pulchritudini veris. Ex humore enim et calore nascitur pulchritudo terræ. Æstas sicca est et calida, in qua alterum jejunium facimus ut castigetur elementum caloris in nobis, ne consentiat incendio carnali. Tertium fit jejunium in autumno, qui est frigidus et siccus, ne aliquo languore animi arescamus ac defluamus, et inveniamur sine pinguedine olei in æterno tabernaculo : etenim illo tempore congregamus quo fruamur in futuro. Quartum jejunium fit in hieme, quæ est frigida et humida, ne membra nostra fluxu atque luxu solvantur in comessationibus et potationibus, et per hoc negligatur amor Dei. At quia Quatuor tempora annorum nos impediunt ad amorem [ab amore] Dei, quatuor jejunia facimus, per singula quæque tempora suum jejunium, unumquodque pro suo tempore. Simili modo diurna curricula quatuor nos impediunt ab amore scilicet cœlestium, matutinum, meridianum, vespertinum, nocturnum. Per hæc etiam quotidie ab amore æternorum retrahimur. In unoquoque tres dies sunt. Quia unumquodque tempus tres menses habet, pro unoquoque mense singuli dies jejunio consecrantur. At vero quia quotidiana peccata aggravant, non sufficit unum jejunium per unumquodque tempus, ac per hoc quadragesimale tempus inducimus, quo quotidiana peccata affligantur. Eadem vero Quatuor temporum jejunia his diebus solent celebrari, scilicet quarta feria, sexta et Sabbato. Ideo quarta, quia Judæi in ea fecerunt consilium ut occiderent Christum; sexta, quoniam occiderunt eum; Sabbato, ex auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, concluditur jejunium, propter tristitiam apostolorum quam de morte nostri Redemptoris habuerunt, sicut Innocentius papa in suis Decretalibus narrat. Sabbato, inquit, jejunandum esse ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac si sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, qui inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusus. In quo etiam Sabbato consecratio ordinum ecclesiasticorum celebratur, causam etiam ejusdem consecrationis sancto Augustino dicente ad Januarium : Sabbatum, inquit, commendatum est priori populo in otio corporaliter celebrandum, ut figura esset sanctificationis in requie Spiritus sancti. Nusquam enim legimus in Genesi sanctificationem per omnes priores dies, sed de solo Sabbato dictum est : *Sanctificavit Deus diem septimum* (*Gen.* II). Quia ergo charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V), ideo sanctificatio in septimo die commemorata est, ubi requies commendatur. Nunc de lectionibus videamus. In

quarta feria duæ lectiones leguntur, ut hi qui in Sabbato sunt consecrandi, admoneantur ut notitiam legis et prophetarum habeant, quæ maxime in quarta ætate vigebant. Sexta feria una tantum legitur, quia lex et prophetia in uno Evangelio recapitulantur, quod nunc in sexta mundi ætate prædicatur ac legitur. De duodecim lectionibus, quæ prætitulantur in libro Sacramentorum, die Sabbati, sic in litteris Patrum reperitur scriptum : Sex lectiones ab antiquis Romanis Græce et Latine legebantur. Qui mos apud Constantinopolim hodie quoque servatur propter duas causas : unam, quia aderant Græci, quibus incognita erat Latina lingua, aderantque Latini, quibus incognita erat Græca ; alteram quoque, propter unanimitatem utriusque populi. Duodecim lectiones dicuntur propter duodecim lectores, non propter duodecim sententiarum varietates. Sex lectiones sunt tantummodo in sententiis. Neque enim si dixerimus Amen, verum, propterea duas veritates intelligere debemus, sed unam. Sed de his hactenus nunc ad propositum redeamus. Quæstio tua, si rite recordor, talis erat, ut scire optares utrumnam statim in primo Sabbato Martii sit jejunandum, etiamsi idem mensis quinta, sexta aut septima feria incipiat, an ad aliud Sabbatum propter quartam feriam sit differendum. Ad quod tibi ex consuetudine sanctæ Ecclesiæ, quæ pro maxima auctoritate tenenda est, respondeo : quod absque ulla refragatione semper ejusdem mensis quarta feria debeat exspectari, quoniam idem jejunium, quod quarta feria incipitur, Sabbato finitur ; nequaquam Februario, sed totum Martio deputatur, ea videlicet ratione ut in eo mense primum jejunium nostrum Domino consecretur, in quo principium anni ac ipsa creatio mundi cœpit. Unde iste terminus firmiter est observandus, ut nec ante IV Nonas Martii, nec post VI Idus ejusdem mensis aliquis statuat jejunandum, sed in his septem diebus ubicunque primum evenerit jejunare licite valebit. Ex quo velut intellectuali quodam filo rectissimæ regulæ linea, per quatuordecim hebdomadas usque in secundum Junii mensis Sabbatum, itemque inde per alias quatuordecim, ad tertium Septembris Sabbatum : item sive per tredecim, sive per quatuordecim, ad illud proximum ante Nativitatem Domini Sabbatum, ut absque errore eorumdem Sabbatorum termini possint inveniri. Ad hoc demonstrandum constituantur feriæ septem cum diebus totidem mensis Martii, id est, a quarta Nonarum usque in septimam Idus, per quos primi Sabbati termini solent variari, et his inspectis res ipsa se nobis aperiat. Ut enim ab ultimo incipiamus, Martius aut quinta feria incipit, et Sabbatum in quo est jejunandum sexto Idus occurrit ; aut mensis sexta feria, Sabbatum vero septimo Idus ; aut ille feria septima, istud vero octavo Idus ; aut mensis prima, quæ est Dominica, et Sabbatum Nonis ; aut si ille feria secunda, istud postridie Nonarum. Si vero tertio, istud tertio Nonas ; at si Martius feria quarta, Sabbatum quarto Nonas. Si ex his singulis terminis adhibita computatione ad terminos Septembris per quatuordecim hebdomadas aciem recte dirigis, liquido pervidebis, in quarto seu septimo mense quartas ferias juxta sui quantitatem suis Sabbatis minus deesse, excepto Septembri, quando ipse incipit feria quinta, Junius quarta, Martius tertia. Qua ex re sic eveniat, prudenti calculatori ad indagandum nequaquam erit difficile. Ex his omnibus ratio manifesta docet, firmius ac stabilius esse argumentum, quod ex hebdomadarum numero collectum nunquam nutat, quam quod ex feriarum consideratione compilatum aliquando vacillat. De mense vero decimo nihil aliud dicendum est, nisi ut proximum ante Nativitatem Domini semper observetur Sabbatum, excepto quando vigilia evenerit in sexta feria. Scio me pro certo ita dixisse, et quam verum sit etiam in hac re, de qua præsens tractatus habetur, qua potero brevitate ex dictis, majorem curabo demonstrare. Igitur Amalarius divinorum officiorum indagator solertissimus, cujus dicta catholicorum virorum sententiis fulgent munita, cum de iisdem disputaret jejuniis, sic inter alia dicit : Primi apostolici semper in Decembri mense, in quo Nativitas Domini nostri Jesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant, usque ad Simplicium, qui fuit a beato Petro quadragesimus nonus. Ipse primus consecravit in Februario, ni fallor, nullam ob aliam causam, nisi intimando conjungendos propinquius Christi corpori, qui per sacrum mysterium provehuntur. Quod nullo modo satius fieri potest, quam si per eos patriarchas, ex quibus Christus natus est, generentur. Quod impossibile est secundum carnem, secundum spiritum dignum et habile, hoc est, ut per interpretationes nominum patriarcharum nascantur mente, qui genealogiæ Christi videntur familiarius adsciscendi. Et quia incongruum est, sicut unicuique generationi singularis hebdomada deputatur, ita per unamquamque hebdomadam consecrationem celebrari, causa congruenti per singula tempora, quæ convenire possunt virtutibus et interpretationibus patriarcharum, qui in articulis genealogiæ positi sunt, consecratio celebratur spiritualis. Per tres tesseradecades annuales, fiunt hebdomadæ quadraginta duæ. Tot generationes secundum Matthæum Christi sunt cum ipso, tot enim hebdomadæ inveniuntur, a primo Sabbato primi mensis usque ad quartum Sabbatum decimi mensis. Consecratio prima celebratur primo Sabbato primi mensis, quæ quasi in loco Abrahæ generat Christum. Abraham interpretatur *pater multarum gentium*, cui dictum est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). Si quis consecratus stat in semine multorum convertentium per sua exempla ad Deum, est a primo patriarcha Abraham genitus, est ipsum semen Christus, in quo semine promissum est Abrahæ benedici omnes gentes. Ipsa consecratio verno tempore celebratur, quod tempus habile est procreationibus. Nam et Abraham tertia ætate fuit hujus mundi, quæ ætas compa-

ratur adolescentiæ, quæ habilis est' generationi filiorum. Secunda consecratio est in quarto mense, secundo Sabbato, quod est initium secundi catalogi quatuordecim hebdomadarum. Hæc deputatur in loco filiorum David. David interpretatur *manu fortis*, ipse prostravit Goliath, id est, humilitas superbiam. Qui consecrantur, propterea consecrantur ut fortes sint et per humilitatem dejiciant superbiam. Ipsa celebratur in Junio mense, quando fervor magnus solis est super terram. Omnibus notum est David bellicosum fuisse. Tempus Junii aptum est bellis. Tertia consecratio celebratur in Septembrio tertio Sabbato, quod est initium tertii catalogi. Hæc deputatur generationi Jechoniæ. Jechonias interpretatur *præparatio Domini*. Nullique dubium, si omnes oportet præparari in Adventum Domini, quin potissimum eos qui consecrantur. Neque hoc sine ratione est si computetur catalogus novissimæ tesseradecadis, et semel computetur Jechonias, non amplius inveniuntur cum ipso Christo quam tredecim generationes; si ipse bis computetur, quatuordecim inveniuntur. Sanctus Augustinus causa mysterii perhibet factum esse quod Jechonias, qui interpretatur *præparatio Domini*, bis numeretur in fine prioris et in capite sequentis catalogi, *lapidem angularem*, id est, Christum significans : in quo præparavit Deus pater duos populos quasi parietes in unam jungere domum. Quanquam beatus Hieronymus vitio scriptorum et longitudine temporum inter Græcos et Latinos confusum esse narret, et patrem qui in Hebræo Joachim nominatus est, non in Chaldæam ductum, sed defunctum in terra sua, et filium Joachim de captivitate redeuntem Salathiel genuisse affirmet. Igitur supradictus doctor voluit intelligi ut tredecim et quatuordecim hebdomadæ præfigurarent in mysterio, quod Jechonias semel aut bis poneretur in catalogo. Enimvero omnibus annis tredecim inveniuntur, exceptis his, hoc est, quando Martius feria tertia vel quarta, Nativitas vero Domini nostri Jesu Christi Dominica aut secunda feria acciderint. De hoc jejunio, quod in ipsa solebant vigilia antiquiores celebrare, supra nominatus dixit Amalarius : Quæ consecratio habet finem in ipsa Nativitate Christi, sicut quorumdam Italorum, nescio an omnium, adhuc mos est agere ut ego ipse ibidem positus cognovi; sed usus in nostris excrevit Ecclesiis ut in anteriori hebdomada anticipetur, quia illa duo officia jejunii et Natalis Domini non conveniunt simul celebrari. Nam et sicut præveniendo istud anticipamus, ita secundum Sabbatum Junii mensis cum vigilia Pentecostes si provenerit, prolongando in proximum differimus, licet nostri antecessores utrumque in ipsa vigilia sancta simul celebrarent, sicut prætitulatione librorum evidens habemus testimonium. Quid adeo opus est, nunc inquiri, quod tam longo tempore cœpit dedisci? attamen ne hujusmodi scientia frauderis, talis inscriptio super hac re habetur in libris nostris : Si evenerint duodecim lectiones in Sabbato sancto Pentecostes, tunc in quarta feria cantetur et legatur antiphona : *Exaudi, Domine :* missa [oratio], *preces nostras quæsumus, Domine.* Require in prima hebdomada Quadragesimæ. Lectio : *Dixit Salomon.* Item oratio : *Devotionem populi.* Lectio Isaiæ prophetæ : *Audi, Jacob.* Alleluia : *Domine Deus salutis.* Evangel. secundum Lucam : *Accedentes discipuli.* Offert : *Viri Galilæi.* Communio : *Pater, cum essem.* Feria sexta antiphona : *Exaudi, Domine :* missa [oratio] : *Esto, Domine, propitius.* Lectio : *Exsultate, filiæ Sion.* Alleluia : *Domine, refugium factus es.* Evangelium secundum Lucam : *Venit ad Jesum vir nomine Jairus.* Offert : *Viri Galilæi.* Communio : *Pater, cum essem.* Sabbato omnes parati primitus cantent litaniam. Deinde *Kyrie eleison; Gloria in excelsis Deo.* Postea oratio : *Mentibus nostris.* Alia : *Illo nos igne.* Tertia : *Deus qui ad animarum.* Quarta : *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut salutaribus jejuniis.* Quinta : *Præsta, quæsumus omnipotens Deus, sic nos.* Subsequuntur lectiones cum gradualibus : *Propitius, Protector, Ad Dominum, Dirigatur et Benedicite.* Ad missam : *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut cleritatis.* Lectio : *Cum Apollo esset Corinthi.* Alleluia : *Confitemini.* Tractus : *Laudate Dominum.* Evangelium secundum Joannem : *Si diligitis me.* Offert. : *Emitte spiritum.* Comm. : *Ultimo.* Utique secundum consuetudinem antiquam. Gradualia, sicut non solum in nostris libris habetur insertum, sed etiam, ut in quodam ordine secundum sancti Gelasii papæ auctoritatem reperi prætitulatum. Qui mos usque hodie, ut compertum habemus, in sancta Romana servatur Ecclesia. Videtur quoque id huic narrationi assensum præbere, quod in authenticis Antiphonariis duo tantum *alleluia* inveniuntur descripta; hoc est : *Emittes Spiritum*, et *Spiritus Domini;* cætera vero a modernis sunt composita. Quapropter intuendum est quia si in monasteriis *alleluia* cantus abundat, quid simplices villarum presbyteri agunt, qui vix duorum tantum notitiam habent? Ut omnium vulgari proverbio utar, aut cantant quod sciunt, aut tacere compelluntur quod nesciunt. Non tamen hæc scribens, sanctissimorum auctoritatem sacerdotum præjudico, quos in sancto Spiritu congregatos, jamdudum audivi in synodalibus suis decretis statuisse ut magis debeant *alleluia* decantari; sed simpliciter quæ sentire potui ad interrogata respondere curavi, consulere volens etiam, si possum, mei similium imperitiæ, qui tot *alleluia* non norunt cantare. Sic in quodam libello de hoc ordine legi per singulas orationes, debemus mentis humilitatem per genuum flexionem ostendere, excepto infra Pentecosten. In sola oratione de camino ignis non flectimus genua, quando Nabuchodonosor compellebat populum adorare statuam quam fecerat, ut separata sit nostra oratio, quæ est ad unum Deum, ab errore gentium. Similem ob causam etiam in Parasceve genua non flectimus pro perfidis Judæis, qui illudendo genua flectebant coram Deo.

ne videamur illos imitari qui opus bonum studebant male operari : quemadmodum tunc ab osculo abstinemus, propter Judæ traditoris exemplum, qui per simulatæ pacis osculum tradidit Dominum Jesum Christum. Si quis jejunia Quatuor temporum legitimo ordine celebrare desiderat, supra scriptum argumentum ex sententiis sanctorum Patrum collectum observare non negligat. Primum Sabbatum Martii, cum præcedente ejusdem mensis quarta feria, nota diligenter, et ab ipso quatuordecim hebdomadas usque in secundum Junii mensis Sabbatum computa, iterumque alias quatuordecim hebdomadas abhinc usque in tertium septembris Sabbatum, quod nullo modo te fallit, connumera, indeque proximum Sabbatum ante Nativitatem Domini, sive quatuordecim, sive tredecim fuerint, semper observa; et in his singulis quatuor Sabbatorum diebus, absque ullo errore occurret tibi legitime illud jejunium, quod in Sacramentorum libris prætitulatur cum duodecim lectionibus celebrandum. Quod si vigilia Natalis Domini in Sabbato venerit, in hebdomada priori idem jejunium debet anticipari.

BERNONIS

ABBATIS AUGIÆ DIVITIS

LIBER

QUALITER ADVENTUS DOMINI CELEBRETUR QUANDO NATIVITAS DOMINI FERIA SECUNDA EVENERIT.

(Pez, *Thesaurus Anecd.* IV, II, 39.)

Incipit epistola Bern. Augiensis monasterii abbatis, ad Aribonem Moguntinum archiepiscopum, de eo qualiter Adventus Domini hoc anno celebrari debeat quando Nativitas Domini secunda feria evenerit.

Summæ dignitatis apice sublimato Ariboni archiepiscopo, per quem in area Domini bona conservis fideliter administratur tritici mensura, Bern, etsi vile Dei Matris mancipium, illud servi boni Euge optat in proœmium.

Quoties in Ecclesiastici ordinis ritu minus concordamus, oportet ut ad consilium magistrorum recurramus, per quos, ut Scriptura testatur, Sapientia divina profunda fluviorum scrutata est et abscondita produxit in lucem, legislatore id etiam præcipiente : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi ; majores tuos, et dicent tibi.* Hujus rei gratia te potissimum, piissime Pater, de his quæ in dubium de Dominici Adventus celebratione venerunt, consulendum censuimus, cui superna providentia tantam scientiæ plenitudinem donavit, ut te per aquam divinarum Scripturarum non solum usque ad talos vel ad genua, seu etiam usque ad renes transduceret ; verum etiam ad ipsum torrentem quem non possis transire perduceret : *Quoniam*, inquit, *intumuerant aquæ profundæ torrentis, qui non potest transvadari.* Qui etsi non pertransiri, ad illum tamen ipsa Dei sapientia adjuvante, quæ per torrentem designatur, potest perveniri. Igitur hujus aquam torrentis, quem nullus mortalium transire potest, aliquatenus tange, ac aliquem intelligentiæ gustum sitibundis pectoribus nostris præbe.

CAPUT PRIMUM.

Proponitur argumentum præsentis quæstionis, et afferuntur diversæ sententiæ, statuiturque non nisi quatuor hebdomadas Adventui celebrando dandas esse.

Ut enim apertius unde quæramus agnoscas, intimamus quod tamen jam dudum te latere minime credimus, quotiescunque Natalis Domini in secunda feria, velut in præsenti anno, evenerit, magnus error per Ecclesias Dei se infundit, aliis dicentibus non debere plus quam quatuor dies Dominicos cum ipsa sacratissima Dominicæ Nativitatis vigilia celebrari ; aliis vero e regione contendentibus, magis oportere quatuor plenas hebdomadas Adventum Domini habere, quintum diem Dominicum specialiter vigiliæ Domini dedicantes, nullum aliud, ut investigare potuimus, defensionis suæ argumentum vel rationem habentes, nisi ut illa quatuor officia, quæ in nocturnalibus Antiphonariis inveniuntur, vel lectiones sanctorum Evangeliorum nec non et apostoli plenius adimpleantur.

Ad hæc alii pleniorem veritatis ratione subnixam antiquorum, beati videlicet Gregorii papæ ac presbyteri Hieronymi, proferunt sententiam, quorum alter in libro *Sacramentorum*, id est : Missali, ita prætitulavit : *Dominica prima de Adventu Domini; Dominica secunda ; Dominica tertia ; Dominica quarta, quæ proxima est ante Natale Domini.* Alter vero in Lectionaria, quem *librum Comitis* appellavit, sic : *Dominica quarta ante Natale Domini* (quam Amalarius presbyter *præparationem Dominici Adventus* nominavit), deinde *Dominica quarta ante Natale Domini; Dominica tertia ante Natale Domini ; Dominica secunda ante Natale Domini ; Dominica prima ante Natale Domini*, ut converso modo, quæ apud Hieronymum dicitur prima vel proxima ante Natale Domini, apud Gregorium dicatur Dominica quarta de Adventu Domini,

non inconvenienter, ut reor, propter quinque hujus sæculi ætates, in quibus humanum genus sub jugo diaboli captivum tenebatur, quousque per intactæ Virginis uterum nascendo carne appareret, qui carnis peccata per sui corporis hostiam aboleret et initium sextæ sequentis ætatis sanctificaret. Vel quia interior noster homo per quinque sensus corporis corrumpitur, ita ut in nobis mors operetur, sicut propheta dicit : *Introivit mors per fenestras vestras;* quatenus in his quinque hebdomadibus hospitium mentis illi regi nostro præparetur, quem prophetica lectio in ipsa hebdomada quinta his verbis pronuntiat venturum : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum.*

Item in Antiphonario diurno post tria officia statim sequitur jejunium, deinde Dominica vacat, ut ex hoc liquido comprobetur quantum etiam in hoc delinquant qui in præsenti anno jejunium, quod præcedere debuit, post Dominicam quæ vacat ponunt, Adventum Domini inchoantes VI Kal. Decemb.

Quod si hoc caventes prius jejunant, nihilominus contra Patrum instituta agunt, qui jejunium decimi mensis semper in proximo Sabbato ante Natale Domini celebrandum statuerunt. Quaternarium vero numerum, quem, ut supra notavimus, S. Gregorius in quarta Dominica de Adventu Domini diebus posuit tali celebrans sacramento : ut homo, qui quatuor consistit elementis, per quatuor hebdomadas ejus exspectet Adventum, quem per tres ordines librorum, legis scilicet, prophetarum, psalmorum olim promisit, et per quartum, id est principium Evangelii, angelo sanctæ Mariæ semper virgini conceptus ac nativitatis ejus ordinem narrante, ad salutem humani generis, certissime scimus huic mundo præsentatum. Et ne tanta illa parvitatis meæ attestatio, quam ex aliorum magis quam ex propria prolui sententia, videatur parvipendenda, majorum dicta ponantur in medio, ut vel ex his liquido comprobetur quorum usus rectior habeatur.

CAPUT II.

Idem confirmatur ex Amalario, Fortunato et Beda.

Ait nempe Amalarius (lib. III *Eccles. Offic.*, c. 40), divinorum officiorum scrutator non contemnendus : « In antiquis libris Missalium et Lectionariorum reperitur scriptum, hebdomada quinta ante Natale Domini : totidem enim lectiones habentur in Lectionario, et totidem Evangelia a tempore memorato per dies Dominicos usque ad Nativitatem Domini. Antiphonarius habet tria officia diurna, et quartum in die Dominico, qui vacat, post lectiones duodecim; nocturna vero quatuor, ut superius dixi, per dies Dominicos. Auctor Lectionarii excitat fidem nostram ad recolendum Domini nostri Jesu Christi venturi in mundum præconium per quinque ætates mundi. Auctor missalis qui nominatur Gregorialis, et Antiphonarii, nos tangit, ut recolamus nativitatem Domini celebratam per tres ordines librorum, scilicet legis, prophetarum et psalmorum, nec non et per quartum, id est principium Evangelii, in quo narratur Gabriel archangelus missus ad Zachariam, videlicet nuntius nativitatis præcursoris Domini. Verum etiam et prophetia Zachariæ de Adventu Domini, et Gabriel missus ad Mariam virginem narrans ei conceptionem Salvatoris nostri, et cætera talia usque ad ipsam Nativitatem. Nempe et ipsa quarta hebdomada, hoc est, quæ proxima est ante Natale Domini, sive in qua celebratur, singularis est. Habet in matutinali officio per unamquamque feriam antiphonas proprias in psalmis. Et alio modo auctor Lectionarii docet nos quam fortis sit Dominus, qui venturus est ad nos, et intraturus domum nostram, ut in ea habitet, quam solemus sordidare quinque sensibus nostris. Illices formæ intrant per oculos, suspicio mala de fratre per aures, odor libidinosus per nares, per os ingluvies polluit, per tactum crudelitas. In sordibus non vult habitare rex venturus. Nisi itaque purgetur hospitium, ut nec saltem pulvis talium phantasmatum remaneat, non dignabitur hospes venturus intrare in illum. Ideo scribit auctor quinque lectiones quinque hebdomadarum ut nos hortetur circumcidere quinque sensus nostros ab omni vitio, et parare mansionem dignam regi et Domino atque vero prophetæ.

« De ipso rege dicit prima lectio : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit.* Et iterum de Domino : *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et iterum in Evangelio de propheta : *Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.*

« Auctor Missalis sive Antiphonarii eamdem præparationem hortatur nos facere per quatuor hebdomadas. Sicut enim homo internuntiis quinque sensibus ad animam bene aut male operatur; ita per quatuor elementa aut ruit ad mala corporalia, aut surgit ad bona. Quapropter hortatur nos, ut dixi, auctor memoratus, ut, si usque modo torpuimus negligentia, dehinc surgamus ad mundandam domum nostram, ut qui non excitatus est in quinta hebdomada, saltem surgat in quarta. Ipsum enim sonat lectio quæ legitur in quarta hebdomada : *Scimus quia hora est jam nos de somno surgere*, et reliqua.

« Non dubito, propterea cantorem in memorata hebdomada cum tuba suam exaltare vocem : *Ad te levavi animam meam*, ut excitet eos qui in quinta hebdomada sopore negligentiæ oppressi sunt.

« Quomodo autem nostram domum præparare debeamus, in sequentibus memorata lectio monstrat : *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum.*

« Eamdem præparationem inculcat in aures cordis nostri Sacramentarium : *Suscipiamus*, inquiens, *Domine, misericordiam tuam in medio templi tui, ut reparationis nostræ ventura solemnia congruis honoribus præcedamus.*

« Si quis voluerit nostra dicta infringere, quasi non sint quatuor hebdomadæ plenæ a memorata Dominica usque in Nativitatem Domini, videtur mihi

ignarus esse regulæ sacræ Scripturæ, quæ a parte totum solet implere. »

His verbis satis datur intelligi quod hanc sacræ Scripturæ regulam, quæ non solum a parte totum, sed etiam aliquando ex toto partem significat, ii transcendant qui in Nativitate Domini non quatuor, sed quinque Dominicos dies annumerant. Astipulatur huic narrationi illud famosissimi ac sapientissimi calculatoris, domni videlicet Bedæ, argumentum, si tamen ipsius et non alterius esse conceditur, toto pene orbi, ut puto, notissimum. « Notum, inquit, sit omnibus hominibus ut quicunque Adventum Domini diligenter voluerit celebrare, videat ut nec ante v Kal. Decemb. inchoet, nec III Nonas ipsius mensis transeat, sed in his septem diebus, ubicunque dies Dominica advenerit, ibi sine dubio celebrare valebit. »

Hunc morem tota, tota pene, ut fertur, observat Gallia ac ipsa civitas Romana, quondam mundi domina, ut per veracissimos relatores ac præcipue sanctæ recordationis Adalboldum episcopum, qui scriptis nostris pulsatus Romæ positus hoc requisivit, didicimus, quamvis postea nescio qua de causa aliter agerent: Placentina tamen, ut ipsi ego eodem in tempore et audiendo et videndo cognovi, aliisque Italiæ civitatibus antiquæ institutionis regulam servantibus. Sed et abbas Herigerus, vir non parvæ auctoritatis nostris temporibus, proprium super hac re libellum composuit, in quo, ut asserunt qui illum legerunt, probabilibus argumentis eos convincit contra Patrum instituta agere, qui plus quam quatuor Dominicos dies Adventus Domini celebrare contendunt.

CAPUT III.

Objectio contra dicta dissolvitur.

Quod vero ex adverso objiciunt, ideo quatuor Dominicos dies excepta vigilia Domini debere celebrari, ut illa quatuor nocturnalia officia vel sancti Evangelii, seu Apostoli lectio in illa Dominica, quæ vacat, possint impleri, facili responsione potest enervari. Quis enim non videat incongruum valde esse propter tria vel quatuor responsoria, quæ retroactis hebdomadæ diebus, si tamen ita visum fuerit, decantari, vel sancti Evangelii seu Apostoli lectio, quæ feria tertia ante jejunium, sicut in Italiæ regionibus nos ipsi agere audivimus ac vidimus, vel potius in ipsa Dominica, quando vigilia celebratur cum hymnis matutinalibus, primo mane possint adimpleri, tam mysticas rationes quatuor hebdomadarum evacuari debere?

Non utique quarta Dominica Adventus Domini vacaret, si proprium officium haberet. Introitus, *Memento*, in nullo authentico invenitur Antiphonario; sed ipsum officium a quodam pro libitu est superadditum, ideoque nec summopere est curandum, si pro rationabiliori causa aliquando fuerit intermissum. Vacat enim ista, quemadmodum et cæteri tres Dominicæ dies, qui simili modo ponuntur post duodecim lectiones, quibus tamen minime desunt lectiones Epistolarum atque Evangeliorum ad implendum numerum quinquaginta duarum anni Dominicarum. Habentur enim inter Natale Domini et Septuagesimam officia quatuor per dies Dominicos, a Septuagesima usque in Pascha octo (nam nona in medio vacat), a Pascha vero usque in octavas Pentecostes octo. Deinde sequuntur viginti tres usque in Adventum Domini. In Adventu Domini tres tantum ponuntur, quarta, ut supra diximus, vacante. Quatuor et octo, itemque octo atque viginti tres, et tres fiunt quadraginta sex. His adde quatuor Dominicas vacantes, et unam, quæ est præparatio Dominici Adventus, nec non de sancta Trinitate, summam quinquaginta duarum Dominicarum videbis adimpletam esse.

At vero missæ in libro Sacramentorum plures inveniuntur appositæ, utpote post Theophaniam abundant tres, post octavam Pentecostes una, et una in septimo mense, quando jejunium est celebrandum, non incongruo, ut puto, ordine, ut quinarius, qui quinquagesimum secundum numerum hic supergreditur, quintæ nihilominus Dominicæ ante Natale Domini per verba deprecationis adunetur. Sic enim orat sacerdos: *Excita, Domine, quæsumus tuorum fidelium voluntates*, etc. Quanquam et in quibusdam Missalium libris etiam altera, nescio a quo, inveniatur composita. Quod si in aliquibus plures inveniuntur libris, non tamen authenticis.

His ita sese habentibus, eos qui tanto annisu hoc anno unam hebdomadam Dominico Adventui conantur adjicere, libet percontari quidnam agendum censeant, cum primum Pascha in XI Kal. April., Septuagesima vero XV Kal. Febr. evenerit, et ob hoc duo officia, quæ sunt: *Omnis terra, Adorate*, velut minus necessaria remanebunt, nisi forte priori, id est: *Omnis terra*, tali modo locum dent, ut ante Epiphaniam: *In excelso throno* contra morem canant, cum in omnibus authenticis Antiphonariis id ipsum ita prætituletur: *Dominica I post Epiphaniam Domini.*

Non solum hoc, sed et responsoria: *Domine, ne in ira*, nullum diem Dominicum poterunt attingere, octava Epiphaniæ proxima tertia feria ante Septuagesima occurrente. Quod si ita est, imo quia ita est, unum horum necesse est intelligant, aut ut hæc omnia, id est: officia, responsoria: *Domine, ne in ira*, lectiones quatuor, missas quinque, omnino quasi non necessaria prætermittant; aut ubi locorum possint, interserant, et concedant nobis, id una tantum missa et una lectione apostolica seu evangelica agere, quod sibi putant in plurimis licere. Alioquin terminum paschalem eotenus transferant, quatenus illa duo officia, ne dicam lectiones et missas, inter Epiphaniam et Septuagesimam locum inveniant, et nos illis concedimus Adventum Domini anticipare, ut Dominica quæ vacat, cum integritate hebdomadæ possit vigiliam Natalis Domini hoc anno præire.

Quod si respondebunt hoc canonica auctoritate esse prohibitum, et nos veraciter dicimus quia ritum quo Adventum Domini celebramus, a sanctis

Patribus Gelasio, Gregorio, Hieronymo atque Hilario indubitanter accepimus, quæ velut bases consistunt in sanctæ Ecclesiæ fundamentis, quorum sententiis nolle acquiescere transgressio est legis divinæ.

CAPUT IV.

Implorat Berno Aribonis auctoritatem, ut ne plures quam quatuor Adventus Dominicas celebrari permittat.

Hæc esse etsi ita credimus, haud facile tamen aliis persuadebimus. Quapropter ex sanctæ sedis tuæ auctoritate sententia prodeat, quæ sanctorum Patrum instituta servare decernat, ne sanctæ matris Ecclesiæ filii, in schisma diversi, minus unanimes possint habitare in domo Domini. Nam ex dulcissimo sacri pectoris tui fonte purum hujus scientiæ potum tandem haurire cupimus, ne per varios errorum rivulos diutius a vero nos aberremus, ut illa valeas mercede donari quam Dominus per prophetam talibus verbis dignatus est polliceri : *Beati, qui seminatis super omnes aquas.*

Dilectus Ecclesiæ Sponsus, qui quotidie descendit in hortum suum ad areolam aromatum, te pascentem in hortis virtutum, inter lilia castitatis convallium post hujus vitæ terminum colligat in horreum suum! Salutat te humilis Augiensium fratrum catervula, semper tui memor inter sacra orationum libamina.

Rescriptum Aribonis archiepiscopi.

Sanctitatem vestram ævo sempiterno intemeratam conservare optantes, circumspectæ vestræ in his, quæ ad Dominum sunt, sollicitudini gratulamur. Tandem etiam vestris bene et artificiose inventis, optime dispositis, facunde elocutis, et postremo firma memoria pronuntiatis, ex animo favemus tractatibus, et, si qua illa est pontificatus tantilli auctoritas, ejus, sicut rogastis, manum imponimus cis. Fecundet Dominus et amplificet tantam in vobis gratiam, ut, si quod adhuc etiam, in quo Ecclesia offendat, obstaculum restare senseritis, eadem cautela propellere velitis et industria.

De cætero, orationibus vestris et sancti examinis sub vestro regimine mellificantis recreari optamus; et qui nunc sub crucis habitu assi piscis parte cibamini, ut quandoque favo mellis digni habeamini, me quoque a longe haud strenue certantem et interdum statione relicta loco cedentem, precibus vestris revocare velitis, sollicite rogamus.

BERNONIS ABBATIS AUGIENSIS

RATIO GENERALIS

DE INITIO ADVENTUS DOMINI SECUNDUM AUCTORITATEM HILARII EPISCOPI.

(Apud Pez, *ubi supra*, 49.)

Sciendum sane est et omnibus orthodoxis fidelibus memoriter retinendum, quia sicut præcipua currentis anni tempora propriis sunt terminis præfixo tenore contenta, hoc est : Septuagesimale, quod septuaginta trium dierum spatio conficitur, et quadragesimale, quod quadragenis binisque constat diebus, nec non et paschalis solemnitatis terminus, quia a XII Kal. Aprilis usque XIV Kal. Maii per X et XI annos variatur; Rogationum quoque, quarum terminus omni tempore a pridie Non. Maii quæritur, et est luna XX mensis Maii; Pentecostes terminus a XIII Kal. Junii semper inquiritur, qui est luna IV mensis Junii; ita ergo terminus inchoationis Adventus Domini immobili limite constat secundum fidem Nicæni concilii a V Kal. Dec. usque in III Non. ejusdem mensis. Nam septem dies in medio variantes ostendunt procul dubio singulis annis Dominicam, in qua, absque refragatione aliqua, sancta per orbem Ecclesia Adventum Domini præconando aggreditur.

Et ita contingit, ut si quarumdam more Ecclesiarum a VI Kal. Decemb. idem terminus figatur, proxima hebdomada Nativitatis Domini superflua tota inveniatur at nequaquam vacillans. Sanctum quippe a Patribus mystica auctoritate est, quatenus ille præoptabilis Domini Adventus non nisi trium hebdomadarum præstolatione suppleatur. At si quarta propter varietatem quatuor dierum, qui in præfato termino versantur, succrescat, per speciem synecdochæ, id est, tota ex parte computetur, eo quod tota non vacando expendatur, sed in Sabbato ejus tandem vigilia Domini celebretur.

Quæ, inquiunt, ratio est ut quatuor hebdomadæ in præconio Adventus Domini funditus expleantur, et quinta intrante vigilia Domini habeatur? Si in III Non. Decemb. inchoatur, ubi ultima Dominica ejusdem termini invenitur, non expenduntur in Adventu Domini nisi tres hebdomadæ plenæ etiam celebratis legalis jejunii solemniis, quarta demum accrastinante vigilia Domini in Dominica occurrit.

Hæc autem causa est, quia præfata Patrum sententia fulcitur. Omnis enim Omnipotentis Verbi humanati dispensatio, sanctæ Trinitatis individua est operatio. Et quanquam ad solum Filium respiciat humanitatis assumptio, tamen ad totam Trinitatem pertinet effectiva nostræ redemptionis consummatio. Quapropter æquum per omnia fore et condecibile censetur, quatenus tres tantum hebdomadæ observentur in Adventu Domini. Quod si aliquid supercrevit, synecdochicos accipitur, ne tanti mysterii regula præsumptive, quod absit, annulletur.

Est autem et alia ejusdem negotii ratio haudquaquam vilipendenda, qua gloriosus Ecclesiæ auctor et doctor eximius Hilarius in libro utitur Officiorum : « Sicut, inquiens, pater familias in Evangelio

trino adventu infructuosam ficulneam visitavit : sic sancta mater Ecclesia Salvatoris adventum annuo recursu per trium septimanarum secretum spatia [*alter cod.*, spatium] sibi incitavit. *Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere, quod perierat.* Venit ante legem, quia per naturalem intellectum quid unicuique agendum, quidve sequendum sit, innotuit. Venit sub lege, quia patriarcharum exemplis et prophetarum præconiis Abrahæ legalia confirmavit decreta. Venit tertio post legem per gratiam ad vocationem gentium, ut a solis ortu usque ad occasum laudare discerent [*codd.*, discernerent] pueri nomen Domini, quousque ad finem mundi ad suæ majestatis cultum exhortari non desinit. » Hæc sunt, quæ apud Gallos positus ex libro Officiorum sancti Hilarii non inutiliter mihi corrasi.

Confirmatio ejusdem sententiæ.

Sed ne ea quæ hactenus Patrum vestigia sequendo retulimus, amphibola [*ita cod.*] fortasse videantur, operæ pretium duximus ut, qualiter eadem auctoritas in nostra quoque præsentia apud urbem Aurelianensem multorum conventu episcoporum atque spiritalium Patrum diffinitione subnixa sit, referamus.

Contigit namque quodam anno, mediante decennovenalis cycli curriculo, ut Aurelianenses canonici causa agente negligentiæ in VI Kal. Decemb. Adventum Domini inchoarent. Transacta quippe illa hebdomada exstitit octava dies, quæ est III Non. Decemb. Et nos Floriacenses fratres, monachi videlicet beatissimi Patris Benedicti, initium fecimus Adventus Domini. Cumque in crastinum, quod est II Non. Dec. festum haberetur illationis ejusdem Patris, et præfati canonici tantæ festivitati ex more concurrerent, et nos ex consuetudine monastica matutinalem celebramus missam de Adventu Domini, quem pridie [*In alt. cod deest :* pridie] inchoavimus, cœperunt ipsi Aurelianenses valde inter se mussitare et nos incaute arguere.

Sed quia tanta tanti Patris solemnitas nos a responsione suspendebat, in crastinum res admodum ventilata est. Et quia sine præsentia ejusdem urbis episcopi finiri non potuit, placuit sine mora omnibus Francigenis episcopis apud jam dictam urbem concilium super Adventu Domini agere. Ibi nos quippe Floriacenses Patrum auctoritate armati et ingladiabiliter perarmati adfuimus, et ita contradicentes in omnibus convicimus, ut in æternum eis silentium super hoc negotio imponeremus. Ex illo die et deinceps non est apud Gallos vel Germanos præsumptor inventus, qui huic tam sanæ diffinitioni vellet contraire. Quapropter si est unus Dominus, una fides, unum baptisma, sit et una Ecclesiæ unanimitas.

BERNONIS
ABBATIS AUGIÆ DIVITIS
DIALOGUS
QUALITER QUATUOR TEMPORUM JEJUNIA PER SUA SABBATA SINT OBSERVANDA.

(Apud Pez, *ubi supra*, p. 53.)

Incipit prologus Bern. abbatis ad Aribonem archiepiscopum Moguntinum in Dialogum de observatione jejunii Quatuor temporum.

Amantissimo domino Ariboni, odorifero pontificum Flori, Bern. Dei Matris servorum extremus, in discretæ fidei pignus, simulque debiti pensum famulatus.

Doctrina et veritas, quæ in rationabilis peccatoris tui, decoris sui speciem præmonstrant, ad id meum inducebant animum, quo te præ cæteris dignum ducerem, cujus examinationibus illius narrationis seriem, quam nuper sub interrogatione et responsione de jejuniis Quatuor Temporum edidi, commendarem. Nihil enim ex propriis sum commentatus, sed quod inde antiquos Patres probabiliter elocutos fuisse invenire potui, diligenti dispositione scribendo memoriæ commendavi.

Tu vero nunc opusculum, decus, æqui libraminis lance, quæso, perpende, utrumnam sit dignum pronuntiatione ; quia satis erit ratum, si tanti Pontificis auctoritate fuerit roboratum.

INCIPIT DIALOGUS

INTER BERN. ABBATEM AUGIENSIS COENOBII ET MONACHUM GERUNGUM HABITUS, QUALITER QUATUOR TEMPORUM JEJUNIA PER SUA SABBATA SINT OBSERVANDA.

CAPUT PRIMUM.

De diversitate jejunia Quatuor Temporum celebrantium.

G. Licet in his sacris jejuniorum diebus, exspoliata mundanæ actionis tunica, in lectulo dulcissimæ quietis otio frui modis omnibus te velle non ambigam, ita ut delecteris dicere : *Ego dormio, et cor meum vigilat ;* quibuscunque precibus tamen

excitandum putavi, quatenus pessulum ostii dilecto tuo sponso, videlicet Christo, in nobis aperias, dataque manu in cubiculum sacræ doctrinæ introducas, ubi et panem intelligentiæ parvulis petentibus frangas. Quia tunc salubriter a contemplationis somno ad tempus excitaris, si proximorum necessitati patiendo condescendas.

B. Satis egregie, fili, hoc diffinisti. Sed ego inde magis dolorem capio, quod in me nihil hujusmodi sentio, ut puta, quem nulla virtutum penna ad alta sustollit, sed gravi sarcina sæcularis curæ ad ima demergit, dissolutæ mentis pigredo ad noxia per quietis soporem pertrahit, ita ut in illorum numero inveniri pertimescam, de quibus dicitur per Psalmistam : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt.* Verum quia Salomon dicit : *Stellio manibus nititur, et moratur in ædibus regum;* etsi tardus ingenio, infisus tamen in eo, qui omni petenti se fideliter tribuit, ac nulli improperat, nisu quo valeo per ipsum ad ipsum me levare conabor, qui etiam gallo dedit intelligentiam. Tu tandem propone quod tantopere velis investigare.

G. Hoc scilicet, ut, cum una fides sanctæ catholicæ Matris Ecclesiæ unitatem commendet, quare ipsa in filiis suis quibusdam consuetudinum diversitate aliquando discordet. Ut enim unum quoddam ad medium ducam, de jejuniis Quatuor Temporum studui nunc interrogandum, in quorum observatione nonnulli videntur discordare. Nam cum in libris Sacramentorum ita ordinatum prætituletur, ut in primo Sabbato primi mensis duodecim lectiones cum jejunio sint celebrandæ; in quarto mense secundo; in septimo tertio; in decimo proximo Sabbato ante Natalem Domini; alii sic intelligendum putant, ut si Martius v, vi, vel ipsa vii feria incipiat, mox cum præcedente Februarii mensis quarta feria, seu etiam aliquando vi jejunium in Sabbato celebrent, eademque consequentia secundum Sabbatum in Junio, tertium observent in septimo, absque aliqua consideratione quartæ seu sextæ feriæ. Alii vero e diverso nolunt in Martio primum Sabbatum jejuniis deputare, nisi ejusdem quarta feria antecedat, eodem utentes ordine per suas quatuor ferias in Junio et Septembri. Quocirca ratio exigit, ut aperias si quod argumentum vel regulam hac de re statuerit anterior ætas, cujus auctoritate instructi discernamus qui horum magis sint sequendi.

CAPUT II.

In rebus incertis ac dubiis majorum tenenda sunt instituta.

B. Recte priorum, qui ætate et sapientia nos præcesserunt, statuta delectant, quæ mentis intellectum intra legitimi cursus metam cohibeant; quam qui transgreditur, obnoxius culpæ tenetur. Unde Scriptura pulchre admonet dicens : *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*

G. Hic paululum siste gradum, mihique præpositi testimonii pande sensum.

B. Libenti animo id ago, quandoquidem te tam intentum adesse conspicio. Terminos rectæ fidei sanæque doctrinæ posuerunt ab initio Patres catholici, quos omnino nefas est transgredi. Sed et multæ consuetudines ecclesiasticæ inveniuntur a sanctis Patribus infra canonicæ regulæ terminos constitutæ, sicut sunt Adventus Domini, Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, Litania major, dies Rogationum ante Ascensionem Domini, vigiliæ quorumdam sanctorum, nec non et hæc ipsa Quatuor Temporum jejunia, quæ præ manibus habentur, aliaque perplura quæ omnia jure perpetuo absque ulla transgressione nobis sunt observanda ac pro lege tenenda, dicente S. Augustino ad Casulanum presbyterum de jejunio Sabbati : « In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege sunt tenenda. » Accedit in hoc, quod nihil sine ratione in ecclesiasticis consuetudinibus a sanctis Patribus constitutum reperitur, si causa diligenter inquiratur.

G. Ita esse ut asseris indubitanter creditur; ideoque magis consequens videtur ut edisseras qua ratione hæc Quatuor Temporum jejunia sint constituta; cur his potissimum tribus septimanæ diebus; cur feria quarta duæ lectiones, in sexta feria tantum una legatur; Sabbatum autem prætituletur in duodecim lectionibus, cum non plus quam sex legantur. Deinde quod quærere instituisti, videlicet, quo ordine sæpius memorata ac memoranda per sua Sabbata sint celebranda jejunia.

CAPUT III.

Qua ratione Quatuor Temporum jejunia sint constituta, et cur potissimum tribus septimanæ diebus; quæ denique ratio plurium vel pauciorum lectionum.

B. (Annal. Fortun. *eccle. Offic.* lib. II, c. 2.) Ut ex veterum, præcipue S. Augustini sermonibus intelligi potest, necessarium est nostræ religioni annuatim quatuor jejunia celebrare. Nam quatuor temporibus volvitur annus : vere, æstate, autumno, hieme. Hæc quatuor tempora solent nos per delectamenta sua revocare ab amore Creatoris. Qua de re jejunandum est in unoquoque tempore ut castigentur nostra quatuor elementa, ne subripiantur a delectatione mundi. Ipsa quatuor elementa conjuncta in sua natura sunt quatuor temporibus anni. Ver est calidum et humidum, et in eo facimus unum jejunium ut elementum humoris in nobis castigetur, ne consentiat falsæ pulchritudini veris. Ex humore enim et calore nascitur pulchritudo terræ. Æstas sicca et calida, in qua alterum jejunium facimus ut castigetur elementum caloris in nobis, ne consentiat incendio carnali. Tertium jejunium fit in autumno, qui est frigidus et siccus, ne aliquo languore animi arescamus ac defluamus et inveniamur sine pinguedine olei in æterno tabernaculo. Etenim illo tempore congregamus, quo fruamur in futuro. Quartum jejunium fit in hieme, quæ est et humida et frigida, ne membra nostra fluxu atque luxu solvantur in

comessationibus et potationibus, ac per hoc negligatur amor Dei.

At quia quatuor tempora annorum nos impediunt ab amore Dei, quatuor jejunia facimus. Per singula quoque tempora suum jejunium, unumquodque pro suo tempore. Simili modo diurna curricula quatuor nos impediunt ab amore cœlestium, scilicet matutinum, meridianum, vespertinum, nocturnum : per hæc enim quotidie ab amore æternorum retrahimur. In unoquoque tres dies sunt, quia unumquodque tempus tres menses habet. Pro unoquoque mense singuli dies jejunio consecrantur. At vero quia quotidiana peccata aggravant, non sufficit unum jejunium per unumquodque tempus, (ac per hoc) quadragesimale inducimus, quo quotidiana peccata affligantur.

Eadem vero Quatuor Temporum jejunia his diebus solent celebrari, scilicet quarta feria, sexta, septima : ideo quarta, quia Judæi in ea fecerunt consilium ut occiderent Christum; sexta feria, quoniam occiderunt eum; septima, ex auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ concluditur jejunium propter tristitiam apostolorum, quam de morte nostri Redemptoris habuerant, sicut Innocentius papa in suis Decretalibus narrat : « Sabbato, inquit, jejunandum esse ratio evidentissime demonstrat. Nam si die Dominico ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi non solum Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac si sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, qui inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusus. » In quo etiam Sabbato consecratio ordinum ecclesiasticorum celebratur, causam etiam ejusdem consecrationis sancto Augustino dicente ad Januarium : « Sabbatum, inquit, commendatum est priori populo in otio corporaliter celebrandum, ut figura esset sanctificationis in requie Spiritus sancti. Nusquam enim legimus in Genesi sanctificationem per omnes priores dies, sed de solo Sabbato dictum est : *Sanctificavit diem Deus septimum; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ideo sanctificatio in septimo die commemorata est, ubi requies commendatur. » Nunc de lectionibus videamus.

In quarta feria duæ lectiones leguntur, ut hi, qui in Sabbato sunt consecrandi, admoneantur ut notitiam legis et prophetarum habeant, qui maxime in quarta ætate vigebant. Sexta feria una tantum legitur; quia lex et prophetia in uno Evangelio recapitulantur, quod nunc in sexta mundi ætate prædicatur et legitur. De duodecim lectionibus, quæ prætitulantur in Sacramentario die Sabbati, sic in litteris Patrum reperitur scriptum : (Amalarius Fortunatus *eccle. Offic.* lib II, c. 1) « Sex lectiones ab antiquis Romanis Græce ac Latine legebantur (qui mos apud Constantinopolim hodieque servatur) propter duas causas : unam, quia aderant Græci quibus incognita erat Latina lingua, aderantque Latini quibus incognita erat Græca : alteram propter unanimitatem utriusque populi. Duodecim lectiones dicuntur propter duodecim lectores, non propter duodecim sententiarum varietates. Sex lectiones sunt tantummodo in sententiis. Neque enim si dixerimus amen, verum, propterea duas varietates intelligere debemus sed unam. » Sed de his hactenus. Nunc ad proposita redeamus.

CAPUT IV.

Utrum statim in primo Sabbato Martii sit jejunandum, etiamsi idem mensis quinta, sexta aut septima feria incipiat, an in aliud Sabbatum propter quartam feriam sit differendum?

Quæstio tua, si rite recordor, talis erat : Utrumnam statim in primo Sabbato Martii sit jejunandum, etiamsi idem mensis quinta, sexta aut septima feria incipiat, an in aliud Sabbatum propter quartam feriam sit differendum? Ad quod tibi ex consuetudine sanctæ Ecclesiæ, quæ pro maxima auctoritate tenenda est, respondeo, quod absque ulla refragatione semper ejusdem mensis quarta feria debeat exspectari, quoniam idem jejunium quod quarta feria incipitur Sabbato finitur, nequaquam Februario sed Martio totum deputatur : ea videlicet ratione ut in eo mense primum jejunium nostrum Domino consecretur, in quo principium anni ac ipsa creatio cœpit mundi. Unde iste terminus firmiter est observandus, ut, nec ante IV Nonas Martii nec post VI Idus ejusdem mensis, aliquis statuat Sabbatum jejunandum, sed in his septem diebus, ubicunque primum evenerit, jejunare licite valebit. Ex quo velut intellectuali quodam filo rectissimæ regulæ linea per quatuordecim hebdomadas usque in secundum Junii mensis Sabbatum ducatur, indeque per alias quatuordecim ad aliud proximum ante Nativitatem Domini Sabbatum, ut absque errore eorumdem Sabbatorum termini possint inveniri.

G. Videris quidem de primo mense sufficienter dixisse : Sed est adhuc, quod moveat de quarto et septimo. Quia cum diceres a Sabbato usque in Sabbatum semper quatuordecim hebdomadas enumerandas, non addidisti utrum, finita decima quarta hebdomada, secundum Sabbatum Junii mensis quarti feriæ II, tertium Septembris Sabbatum præcedere deberent III, cum id sit maxime quod videatur quæstionem gignere. Quod qualiter evenire soleat, per te opto, ut manifestum fiat.

B. Ad hoc demonstrandum constituantur feriæ septem cum diebus totidem mensis Martii, id est : a IV Nonas usque in VI Idus, per quos primi Sabbati termini solent variari, ut in his inspectis res ipsa aperiat se nobis. Ab ultimo etiam incipiamus. Martius aut quinta feria incipit, et Sabbatum illud, in quo est jejunandum, Idibus occurrit; aut mensis sexta feria, Sabbatum vero VII Id.; aut ille feria VII, istud VIII Id., aut mensis I, quæ est Dominica. Sabbatum Non. Aut si ille feria II, istud Prid. Non. Si vero ille III, istud III Non. Aut si Martius feria IV,

Sabbatum IV Non. Si ex his singulis terminis adhibita computatione ad terminos Junii mensis, et iterum ab illis ad terminos Septembris per quatuordecim hebdomadas aciem recte dirigis, liquido pervidebis in quarto seu septimo mense quartas ferias juxta sui quantitatem suis Sabbatis minus deesse, excepto Septembri, quando ipse incipit feria V, Junius IV, Martius III, simul autem Septembri et Junio; cum idem September feria VI, Junius V, Martius IV. Qua ex re eveniat, prudenti calculatori ad indagandum nequaquam erit difficile.

Ex his omnibus ratio manifeste docet firmius ac stabilius illud esse argumentum, quod ex hebdomadarum numero collectum nunquam nutat, quam quod ex feriarum consideratione capitulatum aliquando vacillat. De mense vero decimo nihil aliud dicendum est, nisi ut proximum ante Nativitatem Domini semper observetur Sabbatum, excepto, quando vigilia evenerit in feria septima.

CAPUT V.

Prædicta amplius illustrantur et roborantur.

G. Quamvis oratio tua mihi persuaserit nihil verius esse quam quod asseris, vellem tamen perdoceri qua auctoritate hoc argumentum ex numero quatuordecim hebdomadarum inventum magis debeat esse ratum, præcipue cum te superius dixisse recorder nihil in ecclesiasticis consuetudinibus a sanctis Patribus esse constitutum quod non aliqua ratione sit roboratum.

B. Scio me pro certo ita dixisse : et quam verum sit etiam in hac re, de qua præsens tractatus habetur, qua potero, brevitate ex dictis majorum curabo demonstrare. Igitur Amalarius, divinorum officiorum indagator solertissimus, cujus dicta catholicorum virorum sententiis fulgent munita, cum de eisdem disputaret jejuniis, sic inter alia dicit (*De Offic. eccle.* lib. II, c. 1) : « Primi apostolici semper in Decembrio mense, in quo Nativitas Domini nostri Jesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant usque ad Simplicium, qui fuit a beato Petro quadragesimus nonus. Ipse primus consecravit in Februario, ni fallor, nullam ob aliam causam, nisi intimando conjungendos propinquius Christi corpori qui per sacrum ministerium provehuntur, quod nullo modo satius fieri potest, quam si per eos patriarchas ex quibus natus est Christus generentur, quod impossibile est secundum carnem, secundum vero spiritum dignum et habile; hoc est: ut per interpretationes nominum patriarcharum nascantur mente, qui genealogiæ Christi videntur familiarius ascisci. Et quia incongruum est, sicut uniquique generationi singularis hebdomada deputatur, ita per unamquamque hebdomadam consecrationem celebrari, causa congruenti per singula tempora, quæ convenire possunt virtutibus et interpretationibus patriarcharum qui in articulis genealogiæ positi sunt, consecratio celebratur. Per tres tesseres (*sic cod.*) decades annuales fiunt hebdomadæ XLII. Tot generationes secundum Matthæum Christi sunt cum ipso; tot etiam hebdomadæ inveniuntur a primo Sabbato primi mensis usque ad quartum Sabbatum decimi mensis. Consecratio prima celebratur primo Sabbato primi mensis, quæ quasi in loco Abrahæ generat Christum. Abraham interpretatur *pater multarum gentium*, cui dictum est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Si quis consecratus stat in semine multorum convertentium per sua exempla ad Deum, est primo patriarcha Abraham genitus; est ipsum semen Christus, in quo semine promissum est Abrahæ benedici omnes gentes. Ipsa consecratio tempore verno celebratur, quod tempus habile est procreationibus. Nam et Abraham tertia ætate fuit hujus mundi, quæ ætas comparatur adolescentiæ, quæ habilis est generationi filiorum. Secunda consecratio est in quarto mense, secundo Sabbato, quod est initium secundi catologi quatuordecim hebdomadarum. Hæc deputatur in loco filiorum David. David interpretatur *manu fortis.* Ipse prostravit Goliam, id est, humilitas superbiam. Qui consecrantur, propterea consecrantur, ut fortes sint et per humilitatem dejiciant superbiam. Ipsa celebratur in Junio mense, quando fervor magnus solis est super terram. Omnibus notum est David bellicosum fuisse et valde arsisse in Marte. Tempus Junii aptum est bellis. Tertia consecratio celebratur in Septembrio, tertio Sabbato, quod est initium tertii catalogi. Hæc deputatur generationi Jechoniæ. Jechonias interpretatur *præparatio Domini :* nullique dubium, si omnes oportet præparari in adventu Christi, quin potissimum eos qui sacrantur. Quæ consecratio habet finem in ipsa Nativitate Christi. Quæ aliquando in tertia hebdomada finitur, propter anticipationem dierum Nativitatis Domini, et habet tredecim hebdomadas, aliquando in quarta, propter tarditatem, et habet quatuordecim. Neque hoc sine ratione est. Quia si computetur catalogus novissimæ tesserecedecadis (*ita cod.*), et semel computetur Jechonias, non amplius inveniuntur cum ipso Christo quam tredecim generationes. Si ipse bis computetur, quatuordecim inveniuntur. » En habes, quod scire cupiebas, qua videlicet causa argumentum quatuor jejuniorum ex ratione quatuordecim hebdomadarum sit colligendum.

G. Gratias Deo ac tibi ago quia sic habeo. Sed non infructuose adhuc quærendum arbitror quid hoc velit quod dicitur : *Si semel computetur Jechonias, non amplius inveniuntur cum ipso Christo quam tredecim generationes; si autem bis, quatuordecim inveniuntur.*

B. S. Augustinus causa mysterii perhibet factum esse ut Jechonias, qui interpretatur *præparatio Domini*, bis numeratus in fine prioris et in capite sequentis catalogi poneretur, lapidem angularem, id est, Christum significans, in quo præparavit Deus Pater duos populos quasi parietes in unam jungere domum. Quanquam beatus Hieronymus vitio scriptorum et longitudine temporum inter Græcos et Latinos confusum esse narret, et patrem, qui in

Hebræo Joachim nominatus est, non in Chaldæam ductum, sed defunctum in terra sua, et filium Joachim de captivitate redeuntem Salatiel genuisse affirmet. Igitur hoc supradictus doctor voluit intelligi ut tredecim et quatuordecim hebdomadæ præfigurarent in mysterio quod Jechonias semel aut bis poneretur in catalogo.

CAPUT VI.

Quandonam tredecim vel quatuordecim hebdomadæ eveniant, etc.

G. Utinam modo non graveris dicere quando tredecim vel quando quatuordecim hebdomadæ soleant evenire!

B. Nequaquam tui amoris causa gravabor intimare quod verum exinde potui cognoscere. Enimvero omnibus annis tredecim eveniunt exceptis his, hoc est: quando Martius feria III, vel IV, Nativitas vero Domini nostri Jesu Christi Dominica aut secunda feria acciderint. De hoc jejunio, quod in ipsa vigilia solebant antiquiores celebrare, supra nominatus dixit Amalarius quod consecratio habet finem in ipsa Nativitate Christi, sicut quorumdam Italorum, nescio an omnium, adhuc mos est agere, ut ego ipse ibidem positus cognovi. Sed usus in nostris excrevit Ecclesiis, ut in anteriori hebdomada anticipetur; quia illa duo officia jejunii et Natalis Domini non conveniunt simul celebrari. Nam sicut præveniendo istud anticipamus, ita secundum Sabbatum Junii mensis, cum in vigilia Pentecostes provenerit, prolongando in proximum differimus, licet nostri antecessores utrumque in ipsa vigilia sancta simul celebrarent, sicut ex prætitulatione librorum evidens habemus testimonium.

G. Nosse desidero qua convenientia hæc duo simul possint celebrari officia?

B. Quid adeo opus est nunc inquiri quod tam longo tempore jam cœpit dedisci? Attamen ne hujusmodi scientia frauderis, talis inscriptio super hac re habetur in libris nostris: *Si evenerint duodecim lectiones in Sabbato sacræ Pentecostes, tunc in quarta feria cantetur et legatur* : Exaudi, Domine, preces nostras. *Require in prima hebdomada Quadragesimæ. Vel libri Sapientiæ* : Dixit Salomon. *Item orat.*: Devotionem populi. *Vel Isaiæ prophetæ*: Audi, Jacob. *Alleluia. Off.* Domine Deus salutis. *Evangelium secundum Lucam* : Accedentes discipuli. *Of.* Viri Gallilæi. *Com.* Pater cum essem. *Feria sexta:* Exaudi, Domine. *Or.* Esto, Domine, propitius. *Lect.* Exsultate, filiæ Sion. *Alleluia.* Domine refugium. *Evang.* Venit ad Jesum vir, cui nomen Jairus. *Off.* viri Gallilæi. *Com.* Pater cum essem. *Sabbato omnes parati primitus cantent litaniam* Kyrie eleison. Gloria in excelsis Deo. *Postea oratio* : mentibus nostris. *Or.* illo nos igne. *Or.* Deus qui ad animarum. *Gr.* præsta, quæsumus, omnipotens Deus, sic nos. *Subsequuntur lectiones cum gradalibus. Gra.* Propitius. *Gr.* Protector. *Gr.* ad Dominum. *Gr.* Dirigatur. *Gra.* Bened. *Orat.* præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut clar. *Vel.* Cum Apollo esset. *Alleluia.* Confitemini. *Tractus* : Laudate. *Evang.* Si diligitis me. *Off.* Emitte Spiritum tuum. *Communio*: Ultimo festivitatis die.

CAPUT VII.

Num jejunio in aliud Sabbatum dilato, vel in ipsam hebdomadam sanctam Pentecostes incidente, gradalia an Alleluia sint canenda?

G. Si ipsum jejunium fuerit in aliud Sabbatum dilatum, ut paulo ante dixisti agendum, vel si in ipsa hebdomada sancta Pentecostes evenerit, utrum gradalia an alleluia sunt canenda?

B. Utique secundum consuetudinem antiquam gradalia, sicut non solum in nostris libris habetur insertum, sed etiam, ut in quodam ordine secundum S. Gelasii papæ auctoritatem reperi prætitulatum, qui mos usque hodie, ut compertum habemus, in sancta Romana servatur Ecclesia. Videtur quoque id huic narrationi assensum præbere, quod in authenticis Antiphonariis duo tantum alleluia inveniuntur descripta, hoc est: *Emitte Spiritum; Spiritus Domini*. Cætera vero a modernis sunt composita.

Quapropter intuendum est, quia si in monasteriis alleluia cantus abundat, quid simplices villarum presbyteri agant, qui vix duorum tantum notitiam habent? Ut enim vulgari proverbio utar: *Aut cantant quod sciunt, aut tacere compelluntur quod nesciunt.* Non tamen hæc scribens sanctissimorum sacerdotum auctoritati præjudico, quos in Spiritu sancto congregatos jam dudum audivi in synodalibus suis decretis statuisse ut magis debeant alleluia decantari; sed simpliciter quæ sentire potui ad interrogata respondere curavi, consulere volens etiam, si possim, mei similium imperitiæ, qui tot alleluia non norunt cantare.

G. Cum ecclesiasticæ sit consuetudinis in his diebus ut stantes oremus, cupio rescire, si in hac hebdomada sæpe dictum evenerit jejunium, utrum debeamus ad missam genua flectere necne.

B. Sic in quodam libello de hoc ordine legi (Amal. Fortunatus, lib. II *Offic. eccles.*, c. 3): Per singulas orationes debemus mentis humilitatem per genuflexionem ostendere, excepto infra Pentecosten. In sola *De camino ignis* non flectimus genua, quando Nabuchodonosor compellebat populum adorare statuam quam fecerat, ut separata sit nostra oratio, quæ est ad unum Deum, ab errore gentilium. Similem ob causam etiam in Paraseeve genua non flectimus pro perfidis Judæis, qui illudendo genua flectebant coram Domino, ne videamur illos imitari qui opus bonum studebant male operari, quemadmodum tunc ab osculo abstinemus propter Judæ traditoris exemplum, qui per simulatæ pacis osculum tradidit Dominum Jesum Christum.

CAPUT VIII.

Compendium doctrinæ hactenus expositæ, ac prescriptus modus in jejunando servandus.

G. Quia meæ inquisitioni in omnibus satisfecisti, superest tantum quatenus ex connexione collocutionis

hactenus inter nos habitæ quoddam breviloquium in unum velis colligere, quo hujusmodi queant instrui argumento quorum aures longa fatigat oratio.

B. Si quis jejunia Quatuor Temporum legitimo ordine celebrare desiderat, subterscriptum argumentum ex sententiis sanctorum Patrum collectum observare non negligat. Primum sabbatum Martii cum præcedente ejusdem mensis quarta feria nota diligenter, et ab ipso quatuordecim hebdomadas, abhinc usque in tertium Septembris sabbatum, quod nullo modo te fallit, connumera, indeque proximum sabbatum ante Natalem Domini, sive quatuordecim, sive tredecim fuerint, semper observa, et in his singulis quatuor sabbatorum diebus absque ullo errore occurret tibi legitime illud jejunium quod in Sacramentorum libris prætitulatur cum duodecim lectionibus celebrandum. Quod si vigilia Natalis Domini in sabbato evenerit, in hebdomada priori idem jejunium debet anticipari.

C. His ita tandem regulariter a te de jejunii temporibus determinatis, rogo etiam aliquem abstinentiæ modum nunc vel breviter describi, quo possit præcaveri ne exterior noster homo aut nimia extenuatus inedia deficiendo tabescat, aut immoderato gulæ victus appetitu insolescat, ne principe cocorum Nabuzardan, hoc est, nequissima edacitatis ingluvie nos superante, corruant intra nos muri Jerusalem nostræ, sicut scriptum est : *Princeps cocorum destruxit muros Jerusalem.*

B. Cum sacræ Scripturæ mensa, de qua ad Dominum loquitur Psalmista : *Parasti in conspectu meo mensam*, petenti omni coram sit posita, variis cunctarum disciplinarum doctrinis referta, mirum videtur quod a me quæris quod per te ipsum invenire poteris. Verumtamen ne in calce hujus opusculi durus fenerator existam, qui hactenus in præstandi officio me tibi promptum exhibebam, unum de pluribus cœlestium dapium illatorem pro me vadem dabo, sanctum Augustinum dico, cujus artis instruaris magisterio, quo utaris modo in abstinendo.

BERNONIS OPUSCULA DE MUSICA.

(Apud D. Martinum Gerbertum, monasterii S. Blasii in Silva Nigra abbatem, *Scriptores ecclesiastici de musica*, tom. II, pag. 61.)

MONITUM.

Bernonis, monachi Augiæ Divitis, prologum in Tonarium edimus ex ms. San-Blasiano sæc. XII, collato cum codd. Lipsiensi, San-Emeramensi, Admontensi et Ottoburano. Dedicatus est non Grinovero, sed Piligrino archiepiscopo Coloniensi, prout ex cod. sæc. XII Villingano illo (flammis an. 1768 cum monasterio S. Blasii absumpto) meis oculis restitui veram hanc lectionem contra præposteram illam, *Dilecto filio Grinovero*, quæ Mabillonio imposuit, editoribusque Galliæ Christianæ t. III, p. 659, crucem fixit, probe perspicientibus Grinovero nullum locum inter archiepiscopos Colonienses esse potuisse tunc temporis. Variis ductibus cincinnisque pro more sæculi, quod hodieque male feriati typothetæ usurpare incipiunt, exornatæ litteræ Romanæ unciales, quibus perscriptus fuit totus hic titulus seu inscriptio, in transversum egerunt exscriptorem, ut pro *Piligrino vero* scriberet *Filio Grinovero*. Rem indubitatam reddunt alii codices quos consuluimus. Tonarium vero damus, ex cod Vaticano bibliothecæ Palatinæ num. 1344, sæc. XI, collato cum Admontensi. Qui tamen admodum variat a principio usque, quod tale est in cod. Vat., « Authenticus protus constat ex prima specie diapente, et ex prima specie diatessaron superius. Hujus ultima syllaba in sæculorum Amen altius distat a finali diatessaron intervallo. » Admontensis vero habet : « Authenticus protus habet octo differentias : quarum prima sæculorum Amen desinit in lichanos hypaton in diatessaron intervallo. »

Ejusdem Bernonis *De varia psalmorum atque cantuum modulatione* epistolam *Meginfrido, Eipennoni, dilectis in Christo fratribus* inscriptam ex ms. Salemitano sæc. XI vel XII; ex ms. San-Gallensi vero sæc. XI epistolam de consona tonorum diversitate *Burchardo et Kerungo una cum cæteris in Dominicarum scholarum gymnasio Augiæ vacantibus* dicatam exhibemus.

MUSICA BERNONIS (1)

SEU

PROLOGUS IN TONARIUM.

ARGUMENTUM.

1. Scala musica. 2. Novem sonorum modi. 3. Consonantiæ musicæ. 4. Tetrachordum, præsertim finalium. 5. De consonantiarum speciebus. 6. Octo toni musici usu ecclesiastico. 7. Eorumque limites. 8. Intensiones et remissio-

(1) *Lips.* Bernhardi.

nes sonorum. 9. Toni medii ac communes, unde quidam duodecim modos statuunt. 10. Toni indifferentes. 11, Cæsiones circa modos regulariter componendos. 12. Differentiæ tonorum. 13. Moduli Noanneane, etc. 14. Toni et cantus irregulares cavendi. 15. Semitonii positio sedulo attendenda.

Domino Deoque dilecto PILIGRINO, vero mundi hujus advenæ, et peregrino, BERNO, licet parvus meritis, servus tamen Dei Genitricis Virginis municipatum in arce divinæ speculationis.

Præclara Christianæ fidei forma in te splendens egregie probat animam tuam sedem esse sapientiæ : cum moralis disciplinæ honestas ita naturales animi tui motus componat, ut amore divinæ contemplationis rationabili progressu ad superna proveharis, ubi læto cordis jubilo delectet animam tuam proclamare sponso suo : *Trahe me post te, curram in odorem unguentorum tuorum*, quasi interhabentes in manibus citharas, et cantantes canticum Moysi servi Dei et canticum Agni.

Quod ego perpendens haud facile indagare valeo quid causæ exstiterit quod tu, quem non solum quatuor mathescos disciplinarum speculatio quadratum, verum etiam cœlestis harmoniæ melos divinis laudibus jugiter reddit intentum, me, ut ita dicam, semivocalem, imo pene in artibus mutum ac elinguem, de canora musicæ modulatione jubeas aliquid proferre. Præsertim cum in Ecclesia plebis a Deo exaltatus et in cathedra seniorum laudatus, assidue læto cordis auditu percipias qualiter sapiens et te præsule felix Colonia cum beatis Ecclesiæ suæ filiis, apostolorum principe linguarum omnium quodammodo plectrum modificante, *in decachordo psalterio cum cantico in cithara psallat Domino Deo*. Sed ipsa natura instigante, non ambigo te tam ardenter id a me expetere voluisse, ut, quoniam tota nostræ animæ corporisque compago musica coaptatione conjungitur, animus quoque tuus sonora artis hujus dulcedine suavius delectetur. Nihil est enim, ut Tullius ait, appetentius similium nec rapacius quam natura. Et quoniam eo charitatis affectu, quo me semper gratis fovisti, hoc obedientiæ opus (2) injunxisti, ut cujusdam verbis utar, sat scio (3), si sat bene pareo, et libellum, quem tonarium consuete vocant, libens porrigo, magis eligens ultra vires præsumere quam charitati, quæ omnia sperat, aliquid denegare. Confidens de te, o præsulum decus et gloria, quo (4) placido discretionis moderatione (5) et errata corrigas et, si qua fuerint digne prolata, sine livore defendas.

Verumtamen non absimile videtur, si prius quædam ponantur (6) prolegomena, quibus minus ad intelligendum capaces veluti præ foribus interim exercitati ad ipsius demum scientiæ penetralia queant intromitti. Beatitudinem tuam divina clementia hic diu incolumem custodiat, et post ad cœlestia regna perducat : ubi inter psallentium choros constitutus decantare valeas lætus : *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini Dei nostri, in monte sancto ejus.*

(2) *Lips.* genus.
(3) *Lips.* cito.
(4) *Lips.* quod.
(5) *Lips.* moderamine.

PROŒMIUM SUBSEQUENTIUM TONORUM.

1. Omnis igitur regularis monochordi constitutio, secundum præclaram disertissimi viri Boetii instructionem, in quindecim chordis consistit, per quas totius harmoniæ vis rata connexione decurrit, si tamen synemmenon non desit. Quæ in quatuor tetrachorda dividuntur his nominibus discreta : tetrachordum gravium, tetrachordum finalium, tetrachordum superiorum, tetrachordum excellentium. Tetrachordum gravium, eo quod sit infra finalium et reddat sonum omnium gravissimum ; tetrachordum finalium, eo quod in eo finis sit omnium tonorum legitime currentium ; superiorum, quod sit superius constitutum ; excellentium, quia excellit sonos trium aliorum. In medio horum solet interseri quintum tetrachordum, quod dicitur synemmenon, id est conjunctum (7).

Verum quia omnis cantilena, non quibuscunque vocibus, sed certis et determinatis sonis, quos Græci *phthongos* quasi a similitudine loquendi vocant, ordinabiliter contexitur, ut quemadmodum litterarum elementis omnis sermonum series digeritur, ita quoque harmoniæ concentus rationabili sonorum quantitate promatur ; non ab re credimus, si propter minus eruditos in hac arte de eorumdem sonorum modis juxta majorum traditionem aliquid vel breviter dicimus.

2. Habentur enim novem modi, ut antiquitas sagaci indagavit industria, instar, ut reor, humanæ vocis, quæ novem constat officiis, id est plectro linguæ, pulsu quatuor dentium, repercussione duorum labiorum in modum cymbalorum, cavitate gutturis, et adjutorio pulmonis, qui in modum follis aerem recipit et remittit. Simili de causa etiam Apollini novem Musas designant (8).

Nunc vero ipsos modos, prout possumus, aperire tentemus. Primus modus est in brevissimo duarum vocum spatio et fit in semitonio, ut hoc liquet exemplo in gravitate et acumine in illa antiph. : *Missus est Gabriel*, ad id loci *Mariam*, item *virginem*.

Secundus jam perceptibilioris est intervalli, et fit in tono, ut in hac antiph. : *Missus est.*

Tertius adhuc parvo diductior, hoc est in tono et semitonio, ut in hac ant. : *Missus est Gabriel ad Mariam virginem.*

Quartus hoc quoque protensior, qui fit in duobus tonis, ut in hac : *Beati qui ambulant.*

Quintus adhuc spatiosior, id est duobus tonis et semitonio, ut in hac : *Ne timeas, Maria.* Item ant. : *In illa die fluent.*

Sextus nihilominus amplior, id est tribus tonis continuis, ut in hoc ℟. : *Jam corpus ejus. Cujus pater feminam.*

(6) *Lips.* proponantur.
(7) Hic usque ad n. 2 deficit *Ottoburanus.*
(8) Hic desinit *Ottoburanus.*

Septimus hos quoque spatio supervadit, constans tribus tonis et semitonio, ut hæc ant. : *Beata Agnes in medio minas.*

Octavam ac si rarius in quatuor tonis, non tamen plenis, reperies, ut in hoc ℟. [*Tu, vir Simphoriane, suspendere in tormenta*, ab illa namque neuma, quæ deponitur, ad (9) eam, quæ elevatur ad *in*, sunt semitonium, tres toni, item semitonium; quæ duo semitonia simul juncta non faciunt integrum tonum. Item com.](10) *Principes persecuti. Spolia multa concupivit.*

Nonus prolixiori super omnes spatio tensus metam hujusmodi divisionum sortitur; nam nec ampliorem isto, nec strictiorem primo ullam musicarum vocum reperies divisionem; constat enim quatuor tonis et semitonio; et habes exemplum in hac ant. : *Ad te levavi animam meam, Deus meus.* Item ℟. : *Inter natos mulierum non.* Item ℟. : *Hæc est virgo; Introivit.* Item in acumine ant. : *Iste cognovit*, in hoc loco : *Et inventus est in.* Ultra hunc enim novissimum modum, si quas voces inter se subalterna percussione distantes quæsieris, in nullo rationabili cantu reperies, donec ad diapason consonantiam pervenias, ubi magis est novæ permutatio vocis quam progressio modi amplioris, quia nec ipsa humani appulsus possibilitas admittit, ut intervallis tam longe inter se distantibus aliquis aptus reddatur sonus.

3. In his omnibus quintus tantum et septimus modus inter musicæ artis consonantias reperiuntur, hoc est, diatessaron, quod est sesquitertia; ac diapente, quod est sesquialtera. Et tunc consonantiæ fiunt, quando altrinsecus virilis ac puerilis vox pariter sonuerit; vel potius eo cantandi genere, quod consuete dicitur organizare. In reliquis vero non sunt consonantiæ, sed intervalla et quædam vocum discrimina. Sunt et aliæ consonantiæ, sicut diapason, videlicet in dupla proportione; tripla quoque, quæ fit ex diapason et diapente. Diapason vero et diatessaron, quanquam Pythagorici negant consonantiam esse, idcirco quoniam nec in multiplici, nec in superparticulari consistit quantitate, quod proprium est consonantiarum artis musicæ, sed in multiplici superpartiente. Est enim talis proportio, ut octo ad tria, quæ proportio dicitur in arithmetica dupla superbipartiens; habet enim octonarius ternarium bis duasque ejus partes, id est, duas unitates. Tamen eximio doctore Boetio Ptolomæi sententiam super hoc approbante, necessario fatemur eam consonantiam esse maximam, quoniam diapason talis est symphonia, ut quamcunque aliam suscipiat consonantiam, servet nec immutet, nec ex consona dissonam reddat. Sicut, inquit, denario numero qui fuerit additus, intra eum positus integer inviolatusque servatur, cum in cæteris id minime eveniat, ita etiam in hac consonantia. Nam si duo tribus adjicias, quinque continuo reddes et numeri species immutata est. Si vero eosdem denario addas, duodecim facis, et binarius junctus denario conservatus est. Ex quibus verbis satis apparet longe aliud esse per simplices consonantias cum sonorum intervallis cantilenam contexere, aliud per compositas easdem voces sive superius sive inferius per immutationem resumere. De quibus aliquid dicere alterius est temporis et loci. Est et bis diapason, id est, quadrupla.

4. His ita breviter dictis, vel panca de his proferre tentemus, quæ ad injuncti operis negotium necessaria esse putamus. In primis tetrachordum finalium diligentius est intuendum; cui tanta quædam naturalis sonorum inest virtus, ut ex quatuor chordarum ejus origine omnis modorum seu tonorum potestas videatur procedere. Neque enim non divine hanc vim soli quaternario contigit inesse; omne enim quod vocamus principium, nonnisi alicujus rei potest esse principium; similiter et finis alicujus rei est finis. Sed ubi principium est et finis, necessario est et medium, (11) [*ut a principio et medio et fine constet, vel*] ut a principio per medium veniatur ad finem. Igitur ut totum aliquid sit, principio et medio et fine constat. Unum ergo, non tam numerus quam principium, fons et origo est omnium numerorum, quod medio et fine caret, nisi forte, pro sui perfectione, sicut principium, ita et finis dicatur. Dualis vero numerus finem non habet, ad quem per medium perveniri debeat, cujus omnino expers existit. Superest autem ut ipse principium dicatur, ut hoc alterum principium sit de illo primo, illud vero de nullo. Primum illud principium, a quo numeri omnes oriuntur; hoc vero alterum est, per quod omnes numeri inveniuntur. At si uni duo fuerint juncta, occurrit ternarius : primus impar, qui habet initium medium et finem, ubi una interjecta medietas pares sibi terminos habet; ex utroque enim latere circumvallatur unitate, et quod extremitates junctæ, hoc facit medietas duplicata; unum enim et unum faciunt duo, quæ simul juncta, id est duo et duo, faciunt quatuor. Primus ergo omnium numerorum est ternarius, cui inter duo summa medium, quo vinciretur, accidit. Quaternarius vero, quia duas medietates obtinuit et quia tunc arctius extima vinciuntur, quando medietas geminatur, merito artifex natura jussu Creatoris hunc sibi numerum ascivit, quo insolubili colligationis vinculo elementa sibimet repugnantia devinxisset, triaque illa musicæ genera, id est, mundanæ, humanæ et ejus quæ est in instrumentis, rata modulationis lege conformasset. Merito, inquam, hic numerus musicæ harmoniæ est attributus, qui inferiora superioribus conciliat, animæ corporisque statum jugabili proportionum competentia fœderat, bestiales hominum motus comprimit, mores componit, iras dæmonum mitigat vel potius fugat; etiam ipsam terram sonorum suorum concentibus cœlo quodammodo associat.

(9) In *de*.
(10) Uncinis inclusa desunt in *Lips*.
(11) Uncinis clausa desunt in *Lips*.

Si ipsum quaternarium præcedentibus se naturalibus numeris, id est uni, duobus, tribus adjunxeris, denarii summam conficies, ut ex hac etiam ejus perfectione in decachordo psalterio assuescamus psallere, quatenus *Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio*. Adeo etiam antiqui hunc numerum ad animæ perfectionem pertinere putabant, si tamen fides huic eorum sententiæ est adhibenda, ut etiam Pythagorici ex eo jurisjurandi religionem sibi facerent, taliter dicendo :

Per qui nostræ animæ numerum dedit ipse quaternum.

Adde etiam quod idem quaternarius a binario, quem supra diximus principium esse, generatur, a quo et octonarius, qui est primus cubus, procreatur. Nam bis bini, qui sunt quatuor, superficiem faciunt ; bis duo bis solidum corpus, quod est octo. Sub hujus numeri mysterio consonus Evangelistarum *sonus in omnem terram exivit et in fines orbis terræ*, dulcissima prædicationis eorum vox processit. Hujusmodi harmoniæ concentum Deo esse gratissimum Psalmista noverat, cum ad psallendum Domino mentes hominum quarto invitabat dicens : *Psallite Deo nostro, psallite : psallite regi nostro, psallite sapienter.*

Ergo sive ex istis, quæ pauca protulimus, sive ex aliis, quæ in præsenti minus occurrunt memoriæ, vel omnino abdita latent, satis claret non sine magno divini muneris nutu hanc vim quaternario esse ingenitam, ut totius harmoniæ concentus ab eo oriatur et in eumdem velut ad principii sui originem revertatur : quemadmodum illi octo toni semper bini et bini ad unam ex quatuor finalium chordis quadam dictante justitia velut ad parentem redeunt. Unde pulchre eumdem octonarium antiqui justitiam vocaverunt, non solum ob supradictam harmonicæ rationis causam, verum etiam quia primus omnium ita solvitur in numeros æque pariter pares, id est, in quatuor et quatuor, ut nihilominus in numeros æque pariter pares, id est, duo et duo ipsa divisio solvatur.

5. Nunc prout gratia divina inspiraverit, aperire conemur qualiter unusquisque authenticus vel suus plagalis a suo finali progrediens iterum ad eumdem redeat, licet supra vel infra in varios se sonos protendat. Ac primo dicendum quot sint species diatessaron ac diapente, necnon et diapason. Habet enim diatessaron species tres, diapente quatuor, diapason vii (12). Hæ quidem species vario modo a quibusdam musicis ordinantur. Nos vero magistrorum præcepta sequentes, juxta rationem tonorum ordinabiliter eas ponimus, ut facile intelligere quilibet possit qui vel tenuiter notitiam hujus artis habuerit.

Ergo prima species diatessaron constat ex tono semitonio et tono, exordium sumens a lichanos meson et finiens in lichanos hypaton ; cui si adjeceris tonum superius, oritur tibi prima species diapente. Secunda species ex duobus tonis et semitonio, incipiens a mese et finiens in hypate meson ; cui si adjeceris tonum superius, erit secunda species diapente. Tertia ex semitonio et duobus tonis, incipiens a trite diezeugmenon et finiens in lichanos meson ; cui adhibendus est tonus inferius, ut fiat tertia species diapente. Quarta species diapente constat ex prima specie diatessaron, adjecto tono inferius, non quidem per ejusdem nominis chordam (13) [*sed per ejusdem speciei formam*], sed alius, id est, a paranate diezeugmenon incipiens, ac si per tonum semitonium et tonum in meson descendit, assumptoque inferius tono quartam speciem diapente perficit.

Diapason vero species facile est pervidere ; si enim a proslambanomenos inceperis usque in mese, prima species erit, sicque semper semitonio vel tono altius per ordinem repetendo, septimæ speciei finis in paranete hyperboleon erit. Sin autem exordium sumis ab hypate hypaton, erit finis in paramese (14).

(15) Et hæc quidem dispositio specierum in consonantiis secundum veteres quoslam est. Sed moderni diligentiores in omnibus in diapente et diapason eis aliquatenus consentiunt ; diatessaron vero in speciebus et aliud exordium et ordinem tribuunt. Quia enim diapason ex diapente et diatessaron consistit, primaque specie a diapason ab A ad a, id est a proslambanomenos ad mese pertingit, cum prima diapente species a mese incipiens in lichanos hypaton finiatur ; incongruum eis visum est in tetrachordum gravium, quod ab eadem lichanos hypaton usque ad proslambanomenos, in quo diatessaron continetur, velut otiosum et inutile ab his speciebus excludatur, hacque de causa statuerunt ut prima diatessaron species ab A usque ad D protendatur, et ex eadem D prima diapente species in acutam a producatur ; sicque prima diapason species in his duabus speciebus ab A in a contineatur. Est igitur prima species diatessaron A B C D a proslambanomenos videlicet ad lichanos hypaton, constans ex tono semitonio et tono. Secunda species B C D E, quæ est semitonium et ditonus. Tertia C D E F, ditonus scilicet et semitonium. Et sic per omnem seriem chordarum computando, id est, per quatuor litteras, per quaternas has alternatim tres species invenies, exceptis duobus locis, scilicet inter parypatemeson et paramese, et inter trite synemmenon et nete diezeugmenon.

Diapente vero species prima, sicut et supra dictum est, continetur D E F G a tono semitonio ditono. Secunda E F G a ♭ semitonio et tribus tonis, ab hypate meson scilicet ad paramese. Tertia F G a ♭ c, tribus tonis et semitonio, a parypate meson ad trite diezeugmenon. Quarta G a ♮ c d, ditono, semitonio et tono, a lichanos meson ad paranete diezeugmenon. Has species si diligenter inspicias, tonorum et semitoniorum positiones invenies diversas, et per manu recentiore est correctum.

(12) *Lips.*, *Ottob.* et *S. Em.*, VIII.
(13) Inclusa desunt in *Lips.*
(14) Melius *in nete hyperboleon*, prout in *Lips.*
(15) Uncinis clausa *Lips.*, *San-Em.*, *Ottob.* et *Admont.*, omittunt usque ad n. 7.

seriem vocum in totius monochordi constructione alternatim dispositas, exceptis tribus locis, videlicet inter hypate hypaton et paripate meson, et inter hypatemeson et trite synemmenon, et inter paramese et trite hyperboleon. Diapason autem, quoniam his duabus consonantiis completur, tot habet formas quot sub his continentur. Septem igitur continet species ; pro diapente quatuor, pro diatessaron tres ; quarum prima inter A et a, id est proslambanomenos et mese continetur ; secunda ab hypate hypaton ad paramese porrigitur ; tertia a parypate hypaton in trite diezeugmenon terminatur ; quarta a lichanos hypaton ad paranete diezeugmenon protenditur ; quinta ab hypate meson et ad nete diezeugmenon limitatur ; sexta a parypate meson ad trite hyperboleon intenditur ; septima a paranete hyperboleon ad lichanos meson remittitur. Quas omnes species, si tonorum et semitoniorum situm inspexeris, a se invicem distantes videbis. Quod si octavam a mese per paramese et trite diezeugmenon intendendo ad nete hyperboleon adjeceris, a prima non dissentire videbis. Si vero ab eadem mese per trite synemmenon et paranete synemmenon ascenderis, eamdem quintæ notabis. Sic igitur diapason septem habet species, una minus quam voces, in quibus octo modorum diversa fit positio ; quod sequens expediet ratio. Septem vero tantum modos secundum diapason species primum fuisse, sed Ptolomæum octavum superaddidisse, Boetium in musica scimus tradidisse quorum nomina diversitatemque, quoniam brevitati studemus, secundum ecclesiasticum usum expediamus.

6. Octo itaque cantionum modis, quos abusive tonos vocamus, ordo ecclesiasticus utitur. Quatuor excelsiores monochordi voces sortiti sic vocantur : authenticus protus, id est primus magister ; authenticus deuterus, id est secundus magister ; authenticus tritus, id est tertius magister ; authenticus tetrardus, id est quartus magister. *Authentos* enim Græci magistros dicunt, quasi auctoratos, id est auctoritate præditos, quorum præcellit auctoritas. Unde a comparatione altioris gradus hos modos ita vocari obtinuit usus. Alii vero quatuor inferiora loca possidentes sic vocantur : plagis proti, id est lateralis primi, subauditur authentici, quasi sub latere ejus contineatur, et inferior sit, simili ratione plagis deuteri, plagis triti, plagis tetrardi. Sed nos regulas eorum dantes Latinis utamur nominibus, et excelsiores magistros, inferiores vero discipulos nominemus.

Sed antequam eorum intensiones vel remissiones incipiamus, finales omnium nervos ostendamus. Quatuor sunt voces, quæ vocantur finales, eo quod in unaqualibet harum regulares finiantur cantiones, videlicet D E F G, quæ sunt lichanos hypaton, hypate meson, parypate meson, lichanos meson ; quæ idcirco ex omnibus electæ sunt finales quod inter septem vocum discrimina inveniantur sonoriores, extra quas si vel vetus vel nova cantio finiatur, irregularis et illegitima sine dubio judicatur. Cantus igitur magistri ejusque discipuli, id est primi et secundi modi finitur in D, secundi magistri ejusque discipuli, id est tertii et quarti modi in E, tertii magistri ejusque subjecti, id est quinti et sexti modi in F, quarti magistri ejusque discipuli, id est septimi et octavi modi in G. Sed quia nomina et finales eorum diximus, intensionis et remissionis limites aperiamus.

7. (16) Protus (17) [*itaque authentus, id est primus magister*] constat ex prima specie diapente et ex prima specie diatessaron superius (18) [*non quod ibi prima ejus species exordiatur, sed quod forma et similitudo illius primæ speciei, quæ inferius est, his sub earum chordarum dispositione contineatur, tono scilicet et semitonio et tono*] ; subjugalis vero ejus constat ex eadem specie diapente, et ex eadem specie diatessaron inferius, quod autem dico, tale est : Primus tonus a suo finali, id est, a lichanos hypaton habet licentiam ascendendi in diapente, hoc est, in mese ; et a mese in paranete diezeugmenon, quod est prima species diatessaron, (19) *eo modo, quo prædictum est ;* secundus vero tonus, qui dicitur ejus subjugalis, in eamdem diapente ascendit ; sed per eamdem speciem diatessaron (20) inferius a lichanos hypaton in proslambanomenon per tonum et semitonium itemque tonum descendit. Et protus quidem aliquando unum tonum super diatessaron licenter assumit (21) : similiter et cæteri authentici præter deuterum, qui semitonium tantum admittit. Itemque protus infra finalem suum descendit (22) in sonum sibi vicinum, aliquando in tertium, nunquam vero in legitimis cantibus in quartum. Similiter et alii tres authentici juxta ordinem finalium suorum.

Deuterus constat ex secunda specie diapente et secunda specie diatessaron superius, illo scilicet modo quo supra tractatum est. Subjugalis ejus ex eadem specie diapente, et ex eadem specie diatessaron inferius ; ex superiori autem sermone potes et istud comprehendere. Tritus authentus, qui est tonus quintus, constat ex tertia specie diapente et tertia specie diatessaron superius. Tetrardus authentus [*qui est tonus septimus*] constat ex quarta specie diapente et ex forma primæ speciei diatessaron superius modo dicto. Subjugalis ejus ex eadem specie diapente, et ex prima specie diatessaron inferius (23) [*secundum quosdam, revera tamen forma est primæ illius speciei*]. Omnis itaque tonus subjugalis eamdem habet diapente et diatessaron quam

(16) Hic pergunt iterum codices reliqui.
(17) Uncinis clausa desunt in cit. codd.
(18) Uncinis inclusa desunt in cit. codd.
(19) Addunt cit. Codd. constans ex tono semitonio et tono.
(20) *Adm. addit :* secundum Boetium.
(21) *Adm. addit :* et raro tonum et semitonium.
(22) *Adm.* Idem protus infra finalem descendit in diatessaron, aliquando in diapente, similiter in sonum, etc.
(23) *Lips. addit :* subjugalis ejus ex eadem specie diapente, et ex eadem specie diatessaron inferius. *Inclusa omittit.*

authenticus ejus; differunt autem in hoc quod authentus diatessaron habet supra diapente, subjugalis vero infra.

8. (24) Primus igitur modus vel tonus intenditur ad acutam d, id est paranete diezeugmenon, raro autem ad e, quæ est nete diezeugmenon, et descendit ad C, id est parypate hypaton, rarissime vero ad B quæ est hypate hypaton, habens inter D et d quartam diapason formam, supra vero et infra chordam, et ut dictum est, rarissime duas inferius. Secundus modus ascendit ad a, id est mese, raro autem ad b, vel ♮, id est ad trite synemmenon, vel paramese; remittitur ad A, quæ est proslambanomenos, interdumque adhuc sono inferius, quam moderni, ut supra dictum est, addiderunt, et Γ Græca littera notaverunt. Possidet autem hic modus inter A et a primam diapason speciem, supra vero rarius et infra vocem. Et hi sunt magister primus ejusque discipulus. Magistri autem, id est primi toni cantus incipitur sex nervis, scilicet C D E F G, a, habens cola et commata, id est membra et incisiones, quas distinctiones cantus appellamus, in eisdem. Cantus vero discipuli, id est secundi toni habet principia legalia quatuor A B C D, a multis vero usitata sex A B C D E F, in quibus etiam cola et commata. Quod si primi cantum C, vel D, vel E, vel F, inceperis, non minus quam c. acutam (25), id est trite diezeugmenon, ut cujusmodi sit, ascendendo discernas. Si vero secundi cantum in eisdem incœperis, non minus quam ad B deponas, ut cujus sit remittendo ostendas. Sed in eo judicio quatuor tantum principia unicuique dabuntur discipulo.

Tertius modus intenditur ad e, id est nete diezeugmenon, raro autem remittitur ad D quæ est lichanos hypaton. Habet principalis cantus distinctiones nervis sex D E F G, a ♮ possidens inter E et e, id est inter hypate meson et nete diezeugmenon, quintam diapason speciem, supra vero et infra vocem. Quartus modus ascendit ad ♮, id est paramese, raro ad e quæ est trite diezeugmenon; descendit vero ad B, continens inter B, et ♮ secundam in diapason formam, supra vero chordam. Cujus cantus secundum quosdam sex nervis, legaliter vero quatuor incipitur B C D E, et sex distinguitur B C D E F G. Et hi sunt secundus magister ejusque discipulus. Quod si magistri cantum D vel E incœperis, non minor, quam ad d, id est paranete diezeugmenon, sit modus intensionis : (26) si discipuli, non minor, quam ad C depositionis, ut cujusmodi sit intendendo vel remittendo discernas.

Quintus modus intenditur ad e, quæ est trite hyperboleon, raro autem ad g, et remittitur ad C, hoc est hypate meson, continens inter F et f sextam diapason speciem, supra vero et infra vocem. Cujus cantus principia et distinctiones sunt sex E F G, a b c ab hypate meson ad trite diezeugmenon.

Sextus modus ascendit ad c, quæ est trite diezeugmenon, raro autem ad d, hoc est ad paranete diezeugmenon : et descendit ad C, quæ est parypate hypaton, possidens inter C et c tertiam diapason formam, supra vero aliquando chordam. Cujus cantus principia legalia sunt quatuor, C D E F, secundum quosdam sex, sicut et distinctiones C D E F G a, et sunt tertius magister ejusque discipulus. Si magistri cantum E vel F inchoaveris, ad e, quæ est nete diezeugmenon, sit minimus modus intensionis, discipuli vero ad B remissionis, ut cui deputari debeat tali differentia patefiat.

Septimus modus intenditur ad g, id est paranete hyperboleon, et remittitur ad E, id est ad parypate meson, continens inter G et g septimam diapason speciem, supra vero et infra vocem. Hujus cantus principia et distinctiones sunt sex, F G a ♮ c d. Octavus modus ascendit ad d, id est paranete diezeugmenon, raro autem ad e, descendit vero ad D, id est lichanos hypaton, possidens inter D et d, secundum primum magistrum, quartam diapason formam, supra vero chordam. Hunc enim Ptolomæus adnexuit, et quia diapason octava specie caret, quartam ut primus obtinuit; qui, quamvis eamdem habeat speciem, diversam habet finalem et non eamdem ad C remissionem. Hujus cantus initia ut aliorum discipulorum legalia sunt quatuor, D E F G; usurpata sex, sicut distinctiones D E F G a ♮. Et hi sunt quartus magister ejusque discipulus. Si magistri cantum F vel G incœperis, ad f, id est trite hyperboleon sit minimus modus intensionis; discipuli vero causa supradictæ differentiæ ad E remissionis.

Hæc est regula intensionis et remissionis octo modorum, et hæc est sequenda lex eorum, quam per singulorum tonorum proprii cantus dissonantiam subtilis et cauta modernorum exaravit diligentia. Antiquitus enim authentici, cum plagis etsi non æqualiter intendebantur, indifferenter tamen omnes in quartam vel in quintam chordam remittebantur, quod adhuc multorum cantuum indifferentes inter authentos et subjugales descensus testantur. Unde in pluribus interdum pro ascensu, maxime vero pro descensu fit sæpe dubietas utrum authento an plagi eorum tribuatur proprietas. Hinc juniores subtilius et acutius adjudicando et certius legaliusque discriminantes, nec ex toto antiquis consentiunt, nec ex toto dissentiunt. Aiunt enim oportere inter modos certas esse differentias, ut cujuscunque modi sint, cognoscere possimus cantilenas. Sed si primus modus ab acuta e ad A, id est, a nete diezeugmenon ad proslambanomenon remittatur; secundus vero a paramese, quæ est ♮, ad eamdem A deponatur · si inter A et a, id est, inter mese et proslambanomenon, cantus non excedens componatur et in D utriusque finali regulariter terminatur, incertum est cui potius deputetur. Idem contingit in cæteris; ad quam

(24) In cit. codd. hæc omnia desunt usque infra ad n. 9.

(25) *Lege* ad c. acutam intendas.

(26) *Forte* sicut.

incertitudinem propulsandam præscriptam juniorum probamus regulam (27).

9. (28) (29) Animadvertendum nunc est cum omnis authenticus a suo finali incipiens licenter in nonum sonum ascendat; non quod semper id eveniat, sed quod hæc ejus scandendi sit potestas, et nonnisi in sibi vicinum et aliquando in tertium, ut supra etiam aliquid tetigimus, descendat. Subjugalis vero ejus in quintum locum ascendat, in quartum autem nec non et quandoque in quintum descendat; et ex hoc facilis sit cognitio authentici vel sui subjugalis (30). Quid de his sit sentiendum, qui nec ad diapente pertingunt (31), [*nec inferius diatessaron admittunt*], vel supra diapente diatessaron minime habent, sed nec inferius ad diatessaron pertingunt; vel si diatessaron quidem inferius habent, et supra diapente aliquid, non tamen usque ad diatessaron ascendunt; talis enim ordo super his nobis est servandus. Si quis cantus a finali suo ad diapente non pertingit, nec diatessaron inferius habet pro sui brevitate vel imperfectione, solemus eum subjugali designare, exempli causa, inter protum et ejus subjugalem : antiph. *Benedicat nos Deus Deus;* ant. *Beata mater;* ant. *Cœli cœlorum;* ant. *In omnem terram;* ant. *Juste et pie;* ant. *Juste judicate.* Inter deuterum et ejus plagin : Ant. *Benedicat terra Domino*, licet quantum ad judicium aurium convenientius sonet ad tertium quam ad quartum, non solum præsens regula repugnat, verum etiamsi, juxta hanc sonoritatem, ipsam velis inchoare, nullo modo ad finalem recto tramite poteris canendo pervenire. At si hanc ad differentiam quarti toni ita finias *sæculorum amen*, ac semitonio altius, id est, a parypate meson incipias, absque læsione poteris ad finalem pervenire. Si vero ad diapente quidem pervenit, et nec supra nec infra diatessaron habet; quia diapente amborum commune est, cantus quoque communis sit; ita tamen ut eorum alteri tribuatur cujus et frequentior usus habetur. Ecce has antiphonas vel his similes, id est, ant. *Biduo vivens;* ant. *Lux orta est*, ad protum canimus. Has vero, quæ simili modo incipiunt, in eumdem locum ascendunt ac descendunt in eumdem, id est ant. *O Domine, salvum;* ant. *Oblatus est* ad subjugalem ejus canimus.

Tales vero solent quidam medios tonos vocare. Et quia inter singulos quatuor authenticos et subjugales hujusmodi reperiri possunt, hos quatuor illis octo adjiciunt, et duodecim tonos dinumerare contendunt. Si vero ultra diapente aliquid superius ascendit, nec inferius diatessaron habet, cantus ille authentici erit : quod frequentius, quam ut exemplo indigeat, evenire solet : quamvis hoc non usquequaque procedat, ut in illa antiphona adverti potest, ant. *Iste cognovit*, quæ supra diapente semitonio ac tono ascendit; infra finalem vero duobus tonis descendit. Quam tamen quarto tono ideo aptamus, quia tertio euphonia repugnante nequimus. Item Ant. *Dixit Cæsar ad Hippolytum*, cum tono et semitonio supra diapente altius ascendat, non tamen hanc secundum regulam septimo, sed octavo regimus tono, non id artis magisterio dictante, sed vocis sono cogente. Sin autem inferius diatessaron habuerit, subjugalis erit, ut in hac ant. *In spiritu humilitatis*, ubi in eo loco : *sic fiat*, diapente tono supergreditur, sed quia diatessaron habet inferius hoc loco : *hodie*, subjugalis, ut supra diximus, erit. Vel certe si utrumque, et supra diapente et infra diatessaron invenitur habere, authentico magis debet aptari. Quanquam hæc regula partim cantorum inscitia, partim longo usu inveterato constet omnino in multis vitiata, tum in quotidianis antiphonis, quæ inveniuntur compositæ ex psalmis, tum etiam in aliis plurimis cantionibus, in nocturnis videlicet ac diurnis. Quod quidem ad regulam aliquatenus posset corrigi, si inolita consuetudo ab ore cantantium potuisset ullo modo evelli, ut ex paucis subter positis liquebit exemplis. Ant. *Petrus autem servabatur*, quæ cum sit primi toni, et per suum diastema vel systema, hoc est, cola et comma, semper ad finalem primi toni recurrat, ita canendo, ant. *Petrus autem servabatur in carcere*, (32) item, *Et oratio fiebat pro eo sine intermissione ab Ecclesia.* Ubi in a, syllaba apud quosdam incipit a recto deviare, et in tertium vel quartum tonum declinare, quod tamen talibus neumis, si quis curat, poterit emendare, ut sic canat, *ab Ecclesia ad Deum.* Item ant. *Et respicientes*, ant. *Pastor bonus*, cum sint magis tertii toni, apud plerosque minus regulariter sortiuntur finem octavi. Quod taliter potest corrigi, si in fine harum antiphonarum, ubi canendum est *Alleluia*, a prima syllaba, id est *al.*, quæ venit in mese, per diatessaron in medio, vocibus connumeratis, in finalem descendat ita (33) : *Alleluia.* Ideoque magis has tertii toni auctoritate regimus, quia juxta illum supra diapente diatessaron habent; juxta octavum vero inferius diatessaron carent, cum supra diapente altius tono abundent

10. Interdum etiam miro quodam evenit modo ut unum idemque melum æque congruenterque cantari possit hoc et illo tono, veluti hæ antiphonæ, ant. *Gloriosi principes;* ant. *Malos male;* ant. *Novit Do-*

(27) Hic rursus ponuntur ea quæ supra jam p. 1106 posita sunt, scil., *Protus constat ex prima*, etc., usque ad *primus igitur modus*, p. 1107, n. 8.

(28) *Admont.* Animadvertendum nunc est, cum omnis authenticus a suo finali incipiens licenter in nonum sonum ascendat, aliquando in decimum vel in undecimum, quod tantum evenit in deutero, qui in undecimum ascendit, sed nonnisi in quartum, aliquando in quintum descendat; subjugalis vero ejus in quintum locum ascendat, et insuper aliquando in tonum, in quartum autem, nec non quandoque in quintum descendat. Et ex hoc facilis sit cognitio, etc.

(29) *Hic rursus pergunt codices.*

(30) Hic desinit *Ottoburanus.*

(31) Clausa desunt. in *Lips.* et *S. Emer.*

(32) Cum notulis.

(33) Cum notis.

minus; ant. *Nemo te cond.*; ant. *Qui odit*; quæ tam sexto quam octavo reguntur et finiuntur. Quas nonnulli magis violenter quam vere ad tertium tonum conantur inflectere. Item hoc ℣ *Genti peccatrici* tam triti quam tetrardi sono regitur; unde ejusdem responsorii versus apud alios ad triti, id est quinti toni modum ita canitur, ℣ *Esto placabilis* (34), apud alios vero ad tetrardum sic, ℣ *Esto*. Antiphonæ, quæ uniformiter ab O incipiunt, ut ant. *O sapientia*, ant. *O rex gentium*, et his similes, velut in quodam bivio inter protum et ejus subjugalem consistunt, eo quod tono diapente in omnibus supervadunt, diatessaron inferius in quibusdam habent, in quibusdam vero minime. Sed frequentior usus in subjugali prævaluit, quia in ejusmodi cantilena aliquoties non solum diatessaron, sed et diapente invenitur inferius, ut in illa antiphona *O Rex gloriæ*, in illo loco, *spiritum*, sed hæc apud quosdam. Quanquam illi non errent qui eas duntaxat, quæ diatessaron inferius non habent, ad protum inflectunt.

11. Propter hujusmodi aliosque devios errorum anfractus debet peritus cantor caute inspicere utrum cantus regulari a suo finali incipiat ordine, an legitime currat, ne quid naturali vitiata qualitate absonum fiat; si rata tonorum semitoniorumque dimensione consonantiæ bene conveniant, ne extra metam inferius aut superius canendi exordium sumat; si ad finalem suum recto legis tramite recurrat; qui finales illius et illius existant. Finales ergo sunt lichanos hypaton, hypate meson, parypate meson, lichanos meson. Omnis ergo proti (et subjugalis ejus, id est, primi ac secundi toni melodia lichanos auctoritate regitur ac finitur. Deuteri vero, ejusque subjugalis, id est, tertii ac quarti hypate meson regitur ac finitur. Tritus cum suo subjugali, id est, quintus cum sexto parypate meson regitur et finitur. Tetrardus cum suo subjugali lichanos meson sono regitur et finitur. Et hæc est eorum regula ad quodlibet melum inchoandum, ut nec supra quintum superiorem, nec infra quintum inferiorem locum aliquando incipiant, sed inter eas octo voces vel aliquando novem initia sua cohibeant.

Notandum vero est quod quinto semper loco superioribus cum inferioribus finalibus quædam talis concordia est, ut aliqua mela in eis quasi regulariter inveniantur finire, velut hoc responsorium, *Factum est dum tolleret*. Quod quidem regulariter incipiens, sed extra regulam ultra nonum in decimum sonum ascendens, nequaquam terminat in lichanos hypaton finali, sed in mese ejus sociali. Eodem modo clauduntur ℣ *Terribilis est*; communio *Cantabo Domino*. Hoc ergo socialitatis fœdus obtinet lichanos hypaton cum mese, hypate meson cum paramese, parhypate meson cum trite diezeugmenon, lichanos meson cum paranete diezeugmenon. Cum inferioribus quoque quartis, et in quibusdam quintis parem habitudinem habent; quamvis hoc magis ad initia illorum, quam ad finem pertinere soleat. Fit etiam miro quodam modo ut finales non solum in quintis, ut diximus, regionibus suos habeant sociales, verum etiam in quartis superioribus locis sibi inveniant compares, ut quemadmodum membra cantionum, quæ sunt cola et commata, in finalibus et in quintis locis, ita per arsin et thesin consistant sæpius in quartis. Amplius autem, quod omnis tropus, sive ille authenticus sit, sive plagis, si quarto a finali loco diligentius intueatur, mira ac divina quædam concordia inveniatur, ita ut si quis cantus a finali in quartum locum transponatur, legitime videatur sub eodem modo vel tono currere, et in eodem velut in finali regulariter desinere: adeo ut pleraque mela ab ipsis finalibus seu dextera lævaque apta incepta minus conveniant propter semitonia, quæ desunt per loca; a superioribus vero inchoata absque ullius soni diminutione decurrant modeste, finiantque in socialibus honeste. Ut enim hoc clarius elucescat, ex quarto tono ponamus hæc sub exemplo. ant. *Factus sum*, ant. *O mors ero*, ant. *Sion renovab.*, ant. *Sion, noli timere*, ant. *Vade jam*. Si has antiphonas tertio a finali loco, id est, a lichanos meson incipere volueris, in modulando deficis, dum semitonium, ubi esse debuit, minime reperis. Sin autem quartum locum, id est mese, attendas, ac interposito primum semitonio in synemmenon, deinde tono, sicque tertio loco, hoc est, paranete synemmenon easdem inchoaveris, totam cantilenam absque sui læsione videbis decurrere, donec ad finalis sui comparem, id est, mese eam contingat in fine pervenire.

Similiter ejusdem modi antiphonas, videlicet ant. *Ad te, Domine, levavi*, ant. *Ex Ægypto vocavi*, si a finali ordiri contendis, minus apte in medio convenire pervidebis. Si autem quarto loco, id est, mese incipiunt, absque neumarum dispendio modulantur, donec ibidem finem sortiantur. Quod quidam minus intuentes, magis has et hujusmodi putant septimo, quam quarto regi tono, quanquam non negent easdem finem sortiri in quarto. Idem neumarum defectus in illa communione *Beatus servus*, quæ est tertii toni, proveniet, nisi ab hypate meson transposita in mese fuerit. Non minimum etiam a plerisque erratur in his antiphonis, ant. *Ante me non est formatus*, ant. *Ex quo facta*; qui putant eas in principio septimo tono debere regi, propter similitudinem cantilenæ, quam videntur cum superioribus in initio habere, cum apertissime constet, easdem et ab ipso primi toni finali congruenter incipere, legitime per diastemata et systemata in quartis vel quintis locis currere, regulariterque in eodem finali terminum sortiri. In octavo quoque si illam communionem *De fructu operum*, a finali cantare cœperis, in medio cantilenam minus apte convenire per sua limmata vel semitonia cognosces. Si vero post duos tonos et unum semitonium quarto loco orditus fueris, totam cantilenæ hujus seriem per

(34) Cum notulis.

ordinabilem progressionem senties ad socialis sui pertinere finem.

Idipsum in quintis locis evenire solet, verbi gratia, nisi enim hæ antiphonæ, *Alias oves habeo; Domine, qui operati sunt*, quæ sexti sunt toni, in quintum transponantur locum, hoc est a parhypate meson in trite diezeugmenon, nequaquam in regulari monochordo servare poterunt ordinem suum.

Hæc pauca pro exemplis sint posita. Cæterum ut in hujusmodi defectionibus solet necessario synemmenon in superioribus aliquando suffragari, ita nonnunquam videtur refragari, in his duntaxat cantibus, qui in inferioribus per synemmenon decurrunt; cujus vicem in superioribus supplere nequeunt, sed et hoc aliquando, non semper. Hoc vero in talibus est observandum, ut si cantus a finali incipiat, quarto loco nihilominus incipere valeat, sin autem inferius vel superius, quoto loco ibi a finali tono, hic ordiatur a quarto sociali.

Oportet etiam et illud considerare ut cum in omnibus subjugalibus tonis ascensus usque in diapente et ultra suppetat, protus quoque usque in nonum sonum in talibus ascendere valeat (35), et tres alii authentici, videlicet quintus et septimus, in locum regulariter sibi ordinatum deficientibus nervis minus proveniant, quod doctus cantor, quoties id ratio exposcit, inferius redeat, ut per octava loca voces resumat, quas in superioribus non invenerat. Sed quando vocum intervallo singuli authentici vel laterales eorum supra vel infra a finalibus distent in differentiis suis, vel quam ad ultimam *sæculorum. Amen* syllabam habitudinem seu spatiorum dimensionem habeant, melius ostendemus, cum in ipso tonorum libello suis in locis id explicare curabimus, quia arctius memoriæ commendatur quidquid præ oculis habetur. Hoc tamen interim breviter notandum quod omnis principalis sonus, sive ille sit authentici cujuslibet sive plagis ejus, semper a finali suo, in quem regulariter desinit, incipiat.

12. Differentiæ vero, quæ ornatus causa peritorum cantorum placito sunt inventæ, a nobis ita sunt ordinatæ, ut cujusque toni differentia, si qua in ipso finali incipiat, primum locum obtineat, secunda vero proximum inferius locum, sicque inferius quousque invenitur progreditur. Deinde superius proximo, quo occurrit, loco iterum incipiat currere ordine suo usque dum ad quintum locum perveniat, ubi unusquisque finalis socialem suum inveniat, quatenus ipse finalis quasi quidam dux, ac princeps moderatorque in medio residens, ex utraque parte sui differentiis condat legem inchoandi. Ipsas vero differentias quidam definitiones vocant. In quo providendum, ne dum quis verbum definitionis audierit, eo sensu accipiat quo sapientes definierunt, definitionem dictam esse orationem quæ id quod definit explicat quid sit. Sed hic definitionem nihil aliud quam differentiam intelligat, qua initia cantus vel *sæculorum. Amen* a sono principalis toni sive in extensione, sive in remissione, sive etiam eodem loco incipiendo, suavi ac concordabili quadam differunt diversitate. Quanquam nos rectius differentias quam definitiones dici debere arbitremur, maxime cum non aliquid ibi quid sit definiamus perorando, sed varie *sæculorum. Amen* canendo, aliterque melum ordiendo sonum discernamus a sono (36).

13. Inveniuntur et moduli ad vim cujusque toni investigandam antiquitus constituti, ut puta *Noan Noeane. Noeis Noeane* (37). In quibus magis intelligimus syllabas modulationi aptas quam significativas rerum notas, quas una cum aliis versiculis a modernis tam ad antiphonas quam ad introitus et communiones repertas, in capite singulorum tonorum apposuimus, quatenus per hæc rudi cantori facilior pateret via intelligendi.

14. Cæterum si quis cantus contra legem finalium ortus incœperit, vel aliter contra regulam in processu variaverit, nec debito fini occurrerit, ita ut ab uno tono ordiatur et in alio terminetur, hic talis magis nothus quam legitimus est judicandus. Quapropter non solum hæc atque alia hujusmodi vitia in cantionibus sunt præcavenda, verum etiam pervigili observandum est cura uti attendas in neumis, ubi raræ (38) sonorum morulæ breviores, ubi vero sint metiendæ productiores, ne raptim et minime diu proferas quod diutius et productius præcinere statuit magisterialis auctoritas. Neque audiendi sunt qui dicunt sine ratione omnino consistere quod in cantu aptæ numerositatis moram nunc velociorem, nunc vero facimus productiorem, si grammaticus quilibet te reprehendit, cum in versu eo loci syllabam corripias ubi producere debeas, nulla alia causa naturaliter existente cur magis eam producere debeas, nisi quia antiquorum ita sanxit auctoritas; cur non magis musicæ ratio, ad quam ipsa rationabilis vocum dimensio et numerositas pertinet, succenseat quodammodo, si non pro qualitate locorum observes debitam quantitatem morarum? Si aliquando offendere te potuit male prolatum, quod est extra te, quanto magis, quod est infra (39) te? non enim grammatica, sed musica hominem consistere percepimus: quod, ut viri eruditissimi verbis utar, quisquis in sese ipsum descendit, intelligit.

Idcirco ut in metro certa pedum dimensione contexitur versus, ita apta et concordabili brevium longorum sonorum copulatione componitur cantus, et velut in hexametro versu, si legitime currit, ipso sono animus delectatur. At si verso ordine in penultimo spondæum, in ultimo dactylum admittit, vel si quis in secundæ conjugationis verbo acuto ae-

(35) *Ad.* et ultra aliquando ascendere valeat, etc.

(36) Hic desinit prologus in cod. *Admontensi*, sequiturque tonarius nomine Guidonis, paulum a Bernonis tonario diversus.

(37) *S. Em. et Lips.* Noeais, Noeoeane.

(38) *Lips.* ratæ.

(39) Sic omnes, sed omnino legendum *intra*.

centu in antepenultima pronuntiat ita, *dócete;* vel in tertia conjugatione in penultima circumflexo, *legîte*, omnino ipsa auditus novitate tabescit : sic in cantilena ex veterum auctoritate apta et modesta modulationum coaptatione conjuncta, tota animæ corporisque compago delectatur ; sicut econtrario ab audiendi voluptate se suspendit, si quid in ea depravatum sentit.

Quisquis igitur sibi videtur sine artis hujus notitia bene canere, cum interrogatus de numero vel de intervallis acutorum gravium*que* sonorum nesciat respondere, vultque solummodo aurium sensui credere, non autem rationi magistræ, cum utrorumque judicium sit exquirendum, amplius tamen rationis, quæ ipsam veritatem integritatemque ad liquidum in rerum natûra, in quantum possibile est, ex munere omnipotentis Artificis comprehendit, is, inquam, talis magis lusciniæ, quæ verno anni tempore ac si numerose et suaviter canat, est comparandus quam peritus cantor habendus. Quocirca sit nostræ musicæ cantilena rata sonorum quantitate distincta, neumarum gravitate ponderata prudenterque conjuncta, modesta, simplex et mascula, nec effeminata, quatenus ejus dulcedine attacti incitemur ad psallendum Domino læti, semper memores Psalmistæ vocis admonentis : *Psallite sapienter.*

15. Enimvero sapienter psallimus, si non solum quæque intervalla musicis sonis congruenter aptata observamus, verum etiam, quo harmonice spatio ipsi authentici cum subjugalibus suis inter se differant, si diligenter intendimus, ne qua confusibilis inter seipsos commutatio fiat, quæ magis absoniam reddat. Et quoniam tritus ac deuterus discernibili inter se, hoc est semitonii dirimuntur intervallo, cæteri vero distant tono ideoque minus aperte dignosci valent eorum proprietates in sono, singulorum quatuor diapente cum verborum modulatione curavimus subternotare, quatenus ex illorum ordinis circumstantia facilius cujuscunque possit comprehendi notitia.

Igitur cum omnium diapente ex tribus tonis et semitonio constet, in eo maxime, cujus horum diapente sit, agnoscitur, si quoto semitonium positum sit loco, non negligenter inspicitur. Diapente proti post duos tonos semitonium admittit; diapente deuteri post tres tonos, diapente triti primo loco semitonium habet; diapente tetrardi post unum tonum. A Ex hoc namque colligitur quam veridicam super his quidam sapiens proferat sententiam. Protus, inquit, et tetrardus contrarii sunt, eo quod diapente proti prius habeat duos tonos, et postea semitonium, et in fine tonum ; diapente vero tetrardi prius tonum et semitonium, postea duos tonos. Concordant autem prima specie diatessaron, excepto quod tetrardi est superior. Deuterus et tritus omnino sunt contrarii, cum diapente deuteri prius tres tonos habeat et postea semitonium; diapente vero triti prius semitonium, post tres tonos, et diatessaron deuteri sit duorum tonorum et semitonii, diatessaron autem triti semitonii et duorum tonorum. Si converteris diapente proti, efficitur diapente tetrardi; rursus diapente tetrardi conversa resonat diapente proti; B diatessaron vero ipsorum non convertitur. Si converteris, diapente deuteri efficitur diapente triti; rursus triti diapente conversa resonat diapente deuteri. Similiter potest converti diatessaron eorum.

Nunc igitur, ut supra promisimus, ponamus singulorum diapente, uniuscujusque a proprio finali incipientes, et per quinas syllabas, connumeratis quæ in medio sunt vocibus, ascendamus, itemque per alias quinas in usque finales simili modo descendamus, ita proti diapente modulando : *Principium ego sum et finis;* deuteri vero sic : *Duo charitatis præcepta sunt ;* triti vero in hunc modum : *Tria sunt munera pretiosa ;* tetrardi vero sic concinendo : *Nomen Domini tetragrammaton.* His ita se habentibus, C ne quis me sine pudoris respectu jaculo reprehensionis feriendum putet, eo quod quasdam differentias, quibus aliqui moderni utuntur, huic operi minime addiderim, noverit mihi id studii fuisse magis eorum qui ante nos ætate et scientia rectius sapuerunt, observare voluisse constitutiones quam vocum sequi novitates. Et ne omnino intactas easdem relinquam, in primo tono aliis quam nos utuntur differentiis, ad hanc antiphonam : *Biduo vivens*, ita *sæculorum. Amen*, itemque *sæculorum. Amen ; O beatum pontificem*, tono videlicet inferius finientes, multaque id genus, in quarto vero in hac antiphona *nos scientes ;* in septimo in ista *Loquebantur*, peregrinos quosdam modulantur sonos; et si qua inveniri possunt similia. Nunc vero, si adeo hujusmodi novæ D sonoritatis flagrant desiderio, agant ut libet animo. Ego vero jam desinam multa loqui, ut finis sit prologi.

TONARIUS BERNONIS

Ex cod. Palatino biblioth. Vatic., collato cum codice Admontensi.

Authenticus protus constat ex prima specie diapente, et ex prima specie diatessaron superius. Hujus ultima syllaba in *sæculorum. Amen* altius distat a finali diatessaron intervallo.

NONANNOEANE.

Primum quærite regnum Dei.

Sæculorum. Amen.

Lichanos hypaton.

A. *Angelus Domini nuntiavit*, etc. (40).

Differentia prima (41), quæ a finali quidem incipit, sed mox in quintum sonum ascendit, ut sicut antiphona ab ultima *sæculorum. Amen* syllaba in gravitate, ita secunda neuma distet diapente a prima in acumine.

Sæculorum. Amen, lichanos hypaton; ant. *Domine, Dominus noster*, etc. Hæ antiphonæ tono inferius cum subsequenti differentia taliter *Vadit. Amen*, incipiunt, sed cum superiori post contiguum tonum statim in diapente consurgunt ideoque in medio ambarum hic eas collocavimus, ut cuilibet earum illas B attribuas, non delinquas. Ant. *Amice, non facio*, etc.

Differentia secunda ab ultima syllaba *sæculorum. Amen* per diatessaron, vocibus quæ sunt in medio annumeratis, finalem usque descendit sicque tono inferius incipit.

Sæculorum. Amen, ant. *Amen, dico vobis*, etc. Hæ antiphonæ, licet a finali incipiant, tamen quia per quilismata, quæ nos gradatas neumas dicimus, magis gutturis quam chordarum vel alicujus instrumenti officio modulantur, potius hujus differentiæ sono quam principali ipsius authentici promantur modo.

Sæculorum. Amen; ant. *Columna es;* ant. *Euge, serve bone.*

Hæ antiphonæ tono ac semitonio superius a finali suo sub ejusdem differentiæ sono incipiunt. Habet etiam hæc eadem differentia in his et in aliis similibus vicinitatem quamdam cum eo qui est plagis proti.

Parhypate meson. Ant. *Ananias, Azar*, etc. Differentiæ tertiæ hujus *sæculorum. Amen* a finali diatessaron intervallo distat; ipsa autem ab eadem finali tono et semitonio inchoatur superius, tono ab *Amen* inferius.

Sæculorum. Amen; ant. *Apertis thesauris*, etc. Differentia quarta, quæ cum eodem loco quo et superior ordinatur, melius tamen sono vocis per *Amen* in fine dignoscitur.

Sæculorum. Amen; ant. *Alleluia ego sum vitis*, D etc. Differentia quinta ultimam sui *Amen* syllabam quinto loco a finali superius deponit, ordiendi vero melum in medio diapente (42) initium sumit.

Sæculorum. Amen; ant. *Circumdantes.* Differentia sexta *Amen* quarto a finali loco in acumine deponit, canendi vero exordium tono inferius assumit in parhypate meson; quidam vero altius hoc ad lichanos meson inchoant.

Sæculorum. Amen; ant. *Ave, Maria*, etc. Plagis proti constat ex eadem specie diapente qua et authenticus ejus, et ex eadem specie diatessaron A inferius. In eodem vero finali, ubi incipit, *sæculorum. Amen*, finit.

Noeais.

Secundum autem simile est huic.

Sæculorum. Amen; ant. *Michael archangele*, etc. Hæ tono a finali distant in gravitate, reguntur tamen eodem sono.

Ant. *Assumpsit Jesus.*

Hæc una differentia semitonio ac tono distat a finali in acumine, quæ fit magis intervallo quam sono.

Sæculorum. Amen; ant. *A sæculo non est*, etc. Authenticus deuterus constat ex secunda specie diatessaron (43): finit *sæculorum. Amen* altius semitonio ac tono. B

Noeane.

Tertia dies est quod hæc facta sunt.

Sæculorum. Amen; ant. *Accipiens Dominus septem.* Differentia prima semitonio et tono superius incipit, ubi et ultimam syllabam finit.

Sæculorum. Amen; ant. *Fac benigne.*

Differentia secunda semitonio ac tono altius incipit *Amen* suum, a se toni, a finali vero diatessaron finit intervallo.

Sæculorum. Amen. Lichanos meson; ant. *Domine, probasti me.*

Differentia tertia in eadem quidem chorda, qua et superiores, melum inchoat, sed ultimam *amen* syllabam a finali sexto loco determinat. C

Sæculorum. Amen; ant. *Accipiens Simeon*, etc.

Harum antiphonarum cantilena sexto loco a finali contra artem incipiunt, ubi et *amen* finit. Ant. *Vivo ego;* ant. *Unum opus feci.*

Differentia quarta eumdem quem et superior ordiendi obtinet locum, sed non similem in penultimo. *Amen* reddit sonum. Unde non adeo delinquit, si quis vel superiores antiphonas hujus soni tenore proferat, vel istas superiores differentias sono in concinendo pronuntiet.

Sæculorum. Amen, vel ita *Sæculorum. Amen;* ant. *Auferte ista*, etc.

Plagis deuteri constat ex secunda specie diapente, sicut authenticus ejus, et ex secunda specie diatessaron inferius. D

Noeais.

Quarta vigilia venit ad eos. Sæculorum. Amen; ant. *Annuntiate*, etc.

Differentia prima *sæculorum. Amen*, semitonio altius a finali determinat, at vero melum tono inferius inchoat.

Sæculorum. Amen; ant. *Ambulabunt mecum.* Differentia secunda duobus infra finalem tonis incipit; *amen* syllaba inter utrasque chordas media quievit.

Sæculorum. Amen; ant. *Accesserunt ad Jesum*, etc.

(40) *Adm.* Hæ antiphonæ non in finali incipiunt, sed superius tono ac semitonio, id est, in parhypate meson. A. *In lege Domini*, etc.

(41) *Adm.* secunda.

(42) *Adm.* id est in parhypate meson.

(43) Videtur legendum : *Authenticus deuterus constat ex secunda specie diapente, et secunda specie diatessaron.*

Differentia tertia ultimam syllabam *amen* semitonio et tono ultra finalem deponit, canendi autem exordium infra uno tono assumit, sicque initium et finem, id est *amen*, diatessaron recte conjungit.

Sæculorum. Amen. ant. *Ante torum.*

Differentia quarta *amen* in finali deponit, semitonio superius incipit; sed in quibusdam finalem, in quibusdam autem tertium a finali obtinet locum.

Sæculorum. Amen. ant. *Anxiatus est.*

Hac finali incipiunt sub eadem differentia, excepto quod in his antiphonis, ant. *Ad te, Domine, levavi*, ant. *ex Ægypto vocavi*, minus recte semitonium evenit, si a finali cantilena currere cœperit. Qualiter vero absque neumarum dispendio valeant modulari, plenius in procœmio notare curavi. Ant. *Ad te, Domine, levavi*, etc. Isti vero semitonio et tono superius sub eodem sono incipiunt, Ant. *Benedictus Dominus*, etc.

Differentia quinta in tertia a finali chorda, ubi *amen* deponit, initium sumit Lichanos meson.

Sæculorum. Amen; ant. *A viro iniquo.*

Differentia sexta semitonio et tono superius incipit, *amen* in diatessaron a finali concludit.

Sæculorum. Amen; ant. *Factus sum sicut.*

Hæc antiphona ad finalem diatessaron ad ultimam syllabam *amen* resonat, superius diapente; attamen dulci quodam canori gutturis reflexu facit discrimen ab alterius differentiæ sonitu

Sæculorum. Amen; ant. *Nisi diligenter, non*, etc.

Authenticus tritus constat ex tertia specie diapente, et ex eadem specie diatessaron superius.

Noeaocane.

Quinque prudentes intraverunt ad nuptias, etc.

Sæculorum. Amen; ant. *Adhuc multa.*

Quidam hanc a mese incipiunt ant. *Laudem dicite*, etc. Differentia prima supra finalem duobus tonis incipit, ubi et amen finit.

Sæculorum. Amen; ant. *Exsultavit Spiritus*, etc.

Differentia secunda, ubi et superior *amen* finit, melum vero per diapente a finali superius incipit.

Sæculorum. Amen; ant. *Alleluia, quem quæris.*

Plagis triti constat ex eadem specie diapente, qua et authenticus ejus, ex eadem specie diatessaron inferius.

Noeais.

Sexta hora sedit super puteum. Sæculorum. Amen; ant. *Ascendente.*

Hæc sola tono altius apud quosdam incipit ant. *Desciens mater.*

Hæ iterum ubi superiores incipiunt; ant. *Notum fecit*, etc.

Hæc semitonio ac tono inferius sub eodem sono incipit ant. *Si ego verus Christi.*

Hæc differentia sexti toni *amen* tono superius finit, incipiendi autem exordium ab ipso finali sumit. Parhypate meson. *Sæculorum. Amen;* ant. *Benedictus Dominus;* ant. *Benedixit.*

Authenticus tetrardus constat ex quarta specie (44) *Cum notulis.* diapente, et ex prima specie diatessaron superius.

Nocoeane.

Septem sunt spiritus ante thronum Dei; sæculorum. Amen; ant. *Benedicta tu*, etc. Hæc antiphona uno tono superius incipit; ant. *Ipse præibit.*

Differentia prima a finali quidem ut principalis tonus incipit, et *amen* quinto loco superius per diapente finit, sed post initium cantilenæ variando se dignoscitur a principali differre.

Sæculorum. Amen; ant. *Assumpta est*, etc.

Differentia secunda a finali incipit, *amen* tono superius deponit.

Sæculorum. Amen; ant. *Accipite Spiritum*, etc.

Differentia tertia item a finali incipit, statimque in tertium locum ascendit, ubi et *amen* deponit.

Sæculorum. Amen; ant. *Ascendo ad.*

Differentia quarta ultimæ *amen* syllabæ per diapente in finali concinit, ac reciproca vice de ipsa finali in eamdem consonantiam redit.

Sæculorum. Amen; ant. *Aqua comburit.*

Hæ antiphonæ, licet post ascensum in diapente mox in alium se modum mutent, ad eamdem tamen differentiam se habent; ant. *Argentum et aurum*, etc.

Differentia quinta duobus tonis superius incipit, tono diatessaron *amen* a finali desinit.

Sæculorum. Amen; ant. *Benedicta filia.*

Differentia sexta quarto a finali loco superius *amen* finit ibidemque incipit.

Sæculorum. Amen; ant. *Aquæ multæ.*

Differentia septima a suo finali in *amen* per diapente in acumine distat, per diatessaron inchoat; differt enim ista a superiori quod hæc a finali raro ad diapente pervenit, illa vero non solum in diapente licenter pertingit, verum etiam aliquando contra legem ulterius procedit.

Sæculorum. Amen; ant. *Deus deorum*, etc.

Differentia octava quasi rara ac barbara in ultimo ponitur extraordinaria, quæ *sæculorum. Amen* quarto loco a finali inferius deponit; melodiam vero aliquando quinto orditur loco, ita ut diapente intervallo distet a finali suo, aliquando vero quatuor, ut subjectis liquebit exemplis.

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen (44); ant. *Angeli Domini* ant. *Martyres Domini.*

Simili modo istæ tonantur, quamvis inferius ordiantur. Ant. *Nos qui vivimus;* ant. *In Ecclesiis bened.*

At vero hæ, quæ sequuntur, licet in eodem loco inchoent, magis tamen principali sono per diapente respondent.

Sæculorum. Amen; ant. *In camino ignis;* ant. *Sapientia clamitat*, ant. *Stabunt justi.*

In his enim tribus a primo supremo usque ad nonum sonum cantilena inflectitur ita ut a finali, qui est lichanos meson, singulas chordas tangendo in quintum phthongum utraque regione ducta protendatur.

Modi vel tropi, quos usualiter tonos vocamus, nocturnalium responsoriorum, licet a diversis chordarum sedibus incipiant, tamen unusquisque illorum per uniformem versuum suorum modulationem facilem sui præbet cognitionem; veluti ex paucis, quæ pro exemplo subter notavimus, manifestus patet intellectus. Nisi forte multiplicata neumarum (45) variarum velit quis ipsorum versuum modulationem decentius adornare.

AUTHENTICUS PROTUS.

℟. Beata es, Maria.
℣. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.
℟. Confirmatum est.
℣. O regem cœli cui. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto.

PLAGIS PROTI.

℟. Sancta et immacul.
℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.
℟. Agnus Dei Christus.
℟. Lætentur cœli.
℟. Audi, Israel. Gloria Patri.

AUTHENTICUS DEUTERUS.

℟. Congratulamini.
℣. Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum; si tu sustulisti eum, dicito mihi.
℟. Postquam impleti sunt.
℣. Salvatorem exspect. Gloria Patri.

PLAGIS DEUTERI.

℟. Rex noster adveniet.
℣. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.
℟. Sicut cedrus.
℟. Dum transisset.
℟. Ascendens in altum. Gloria Patri et Filio.

AUTHENTICUS TRITUS.

℟. Benedictus qui.
℣. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.
℟. Angelus Domini locutus.
℟. Hodie nobis cœlorum. Gloria Patri et Filio.

PLAGIS TRITI.

℟. Aspiciebam in visu.
℣. Ecce dominator Dominus cum virtute veniet.
℟. Beata es, virgo Maria.
℟. Decantabat populus.
℟. Modo veniet. Gloria Patri.

AUTHENTICUS TETRARDI.

℟. Beata viscera Mariæ.
℣. Dies sanctificatus illuxit nobis; venite, gentes, et adorate Dominum.
℟. Elisabeth Zachariæ.
℟. Puer meus, noli.
℟. Aspiciens a longe. Gloria Patri, et Filio.

PLAGIS TETRARDI.

℟. Dies sanctificatus.
℣. Venite, adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster.

(45) *f.*, varietate.

A ℟. Doceam iniquos vias.
℟. Sicut mater consolatur.
℟. Oravit Jacob.
℟. Senex puerum. Gloria Patri.

Toni pertinentes ad introitus et communiones per consuetam modulationem *Gloria Patri* satis possunt discerni. Quæ dum in singulis tam in antiphonis, quæ dicuntur introitus, quam in communionibus uniformiter vadat; nos tamen pro conservando cantandi ordine quædam gradalia, alleluia, offertoria curavimus interponere.

AUTHENTICUS PROTUS.

Primo pro culmine tuæ quærere justitiæ, Domine, verum summum quoque lumen fac nos; petimus ut in cœlo semper tibi jubilemus. Amen.

B Sæculorum. Amen.
Ant. Gaudete in Domino.
Ant. Exsurge quare.
Ant. Exaudi, Domine, vocem.
Ant. Laudate, pueri.
Ant. Justus ut palma.
Ant. Justus non conturbabitur.
Ant. Dicit Dominus : Sermones.
Ant. Da pacem, Domine.
Ant. Statuit ei Dominus.
Ant. Factus est Dominus.
Ant. Justus es, Domine.
Ant. Etenim sederunt.
Ant. Misereris omnium.
Ant. Ego autem in Domino.
C Ant. Exclamaverunt.
Ant. Dominus secus mare.
Sæculorum. Amen.
Ant. Rorate, cœli.
Ant. Gaudeamus omnes.
Ant. Suscepimus, Deus.
Ant. Inclina, Domine, aurem.
Sæculorum. Amen.
Ant. Lex Domini irrep.
Ant. Meditatio cordis.
Ant. Sapientiam sanctorum.
Ant. Salus autem.
Ant. Scio autem cui credidi.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper, et in sæcula D sæculorum. Amen.

Gradalia.

Grad. Miserere mei, Deus.
Grad. Beata gens cujus.
Grad. Posuisti, Domine.
Grad. Sacerdotes ejus.

Alleluia.

Al. Qui timent Dominum.
Al. Justus ut palma.
Al. Mirabilis Dominus.

Offertoria.

Of. Repleti sumus.
Of. Jubilate Deo univ.

Of. Benedicam Domino.

Communiones.

Com. Ecce Virgo conc.
Com. Vos qui secuti.
Com. Qui vult venire.
Com. Panis quem ego.
Com. Principes persecuti sunt.
Com. Manducaverunt.
Com. Cum invocarem te.
Com. Domine, Dominus noster.
Com. Cantate Domino.
Com. Gaudete, Justi.
Com. Psallite Domino.
Com. Petite et accip.
Com. Confundantur superbi.
Com. Posuerunt mort.
Com. Notas mihi fec.
Com. Amen dico vobis.
Com. Etsi coram hom.
Com. Dominus dabit benignitatem.
Com. Revelabitur gloria.
Com. Viderunt omnes.
Com. Fili, quid fecisti?

Rectius has regeret authenticus tetrardus, si inveteratus permitteret usus.

Com. Illumina faciem.
Com. Quicunque fecerit.
Com. Amen dico vobis.
Com. Data est mihi.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PLAGIS PROTI.

Secundum quæ legis verbum, mutua quo dilectione Dei et proximi, Christe, mandasti colere, quo per hæc geminæ observantiæ præcepta reddamus. Amen.

Sæculorum. Amen.

Ant. Dominus dixit ad me.
Ant. Redime me, Domine.
Ant. Ex ore infantium.
Ant. De ventre matris.
Ant. Vultum tuum.
Ant. Fac mecum, Domine.
Ant. Clamaverunt.
Ant. Terribilis est.
Ant. Multæ tribul.
Ant. Sacerdotes ejus.
Ant. Sitientes, venite.
Ant. Mihi autem nimis.
Ant. Veni et ostende nobis.
Ant. Ecce advenit.
Ant. Lætetur cor. quær.
Ant. Cibavit eos.
Ant. Dominus illuminatio.
Ant. Dominus fortitudo.
Ant. Me exspectaverunt.
Ant. Venite, adoremus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Gradalia.

Grad. De necessitatibus.
Grad. Universi qui te.
Grad. Ne avertas faciem.
Grad. Angelis suis.

Alleluia.

Al. Dies sanctificatus.
Al. Video cœlos.
Al. Dominus regnavit.

Offertoria.

Of. Laudate Dominum.
Of. Protege, Domine.
Of. Vir erat in terra.
Of. Ad te, Domine, levavi.
Of. De profundis.

Communiones.

Sæculorum. Amen.

Com. Multitudo lang.
Com. Potum meum.
Com. Hierusalem, surge
Com. Lætabimur in sæc.
Com. Aufer a me.
Com. Vovete et reddite.
Com. Narrabo omnia.
Com. Tu, puer, propheta.
Com. Cantabo Domino.
Com. Domine, Deus meus in te.
Com. Exiit sermo.
Com. Dominus Jesus, postquam.
Com. Dominus regit me.
Com. Dominus firmamentum.

Gloria Patri, et Filio, etc.

AUTHENTICUS DEUTERUS.

Tertia die, Christe, te resurgere et mundo fecre lumen credimus. O alme, fac nos et tuum semper laudare nomen, et in patriæ te æternæ regione cernentes sedere. Amen.

Sæculorum. Amen.

Ant. Miserere mihi, Domine, quoniam.
Ant. Ego autem sicut oliva.
Ant. Dum clamarem.
Ant. Confessio et pulch
Ant. Cognovi, Domine.
Ant. Ego clamavi quoniam.
Ant. Dum sanctificatus.
Ant. In nomine Domini.
Ant. Vocem jucunditatis.
Ant. Repleatur os meum.
Ant. Si iniquitates.

Sæculorum. Amen.

Ant. Deus, dum egredereris.
Ant. Intret oratio.
Ant. Sacerdotes tui, Domine.
Ant. Tibi dixit cor.
Ant. In Deo laudabo.
Ant. Liberator meus.
Ant. Omnia quæ fecisti.

Ant. Charitas Dei.
Ant. Loquetur Dominus.
Ant. Timete Dominum.
Ant. Dispersit dedit.
Ant. Benedicite Domino.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Gradalia.

Grad. Eripe me, Domine.
Grad. Juravit Dominus.
Grad. Adjutor in op.
Grad. Speciosus forma.
Grad. Exsurge, Domine.

Alleluia.

Al. Adducentur.
Al. Lætatus sum.
Al. Spiritus Domini replevit.
Al. In te, Domine, speravi.

Offertoria.

Of. Benedictus es.
Of. Sperent in te.
Of. Exsulta satis.
Of. Perfice gressus.

Communiones.

Sæculorum. Amen.
Com. Beatus servus.
Com. Qui meditabitur.
Com. Scapulis suis.
Com. Passer invenit.
Com. Justorum animæ.
Com. Gustate et videte.
Com. Tu, Domine, servabis.
Com. Dominus virtutum.

Gloria Patri, et Filio, et Spirit., etc.

PLAGIS DEUTERI.

Quarta te noctis, Christe, vigilia discipulis dare cœleste solamen ros humiles fatentes, te cantantes, laudantes, tuæque nomen potentiæ nos quaternæ tuæ evangelicæ vocis da cognoscere munimen.

Sæculorum. Amen.
Ant. Prope esto, Domine.
Ant. Nos autem gloriari.
Ant. Judica, Domine, nocentes.
Ant. De necessitatibus.
Ant. Exaudivit de templo.

In aliis vero ab eadem chorda incipientibus et ad eamdem statim relabentibus, ita canitur :

Sæculorum. Amen.
Ant. Resurrexi et adhuc.
Ant. Reminiscere.
Ant. Misericordia Domini.
Ant. In voluntate.

Item, ut supra.

Ant. Intret oratio.
Ant. Omnis terra.
Ant. Sancti tui, Domine.
Ant. Scelus populi.
Ant. Nunc scio.

A

Ant. Protector noster.
Ant. Exaudi, Domine.
Ant. Dicit Dominus Petro.
Ant. Sicut oculi.
Ant. Judica me, Deus.
Ant. Deus, in nomine.
Ant. Accipite jucunditatem.
Ant. Eduxit eos Dominus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etc.

Gradalia.

Grad. Tu es Deus qui.
Grad. Exsurge, Domine.
Grad. Ego autem.
Grad. Tibi, Domine, derelictus.

Alleluia.

B

Al. Excita, Domine.
Al. Laudate, pueri.
Al. Dextera Domini.

Offertoria.

Of. Tui sunt cœli.
Of. Terra tremuit.
Of. Lætentur cœli.
Of. Lauda, anima.

Communiones.

Sæculorum. Amen.
Com. Vidimus stellam.
Com. Exsulta, filia.
Com. Quod dico vobis.
Com. Erubescant et conf.
Com. Tanto tempore.

C

Com. Dilexisti justitiam.
Com. Ab occultis meis.
Com. Acceptabis.
Com. Pater, cum essem.
Com. Inclina aurem.
Com. Jerusalem quæ æd.
Com. Magna est gloria.
Com. Benedicite, omnes.
Com. Memento verbi.
Com. Semel juravi.
Com. Tollite hostias.
Com. Feci judicium.

Gloria Patri, et Filio, etc.

AUTHENTICUS TRITUS.

D

Quinque tu, Domine, in cœlum virgines te recipere dignatus es, plebi tuæ verbis revelare signis et ostendere, sensus ecce nostros, ut te precamur, Domine, te disponere.

Sæculorum. Amen.
Ant. Loquebar de.
Ant. Miserere mei, Domine, quoniam trib.
Ant. Domine, refugium.
Ant. Verba mea auribus.
Ant. Exaudi, Deus, orationem.
Ant. Deus in loco sancto.

Sæculorum. Amen.
Ant. Circumdederunt.
Ant. Lætare, Jerusalem.

Ant. Domine, in tua misericordia.
Gloria Patri, et Filio, etc.

Gradalia

Grad. Locus iste.
Grad. Ex Sion species.
Grad. Viderunt omnes.
Grad. Propitius esto.
Grad. Discerne causam.

Alleluia.

Al. Diligam te.
Al. Memento, Domine.

Offertoria.

Of. Intende voci.
Of. Populum humilem.
Of. Benedic, anima.
Of. Sanctificavit Moyses.

Communiones.

Com. Intellige clamorem.
Com. Voce mea ad Dominum.
Com. Lætabitur justus.
Com. Qui mihi ministrat.
Com. Non vos relinquam.
Com. Dicit Dominus : Implete.
Com. Adversum me.
Com. Servite Domino.
Com. Ultimo festivitatis.
Com. Justus Dominus.
Com. Quis dabit Dominus.
Com. Tu mandasti.
Com. Pacem meam do.
Com. Panem de cœlo.
Com. Dico vobis.
Com. Signa eos.
Com. Domus mea.
Gloria, etc.

PLAGIS TRITI.

Sexta tuæ, Christe, potentiæ corporalis hora resplendet formæ, Ecclesiæ vitam tribue salientem aquæ vivæ, fervore quoque plenæ gratiæ hanc semper accende.

Sæculorum. Amen.

Ant. Os justi meditabitur.
Ant. Esto mihi in Deum.
Ant. Omnes gentes.
Ant. Justi epulentur.
Ant. Respice in me.
Ant. Sacerdotes Dei, bened.
Ant. Dicit Dominus.
Ant. Exsultate Deo.
Ant. Hodiè scietis.
Ant. In medio Ecclesiæ.
Ant. Cantate Domino.
Ant. Quasimodo.
Gloria Patri, etc.

Gradalia.

Grad. Fuit homo mis.
Grad. Exiit sermo.
Grad. Ego dixi : Domine.
Grad. Venite, filii.
Grad. Constitues eos.

A *Alleluia.*

Al. Dulce lignum.
Al. Domine in virtute.
A. Vox exsultationis.

Offertoria.

Of. Domine Deus, in simplicit.
Of. Domine, convertere.
Of. Domine, in auxilium.
Of. Justitiæ Domini.

Communiones.

Com. Pascha nostrum.
Com. Tu es Petrus.
Com. Dicit Andreas.
Com. Mitte manum.
Com. Quinque prudentes.
B Com. Domine, quis habitabit?
Com. Lutum fecit.
Com. Ecce Dominus veniet.
Com. Anima nostra.
Com. Venite post me.
Com. In splendoribus.
Com. Diffusa est.
Com. Qui me dignatus.
Com. Honora Dominum.
Com. Surrexit Dominus.
Com. Qui manducat.
Com. Posuisti, Domine.
Gloria Patri, et Filio, etc.

AUTHENTICUS TETRARDUS.

C Septemplicem te nunc quoque nobis adesse deposcimus, alme Paraclete, nostræ mentes ut tuæ gratiæ semper exuberent perfecto munere, quæque nocent exstingue, et cuncta, quæ proficiunt, accende semper amoris igne.

Sæculorum. Amen.

Ant. Populus Sion.
Ant. Puer natus est.
Ant. Oculi mei semper.
Ant. Aqua sapientiæ.
Ant. Adorate Dominum.
Ant. Gloria et honore.
Ant. Ne timeas, Zacharia.
Ant. Judicant sancti gentes.
Ant. Respice, Domine.
D Ant. Audivit Dominus.
Ant. Ne derelinquas.
Ant. Exspecta Dominum.
Ant. Viri Galilæi.
Ant. Protexisti me.
Ant. Venite, benedicti.
Ant. Eduxit Dominus.
Gloria, etc.

Gradalia.

Grad. Jacta cogitatum.
Grad. Dirigatur oratio.
Grad. Oculi omnium.
Grad. Liberasti nos.

Alleluia.

Al. Pascha nostrum.

Al. Exsultate Deo.
Al. Venite exsultemus.
Al. Quoniam Deus magnus.
Al. Domine, refugium.

Offertoria.

Of. Precatus est.
Of. Confitebuntur.
Of. Eripe me de inimicis.

Communiones.

Com. Dicite pusillan.
Com. Tolle puerum.
Com. Fidelis servus.
Com. Dum venerit Paracletus.
Com. Si conresurrexistis.
Com. Populus acquisitionis.
Com. Factus est repente.
Com. Ne tradideris.
Com. Erubescant et rever.
Com. Ego sum vitis.
Com. Pater, si non potest.
Com. Redime me, Deus.
Com. Domine, quinque.
Com. Vox in Rama.
Com. Qui biberit aquam.
Gloria, etc.

PLAGIS TETRARDI.

Octo, pie rex, Christe lucide, beatitudines evangelicæ gratiæ plebi tuæ præbe benignus et clemens sempiternam requiem, et refove sine fide credentes in te.

Sæculorum. Amen.
Ant. In excelso throno.
Ant. Invocavit me.
Ant. In virtute tua.
Ant. Jubilate Deo.
Ant. Lætabitur justus.
Ant. Dilexisti.
Ant. Probasti, Domine.
Ant. Victricem manum.
Ant. Miserere mei, Domine, quia ad te
Sæculorum. Amen.
Ant. Ad te levavi.
Ant. Lux fulgebit.
Ant. Introduxit vos.
Ant. Spiritus, Domini replevit.
Ant. Domine, ne longe.
Ant. Dum medium.
Gloria, etc.

Gradalia.

Grad. Benedictus Dominus.
Grad. Propter veritatem.
Grad. Benedicam Domino.

Alleluia.

Al. Adorabo ad templum.
Al. Deus judex justus.
Al. Ostende nobis.
Al. Specie tua.

Offertoria.

Of. Miserere mei.
Of. Angelus Domini.
Of. Posuisti, Domine.
Of. Domine, Deus salutis.
Of. Exaudi, Deus, orationem.

Communiones.

Sæculorum. Amen.
Com. Spiritus sanctus docebit.
Com. Christus resurgens.
Com. Dico autem vobis.
Com. Circuibo et immolabo.
Com. Simile est regnum cœl.
Com. Primum quærite.
Com. Introibo ad altare.
Com. Oportet te.
Com. Nemo te condemnavit.
Com. Hoc corpus.
Com. Video cœlos.
Com. Domine, memorab.
Com. Spiritus ubi.
Com. Ego clamavi.
Com. Responsum accepit.
Com. Lavabo inter innocentes.
Com. Comedite pinguia.
Com. Ego sum pastor.
Gloria, etc.

Hæc munera quondam Sion animo exsultante, prout potuimus, concinendo deprompsimus : nunc autem velut super flumina Babylonis sedentes, malis amaricati, jam organa nostra suspendimus, lacrymabiliter clamantes ac dicentes : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Terra quippe nobis facta est aliena, quandoquidem nec vivere, ne dicam cantare, licet in ea. Impleta in nobis prophetia, quæ olim miseræ ac infelici Judææ taliter est comminata : *Terra vestra deserta, civitates vestræ igne succensæ, regionem vestram in conspectu vestro alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili* (*Isa.* I, 7). *Propterea defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri* (*Thren.* V, 15), ita ut compellamur dicere : *Væ nobis, quia peccavimus* (*Ibid.*, 16) ; et ut quidam sapiens dicit : Vacat hoc tempore potentibus opprimere, privatis perdere, miseris flere.

Sed quid inter hæc restat agendum, nisi ut in illo prophetico volumine, in quo scripta sunt lamentationes, carmen et væ, die noctuque meditemur, ut dum filia Babylonis misera (*Psal.* CXXXVI), hoc est, iniqua nos persequentium multitudo retribuente Domino recipiet retributionem, quam retribuit nobis (*Ibid.*), scilicet væ perenne, nos per lamentationes dignas potentiæ (46) verum mereamur cantare carmen lætitiæ, suffragantibus Principis apostolorum meritis, cujus amore tuis, beatissime Pater, in hoc opere studuimus præceptis obedire.

(46) *mel.*, pœnitentiæ.

BERNO AUGIENSIS.

DE VARIA PSALMORUM ATQUE CANTUUM MODULATIONE.

Ex ms. Salemitano Sæc. XI vel XII.

SYNOPSIS.

1. Esdras Scripturam S. restituit. 2. LXX Interpretes. 3. Aliæ Scripturæ interpretationes. 4. Psalterii versio Gallica et Romana. 5. Differentiæ versionis Romanæ a Gallicana. 6. Differentiæ in Isaia et aliis prophetis. 7. Nihil canatur in Ecclesia, nisi ex S. Scriptura, aut a prudentioribus tractata. 8. Verba S. Scripturæ non immutentur. 9. Nihilque contra ipsius fidem ponatur. 10. De antiphonis ab O incipientibus in Adventu, et nonnullis in festis natalitiis. 11. De officio Septuagesimæ, quando alleluia deponitur. 12. De responsoriis, quibus versus non satis respondent: 13. Aut aliis mendis scatent.

Bern. qui quod vult Deus, Meginfrido, Eipennoni, dilectis in Christo fratribus, perenne immarcescibilis gloriæ decus.

Rationabile mihi videtur ut quos unus spiritus vinculo charitatis ligat, hos litterarum textus non dissolvat, imo epistola jungat, quos charæ amicitiæ sodalitas conglutinat. Igitur fraternæ dilectionis tuæ rogatu compulsus, o Meginfride, aliquid tibi scribere de varia psalmorum atque cantuum modulatione, quæ dissimiliter vel confuse solet in Ecclesia fieri, prius cupio aliquam de interpretum translatione memoriam facere, quatenus velut hoc quodam jacto sermonis fundamento, nostræ narrationis ædificium solidius surgat in altum.

1. Ut enim majorum firmat auctoritas, omnis Veteris Testamenti Scriptura imprimis Hebræo sermone constat conscripta. Sed post destructam Jerusalem et legem accensam a Chaldæis, dum Judæi reversi sunt a Babylonia captivitate in Jerusalem, Esdras, scriba doctus scientia divina, omnem Veteris Testamenti bibliothecam et cuncta legum et prophetarum volumina reparavit, atque in viginti duobus voluminibus secundum numerum Hebraicarum litterarum, constituit, correxit, ordinavit. Ad ejus imitationem multi gentilium gesta aliorum congregaverunt et bibliothecas constituerunt. Inter quos quidam Episistratus floruisse dicitur; deinde Xerxes, post Seleucus ac Alexander Magnus.

2. Sed et Ptolomæus, cognomento Philadelphus, omnes litteratos studio superans non solum gentium, sed etiam divinas litteras in bibliothecam contulit. Nam septuaginta millia librorum, ut fertur, hujus temporibus Alexandriæ inventa sunt. Hic etiam ab Eleazaro pontifice petens Scripturas Veteris Testamenti ab Hebræa lingua in Græcam converti, LXX Interpretes impetravit, qui ejus voluntati satisfacerent. Nam quidam mirabiliter de iisdem septuaginta Interpretibus asserunt, quod singuli per singulas cellas divisi ita omnia per Spiritum sanctum sint interpretati, ut nihil in alicujus eorum codice inventum sit, quod in cæteris vel in verborum ordine discreparet. Cui opinioni S. Hieronymus vehementer obsistit, ita inquiens: Nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo construxerit, quibus divisi eadem scriptitarent, cum Aristheas ejusdem Ptolomæi ὑπερασπιστης, quod interpretatur *protector fidelis*, et, multo post tempore, Josephus nihil tale retulerint; sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim, inquit, vatem esse, aliud interpretem. Hic spiritu ventura prædicit; hic eruditione et verborum copia ea quæ intelligit transfert. Et paulo superius, cum ea commemorasset quæ a septuaginta interpretibus sunt prætermissa, ait: Judæi prudenti factum dicunt esse consilio, ne Ptolomæus, unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet; quod maxime idcirco faciebat, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicunque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre et Filio, et de Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt, ut et regi satisfacerent et arcanum fidei non vulgarent. Legite prologum ejusdem beati Hieronymi super librum Genesis.

3. Fuerunt et alii interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcum sacra eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion. Est etiam et Vulgaris interpretatio, cujus auctor non apparet, et ob hoc sine nomine interpretis quinta editio vocatur, quam Origenes et Eusebius Cæsariensis Κοινη, id est, Communem vel Vulgatam appellant; quam Origenes miro labore reperit et cæteris editionibus comparavit. Sed et multi Græciæ tractatores variis modis eam transtulerunt atque corruperunt. Quam multi Latinorum et maxime Romanorum, ante sanctum Hieronymum acceperunt et hucusque utuntur, tenent et servant. Quorum diversitatem, imo errorem beatus Hieronymus corrigere cupiens, utpote multarum linguarum peritus, omnem Scripturam Veteris Testamenti ex Hebræo in Latinum vertit eloquium: cujus interpretatio merito cæteris antefertur, ut Isidorus ait; est enim et verborum tenacior et perspicuitate sententiæ clarior. Sed et S. Gregorius papa ipsius translationem cæteris asserit esse veraciorem. Est et

sexta editio, de qua beatus Hieronymus: « Illud, inquit, breviter admoneo, ut sciatis aliam esse editionem, quam Origenes et Cæsariensis Eusebius omnesque Græciæ tractatores Κοινη, id est Communem appellant atque Vulgatam; aliam LXX Interpretum, quæ in ἑξαπλοις codicibus reperitur, et a nobis in Latinum sermonem fideliter versa est, et in Hierosolymæ atque in Orientis Ecclesiis decantatur. » Et paulo post iterum infert: « sicut autem in Novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, et est inter exemplaria varietas, concurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum; ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam confugimus veritatem, ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis. Κοινη autem ista, hoc est Communis editio, ipsa est quæ et LXX, sed hoc interest inter utramque, quod κοινη pro locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum Vetus corrupta editio est; ea autem, quæ habetur in ἑξαπλοις, et quam nos vertimus, ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta et immaculata LXX Interpretum translatione servatur. Quidquid ergo ab hac discrepat, nulli dubium est quin ita et ab Hebræorum auctoritate discordet. » Hucusque Hieronymus. Hic talis ac tantus aliquando ad tribunal æterni Judicis raptus, ubi divina increpatione est admonitus, ut studiis divinis insisteret et sanctæ Ecclesiæ utilitati deserviret.

4. Inter cætera ex emendata LXX Interpretum translatione Psalterium ex Græco in Latinum vertit illudque cantandum omnibus Galliæ ac quibusdam Germaniæ Ecclesiis tradidit; et ob hoc Gallicanum Psalterium appellant, Romanis adhuc ex corrupta Vulgata editione Psalterium canentibus, ex qua Romani cantum composuerunt nobisque usum cantandi contradiderunt. Unde accidit quod verba, quæ in diurnis vel in nocturnis officiis canendi more modulantur, intermisceantur et confuse nostris psalmis inserantur, ut a minus peritis haud facile possit discerni quid nostræ vel Romanæ conveniat editioni. Quod pius pater ac peritus magister, Hieronymus, intuens, tres editiones in uno volumine composuit: Gallicanum Psalterium, quod nos canimus, ordinavit in una columna, in altera Romanum, in tertia Hebræum. Et ubicunque aliquid in nostro interpositum est quod in Hebræo non habetur, obelo, id est veru, taliter cum hoc signo notavit ÷; ubi vero ex Hebræo aliquid addidit, cum asterisco, id est stella ⁂, hoc modo illucescere fecit.

5. Hujus igitur summi doctoris, licet scientia multum inferior, utpote qui in ejus comparatione nec linguam me habere putem, a longe vestigia sequens vestræ dilectionis causa cupio aliquid discernere quid in antiphonis, responsoriis gradalibus, offerendis, communionibus, modulando psallamus, quid in Ecclesiis distincte proferendo dicamus. Et quia sensu sum parvulus, ingenio tardus, et si ætate provectus, senio jam defectus, more puerorum, qui post prima elementa solent discere psalmorum carmina, imprimis incipio exordium sumens a timore: quia *initium sapientiæ timor Domini est* (*Psal.* CX, 10), ut per timorem perveniamus ad charitatem, *quæ perfecta foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 18). Et non solum in cantu, verum etiam in aliis quibusdam locis, ubi nostra et Romana editio in verbis discrepare videntur, notare nitimur.

Itaque antiphonas vel communiones, quæ, juxta Romanum Psalterium canuntur: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore*, nos juxta emendationem beati Hieronymi canimus: *Et exsultate ei in tremore*. In tertio psalmo, ubi illi canunt: *Ego dormivi et sommum cepi;* nos: *Ego dormivi et soporatus sum*. In quarto psalmo, ubi illi canunt: *Cum invocarem te, et exaudisti me Deus;* nos dicimus: *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ*. Quod vero a prima persona subito transit ad secundam ita dicens: *In tribulatione dilatasti mihi*, more omnium prophetarum ait, qui solent tempora et personas sæpissime permutare et rationis ordinem tali modo observare.

In quinto psalmo: *Dirige in conspectu tuo viam meam;* quod, ut B. Hieronymus dicit, nec LXX habent, nec Aquila, nec Symmachus, nec Theodotion, sed sola Κοινη editio habet. Denique, sicut in Hebræo scriptum est, omnes voce simili transtulerunt: *Dirige in conspectu meo viam tuam*, secundum illud quod in oratione Dominica dicitur: *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum;* non quo nobis orantibus sanctificetur in nobis: ergo et nunc Prapheta postulat, ut via Domini, quæ per se recta est, etiam sibi recta fiat.

In sexto psalmo, ubi illi canunt: *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me;* nos canimus: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Item: *Convertere, Domine, et eripe animam meam;* nos dicimus: *Convertere, Domine, eripe animam meam*. In septimo, ubi illi canunt: *Exsurge, Domine Deus meus, in præcepto;* nos dicimus: *et exsurge, Domine*.

In octavo psalmo: *Video cœlos tuos*, non habetur in Græco, sed in Hebræo legitur שמיך *Samecha*, quod interpretatur *cœlos tuos*, et de editione Theodotionis in LXX Interpretibus additum est sub asterisco ⁂. Ubi Romani canunt: *Tibi enim derelictus est pauper: pupillo tu eris adjutor;* nos relicto *enim* dicimus: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor*. In illo psalmo: *Dixit insipiens*, finito versu: *Omnes declinaverunt*, tres qui sequuntur: *Sepulcrum patens est; contritio et infelicitas*, usque *non est timor Dei ante oculos eorum*, in hebraico non habentur, sed a beato Hieronymo de Græco in nostram translationem interpositi sunt.

Illi: *Custodi me, Domine, ut pupillam oculi*, nos: *Custodi me ut pupillam oculi*. Sed ubi ipsius psalmi verba non præcedunt, nec subsequuntur, non obest si in solo versu dicimus: *Exsurge, Domine;* sicut in illo versu: *Salvum fac populum tuum, Domine*,

et benedic hæreditati tuæ; nostrum Psalterium habet: *Salvum fac populum et benedic hæreditati tuæ.* Ubi illi canunt: *Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo; satiabor, dum manifestabitur gloria tua;* nos dicimus: *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo; satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

In psalmo XVII: *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt*, dicit B. Cassiodorus: non est iste versus facile transeundus. *Præ fulgore* una pars orationis est, id est nominativus pluralis, et respondet ad *nubes;* nubes autem, sicut superius dictum est, prædicatores divini verbi intelligendi sunt. In psalmo XVIII: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam suam;* nec in Græco, nec in Hebræo habetur *suam*, sed a beato Hieronymo sub veru, id est tali signo ÷ additum est. In eodem, ubi illi canunt: *Lex Domini irreprehensibilis*, nos, *Lex Domini immaculata.*

In illa offerenda: *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda*, quia desunt illa verba, quæ in Psalterio posita sunt, usque in illum locum: *Et dulciora super mel et favum;* rectius caneremus: *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda et dulciores super mel et favum.* In illo tractu, ubi Romani canunt: *Annuntiabunt cœli justitiam ejus*, nos *cœli* non dicimus, sed canimus: *Annuntiabunt justitiam ejus.* Ubi Romani canunt: *Et poculum tuum inebrians quam præclarum est!* nostra editio habet: *Et calix meus inebrians quam præclarus est.* Romani canunt: *Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas tuas doce me;* nos vero: *Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas doce me.* In illo psalmo, ubi isti canunt: *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te; tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram.* Nos autem: *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi, tibi dixit cor meum: Exquisivit faciem mea, faciem tuam, Domine, requiram.* In illa offerenda: *In te speravi, Domine, dixi: Tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea;* nos pro eo, quod sunt *tempora*, habemus: *Sortes meæ.* In illo psalmo: *Conversus sum in ærumna mea*, in Græco *mea* non habetur, sed ex Hebraico, et de translatione Theodotionis sub asterisco, id est stella ⁂, additum est.

In illa antiphona vel communione, ubi illi canunt: *Gaudete, justi, in Domino;* nos canimus: *Exsultate, justi, in Domino.* In illo introitu, ubi in cantu psallimus: *Et ex omnibus tribulationibus ejus liberavit eum;* nos Psalterium decantando dicimus: *Salvabit eum.* In eodem psalmo, ubi illi canunt: *Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum;* nos dicimus: *Non est inopia timentibus eum.* Ubi illi: *Non deficient;* nos: *Non minuentur omni bono.* In psalmo XLI, ubi illi canunt: *Sicut cervus desiderat ad fontes;* nostra translatio habet: *Quemadmodum desiderat cervus*, et in alio versu: *Sitivit anima mea ad Deum vivum;* nos habemus sub asterisco ⁂ *ad Deum fortem.* Sciendum est in hoc psalmo bis inveniri: *Salutare vultus mei Deus meus;* in secundo autem, id est in fine ipsius psalmi: *Salutare vultus mei et Deus meus*, ita duntaxat, ut et conjunctio de Hebræo et Theodotione sub asterisco ⁂ additum sit. In eodem: *Exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei*, quod apud Romanos non habetur, sed in Hebræo positum est: *Exprobraverunt mihi hostes mei.*

In psalmo XLIII secundum Romanum scriptum est: *Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris;* sed *Deus* ibi superfluum est. Item in eodem psalmo, cum in cantu et in versu psallamus: *Exsurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum;* secundum editionem nostram solummodo dicimus: *Exsurge, adjuva nos et redime nos propter nomen tuum.* Ubi Romani cantant: *Adjuvabit eam Deus vultu suo, Deus in medio ejus non commovebitur;* nos dicimus: *Adjuvabit eam Deus mane diluculo.* Illi: *Ascendit Deus in jubilatione;* nos: *Ascendit Deus in jubilo.* Illi: *Sicut audivimus, ita et vidimus;* nos: *Sicut audivimus, sic vidimus.*

In psalmo XLVIII ille versiculus: *Homo cum in honore esset* bis positus est, et in priore additam habet *et* conjunctionem, ut: *Et homo cum in honore esset;* in fine conjunctionem non habet, sed ita: *Homo cum in honore esset.* Illi: *Invoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, et magnificabis me;* nos autem: *Et invoca me in die tribulationis, et eruam te, et honorificabis me.*

In quinquagesimo psalmo illorum editio habet: *Amplius lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me;* nostra vero: *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.* Illa: *Quoniam iniquitatem meam agnosco, et delictum meum coram me est semper;* nostra vero: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Illa: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea;* nostra: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Item illa: *Doceam iniquos vias tuas;* nostra vero: *Docebo iniquos vias tuas.* Illi juxta finem psalmi canunt: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non spernit;* nos autem: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*

In psalmo LII, qui ita incipit: *Dixit insipiens*, in secundo versu additum habet: *Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum;* nos versum finimus solummodo: *Non est qui faciat bonum.* At vero quarto versui, qui ita incipit: *Omnes declinaverunt*, adjungimus in fine: *Non est usque ad unum.* Illi modulantur: *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?* et paulo post: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor;* nos autem: *Nonne scient omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?* et in fine versus: *Trepidaverunt timore, ubi non fuit timor.* Illi: *Cum averterit Dominus captivitatem plebis tuæ;* nos: *Cum con-*

verterit Dominus captivitatem plebis suæ. Illi primum versum subsequentis psalmi ita finiunt : *Et in virtute tua libera me;* nos vero : *Et in virtute tua judica me.* Illi cantant : *Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam; intende in me et exaudi me;* nos vero : *Intende mihi et exaudi me.* In eodem psalmo, ubi illi modulantur : *Timor et tremor venerunt super me et contexerunt me tenebræ;* nos : *Timor et tremor venit super me, et contexit me tenebra.* Nec vos conturbet quod interpretes circa regulam grammaticæ artis singularem numerum, quod est *tenebra*, posuerunt pro plurali, cum, S. Gregorio teste, verba cœlestis oraculi non sint inflectenda sub regulis Donati ; sicut idem Propheta non veritus ferulam grammaticorum posuit : *Libera me de sanguinibus* (*Psal.* L, 16); et in Joannis Evangelio : *Qui non ex sanguinibus*, inquit, *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 13). Sicut ibi numerum pluralem posuit pro singulari, ita hic singularem pro plurali posuit, Hebraicæ veritatis consonantiam sequens, quæ dicit : *Timor et tremor venit super me, et operuit me caligo.* Ubi illi canunt : *Jacta in Domino cogitatum tuum;* nos canimus : *Jacta super Dominum curam tuam.*

In illo quinquagesimo sexto psalmo ille versus : *Exaltare super cœlos, Deus*, in medio et in fine ponitur ; in medio habetur *et in omnem terram gloria tua;* in fine, *et super omnem terram gloria tua.* Ubi nos alternatim in choro canimus : *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei ;* illi : *Deus meus ostendit mihi bona inter inimicos meos, ne occideris eos, ne quando obliviscantur legis tuæ.* Et in sequenti versu pro eo, quod nos canimus : *Depone eos, protector meus, Domine*; illi dicunt : *Destrue eos, protector meus, Domine.*

In psalmo LIX habetur : *Juda rex meus, Moab olla spei meæ :* in centesimo septimo : *Moab lebes spei meæ.* Ubi nos dicimus : *Mihi alienigenæ subditi sunt;* Romani : *Mihi Allophyli subditi sunt.* In fine istius psalmi canimus : *Et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos;* in alio : *Et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.* In illo versu : *Omnis terra adoret te et psallat tibi*, ubi illi concludunt, *psalmum dicat nomini tuo, Domine;* Romanorum editio habet, *nomini tuo, Altissime;* nostra tantummodo, *psalmum dicat nomini tuo;* Hebraica canit, *nomini tuo.* Ubi illi canunt : *Deus, in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unanimes in domo*, nos dicimus : *Deus inhabitare facit unius moris in domo.* De hoc versu, qui apud nos legitur : *Viderunt ingressus tui, Deus*, dicit B. Hieronymus : ergo a nobis ita legendum est : *Viderunt ingressus tuos, Deus*, et scriptoris vitium relinquendum, qui nominativum posuit pro accusativo. Ubi illi canunt : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*, nos canimus : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.*

In illo psalmo : *Salvum me fac*, ubi nos canimus : *Operuit confusio faciem meam*; illi : *Operuit reverentia faciem meam;* nos : *Extraneus factus sum fratribus meis et peregrinus filiis matris meæ ;* illi : *Hospes filiis matris meæ.* In illo psalmo : *Deus, judicium regi da*, illi canunt : *Omnes reges terræ, omnes gentes servient ei ;* nos : *Omnes gentes servient ei.* In eodem dicit B. Hieronymus : *Benedictus Dominus, Deus Israel*, dictus in Græco *Deus* bis non haberi, cum in Hebraico et apud LXX manifestissime Domini Dei, quæ nuncupatio mysterium Trinitatis, sit, id est, *Benedictus Dominus Deus, Deus Israel.* Illi canunt : *Quia zelari in peccatoribus ;* nos : *Quia zelavi super iniquos.* In eodem psalmo : *Tenuisti manum dexteram meam, et voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me;* nos vero : *Et cum gloria suscepisti me.*

In psalmo LXXII, cum B. Hieronymus exponeret illum versum : *Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt*, ita exposuit. *Quia obscurati sunt dumis iniquitatum*, dumi, inquit, interpretantur *spinæ :* hi ergo qui obscuraverunt persecutionibus suis terram tuam repleti sunt sensibus iniquitatis. Tu vero, Domine, qui per Testamentum tuum sive Vetus sive Novum, quia utrumque a te processit, etiam quod unum habetur, promisisti protegere nos, succisis nunc spinis erue nos. In illo psalmo, ubi illi canunt : *Vovete et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus offertis munera;* nos : *Qui in circuitu ejus afferent munera.* In illa offerenda illi canunt : *Terra tremuit et quievit;* nos : *Terra timuit et quievit.*

In illo psalmo LXXVII, in illo versu, ubi multi canunt : *Et meditatus nocte cum corde meo, et scopebam spiritum meum*, vel *scopabam;* Hieronymus ita ponit : *Et scrobebam spiritum meum*, hoc est, inquit, fodiebam quasi agrum, ut ibi mitterem semen doctrinarum Domini. In illo versu, ubi canitur : *Sacerdotes eorum in gladio cecidерunt*, multi dicunt : *Et viduæ eorum non plorabuntur*, futuro tempore ; sed nos rectius dici putamus præterito tempore : *Non plorabantur*, quia propheta præteritos sermones quasi transactos narrat, et Hebraicum huic sententiæ congruit, cum dicit : *Sacerdotes ejus gladio cecidерunt, et viduæ ejus non sunt fletæ.* Ubi illi : *Posuerunt mortalia servorum tuorum;* nos dicimus : *Morticina servorum tuorum.* Ubi illi : *Qui sedes super Cherubim, appare coram Ephrem;* nos : *qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim.* In illo introitu : *Exsultate Deo adjutori nostro*, ubi illi canunt : *Canite initio mensis tuba;* nos canimus : *Buccinate in comenia* [*neomenia*] *tuba.* In illo versu, ubi illi canunt : *Scapulis suis ;* nos : *In scapulis suis.* Illi canunt : *Perambulante in tenebris arvia;* nos : *Ab incursu et dæmonio meridiano.* Illi : *Invocavit me;* nos : *Clamavit ad me.* Ubi illi canunt : *Justus ut palma florebit, sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur;* nos : *Justus ut palma florebit, ut cedrus Libani multiplicabitur.* Illi canunt : *Dominus*

regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem et præcinxit se virtute; nos: *Dominus regnavit, decore indutus est, indutus est Dominus fortitudine et præcinxit se.*

In psalmo nonagesimo quarto, qui ita incipit: *Venite, exsultemus Domino*, ubi illi canunt: *Quoniam non repellit Dominus plebem suam*, nostra editio non habet. Ubi illi canunt: *Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipse conspicit;* nos: *Quia in manu ejus omnes fines terræ, et altitudines montium ipsius sunt.* Illi: *Et aridam fundaverunt manus ejus;* nos: *Et siccam manus ejus formaverunt.* Illi: *Ploremus coram Domino qui fecit nos;* nos: *Ploremus ante Dominum, qui fecit nos.* Illi: *Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus;* nos: *Nos autem populus, et oves manus ejus.* Illi: *Sicut in exacerbatione;* nos: *Sicut in irritatione.* Illi: *Probaverunt et viderunt opera mea;* nos: *Probaverunt*, et adjungimus sub obelo ÷ *me, et viderunt opera mea.* Illi: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi: Semper hi errant corde;* nos: *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi: Semper errant corde.* Illi: *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam;* nos: *Ut juravi in ira mea, si intrabunt in requiem meam.*

Ubi Romani canunt: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctitas et magnificentia;* nos: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia.* Illi: *Tollite hostias et introite in atria ejus, adorate Dominum in aula sancta ejus;* nos: *Tollite hostias et introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus.* Illi: *Etenim correxit orbem, qui non commovebitur; judicabit populos in æquitate et gentes in ira sua;* nos tantummodo: *Judicabit populos in æquitate.* Illi: *Notum fecit Dominus salutare suum ante conspectum gentium;* nos: *In conspectu gentium revelavit justitiam suam.* Illi: *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri;* nos: *Viderunt omnes termini terræ.*

In illo centesimo primo psalmo, ubi illi canunt: *Percussus sum sicut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum manducare panem meum*, nos dicimus: *Percussum est ut fenum et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Illi canunt: *Potum meum cum fletu temperabam;* nos: *Poculum meum cum fletu miscebam.* In illo versu: *Hoc mare magnum et spatiosum manibus*, in Græco non habetur *manibus*, ex Hebraico et de editione Theodotionis in Septuaginta sub asterisco ※, id est stella, additum est. Metaphorice dicitur de mare, quasi expansas manus habeat et in se cuncta suscipiat. Apud Romanos canitur: *Exsurge, gloria mea;* apud nos tantummodo: *Exsurge psalterium;* nam *gloria mea* nec apud Hebræos, neque apud ullum interpretem reperitur, sed solummodo in quinquagesimo sexto psalmo invenitur.

In centesimo nono psalmo, qui ita incipit: *Dixit Dominus Domino meo*, primum nomen Domini, ut B. Hieronymus dicit, in Hebræo his litteris scribitur, quibus Dominus Pater designatur; secundum vero nomen Domini his litteris scribitur quibus solent homines dominum vocare. Unde et a Domino Patre homini, qui a Deo assumptus est, præcipitur ut sedeat. Hoc adversus Arianos diximus et adversus eos qui dicunt majorem Patrem, qui jubet ut sedeat, quam ille cui jubetur. Omnia Evangelia personant de persona hominis, et nunc non est necesse approbatio, quia omnia quæcunque vilia videntur referuntur ad carnem.

Ille psalmus qui incipit: *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo*, hic in eo superfluum est. Ubi Romani canunt: *Exortum est in tenebris lumen rectis corde;* nos *corde* non habemus. Romani: *In memoria æterna erit justus, ab auditu malo non timebit;* nos: *Ab auditione mala non timebit. Quia inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo te*, dicit B. Hieronymus in epistola sua ad quosdam: « Dicitis quod in Græco non sit *te*, et bene de vestris codicibus radendum est. In ipso: *Placebo Domino in regione vivorum*; pro quo in Græco legisse vos dicitis: *Placebo in conspectu Domini*; sed hoc superfluum est. »

In illo psalmo: *Confitemini Domino*, Romani canunt: *Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini vindicabor in eis*; nos: *Et in nomine Domini quia ultus sum in eos.* Item in eodem illi: *O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare*; nos: *O Domine, salvum fac, o Domine, prosperare.*

In centesimo decimo octavo psalmo, ubi Romani canunt: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo!* nos: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo! Anima mea in manibus tuis semper.* De hoc versu dicit B. Hieronymus ad Sunniam et Fretulam: pro quo in Græco legisse vos dicitis: *anima mea in manibus tuis semper.* Sed sciendum et apud LXX et omnes alios interpretes scriptum esse: *In manibus meis*, et non: *In manibus tuis*; et omnes apud Græcos ecclesiastici interpretes istum locum sic edisserunt, et est breviter hic sensus: Quotidie periclitor et quasi in manibus meis sanguinem meum porto, et tamen legem tuam non obliviscor. In eodem: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*; pro quo in Græco legisse vos dicitis *quia non custodivit legem tuam*; sed hoc superfluum, quia et in Hebræo legitur: *Rivi aquarum fluebant de oculis meis, quia non custodierunt legem tuam.*

Romani canunt: *Vidi non servantes pactum et tabescam*; nos: *Vidi prævaricantes et tabescebam.* In illo versu: *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, a lingua dolosa*, in Græco legisse vos dicitis, *et a lingua dolosa*; *et* ergo superfluum est. In subsequenti psalmo, ubi illi canunt: *Levavi oculos meos ad montes;* nos dicimus: *In montes,*

Ubi illi canunt : *Nisi quod Dominus*; nos : *Nisi quia Dominus*. In illo versu : *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis;* et in Græco dicitur *vir* non haberi; quod manifestissime et in Græco, et in Septuaginta continetur.

In psalmo centesimo trigesimo quarto, ubi Romani canunt : *Laudate Dominum quia benignus est;* nos : *Laudate Dominum, quia bonus est Dominus.* Ubi illi canunt : *Quia judicabit Dominus populum suum et in servis suis consolabitur;* nos : *Deprecabitur. Qui fecit luminaria magna,* dicit B. Hieronymus ad eos quos supra dicitis, quia in Græco inveneritis *magna solus;* sed hoc de superiori versiculo, ubi legimus : *Qui facit mirabilia magna solus.* Ibi ergo legendum est, et hic quasi superfluum est et non scribendum. In illo psalmo : *Super flumina,* ubi illi cantant : *Dum recordaremur tui, Sion;* nos dicimus : *Cum recordaremur Sion.* Illi canunt : *Memento, Domine, filiorum Edom;* nos : *Memor esto.* In illa offerenda : *Si ambulavero,* ubi illi canunt : *Extendes manum,* nos : *Extendisti.* In illo tractu : *Eripe me, Domine,* ubi illi cantant : *A viro iniquo libera me,* nos : *Eripe me.* Illi : *Qui cogitaverunt malitias in corde;* nos : *Qui cogitaverunt iniquitates.* Illi : *Ab hominibus iniquis libera me, Domine;* nos : *Eripe me.* Illi : *Laqueos;* nos : *Laqueum.* Illi : *Et funes extenderunt in laqueum pedibus meis;* nos : *Et funes extenderunt in laqueum.* Illi : *Obumbra caput meum;* nos : *Obumbrasti.* In illo responsorio, ubi illi canunt : *Educ de carcere animam meam;* nos : *Educ de custodia.* Ubi illi canunt : *Anxiatus est in me spiritus meus;* nos : *Anxiatus est super me spiritus meus.*

In psalmo centesimo quadragesimo tertio, ubi Romana editio habet : *Qui das salutem regibus, qui liberasti David servum tuum de gladio maligno;* nostra habet : *Qui das salutem regibus, qui redemit David servum suum, de gladio maligno eripe me.* Nec perturbare debet lectorem subita transmutatio personæ vel temporis; quia solent prophetæ, Spiritu sancto edocti, transire de personis ad personas, et temporibus ad tempora, et sic divina proferre eloquia. In illo introitu, ubi illi cantant : *Sancti tui, Domine, benedicent te;* nos : *Sancti tui benedicant tibi.* In illo gradale : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum,* ubi canitur : *Laudem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus :* nos : *Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini sancto ejus.* In illo psalmo, ubi illi canunt : *Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo, quandiu ero;* nos : *Psallam Deo meo, quandiu fuero.* In illo centesimo quadragesimo sexto psalmo, qui ita incipit : *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus,* inter quosdam contentio est utrum rectius dicatur : *Laudate Dominum, quia bonus est,* aut : *Laudate Dominum, quia bonus est psalmus;* sed ex Hebræo, ubi dicitur : *Laudate Dominum, quoniam bonum est canticum,* animadvertere possumus quod rectius dicatur : *Quia bonus est psalmus,* id est bona res psallere, ut B. Hieronymus exponit; psallere autem, inquit, non voce, sed corde. Quanti bonam vocem habent, et quoniam peccatores sunt, male psallunt. Bene psallit qui cantat in corde, qui cantat Christum in conscientia. Hæc pauca de psalmis utcunque sufficiant dicta.

6. Nunc manum conabor transmittere ad Isaiam, qui, ut B. dicit Hieronymus, non tam propheta quam evangelista et apostolus est dicendus; ipse enim de se et de cæteris evangelistis testatur dicens : *Quam speciosi pedes evangelizantium bona, evangelizantium pacem!* et iterum de seipso : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Et quia *apostolus* interpretatur *missus,* ad ipsum quasi ad apostolum loquitur Deus : *Quem mittam, et quis ibit ad populum istum?* et ille respondit : *Ecce ego, mitte me.* Et quia multi non solum litterarum scientia minus perfecti, verum etiam liberalibus artibus eruditi, solent in hoc propheta multo aliter quam veritas se habeat in lectione distinguere, vel cantu verba proferre, placuit summatim loca notare, ubi minus recte sententias distinguant, vel verba aliter quam se veritas habeat promunt.

Nunc primo videamus de eo quod scriptum est : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus.* Et cum inferendum et distinguendum sit, *plenus sum,* hoc est nulla re indigeo, secundum quod alibi scriptum est : *Domini est terra et plenitudo ejus;* quidam vitiose huic sententiolæ, *plenus sum,* per ablativum adjungunt : *Holocausto arietum et adipe pinguium;* et post inferunt accusativum : *Et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui,* cum priora verba : *Holocaustum arietum et adipem pinguium* per accusativum sunt proferenda, sicut et hoc quod sequitur : *Et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui.* Et iterum in eo loco, ubi scriptum est : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephtalim, et in novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ.* Ubi quidam dictionem, quæ est, *gentium,* subsequenti sententiæ jungunt ita : *Gentium populus, qui ambulabat in tenebris,* cum longe aliter sit distinguendum. Denique duæ sunt Galilææ, una trans Jordanem, in qua viginti civitates Salomon dedit Hiram regi Tyriorum in sorte tribus Nephtalim; altera juxta stagnum Genesareth in tribu Zabulon circa Tiberiadem. Ad cujus distinctionem, quæ est in Judæa, dicit nunc *trans Jordanem Galilææ gentium.* Deinde infert : *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Et ubi scriptum est : *Et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian,* quidam mendose pro ablativo singulari ponunt pluralem et dicunt : *Sicut in diebus Madian.*

In illo introitu, quem canimus in die natalis Domini : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis,* nostra translatio secundum Hebraicam veritatem habet : *Parvulus natus est nobis; filius datus est no*

bis : et pro eo quod canimus : *cujus imperium super humerum ejus*, Hebraica veritas habet : *Et factus est principatus super humerum ejus.* Et pro eo quod canimus : *Et vocabitur nomen ejus magni consilii angelus*, in Hebræo sex nomina habentur : *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Ubi notandum quod non, ut plerique putant, bina jungenda sunt nomina, ut legamus : *Admirabilis consiliarius*, et rursum : *Deus fortis;* sed *Admirabilis* legendum est separatim, et *Consiliarius* seorsum, et *Deus* separatim, deinde *Fortis*, postmodum jungenda sunt duo nomina : *Pater futuri sæculi, Princeps pacis.*

In illa lectione : *Super montem excelsum ascende*, quidam codices in masculino genere habent : *Qui evangelizas Sion, et qui evangelizas Hierusalem*, cum juxta Hebraicum feminino genere pronuntiandum sit : *Quæ evangelizas Sion, et quæ evangelizas Hierusalem;* præcipiturque Sion et Hierusalem ut super montem excelsum, id est ad alta virtutum ascendant, et in fortitudine vocem suam exaltent, et absque timore nuntient, et dicant civitatibus Juda : *Ecce Deus vester*, et cætera quæ sequuntur.

Illam antiphonam, quam quidam modulantur : *Sancti, qui sperant in Domino, habebunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient;* in Hebræo habetur : *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut pennas aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient*, hoc significans, quod sancti, assumptis alis virtutum, sicut aquilæ in senectute solent mutatione pennarum reviviscere, ita isti in Dei servitio semper current et non laborent, ambulent et non deficient, sicut de eis scriptum est : *Ambulabunt de virtute in virtutem :* ut post hujus vitæ terminum, assumpto corpore immortali, Deus deorum ab eis possit videri.

In illo responsorio : *Illuminare, illuminare, Hierusalem, venit lux tua*, in Hebræo scriptum est : *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum;* nomen *Hierusalem* in Hebræo non habetur, ut significet ea quæ scripta et promissa sunt, non solummodo ad Hierusalem et ad Judæos pertinere, sed ad omnes generationes generaliter, quæ in Christum erant credituræ. Et infra : *Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ lac sugent;* quidam ita distinguunt, ut dicant *de lacte*, et postea subjungant *resurgant*, putantes consequens esse ut illi dictioni *de longe* respondeat altera dictio *de lacte*. Sed B. Hieronymus alium sensum ponit ut dicat : *Filiæ tuæ lac sugent*, ut animæ in Christo lactantes, in baptismate parvulorum, sicut Petrus apostolus dicit : *Quasi modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite;* velut parvuli lac, id est, doctrinam apostolorum interim sugant, donec solidum perfectæ doctrinæ cibum capere valeant, vel sicut aliqui codices habent : *De latere surgent;* aut enim legendum est : *Filiæ tuæ lac sugent*, aut *filiæ tuæ de latere surgent.* Hoc significans quod, sicut Eva mater omnium ex costa lateris Adæ formata est, ita Ecclesia ex latere Christi ædificata est, quando, juxta Evangelium Joannis, unus militum lancea aperuerat latus Christi, et statim profluxit sanguis nostræ redemptionis, et aqua baptismatis, quod ita est conjunctum, ut aqua baptizemur et sanguine redimamur.

In illo cantico Ezechiæ, et in illo versu : *Dixi : Non videbo Dominum;* quidam codices habent : *Dominum Deum*, sed falso scriptum est; bis enim repeti debet *Dominum Dominum*, sicut B. Hieronymus dicit. Illum versum : *Non aspiciam hominem ultra et habitatorem*, ita dividunt et terminant, ut subsequens versus ita incipiat : *Quievit generatio mea;* et beatus quidem Hieronymus propter ambiguitatem verbi primum ita transtulit, sed postea correxit : *Habitatorem quietis*, vera quies et vera exsultatio vita æterna est; vita autem æterna est contemplatio et visio Trinitatis. Quis est habitator æternæ vitæ, nisi ipse Deus omnipotens et electi illius? In illo versu : *Domine, vim patior*, quidam codices habent : *Responde pro me*, sed falso scriptum est; melius est enim, ut expositores dicunt : *Sponde pro me*, ac si diceret : Si quid erravi, tu sponde pro me, hoc est, sis mihi fidejussor, et accipe me in fide et protectione tua; *non est enim volentis, neque currentis; sed miserentis Dei est* (*Rom.* IX, 16). Et iterum ibi : *Domine, sic vivitur*, quidam codices habent : *Si sic vivitur;* sed non est ita, sicut B. Hieronymus ait; philosophatus est rex de statu hujus vitæ, ita dicendo : *Domine, sic vivitur*, id est, ita fragilis et caduca est humana fragilitas.

Item in illo introitu, ubi canitur : *Sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis pretium, venite;* quidam canunt : *Bibite cum lætitia;* sed dicendum ex juxta prophetam : *Comedite;* non, *bibite.* Sed quomodo possumus aquam comedere? nam sacra Scriptura in quibusdam locis est cibus, in quibusdam potus; ubicunque cum difficultate capitur, cibus est, ubi vero facilem habet intelligentiam, potus est. Et est sensus : O gentiles, qui sitiendo desideratis scientiam Veteris et Novi Testamenti, venite ad aquas baptismatis, vel ad dona Spiritus sancti, et qui non habetis argentum, id est eloquia Domini, de quibus dicit Psalmista : *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum;* properate, cito venite ad fidem meam, emite dona Spiritus sancti et aquam baptismatis, non pretio auri vel argenti aut aliquo hujusmodi, sed credendo et bene operando comedite ipsam aquam, doctrinam scilicet spiritalem, vel dona Spiritus sancti, audiendo, legendo, meditando, corde retinendo.

In illa lectione, ubi legitur : *Non vocaberis ultra Derelicta, et terra tua non vocabitur amplius Desolata*, in quibusdam codicibus subsequitur : *Sed vocaberis Voluntas mea in ævo;* sed falso : nam Hebraicæ consuetudinis est ut ex rebus vocabula semper imponant, sicut Abram, qui prius dicebatur *pater excelsus;* iterum quando audivit per promissionem : *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes*, appella-

tus est Abraham, id est, *pater multarum gentium*, et Dominus Salvator inter cætera nomina appellatus est Emmanuel, quod interpretatur *nobiscum Deus;* ita nunc Ecclesia vocatur Hebraice Ephiba, quod interpretatur *voluntas mea in ea;* et est sensus : non vocaberis ultra Derelicta a Deo, et terra tua, id est habitatio tua, non vocabitur amplius Desolata, quia Christus habitabit in medio tui; sed vocaberis Voluntas mea in ea, id est Ecclesia Christi ; et dicetur de te : Ista Ecclesia Christi, quæ voluntatem Domini facit. Igitur rogemus Dominum ut voluntatem ejus facientes ipsius sanctæ matris Ecclesiæ et dici et esse filii possimus, ut in æternum et in sæculum sæculi cum ipso et in ipso permanere valeamus.

7. Nunc igitur libet animo notare quosdam cantus, qui in sancta Ecclesia absque sacræ Scripturæ auctoritate videntur compositi, vel humano usu juxta libitus carnalium extraordinarie compilati, non attendentes qui talia concinebant quod Dominus præcipiendo per prophetam clamat : *Psallite sapienter* (*Psal.* XLVI, 8); et in concilio Africano constitutum est ut preces et orationes, nisi probatæ fuerint, non dicantur, nec aliqua ex his omnino canantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractata et comprobata fuerint in synodo, ne forte aliquid contra fidem vel per ignorantiam vel per studium sit compositum. Ubi breviter considerandum quod non solum ea quæ studio perfidiæ, sed etiam illa quæ simplicitate ignorantiæ contra fidei regulam fuerint composita, pari animadversione sunt repudianda. Beatus quoque Hieronymus, cum exponeret præceptum Apostoli, ubi ait : *Implemini spiritu, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino* (*Ephes.* v, 19); inter cætera ait : Canere igitur, et psallere, et laudare Dominum magis animo quam voce debemus. Unde sanctus pater Benedictus nobis præcipit dicens : « *Sic stemus ad psallendum ut mens nostra concordet voci nostræ.* » Quomodo mens nostra voci concordat, cum modulando in altum vocem levamus, aut omnino de sacra Scriptura tacemus, aut verba aut sensum in alienum intellectum mutamus, illud Virgilianum potius implentes : *Dat sine mente sonum*, quam illud apostolicum, quod supra posuimus, præceptum?

8. Et mirum in modum, dum quidam hujus mundi sapientes videri et esse volunt, per superstitiosam intelligentiam sacræ Scripturæ verba suo sensui applicare conantur, et verba, quæ ipsa Dei Virtus et Dei Sapientia per se protulit, vel Spiritus sanctus per ora prophetarum ac apostolorum prædixit, aliter secundum Donatum et Priscianum permutando canunt et dicunt, dum omnis philosophia mundana et sæcularis scientiæ doctrina originem a sacræ Scripturæ auctoritate sumpserint. Quæ enim est consequentia, ut Priscianus audiatur, et veritas, quæ Deus est, contemnatur? Sic enim Terentius, Virgilius, Tullius, cæterique liberalium litterarum sequaces in suis scripturis hoc meruerunt, ut eorum dicta permanerent inconvulsa, ut sunt, *advortite, diunt, ipsus, optumus, maxumus, olli*, multaque his similia, quanto magis cœlestium verborum oracula in sua perseverare debent regula ! nam quidam in Evangelio, ubi legitur : *Et dico huic, vade, et vadit ; et alio, veni, et venit ;* cupiunt emendare : *Et alii, veni, et venit.* Et ubi sanctum Evangelium dicit : *Quia virtus de illo exiebat et sanabat omnes ;* illi emendant, *quia virtus de illo exibat.* Et ubi Zachæus in Evangelio dicit : *Si aliquem defraudavi*, illi dicunt *defrudavi.*

Sed in illa offerenda pro defunctis, ubi canimus : *Libera animas omnium fidelium defunctorum de manu inferni, et de profundo laci ;* aliqui cum quodam mentis cothurno canunt : *de profundo lacus*, minus attendentes quod illud nomen *lacus*, genitivum, juxta utramque declinationem, id est secundam et quartam, solet perferre. Verum secundum idioma sacræ Scripturæ sæpius solet poni *laci*, quam *lacus*, præcipue ubi alta fovea et abyssus vel profundum inferni designatur. Igitur Isaias propheta, qui de se dicit : *Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum et dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur;* ipse, inquam, dixit : *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci ;* et iterum : *Qui descendunt ad fundamenta laci*, id est inferni. Jure igitur censemus illius auctoritatem magis sequi, cujus labia mundata sunt igne cœlesti, quam magisterium alicujus auctoris grammatici.

Et Daniel huic sensui congruit : *Allatus est lapis unus, et positus est super os laci ;* et iterum : *et non pervenerant usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt.* Petimus igitur canendo ut Dominus animas suorum fidelium de profundo laci, id est inferni, liberet.

Debemus igitur sacræ Scripturæ seriem firmiter tenere ac ejus tenorem in omnibus inviolabiliter observare, attendentes quod quidam sapiens admonet dicens : Prudens lector, semper cave superstitiosam intelligentiam, ut non tuo sensui attemperes Scripturas, Scripturis sensum tuum adjungas. Igitur constituendum est ut sacra Evangelii verba, patriarcharum ac prophetarum oracula, apostolorum scripta, fide integra, devotione congrua, ut in authenticis libris reperiuntur, incommutabiliter servemus, teneamus, custodiamus, nec aliquid addentes, nec dementes, nec mutantes, si velimus illam comminationem evadere quam Spiritus sanctus juxta finem Apocalypsis videtur intentare : *Si quis adposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto ; et si quis deminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, et civitate sancta, et de his quæ sunt scripta in libro isto.* Ergo si quis per grammaticæ artis regulam ingenium suum acuere voluerit, exerceat se in scholis, utatur, si libet, Donato et Prisciano magistris, dummodo salva veræ interpretationis integritate non

renuat debitum honorem divinis eloquiis conservare. Sed de his satis. Nunc videamur de cæteris.

9. Denique illud responsorium, quod primo ponitur in antiphonario : *Aspiciens a longe;* vel ille introitus : *In excelso throno ;* nec non et illud responsorium, quod canitur de sancta Maria semper Virgine : *Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum ;* in tota sacræ Scripturæ serie, ubi scripta sint reperire non potui, nisi forte existunt qui dicant in initio nascentis Ecclesiæ multos interpretes fuisse, qui sacram Scripturam de Græco in Latinum verterent, et inde ista assumpta sint, antequam B. Hieronymus, divinæ legis interpres, totum Vetus Testamentum de Hebræo in Latinum verteret et LXX Interpretum editionem emendatam Latinis auribus traderet. Sed probare inde aliquid non audemus unde nihil certi tenemus, quanquam ipse beatus Hieronymus in quodam sermone, quem ad Paulam et Eustochium de assumptione sanctæ Dei genitricis, Mariæ, semper virginis, composuit, testetur, hujus responsorii verba in Canticis canticorum haberi, ita inquiens : « De hujus nimirum ad cœlos ascensione multo admirantis intuitu secretorum contemplator cœlestium in Canticis sequitur : *Vidi*, inquit, *speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum*, etc. » Verum ubi illa verba invenerit, utrumnam ipse ea transtulerit, incertum habemus, pro certo scientes quod juxta hanc editionem, quam nos ab eo tenemus, minime invenire possumus.

Quod canitur de sancto Michaele in illa antiphona vel alleluia : *Concussum est mare et contremuit terra, ubi archangelus Michael descendebat de cælo*, quo quærendum et inveniendum sit loco penitus ignoro. Illa antiphona, quam quidam cantant in Ecclesia : *Sancti estis, dicit Dominus, multiplicabo numerum vestrum, ut oretis pro populo meo in loco isto*, ubi Dominus hæc verba dixerit non facile invenitur. Sed, quia Deus veritas est, debuit veritatem dicere qui de eo talia præsumit proferre, non timens illud quod Dominus per prophetam comminatur, dicens : *Numquidnam visionem cassam vidistis et divinationem mendacem locuti estis? et dicitis : Ait Dominus, cum ego non sim locutus* (*Ezech.* XIII, 7).

In illo responsorio : *Suscipe Verbum, virgo Maria*, in illo loco, ubi scriptum est : *concipies per aurem ;* et in illo responsorio : *Annuntiatum est per Gabrielem archangelum Mariæ virgini de introitu regis, et ingressus est per splendidam regionem aurem Virginis visitare palatium uteri, et regressus est per auream portam Virginis*, satis pueriliter et simpliciter, utinam non minus catholice dictum est. Si enim, ut illi asserunt, statim ut verba angeli audivit, concepit, quid faciunt moræ tantarum sententiarum ab illo loco, ubi angelus dixit : *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus ;* Et : *Ne timeas, Maria ; ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum ; hic erit magnus et* A *Filius Altissimi vocabitur*, usque in illum locum, ubi sancta Maria dixit ad angelum : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? et respondens angelus dixit ei*, non de præsenti, sed de futuro prædicens : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, usquedum Maria ita concluserit : *Ecce ancilla Domini*, non indicando, sed optando ait : *Fiat mihi secundum verbum tuum.* His verbis satis datur intelligi, quod nemo unquam scire potuit, potest, vel poterit, quomodo Filius Dei per uterum intactæ virginis ad salvationem humani generis intravit, et clauso sanctæ castitatis sigillo exivit. Ipsa enim juxta Ezechielis vaticinium præfigurata est illa porta jugiter serata, soli Deo pervia, cooperante B Spiritu sancto ineffabiliter Virgo Filium Dei concepit, et in unitate personæ verum Deum et verum hominem Virgo peperit, et post partum Virgo permansit. Unde in illo responsorio : *Suscipe Verbum*, ubi nos canimus : *concipies per aurem*, rectius diceremus : *Concipies in utero.* Illud vero : *Annuntiatum est per Gabrielem archangelum*, jure a sapientibus videtur esse reprobatum, sicut et illud, quod in ipsa sancta Nativitatis nocte canitur : *Descendit de cœlis missus ab arce Patris, introivit per aurem Virginis in regionem nostram* merito refutatur, et pro eo multis Galliarum Ecclesiis, quod subter scribendo subjecimus, taliter modulatur : *Descendit de cœlis Deus verus a Patre genitus, introivit in uterum Virginis, nobis ut appareret visibilis, indutus carne humana protoparentis Adæ, et exivit per clausam portam Deus et homo, lux et vita, Conditor mundi.* ℣. *Tanquam sponsus.* C

Illud quoque responsorium, quod in ipsa sacratissima nocte canitur, ita incipiens : *Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus referam, nescio ; quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti*, quam juste queat reprehendi, facile potest adverti ; ait enim ad virginitatem quasi ad quamdam feminam : *Sancta et immaculata virginitas ;* cum virginitas non sit femina, sed quædam virtus, a nomine, quod est virgo, sic denominata ; et finito responsorio apostropham ad ipsam facit, cum dicit : *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui ;* cum rectius et magis catholice idem responsorium taliter modularetur : *Sancta et immaculata virgo Maria, quibus te laudibus referam, nescio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* ℣. *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* D

Illa antiphona, quæ in vigilia ejusdem Dominicæ nativitatis canitur : *Dum ortus fuerit sol de cælo, videbitis Regem regum ;* in quibusdam codicibus habetur scriptum : *procedentem a Patre tanquam sponsum de thalamo suo*, quamvis id, *a Patre*, a modernis sit abrasum ; non enim Deus, Dei Filius, a Deo Patre tanquam sponsus de thalamo suo processit, sed in Virgine matre humanam naturam sibi associavit, et sic de Virginis utero tanquam sponsus

processit de thalamo suo; ideo rectius canitur : *Videbitis Regem regum procedentem a Matre tanquam sponsum de thalamo suo.*

10. Nunc, licet præpostero ordine, illas antiphonas convenit conspicere, quæ ad invitandum Dominum ab littera O incipiunt, et sic per ordinem ejusdem litteræ vadunt. Nam sicut sanctum est a sanctis Patribus, ille peroptabilis Domini adventus trium hebdomadarum numero ante adventum Domini est constitutus, quæ per singulos dies variis antiphonarum cantilenis sunt præscriptæ et præordinatæ. Sed et tria officia per singulas trium hebdomadarum Dominicas sunt constituta, et quia idem terminus adventus Domini a quinta Kal. Decembris usque in Nonas ejusdem mensis solet extendi; ex his diebus, quæ de quarta hebdomada supercrescunt, unus aut duo dies vel tres, vel aliquando integra hebdomada, placuit antiphonarii ordinatori per singulas noctes in illa quarta hebdomada, cum supercrescere solet, matutinales laudes componere et ad vespertinales laudes ad invitandum Deum antiphonas ordinare, incipiens a Dominica, et perveniens usque ad sextam feriam. Prima antiphona sic incipit : *O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodisti*, concluditur : *Veni ad docendum nos viam prudentiæ;* secunda, *O Adonai;* tertia, *O Radix Jesse;* quarta, *O clavis David;* quinta, *O Oriens, splendor lucis æternæ;* sexta, *O Rex gentium;* septima, *O Emmanuel*, quæ omnes per illud verbum *veni* in fine clauduntur. Quas ideo notare curavi, ut aperte daretur intelligi illas solas esse, quæ regulariter ac recte compositæ videntur ad adventum Dominicum invitandum pertinere. Illæ vero, quæ ad harum similitudinem modulantur, utrum sensu et verbis conveniant, qui voluerint videant et intelligant.

In illa antiphona, quæ canitur in octava Domini : *Mirabile mysterium declaratur hodie*, scriptum invenimus : *innovantur naturæ;* et mirari nequeo quæ illæ sint naturæ quæ dicuntur innovatæ. Nam Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, homo ex substantia matris in sæculo natus apparuit inter homines verus Deus et verus homo, subsistens in duabus naturis, id est divina et humana, et in una persona. Unde sic legimus in quadam synodo in civitate Spalensi [Hispalensi] habita : « Si quis igitur in Domino nostro Jesu Christo aut duas naturas, aut unam noluerit credere ac prædicare personam, vel si quis noluerit confiteri eumdem Deum atque hominem, id est Verbum incarnatum de Maria virgine, pro nostra salute veraciter natum, tantum a catholica fide reprehenditur ac demonstratur extraneus, ut sacramento redemptionis humanæ resistat ingratus. » Apparet igitur quod divina natura existat invisibilis, impassibilis, immutabilis, nec mutari, nec reparari, nec innovari potuit; humanam vero naturam verus Deus Dei Filius in unitate personæ sine divisione aut commistione assumpsit, et nos in ligno crucis redemit, reparavit, innovavit; ac per hoc innovatio ad solam naturam hominis pertinet, ideoque rectius dici poterat : *Innovatur natura;* velut quibusdam placet : *Innovator naturæ Deus homo factus est.*

Illud responsorium : *In columbæ specie Spiritus sanctus visus est, Paterna vox audita est : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, ubi finitur et terminatur, et quidam adjiciunt : *Ipsum audite;* quæ vox non in baptismate est audita, sed in monte, ubi transfiguratus Dominus, a Patre est prolata, et ideo huic responsorio non est copulanda.

11. Nunc igitur necessarium videtur aliquid tractandum de solemnitate, quæ Septuagesima prætitulatur, quæ ad vesperam incipit et contra morem ecclesiasticum ad matutinas desinit. Igitur quæcunque festivitates solemniter ad celebrandum sunt constitutæ, a priori vespera solent inchoari, et per nocturnas et matutinas horas per regulares totius diei cursus conveniunt, et sic ad secundam vesperam pertingunt. Hæc sola vero, ut supra dictum est, ad vesperam incipit, et vix ad matutinas horas pervenit. Hinc conjicitur quod aliqui dulcedine canoræ laudis attacti hunc terminum posuerint *alleluia* modulationi. Unde hujus nocturni officii auctor a quibusdam reprehenditur, eo quod sine sacræ Scripturæ testimonio ad ipsum *alleluia* quasi quamdam personam alloquendo talem musicæ cantilenæ narrationem studuerit contexere. Sed nos ea, quæ ex authenticis Scripturis aliquo modo sumpta cognovimus, reticere nolumus. Nam in libro Judicum legimus quod quidam generum suum proficisci cupientem ita sit allocutus : *Considera quod dies ad occasum declivior sit et propinquet ad vesperam, mane apud me etiam hodie, et duc lætum diem, et eras proficisceris, ut vadas in domum tuam.* Ex occasione hujus sententiæ exorsus est sic ad *alleluia* dicere : *Mane apud nos hodie* et cætera quæ sequuntur. In libro Sapientiæ legimus : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est et apud homines. Cum præsens est, imitantur illam et desiderant eam, cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat.* Et in eodem libro : *Delectatio bona in operibus manuum illius, honestas sine defectione.* Et Tobiam legimus ad uxorem de filio suo dixisse : *Credo enim quoniam angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia, quæ circa ipsum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos.* Illud responsorium : *Multiplicentur a Domino anni tui*, de parabolis Salomonis ex occasione hujus sermonis scriptum esse credimus : *Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ; viam sapientiæ demonstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis.* Item illud responsorium, quod canimus : *Alleluia; nomen bonum melius est quam divitiæ multæ*, similiter in parabolis Salomonis invenimus. Cætera vero, exceptis his quæ de psalmis composita sunt, ex quibus Scripturæ locis possint inveniri nondum reperi. Igitur rectius mihi videretur ut ipsius *alleluia* can-

tus in sexta feria ad vesperam inciperetur, et per diem Sabbatum celebraretur, et in vespera cum *Alleluia* cantu in Domini laude finiretur. Hoc enim, secundum quod sentio, ex me profero, non præjudicans aliorum prudentiæ, quos in laude Dei studiosos cognosco existere. Quod quidam illa responsoria, quæ post resurrectionem Domini in ordine sunt posita, quæ ita incipiunt : *Si oblitus fuero tui*, in hac Dominica nocte, quæ Septuagesima prætitulatur, volunt ponere, videtur mihi ratione carere, quia, si auctor Antiphonarii imprimis voluisset ea tum decantari, ibi utique ea scriberet et non post Pascha poneret.

In illa lectione de Ecclesiastico libro assumpta, quæ ita incipit : *In omnibus requiem quæsivi*, quidam versus in quibusdam codicibus sic habetur : *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans*; in quibusdam vero : *Sicut cinnamomum et aspaltum aromatizans odorem dedi.*

Illud responsorium : *Salus nostra*, quod canitur in Quadragesima, quidam ita concludunt : *Ut securi serviamus tibi*; sed rectius canitur, ut in Genesi habetur : *Respiciat super nos misericordia tua, ut securi serviamus Regi.*

12. Igitur nunc placet stylum vertere ad ea responsa, cum quibus versus sui minime concordant, sed sensu et verbis multum discrepant. Illi responsorio : *Ave, Maria, gratia plena*, illum versum aptant : *tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales*; cum illæ portæ, et illi principes, et illæ æternales portæ quæ elevari jubentur, magis ad alias personas pertineant quam sanctæ Mariæ semper virgini conveniant : et quia Angelus ad Mariam ait : *Ave, Maria, gratia plena*, illa in versu interrogando respondit : ℣ *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? et respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus.*

℟. Ecce Dominus veniet. ℣. Ecce Dominus cum virtute veniet, et regnum in manu ejus et potestas et imperium. Super omnes.

℟. Hierusalem, plantabis vineam. ℣. Exsulta, filia Sion, jubila, Hierusalem. Surge, Sion.

℟. Bethleem, civitas Dei summi. ℣. Loquetur pacem gentibus, et dominabitur a mari usque ad mare. Et pax erit.

℟. Suscipe Verbum, virgo Maria. ℣. Paries quidem filium et virginitatis detrimentum non patieris; efficieris gravida et eris semper virgo intacta. Ut benedicta.

℟. Ægypte, noli flere. ℣. Ecce veniet Dominus exercituum, Deus tuus in potestate magna. Liberare.

℟. Descendet Dominus sicut pluvia. ℣. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei. Orietur.

℟. Ecce radix Jesse. ℣. Dabit ei Dominus sedem David patris ejus. Et erit.

℟. Docebit nos Dominus vias suas. ℣. Venite ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob. Quia.

A ℟. Canite tuba. ℣. Annuntiate in finibus terræ, et in insulis, quæ procul sunt, dicite : Ecce Deus.

℟. Virgo Israel, revertere. ℣. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. In salvationem.

℟. Juravi, dicit Dominus. ℣. Juxta est salus mea, ut veniat, et justitia mea, ut reveletur. Et testamentum.

℟. Clama in fortitudine. ℣. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam. Ecce Deus.

℟. Orietur stella ex Jacob. ℣. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei. Et erit omnis.

B ℟. Egredietur Dominus. ℣. Et elevabitur super omnes colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et stabunt.

℟. Præcursor pro nobis ingreditur. ℣. Ipse est rex justitiæ, cujus generatio non habet finem. Pontifex.

℟. Videbunt gentes. ℣. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Et vocabitur.

℟. Radix Jesse. ℣. Super ipsum continebunt reges os suum, ipsum gentes deprecabuntur. Et erit.

℟. Congratulamini mihi. ℣. Beatam me dicent omnes generationes. Quia.

℟. Continet in gremio. ℣. Maternis vehitur, qui matrem vexerat, ulnis, angelici proceres quem stipant agmine fido. Per quos.

C ℟. Patefactæ sunt. ℣. Mortem enim, quam Salvator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori. Et ideo.

℟. Qui vicerit, faciam illum. ℣. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Et.

℟. Magi veniunt. ℣. Vidimus stellam ejus in Oriente. Et venimus.

℟. Omnipotens, adorande. ℣. Te confiteor labiis, te corde, te totis visceribus concupisco. Quia.

℟. Agathes lætissima. ℣. Nobilissimis orta natalibus ab ignobili gaudens trahebatur ad carcerem. Et quasi.

D ℟. Alleluia, dum præsens. ℣. In amicitia illius delectatio bona, quoniam immortalis est memoria illius.

℟. Erit mihi. ℣. Si reversus fuero prospere ad domum patris mei. Decimas.

℟. Audi, Israel. ℣. Observa igitur, et audi vocem meam, et inimicus ero inimicis tuis. Et.

℟. Opprobrium factus. ℣. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me.

℟. O Juda. ℣. Corpore tantum cum cœnantibus recumbebas et mentem invidiæ furore armabas. Et pacis.

℟. Surgens Jesus. ℣. Una ergo Sabbatorum, cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congre-

gati, *venit Jesus*, stetit Jesus in medio, et dixit eis : Pax.

℟. Isti sunt Agni. ℣. In conspectu Agni amicti sunt stolis albis, et palmæ in manibus eorum. Modo.

℟. De ore prudentis. ℣. Sapientia requiescit in corde ejus, et prudentia in sermone ejus. Favus.

℟. Locutus est. ℣. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum. Et vidi.

℟. Hæc est Hierusalem. ℣. Portæ ejus non claudentur per diem ; nox enim non erit in ea. Q.

℟. Non conturbetur. ℣. Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. Et.

℟. Priusquam te. ℣. Posui verba mea in ore tuo. Et ante.

℟. Præcursor Domini. ℣. Hic est enim propheta et plusquam propheta, sicut Salvator ait. Non.

℟. Puer meus, ℣. Liberabo te de manu pessimorum, et eruam te de manu fortium.

℟. O Hippolyte, si credis. ℣. Si dictis, inquit, facta compensas, faciam quod hortaris, cui beatus Laurentius dixit. Et.

℟. Hic est vir. ℣. Strinxerunt corporis membra posita in craticula, subjicientibus prunas insultat levita Christi. Q.

℟. In conspectu gentium. ℣. Cantate Domino canticum novum, bene psallite ei in jubilatione. A.

℟. O beatum virum. ℣. Oculis ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Q.

℟. O beata Cæcilia. ℣. Beata es virgo et gloriosa, et benedictus sermo oris tui. Quæ.

℟. Virgo gloriosa. ℣. Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat. Et.

℟. Cilicio Cæcilia. ℣. *Non diebus neque* usque *divinis*. Tiburtium.

℟. Beata Cæcilia. ℣. Sicut enim amor Dei fratrem tuum mihi conjugem fecit, ita te mihi cognatum. Q.

℟. Cæcilia me misit. ℣. Inveniens Valerianus pauperes dixit : Ostendite mihi sanctum Urbanum.

℟. Dilexit Andream. ℣. Elegit eum Dominus et honestum fecit illum. Quem.

℟. Exaudisti, Domine. ℣. Domine, qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in tote corde suo. Ben.

℟. Domine, si conversus. ℣. Si peccaverit in te populus tuus et conversus egerit pœnitentiam, veniens oraverit in loco isto. Lib.

℟. Initium sapientiæ. ℣. Dilectio illius custodia legum est, quia omnis sapientia timor Domini. Lauda.

℟. Peto, Domine. ℣. Omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia et veritas. N.

℟. Tempus est. ℣. Benedicite Deum, cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei. Et.

℟. Domine, rex omnipotens. ℣. Exaudi, Domine, orationem meam, et veniat clamor noster ad te. Et.

℟. Spem in alium. ℣. Domine, Deus cœli et terræ, respice ad humilitatem nostram. Q.

℟. Tua est potentia. ℣. Creator omnium Deus, terribilis et fortis, justus et misericors.

℟. Tu, Domine universorum. ℣. Tu, Domine, cui humilium et mansuetorum placuit deprecatio. Con.

℟. Disrumpam vincula. ℣. Revertar ad Hierusalem in misericordia, domus mea ædificabitur in ea. E.

℟. Muro tuo inexp. ℣. Erue nos in mirabilibus tuis et da gloriam nomini tuo. Libera.

℟. Civitatem istam. ℣. Avertatur furor tuus, Domine, a populo tuo et a civitate sancta tua. Exaudi.

℟. Qui cœlorum contines. ℣. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi.

13. Inter hæc sciendum quia, etsi quidam versus cum suis responsoriis conveniunt, ex nimia tamen assiduitate, qua sæpius ponuntur, quodammodo vilescunt, et fastidium ingerunt, sicut sunt : *Deus a Libano veniet; a solis ortu; qui regis Israel*, multique hujuscemodi. Unde et nos non solum eos versus, quos in emendatioribus Antiphonariis invenire potuimus, emendationis causa posuimus, verum etiam alios pro superioribus noviter conditos adnotare curavimus. Ille versus, qui ad illud responsorium pertinet, quod *in sudore vultus tui* canitur, qui ita orditur ℣. : *Pro eo quod obedisti voci uxoris tuæ*, quidam cantant *plusquam me;* cum rectius dicatur *plusquam meæ*, id est magis deberes meæ voci obedire quam voci uxoris tuæ. Ille versus : *Cumque abiisset Ruben ad puteum et non invenisset eum*, a quibusdam modulatur : *Scissisque vestibus;* sed *que* conjunctio ibi superflua est, et magis regulariter dicitur : *Scissis vestibus pergens ad fratres, ait.*

Restat adhuc unum responsorium, quod mihi videtur non prætereundum, quod taliter incipit : *Dum deambularet Dominus in paradiso;* cui versus supponitur : *Domine, audivi auditum tuum et timui.* Et adjungitur quod in Habacuc propheta habetur : *Consideravi opera tua et expavi*, cum rectius illa dictio subsequeretur, quæ in Genesi legitur : *Domine, audivi auditum tuum et timui eo quod nudus essem, et abscondi me.* Nec prætereundum quod Deus perditum hominem ad auram post meridiem quæsivit ac nudum reperit. In meridie solet sol ferventior esse, et postmodum in auram declinare. Primus homo a fervore Solis justitiæ defecit, quando in amore Conditoris non stetit; ad auram post meridiem declinavit, quando in perfidiæ culpam ruit. Sed nos divino amore ferventes, semper veste nuptiali induti incedentes, cœlestem Sponsum quæramus in meridie, dicentes cum sponsa : *Indica mihi quem diligit anima mea. Ubi pascas, ubi cubes in meridie*, quatenus in fervore geminæ dilectionis manentes, semper cum Christo lætemur ovantes.

DE CONSONA TONORUM DIVERSITATE.

Ex ms. San Gallensi cœvo.

Berno gratia Dei, etsi non merito, tamen officio abba, dilectissimis in Christo filiis Purchardo et Kerungo, una cum cæteris in Dominicarum scholarum gymnasio Augiæ vacantibus, de virtute in virtutem diatim proficere, ut Deum deorum in Sion valeant conspicere.

Vestri precum instantia nuper admonitus, ut quosdam versiculos super consona tonorum diversitate compositos vestræ sagacitatis industriæ ad discendum contraderem, non statim hac de causa ad id faciendum animum appuli, quia ridiculo me non defuturum apud posteros credidi, si, inter sapientiæ thesauros abundantes ac divinarum humanarumque litterarum larga copia instar torrentis affluentes, ego, totius eloquentiæ expers, quiddam mutire præsumerem, illamque sententiam mihi posse objici non immerito expavi :

In silvam ne ligna feras, et in mare pisces.

Sed rursum illam Domini sententiam considerans, quæ ait : *Qui petit a te, da ei, et volenti a te mutuari ne avertaris*, etsi non ut petentibus, saltem ut mutuum sibi præstari volentibus, penitus denegare nequaquam sum ausus, non parum fœnoris me sperans acquisiturum, si, pro verbosa vel undecunque acquisita compositiunculæ garrulitate, docta domesticæ eloquentiæ vestræ merear participari sobrietate.

Igitur octo tonis manifestum est musicam consistere, per quos musicæ modulationis consonantiæ, quas nunc interim brevitatis studio præterimus, amica quadam suæ conjunctionis affinitate sibi invicem videntur concordare. Quorum apud nos nomina, a primo usque octavum, ex ordinis sui auctoritate sumpsere primordia. Ex quibus quatuor, id est primus, tertius, quintus, septimus Græco eloquio authentici vocantur, eo quod cæteris, videlicet secundo, quarto, sexto, octavo quasi quadam magisterii auctoritate præesse videantur; authenticum namque *auctorem* sive *magistrum* sonat. Unde sicut superiores authentici vocantur, ita inferiores plagæ, quasi partes ex latere superiorum procedentes, dicuntur.

Qua ratione contigit ut, qui communi Latinorum locutione dicitur primus ab hujus artis magisterio imbutis nominetur authenticus protus, quasi primus auctoralis; secundus plagis protus, vel plaga, id est, pars proti; tertius authenticus deuterus, eo quod secundæ sit auctoritatis; quartus plagis vel plaga deuteri; quintus authenticus tritus, nihilominus ex ternario et auctoritate nomen sortitus; cui sextus secundum supradictam rationem subjicitur. Septimus authenticus tetrardus ab ordine et ipse ita vocatus; tetra namque quatuor dicuntur. Deinde sequitur octavus, qui septimo subditur; unde et plagis tetrardus vel plaga tetrardi vocatur.

Denique non immerito primus, tertius, quintus, septimus authentici vel principales dicuntur, cum eorum sonus sit altior, ascensus superior. Nam, sictut unusquisque eorum a suo finali incipiens, novenarium limitem licenter ascendendo contingit, descendendo in sibi vicinum, aliquando usque ad tertium sonum pervenit, ita inferiores in quintum usque ascendunt, in quartum vero sonum descendunt. Unde et hi inferiores, scilicet secundus, quartus, sextus, octavus, a superioribus, velut discipuli a magistris, ex toto non recedunt, sed quodam vicino sonorum tenore adjuncti, quamdam sui discipulatus formam ad superiores prætendunt, dum et ascensus eorum, ut supra prænotavimus, fit brevior et descensus inferior.

Omissis igitur singulorum tonorum differentiis, quæ pro diversa doctorum consuetudine aliquibus in notulis parum quid discordare videntur, singulis tantum versiculis principalem sui sonitus tenorem tam in antiphonis quam in responsoriis exempli causa adjunximus. Insuper et alios ejusdem regulæ versus ad introitus et communiones pertinentes, cum suis tamen differentiis, quia pauciores sunt et certiores, nihilominus superaddere curavimus. Quod si charitatem vestram differentias sive diffinitiones antiphonarum delectat vestro more subnectere, sat placere nobis scitote. Cæterum obedientiam vestram omnino contestor, quatenus hæc eo charitatis affectu quo a me sunt composita suscipiatis, meique utpote boni filii sui patris memoriam in Christo habeatis. Valete.

Primum quærite Regnum Dei.

Gloria. Sæculorum Amen. Ecce nomen Domini. Angelus Domini. Antequam convenirent. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Beata es, Maria.

Secundum autem simile est huic.

Gloria. Sæculorum. Amen. Jusie et pie vivamus. Archangele. Assumpsit Jesus. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, Veni, electa.

Tertia dies est, quod hæc facta sunt.

Gloria. Sæculorum. Amen. Domine, probasti me. Domine, spes Sanctorum. Claudus quidam. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Hodie nata est.

Quarta vigilia venit ad eos.

Gloria. Sæculorum. Amen. Credo videre. Ite nuntiate. Sanctis, qui in terra sunt. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Quæ est ista ?

Quinque prudentes intraverunt ad nuptias.

Gloria. Sæculorum. Amen. Allel. quem quæris. Ecce jam veniet. Adhuc multa habeo. Cœli aperti sunt. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Obsecro, Domine.

SEXTA HORA SEDIT SUPER PUTEUM.

Gloria. Sæculorum. Amen. Ædificavit Moyses. Alias oves. Benedictus Dominus. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Beata es.

SEPTEM SUNT SPIRITUS ANTE THRONUM DEI.

Gloria. Sæculorum. Amen. Hierusalem respice. Sapientia ædificavit sibi domum. Hoc jam tertio. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Gloriosæ Virginis.

OCTO SUNT BEATITUDINES.

Gloria. Sæculorum. Amen. Angeli eorum. Justorum animæ. Amen, amen dico vobis. Malos male perdet. Adorna thalamum. Deus adjuvat. Beatus vir qui sufferi. Si ignes adhib. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Beatam me dicent.

Gloria Patri. Sæculorum. Amen.

Primo pro culmine tuæ quærere justitiæ, Domine, veri summi quoque lumen fac nos; petimus ut in cœlo semper tibi jubilemus. Amen.

Rorate, cœli. Suscepimus. Gaudeamus. Sæculorum. Amen. Gaudete in Domino. Etenim sederunt. Statuit ei Dominus. Amen. Dominus dabit. Ecce virgo. Viderunt omnes. Gloria Patri, etc.

Gloria. Sæculorum. Amen.

Secundumque legis verbum mutua, quo dilectionem Dei et proximi, Christe, mandasti colere, quæ per hæc geminæ observantiæ præcepta reddamus. Amen.

Veni et ostende. Vultum tuum. Ecce advenit. Amen. Hierusalem. Exiit sermo. Dominus Jesus. Gloria Patri, etc.

Gloria. Sæculorum. Amen.

Tertia te die, Christe, resurgere, mundo ferre lumen credimus. O alma, fac nos et tuum semper laudare nomen, et in patriæ te æternæ regione cernentes sedere. Amen.

Ego autem. Confessio et pulchritudo. Repleatur. Amen. Beatus servus. Christus resurgens. Gustate. Gloria Patri, etc.

Gloria. Sæculorum. Amen.

Quarta te noctis Christe vigilia discipulis dare A cœleste solamen nos humiles fatentes, te canentes, laudantes, tuæque nomen potentiæ nos quaternæ tuæ evangelicæ vocis da cognoscere munimen.

Prope esto. Sacerdotes tui. Omnis terra. Sæculorum. Amen. Resurrexi. Misericordia. In voluntate. Amen. Exsulta. Vidimus. Feci judicium. Gloria Patri.

Gloria. Sæculorum. Amen.

Quinque tu, Domine, in cœlum virgines, te recipere, dignatus es plebis tuæ verbis revelare, signis et ostendere. Sensus ecce nostros in te precamur, Domine, te disponere. *Loquebar. Circumdederunt me. Lætare, Hierusalem. Domine, in tua. Amen. Domine refugium. Verba mea. Ecce Deus. Amen. Servite Domino. Justus Dominus. Signa eos. Gloria Patri*, etc.

B *Gloria. Sæculorum. Amen.*

Sexta tuæ, Christe, præsentiæ corporalis hora resplendet, fontem Ecclesiæ vitam tribue salientem aquæ vivæ, fervore quoque plenæ gratiæ hanc semper accende.

Hodie scietis. In medio. Quasi modo geniti. Amen. Diffusa est gratia. In splendoribus. Pascha nostrum. Gloria Patri, etc.

Gloria. Sæculorum. Amen.

Septemplicem te nunc quoque nobis adesse deposcimus, alme Paraclete, nostræ mentes ut tuæ gratiæ semper exuberent perlecto munere; quæque nocent exstingue, et cuncta, quæ proficiunt, accende semper amoris igne:

C *Puer natus est. Venite, benedicti. Viri Galilæi. Amen. Dicite pusillanimis. Tolle puerum. Factus est repente. Glor. Patri*, etc.

Gloria. Sæculorum. Amen.

Octo, pie Christe, lucide, beatitudines evangelicæ gratiæ plebi tuæ præbe benignus, et clemens semiterna requie refove sine fine credentes in te.

Ad te levavi, Domine, ne longe. Spiritus Domini. Amen. Lætabitur justus. Invocavit me. Probasti, Domine. Amen. Video cœlos. Responsum. Hoc corpus. Gloria Patri, etc.

BERNONIS
ABBATIS AUGIÆ DIVITIS
EPISTOLÆ.

(Apud RP. Bernardum Pezium, *Cod. diplom.-hist.-epist.*, *Thesauri Anecd.* tom. V, p. III, p. 201.)

EPISTOLA PRIMA.

AD VO. ABBATEM.

Ab illo nunquam divelli vellet.

Domino Vo. summa veneratione colendo, ac splen- D dido abbatum specimo, BERNO sancti Benedicti discipulorum clientulus, quidquid patri filius, domino servus.

Suavissimo virtutum tuarum odore, Pater bea-

tissime, semel aspiratus, nunquam, si posset fieri, jucundissima harum assiduitate vellem privari. Hinc mihi dies noctesque tali æstuanti desiderio nulla res refrigerio esse poterit alia, nisi sola optatissimi vultus tui præsentia. Quam quia nunc coram nequeo, saltem præsentium litterarum officio interim saluto, interque charitatis vulnera (*vulnerata*, inquit Sponsa, *charitate ego sum*) hujuscemodi voce utor cum Psalmista : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* Quo nisi sub umbra culminis tui? ubi si cum passeribus, id est, veris Christi pauperibus, nunc nidificando requiescerem, me quandoque ex eorum numero futurum esse non desperarem de quibus Isaias loquitur dicens : *Sancti qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient.* De quorum collegio tu, qui es dulce decus nostrum omniumque diadema monachorum indubitanter existens, jam spretis mundi hujus desideriis, cum his de quibus dictum est : *Ibunt de virtute in virtutem*, fortitudinem mutasti jam velut aquila reviviscendo, sumptis virtutum pennis ad alta volasti, nec in infirmitate corporea deficiens, sed potius cum Apostolo proficiens et dicens : *Quando infirmor, tunc fortior sum.* Et quia illius divinæ promissionis compos existere meruisti, quæ dicit : *Sustollam te super altitudinem terræ*, me, quæso, ad te sic exclamantem exaudi : *Trahe me post te*, quatenus in odore unguentorum tuorum me currente, illa hæreditate tecum merear participari, quam Dominus dignatus est tibi polliceri : *Et dabo tibi*, inquit, *hæreditatem Jacob patris tui.*

EPISTOLA II.

AD GERONEM SEU JERONEM ARCHIEPISCOPUM MAGDEBURBENSEM.

Gratulatur ei pacem imperii, commendatque monasterii sui res, ac regulas episcopatum sancte administrandi exponit.

Domino apostolicæ dignitatis apice sublimato G. Parthenopolitano archiepiscopo, B. Dei Matris ac Virginis servus, intimæ devotionis cultum, perfectæque fidei integritate refertum.

Gloriam laudis Deo angeli merito cecinerunt in excelsis, quando nuper hominibus bonæ voluntatis, per vestræ sollicitudinis curam ipso auctore Deo tantam pacis effulsit in terris. Siquidem hujus salutiferæ pacis donum cum universis spe ad superna tendentibus votis omnibus sit adoptandum, specialius tamen Christi sacerdotibus, non modo inquirendum, verum juxta Psalmistæ vocem præ omnibus est persequendum : *Inquire*, inquit, *pacem, et persequere eam.* Cujus rei non immemor Apostolus ait : Pacem et sanctimoniam sequimini, sine qua nemo videbit Deum. Sed et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, peracta carnis dispensatione ad Patrem reversus, hanc discipulis suis commendavit attentius, quatenus dulcissimo hujusmodi pignore velut ultimo vale divinitus consolati, in cœlesti Jerusalem, quæ interpretatur *visio pacis*, ipsius quandoque perfrui mererentur visione Redemptoris.

In hujus itaque pacis studio dum animum vestrum tum populorum fama, cum ipsa rerum experientia, intentum esse cognovimus, immensas largitori omnium gratias referimus, qui de virtutum vestrarum profectu tanto uberius gratulamur, quanto per veræ charitatis effectum menti vestræ arctius amando colligamur. Unde per has beatitudinem vestram litteras nimium salutantes, sollicite curavimus admonere, quatenus bonum pacis, quod exterius in mundo necessario agitis, circa domesticos quoque fidei ob quietem servorum et ancillarum Dei interius exercere non negligatis, quo per ipsorum merita intercessionum quandoque pervenire valeatis ad regna polorum.

Sed hæc interim omittentes intimamus quæ nobis adjaceant incommoditates. Nam noveritis multis æmulorum insidiis nos patere, qui omnino quietis nostræ studio invident, ita ut omni artis ingenio elaborent, si quo modo pias ac religiosas regiæ majestatis aures sinistris rumoribus de nobis nostrisque mentiendo possint inficere, et quiddam de rebus ad nostrum usum pertinentibus quoquo modo intercipere, ut vobis ex parte constat manifestum esse; et, quod gravius imis viscerum suspiriis est ingemiscendum, hi præcipue in hac parte videntur notabiles, qui sub habitu venerationis specietenus prætendunt formam sanctitatis. Quia, si veraciter eorum interiora morum probitate exterioribus concordarent, nequaquam adhuc per vitium sæculo fidem servarent. Verum cujuscumque sint ordinis vel conditionis, callidæ ac inimicæ eorum tergiversationi providentiæ vestræ clypeum humiliter petimus opponi, ne quidem arte maligna nostra apud Dominum nostrum possit lædi innocentia.

Cæterum in hujus schedulæ calce nostrum parumper, quæsumus, animadvertite commonitorium, etsi minus eloquentiæ melle sapidum. Nimio enim vestri amoris igne succensi, dulce habemus vestram diutius clementiam affari, utpote cujus jucundissimæ memoriæ suavitas ex primo cognitionis nostræ tempore a tabula cordis nostri nullo oblivionis stylo potuit aboleri. Congratulamur nempe sic temporali vestræ gloriæ, ut potius optemus vos modis omnibus aptari beatitudini perpetuæ. Quod tunc digne de vobis fieri potest, si dignitatis vestræ officium diligenter attenditis ; si qualem episcopum oporteat esse apostolica lectione, vigili meditatione perquiritis; si in mundo, qui in maligno positus est, corporis estis necessitate, in cœlestibus autem conversamini mentis contemplatione, ut possitis illud Apostoli proclamare : *Nostra autem conversatio in cœlis est.*

Oportet etiam ut talentum Regiæ familiaritatis in miseria et afflictione positis pie ac misericorditer per intercessionis auxilium subveniendo, Domino, a quo illud percepistis, reportetis cum lucro. Et hanc observationis regulam omni nisu implere contendite, ut, dum in activi laboris studio diem consumitis, in usum quietæ contemplationis per orationis

instantiam nocte resumatis. Itemque, redeunte mane diluculo, priusquam quidpiam operis incipiatis, lectioni divinæ operam detis, quatenus his, lectionis videlicet in mane, orationis in vespere, vicissim studiis exercitati, ea quæ in medio actualium operum negotia versantur, in die puriori, mentis oculo, Christo auspice, valeatis discernere.

At quia non est in homine via ejus, sed a Domino diriguntur gressus ejus, ipse assidua prece ad cor signandum, et ad gressus operum dirigendum est invitandus, qui in Canticis Canticorum sponsæ suæ, sanctæ videlicet animæ, hortando dignatus est dicere: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, ut videlicet per cordis cogitationem intus sit charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, et foris eadem cordis devotio monstretur in proximorum condescensione per bonam operationem, ut ex bonis operibus vos considerantes glorificent Patrem vestrum in cœlis.

Hujusmodi, pastor amantissime, signaculis intus cordis cogitationes ac deforis brachiorum vestrorum opera jugiter signate, quatenus corde et corpore, velut vas electionis mundatum atque signatum, illud Zorobabelis ad vos a Domino dirigatur promissum: *Assumam te, serve meus, et ponam te quasi signaculum, quia elegi te, dicit Dominus.*

Verum quoniam a bono pacis cœpit exordium nostræ narrationis, libet in ejusdem commemoratione finem sermoni imponere. Igitur si nomini vestro *Jero*, *Salem* jungatur dictio, visionem pacis indicare videtur absque dubio, una duntaxat O littera ob certam futuræ coronæ significationem in medio pro U posita, ut ex hoc liquido colligatur quia, si sanctitas vestra in hac convalle lacrymarum pro pace et unitate catholicæ matris Ecclesiæ sollicite insudaverit, sicut nunc pacis participatur vocabulo, ita ejusdem quandoque visione perfruatur in præmio.

EPISTOLA III.

AD HEINRICUM II IMPERATOREM.

Celebrat ejus virtutes, gratiasque ei pro collata sibi Augiæ præfectura agit, ac læta omnia precatur.

Domino suo, Christianæ religionis propagatori orthodoxo, Heinrico imperatori augusto, nec non terrarum marisque domino, honorifice a Deo sublimato atque coronato, Bern., suorum meritis extremus, humillimæ devotionis obsequia cum orationum instantia.

Jure immenso cordis jubilo grates rerum omnium persolvimus Domino, qui, in modum excelsæ pyramidis, vestræ dignitatis magnificentiam universis superexcellere fecit regnis. Quæ non immerito hujus pulcherrimi schematis decori comparari posse creditur, cum gloriæ vestræ fama super cunctos ubique gentium dominantes ita excelsi verticis sublimitatem extollendo emineat, ut in sui admirationem cunctorum aspectus alliciat. In vestræ etenim mentis arcem omnigenerarum virtutum idea conscendens se velut speculum inspiciendi omnibus præbet, in qua fides patriarcharum fulget, spes prophetarum splendet, charitas apostolorum supereminens pollet, ac per hoc Deo auxiliante cum David fortiter vindicatis regna, et cum Salomone pacifice gubernatis imperia. Quod si, adhuc in præsentis sæculi salo fluctuantes, varios bellorum eventus sustinetis, et juxta illud Jacob patriarchæ videantur vos exasperare et jurgari, invideantque habentes jacula, venient autem dies in quibus, juxta eumdem patriarcham, *sedebit in forti*, id est in Deo, *arcus* vester, *et dissoluta* erunt *vincula brachiorum et manuum* illorum *per manus potentes Jacob*. Quia quamvis per orbis terrarum spatia jam nunc triumphi vestri ubique prædicetur victoria, attamen perfectæ pacis dono uberius habebitis perfrui, quando subjugatis sanctæ Ecclesiæ inimicis cum populo Dei audire potestis: *Dominus pugnabit pro vobis, vos tacebitis.* Et illa Joseph benedictio ad vos dirigetur, *qua* dicitur: *Deus patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi.* Tunc etiam, juxta vaticinium Isaiæ, quiescere faciet Dominus superbiam infidelium, et arrogantium fortium humiliabit, et pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter agent. Quin et ille Rex de quo Salomon ait: *Qui sedet in solio judicii, et dissipat omne malum intuitu suo*, consequenter supernæ miserationis respectu vos intuebitur, atque, tranquilla temporum quiete concessa, coronare dignabitur justitiæ corona.

Inter hæc ego quoque humilis vestri clientulus, non immemor beneficiorum quibus me, licet immeritum, de paupertatis stercore voluistis erigere, et cum principibus populi, Deo auctore, in quadam dignitatis sede collocare, cum omni grege mihi credito totam spem meam diu noctuque in precibus ad Deum fundo, quatenus præsentis vitæ prosperitas arrideat ad votum, futuræ beatitudinis felicitas vobis cedat in præmium.

De pacifico imperii statu, de vario procinctus eventu, et, quod his omnibus majus est, de corporis animæque vestræ salute, per præsentium litterarum portitorem nos certificate, quatenus omnium bonorum largitori gratiarum actiones referamus læti. Augustalis imperii vestri sublimitas per multa annorum curricula hic bene regnando proficiat, ut post in paradisi amœnitate operum suorum fructum dulciter carpat. Vale.

EPISTOLA IV.

AD H. ABBATEM S. SALVATORIS.

Profecturus illi valedicit, suorumque ei fratrum necessitates commendat.

Abbati H., germanæ charitatis affectu dulcissime conjuncto, B. dimidium animæ suæ, seipsum in omni fide.

Quia ab ipsis pene infantiæ vagitibus chara amicitiæ soliditate in unum quoddam concrevimus, consequitur ut decus hoc sociale sit inter nos inenodabile. Sic enim cor unum et animam unam in Christo habere valebimus, si, juxta Apostolum,

alter alterius onera portamus. Ergo longioris viæ, ut bene nosti, iter arrepturus, agere cœpi qualiter nec tu remaneres a me insalutatus, nec ego abirem a te indonatus. Quapropter accipe has litterulas, vice amici directas, quæ et salutationis ex me officium expleant, et mihi in tantæ necessitatis articulo constituto succurrere te commonitum reddant: non quo nunc demum beneficium jungat quos jam olim beneficentia copulaverat, sed, juxta illud Apostoli, ex æqualitate vestra abundantia nostram suppleat inopiam, ut et nostra abundantia vestræ (quando attamen? etsi ita loquimur; divites enim estis) inopiæ sit supplementum. Alioquin, ut Tullius ait, *nimis exigue est et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum; ditior*, inquiens, *mihi et affluentior videtur esse vera amicitia, nec observare restricte ne plus reddat quam acceperit.* Neque enim verendum est ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quidem in amicitia jam congeratur. Hujus igitur memor dicti, in omni amicitiæ thesauro nihil reperiens, quod mihi quidem pretiosius videtur, meipsum tibi trado in omnibus: quo munere (non) ambigo te potissimum frui velle, ut et ego pari modo te fruar in Domino. Unde inter sacra missarum solemnia orationumque libamina, ut ego tui, tu, rogo, sis memor mei, omnique gregi sancti Salvatoris tibi credito, congruæ salutationis verbo ex me præmisso, quo charitatis affectu poteris, me nostrosque omnes commendare curabis. Vale.

EPISTOLA V

AD AUGIENSES.

Statuit quid a suis pro defuncti Heinrici monachi anima amplius persolvendum sit.

Berno, Dei Matris servus, Augiensium fratrum collegio veram dilectionem in Christo.

Qualis erga me in præcordiorum vestrorum secretis affectus maneat, litterarum vestrarum textus satis intimavit. Qui licet, mellita, ut sic dictum sit, dulcedine totus redundans, de vestra prosperitate, Deoque digna conversatione multum nos lætificaverit, non parum mœstitiæ cordi ingessit, quando lamentabilem fratris nostri Heinrici obitum ad memoriam revocavit, quem non tam mortuum lugemus, utpote quem mortalem sciebamus, quam tam subito, heu! nobis ablatum dolemus. Verum quia nunc magis, ut cujusdam utar verbis, tempus est medelæ quam querelæ, abstergantur lacrymis genæ, abscedat luctus, fugiat dolor et gemitus, sit nobis et illi in communi consolatio Christi.

Pro ejus vero animæ absolutione, quanquam solitum ac humanæ sorti debitum non dubitemus vos jam explevisse officium, aliquid tamen necessario putavimus adjiciendum, omnino æquum judicantes ut is qui, juxta vestræ professionis testimonium, in exteriori actione pro communi omnium nostrum utilitate hic, quoad vixit, cum Martha bene ministraverat, interveniente orationis vestræ suffragio, nunc cum Maria optimam partem habere valeat in Christo. Vobis itaque in unum congregatis et meo spiritu, fraterne rogamus ut continuos triginta dies computetis, ex quibus nullus intermittatur quin salutaris hostia pro ejusdem fratris anima immoletur, cum totidem psalteriis et vigiliis, ita ut in prima die pascantur pauperes C, in tertia CC, in septima CCC, in tricesima CCCC, ut hujus millenariæ perfectionis summa ibi fiat remissio plena, *ubi melior est dies una in atriis Domini super millia.* Vobis vero fratribus nostris, nec non et clericis per cellas nostras constitutis, in supradictis quatuor diebus congruam et convenientem pro charitatis officio refectionem parari censemus. Hujus dispositionis ordinatorem ac provisorem dominum Tietbaldum esse volumus, cui etiam fratrem Alawicum una cum his qui foris sunt ministerialibus adjutorem deputamus. Val.

EPISTOLA VI.

AD BURCHARDUM ABBATEM.

Illi obitum Henrici monachi Augiensis nuntiat.

Unice dilecto abbati Burchardo, B., cuculligerorum meritis extremus, indiscretæ fidei pignus.

Licet apostolica auctoritate de charorum in Christo dormientium (obitu) prohibeamur contristari, pietatis tamen affectus ad dolorem excitat pectus. Sed congruus in utrisque modus est habendus, quatenus de illata mortis conditione sic pietas cogat flere, ut de futura beatæ immortalitatis gloria spes conducat ad gaudere. Quod nunc de charissimi fratris nostri Heinrici corporis depositione necessario nobis agendum esse credimus, quandoquidem lacrymis eum ad nos revocare ulterius non possumus, cum utique, si hoc prodesset, solæ Domini imprimis pro sui clementia lacrymæ sufficere possent. Pro quo etiam omnis pene cohors palatina gemit trahitque suspiria. Quapropter tergantur lacrymæ, preces pro ejus requie ad Deum fundantur assiduæ. Non sit consolatio abscondita ab oculis nostris; quia ipse qui mortis venas siccavit, et infernum iter fratris dividentem confregit, illum, ut speramus, de medio mortalium ideo eripuit ut morte vitam meliorem commutaret. Ideoque pereunte tristitia succedat lætitia, maxime cum, Salomone teste, *melior* sit *dies mortis die nativitatis:* quia nimirum cum peccator moritur; peccare jam desistit *justus* vero *in memoria æterna erit, et ab auditione mala non timebit*

Hunc igitur, mi præcordialis amor, omnigena te prece deprecor ut, quia nostri amoris mediastinum non tam perdidimus quam ante nos ad Creatorem præmisimus, amodo in germanæ charitatis vinculo ligemur arctius; ut non jam duo, sed unum semper vivamus in Christo. Vale.

EPISTOLA VII.

AD H. EPISCOPUM.

Queritur ejus sibi copiam in loco et die constituto fuisse subtractam, rogatque ut se amari patiatur.

Prælucido magnorum speculo H. antistiti venerando, B. ac si indignum Dei Matris ac Virginis mancipium, sinceræ devotionis obsequium.

Si veterum illa sententia constabit, *amicorum (omnia) esse communia*, nihilominus omnia et ipsius amicitiæ jura, quæ qui amittit, jure amici nomen perdit, quandoquidem illius animum non custodit, qui, ut usitato cujusdam utar verbo, est ei *alter ego*. *Non* enim, ut tuus ait Tullius, *debet amicitiarum, sicut aliarum rerum esse satietas. Tuus*, non *vester*, ideo dixi, quia, salva interim seorsum reverentia, non ut nunc episcopum, sed ut quondam amicum te statui alloquendum. Cujus vocabuli officiique pariter, ut mihi videre videor, oblitus, novos quosdam moliris modos : cum, juxta prædicti familiaris tui sententiam, veterrima quæque, ut ea vina quæ vetustatem ferunt, esse debent suavissima ; verumque, secundum ipsius testimonium, illud sit quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit.

Nos vero quamvis multum temporis in amicitiæ vetustate jam explevimus, nondum tamen vel unius sextarii, ne dicam modii, summam in hujusmodi vetustatis consuetudine consumpsimus. Et tu, velut jam tam honestæ virtutis munere officiose inter nos expleto, ita te subito ab affabilitate subtrahis, ut nec salutari a me patiaris? Ergo postquam nuper, te abeunte, prælibatis osculis valefacientes ab invicem discessimus, sponsionis tuæ verba, quibus te in revertendo me potissimum expetiturum promittebas, velut dulcissimum pignus in arca cordis servabam, die noctuque ad optatissimum reditus tui nuntium suspensus manebam, cum ecce subito cum voto gratulationis legationem suscipio, quæ mihi injunxit tibi occurrere die constituto. Sed, quo fato nescio, spe frustratus maneo. Ego pessulum ostii mei in corde tibi dilecto aperui ; at tu declinaveras atque transieras, mihique insalutato pro vestigiis amoris reliqueras stimulos doloris, cum ego versa vice per glacies et aquas, amoris tui igne succensus, ad te transire essem paratus ; ut in me studio et officio benevolentiæ impleretur quod dicitur : *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Quapropter gratæ vicissitudinis munus amico rependе, teque mihi ad salutandum, colloquendum amplexandumque totum citius contrade, ut qui, sola inter nos benevolentia interveniente, cœpimus gratis amare, arctius in Christi charitate valeamus amodo cor unum et animam unam habere. Alioquin attende quod tu ipse testatus es Tullium dixisse : *Charitate enim*, inquit, *benevolentiaque sublata omnis est vitæ sublata jucunditas.* Vale.

EPISTOLA VIII.

AD A. EPISCOPUM.

Monet ne in deligendo Henrici imperatoris successore præceps sit, sed omnia communicato cum aliis consilio agat.

Domno antistiti glorioso A. B. Dei Matris ac Virginis servus, debiti famulatus et orationis munus.

Licet ob primi parentis culpam assidue charorum mortem cogamur deflere, convenit tamen in illo consolari, qui est primogenitus mortuorum et princeps regum erræ. Unde de (morte) charissimi servatoris nostri regis et imperatoris H. tandem quantulumcunque velut consolati, has etiam consolatorias litteras vestræ direximus sanctitati, sollicite admonentes tam ejus digne memoriam semper habere, quam etiam de regni vestri statu non negligere. Quod tunc recte facitis, si minus præcipites in consiliis vestris festinatis. Decet vos, ut sapientes, regni vestri exspectare consortes, quatenus nunc iterum unius regis cara jungat societas, regat auctoritas, gloriosos reddat civilitas, quos hactenus nulla Alpium potuit separare asperitas, nec publica aut privata causarum sequestrare. Sciatis enim publicum conventum omnium nostrum prid. Non. Sept. esse juxta Rhenum, in loco qui dicitur Kambe, ubi, si quid utilitatis Domino adjuvante regno nostro fuerit pertractatum, vobis quoque erit proficuum. Nam omnia nostra, vestra : ut, versa vice, omnia vestra, nostra.

Te, inclyta Italia, soror salutat Francia, suadens unitatis fœdera, quoad libare mutua valeatis oscula, ut Deus pacis et consolationis velociter conterat Satanam sub pedibus vestris. Sic enim inter vos sociale bonum firmiter constabit, si illud antiquum vestrum *idem velle ac nolle* nullo modo titubabit. Hanc amicitiæ legem natura velut quoddam solidarium, ex quo Caroli cœperunt, Ottones in Heinrico desierunt, vobis præ omnibus contradit munus, ut quasi unus animus esset in vobis pluribus.

Quapropter agite consulte, jus amicitiæ servate, magni consilii angelum exspectate, quia scriptum est : *Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis.* Hæc habui pauca quæ commemorarem benivole ; vos autem suscipite amice. Leonem vestrum, imo et nostrum, fortissimum fide, et Heinricum, virum antiqua virtute, ex nostro officio salutate. Propterea tibi, A., seorsum gratias referimus, quia nostra, ac si propria, [te] tueri cognovimus.

EPISTOLA IX.

AD H. EPISCOPUM.

Petit ab eo reliquias S. Ursi Martyris, cujus corpus transferendum esse inaudierat.

Domno H. antistitum flori, omnigenarumque virtutum decori, B. Dei Matris ac Virginis servus, omneque fraternum Augensis cœnobii collegium, summum et indeficiens bonum.

Si quid inter cœlestis aulæ milites distare potest, hi nimirum præstare videntur qui per ascensum purpureum ad illud aureum nostri pacifici regis pervenire meruerunt reclinatorium. Hic apostolorum limina teruntur, hinc martyrum suffragia postulantur, populi conveniunt, vota vovent et solvunt ut per vitulos labiorum gratum Deo offerant sacrificium. Et quia illius ferculi media, unde ad superius dictum reclinatorium ascenditur, charitate sunt constrata, merito quisquis ad illud verum esse fidelium tendit, per alium sperare debet quod ipse consequi non valet. Testatur hoc apostolica auctoritas, quæ sic præcipiendo dicit : *Alter alterius onera*

portate, et sic adimplebitis legem Christi; et Jacobus: *Orate pro invicem, ut salvemini.*

Si hujusmodi salvatio per hos quorum adhùc corpus corrumpitur et aggravat animam, potest promereri, multo magis Deo auctore ab his salvari (nos) sperandum, quorum animæ jam cum Christo in cœlesti exsultant gloria, ubi in justorum habitaculis resonat vox exsultationis et salutis. Hujus rei gratia ad te, reverendissime Patrum, credimus has litteras destinare, per quas indubitanter speremus charitatis dona posse impetrare. Respersit namque nos odor dulcis famæ qua comperimus vos sancti ac ter quaterque beati martyris *Ursi*, videlicet patroni vestri, (corpus) velle transferre, quod omnino nobis gaudio sciatis fore. Quapropter te, qui, fidei merito sedisque episcopalis privilegio, tam præclari officii minister præcipuus digne existis, primum venerantes, deinde cunctos qui piæ religionis studio ad id ipsum conveniunt, humillimo cordis affectu salutantes, devoti rogamus et supplices quatenus, pro munere benedictionis, mereamur per vos donari tanti patroni reliquiis.

Hujus voti si Deo auspice compotes fuerimus, diem etiam passionis, vel si qua ejusdem gesta martyris penes vos habentur, nobis transmitti modis omnibus adoptamus, quatenus nunc apud memoriam beati martyris velut in agro Dominico simul orationum semina jaciamus lacrymantes, ut, per ejus intercessionem, in fine bonorum operum manipulos ad cœlestem aream reportare mereamur ovantes. Vale.

EPISTOLA X.

AD CUONONEM.

Ab illo ejusdem sancti martyris Ursi reliquias expetit.

Virtutum viro, ideoque Cuononis nomine digno, B. sanctæ Mariæ semper virginis mancipium, una cum congregatione sibi credita, fraternæ charitatis munia.

Quia te quatuor quaternarum virtutum generibus reipsa quadratum esse comperimus, petitionis nostræ affectum tibi pandere non ambigimus. Est nobis in proximo locus, divino cultui aptandus, quem aliquo raro sacrarum reliquiarum ornatu dotare cupientes, has tibi litterulas per fratrem nostrum P. transmisimus, suppliciter deprecantes uti ex benigno charitatis tuæ munere aliquam portionem ex sacratissimo corpore beati Ursi martyris Christi ac patroni vestri nobis liceat contingere, ut simul habeamus unde in commune in Domino semper gaudeamus.

Nos vero pro hujusmodi recompensatione promittimus tibi indiscretæ fidei pignus interim inviolabile, donec ipsum Dominum recipias in præmium, si nunc pro ejus amore nostro satisfacere curabis desiderio.

EPISTOLA XI.

AD FRIDERICUM.

Cur Cassianus collator a tam multis reprehendatur, etc.

Suus suo, Bern. Friderico, ut veræ pacis diviti, cum misericordia et veritate semper osculanti bonum quo non præstantius.

Ignis ille perpetuus, de quo legislatori a Domino præcipitur ut nunquam de altari deficiat, in ara cordis tui jugiter flagrat, ex quo thymiama devotæ orationis suave adoletur. Cujus ego, inter cæteros amicitiæ tuæ viros, odore attractus, etiam si volo, immemor tui esse nequeo, præsertim cum tui verba sapientis, juxta illud Salomonis, sint apud me *quasi clavi in altum defixi*, quorum ego vel memoria ipse recreor. Igitur dum præsenti anno Coloniæ convenissemus, ibique dulcis quædam de sacra Scriptura inter nos habita esset collatio, subito quæstionem intulisti cur Cassianus, qui *de institutione monachorum* multa composuit utilia, idem reperiatur qui præcipue ejusdem reprehensor esse videatur [*apogr.* reprehensores esse videantur]. Ades ergo, animadvertens quæ dico.

Cassiodorus, ex senatore monachus, vir in divinis et humanis litteris eruditus, cum psalmi sexagesimi noni primum versum, qui sic incipit: *Deus in adjutorium meum intende*, exposuisset, adjunxit: « Sed, non sequendus in omnibus generaliter, hunc locum facundissimus Cassianus, in decima collatione plurima de ejusdem versus hujus utilitate edisserens, tanto honore concelebrat, ut, quidquid monachi assumpserint sine hujus versiculi trina iteratione non inchoent. » Item in alio opere ad monasterii sui fratres (*De instit. divin. lit.* c. 29.): « Cassianum, inquit, presbyterum, qui conscripsit de institutione fidelium monachorum, sedulo legite, libenter audite, qui inter initia ipsa sancti propositi octo principalia vitia dicit esse fugienda. » Et paulo post: « Qui tamen de libero arbitrio a beato Prospero jure culpatus est. Unde monemus ut, in talibus rebus excedentem, sub cautela legere debeatis. Cujus dicta Victor Martyritanus [*Cod.* Mataritanus] Afer episcopus, ita Domino juvante, purgavit, et quæ minus erant addidit, ut ei rerum istarum palma merito conferatur. »

Qui a tribus reprehenditur, quorum testimoniis errasse convincitur, dum Cassiodorus dicit eumdem *non in omnibus sequendum*, et *beatum Prosperum jure de libero arbitrio eum culpasse* affirmat, et *Victorem episcopum ejus dicta purgasse* collaudat. Et quantum a quibus vel unde reprehenderetur, hoc est: de libero arbitrio jam aliquatenus audisti. Nunc ubi locorum in scripturis suis hæreticus ille error lateat, charitas vestra diligenter advertat.

In libro ipsius, qui prætitulatur *De protectione Dei*, introducit idem Cassianus quemdam Chæremonem nomine, de gratia et libero arbitrio disputantem, cujus per omnia se probasse ac suscepisse ostendit sententiam. Ubi ab eo loco, in quo dicit: *Adest igitur nobis inseparabiliter semper divina protectio*, usque ad ejusdem pene collationis finem, a veritatis linea exorbitare videtur, dum alterno quodam sensu ex sacra Scriptura adversa sibi quædam colligit, ex quibus, generali omnium fidelium divisione habita, affirmare contendit quod alii sint quos Deus per gratiam salvet, alii quos natura per libe-

rum arbitrium justificet. Unde de Deo infert : « Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat, et incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit evenisse, etc. »

Si vero objicis nil jam reprehensionis in illo reperiri posse, eo quod supra diximus, auctore episcopo eumdem emendatum fuisse Cassiodoro teste, noveris illum emendatum penes nos minime haberi ; sicut nec ipse Cassiodorus tunc temporis habuit quando hæc scripsit. Unde et dicit : « Quem, librum videlicet, inter alios de Africæ partibus cito nobis credimus esse dirigendum. Sed vos, inquit, charissimi fratres, Deo juvante eas partes legite quas salubriter cognoscitur ille laudasse, » nisi forte tu illum habeas, in quo, inter odoriferas suavium sententiarum rosas, spinas errorum inveniri non metuas ; nec illud Virgilianum ibi putes auribus admittendum :

. . . fugite, o pueri, latet anguis in herba.

Verum ne fastidium lectori videamur ingerere, si omnia hujusmodi falsitatis dogmata in hac epistolari brevitate volumus detegere, præcipue cum contra easdem hæreticæ pravitatis ineptias Dei gratiam impugnare nitentes liber exstet catholicus a beato sæpe jam dicto Prospero editus, libet pauca de multis ejusdem gratiæ divinæ defensoris verba ponere, ut clareat ex adverso quis horum merito ferat palmam ex hoc certaminis campo.

Postquam enim doctor prædictus in catholica acie constitutus, inimicum gratiæ Dei sacræ Scripturæ armatura expugnavit, murumque infidelitatis fidei ariete contrivit, ante finem libri sic ait : « Necessarium nunc sane æstimo, ante conclusionem voluminis, ea quæ ostendimus non congruere catholicæ veritati breviter conjunctimque digerere, ut quæ interjectis responsionibus nostris possunt recordationem legentis effugere, fidelius simul decursa recolantur. »

A. Prima ergo diffinitione dictum est (Prosper), « non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque operationem eorum quæ recte cupimus tribuit peragendi. *Omne enim datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* ; qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur et consummat in nobis. » Quod et nos valde amplectimur catholicumque esse profitemur.

B. Secunda diffinitione dictum est : (Cassian.) « Adest igitur inseparabiliter nobis divina protectio, tantaque est erga creaturam pietas Creatoris, ut non solum comitetur eam, sed etiam præcedat jugiter providentia. Quam expertus Propheta confitetur, dicens : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Qui, cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam atque confortat, et incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse. » (Prosp.) Jam hic a præmissa diffinitione descenditur, et quod totum gratiæ fuerat datum, ex parte nunc libero arbitrio deputatur.

C. Tertia diffinitione dictum est (Cassian.) : « Nisi quod in his omnibus et gratia Dei et libertas declaratur arbitrii, quia etiam interdum suis motibus homo ad virtutum possit extendi appetitus, semper vero a Domino indigeat adjuvari. Nec enim cum voluerit quis, sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo per arbitrii sui desiderium liberatur. » Quasi medicus noster non etiam hoc donet morbidis ut veram desiderent sanitatem.

A. Quarta diffinitione dictum est : « Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen, nisi a Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testatus est dicens : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non possum.* » Quasi Apostolus ex naturali affectu, et non ex gratiæ bono, bonam habeat voluntatem, qui profitetur ex Deo sibi esse sufficientiam cogitandi.

Quinta diffinitione dictum est : « Et ita sunt hæc quodammodo indiscrete permista atque confusa, ut quid ex quo pendeat inter multos magna quæstione volvatur, id est, utrum, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus ; an, quia Deus miseretur, consequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim hæc singula credentes ac justo amplius asserentes variis sibique contrariis runt erroribus involuti. Si enim dixerimus nostrum esse bonæ principium voluntatis, quid fuit in persecutore Paulo, quid in publicano Matthæo, quorum unus cruore ac suppliciis innocentum, alius violentiis ac rapinis publicis incubans attrahitur ad salutem ? Sin vero pro gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius pietate in cruce latronis dicemus, qui, desiderio suo vim quamdam regnis cœlestibus inferentes, specialia vocationis monita prævenerunt ? » (Prosp.) In errore esse dicitur et is qui ex gratia nasci bonam voluntatem, et is qui dicit gratiam ex bona pendere voluntate ; et tamen utraque sententia suscipienda decernitur, dum unius in Paulo et Matthæo, alterius in Zachæo et latrone forma præfigitur.

Sexta diffinitione dictum est : (Cassian.) « Hæc ergo duo, id est gratia vel liberum arbitrium, sibi quidem invicem videntur adversa ; sed utraque concordant et utramque nos pariter debere suscipere pietatis ratione colligimus, ne, unum horum homini subtrahentes, ecclesiasticæ fidei regulam excessisse videamur. » (Prosp.) Quasi ita utrumque recipiendum sit ut in aliis hominibus voluntas gratiam, in aliis gratia præveniat voluntatem ; et non ita ut in omnibus voluntas gratiam subsequatur : quoniam,

secundum ipsos, si aufertur liberum arbitrium, cum gratia prævenitur, aufertur gratia, cum libero arbitrio prævenitur.

Septima diffinitione dictum est (Cassian.) : « Concepit ergo Adam post prævaricationem, quam non habuerat, scientiam mali; boni vero scientiam, quam acceperat, non amisit : » (Prosp.) Cum utrumque sit falsum, quia et a quanto malo Adam cavere deberet, Deo monente prædidicit, et in quanto bono esset constitutus, dum diabolo credidit, oblitus est. Sicut autem pessima scientia mali est malum esse, ita pessima ignorantia boni est bonum non esse.

Octava diffinitione dictum est (Cassian.) : « Unde cavendum nobis est ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, ut nil, nisi quod malum est, humanæ naturæ ascribamus. » (Prosp.) Quasi natura ante gratiam non sit in damnatione, non sit in cæcitate, non sit in vulnere, aut non gratis justificati sint, quorum inde sunt merita, unde justitia.

Nona diffinitione dictum est (Cassian.) : « Dubitari ergo non potest inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta. Sed, nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire. » (Prosp.) Quasi de spiritualibus bonis nihil Adam prævaricando perdiderit, et virtus non, ut habeatur, danda, sed, ut facilius perfectionem apprehendat, hortanda sit.

Decima diffinitione dictum est (Cassian.) : « Quod etiam in Job, probatissimo athleta suo, cum eum diabolus expetisset ad singulare certamen, divinam legimus providisse justitiam. Si enim contra inimicum non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, et, absque ulla virtute patientiæ suæ, divina tantum opitulatione suffultus, multiplices illas ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles et exitia pertulisset, quomodo non illam calumniosam diabolus, quam prius emiserat, vocem adversus eum justius iterasset : *Nunquid Job gratis colit Deum? Nonne tu vallasti eum et universam substantiam ejus per circuitum? Sed auferm manum tuam, id est, sine eum mecum suis viribus decertare, nisi in faciem tuam benedixerit tibi.* Sed cum nullam hujuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur. Licet enim gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, tantam tentatori tentandi tribuit potestatem, quantam et illum resistendi noverat habere virtutem. » (Prosp.) Si Deus scivit tantummodo quod Job posset, non etiam donavit ut posset; testis patientiæ ejus, non auxiliator fuit. Et in quo erit necessarium gratiæ adjutorium, si humanis solis viribus tanta illa est patrata victoria?

Undecima diffinitione dictum est de centurionis fide (Cassian.) : « Miratur eum Dominus atque cum laudat, cunctisque illis qui ex Israelis populo crediderant præfert, dicens : *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Nullius enim laudis ac meriti esset, si id in eo Dominus quod ipse donaverat prætulisset. » (Prosp.) Impius sensus, qui putat beatiorem esse hominem, cui Deus nil dederit, quam cui universa contulerit.

Duodecima diffinitione dictum est (Cassian.) : « Inde est quod orantes non solum protectorem, sed etiam susceptorem Dominum vocamus. In eo enim quod prior advocat et ignorantes nos atque invitos attrahit ad salutem, protector atque Salvator est. In eo autem quod annitentibus nobis opem ferre, refugientesque suscipere ac munire consuevit, susceptor ac refugium nominatur. » (Prosp.) Huic sententiæ is potest præbere consensum, qui se a Christo non vult esse salvatum. His itaque diffinitionibus hoc docetur, hoc scribitur, [hoc editis disputationibus prædicatur, quod, Adam peccante, anima ejus læsa non fuerit, sanumque in eo manserit unde peccavit : si quidem scientiam boni, quam acceperat, non amiserit, nec potuerint posteri ejus perdere, cujus damnum nec ille pertulerit; inesse autem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta, ut possit, qui voluerit, judicio naturali Dei gratiam prævenire et adjutorium ejus, quo facilius ad perfectionem perveniat, promereri; quia nullius sit laudis ac meriti qui donatis bonis, non propriis, adornatur; cavendum quoque esse ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referantur quasi per se nil boni possit agere humana natura, cum tanta sit virtutum ejus integritas, ut etiam ipsum diabolum sævitiamque ejus usque ad extrema supplicia sine auxilio Dei valeat dimicare. Hanc autem possibilitatem in omnibus hominibus esse naturaliter, sed non omnes ingeneratis sibi uti velle virtutibus. Tantam autem circa universos homines bonitatem esse Creatoris, ut alii ab eo, quia sponte veniant, suscipiantur laudati; alii autem, quia resistunt, attrahantur inviti, atque ideo volentium susceptor, nolentium vero Salvator sit. Et cum pars Ecclesiæ ex gratia, pars autem justificetur arbitrio, gloriosiores sint quos natura provexerit quam quos gratia liberarit, quia ad omne opus bonum tam libera sit voluntas in Adæ posteris quam in Adam fuerit ante peccatum. (*Hucusque Prosper.*)

Hæc interim tibi ad ea quæ interrogasti, dilectissime, sufficiant. Cæterum si quid plenius super hoc nosse desideras, ipsum librum beati Prosperi inde compositum lege, et liquido comprobabis Cassianum, virum licet in aliis probatum, in hac parte jure culpatum.

Nunc igitur ad te, mi præcordialis amor, stylus vertatur, ut, quia in mei pectoris arca diligenter servaris, debito charitatis officio saluteris. Cupio te in omnibus tuimet sollicitum esse, et juxta illud Sapientis teipsum agnoscere. Ecce mundus in maligno positus est. Qui diligit mundum, diligit malignum. Qui diligit malignum, non diligit Deum. Superest igitur ut qui diligit Deum, non diligat mundum. Unde et Joannes admonet dicens : *Nolite di-*

ligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Felix illa conscientia quæ mundanæ substantiæ subsidiis, sine quibus hæc præsens vita non ducitur, sic utitur ad usum ut non abutatur ad luxum! Quæ puro mentis intuitu captiosa hæreticæ deceptionis prævidens reticula, diabolica terræ voraginis cavet profunda, sicque hostis callidi insidias, ne latenter irrepant, explorat, ut laqueos ejus evadat, sicut ille qui dicebat: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Cujus adjutorio confisus cum hoste congredere securus, hoc semper volvens in animo, quia corona non nisi certamini debetur legitimo. Unde in rationali pectoris tui sint quatuor ordines lapidum jugiter inclusi, singuli ternis patriarcharum nominibus inscripti, ut, quatuor principalium virtutum excellentia insignitus, sanctæ Trinitatis fidem confitearis securus. Sic enim, sanctorum Patrum memoriam, velut quoddam bonorum operum decus, in sanctuario pectoris die noctuque gestando, dignus eris qui de medio fratrum tuorum eligaris, ut sacerdotio coram Deo fungaris. In cujus dignitatis gradu constitutus, semper in ara cordis efficiaris Deo victima salutaris, victima sale sapientiæ condita, atque igne Spiritus sancti concremata. De quo igne et sale videtur Dominus in Evangelio dixisse: *Omnis enim igne salietur, et omnis victima salietur.* Vale.

BERNONIS EPISTOLARUM FRAGMENTA.

I.

AD HEINRICUM REGEM.

[*Apud Mabill. Annal Bened.* lib. LVIII, *n.* 91, *ad an.* 1045, *ubi fragmentum sequens narrationi suæ intermistum edidit, ut hic exhibetur.*]

Forte adhuc Turegi (*Zurich*) morabatur Heinricus rex, cum ad eum epistolam scripsit Berno Augiensis abbas, sub hac inscriptione: « Domino meo, regum invictissimo, Heinrico pacifico, orthodoxæ fidei propagatori gloriosissimo, BERN, licet meritorum qualitate omnium suorum extremus, votivæ servitutis, assiduæque orationis munus. » In hac epistola Berno Heinricum laudat quod Petro regi, ad ipsum suppliciter confugienti, sinum pietatis expanderit, et non solum nullam vindictam de his quæ in se commiserat sumpserit, sed miro charitatis affectu foverit ac juverit, quousque, Christo adjuvante, eum regno suo restituisset. Tum subdit. « Hæc pauca habui quæ, vestri amoris impatiens, pro tempore dicerem, vestræque majestatis excellentiæ benivole dirigerem. Subjeci etiam sermones duos, unum de Epiphania, alterum de Cœna Domini, in quo aliquid de pœnitentia, etsi non ut debui, tamen prout potui, disputavi, suppliciter deprecans ut, si dignum ducitis, illos nostris scriptis adnecti jubeatis. » Post hos sermones iterum redit ad laudes Heinrici; dein agit pro Hirmingarde Turegensi abbatissa, quæ ob stuprum gradu exciderat. « Dico, inquit, de Hirmingarta, quondam in Turego abbatissa, sed modo pro sui culpa merito dejecta. Illa quondam cœlesti Sponso conjuncta, illud dulce divini carminis epithalamium potuit cantare: *Osculetur me osculo oris sui.* Nunc, velut adultera et prostituta, virginei decoris cogitur deflere detrimenta. » Et infra: « Nunc igitur regale vestræ pietatis decus appello, suppliciterque exoro ut misericordiæ opus, quod ex divina inspiratione cunctis in regno vestro manentibus concessistis, huic miseræ ac infelici feminæ non negetis.... Ecce nunc ex toto corde ad Deum conversa laborat in gemitu; lavat per singulas noctes lectum suum... Accedat etiam domnæ meæ reginæ Agnæ intercessio, quæ apud vos ob Dei amorem ei obtineat pristini honoris redintegrationem. » Hæc raptim et carptim ex codice Villingensi olim excerpsimus.

II.

[*Edidit Marten. lib. De antiq. Eccl. Rit., tom.* IV, *lib.* II, *cap.* 15, *num.* 3, *qui inscribitur!* Quæ Psalterii versio in cantu ecclesiastico olim adhibita. *Martenii verba damus quæ fragmentum præceduni et sequuntur.*]

« Jam vero, cum plures exstiterint Psalterii versiones antiquæ, optabit forsan aliquis rescire quænam potissimum in divinis officiis olim adhibita sit. Sanctus Hieronymus in epistola 135, ad Sunniam et Fretellam, scribit versionem septuaginta Interpretum, « qualis, inquit, habetur in Hexaplis, et quæ « in eruditorum libris incorrupta et immaculata re« servatur,... Hierosolymæ atque in Orientis Eccle« siis » decantari. Præter hanc versionem alia exstitit, ejusdem Hieronymi judicio minus castigata, quæ dicebatur Communis, vulgata, et Luciani editio, qua in divinis celebrandis laudibus utebantur Romani. Accuratam LXX versionem cum in Latinum sermonem transtulisset, Vulgata posthabita, eamdem recepit Ecclesia Gallicana, unde et Gallicani Psalterii nomen illi inditum est. Audiendus est hac de re Walfridus in libro De rebus ecclesiasticis, cap. 15 sub finem: « Psalmi autem cum secundum septua« ginta Interpretes Romani adhuc habeant, Galli et « Germanorum aliqui secundum emendationem quam « Hieronymus Pater de Septuaginta editione compo« suit, Psalterium cantant: quam Gregorius Turo« nensis episcopus a Patribus Romanis mutuatam « in Galliarum dicitur Ecclesias transtulisse. » Eadem est Bernonis abbatis Augiensis sententia, tametsi de tempore quo hæc versio a Gallis sit recepta, a Walfrido discrepet. Sic enim in ms. ad Meginfridum et Bernonem epistola agens de sancto Hieronymo: *Inter cætera ex emendata septuaginta Interpretum translatione Psalterium ex Græco in Latinum vertit, illudque cantandum omnibus Galliæ ac quibusdam Germaniæ Ecclesiis tradidit. Et ob hoc Gallicanum Psalterium appellavit, Romanis adhuc ex corrupta Vulgata editione Psalterium canentibus: ex qua Ro-*

mani cantum composuerunt, nobisque usum cantandi contradiderunt. Unde accidit quod verba quæ in diurnis vel nocturnis officiis canendi more modulantur, intermisceantur, et confuse nostris psalmis inserantur, ut a minus peritis haud facile possit discerni quid nostræ Romanæ conveniat editioni. Quod pius Pater ac peritus magister intuens, tres editiones in uno volumine composuit; et Gallicanum Psalterium, quod nos canimus, ordinavit in una columna, in altera Romanum, in tertia Hebræum.

« Hujusmodi Psalterium triplex ex ms. codice Carnotensi monasterii sancti Petri ediderunt fratres nostri in tomo I, seu Bibliotheca divina sancti Hieronymi. In hoc ergo dissentit a Walfrido Berno Augiensis quod ille a Gregorio Turonensi, iste ab ipso Hieronymo versionem illam in Galliis invectam fuisse scribat. Verum post utramque admissam contendit Mabillonius in disquisitione de cursu Gallicano, n. 22, trahitque ad suæ sententiæ confirmationem argumenta ex ipso Gregorio, qui cum pluribus in locis, maxime lib. v, c. 14, et lib. vi, c. 5, Psalmorum versiculos referat, versione a Gallicana diversa utitur. Eadem argumentandi ratione nonnulli olim scripserunt sanctum Benedictum usum fuisse Psalterio Gallicano, uti docet Petrus Boherius in secundo super regulam sancti Benedicti Commentario, propterea quod versiculos psalmorum adducat in regula Gallicano Psalterio omnino conformes. Porro ex supracitata Bernonis epistola colliges Romanos ejus tempore, hoc est medio sæculo undecimo, suæ adhuc versioni adhæsisse. Atqui hoc Psalterium Romanum usui fuit in Urbis ecclesiis ad usque Pii V pontificatum, cujus jussu Vulgata seu Gallicana editio ubique recepta est, præterquam in una Romæ Vaticana ecclesia, et extra Urbem in Mediolanensi, quæ utraque antiquum suum Psalterium retinet, uti etiam ecclesia sancti Marci apud Venetias. »

VITA SANCTI MEGINRADI

EREMITÆ ET MARTYRIS APUD HELVETIOS.

Auctore Bernone abbate Augiensi.

(Mabill., *Acta SS.* Sæc. IV, part. II, p. 63, *ex Christophoro Hartmanno et Bollando.*)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Inter pios sanctosque Augiensis monasterii viros, quos in sæculi tertii parte secunda commemoravi ad Vitam sancti Pirminii, locum habet in primis sanctus Meginradus seu Meginratus, quem alii *Meinradum*, alii corrupte *Meinardum*, *Meinrardum* vel *Meinhardum* appellant. Fuit is monachus primum in Augia insula, tum eremita in Nigra Silva ad lacum Turicinum; demumque *Martyr* pro more illorum temporum dictus. Quippe usus tum obtinebat, quod alibi observavi, ut quisquis cruenta morte vitam finiret, *martyr* appellaretur coleretur que, si alias moribus et vita integer fuisset. Meginrado quæ necis causa fuerit, non satis apparet. Non alia sane videtur quam fera crudelitas aut cupiditas duorum sicariorum, quibus viri sancti vita, et forsan etiam objurgatio gravis erat. Ejus Vitam scripsit anonymus quidam, quem Christophorus Hartmannus, Einsidlensis monachus, vir doctus, Bernonem esse judicavit. Et ego quidem Hartmanni conjecturæ accedo, si Bernonem Augiensem abbatem intelligat. Ut potius Bernoni abbati, quam Bennoni cellæ sancti Meginradi secundo incolæ (cui Bollandus eam lucubrationem tribuit) assignandam putem, illud me movet, quod Bernone abbate, qui Augiam rexit ab anno 1008 in annos 40, sancti Meginradi corpus levatum e tumulo est; sicque is hoc ritu in sanctorum numerum relatus auctoritate Benedicti papæ noni, uti Hartmannus scribit. Unde hac occasione factum reor ut Berno sancti eremitæ res gestas litteris mandaverit, quo ejus sanctimoniam pontifici aliisque notam faceret. Vitam hanc sancti Meginradi verbis paululum immutatis primus vulgavit Surius, tum Hartmannus in præclaris Annalibus eremi beatæ Mariæ, denique Joannes Bollandus in Januario suo cum commentariis.

2. Meginradi memoria inserta est fastis sacris in Martyrologio Romano, Benedictino et aliis recentioribus, ad diem 21 Januarii. At in Benedictino illud animadversione dignum, quod *Meginradus* eremita prædicto die memoretur, et die 17 Februarii *Megimadus* Einsidlensis abbas : et quod Menardus noster in lib. II Observationum Megimadum vocet conditorem cœnobii Einsidlensis, dicens eum claruisse ad annum octingentesimum sexagesimum, ut docet Miræus in Chronico Benedictino. Unus enim idemque fuit et Meginradus eremita, et qui Einsidlensi monasterio originem dedit, Megimadus apud Miræum corrupte appellatus.

3. Einsidlense nempe monasterium conditum est eo in loco ubi sanctus Meginradus solitarius vixit : qui locus per annos minimum quadraginta quatuor ab obitu Meginradi absque colono et cultu fuit, usquedum sanctus Benno canonicus Argentinensis eo secessit, et ædiculam squalore et impluvio collabentem refecit. Tum sanctus Eberhardus, ex præposito itidem Argentinensi eremita, monasterium adjunxit, abbas loci primus ; et sacellum beatæ Mariæ a Meginrado primum conditum, a Bennone instauratum, majori basilica inclusit. Successit sanctus Gregorius abbas secundus, quem regia Anglorum stirpe progenitum tradunt, cujus opera monasterii facultates auctæ non minus quam existimatio et

fama. Meginradi corpus, quod Augiæ sepultum fuerat, eo revectum est, saltem majori ex parte, anno 1039, teste Hermanno Contracto, Augiæ monacho, cujus hæc verba : *Ecclesia cellæ sancti Meginradi* III *Idus Octobris dedicatur, reliquiæ corpus sancti Meginradi.* Sic habet editio Canisiana. Legendum puto, *et corpus sancti Meginradi in eam translatum est.* Sed forsan cum non totum corpus, sed pars eo translata fuisset, Augienses glossematis loco reposuerunt *reliquiæ*, ne scilicet etiam aliqua ejus parte carere putarentur. A tempore sancti Meginradi dicta est A *Cella sancti Meginradi*, seu *Meginradescella*, tum *ecclesia sanctæ Mariæ in cella sancti Meginradi*, et *monasterium in Silva Nigra*, aliquando *Eberhardescella*, ab Eberhardo secundo eremita ; denique *monasterium Eremi seu Eremitarum*, Teutonice *Einsidlen*, et *monasterium beatæ Mariæ in Eremo*, ob cultum Deiparæ Virginis continua peregrinantium religione ibi frequentatum. Monasterium situm est in diœcesi Constantiensi inter Tigurinum et Lucernensem lacus, in edito monte quem silva undique vestit.

PROLOGUS AUCTORIS

1. Dicturus venerabilis viri Meginradi Eremitæ et martyris passionem et obitum, libet parumper reflectere stylum, atque quo tempore doctus, ubi, et unde, quo, vel cui traditus primum ad discendas B litteras, sub quo abbate monasticam vitam subierit servandam, qualiter etiam a fraterna acie singulare certamen eremi adierit, breviter prælibare. Regrediar ergo ad singula quæ proposui resolvenda.

INCIPIT VITA.

2. Temporibus Caroli gloriosissimi imperatoris Francorum, qui primus inter ipsos Cæsaris nomen accepit, prædictus vir in Alemannia natus est, in C pago quem ex villa Sulichgewe (47) vocavit antiquitas. Parentes (48) vero ejus ex Alemannis fuerunt, morum nobilitate magis conspicui quam divitiis perituris. Qui cum eam attigisset ætatem qua aptari posset litterarum studiis, a patre ducitur ad insulam, quam veteres Sindlochesaugiam vocabant, a nomine cujusdam presbyteri (49), qui, Sindloch appellatus, primo in ea habitacula monachorum construxit, et secum Pirminium cum sociis ad habitandum eo induxit, jussu Berchtoldi nobilissimi Alemannorum ducis, temporibus Pippini regis Francorum ; suoque ex nomine nomen indidit insulæ. Huc ergo puer præfatus a patre ductus commendatur viro per omnia honestissimo Erlebaldo (50) monacho, qui etiam prædicto puerulo propagine carnali affinis fuit. Is, cum infantulum bonæ indolis conspiceret, gratanter D nutriendum suscepit, studiose docuit, atque eo usque imbuendo produxit, ut sanctarum Scripturarum scientiam infudisset. Nam puer a primæva ætate jocos atque errores quibus tenerior ætas implicari solet vitavit, atque ad ea mentem occupavit suscipienda quæ docuerat magister.

3. Cum autem vicesimum quintum ætatis annum attingeret, ad diaconatus officium, et non multum post ad presbyteri gradum, faciente eodem suo magistro, sublimatus est. Fuit autem tunc temporis, regnante Ludovico Cæsare filio Caroli, in ipsa insula abbas nomine Hatto, vir valde in doctrina et operibus bonis morumque nobilitate fulgens, qui et Basileensis Ecclesiæ præsul exstitit. Quo actuosæ vitæ negotia respuente, atque ad contemplativæ vitæ pulchritudinem se transferente, præfatus Erlebaldus cum licentia Ludovici Cæsaris electus ab omnibus, prædictæ insulæ et fratribus præficitur atque in abbatis officium substituitur. Qui, statim hac potestate suscepta, jam sæpe dictum virum venerandum Meginradum suasit jugum suscipere, normamque monasticæ vitæ subire tenendam. Consensit ergo salubri consilio et promissionem fecit, atque omni intentione studuit promissa servare, promptus semper ad obediendum, in jejunando strictus, in oratione assiduus, in misericordiæ operibus largus, et maxime humilitate substratus omnibus.

4. His dum polleret moribus, a præfato abbate destinatus ad cellulam (51) quamdam ad jam dictum monasterium pertinentem, sitam juxta lacum Turicinum (*de Zurich*), quem interfluit Lindemacus (*Limmat*) fluvius, ut ibidem scholæ præesset, et talentum quo ipse ditatus erat ad lucra Dominica in plurimos dispergeret. Aliquantulum temporis fluxerat, eo in his detento : quadam die sumpsit secum scholasticos quos nutrierat, et prædictum lacum transnavigans intravit eremum quæ ipsius laci littori adjacet, et usque ad Alpes Penninas tendit atque ad villam Chama, causa piscationis et ad loca eremi intuenda. Perveniunt itaque ad fluvium quemdam qui in ipsa decurrit solitudine, ibique vir beatus ad piscandum occupat comites; ipse vero in consideratione solitudinis solus spatiabatur : accensus enim erat nimium amore solitariæ sedis. Qua consideratione dum mentem diu pasceret, rediit ad

(47) Hodie *Sulgovia*, vulgo *Sulgen*, aliis *Sulgaw*, juxta Danubium.

(48) Patrem Bertholdum Sulgoviæ comitem vocat Hartmannus.

(49) Imo comitis, qui sancto Pirminio locum dedit tempore Caroli Tuditis, Pippini regis patris. Lege Vitam S. Pirminii in Sæculo III.

(50) Hermannus Contractus : *Anno* 822 *Augiæ Heitone abbate et episcopo privatam et quietam vitam adoptante, Erlebaldus abbas tertius decimus præfuit annis* XIII. Adi Walafridum Strabum in carmine de Wetino.

(51) Bollingam vocat Hartmannus, eamque locat in dextro laci Tigurini margine supra vicum Jonam.

socios invenitque eos non parva præda piscium oneratos. Quos taliter affatur : Gratias Largitori, qui nos suis misericorditer ditavit donis. Jam, filii, si placet, redeundum est proprios invisere lares. Regreditur, villamque (52) deveniunt non longe a littore sitam.

5. Ibi, cujusdam matronæ hospitium intrantes, paululum quieverunt reficientes se cibo et potu. Vir autem Dei prædictam matronam cernens Dei timore plenam, et ad obsequendum hospitibus promptissimam, ardorem sui animi occultum ei aperuit, his verbis incipiens : Chara Christo femina, si velles audire, secretum cordis mei tibi manifestarem. Sed antequam id agam, posco ut verba mea atque voluntatem occultes, quousque cernas si possit opere compleri quod credo me devota mente concepisse. Habitatione hujus eremi ultra omnes divitias delector, cuperemque jam in ea collocare mansiunculam meam, ut familiarius possem precibus vacare, si quempiam reperirem qui necessaria corporis mihi ministrare ob Dei amorem vellet. Sed quia adhuc hoc solatio defraudor, posco interim occultari quod cupio. Illa a Deo inspirata (ut credo) respondit : Secretum tuum nulli, te nolente, revelabo; noveris autem, si in cœpto persistere vis, me necessaria propter Dominum tibi ministraturam, et quantum possum tuo voto satisfacturam.

6. Ille promissis rependens gratias repedavit ad cellam, unde digressus est, ubique jejuniis et orationibus continuis a Deo poposcit ut quidquid de hoc negotio ei placuisset in suo animo confirmare dignaretur. Tandem confortatus divina inspiratione, reliquit cellam scholamque cui præerat, et revisit hospitam suam, explorare volens utrum in sua promissione persistere vellet an non. Quam dum in præbendo sibi promisso solatio perdurasse sensisset, non longe ab ipsa villa, in qua eadem femina commanebat, in eremo sibi habitaculum (53) construxit, atque ibidem jejuniis et orationibus indefessus Creatori servivit, necessaria præbente ei prædicta matrona nec non et aliis religiosis viris.

7. Ubi dum per septem annos superni Regis militiam exegisset, multitudinem populi ad se venientis ferre non valens, mutavit locum, atque a prædicti laci littore quatuor millibus distantem reperit planitiem inter montes accessu valde difficilem (54). Ibi, adjuvantibus viris religiosis, et maxime quadam abbatissa Heilwiga (55) nomine, necessaria voti sui construxit habitacula, atque in eodem loco quod erat reliquum vitæ permansit, semetipsumque maximis macerans jejuniis, et quantum humana fragilitas permisit, sine intermissione oravit. Quæ sibi a fidelibus viris et feminis mittebantur, cuncta ad se venientibus in eleemosynam erogavit.

8. Accidit autem inter hæc ut quadam die, eo orante, tanta multitudo dæmonum circa illum undique diffunderetur ut nec ipsam lucem diei, iisdem tenebrarum ministris obtenebrantibus, cernere posset. Qui cum eum minis terribilibus et horrore nimio fatigarent, in oratione prostratus, ut res poscebat, cum omni studio se pio Domino commendabat. Quod cum diu ageretur, cernit ab Oriente lucem : quam lucem secutus angelus, ad ipsum, ubi in oratione jacebat in medio malignorum spirituum, pervenit, magna auctoritate agmini nefando præcepit ut discederent nihilque tentationis et terroris ei ultra inferre auderent. Discedentibus itaque hostibus, prædictus eum angelus amicabiliter consolatus discessit, atque ab ipso die (ut vir venerabilis referebat) nil terroris ultra a malignis spiritibus sustinuit.

9. Accidit etiam postea ut quidam frater de prædicto monasterio eum visitationis gratia adierit; quem benigne suscipiens, cum sociis qui cum illo venerant, cuncta quæ hospites decebant, quantum possibilitas permisit, benigne exhibuit. Cum vero jam tempus vespertinum venisset, et sidera splendentia suaderent somnos, refecerunt se dulcibus collationum colloquiis atque post completorium ierunt dormitum, in loco separato frater qui advenerat, seorsum etiam ejus comites, nec non et ipse venerabilis vir in privata mansiuncula. Paululum ergo reficiens corpusculum somno, vir Dei surgit atque assuetis incubat pervigil precibus. Prædictus etiam frater, licet in strato quiesceret, pene insomnem duxit noctem. Dum autem huc vel illuc curiose verteret oculos, cernit puerum in albis vestibus ab ipso oratorii loco progredientem, miræ pulchritudinis, ut ei visum est, ætatis septem annorum, qui ingreditur ad virum ipsum Dei, et cum eo orante orabat, et diversa cum eo loquebatur. Cujus collocutionis licet prædictus frater vocem audisset, sensum tamen ejusdem vocis non percipiebat. Qui etiam puer ipsi fratri plene vigilanti astitit atque de quibusdam monuit, quæ omnino frater ille sibi interdicta esse ne in palam proferret dicebat. Supprimo multa, brevitati studens, quæ de eo miranda plurimorum narratio certa demonstrat.

10. Cum ergo in ipsa eremo vicesimum sextum annum ageret, serviens Domino in jejuniis et abstinentia cunctarum mundalium rerum, contigit, eo inspirante qui serpentem intravit, et per os ejus protoplastos decepit et de paradiso ejecit, duos homines, causa eum occidendi, cellam illius properare. Qui cum venissent ad villam (56)

(52) *Altendorf* scilicet in montis Ecelii radice, teste Hartmanno.

(53) Ibi nunc quoque sacellum sancti Meginradi in Ecelio dictum. Secessum hunc ad annum 832 revocat Hartmannus. Præfero annum 828, siquidem obierit anno 860 : nam in eremo Ecelii septem, in silva Nigra viginti sex annos vixit.

(54) Asportasse secum ex Ecelii cella regulam S. Benedicti, scripta Cassiani, Missale, librum Homiliarum, Hartmannus tradit ex monumentis Augiensibus.

(55) Hartmannus interpretatur Hildegardem Ludovici Germanici regis filiam, cui tum pater Tiguri cœnobium Fraweminunster dictum ædificabat.

(56) *Endigem* scilicet, ubi deinde oppidum Rap-

quamdam in Tigurini lacl littore sitam, rogaverunt sibi monstrari quæ pars pervia esset adeundi ad cellulam ejus. Quod cum eis monstratum esset, mature per noctem surgentes, aggressi sunt monstratum sibi iter, agitante qui eos impleverat teterrimo spiritu. Diu tamen erronei a recto tramite ducente ad ipsam cellam, dæmone tandem vexati, quo volebant pervenerunt, maxima jam parte dici elapsa.

1. Ipse vero solitis orationibus incubans, missarum devote solemnia libabat Creatori. Prius autem quam in ipsam cellam maligni intrassent, (quorum unus vocabatur Richardus, eratque genere Alemannus, alter vero Petrus, qui Rhætianorum natione procreatus est) pulli, quos vir venerandus eodem in loco nutrierat, eos in proxima venire conspicientes, quasi a vulpe insequerentur, per eremum diffugerant, clamore insolito et strepitu inaudito silvam resultante echo complentes, ita ut etiam ipsi latrones hac de re multum mirarentur et obstupescerent, atque ad prodigium hoc pertinere propriæ mentis decernerent judicio.

12. Attamen, a cœpto non distracti, aggrediuntur capellam in qua vir Dei, ut prædictum est, orationibus Dominum sibi placabat profusis, corpusque Dominicum, ut præscius futurorum, ad viaticum obitus sui puro corde ac devota mente susceperat. Jamque vir Dei, ut sensisset adesse peremptores suos, non tamen se eis statim præsentavit; sed modicum adhuc differens, clausum ostium ipsius capellæ non aperuit, ut aliquantisper in oratione adhuc demorari potuisset. Strenue ergo orationem complevit, capsasque singulas reliquiarum manu suscipiens et deosculans, commendabat agonem suum Domino et sanctis quorum reliquias complectebatur reverenter. Hoc, qui advenerant, maligni per foramen quoddam parietis eum agentem inspiciebant. Jamque athleta fortis, Deo confortante, pugnaturus egreditur, præsentiamque suam non negat occisoribus; ac primum salutationis verba ad eos proferens, post intulit: « O socii, cur tam sero venistis? quare non maturastis venire ad audiendum parvitatis meæ missam, ut pro vobis communem Dominum deprecarer? sed vel nunc intrate, posciturl placabilem nobis fore Dominum et sanctos ejus, ac postea revertimini ad me, ut quid donante Deo vobis benedictionis præbere valeam, impertiar pro ejus amore; sicque complete opus ad quod agendum venistis. » Intrantes igitur oratorium, non ad id ad quod suadebantur intenti, sed ad malum ad quod venerant perpetrandum, continuo regrediuntur ad eum. Quibus vir Dei tunicam et cucullam suam dedit, panem insuper ac potum addidit, dicens: « Hæc de manibus meis percipite; postquam vero compleveritis ad quod agendum venistis, potestis horum quæ adsunt per vos tollere quod cupitis. Scio enim quod ad occidendum intrastis, sed unum a vobis posco beneficium, ut, dum præsentis vitæ cursum in me terminaveritis, candelas quas inspicitis, quas etiam ad hoc ipsum formavi, unam ad caput meum ardentem, et aliam ad pedes ponite, et cito postea ab hoc loco discedite, ne a supervenientibus, qui me visitare solent, constringamini, pœnas luituri sceleris vestri. »

13. Confestim igitur Richardus prædictus, pollutis manibus beatum virum medium comprehendit, ac tenaciter maceratum jejuniis corpusculum brachiis strinxit, socioque minaciter jussit ut sanctum fuste percuteret. Qui cum diu eum feriendo circa latus et suras debilitasset, sancto extendente palmas ad Dominum, alter intulit dicens: « O segnis! cur eum in caput non percutis, ut plagam mortalem suscipiat? quam si tu tardas inferre, ego citissime illaturus sum. » Confestimque fuste apprehenso, ictum librabat in caput vehementissime. Hoc modo vir sanctus plagatus, semivivus in terram corruit; et illi continuo in eum irruentes guttur ejus suffocant manibus, quousque exhalasset spiritum. Egrediente autem jam anima, in ipso tractu novissimæ exspirationis, tantæ suavitatis odor progrediens totum cellulæ locum compleverat, ac si omnium pigmentorum odoramenta ibi diffusa fragrarent.

14. Postea vero nudaverunt eum veste qua erat indutus, et portantes posuerunt in lectum quo vir Dei requiescere solebat. Nudo supposuerunt (57) filtrum (58) supponentes etiam et quædam fragmenta, atque, ut vivens vir Dei rogaverat, candelas sumpserunt, unam ponentes ad caput; cum alia currebant ad ipsam capellam, lumen inde allaturi, quod in eodem oratorio jugiter ardebat. Repedantes vero ad corpusculum defuncti, invenerunt clare ardentem quam posuerant candelam exstinctam. Tantus autem eos continuo invasit timor, ut nihil contingere de rebus ad altaris officia pertinentibus auderent. Vestes ac stramenta quædam lectuli ejus sumentes, festine repedabant unde digressi sunt.

15. Eis autem inde fugientibus, corvi qui more solito ad famulum Dei viventem venire consueverant, ac prœbendam de manibus ejus suscipere, quasi vindicare cupientes exstinctum, sequebantur latrones, vocibusque grandisonis replebant silvas, et, quam proxime poterant capitibus eorum advolantes, prodebant perpetratum nefas. Non multum post ipsi maligni comprehensi sunt, et quod occulte perpetraverant patefactum est scelus, nolente Deo differri

pervilla cum arce constructum, ut ex Vita Germanica notat Bollandus.

(57) Id est superposuerunt, quo sensu etiam ab aliis auctoribus mediæ ætatis nonnunquam sumitur. Ekkehardo juniore cap. 1, ubi Grimaldus *crucem argento deaurato vestitam analogio nocturnali supposuisse* dicitur, apud Goldastum, pag. 38, an scribarum vitio?

(58) Goldastus in notis ad Ekkehardi caput 5, filtra interpretatur *fila* vel *funiculos*, citato balbi Catholico. Rectius v. cl. Carolus Fresnius in Glossario, feltrum seu filtrum lanam coactilem esse dicit, vulgo *feutre*. Bernardus Prior Portarum in epistola ad Inclusum, filtrum numerat inter suppellectilem lectariam.

peccati pœnam quam meruerant in occisione servi Dei. Etenim judicibus et populo Christiano sub comite Adalberto (59) eos ad hoc decernentibus, vivi incensi sunt.

16. Candela autem quam ad caput viri Dei posuerant, et quæ cœlitus accensa est, ardebat usque ad stramenta quæ superposita fuerant defuncto corpusculo. Quorum etiam partem ipse ignis invasit, et pervenit usque ad membra defuncti; quæ dum attigisset, sicut divinitus accensus fuerat, ita etiam A Dei nutu extinctus est. Illico autem diffamatur de morte ejus. Qua comperta, venerabilis abbas Waltherus (60) et fratres sub ipso degentes, corpus viri Dei ex ipsa eremo auferentes, atque ad monasterium Augiam deferentes, ibi digno sepelierunt honore. Passus est autem sanctus martyr duodecimo Kalendas Februarii, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo sexagesimo tertio (61) regnante Ludovico rege in orientalibus Francis, anno vicesimo octavo regni ejus.

(59) Hunc esse puto Adalbertum, quem Ludovicus Germaniæ rex anno 841 in Rhætiensi territorio prostravisse fertur apud Hermannum Contractum. De alio Adalberto agit Hepidannus his verbis : *Anno* 906 *Adalbertus decus Francorum occiditur.*

(60) Waltherus Folcwino abbati Augiensi successit anno 848, mortuus anno 864, teste Hermanno. B

(61) Hermannus Contractus et Trithemius Meginradi obitum reponunt anno 860. Hepidannus Sancti-Gallensis monachus et Marianus Scottus anno sequenti. Utrorumque eadem sententia. Cum enim Meginradus mense Januario cæsus sit, qui anni initium a Martio seu a Paschate ducebant, annum 860; qui vero a Januario, annum 861 numerabant. Unde stare malim horum scriptorum auctoritati, qui hanc Vitam (ut simile veri est) legerant; in qua forsan olim aliter numeri ascripti erant : nam et Surius annum 860 legisse videtur. Anno 1039, ut scribit Hartmannus in Embrico abbate sexto, pridie Nonas Octobris, Einsidlensibus redditæ sunt reliquiæ sancti Meginradi, quem multis hactenus miraculis celebrem eodem tempore Benedictus papa nonus sanctorum numero inseruerat. Anno 1599 Breviario Ecclesiæ Constantiensis novo insertum sancti Meginradi nomen, decretum officium, quale de martyribus fieri consuevit, ritu duplici; sed 23 Januarii, propter sanctæ Agnetis, quæ 21 agitur festivitatem, uti Bollandus observavit

VITA SANCTI UDALRICI

EPISCOPI AUGUSTENSIS

Auctore Bernone abbate Augiensi.

PROLOGUS BERNONIS.

1. Reverendissimo Patri Frideboldo, ac vero sanctæ matris Afræ alumno, Berno [*al.*, Bern] Dei Matris mancipium, cum omni contubernio Augiensium fratrum, summum et indeficiens bonum.

Miræ charitatis virtus, ex dulcifluo pectoris tui emanans fonte, id exiguitati meæ injunxit officii, ut libellum de vita ter quaterque beati patroni nostri Udalrici, veraci quidem, sed simpliciori quam oportuit sermone editum, cultiori stylo reddam luculentum. Pius quidem jubentis affectus est, sed non æque facilis parentis esse poterit effectus; quippe cum tarditas ingenii et exteriorum curæ, amaro (ut sic dictum sit) sapore conditæ, me prohibeant tam arduum opus aggredi. Accedit etiam quod venerandæ memoriæ Gebehardus, qui post beatum virum quartus ejusdem Vindelicæ Augustæ ecclesiam rexit, nulli modernorum doctorum secundus, idem negotium corrigendi studio attentavit, sed infectum, morte præventus, dereliquit. Cui si ipse manum extremam imposuisset, parvitas mea omnino super hoc C digitum ori imposuisset. Id ipsum tamen quod composuit, licet eloquii venustatem redoleat, tamen ita verborum ac sententiarum sublimitate se in altum extollit, ut vix aliquis ex inde aliquid percipere possit. Alterius vero oratio, etsi rerum veritate subnixa, sic tamen pene videtur humi jacere, ut quisquis sapientium semel hinc potuerit quiddam gustare, pigeat se ulterius ad hanc inclinare. Quocirca, venerande Pater, tibi tuisque placuit hujusmodi onus mihi imponere, ut inter utrosque medius incedens, talem moderato sermone materiam componam, ut ex utraque parte ad se venientes, media charitate constrata, et parvuli lac quod sugant, et fortes valeant invenire cibum quem comedant. Quod ego omnimodis horrerem, nisi scriptum esse scirem : D *Melior est obedientia quam victima* (*Eccle.* IV, 17). Nunc vero si, data intercessionis tuæ manu, manui meæ ducatum præbere spoponderis, adjunctis tecum beati viri meritis, omnipotentis Verbi, quod aperuit os mutorum et linguas infantium fecit disertas, fre-

tus auxilio, obedire tentabo, initium narrandi ab ipsius viri Dei infantia sumens, ac orationis cursum ita ad finem usque perducens ut nihil de propriis addam, præter exempla antiquorum Patrum atque sententias sanctarum Scripturarum, quæ suo decore solent dictorum seriem venustare. Hoc tamen solum mihimet ex proprio sudore injunxi, ut latius diffusa, modesta brevitate arctius coerceam; strictius digesta, moderata prolixitate dilatem; minus regulariter prolata, ad rectitudinis lineam corrigam. Quæ tamen omnia tui examen judicii exspectant, ut te benigno judice valeant rata consistere. Opto, Pater beatissime, ut in Christo valeas, meique memor semper existas (62).

VITA INCIPIT.

Cap. I. — Egregius Christi confessor Udalricus ex Alamannorum prosapia exstitit oriundus. Cujus parentes, Hupaldus scilicet ac Teotbirga ambo quidem secundum sæculi hujus dignitatem clari et nobiles, sed fide atque divina religione multo clariores atque nobiliores. Qui talis ac tantæ prolis fecunditate divinitus ditati, mox eamdem cuidam fideli ad alendum, ut Moysen, commendaverunt nutrici. Ubi inter ipsa nativitatis primordia cœlestia non defuere auspicia, nam licet blando nutriretur affectu, fœda tamen macies quædam apparebat in vultu. Qua ex causa dum nimium tristes ejus efficerentur parentes, ac in angustis illorum pectoribus curæ versarentur angentes, quidam hospes peregrinus, officio clericus, secundum quod illorum ostium semper viatori patuit, benigne ab ipsis præcipitur, per aliquod temporis spatium humane tractatur: dum interim quadam die hora refectionis residens, prædictum infantulum, nondum duodecim hebdomadarum dies ab ortu ad plenum habentem, audivit inter vagitus vocem emittentem. Ex quo, providus futurorum, tale edidit oraculum. Nisi, inquit, iste infans celerius fuerit ablactatus, non poterit esse salvus. Cumque semel ac secundo admoniti minus tanti præconis dicta vellent exsequi, tertia demum die, cum prædictum ac sæpe dicendum infantulum adhibita aure persensisset adhuc infirmiorem, hanc præsagam coram omnibus intulit vocem: Sciatis pro certo quod, nisi continuo a lacte fuerit suspensus, hac nocte erit moriturus. At vero si eo, quo dixi ordine, morti subtractus fuerit, magnus in futurum coram Domino erit. Hujus prophetiæ mysteria qualiter sint adimplenda, non nostri styli eget officio designari: potest probari.

Cap. II. — Tandem igitur amotus a lacte cœpit corpore et anima in admirationem omnium ita proficere ac circumquaque manentibus tantum de suo profectu gaudium conferre ut id, quod de Isaac ejusque patre Abraham scriptum est: « Crevit igitur puer, et ablactatus est, fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis suæ, » non incongrue ejus quoque possit personæ aptari. Merito tantus patriarcha in ablactatione filii, quem ex promissione a Deo suscepit, grande convivium fecit. Merito Pater cœlestis sanctæ matris Ecclesiæ filiis in istius ablactatione convivium fecit grande, invitans eos hujusmodi voce: « Comedite, amici, et inebriamini, charissimi. » Hic itaque mysteriorum Dei dispensator futurus jam solido cibo opus nabebat confortari, ut in mensa altaris Christi, velut ad cœleste convivium quandoque consistens, posset in tempore suo tritici mensuram dare conservis suis. Incipiebat enim tunc inter coævulos modeste conversari, timorem Dei habere, honorem parentibus deferre, lasciviam declinare, ac, in quantum possibile tali adhuc erat ætati, in corporis motu, gestu, incessu, foris ostendere, qualis habitus formaretur intus in mente. Videntes autem parentes ejus tantam Dei gratiam in eo fulgere, commendaverunt eum in monasterium sancti Galli fratribus religiosis, ut eorum magisterio tam sæcularium litterarum studiis, quam cœlestibus instrueretur disciplinis; ubi, inter egregios regularis disciplinæ magistros, dulces theoriæ carpebat quotidie fructus, cum verba, quæ in sacris codicibus legebat, mox in opera vertebat. Jam summitatem illius Jacob scalæ virtutum gradibus ascendendo tangebat. Iam a Salvatore audiebat: « Vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et, veni, sequere me; » et jam tunc monachicæ conversationis habitum sumpsisset, nisi divina revelatione admonitus desiisset.

Cap. III. — Erat tunc temporis in eodem monasterio quædam ancilla, pro Christi nomine inclusa, Vuiberata nuncupata, quæ die noctuque jejuniis, orationibus ac vigiliis vacans, castum in arcano pectoris sui Domino præparabat templum, in quo gratum Creatori omnium mactavit semper holocaustum, dicens cum Psalmista: « In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi. » Huic sanctus adolescens dum sui desiderii secretum panderet, illa rem a Deo quærendam statuit, ac trium dierum inducias super hoc postulavit. Post triduum vero, Spiritu instructa divino, hujusmodi usa est responso: Non, inquit, vir religiose, divinæ est voluntatis ut hoc in loco detinearis; sed est in plaga Orientali locus, ubi quidam fluvius duas dividit regiones, in quo, Deo jubente, episcopalis apicem dignitatis debes conscendere. Et licet multa tam a paganis quam a malis Christianis sis passurus adversa, tu tamen, confisus in eo qui dixit: « Confidite, ego vici mundum, » superabis universa, dicens cum Psalmista: « In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos

(62) In ms. codice Coloniensi hic sequuntur capitula 42. Exemplum præ manibus habemus accuratum beneficio religiosi viri Wuillelmi Vulfrati quondam prioris ad S. Pantaleonem.

nostros. » Hæc auditu percipiens ac mente pertractans, quibusdam, qui sibi familiarius amicitiæ causa adhærebant, secreto pandit, et ut interim silentio tegerint, admonuit. Ipse vero per diversos sacrorum librorum campos, seu prudentissimæ apes, flores sententiarum carpens, ac in alveario pectoris sui recondens, summa cœpit ope niti, ut spiritualia posset mella conficere, quæ postmodum in populos illum deceret eructare, juxta illud Psalmistæ : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo! » Et quod de prædicatoribus dicitur : « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. » Dehinc ad unguem instructus, cum omnium fratrum conniventia remeavit ad propria. Parentes vero de ejus profectu nimium gaudentes ac Deo gratias agentes, iterum commendant eum Adalberoni Augustensis Ecclesiæ præsuli venerando, viro fidei dote ac vitæ merito multis præferendo, quatenus reverendæ illius præsentiæ jugiter assistens velut in quodam disciplinæ speculo conspiceret si quid in ipsius moribus adhuc corrigi deberet. Quem ut prædictus Dei pontifex fide firmum, spe robustum, charitate radicatum et fundatum omnique morum probitate decoratum agnovit, familiarius illum ascivit ejusque domi forisque in omnibus uti consiliis cœpit, quatenus ejus prudentia totius episcopatus disponerentur negotia, tam publica quam privata.

Cap. IV. — Libuit interim viri Dei animo Romam pergere, apostolorum limina visitare, ut se suaque omnia ipsorum aliorumque sanctorum precibus posset attentius commendare. Quo cum venisset, ab apostolicæ sedis præsule, nomine Marino, apud Deum et homines magnifico et glorioso, officiose susceptus, ac requisitus quis esset, aut unde venisset, respondit, se ex Alamannorum stirpe progenitum, Adalberonis Augustensis Ecclesiæ esse clericum. Ad hæc Apostolicus : Ne dure, inquit, accipias, quæ dico ; quia idem de quo retulisti, tuus pontifex Adalbero jam migravit de hoc sæculo, ac Dei ordinatione dispensante, oportet te hujus regiminis curam suscipere. At ille propriæ conscius infirmitatis, imo non immemor illius mandati : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, » judicavit seipsum indignum fore ut tanti honoris pondus subiret. Tunc papa, divino Spiritu repletus, ait : Si nunc delitescendo subterfugis, quominus in hoc pacis ac tranquillitatis tempore Ecclesiæ navem gubernes, veniet dies in qua nullo modo statuta Dei præterire valebis, verum etiam inter multiplices ac fluctivagas multi laboris, mœroris, anxietatis undas regendam suscipies ac, Deo præsule, ad littus placidæ quietis acsi nimium fessus perduces. His auditis ad metatum perrexit, atque inter sacra orationum libamina, tam se quam defuncti senioris animam cum lacrymis Deo ac sanctis apostolis ejus commendavit : sicque postera die, nesciente papa, latenter discessit, etiam in hoc Dominicæ actionis exemplum sequens, de quo sanctus Joannes evangelista refert, quia cum voluissent eum rapere et regem constituere, statim fugit. Sed mox ut bonæ memoriæ Adalbero ex hac vita migravit, Hiltinus ei in episcopatu successit. Quo post quindecim armorum curricula ex hac luce subtracto, volente Domino hoc, quod de servo suo Udalrico per ora suorum fidelium antea prædixit, adimplere, totius cleri ac populi voto in unum concurrente, et Henrici regis voluntate in idipsum consentiente, idem vir Dei sanctus in cathedram episcopalem hac in urbe est sublimatus.

Cap. V. — Adepto vero tantæ dignitatis honore, qualis tantusve exstiterit nullius sermo ad integrum explicare valebit. Totus erat semper in oratione, totus in lectione, et maxime attendens quibus virtutum ornamentis Apostolus describebat episcopum esse sine crimine, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum ; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in sana doctrina, et eos qui contradicunt, arguere. Harum duarum virtutum ita vicaria utebatur successione ut, nisi inevitabili alicujus necessitatis articulo intercedente, nullum tempus transire sineret otiosum, quominus aut orationi insisteret, aut lectioni operam daret : sicque pene semper optatis Rachel amplectibus uteretur, nisi Liæ interpositione interim a tantæ sedulitatis dulcedine suspenderetur. Suberant ei curæ maximæ de reparandis ecclesiæ muris, de reædificandis domorum ac ipsius civitatis ædificiis quæ sub antecessorum suorum temporibus aut nimia vetustate dilapsa, aut igne fuerant consumpta. Sed et familia maxima ex parte a paganis occisa, et pars, quæ remanserat, egestate nimium erat afflicta. Inter hæc venerabilis heros, velut ante et retro oculatus, cœpit cauta mentis intentione circumspicere, providam omnium curam gerere : ac sapienti usus consilio, materialibus quidem ædificiis prudentes et idoneos magistros præfecit. Ipse vero, quasi sapiens architectus, cum Apostolo Christum fundamentum posuit, super quod ædificavit aurum, argentum, lapidesque pretiosos, et cætera hujusmodi : ut sanctarum animarum ædificatio, per ejus prædicationem constructa, cresceret in templum sanctum Domino. Et quoscunque ad tale ædificium verbo et exemplo præparabat, cætera humanitatis officia, prout illis facultas suppetebat, præbere non desinebat, non solum his qui præsentes aderant manum misericordiæ porrigendo, verum etiam eis, qui ægritudine præventi vel carceribus inclusi longe aberant, ministrando.

Cap. VI. — Nulli itaque avarus, omnibus exstitit largus, ita ut illud beati Job potest dicere : « Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. » Et paulo post : « Oculus fui cæco et pes claudo : pater eram pauperum. » Et iterum : « Flebam

quondam super eum qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. Unde in refectione quotidiana semper ejus mensæ chara sibi intererat pauperum turba, quam et victu pavit, et indumentis vestivit. Seipsum vero nimia maceratione castigavit, ita ut carnem non manducaret, et intrinsecus super nudam cutem laneam vestem portaret; illud Apostoli opere proclamans: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. » Et nocte quidem in oratione pervigil, seipsum in ara cordis per orationis studia mactavit : die vero super altare visibilem ac salutarem hostiam Domino immolavit, quo ejus sacrificium Redemptori omnium esset gratum et acceptum. Die cum Martha Domino in membris suis ministrabat : nocte vero cum Maria sedens secus pedes Jesu, audiebat verbum illius, sciens scriptum: « Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. » Erat ei solemnis consuetudo, post Completorium nil cibi aut potus sumere, silentio studere ; sciebat enim a Domino dictum : « Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. » Unde jugiter a Domino postulabat : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. » Sed si quando necessario ei loquendum fuit, erat illius sermo sapientiæ sale conditus, modestus, humilis et ad persuasionem utilis, et, ut quidam Sapiens dicit : In sermone pondus, atque in verbis modus. Quando vero membra in Dei servitio fatigata necesse habuit quiete aliqua recreare, non hoc in plumarum mollitie, sed subterposito psiathio, tapete vel cago, parum quid indulgebat somno. Et, ut brevitatis compendio utar, sic exterius gerebat officium sacerdotis, ut interius non omitteret religionem monasticæ conversationis. Erat etiam ei moderata ciborum parcitas, ac quidam singularis abstinentiæ modus, quo solebat religiosa arte secum convivantes circumvenire. Sæpius enim sperantibus quod cum illis manducaret, ipse ablata carnalium epularum mensa surgens ad ecclesiam perrexit, missarum solemnia celebravit. Unde adhuc, quasi recenti sit actum memoria, ore multorum refertur quod dum quadam die ipse venerandus Pater cum Cunrado divæ memoriæ Constantiensis Ecclesiæ episcopo ad prandium apud sanctam Afram martyrem consedisset, postquam consumptis cibis ab utrisque discessum est, quædam causa exstitit, qua prædictus pontifex ad virum Dei mittere debuisset. Ad quem cum legatus ipsius venisset, invenit eum sacro altari astantem, ac salutarem hostiam Domino immolantem. Quo peracto nuntium audivit, atque absolutum redire ad dominum suum permisit. Cumque reversus interrogaretur cur tandiu moratus fuisset, respondit quia virum Dei tandiu exspectasset donec ter missarum solemnia peregisset. At ille ipsum verbum ab illius ore arripiens : Missarum, inquit, solemnia celebravit? Tunc quasi subridendo intulit : Et vere nullus illo saturior ad mensam altaris hodie accessit Sed utrum loco, an serio hoc

A protulerit, tamen verum fuit quod dixit. Cibavit namque Dominus illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum, ita ut recte cum Psalmista possit proclamare et dicere: « Eructavit cor meum verbum bonum ; » et iterum : « Et poculum tuum inebrians, quam præclarum est? » Vox psalmodiæ tam jugis in illius ore dulciter resonabat, ut non solum ipse, sed et illi, qui eam soliti erant cum illo pura mentis intentione cantari, tantam cordis munditiam ex ea conciperent, ut quædam ex revelatione divina occulta cognoscerent, quæ aliis manifestarent. Unde exempli causa quædam subternotabo, quatenus vera esse approbentur, quæ dico.

Cap. VII. — Quodam tempore cum artifices ecclesiæ cryptam in melius reparare vellent, erat quidam
B clericus, nomine Rambertus, sancti viri obsequio deditus. Hic quadam die in excessu mentis effectus, videbatur sibi cum domino suo episcopo solito more psalmos canere, nec non Adalberonem quondam, ut supra diximus, pontificem ad aquilonarem ejusdem cryptæ plagam, sacerdotalibus indutum vestibus prope assistere, sibique, ut ad se veniret, innuere. At ille mente perculsus, ac inter vivum et mortuum quid ageret dubius et anceps, tandem in viventem pavens figit obtutus, velut sciscitans quid esset facturus. Tunc episcopus : Ut quid, ait, sic in me oculos defigis? Cui ille respondit, dicens : Ecce dominus meus Adalbero episcopus ad celebrandum divinum mysterium paratus astat, et me ad se vocat. Cui episcopus : Festina, inquit, ire, ejusque
C jussis in omnibus obedire. Qui mox ut propius accessit, hæc ab eo audivit : Ramberte, dic domino tuo, quia magnum a Domino mercedem habebit pro orationibus ac eleemosynis quas pro me fideliter exhibuit. Et hoc sibi sit in signum, quod ego et Fortunatus in proxima cœna Domini, concedente Deo, sacrosanctum chrisma cum illo sanctificabimus. Insuper ædificatio istius cryptæ ruet citissime. Ipse autem propter hoc ab incœpto non desistat opere, quin illud firmioribus studeat fundamentis stabilire. Fratres quoque admonere curato, quia orationes, quas sua sponte se facturos pro me spoponderunt, nequaquam, sicut promiserant, impleverunt. Et nisi hoc studuerint emendare, sciant
D se propter hoc in conspectu Domini rationem reddituros esse. Episcopus autem a civitate regia revertens (nam tunc temporis ibi morabatur), ita de crypta contigisse reperit, sicuti per visionem Ramberto ostensum fuit. Tunc ille impatiens moræ, non antea a labore cessavit, quam omnia in meliorem statum reparasset. Iterum alia vice cum prædictus Rambertus, juxta morem, in oppido Vuaringa cum sancto viro psalmodiam decantaret, cœpit terrore nimio concuti, ac reflexis oculis Deo dignum antistitem intueri. A quo inquisitus quidnam sibi esset, respondit seniorem suum Adalberonem eodem, quo et ante, paratum se videre, sibique præcipere, ut illi sacri altaris mysterium celebranti assistat, solitæque servitutis officium impendat.

Vere impleta est prophetia quæ dixit : « Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. »

Cap. VIII. — Nec prætereundum puto, qualiter cœlestis signi visione ipsum etiam voluerit Dominus mirificare. Nam in ipsa solemni die sancto Paschæ multa fratrum caterva astante, dum sanctus sacerdos divina celebraret mysteria, dextera quædam apparuit superna, quæ cum ipsius dextera divina sanctificavit sacramenta. Expletis vero missarum solemniis, quidam Henricus presbyter, qui eo die cantoris officium agens tanto interfuit miraculo, sequens episcopum usque in cubiculum, ad ejus pedes cecidit, atque in præsentia popularium personarum eamdem visionem minus caute explanavit. Cui vir Dei : Melius tibi, inquit, esset tacere, quam talia in aures vulgi proferre. Mox ille rubore perfusus exiit, et in vestibulo cubiculi residens tantas lacrymas emisit, ut ex illarum suffusione cogeretur lucis hujus dispendia sustinere. Vir autem Dei memor suæ fragilitatis cavebat favorem humanæ laudis, ne caderet in præcipitium elationis, semper gratias agens Deo super inenarrabili ejus dono ; et sicut de sanctis ejus scriptum est : « Ibunt de virtute in virtutem, » velut cœleste animal ante faciem suam gradiebatur, ut eo mente conscenderet, quo eum impetus spiritus duceret. His virtutum gradibus ad alta proficiens, quadam nocte, quæ antecedebat diem sanctum, quem diem indulgentiæ vel cœnam Domini Christiana religio vocare consuevit, vox quædam beato sic ait in visu : Udalrice episcope, scias te hospites suscepturum esse. Expergefactus cœpit secum admirando tractare quinam illi hospites futuri essent. Non enim erat inanis sopor ille, qui solet aliquoties hominum mentes illudere : sed talis potius, qualis sponsa se dicit in amoris Cantico obdormire : « Ego, inquit, dormio, et cor meum vigilat. » Talis igitur somni dum vir Dei frueretur quiete, iterum vocem in hæc verba meruit audire : Orationes tuæ et eleemosynæ, Udalrice, Deo sunt acceptæ, qui binis antecessoribus tuis, Fortunato scilicet atque Adalberoni, te commendavit, ut tibi hodie et deinceps sacra mysteria celebranti assistant, et ea tecum benedicant. Mane autem facto, hora qua inclytus mysteriarches divina sacramenta celebravit, quibusdam etiam, qui ad videndum digni erant, cernentibus dextera Domini denuo apparuit, quæ cum sancto episcopo signo crucis imponendo eadem consecravit. Iidem ipsi cum ad percipiendam sacram communionem ad sacrum altare accederent et sanctus Dei illos hujus secreti conscios esse per spiritum non ignoraret, quando panem eis Dominicum porrexit, ori singulorum digitum superposuit, ut per hoc intelligerent quod visa minime divulgare deberent. Quin etiam, expleto sacrorum officio, ad se vocatis revelati sibi in nocte præterita mysterii ordinem exposuit, et tam hoc quam quod ipsi viderant alicui dicere, donec ille maneret in carne, interdixit sub interminatione præsentis vitæ.

Cap. IX. — Alio vero tempore, dum iterum sub cujusdam noctis silentio membra quieti commendaret, sancta Afra martyr pulchra facie, veste decora, tunica succincta apparuit, eique dixit : Surge et sequere me. Et statim eduxit illum in campum qui ex nomine ibidem decurrentis fluvii Lecfelt dicitur, ubi sanctum Petrum apostolorum principem velut in synodali colloquio sedentem invenit cum magna episcoporum aliorumque sanctorum multitudine, vel quos olim in carne vidit, vel tunc primum, revelante sibi gratia divina, cognoscere cœpit. Ibi inter alia, quæ tractabuntur, sicut olim in Apocalypsi sancti Joannis audita est vox animarum suis interfectoribus vindictam expetentium : ita tunc clamor ortus est sanctorum de Arnulpho duce Noricorum adhuc vivente, ob destructionem ecclesiarum atque monasteriorum, quorum res distribuit in beneficia laicorum. Quapropter, dictante omnium sententia, damnatus est pœna. Proferebantur in medium etiam duo enses : unus quidem cum capulo, alter vero absque capulo. De quibus princeps apostolorum ait ad beatum virum : Dic regi Henrico : Ensis absque capulo significat illum, qui sine unctione regnat in populo. At alter capulatus illum, qui per sacræ benedictionis ordinem divinitus fuerit coronatus. Finito sanctorum concilio, prædicta Dei martyr sanctissima monstravit illi adhuc loca, in quibus Otto rex postea castra posuit, et generale colloquium cum suis habens, Berengarium regem Longobardorum, cum multis aliis præsentatum, in suum suscepit dominium. Prædixit etiam efferæ gentis Hungarorum irruptionem, durissimamque cum Nostratibus congressionem, nec non et loca certaminum : et licet cum magno suorum detrimento, tamen victoriæ triumphum promisit populo Christiano. O beatum virum, cœlesti visione dignum, in talibus etiam sanctis apostolis, Petro videlicet et Paulo conferendum : quorum alter in linteo cœlitus demisso electionem gentium per visionem didicit; alter vero, sive in corpore, sive extra corpus, usque ad tertium cœlum raptum se esse asserit, ubi et arcana Dei audivit et vidit! Iste vero sanctus et in ostensione dextræ sacræ super altare, et in hac visione, et postmodum in aliis, ut ante exitum nostri sermonis satis patebit, et arcana Dei vidit et audivit, et salvationem non tantum suæ gentis, sed et multorum populorum cognovit. Hæc non passim tunc vulgi auribus se inaniter jactando divulgavit, sed paucis quos ad hoc dignos duxit, secreto manifestavit. Ipse vero sentiens se tanto divinæ gratiæ præventum, non se erigebat in altum, sed omnia referebat ad illum, a quo acceperat, quidquid boni habebat vel esse poterat, dicens cum Apostolo : « Gratia Dei sum id quod sum. »

Cap. X. — Cœpit igitur commissi sibi gregis curam agere, talentum sibi creditum non sudario illigatum terræ commendare, sed, ut bonus verbi Dei dispensator, ad usuram accommodare. Unde suæ diœceseos terminos sæpius lustravit, ac congregatis coram se clericis et laicis, pervigili studuit cura

investigare, in primis qualiter ipsi ecclesiarum presbyteri cum suis ministris viverent : utrum populum recte ac secundum catholicam doctrinam docerent, ac quod prædicabant ore et opere implerent : ne forte aliis prædicantes, ipsi reprobi efficerentur, et ob hoc a suis auditoribus contemnerentur. Deinde discutiebat si laici eorum doctrinæ obedirent, si in Dominicis diebus et aliis sanctorum solemnitatibus ab opere illicito vacarent, si ecclesiarum limina ea, quæ deberent, devotione frequentarent, aut decimas recte darent : multaque id genus. His ita investigatis, quæque erant rata et bene ordinata, laudavit et confirmavit; quæ vero aliter invenit, correxit et emendavit. Simoniacorum hæresin quasi perniciosam pestem devitandam esse admonuit, asserens perpetuæ tradendos pœnæ, qui hæresi huic nequissimæ studerent animos inclinare. Unde nunquam pro clericorum ordinatione vel ecclesiarum consecratione quippiam muneris accepit : sed sicut in sacri chrismatis unctione per impositionem manus Spiritum sanctum paracletum gratis dedit, ita et ista concessit, sciens a Domino præceptum : Gratis accepistis, gratis date : nisi forte ipsi ecclesiarum fundatores aliquid pro bona voluntate, et hoc illum pro gratiarum actione suscipere rogarent. Jus vero legitimum sanctæ Mariæ semper virginis familiæ, ab antecessoribus suis antiquitus concessum, statuit inviolabiliter conservandum, nec quemquam in sua ditione degentium lædi permisit oppressione præpositorum : sed ita inter suos omnia ad æquitatis ac justitiæ normam perspicaciter correxit, ut nullum alteri aliquid inferre sineret, quod ipse sibi fieri nollet, juxta illud præceptum : Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Et Dominus in Evangelio : Omnia quæcunque vultis, ait, ut vobis faciant homines, eadem et vos facite illis.

Cap. XI. — Cum in his et hujusmodi virtutum gradibus sanctum virum semper ad altiora conscendere omnium bonorum hostis invidus cerneret diabolus, quacunque potuit arte, cœpit satagere ut ejus animum vel quantulumcunque posset impedire. Accidit igitur tunc temporis, ut inter Luidolphum Ottonis Magni imperatoris filium, qui Alamannorum genti præerat, et ejus patruum Henricum Noricorum ducem, oriretur lis odiumque per instigationem Satanæ et ex malignorum hominum persuasione. Quos cum imperator ad concordiam minime vocare potuisset, fratri adjutorio contra filium fuit. Tunc quidam Arnulphus comes palatinus, Arnulphi quondam ducis filius exstitit, cujus fidei prædictus dux Henricus totam Bajoariam cum ipsa metropoli Ratisbonæ commendavit, ac in Saxoniam ad imperatorem se contulit. Ibi eo moram faciente, ille velut perfidus transfuga, se cum ipsa civitate et multitudine populi, Ludolphi subegit potestati. Hæc cum sancto pontifici comperta fuissent, relicta militum custodia in civitate Augusta, in Noricorum regionem propere contendit, ubi tunc imperatorem cum exercitu consistere audivit. Prætatus vero tyrannus Augustam adiit, ac rebus circumquaque direptis, quibusdam episcopi militibus captis, præda onustus, et, quod verius est, peccati pondere gravatus, in Bajoariam est reversus. Interim vero ipsum Dei famulum postquam comperit a regia servitute reversum, in castello, quod Montachinga dicitur, non timuit obsidere : sed non cessit ei in prosperum quod talia præsumpsit contra Dei servum. Nam, parvo interjecto dierum spatio, a comite Adalbero et episcopi fratre Thietbaldo ab obsidione cum detrimento suorum coactus est secedere, et debita respersus confusione, in patriam redire, etiam ibi capto ejusdem fratre Herimanno. Sed et fortissimus pugnator Adalbertus, velut alter Machabæus, pro Ecclesia Dei acriter dimicando, cecidit in eodem bello, ut veraciter est credendum per mortalitatis dispendium transiens ad immortalitatis compendium. Cujus corpus sanctus Udalricus Augustam deferens, in ecclesia sanctæ Mariæ semper virginis condidit : spiritum vero per sacræ immolationis hostiam Domino commendavit.

Cap. XII. — Ex hoc tantus omnium mentes timor invasit, ut nullus de rebus ecclesiæ sanctæ Mariæ semper virginis ad Augustam pertinentibus, aliquid usurpare præsumeret : quia nullus eorum qui antea inde aliquid injuste abstulerunt, vel in sanctum Dei deliquerunt, impunitus evasit, nisi qui per dignam satisfactionem per misericordiam Dei, episcopo intercedente, promeruit absolutionem. Ut enim ex pluribus pauca exempli causa proferamus, unus ex his, vicinis in veritate contestantibus, tandiu perdito sensu proprias manus laceravit, quousque vitam finivit. Alius vero librum quemdam de civitate Augusta rapuit, ex cujus pretio caballum emit. Quem cum domum perduxisset, uxori suæ ait : Melius mihi fuerat ut istum tam præstantis formæ equum emissem, quam librum quo illum comparavi, in Augusta dimisissem. Cui illa : Utilius, inquit, ut spero, tibi fuisset, si nunquam manus tua ipsum librum tetigisset. Ille vero dum molli tactu per posteriora dorsi, ut assolet, equo blandiri voluit, mox ab eodem percussus interiit. Post non multum temporis præfatus Arnulphus, pro injuriis quas viro Dei ingessit, etiam ipse justi Judicis iram sensit. Obsessa namque civitate Ratisbona, paratus ad prælium exiit, ibique occisus interiit.

Quidam homo de episcopatu, qui Eistete dicitur, partem vilissimi mensalis de sæpe dictis rebus injuste usurpavit, secumque asportavit. Sed mox a dæmonio occupatus nullum neque intra neque extra ecclesiam abscondendi locum invenire potuit : nec benedicta aspersus aqua, carere valuit ejus præsentia, quin semper juxta eum videretur individuus comes manere, donec Augustam rediens, rem injuste ablatam reddidit, seseque emendari obnixe rogavit. Cui episcopus, ut totus erat visceribus pietatis plenus, et indulgentiam pro Christi amore tribuit, et a dæmone liberatum, ad propria redire permisit.

Cap. XIII. — Interea dum contentio inter Ottonem

mperatorem, propter fratrem ipsius Henricum, ut supra diximus, et Ludolphum exorta, in tantum accrevisset, ut non aliter nisi ferro finiri potuisset, jamque acie utriusque partis ordinata, ut cominus committi deberet pugna, athleta Dei Udalricus, sciens quia beati sunt pedes pacem portantes, et quod ipse Dominus in Evangelio ait : Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur : assumpto Hartberto, Curiensis Ecclesiæ episcopo religioso, se in medium injecit : ac tanta eos arte suadendi aggressi sunt, Spiritu Patris in amborum ore loquente, ut facile ad pacis fœdera revocarent, et veræ charitatis donum firma stabilitate in illorum pectoribus consolidarent. Non aliter tunc Otto pœnitentem Ludolphum quam ille evangelicus pater olim suscepit revertentem filium. Uterque enim filius mortuus fuerat, et revixit : perierat, et inventus est. Fit gaudium ingens et exsultatio in exercitu cuncto. Laus et gratiarum actio resonat in ore omnium : quia per servos suos liberavit Dominus populum suum.

Cap. XIV. — Sequenti vero anno, id est, Dominicæ incarnationis nongentesimo quinquagesimo quinto, gens Hungarorum omni bellua crudelior, juxta quod viro Dei cœlitus ante fuerat revelatum, cum innumerabili multitudine erupit, omnemque Noricorum regionem a Danubio usque ad Nigram silvam, quæ ad montana pertinet, et partem provinciæ Alamannorum usque Hilaram fluvium, devastando occupavit. Quæ Licum transiens, ecclesiam sanctæ Afræ igne combussit, atque civitatem Augustam obsidione circumdedit. Sanctus autem Dei pontifex nequaquam visis tot lupis, instar mercenarii, sui gregis custodiam fugiendo dereliquit, sed ex adverso se opposuit ac totam causam Domino commendavit. At militibus circumquaque per murum et ante portam acriter contra hostes dimicantibus, ille super equum sedens, non clypeo protectus aut galea, sed stola indutus, intra lapidum ac sagittarum imbres incedebat securus. Videres novum Josue arcam Domini circumferre, buccinis concrepare : nisi quod Josue extra muros urbis Jericho, iste vero intus in domo Rahab ad Deum conversæ, hoc est, Ecclesiæ, manebat, et civitatem diaboli foris manentem expugnabat. Josue duce, sacerdotibus qui arcam Domini ferebant buccinis clangentibus, ac cunctis populis clamantibus vociferatione maxima, muri Jericho funditus corruerunt. Isto arcam Domini in pectore mundo gerente, et cum sacerdotibus et levitis tubis, id est, psalmis, hymnis et canticis spiritualibus sonantibus, cunctisque populis maxima prece ad Deum et ad ejus sanctam genitricem Mariam semper virginem pro sua ereptione clamantibus, Hungari, qui erant civitas diaboli, ceciderunt. Cæteri fugam arripuerunt. Quos Christianorum exercitus tandiu cædendo persecutus est, donec principes eorum cum aliis multis una caperentur, atque Ratisbonam perducerentur, ubi ad ignominiam suæ gentis postmodum suspensi sunt in equuleis. His ita gestis, præsul venerandus Deo in omnibus gratias agens, velut ex arce quadam mentis cœpit dispicere, ac subditorum necessitates pertractare, non sibi ratum æstimans, si solummodo ea, quæ sua essent, quæreret, suorumque causas negligeret, juxta illud Apostoli : Qui suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est deterior infideli. Unde suorum congregationes clericorum, quæ hostium deprædatione ad tantam fuerunt inopiam redactæ, ut ad quotidianæ refectionis usum nil possent habere secum retinuit, ac inquantum potuit, pauper ipse præsentis vitæ necessaria pauperibus ministravit ; et non solum illis, sed et omnibus se petentibus, prout habuit, misericordiæ manum porrexit, juxta illud Dominicum præceptum : Omni petenti te, tribue.

Cap. XV. — Eo tempore admonetur in visione, ut ecclesiam sanctæ Afræ, quæ a paganis fuerat concremata, non tardaret reparare, nec non et Simperti episcopi sepulcrum, quod situm erat juxta gradus in choro, congruo procuraret tecto. Ex hoc cœpit Dei famulus in jejuniis et precibus cum cordis contritione, aliis quoque viris religiosis secum assumptis, se Deo mactare, supplicans devote quatenus omnipotens Deus per misericordiam suam dignaretur sibi manifestare locum, ubi sanctissimæ martyris suæ corpus esset reconditum, vel si in parte orientali crypta eo loci esset ædificanda, ubi suadebat ei voluntas sua. Ergo ut Dominus verum comprobaret, quod per os sancti David dixit : Ecce oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Et in alio loco : Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, quadam nocte in visu ei sancta Afra apparuit, et locum sui corporis in ecclesia demonstravit. Cryptam vero illo in loco fieri prohibuit propter reliquias sanctorum, qui illic in pace quiescentes, adventum justi Judicis exspectant. Hac revelatione perdoctus, cœpit destinato operi vigilanter insistere, ecclesiæ muros instaurare, cryptam in occidentali parte construere : nec antea a labore cessavit, donec brevi omnia perfecto decore consummavit.

Dignum est nunc demonstrare qua veneratione dignus sit locus ille, in quo sancta Dei martyr prohibuit cryptam fieri. Erat quidam hortulanus, qui inter gramina ibi deambulando, speluncam quamdam reperit, in qua et transformatam ædiculam sub terra muratam conspexit, et veniens, episcopo nuntiavit, eique dixit : Si tuæ placeat sanctitati, hic olera mea et alia, quæ mihi sunt necessaria, possunt recondi. Cui ille in spiritu dixit : Si hoc feceris, mox sensu et membrorum sospitate mox carebis. Sed miser, hæc parvipendens, supellectilem suam in prædictam speluncam congregavit, statimque sensum cum visu et auditu perdidit. Qui ad sanctum Dei perductus, ut reatum suum agnovit, veniam petiit, ac indulgentiam cum sanitate promeruit. Mira dicturus sum. Ex illa namque hora nunquam ab hortulano ipsa reperiri potuit spelunca. Ex eo tempore cœpit vir Dei sanctum illum locum magis fre-

quentare, sibique sepulcrum ibi præparare. Ubi omni sexta feria, si domi esset, solebat salutarem hostiam Domino immolare.

Cap. XVI. — Interea orationis causa Romam perrexit, ubi et caput sancti Abundii martyris acquisivit, secumque religiosa cum devotione Augustam reportavit. Solebat loca sancta visitare, ac præcipue monasterium sancti Galli, ubi nutritus erat et eruditus. Inde cum quodam tempore ad cellam sancti Meinradi, ad videndum servum Dei Everhardum venisset, post sacra orationum libamina, post fraternæ collationis dulcia eloquia, cum jam prælibatis osculis sanctus episcopus disposuisset redire in sua, et ea vice speraret Dei famulum non amplius esse visurum, jamque ire cœpisset, festinato anhelus cucurrit, atque iterans oscula charitatis, in hunc vocem lacrymabundus erupit : Ex hac hora non videbimus nos ulterius in hac vita, donec corporibus exempti videre nos mereamur in præsentia Dei. Cui episcopus dixit : Pater venerande, scis nunc pro certo tempus meæ resolutionis instare, quo debeam ex hac vita migrare? Cui ille respondit. Finis quidem vitæ tuæ adhuc non erit. Sed verum esse quod dico exitus rei comprobabit. Tunc discessum est. Sed antequam episcopus eamdem cellam visitavit, ille Dei famulus Everhardus de hoc sæculo migravit. Processu quoque temporis locum Agaunensium, ubi sanctus Mauritius cum sacra legione quiescit, orandi gratia adivit, ac non modicas Thebæorum martyrum reliquias acquisivit. Quas cum summo honore Augustam attulit, ac in oratorio sanctæ Dei genitricis cum hymnis et psalmodiis religiose collocavit. His quoque diebus venerabilis heros ad monasterium Insulanense, quod Augia dicitur, [venit] ubi tunc temporis Dominici gregis vir venerandus, nomine Aluvigus, curam gessit. Qui eum digno, ut par erat, honore suscipiens, multiplicibus sanctarum reliquiarum, quarum gratia illo advenerat, pignoribus donavit, sicque ad propria lætum redire permisit.

Cap. XVII. — Nec prætereundum quod, propter ipsius merita, plurimâ infirmis præstabantur beneficia : et maxime qui caduco gravabantur morbo, per ejus benedictionem a tanto liberabantur incommodo. Quod ita humilitatis causa studuit occultare, ut si forte aliqui illorum hanc sanitatis gratiam palam postularent, donum benedictionis subtraheret, hoc magis asserens apostolicæ dignitati quam suæ congruere parvitati. Per oleum, ab eo in cœna Domini consecratum, variis languoribus detenti, pristinæ restituti sunt sanitati : nec non et oculorum caligine obtenebrati, hujus sancti olei unctione merebantur illuminari.

Operæ pretium est inferre qualiter etiam ipse per efficaciam hujus sancti liquoris consecutus est gratiam sospitatis. Quodam itaque tempore ad monasterium Campidonense veniens, tanta infirmitate tenebatur, ut non nisi inter aliorum manus sustentatus, quoquam posset gressum movere, vel quid cibi pro recreatione virium percipere. Tunc sub omni celeritate Augustam mittitur : oleum ab eo consecratum defertur. Quo in ipsa sancta Pentecostes vigilia hora diei nona delibutus, intantum per gratiam Dei contra spem omnium subito convaluit, ut se reficeret cibo ac cum fratribus vespertinæ synaxi incolumis interesset, totamque instantis festivitatis diem spiritali jucunditate celebraret. Sicque, omnibus in commune gratulantibus, ipse sospes in suam sedem est reversus.

Cap. XVIII. — Quodam tempore cum vir Dei Vindicem fluvium esset transiturus, intantum alvei ejus cursum excrevisse invenit, ut nullus suorum auderet transire per illum. Tunc sociis sui itineris abeuntibus, et vadum, sicubi posset reperire, ad transeundum quærentibus, ipse cum uno clerico solus remansit, ac prædictum fluvium sine aliqua trepidatione in nomine Domini transivit. Et, ut magis mireris, clericus altiori caballo residens a cingulo deorsum se totum in aqua infusum : de episcopi autem soccis e sago factis, quos propter frigus induerat, nec saltem unum pilum madefactum perspexit. Cui valde super hoc admiranti interminatus est, dicens : Cave, me adhuc manente in carne, hoc alicui dicere : humilitatis magistrum sequens, qui de semetipso discipulis præcepit ut visionem quam vidissent nemini dicerent, donec Filius hominis a mortuis resurgeret. Tua sunt hæc, o Christe, opera, tuarum gratiarum insignia, qui in sanctis tuis etiam nunc antiqua coruscare facis mirabilia. Qui enim illi antiquo Hebræorum populo, quondam diviso mari Rubro, aridum iter præbuisti, tu hunc famulum tuum per idem elementum siccis vestibus traduxisti : nisi quod illis aquæ erant pro muris a dextris et a sinistris, ut siccis vestigiis per medium transirent : iste vero per medias transiens aquarum undas, in nullo madefactus, se duce pervenit ad littus. Alio item tempore dum Ratisbonam navigio per Danubium tenderet, ex incuria nautarum navis super quoddam impingitur lignum : ex quo patentibus rimis cœpit paulatim impleri aquis. Timore perterriti nautæ, ad littus contendunt propere. Quo pervenientes, omnibus quæ in navi erant exportatis, obliti sunt episcopi in puppi residentis. Tunc unus ex clericis, trahens suspiria ex intimo cordis, ait : Væ nobis miseris, quia in tanto periculo obliti sumus nostri senioris. Et hæc dicens, velocius cucurrit, et humeris impositum ad littus exposuit. Quo egresso navis in posteriori parte mergitur, et mirum in modum navis, quæ plena erat hominibus cæterisque supellectilibus super aquas nataverat, viro Dei cum suis egrediente, non potuit diutius quin mergeretur subsistere : ut inde colligeretur quia hanc omnipotens Deus sua manu tenuerat quando vir Dei cum suis in ea manebat. Item alia vice vir Dei Romam pergere desiderans venit ad fluvium Tar nominatum, quem tam periculosa reperit inundatione effusum, ut nec equo nec navigio aliquis posset transire illum. Sed sanctus pontifex fiduciam habens in Deo, celebratis in ipsius flu-

minis ripa missarum solemniis, prædictum flu- A vium transvadavit cum incolumitate omnium suorum.

Cap. XIX. — In illis diebus electus Dei pontifex sacræ religionis studio incitatus, divini amoris igne succensus, cœpit in ecclesia sancti Stephani protomartyris Christi, quæ extra urbis mœnia sita est, religiosas feminas congregare : quatenus in sancto proposito tanto liberius ibidem Deo servirent, quanto longius a mundanæ actionis labore distarent. Ad quod monasterium dum quædam matrona ad conversionem veniret, et a congregatione suscepta fuisset, cœpit in Dei servitio manere devota : et licet litterarum scientia minus instructa, tamen ad exteriora providenda satis erat idonea. Unde sorores ei voluerunt officium cellariæ commendare, sed illa B noluit consentire. Tunc res ad episcopum defertur. Qui cum eidem juberet obedire, noluit, sed in obstinatione mentis perduravit. Sequenti vero nocte hujusmodi verbis corripitur in somnis : Quia, inquit, non obedisti episcopi præceptis, tandiu ambulandi usu carebis, quousque ab illo absolvi mereberis. Expergefacta, omnino permansit debilis et clauda : et revertente ad civitatem episcopo, ante ejus præsentiam in lectulo est deportata : a quo de inobedientia pariter correpta est et sanata. Ipsa autem, ut se sensit sanatam, currendo antequam ad ecclesiam episcopus veniret, præcessit eum laudans et benedicens Deum. Quodam tempore dum omnipotentis Dei famulus ad synodum episcoporum, quæ in villa regia, Ingelenheim dicta, erat congreganda, perg- C ret, quemdam pauperem, nomine Rotbertum, obvium habuit, qui ventris sui interiora foris prolapsa, in sinu gestavit. Quem ut conspexit, misericordia motus, ei denarium dari jussit, dicens : In nomine Domini accipe, et vade in pace. Qui mox eleemosynam accipiens, perrexit ac meliorari in tantum cœpit, ut post aliquod temporis spatium sospitati redderetur ad integrum. Idem etiam post mortem viri Dei, aliis iterum præoccupatus infirmitatibus, ad sepulcrum ejus veniens, sanari meruit, sicut lector suis locis plenius scriptum invenire poterit.

Cap. XX. — Igitur sanctus Dei, cœlesti desiderio afflatus, cœpit ea quæ sunt hujus mundi fastidire, terrenarum rerum lucra Christi amori postponere : et, licet hic retineretur corpore, in cœlestibus tamen conversabatur mente : ut merito in illorum censeretur numero qui dicere possent cum Apostolo : Nostra conversatio in cœlis est. Unde zelum Dei habens, licet non secundum scientiam, cœpit apud terrenas potestates totis viribus agere, ut quidam clericus Adalbero nomine, suæ sororis filius, totius episcopatus curam susciperet : ipse autem sub monachicæ religionis habitu soli Deo vacaret, quod et impetravit. Sed ille miserandus nesciens, aut scire nolens, a sapientissimo Salomone dictum : Hæreditas ad quam in principio festinatur, in novissimo benedictione carebit : milites episcopi, to- A tamque familiam statim sacramento sibi subjiciebat, ac virgam pastoralem publice manu gestabat. Quod cæteri episcopi, indigne ferentes, ambos ad synodum vocaverunt, atque prædictum Adalberonem hæreticæ arguunt præsumptionis quod, domino suo adhuc superstite, talia non pertimuisset usurpare. At ille dum de objectis sibi criminibus se vellet purgare, ab omnibus inventum est, id aliter fieri non posse, nisi, allatis sanctorum Evangeliorum in medio libris, sacramento firmaret se nescisse hæresin fuisse, quod talia præsumpsisset facere. Quibus omnibus quæ ad hoc negotium pertinebant expletis, in sua redierunt ambo episcopus et Adalbero, tali a sancta synodo consolatione percepta, ut, episcopo decedente ab hac vita, nullus pro eo alius B esset ordinandus, nisi ipse Adalbero. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Nam eodem anno post aliquot menses, dum quadam die jam ad vesperam inclinante prædictus clericus ad mensam cum viro Dei noviter secta vena resideret, ac quidquam molestiæ propter incisionem venæ sustineret, e consessus medio concitus surgens, cubitum ire perrexit, statimque in ipsa nocte præsentis vitæ terminum clausit. Quod episcopus mox per spiritum cognoscens, eum, qui ad annuntiandum mortem sibi intraverat, præveniendo dixit : Scio, quod Adalbero mortuus est. Festina, et fac vehiculum præparari, ut possumus illum Augustum deferre. Morabantur autem tunc temporis in castello, quod Dilinga dicitur. Corpus C vero ejus exanime a sancto pontifice, Augustam perlatum, in ecclesia sanctæ Mariæ est humatum. Inter cætera misericordiæ bona, quæ pro requie animæ sui nepotis agebat, etiam abbatiam, Uttenbura dictam, quam ille, dum viveret, in beneficium tenebat, sibi acquisivit, et tandiu tenuit, quousque ipsius studio donata est libertatis privilegio.

Cap. XXI. — Die quadam sancto Dei iter agenti homo quidam astitit, qui Conradi Constantiensis episcopi obitum certissimum indicavit. Illis vero, qui aderant, sperantibus quod statim pro requie illius solita exsequiarum officia vellet celebrare, ille per secretum nuntium, sibi adesse solitum, sciens quod ex hoc esset verum, ait eis : Manete interim animæquiores, mane comperietis quid inde credere D debeatis. Crastina die diluculo quidam Constantiæ venit, qui prædicti viri sospitatem annuntiavit. Et omnipotentis Dei famulus, licet tempus resolutionis suæ jam instare non ignoraret, tamen quandiu potuit, vehiculo superpositus, divini verbi semina in audientium corda spargere non cessavit. Quem equitandi usum, etiam dum adhuc sanus esset, habebat, ut quocunque sibi eundum fuisset, sella super quadrigam posita solus sederet, comite uno tantum clerico, cum quo absque impedimento aliorum, posset liberius vacare decantationi psalmorum. Festinabat autem quantocius Augustæ civitatis mœnia ingredi, ut ibi, sicut bonus mercenarius, præstolaretur finem operis sui. Quo cum pervenis

set, quandiu vires sufficiebant, inter quotidiana missarum solemnia, salutarem hostiam Domino exterius immolabat, ac seipsum interius victimam in ara cordis mactabat. Ad mensam cum aliis sedens, illis manducantibus et bibentibus, ipse bene manebat jejunus. Erat ei cibus aut dulcis psalmorum suavitas, aut sacrarum lectionum assiduitas : inter quas maxime delectabatur audire, ex quarto libro Dialogorum sancti Gregorii, qualiter multi e corporibus exempti, in spiritu rapiebantur, ac iterum revertebantur. Inter hæc præcepit suarum rerum procuratoribus, ut in omnibus omnino locis, ad suum jus proprie pertinentibus, quæcunque invenire possent, in tres portiones partirentur, et unam ex his, ipso adhuc vivente, presbyteris et pauperibus largirentur. Ipse autem quadam die se ad audiendam missam in ecclesiam deferri jussit. Qua audita, unum tapete coram sancta cruce sterni fecit, seseque super hoc in orationem dedit, et quasi post dimidiam horam surgens, quidquid supellectilis habere potuit, coram se importari præcepit, præter paraturam unius domus ac mensarum, et unum opertorium, quæ reliquit ad sui successoris servitium. Cætera cum perspexisset, ingemiscendo dixit : Ah ! quid mihi hæc omnia? Fuerunt tantum panca camisalia, et septem vel octo mensalia, duo sarcilia, et de argento decem solidi : quos statim per manus præpositi præcepit inter pauperes dividi, cætera vero clericis erogari, sicque vigilanter studuit se ad hoc præparare, ut pulsanti confestim posset aperire.

Cap. XXII.— Talia meditando, aliquoties ad superna rapiebatur in spiritu, ac quædam vidit et audivit, quæ etiam ex parte sibi assistentibus narravit. Nam Wernhero Fuldensium abbati se visitanti annuntiavit, ut si duo in electione ejus cæteris concordarent, sibi in episcopatu successurus esset. Item alia vice quasi de gravi somno excitatus, ait coram omnibus : Heu ! heu ! quod illum Adalberonem nepotem meum unquam vidi : quia pro eo, quod ei consentiebam secundum suum desiderium, nolunt me impunitum in suum recipere consortium. Legimus huic simile, sancto Gregorio in libro Dialogorum referente, quod quidam Paschasius, apostolicæ sedis miræ sanctitatis diaconus, cujus post mortem dalmatica feretro ejus superposita, dæmoniacum tetigit et sanatus est : loco penali deputatus est ob nihil aliud nisi quod in illa conditione, quæ inter Symmachum papam et Laurentium facta est, ad pontificatus ordinem Laurentium elegit, et omnium post unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque juxta diem sui exitus perstitit, illum amando atque præferendo, quem episcoporum judicio præesse sibi ecclesia refutavit. Qua in re, quia similis pene fuerat amborum culpa (nam sicut ille Laurentium, etiam Symmacho ordinato : ita et iste, se adhuc in carne manente, licet simplici oculo minus rectum intuendo, voluit contra statuta Patrum Adalberonem fieri episcopum), hoc idem sentire possimus de hoc viro sanctissimo, quod ille de Paschasio. Nam Petro super hoc quæstionem moventi, cur is, qui tantæ sanctitatis exstiterat, quod ejus feretri vestis tangi potuit, et malignus spiritus ab obsesso homine fugari, post mortem ad pœnalem locum ductus sit, ita respondit : Hac in re magna debet omnipotentis Dei dispensatio, et quam sit multiplex, agnosci, cujus judicio actum est, ut idem vir Paschasius et ipse intus aliquanto tempore reciperet, quod peccasset, et tamen ante humanos oculos mira per corpus suum post mortem faceret, qui ante mortem eis quoque cognoscentibus pia opera fecisset : ut nec hi, qui ejus bona viderant, de eleemosynarum illius æstimatione fallerentur, neque ipsi sine ultione laxaretur culpa, quam nec ipse culpam credidit, et idcirco hanc fletibus non exstinxit. Sic quondam dux ille magnus Israeliticæ plebis Moyses, cum quo, sicut Scriptura refert, loquebatur Dominus facie ad faciem, sicut loquitur homo ad amicum suum, et Aaron frater ejus sacerdos, propter culpam incredulitatis, a Domino audire meruerunt : Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis : ut infirmiores quidam perpendant qua pœna in ultimo examine districtus Judex graviter delinquentes feriat, cum etiam sic eos corrigat, quos in electorum numerum ante sæcula prædestinavit. Sed de his hactenus ; nunc ad intermissa redeamus.

Cap. XXIII. — Aderat namque toti orbi venerandus dies, videlicet præcursoris Christi natalitius, et vir Dei, gravi infirmitatis oppressus languore, quasi de somno evigilans, cœpit astantibus dicere : Vestibus me induite, et calceamenta pedibus meis præbete. Qui licet illum per excessum mentis putarent talia præcipere, tamen studuerunt obedire. Insuper etiam pontificalibus indutus ornamentis, cum omni, ut mos est, clericorum officio contra spem omnium processit in publicum, et sic ad ecclesiam beati Joannis Baptistæ, quam ipse construxit, veniens, tandiu sine aliquorum sustentatione hominum invictus perstitit, donec bis, sicut ea die statutum est, sacra missarum solemnia celebravit. Quibus rite expletis consedit, atque coram astantibus clericis dixit : Hujus celebrationem officii non mearum virium possibilitate, sed ex divinitate præsumpsi Christi atque jussione. Nam hodie cum dulci quiescerem somno, astiterunt coram lectulo meo juvenes duo aspectu formosi, quorum unus dixit mihi : Quare non surgis? debes enim hodie ad Sanctum Joannem missam celebrare. Cui alter respondit : Quomodo potest hoc fieri? quia pro impossibilitate virium adhuc Primam non explevit? Tunc ille, qui prius : Surge, ait, et secundum meum sermonem in præfata ecclesia divinum mysterium festina implere : quia præter te nullus ibi cantabit hodie. His dictis, ad cubiculum rediit, atque imminentem vocationis suæ diem lætus exspectavit, atque illud Psalmistæ sæpius iterando dicebat : Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei? Interim dum ab

eo, qui coram se lectoris fungebatur officio, interrogatus fuisset, utrumne præ infirmitate, qua detinebatur, se de hoc sæculo migraturum speraret, respondit : Certissime scio, quia brevi de hoc transiturus sum mundo. Cui cum mœrens diceret, quem episcoporum vellet ad corpus suum sepeliendum vocare, maxime cum nullus comprovincialium remansisset antistitum, qui non esset invitatus ad regale in Franc a colloquium, ait : Nostis terram terræ commendare. Vos tantum, cum tempus fuerit, quod vestrum est, facite : Dei est mei corporis commendatorem providere.

Cap. XXIV. — Paucis vero diebus interpositis, in vigilia apostolorum, quæ illo anno evenit quarta feria, certissime sperabat se migraturum de hac vita. Quod licet nominatim non exprimeret, verbis tamen quibusdam aperuit, ac signis evidentibus declaravit. Sane signis omnibus ad Vesperam circumquaque sonantibus, ipse balneatus et sacris vestibus ad hoc usus paratis indutus, humi se prostravit, ac si hora eadem moriturus. Finita ergo synaxi vespertina, cum aliorum adjutorio se levavit, et quasi quodammodo mente consternatus, dixit : O sancte Petre, nunc non fecisti, sicut ego æstimavi. O beatum virum omni laude prosequendum, cujus spiritus quidem erat promptus, licet caro infirma : cui vivere Christus fuit, et mori lucrum. Unde tantopere corporeæ inhabitationis molem velut carcerem quemdam abhorrens, cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Iterum spiritu recreatus, per continuos quinque dies mansit quietus, petens ab omnibus indulgentiam, et benedictionem tribuens, donec finita quintæ diei feria, ac vespere lucescente, in sextam Sabbati, aurora jam diei latitudinem terræ illuminante, clericis canentibus et flentibus, in manus Domini spiritum suum commendans, anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi nongentesimo septuagesimo tertio, ætatis suæ octogesimo tertio, ordinationis vero quinquagesimo, velut in jubileo, hoc est, plenæ remissionis anno, verus Hebræus transit de hujus mundi Ægypto liber, in æternum victurus cum Domino suo. Transiit autem IV Nonas Julii, tempore Ottonis secundi imperatoris Augusti. Cujus corpus cum ex more ad lavandum esset denudatum, tanta de eo manavit suavissimi odoris fragrantia, ut cunctorum ibi astantium perfunderet nares et pectora. Cujus odoris suavitas tandiu permansit, quousque totum ac vestibus indutum, in ecclesiam fuit deportatum. Post hæc autem adveniente Wolfgango, Ratisbonensis civitatis episcopo venerando, sancti viri corpus in ecclesia Sanctæ Afræ martyris cum magna gloria est humatum : ubi ipse, dum adhuc viveret, sibi sepulcrum præparari fecit. In quo loco multa per ejus merita fiunt assidue miracula, multa infirmis præstantur beneficia, donante Christi gratia : Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Hæc tui examen judicii exspectant, ut te benigno judice valeant rata consistere. Opto, Pater beatissime, ut in Christo valeas, meique memor semper existat.

(Quædam editio Vitæ a Bernone scriptæ sequens caput insertum habet, quod etsi neque Surius edidit, et Bernonis esse mihi non constat, quoniam tamen ad historiam pertinet, et speciem imaginis sancti Udalrici explicat, placuit hoc loco adjicere.)

Quodam autem tempore, cum idem sanctus pontifex cum felicis recordationis antistite Constantiensi beato Conrado, die Jovis apud Sanctam Afram cœnaturus consederat, ambo de cœlestibus rebus continuum habentes sermonem, corruptibilis immemores cibi, spiritu refecti, usque in sequentem sextam feriam divina habuere eloquia, non appositas attendentes carnes. Unde contigit Bajoariæ ducum bajulum quemdam sanctum accedere virum. Cui absoluto ero quo venerat negotio, abeunti carnis frustum dedit, non advertens sextæ observantiam feriæ. Qui nuncius dominum rediens proprium, volens malitia stimulatus sanctos diffamare episcopos, quasi sexta ab carnium esu feria non abstinuissent, in testimonium illico carnis partem a sancto viro acceptam protulit, et ecce, dictu mirabile, species carnis in piscis speciem est conversa, temerarii arguens bajuli detractionem, et sanctorum ostendens innocentiam. Qua de causa gloriosi effigiei pontificis piscis in perpetuum hujus miraculi memoriam conpingi solet.

BERNONIS VERSUS

Libro Sacramentorum Saxonico qui habetur in bibliotheca Boheriana, præfixi.

(Mabill. *Annal. Bened.* lib. LV, n. 27.)

Suscipe conscriptum pura quem mente libellum
Ultima servorum Bern fert persona tuorum,
Qui, licet indignus, tibi fidus semper alumnus,
Obsequio pronus, devoto corde benignus,
Dum viget atque valet, sano dum corpore vivit.

IN CARMEN SUBSEQUENS ADMONITIO.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VII, pag. 587.)

Peut-être serait-on en droit de donner à Bernon un poëme sur la ruine de Troie, publié par Goldast et Barthius. Ce qui paraît autoriser cette attribution (Fab. *Bib. lat.* I. II, p. 625) est d'une part que la pièce porte en tête, dans l'édition de Goldast, le nom de Bernard de Fleuri, et, de l'autre, qu'elle est ancienne et faite avant la fin du XII^e^ siècle (Bart. *Adv.* l. XXXI, c. 7), ce qui convient à un auteur qu'on suppose du siècle précédent, tel que ce prétendu Bernard. Or, comme on ne connaît point en ces temps-là de Bernard de Fleuri, et qu'on sait que Bernon en était alors moine, et que de son nom ordinaire Bern on a fait souvent celui de Bernard, il y a beaucoup de fondement à lui faire honneur de ce poëme.

Il est compris en quatre-vingt-huit vers élégiaques, rimés dans l'hémistiche et dans la fin, de façon que l'une et l'autre rime est la même dans le pentamètre et l'hexamètre, ce qui doit avoir coûté beaucoup de travail au poëte, qui a réussi par là à rendre sa pièce plus curieuse qu'intéressante. Quoique ses vers retiennent plusieurs traits de rudesse et de barbarie, on y en découvre d'autres qui ont leur mérite. On doit juger de là que la Muse de Bernon était mieux montée lorsqu'il travailla à ce poëme que quand il fit l'inscription précédente dont il a été parlé.

Goldast est le premier qui l'ait tiré de la poussière (Fab., *ibid.*). Il l'a publié entre les poésies faussement attribuées au poëte Ovide.

Ensuite Barthius, qui ne connaissait pas cette édition, ayant déterré la pièce dans les manuscrits, l'a fait réimprimer sans nom d'auteur, avec quelques observations de sa façon.

CARMEN DE BELLO TROJANO

AUCTORE UT VIDETUR, BERNONE.

(Apud Barthium, *Adversaria*, lib. XXXI, pag. 1432.)

De rhythmo apud veteres tam Græcos quam Latinos scriptores versibus immisso nonnulla. Editumque carmen rhythmicum satis ingeniosum de Trojæ halosi, multis partibus sonum syllabarum captans, etsi minime Latinum.

Rhythmum apud Græcos in carmine absolutissimarum elegantiarum aperte affectavit Anacreon. Quem secutos non paucos Latinorum arbitror ; quorum nunc scripta funditus perierunt, pauca præter fragmenta quæ, aliud agentes, grammatici citata servarunt. Sed consonantium syllabarum in fine versuum nos hic rhythmum appellamus, non quem doctissimus Victorinus in Grammatica et alii artigraphi docent. Quem quidem nostrum, quamvis ultimis sæculis corrumpendæ Latinitatis summus auctor erit, etiam aliis in generibus versuum non abhorruisse vere Romanos, docent affectate scripti hi versus M. Varronis Ὄνος λύρας :

Et orthophallica astulit psalteria
Quibus sonant in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia.

In quam rem et alii priscorum loci adduci possent, si analecta nostra poetica exscribere vellemus. Sufficit vero Terentiani auctoritas, qui rhythmos a metris ita distinguit, ut utrumque genus in usu fuisse confiteatur. Et eam distinctionem novit ultimum etiam ævum, studio, non ignorantia peccans. Eccerhardus in libro De Vita Notkeri, cap. 17, Letanias omnesque cantilenas, rhythmathice, metrice, vel prosaice quas fecerant et disciplinas quas docuerant authenticavit. Hoc autem loci edituri sumus ἀνέκδοτον postremi ævi carmen quod ingeniose rhythmum composuit geminum, nec sine tertio et quarto. Id dono nobis dedit, cum corpus universum sequioris ævi poetarum editioni nos compingere velle animadverteret, Gaspar Gevartius, cui nobiscum summa amicitia est. Non quidem ego animatus sum in id corpus eos poetas deducere qui barbare ad minorum gentium linguarum morem et legem versus Latinis numeris conceptos infringunt in rhythmos, ut sunt Bernhardus Morlanensis, quem vel principem talium dicas ; Goffridus Viterbiensis, Metelli Quirinalia hexametro composita, Petri Blesensis, Willerami abbatis, Wipponis, et mille talium carmina, hoc tamen carmen peculiari mihi genio scriptum videtur, nec indignum cujus extra ordinem ratio habeatur. Est vero de bello Trojano in hæc verba scriptum.

Pergama flere vo	lo	Fato Danais data sc	lo
Solo rapta do		Capta, redacta so	
Est Paris absque pa	re	Quærit, videt, audet ama	re
Audet tenta		Furta, pericla ma	
Vadit et acce	dit	Clam tollit, clamque rece	dit
Nauta solo ce		Fit fuga, prædo re	
Tuta libido ma	ris	Dat tura libidinis a	ris
Civibus igna		Quod paret arma Pa	

Post raptus Hele
Mille rates ple
Exuperare ra
Fædere nuda
Græco ducto
Pro consorte to
Pergama dia se
Impetitur mœ
Nutu Juno
Destruitur do
Plena malæ pro
Deleturque do
Tunc dant cuncta ne
Obfirmant Græ
Hinc ardent æ
Per varias cæ
Mulctatur cæ
Seque suo fæ
Fœmina digna mo
Reddita victo
Sæva quid eva
Cur rea tu cla
Passa modo Pari
Et factura fi
Rumor de vete
Cras poterunt fle
Fœmina victa me
Nec fieri spe
Expleta cæ
Tractatur fœ
In facie Do
Subsequitur lo
Vivit at invi
Et planctus meri
Juno quid est quod a
Tot ne putas pla
Ergo reocci
Ergo reocci
Nullum jam repe
Imo perseque
Nemo rebella
Belloque secta
Ne me Juno fe
Fac obitu cele
Usque modo fle
Quod superest æ
Perstitit ira D
Miror quod sit
Nemo mei memi
Mecum fœdus i
Concutit ossa me
Dum renovat fle
Urbs retro subli
Una fit ex mini
Urbs fortuna
Vel possent fa
Regna beata sa
Dives honora
Regna beata sa
Prædo volupta
Urbs celebris du
Ecce solum nu
Troja antiqua pe
Jamjam bubus e
Urbs bona plena bo
Prædita patro
Plena potenta
Felicissima
Si commende
Cultus supre
Potum vine
Merces mone
Curia perso
Terra suis do
Urbs vetus et cla,
Tam bona tam cla

næ
tus
ri
cus
nis
lis
ci
des
de
ri
dis
dem
ri
ro
de
rum
ta
gis
des
ris
tur
ri
vi
ei
nit
tus
mis
ta
tis
tis
dum
ris
no
tu
mus
ta
nis
ra

Currunt Larissa Myce
Fortibus absque se
Viduatorem vidua
Fœderat ense la
Prohibet dolor esse timo
Vivere sive mo
Figit tentoria Græ
Et fabricatur e
Et iniqua fraude Sino
Urbs modo plena bo
Parit hostem machina mo
Tam populosa po
Prædæque cupidine cæ
Pectora clausa pre
Hinc detruncat Diome
Brachia, crura, pe
Prædo Paris a Diome
Reddit alumna Le
Remeat ab amore prio
Delitiisque tho
Non tradita cætera tra
Non modo clade ca
Per idem modo, Thesea pri
Ne redeas in i
Faciet ventura time
Turpia sicut he
Quod inhæsitat ebria ve
Nec fidejussor e
Super additur Hecuba præ
Cogitur ire pe
Crinem laniata deco
Per theatrale fo
Quia vivit paupere vi
Vociferatur i
Post tantæ funera stra
Addere posse ma
Hos quos occidit Atri
Quos obiisse vi
Nec sic ulli misere
Relliquias cine
Sed Juno belligera
Sanguine mucro sa
Feriendo potes misere
Corpus anile te
Casus incommoda læ
Corripe fine bre
Dare cætera pernici
Mentio nulla m
Gladius qui cætera fi
Me superesse si
Fit spiritus irrequie
Denuo caussa me
Et abundans rebus opi
Annihilata ni
Si posset vincere fa
Segnius esse ra
Urbs primæ nobilita
Dantibus absque da
Donec nocuere bea
Et male rapta ra
Dum terminat alea lu
Pastus erit pecu
Non jam mihi Troja vide
Pascua, lustra fe
Foris, intus, cive, colo
Præditus ille thro
Celeberrima digna rela
Principe, cive, sta
Quod commendare solo
Rus, ager, unda, ne
Pastum dabat area læ
Navigiumque fre
Urbs civibus, arva colo
Horrea plena bo
Bona valde tam bona ra
Fit pecualis ha

næ
tus
ri
cus
nis
lis
ci
des
de
ri
dis
dem
ri
ro
dæ
rum
ta
gis?
des?
ris
tur
ri
vi
ei
ni
tus
mis
ta
tis
tis
dum
ris
no
tu
mus
ta
nis
ra

Dives ab anti quo Dum Tato fertur ini
Deperit in modi Fit nihil ex ali quo
Caussa rei ta lis Meretrix fuit exitia lis.
Fœmina fata Fœmina fœta ma

Patienter carere ævum hoc elegantiarum ditissimum monumento hoc barbarioris potuisse non nego. Idem tamen et affirmare non nolim interesse ejus qui perfectam eruditionem affectat, omnium sæculorum litteras non ignorare. Præterea licet sermone, phrasi, stylo, barbarum, solœcum, aflectatumque hoc carmen videatur, tamen quid egerint tum temporis homines cum felicitatem nostram aspirare non possent, exinde discimus. Scriptum vero hoc carmen est ante annum Domini 1200. Nam Nicolaus Rievallensis poeta ævo illo non malus diserte hujus distichi secundi caput ponit :

Est Paris absque pari forma, flos unicus orbis.

Ejus versus producit eruditissimus vir. J. Picardius ad Gulielmum Neubrigensem, lib. II De rebus Anglicis, cap. 27. Inventi verò genus novum est, nec tale quid hactenus prodiisse in publicum puto. Illud unum erat dignius argumentum quo suppressionem mereri videri poterat imitatio male feriatorum ingeniorum. At illa, si ineptire proposuerunt, sibi ineptiant sane suo periculo ; nos sævire in nondum bene natum fetum noluimus. Mendum est illis verbis.

Ne me juno feri feriendo potes misereri.

Legendum est *Me me*, quod sequens distichum manifesto docet. Et est allusum illud Maronianum :

Me, me, adsum qui feci, in me convertite ferrum.

Alia monenda erant ; sed otium melius locari poterit.

APPENDIX AD OPERA BERNONIS.

ANNALES AUGIENSES.

(Apud Perz, *Monum. Germ. hist.*, I, 67.)

PARS PRIMA.

Paucis exceptis ex Annalibus Murbacensibus eorumque continuatione Augiensi desumpta.

709. Hiemps durus. Et Gotafreaus dux moritur.
710. Pippinus Alamanniam ingreditur.
725. Sarraceni primitus ingrediuntur.
730. Lantfrid moritur.
731. Obitus Bedæ presbyteri.
734. Karolus Fresiam vastat.
735 Karolus Wasconiam invasit.
741. Karolus moritur.
745. Karlomannus Alamanniam ingreditur.
747. Karlomannus Romam pergit.
751. Lantfrid moritur.
752. Pippinus in regem elevatur.
753. Stephanus papa in Franciam venit.
754. Sanctus Bonifacius martyrizatur. Et Pippinus Italiam intravit.
758. Pippinus rex in Saxoniam ingreditur.
759. Pippinus in Wasconia.
768. Pippinus rex obiit.
770. Karlomannus rex obiit.
771. Karolus rex in Saxoniam.
773. Capta est Italia a Francis, et Karolus Romam pervenit.
777. Karolus Ispaniam ingreditur.
779. Item Karolus in Saxonia. Et fames magna mortalitasque in Francia.
780. Saxonia capta est.

(63) [*Werdo*] abbas S. Galli.

A 781. Item Karolus Romam venit. Et Pippinus baptizabatur.
782. Hiltigart regina obiit.
785. Karolus Romam perrexit. Cruces in vestibus apparuerunt.
786. Karolus per Alamanniam pervenit ad fines Baiariæ.
787. Tassilo dux. . . .
791. Karolus rex Hunorum regnum vastat.
799. Gerolt occiditur.
809. *Egino constituitur* IX *Kal. Septembris.*
811. *Werdo* III *Kal. Aprilis* (63).
812. *Wilto* IV *Kal. Aprilis.*
814. Annus primus Hludowici imperatoris.
816. Berenhartus rex.
B 823. *Visio Wettini.*
829. *Pretiosa* corpora sancti Valentini et *sancti Senesii in* Augiam *insulam* venerunt V *Idus Aprilis.*
836. Hatto episcopus obiit.
838. Puato diaconus palatii lapsus est in Judaismo. *Erlebadus cessit, et Walafrid constitutus est.*
840. Eclipsis solis III Non. Mai, inter octavam et nonam horam, in vigilia ascensionis Domini. Hludowicus obiit.
842. Divisio regni.

843. Judith obiit.
856. Hildigarht obiit.

A 858. Folcwinus abbas obiit, *et Waldarius successit.*

PARS SECUNDA, GENUINA

860. Meginratus heremita martyrizatus est.
864. Waldheri abbas desiit. Hecco successit (64).
868. Visa est cometa manifestissimo.
869. Ictus fulminis Kal. Julii inter decimam et undecimam horam diei.
871. Heco abbas obiit, et Ruadho [1] successit.
873. Ictus fulminis Wormatiam combussit.
875. Ludowicus Cæsar Italiæ obiit, et Karolus rex Galliæ Romam pervenit.
876 [2] Ludowicus filius Ludowici imperatoris obiit. Et bellum inter Ludowicum et Karolum imperatorem.
878. Eclipsis solis IV Kal. Novembris.
B 879. [3] Karolus filius Ludowici regis Francorum et frater Carolomanni et Ludowici Italiam primum intravit.
880. Karolomannus rex Bawariæ obiit.
881. Karolus Romæ Cæsar efficitur.
887. Karolus imperator regno privatur. Et Arnolfus filius Karolomanni in regem elevatur.
888. [3] Karolus imperator obiit.
891. Sunderolt archiepiscopus a Nordmannis occiditur.
896. Arnolfus Romæ Cæsar efficitur. Et in Augia miseria famis et mortalitatis Christiani homines alterius carnem comederunt.
897. II Idus Junii ictus fulminis ante auroram.
899. Ungari Italiam ingressi multa (*mala*) fecerunt C Et Arnolfus imperator moritur. Et Ludowicus filius ejus in regem elevatur.
900. Zuntibold rex filius Arnolfi occiditur [4].
905. Bellum inter Chuonradum et Adalbertum Francos, in quo cecidit Chuonradus.
907. Baioarii et [5] ab Ungaribus interficiuntur.
908. Ungares Saxoniam et Turingiam vastant.
909. Ungares Alemanniam ingressi sunt.
910. Franci ab Ungaribus aut occisi aut fugati sunt.
911. Chuonradus in regem elevatur.
913. Hug abbatiam (65) successit. Ungri partes Alemanniæ vastaverunt, et juxta in fluvium a Bawariis et Allemannis occisi [6] sunt. Hiemps magna nimis.
915. Ungari totam Alemanniam igne et gladio vastaverunt.
917. Ungari per Alemanniam in Alsatiam et usque ad fines Lotharii regni venerunt. Erchanger et Peratolht decollati sunt.
919. Et Chuonradus rex obiit [6].
923. Preciosissimus thesaurus sanguinis Domini in Augiam [7] venit 6 Idus Novembris.
926. Ungari totam Franciam, Alsatiam, Galliam atque Alemanniam igne et gladio vastaverunt. Et Burghardus dux occiditur [8].
927. Hiemps magna nimis (66).
931. Heinricus rex reges Abodritorum et Nordmannorum efficit Christianos, et profectus est in Galliam.
932. Ungari per orientales Francos et Alemanniam multis civitatibus igne et gladio consumptis, juxta Wormatiam Rheno transito, usque ad mare oceanum regnum Galliæ devastaverunt, et per Italiam redierunt.
934. Ungari ab exercitu regis Heinrici occisi sunt, et multi comprehensi sunt.
936. Heinricus rex obiit, et Otto filius ejus in regnum constituitur. Frithuricus (67) archiepiscopus ordinatus.
937. Monasterium sancti Bonifacii et sancti Galli igne consumuntur. Ruodolfus rex et Arnolfus dux C obierunt.
938. Otto rex in Bawarios ibat, illisque resistentibus rediit. Frater ejus Heinricus comprehensus est ab Eberhardo. Illo vero liberato, Eberhardum in exsilium misit, ac iterum Bawarios invasit cum exercitu, omnesque sibi subdidit, nisi tantum unum Arnolfi filium. Interim magna pars Ungarorum a Saxonibus occisa est.
939. Otto rex ibat in Lotheringos usque ad Caprimontem. Interea Ludowicus rex Galliæ invasit Alsatiam. Tunc rex Otto revertens venit ad Prisacam, et obsedit eam; et Ludowicus discessit. Interim vero Eberhart dux occisus est, et Gisilbertus dux in Rheno submersus mortuus est. Postea rex ibat cum exercitu in Lutheringos, et omnes suo sub-D jugavit imperio, præter Metensis [9] episcopum. Nec

VARIÆ LECTIONES.

[1] ruadho *Balux.* [2] *hi numeri desunt in Baluzii editione.* [3] *apud Baluzium initio anni* 899 *collocata sunt, sed certe, quod et annales Colonienses infra edendi evincunt, ut hic factum est constituenda erant.* [4] et *plures hic voces excidisse indicat. cf. Reginon. contin.* [5] succensi sunt *Balux.* [6] *hæc Baluzius anno* 917 *adjungit, nos Reginonis cont. sequimur.* [7] in attigiam *Balux.* [8] *post* occiditur *a Baluzio scribuntur, quæ auctoritate continuatoris Reginonis anno* 932 *adscribenda judicavimus; eadem Hermannus Contractus anno* 937 *refert.* [9] *lege* metensem *aut* metensis urbis.

NOTÆ.

(64) [*Waldheri . . . Hecco*] abbates Augiæ divitis; *Hetto* vel *Heito* legendum.
(65) Augiensem.
(66) In Reginonis contin. anno 928.
(67) Mogontiensis.

non et frater ejus Heinricus, projectis armis, venit ad eum.

953. Mogoncia civitas ab Ottone rege obsessa est.

954. Per loca Germaniæ Galliæque plurima terræmotus magnus factus est.

Anno Dominicæ incarnationis 954, indictione XII, beatæ memoriæ domnus Frithuricus sanctæ Mogontiacensis ecclesiæ archiepiscopus VIII Kal. Novembris obiit. Eodem vero anno ego Willielmus, tantæ successionis indignus, loco ejus cum consensu cleri et populi ejusdem sanctæ sedis, XVI Kal. Januarii, ipsoque die pace inter regem Ottonem et filium ejus Liudolfum facta, in loco Aranstedt, sum electus, et in IX Kal. Januarii Moguntiæ ordinatus.

ANNALES AUGIENSES BREVISSIMI.

(Apud Pertz, *Monum. Germ. hist.*, III, 187.)

MONITUM.

Proponimus eos ex codice bibliothecæ Carlsruhanæ olim Augiensi n. 167, fol. 14, 15, ubi in margine cyclorum Dionysii, qui ab a. 532-1063 porriguntur, manu sæculi IX Scotica scripti sunt. Parvum eorum pretium jam agnovit V. cl. Franciscus Mone, primus eorum editor in *Anzeiger für Kunde der teutschen Vorzeit* IV, 16, 17; nam ante a. 814 vix una notitia anno suo vero ascripta est. Ut tamen antiquarum hujusmodi notitiarum, quantum fieri potest, nihil in opere nostro desideretur, has pariter ac notitias (68) codicis Augiensis n. 254, fol. 1, a V. cl. Molter, bibliothecæ Carlsruhanæ præfecto, iterum benignissime exscriptas, hoc loco sistimus.

Ab initio mundi usque ad nativitatem Christi anni 5199. Ab Adam usque ad passionem Christi anni 5227.

541. Tiberius annis 23.

550. Primus Dionisii circulus a Justino principis anno 6, qui regnavit annis 25.

De hoc pariter Victor Capuanus scripsit.

688. Pipinus primus regnare cœpit.

712. Pipinus moritur.

717. Leo imperator factus est.

726. Karolus, filius Pipini, regnum cœpit.

730. Karolus pugnavit contra Saracenos in Pictavis.

735. Bedæ dormitatio.

739. Karlus moritur Idibus Octobris.

741. Karlomannus et Pipinus regnum cœperunt.

746. Karlomannus Romam perrexit.

Pipinus rex benedictionem regalem accepit.

750. Leo imperator defecit. Constantinus filius ejus regnare cœpit.

766. Pipinus moritur.

767. Karolus et Karolomannus eliguntur in regnum.

769. Karolomannus moritur.

771. Karolus in Italiam perrexit.

800. 6000 ab initio mundi.

814. Karolus imperator obiit.

817. Æd rex Hiberniæ moritur.

(68) *Sunt hæ :* Incipit numerus annorum. Sunt anni ab initio mundi secundum Iheronimum usque ad incarnationem Domini 3957 [*codex habet* III.DCCC.XXXII.LII].

De nativitate Domini usque ad Hludowici regis annum 18 sunt anni 832.

Insimul juncti sunt, faciunt annos 4789.

Sunt anni, ut septuaginta Interpretibus habetur, ab origine mundi usque ad Christum 5199.

A nativitate Christi usque ad annum 19 Hludowici imperatoris sunt anni 832.

Hos insimul junge, faciunt annos 6031.

A morte Gotofredi duces Alamannorum sunt anni 123.

A grando et duro hieme (*scilicet anni* 764) numerantur anni 68 usque 18 annum Hludowici regis [*alia manus ascripsit :* Pba *i. e.* proba].

De subjugatione Italiæ regionis computantur anni 58 [L.::III *c.*, *exeso* V, *quod restitui*].

ANNO DOMINI MLI.

WIPPO

PRESBYTER, CONRADI SALICI ET HENRICI III IMPP. SACELLANUS.

IN WIPPONEM

NOTITIA HISTORICA ET BIBLIOGRAPHICA.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VII, pag. 443.)

Vippon, historien de l'empereur Conrad le Salique, et panégyriste de l'empereur son fils, Henri le Noir, passe communément pour avoir été Allemand de nation (Oud., *Script.* t. II, p. 644; Basnage, etc.).

Mais cette opinion est du nombre de celles qui n'ont pour principe que des préjugés dénués d'examen. Pour peu d'attention qu'on donne à la lecture de ses écrits, on conviendra qu'il était de la Bourgogne transjurane. Lorsqu'il en parle lui-même, c'est avec une affection et un détail de circonstances qui montrent visiblement qu'il s'intéressait plus particulièrement pour elle que pour toute autre province de l'empire. Ceci rapproché de l'endroit où, invitant le roi Henri, avant qu'il fût proclamé empereur, à la visiter, il la nomme sa patrie, prouve qu'elle est effectivement le pays où il avait pris naissance, ce qui ne peut convenir à ce prince.

Irradias patriam, si tu modo viseris eam (1)

L'empereur Conrad le Salique fit la conquête de cette province et la réunit à l'empire en 1033. Ce fut très-probablement alors qu'il prit Vippon à son service. Vippon, qui était prêtre, y entra en qualité de chapelain, et continua d'en faire les fonctions sous l'empereur Henri le Noir. En dédiant à celui-ci l'Histoire de l'empereur son père, il se qualifie lui-même prêtre par la grâce de Dieu, et serviteur des serviteurs des maîtres de ce monde, c'est-à-dire de Conrad et de Henri son fils. Quoique fort valétudinaire, il s'appliquait beaucoup à l'étude, et s'exerçait souvent à la versification, qui paraît avoir eu pour lui un attrait particulier. Il avait lu les historiens et les anciens philosophes, et ne les possédait pas mal pour son temps. Ce qu'il nous apprend de l'entrée qu'il avait dans les conseils de l'empereur Henri et les assemblées publiques, fait juger qu'il était homme d'esprit et au fait du maniement des affaires d'Etat.

Vippon florissait sous les deux empereurs déjà nommés, ce qui fait un espace de plus de trente ans, depuis 1024 jusqu'en 1056, qui est la date de la mort de Henri III, surnommé le Noir. Mais il y a toute apparence qu'il ne vécut pas jusqu'à cette dernière époque. Il s'était proposé d'écrire l'Histoire de ce dernier prince, comme il avait déjà écrit celle de son père; et il ne paraît point qu'il ait exécuté ce dessein. Son dernier ouvrage fut même publié avant que Henri parvînt à l'empire, c'est-à-dire avant l'année 1046. Il ne l'y qualifie effectivement que simple roi, quoiqu'il lui annonce qu'il serait bientôt empereur : *Pie rex Cæsarque future.* Ainsi l'on peut douter si notre panégyriste vécut au delà de 1050 ou 1051.

Avant que Pistorius et Canisius publiassent leurs recueils, Vippon et ses écrits étaient inconnus dans la république des lettres; mais on a su depuis qu'il a composé :

1° L'Histoire de l'empereur Conrad le Salique. Il la dédie à Henri, son fils, par une épître, qui est suivie d'une préface où il fait un peu le philosophe. On voit dans l'une et l'autre pièce les motifs qui l'engagèrent à entreprendre cet ouvrage, et le dessein qu'il s'y proposait. Il se piquait si fort d'exactitude, qu'il prie ses lecteurs de rejeter les fautes qui s'y trouveraient sur ceux qui lui avaient fourni des mémoires; car ses fréquentes infirmités ne lui permettaient pas d'être toujours à la suite de la cour. Par conséquent il fut obligé d'avoir recours à d'autres pour savoir ce qui s'y était passé. Il se flatte, en finissant son écrit, de n'y avoir rien oublié de ce qu'il avait appris ou vu par lui-même des choses qui faisaient à son sujet. Plusieurs autres historiens avant Vippon avaient déjà traité la même matière, ce qui ne l'empêcha pas de l'entreprendre après eux.

Il commence son Histoire par l'assemblée générale qui se tint aussitôt après la mort de l'empereur saint Henri, afin de lui donner un successeur à la couronne de Germanie. Il passe ensuite à l'élection qu'on y fit de Conrad, et à la cérémonie de son sacre : trois événements sur lesquels il s'étend davantage. Il rapporte de suite et avec assez d'ordre les autres actions plus mémorables de son héros, dont il est attentif à marquer ordinairement les époques. L'Histoire de Conrad ne fait pas tellement l'objet principal de Vippon qu'il ne touche aussi les hauts faits du roi Henri son fils, depuis empereur, comme il s'y était engagé d'abord. Quoiqu'il entre dans un certain détail sur l'histoire de l'un et de l'autre, sa narration est cependant un peu succincte, ce qu'il dit avoir observé pour n'être pas à charge à ses lecteurs. S'il y a mieux réussi que plusieurs autres historiens de son temps, il y a suivi le génie de la plupart, en intercalant de fois à autres des vers dans sa prose.

L'écrit de Vippon est intéressant non-seulement en ce qu'il nous apprend plusieurs traits d'histoire échappés aux historiens qui l'avaient précédé, mais encore en ce qu'il nous instruit de la vraie extraction de Conrad et de l'impératrice Gisèle, son épouse, qu'on ignorait auparavant. Le public en est redevable à Jean Pistorius, qui l'a mis au jour entre ses autres Historiens de Germanie, dont le recueil, comme l'on sait, a été imprimé plusieurs fois à Francfort, les années 1582, 1584 et 1607.

2° Vippon a composé un panégyrique de trois cents vers hexamètres ou environ, à la louange du roi Henri le Noir, qui n'était pas encore empereur. Il le publia par conséquent avant l'année 1046, et le dédia à Henri même par une petite épître en prose, dans laquelle il l'intitule Tétralogue. C'est qu'il est divisé en quatre parties autant qu'il y a de personnages qui y parlent : le Poëte, les Muses, la Loi et les Grâces. Il nous apprend ailleurs qu'il le présenta au roi à Strasbourg, où il célébrait la fête de Noël. Quoique ce Panégyrique soit une pièce presque toute d'imagination, il s'y trouve néanmoins quelques faits qui peuvent servir à l'histoire. Mais l'auteur ne s'y montre pas meilleur poëte que les autres versi-

(1) Animadvertit tamen Fabricius (*Biblioth. med. et inf. Lat. VI*, 326 *in Wippone*, ad hunc versum) « *patriam* mediis temporibus idem notasse ac *regionem.* »

ficateurs de son temps. A la fin est ajouté un petit poëme élégiaque, qui fut présenté à la table du même prince. Il roule sur le mystère de Noël, et ne contient d'ailleurs aucune beauté poétique.

Canisius est le premier qui ait tiré de l'obscurité ces deux pièces de la muse de Vippon. Elles sont placées au second volume de ses *Lectiones antiquæ*, d'où elles ont été transportées au III^e^ volume de la nouvelle édition du même recueil par M. Basnage, qui y a fait quelques légères observations.

3° A la fin de l'Histoire de l'empereur Conrad, l'auteur a ajouté un chant lugubre sur la mort de ce prince. En parlant de celui qui l'avait fait, il ne le désigne que par ces termes *quidam de nostris*. Mais il n'est autre que Vippon lui-même, qui se sert de la même expression pour désigner l'auteur du Tétralogue ou panégyrique du roi Henri. Il en rapporte à cette occasion deux vers, qui se lisent un peu différemment dans le corps du poëme; ce qui porte à juger qu'il le retoucha dans une seconde édition qui suivit son Histoire de Conrad le Salique. Vippon présenta ce chant lugubre au roi Henri lorsqu'il était à Constance. La pièce contient neuf strophes chacune de dix petits vers rimés. Mais l'éditeur, en la faisant imprimer, a joint deux vers ensemble dans la même ligne, de sorte qu'au premier coup d'œil on les prendrait pour de grands vers, et les strophes pour n'en contenir que cinq.

4° M. Fabricius, tout à la fin du III^e^ livre de sa Bibliothèque latine du moyen âge, a publié un recueil de Proverbes que le prêtre Vippon dédia à Henri, fils de l'empereur Conrad, comme porte le titre. Ce sont de courtes sentences choisies, qui tendent à former les bonnes mœurs, et que l'auteur a exprimées en cent cinquante espèces de petits distiques rimés, mais sans aucune mesure uniforme. Les vingt-cinq derniers roulent par autant d'antithèses sur les vices et les vertus, dont le caractère de chacune est assez bien représenté. L'écrit est ingénieux et fort instructif.

5° Nous apprenons de Vippon même qu'il avait encore composé un autre poëme de cent vers sur la rigueur extrême du froid qu'il fit en 1033, lorsque Conrad, à qui il le présenta, était occupé à reconquérir, en Bourgogne, les places dont Eudes, comte de Champagne, s'était emparé. Ce poëme est perdu.

VITA CHUNRADI SALICI

IMPERATORIS

Auctore Wippone presbytero.

(Apud Pistorium, *Rerum Germanicarum vet. Script.*, tom. I, pag. 421.)

WIPPONIS EPISTOLA

AD REGEM HENRICUM, CHUNRADI IMPERATORIS FILIUM.

Gloriosissimo imperatori Henrico tertio regi ad pacem et bellum idoneo, Wippo Dei gratia presbyter, servus regalium servorum, hujus orbis Domino dominantium.

Vitam illustrem et inclyta gesta Chunradi imperatoris patris tui, domine imperator, scribere opportunum existimavi, ne lucerna lateat sub modio, ne solis radius sit in nubilo, ne virtus memorialis obducatur oblivionis rubigine. Gesta enim illius nisi præclara et valde lucida præcederent, a sequenti nimio splendore tuarum virtutum viderentur aliquatenus obscurari. Mihi autem servulo tuo is animus est, si Deus annuerit, utriusque acta referre, quæ acciderunt me superstite, ita inter nos distinguendo, ut in alterum remp. utpote Romanum imperium salubriter incidisse, alterum eamdem rationabiliter sanavisse veraciter dicam. Quod si hinc plus vel minus, vel aliter quam se integritas rerum habet, scribo vel dixero, non erit culpa scribentis sed narrantis, quoniam cum plurimum tempus infirmavi, non potui in capella senioris mei Chunradi frequenter adesse. De his autem quæ ipse vidi et ab aliis accepi, fructum a vobis colligere volentibus stylo veritatis innixus propalabo. Et quoniam sunt quædam quæ vivente patre laudabiliter egisti, eadem inter acta patris ponenda censueram. Quæ vero post obitum illius gloriose feceras per se ordinanda decrevi. Si vero aliqui calumniantes objicient mihi hoc opus supervacaneum esse, cum et alii de eadem re scripserint, licet inde non dum aliquid scriptum vidissem, respondebo : In ore duorum testium stabit omne testimonium ; et verba Christi in Evangelio, non per unum solum, sed per quatuor testes idoneos in Ecclesia dilatari. Tibi, summe imperator, hoc opus devoveo, tibi gesta patris repræsento, ut quoties ipse res clarissimas agere meditaris, prius paternas virtutes velut in speculo imagineris, et illud in te floreat abundan-

tius, quod hæreditasti a patriis radicibus, qui ut cunctos antecessores tuos in quibusdam divinis et mundanis rebus superasti, ita regnum et imperium tuum diuturnius omnibus illis, favente Deo omnipotente, merearis obtinere. Vale.

INCIPIT VITA.

PROLOGUS.

Rerum labentium fugitivam memoriam litterarum vinculis connectere, et præsertim Christiani imperii laudes inerti silentio non transire, cum et his qui hoc in hac vita bene administrabant, inde quædam perpetuitatis perduret gloria, tum posteris, si æmulari parentes velint, bene vivendi apposita sit forma, aptum et conveniens esse putavi, quia utile exemplum imitantis animum promptiorem atque firmiorem in rebus agendis reddere solet. Item fit plerumque ut de laude majorum facile noscatur verecundia : et confusio posterorum, si de his saltem non æquaverint, cum gesta eorum, fama docente, laudaverint. Ut enim virtus plerosque vulgares nobilitat, sic nobilitas sine virtutibus multos nobiles degenerat. Præterea videtur non licere de victoriis catholicorum principum tacere, et tyrannorum infidelium triumphos largis vocibus publicare : satis inconsultum est superbum Tarquinium, Tullium et Ancum, patrem Æneam, ferocem Rutulum, et hujusmodi quoslibet et scribere et legere; nostros autem Carolos atque tres Ottones, imperatorem Henricum secundum, Chuonradum imperatorem patrem gloriosissimi regis Henrici III, et eumdem Henricum regem in Christo triumphantem, omnino negligere. Verendum est modernis scriptoribus vitio torporis apud Deum vilescere : cum primitiva auctoritas veteris Testamenti quæ historias Patrum fructifero labore diligenter exarat, novarum rerum frugem in memoriæ cellario recondi debere præfiguret et doceat. Sic Abraham, Loth fratruelem suum in bello liberasse commemoramus, sic filios Israel hostes diversos superasse comperimus. Sic David regis prælia, Salomonis consilia, Gedeonis ingenia, Machabæorum pugnas propter scriptorum copiam præ oculis habemus. Veteres enim philosophi diverso modo Reipublicæ consuluerunt. Referebant plerumque somnia probabilia, quibus animos auditorum inducerent in id quod affirmare instituerunt. Interdum ad idem officium fabulosas narrationes honestis rebus et nominibus velatas, cum hujusmodi figmenta nil philosophiæ refragentur, adiuvenerunt; sæpe apertis disputationibus rationis fidem faciebant Reipublicæ rectoribus animos humanos æternos esse : et, ut refert Macrobius, Socratem dixisse animam post animas non perire; atque omnes pene philosophi humani studii fructum non cum vita ipsius terminari, sed omnes, qui patriam adjuverint, et legem conservaverint, sempiterno ævo feliciter perfrui, justitiæ vero contemptoribus justi Creatoris judicio pœnam reservari indubitanter docuerunt. Animam vero humanam immortalem esse, id ex multis rationibus probarunt, tum inde, quod dum corporeis nexibus inclusa, ea libertate utitur, ut modo sidereos recessus, modo terrestres, interdum marina abdita, quæ nunquam corporaliter videbat, vivaci motu cogitationis percurrat; aliquando vigilante; interdum quiescente corpore, plurima futura suo, non alieno visu, colligat, eaque memoria retineat : nebuloso velamine carnis exuta, multo liberius eadem vivacitate perfruatur, idque credere, quin potius scire maximo usui fore principibus aiebat, qui sæpe per insolentiam torpescentes, sequentis vitæ commoda minus attendunt. Quamobrem victoribus statuas et monumenta quam amplissima fecerunt antiqui, eorumque acta inscribi debere censuerant, ut illis mortuis honor exstaret, ad perpetuam memoriam posteritatis, quorum animas vivere credebant in perpetuum. Licet ipsi humana tantum sapientia investigarent immortalitatem animæ, quæ illis necdum a Christo aut promissa vel ostensa fuerat : hinc tamen adducti, et justitiam ipsi colebant, et hanc rectoribus patriæ, scriptis suis diligenter inculcabant. Acta vero Reipublicæ mori simul cum ejus rectoribus arbitrati sunt, nisi quod accidit notaretur : et propter desidiam silendi maximam perniciem fieri, si ex scriptis remanentibus non pateret illud unumquodcunque sequi defunctum cui vivus abhibuit studium. Nos autem a quibus sermo veritatis eliminavit torporem taciturnitatis, dicens : Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta, cur principibus Christianis et Evangelicæ fidei assertoribus sustinemus negari, quod suis ultro offerant pagani? Si enim nostri catholici reges veræ fidei defensores legem ac pacem Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, sine periculo erroris, gubernant, qui eorum benefacta scriptis suis manifestabunt, quid aliud quam Evangelium Christi prædicabunt? Quamvis animus scribentis vacillet aggredi arduas res maturo consilio, morali gravitate summaque constantia peractas, et si inepto luxu, vel ficta audacia aut cupiditate flagitiosa fiant, res in quibus cunctis scriptorem oportet versari, et in actis eorum, quos notat, vulganda sunt tam gesta quam omissa, prout facultas ingenii dederit, ex qua re boni ad virtutem incitaverat religio, et commendat intentio, et proderit patriæ, et benedictio conducit posteritati. Quod præterit in promptu est, quidquid autem futurum est, non est in prænotione. Qua de re atque spe adductus hæc scribere volui ad communem uti-

litatem legentium, quod audientibus esset jucundum: Nam si quid in his quod inhonestum offeratur, in potestate lectoris ad imitandum erit in propatulo: Quod etiam facio meo provectu, ut qui multis prementibus vitiis corpus, excitante Deo otiositatem velut animæ inimicam his occupatis negotiis vitare valeam. Siquidem cum de publicis gestis paratus sum dicere, præcipue duorum acta regum complector, scilicet Conradi imperatoris atque filii ejus Heinrici tertii, quem Heinricum lineam justitiæ cuncti pene prudentiores cognominant. Patris vero gesta, quæ meis temporibus acciderant, prout ipse vidi, aut relatu aliorum didici, calamis pingentibus, ignaris successoribus effigiabo. Acta autem clarissima filii, quoniam adhuc Dei gratia superstes regnat, quandiu vixero congregare non desinam. Quod si hoc acciderit, ut sicut ante regem hanc vitam mihi contingit introire, sic mihi accidat exire, et eo modo opus meum imperfectum deseram, obsecro post me scribentem, ne pudeat illum meis fundamentis parietes suos superponere : ne spernat stylum cadentem erigere : ne invideat meis cœptis, sicut nollet aliquem invidere suis non finitis. Si enim qui incœpit medium habet, non oportet esse aliquem in hujus operis calce ingratum, qui principium inveniet præparatum. Hæc de procœmii compendio proposui : nunc ad gesta imperatoris veniam : sed prius de electione ejus, quam idonea fuerit, pauca edisseram : ut inde probabilius scribere valeam, si prius qui pontifices vel cæteri principes tunc temporis regni præsidio fuerint, commemorabo.

DE CONVENTU PRINCIPUM.

Anno ab incarnatione Domini 1023, imperator Heinricus secundus, bene compositis imperii rebus, cum jam post longum laborem maturum fructum pacis metere cœpisset, imperio incolumi, mente sana, corporis correptus est infirmitate : qua invalescente III idus Julii hanc vitam excessit. Cujus corpus de Saxonia ad sepeliendum ducitur ad locum qui dicitur Pabemberg, ubi ipse bono zelo ac studio fundavit episcopatum omni ecclesiastico apparatu insignem. Ad cujus dedicationem dominum apostolicum, nomine Benedictum, ascivit, cujus auctoritate ad tutandum locum privilegia publica stipulatione confirmavit. Post imperatoris obitum, Respublica, amisso patre, tanquam desolata, in brevi vacillare cœpit : unde cuique optimo metus et sollicitudo, pessimis autem in voto imperium periclitari erat. Verum divina providentia anchoras Ecclesiæ commisit viris pontificalibus, et his gubernatoribus quales ad ducendam patriam sine jactura in portum quietis, eo tempore superesse oportebat. Nam cum imperator sine filiis obiisset, quilibet potentissimus sæcularium principum vi magis quam ingenio nitebatur, aut fieri primus, aut quacunque pactione a primo secundus, ex qua re discordia pene totum regnum invasit, adeo ut in plerisque locis cædes, incendia, rapinæ fierent, si non is impetus illustrium virorum suffiamine impediretur. Imperatrix vero Chunigunda, quanquam maritali vigore destituta foret, tamen consilio fratrum suorum Theodorici Metensis episcopi et Hetzelonis ducis Bavariæ pro viribus reipublicæ succurrebat, et ad restaurandum imperium aciem ingenii mentisque sollicita consideratione direxit. Res petit ut dicam summorum nomina quædam seu pontificum sive sæcularium principum, qui tunc in regnis vigebant, quorum consiliis consuevit Francia reges eligere, ne ea quæ dicturus sum, quali fortuitu videantur fieri, sed ut quod prudentissimorum virorum consulto cernitur actum, utile et honestum atque optimum factum credatur. Eo tempore archiepiscopatum Moguntiensem rexit Aribo, natione Noricus, nobilis et sapiens aptus regalibus consiliis ; Coloniensem vero archiepiscopatum Pelegrinus tenuit, consanguineus Aribonis providus et ad id officium idoneus : Trevirensem quoque archiepiscopatum gubernavit Poppo, frater Ernesti ducis, vir pius et humilis, qui eodem tempore filium fratris sui ducem Ernestum cum ducatu Alemanico sub tutela habuit : Metensem episcopatum Theodoricus nobilis, et in virtute strenuus possedit : Argentinæ civitati Werinharius episcopus præfuit, generosus in divinis et sæcularibus officiis studiosus : Wurceburgensi Ecclesiæ insedit Marcelinus [Macelinus] sapiens, et in ecclesiasticis dignitatibus fidelis : Pabenbergensem episcopatum Eberhardus rexit primus episcopus illius Ecclesiæ, vir ingenio et moribus Reipublicæ valde necessarius : Constantiensis Ecclesiæ præsul erat Heimo, vir sapiens in Deo, modestus, et providus ad sæculum; Augustam Vindelicorum regebat episcopus Bruno frater Henrici imperatoris, utilis et clarus ingenio, si fraterno odio quo imperatori oberat non obscuraretur : Juvavensem Ecclesiam, quam vulgari sermone Saltzburg dicunt, rexit bonæ memoriæ Guntherus archiepiscopus, frater Eberhardi [*al.*, Eccardi] et Hermanni comitum, mitis et bonus, apud Deum et homines : Radesbonensis Ecclesiæ episcopo erat Burkardus [*al.*, Kebehardus] benevolentiæ gratia conspicuus : Frisengensem Ecclesiam regebat Albertus [Agilbertus] episcopus, providus gubernator cleri et populi sui; cum istis multi alii pontifices et abbates ex iisdem regionibus aderant, quos singulos nominare operis fastidium generat. Saxoniæ præsules, quoniam me latuit quid de vita eorum nominibus addicere conveniret, memorare vitavi, quanquam et eos summis rebus adesse, consulere, succurrere procul dubio perceperim. Italiam transeo cujus principes in brevi convenire ad regiam electionem nequiverunt, qui postmodum in urbe Constantiensi cum archiepiscopo Mediolanensi et reliquis principibus occurrentes regi, sui effecti sunt, et ei fidelitatem libenti animo juraverunt. Duces autem supradictis viris contemporanei hi fuerant, Benno dux Saxoniæ, Adalbero dux Histriæ, Hetzilo dux Boioariæ, Ernestus dux Alemanniæ Lutaringorum dux Fridericus, Ribuariorum dux

Gozelo, Cuno Wormatiensis dux Francorum, Udalricus dux Bohemiæ; Burgundia enim nondum Romano imperio, ita ut nunc, acclivis fuerat. Quod autem subjecta est modo, trium regum gloriæ ascribitur. Secundus Heinricus imperator primum eam subjicere intendit [tentavit,] et bene in hoc studio perseveravit. Deinde Conradus imperator animoso impetu Francos hostiliter ex ea ejecit, belloque eam subjugavit. Ad extremum rex Heinricus pius, pacificus, linea justitiæ, bello et pace eamdem Burgundiam temperavit cum magnificentia: ubi quæ divina providentia tam pacis quam belli consiliis, conciliis et conventibus quibus interdum ipse interfui, peregit, alias commemorabo. Nunc ad propositum redeo. Ungaria autem quam idem rex Heinricus tertius nobili atque admirabili victoria domuit, et post victoriam sapientissimo consilio sibi et successoribus suis stabilivit, prædicto tempore nec audire nos sustinuit.

Supra memorati episcopi et duces cæterique potentes haud aliter periculum minitans melius aut citius evadere rati, summa ope et industria memorabili utebantur ne Respublica diutius sine regente nutaret. Privata consilia et animos singulorum cui quisquam consentiret, cui dissentiret, aut quem sibi dominum optaret, epistolarum et legatorum commoditas conferebat, neque id in vacuum. Nam providentiæ est interius præparare quo foris indiges, et consilium ante opus, semen est sequentis fructus. Frustra enim ab altero auxilium exspectas, si ignoras quid desideres. In rebus arduis secreto consulere, paulatim deliberare, velociter facere, bonum exitum habebit. Tandem condicta est dies, notatusque locus, fit publicus conventus, qualem me vidisse antea non memini. In quo conventu quid actum sit dignum memoria scribere non differam.

DE ELECTIONE REGIS.

Inter Moguntiæ confinia et Wormatiæ locus est amplitudine planitiei causa multitudinis maximæ receptibilis: ex insularum recessu ad secretas res tractandas tutus et habilis, sed de vocabulo et situ loci plenius dicere topographis relinquo, ego autem ad incœptum redeo. Ibi dum convenissent cuncti primates, et ut ita dicam vires et viscera regni, cis et circa Rhenum castra locabant. Qui, dum Galliam a Germania dirimat, ex parte Germaniæ Saxones cum sibi adjacentibus Sclavis, Franci Orientales, Norici, Alemanni convenere.

De Gallia vero Franci qui supra Rhenum habitant, Ribuarii, Lutharingi, coadunati sunt. Quæritur de re summa, dubitatur de electione incerta: inter spem et metum suspensi, alterna desideria cum invicem cognati, tum inter se familiares diutissime explorabant. Neque enim de mediocri re consulendum fuerat, sed de ea quæ nisi ferventi pectore maximo studio coqueretur, ad perniciem totum corpus regni terminaretur. Et ut proverbiis communibus utar, expeditori bene coquere cibum, qui crudus sumptus generat periculum, et, ut aiunt, medicamen in oculis ponendum caute est providendum. Eodem modo cum diu certaretur quis regnare deberet, cumque alium ætas vel nimis immatura, vel ultra modum provecta, alium virtus inexplorata, quosdam insolentiæ causa manifesta recusaret: inter multos electi pauci sunt, et de paucis admodum duo sequestrati sunt, in quibus examen extremum summorum virorum summa diligentia diu deliberatum in unitatis puncto tandem quievit. Erant duo Chunones quorum unus, quod majoris ætatis esset, major Chuno vocabatur, alter autem junior Chuno dicebatur, ambo in Francia Teutonica nobilissimi ex duobus fratribus nati. Quorum alter Hetzel et alter Chuno dictus est: ipsos vero ab Ottone duce Francorum natos accepimus, cum duobus aliis Brunone et Willelmo; ex quibus Bruno apostolicæ sedis Romanæ Ecclesiæ papa effectus, mutato nomine, Gregorius appellatus est. Wilhelmus, factus Argentinensis Ecclesiæ episcopus, miro modo eam sublimavit. Prædicti duo Chunones, cum essent, ut dictum est, ex parte genitorum nobilissimi, haud secus ex materno genere claruerant. Junioris Chunonis mater Machilda de filia Chonradi regis Burgundiæ [Longobardiæ] nata fuit. Majoris Chunonis mater Adelberta [*vel* Adelbera, *vel* Adelheyda] ex nobilissima [gloriosissima] gente Lotharingorum orunda fuit. Quæ Adelhayta soror erat comitum Gerhardi et Adelberti, qui semper cum regibus et ducibus confligentes, ad extremum causa propinqui sui Conradi regis vix acquiescebant; quorum parentes (ut fertur) de antiquo genere Trojanorum regum venerant, qui sub beato Remigio confessore jugo fidei colla supponebant. In his duobus, id est, in majore Chunone et juniore (minore) diu pendebat reliqua nobilitas; et quanquam majorem Chunonem secretiori consilio et avido desiderio propter virtutem et probitatem illius pene omnes eligerent, tamen propter junioris potentiam, ne pro honoris ambitione dissiderent, animum suum ingeniose quisque dissimulabat. Ad extremum vero divina providentia contigit, ut ipsi inter se convenirent quodam pacto in tam dubia re satis convenienti, ut si quem illorum major pars populi laudaret, alter eidem sine mora cederet. Æstimo quod dignum sit dicere qua ratione major Chuno suum prodidit ingenium, non quod ipse desperaret rex fieri, unde jam nutum Dei principum cordibus inspirari [inspiratum] percepit, sed ut cognati animum, quo minus in novis rebus perturbaretur, confirmaret. Hac igitur præstantissima oratione illum alloquitur: « Rebus prosperis condignum gaudium, nec gravitatis modum excedit, nec quanquam ingratum esse pro acceptis beneficiis sinit, et sicut in adversis damnosa pusillanimitas ad deteriora trahit, sic in secundis honesta jucunditas hominem ad meliora ducit, et parum valet fructus partæ felicitatis, qui moderata alacritate non pascit animum laborantis. Hoc modo animi mei vigorem magnis gaudiis augeri sentio, quod ex tanta concione consensus parilis omnium nos duos solummodo prævi-

debat, quorum alterum regali fastigio locaret. Neque enim æstimare debemus vel nobilitate. vel divitiis propinquos nostros antecedere; aut aliquid nos promeruisse tanta veneratione dignum, verbis, manibus non oportet extollere. Majores nostri gloriam suam factis quam dictis prodere maluerunt, communi vita contentos esse decebit quoslibet inter æquales. Quidquid autem, id est, quod ad aliquid habiliores reliquis putamur, inde grates auctore Deo reddamus. Nobis ergo cogitandum est ne qui aliena consensione digni tanto honore æstimati sumus, proprio et familiari dissidio indigni hac gratia videamur. Stultum est enim aliena potestate pro sua nimium abuti. In omni electione nemini licet de seipso judicare, licet autem de alio.

Quod si alicui de se liceret, quot regulos, ne reges dicam, videremus. Vota, studia, consensus Francorum, Lotharingorum, Saxonum, Noricorum, Alemannorum qui optimam voluntatem habebant, ad nos conferebant, tanquam ad unius stirpis propaginem, veluti ad unam domum, sicut ad indissolubilem familiaritatem, quos ex tam multis connexos dissolvi posse inimicitiis nemo suspicabitur. Concordare decet, quotquot natura ligavit, quæ sibi cognatam jungit amicitiam. Quod si ultro oblata ab aliis aliqua re impediente rejicimus, hoc est, si invicem discordamus, certum est quod populus tunc velit nos deserere, ac tertium quemlibet sibi quærere, et nos non tantum summo honore privabimur, sed quod omnibus bonis morte detestabilius est, infamiam ignaviæ incidemus; quasi et tanti regiminis virtutem non possumus sustinere, et alter alterius, quod inter consanguineos magnum nefas esse puto, credere nollet honori. Maximus igitur honor, summa potestas circa nos adhuc versabitur, et ita ad nos pervenit, ut si velimus, in altero nostrum remaneret. Quocirca mihi videtur si in uno de nobis hic honor coadunatus remanserit, ut alter ejusdem honoris participatione ulterius quodammodo non careat: sicut enim in regnum parentes, quamvis cuncti reges non sint, honoris quædam derivatio transfunditur, sic et hi qui conscripti et prænominati ad potestatem fuerint, licet ad hanc non perveniant, tamen honore quodam inde nato penitus non carebunt; non ad suam dignitatem immeriti non exigerentur. Præterea si regum cognati propter reges honorantur, cumque omnes erga nos tales esse velint, quales invicem consentanea mente fuerimus, et eo modo provectus alterius ex altero pendeat; qui feliciores nobis esse poterunt, si alter regnabit? alter regnanti, publicam rem, per benevolentiam suam quasi præstabit? Quare cauti simus; alienum propinquo, incertum certo non præferamus; ne hodierna dies huc usque pro tali arbitrio satis læta et jucunda, longi temporis infortunium nobis pariat: sic conceptam tanti populi benignitatem male inter nos tractabimus. Quod ne fiat ex mea parte, omnium cognatorum meorum dilectissime, quid de te sentiam, dicere volo. Si animum populi cognovero te velle, te desiderare in dominum et regem, nullo malo ingenio hanc benevolentiam a te revocabo, quin potius te eligam tanto avidius cæteris, quanto me sperabo tibi gratiorem illis. Si autem Deus ad me respexerit, debitam vicem mihi a te rependi non dubito. Ad hæc minor Chuno respondit totam hanc sententiam sibi acceptam fore, seque illi sicuti cognato charissimo, si eum res summa vocaret, omnem regiam fidelitatem facturum certissime promisit. Inter hæc verba major Chuno pluribus videntibus paululum se acclinans, cognatum osculatus est; quo osculo primum deprehensum est, utrumque illorum alteri acquievisse. Hinc sumpto judicio concordiæ, consedere principes: populus frequentissimus adstabat:

Tunc quod quisque diu velatum corde tegebat,
Ferre palam licitum gaudebat tempus adesse.

Archiepiscopus Moguntiensis, cujus sententia ante alios accipienda fuit, rogatus a populo quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce laudavit et elegit majoris ætatis Chunonem suum in dominum et regem, atque rectorem et defensorem patriæ. Hanc sententiam cæteri archiepiscopi et reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter sequebantur. Junior Chuno paululum eum Lotharingis placitans, statim reversus maximo favore illum ad dominum et regem elegit; quem rex manu apprehendens fecit illum consedere sibi. Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis sæpissime repetebant: fit clamor populi, omnes unanimiter in regis electione principibus consentiebant; omnes majorem Chunonem desiderabant, in illo persistebant: ipsum cunctis dominantibus nihil hæsitando præposuerunt, eumdemque regali potentiæ dignissimum judicabant: et ut nulla mora consecrationis illius fieret, postulabant, supradicta imperatrix Chunegunda regalia insignia quæ sibi imperator Henricus reliquerat gratanter [non gravate] obtulit, et ad regnandum quantum hujus sexus auctoritatis est, illum corroboravit. Credo quidem huic electioni cœlestium virtutum favorem non deesse, cum inter singularis potentiæ viros tot duces, et marchiones absque invidia, sine controversia is eligeretur, qui licet genere et virtute atque in propriis bonis nemine esset inferior, tamen de republica, ad comparationem talium virorum parum beneficii et potestatis habuit. Quanquam archiepiscopus Coloniensis, et dux Fridericus cum aliis quibusdam Lutheringis causa junioris Chunonis, ut fama fuit, imo hoste pacis, diabolo instigante, impacati discederent; qui tamen cito reversi, ad gratiam regis, propter eos quos communis conditio mortis præoccupavit, quidquid ipse præceperat, gratanter accipere, et archiepiscopus Peligrinus, quasi pro emendatione prioris culpæ, impetrabat a rege ut sibi liceret in Ecclesia Coloniensi reginam consecrare. De qua in sequentibus dicturus, nunc ad regem revertar. Vere Dei nutu electus est in quo ipse providit testimonium quod postea rex accepit ab hominibus. Erat enim

vir magnæ humilitatis, providus consilio, verax in dictis, strenuus in factis, minimum avarus, omnium regum in dando liberalissimus; de cujus moribus postmodum plenius dixero. Illud tantum [tamen] hic dicendum est, quæ nequaquam potuit remanere ut ille non fieret princeps et maximus, cum maximarum virtutum vigor inerat. Cum enim scriptum sit, gloriam præcedit humilitas, merito præcessit hujus mundi gloriosos, cui regina virtutum adhærebat. Igitur non erat fas alicui in terra militare, quem Deus omnipotens prædestinavit omnibus imperare.

DE CONSECRATIONE REGIS.

Peracta electione regem sequi Moguntiam, ut ibi sacratissimam unctionem acciperet, cum claritate maxima omnes properabant. Ibant gaudentes, clerici psallebant, laici canebant, utrique suo modo: tantas laudes Deum accepisse ab hominibus, una die in loco nondum comperiebam. Si Carolus magnus cum sceptro vivus adesset, non alacrior populus fuisset, nec plus gaudere valeret de tanti viri reditu, quam de istius regis primo accessu. Rex pervenit Moguntiam : ibi honore debito receptus, consecrationem suam omnibus desiderabilem devotus præstolabatur. Ad quem benedicendum in die Nativitatis sanctæ Mariæ, cum archiepiscopus Moguntiensis et omnis clerus solemniter se præpararent, inter sacra officia regiæ unctionis archiepiscopus hoc ad regem usus est sermone : « Omnis potestas fluitantis sæculi de uno fonte purissime derivatur. Solet autem accidere, ut cum plures rivuli de eodem principio procedant, alio tempore sint turbidi, alio lucidi, fonte capitali in puritate sua permanente; eodem modo quantum humana conditio creatorem et creaturam inter se conferre audet, de Deo rege immortali et terrenis regibus conjicere volemus. Scriptum est enim : Omnis potestas a Deo est. Is omnipotens rex regum, totius honoris auctor et principium, quando in principes terræ alicujus dignitatis gratiam transfundit, quantum ad naturam principii pura et munda. Cum autem perveniret ad eos qui hanc dignitatem indigne tractaverunt, et eam cum superbia, invidia, libidine, avaritia, ira, impatientia, crudelitate polluerint, sibi et omnibus subjectis, nisi pœnitendo se purgaverint, periculosum potum iniquitatis propinabunt. Oret et intercedat ad Dominum omnis Ecclesia sanctorum, ut dignitas, quæ hodie pura Domino et regi nostro Conrado præsenti a Deo præstatur, inviolata quantum hominis est ab eo servetur. Tecum et propter te nobis est sermo, domine rex; Dominus qui te elegit ut esses rex super populum suum, ipse te prius voluit probare, et postmodum regnare : flagellat enim omnem quem recipit : dignabatur corripere quem voluerat recipere; placuit ei humiliare, quem proposuit exaltare. Sic Deus Abraham servum suum tentavit, et tentatum glorificavit; sic David famulum suum Saul regis iram, persecutionem, injurias et latibula deserti, fugam, exsilium pati permisit, quem postea regem gloriosissimum in Israel fecit : beatus qui suffert tentationem, quoniam hic accipit coronam. Non sine causa te Deus exercuit ; fructum sequentem in te dulcificavit ; permisit antecessoris tui imperatoris Henrici gratiam perdere, et eamdem iterum recipere; ut scias modo his misereri, qui perdunt gratiam tuam : passus es injurias, ut nunc scias misereri sustinentibus injurias : pietas divina voluit te esse sine disciplina, ut post cœleste magisterium Christianum caperes imperium. Ad summam dignitatem pervenisti, vicarius es Christi. Nemo nisi illius imitator verus est dominator; oportet, ut in hoc solio regni cogites de honore perenni. Magna felicitas est in mundo regnare, maxima autem. in cœlis triumphare. Cum vero Deus a te multa requirat, hoc potissimum desiderat, ut facias judicium et justitiam ac pacem patriæ, quæ semper respicit ad te : ut sis defensor Ecclesiarum et clericorum, tutor viduarum et orphanorum : cum his et aliis bonis firmabitur thronus tuus hic et in perpetuum. Et nunc, domine rex, omnis sancta Ecclesia nobiscum rogat gratiam tuam pro his qui contra te hactenus deliquerunt, et offensione aliqua gratiam tuam perdiderunt. Ex quibus est unus, Otto nomine, vir nobilis qui te offendebat, pro illo et reliquis omnibus clementiam tuam oramus, ut illis dimittas pro charitate Dei, qui te hodie in virum alterum mutavit, et numinis sui participem fecit; quatenus ipse tibi eamdem vicem pro universis delictis tuis dignetur rependere. » In hoc sermone rex misericordia motus, ingemuit et ultra quam credi possit, effluebat in lacrymis. Deinde, sicut episcopi et duces cum universo populo flagitabant, omnibus quod adversus illum deliquerant, dimisit. Hoc omnis populus gratanter suscipiebat. Omnes manifesta pietate regis præ gaudio plorabant :

Ferreus esset homo, qui plangere non potuisset,
Quod tantas culpas ignovit tanta potestas.

Et quanquam vindicare posset suas injurias, si nunquam rex fieret, tamen pro nulla tantæ potestatis fiducia ad ulciscendum aliquid reservabat. Peractis decentissime divinis officiis, et regali consecratione, rex processit, et sicut de Saul rege legitur, quasi ab humero sursum cunctis altior ibat, et veluti in quamdam habitudinem antea non visam in illo transformatus, cum sacro comitatu, alacri vultu, honesto incessu ad cubiculum redlit. Inde ad mensam regali apparatu receptus, eam diem regiæ speciei primitivam officiosissime consumpsit.

DE DISPOSITIONE CURIALI ET DE REGINA.

De fidelitate facta regi minus necessarium dicere puto, frequenti usu teste, quod omnes episcopi, duces et reliqui principes, milites primi, milites gregarii, quin ingenui omnes, si alicujus momenti sint, regibus fidem faciant. Hinc tamen sincerius et libentius jurando omnes subjiciebantur, similiter in dispositione curiali, quem rex majorem domus statueret, quos cubiculariorum magistros, quos infertores et pincernas, et reliquos officiarios ordinaret, diu non

est supersedendum cum illud breviter dicere possim, quod nullius antecessoris sui ministeria aptius et honorificentius provisa memini vel legi. Ad quam rem plurimum voluit ingenium Augustensis episcopi Brunonis et Wernheri Argentinensis episcopi consilium. Sic etiam Werniharii militis, quem rex longe ante cautum consiliis, audacem bellis, frequenter secum experiebatur, superbos omnes dilecta regis conjux Gisela prudentia et consilio viguit, cui pater erat Herimanus dux Alemanniæ; mater ejus Kerbirga, filia Conradi regis de Burgundia fuit, cujus parentes de Caroli Magni stirpe processerant; unde quidam de nostris in libello, quem Tetralogum nominavit, et postea regi Henrico tertio, cum natalem Domini in Argentina civitate celebraret præsentavit, inter alios, duos versus edidit hoc modo :

Quando post decimam numeratur linea quarta
De Carolo Magno procedit Gisela prudens :

Cum tantæ nobilitatis esset et formæ decentissimæ, minimæ extollentiæ fuit, in Dei servitio timorata, in orationibus et eleemosynis assidua, et hoc ut secretius potuit, attendens illud Evangelicum, ne justitiam suam faceret coram hominibus. Erat enim liberalis ingenii, illustris solertiæ, avida gloriæ, non laudis; pudoris amans, feminei laboris patiens, incassum minime profusa, in rebus honestis et utilibus abunde larga, dives in prædiis, summos honores bene tractare perita. Hæc quorumdam hominum invidia quæ sæpe ab inferioribus fumigat ad superiores, per aliquot dies a consecratione impediebatur. Cæterum si illud odium juste an injuste pertulerit, adhuc in questione moratur : tamen virilis probitas in femina vicit, et ex consensu et petitione principum consecrata, necessaria comes regem sequebatur. Hæc de regina interim breviavi, intermissis regalibus gestis, nunc ad eadem revertar.

DE PRIMIS GESTIS CHUONRADI REGIS.

Ad gesta inclyti regis Chuonradi stylo revoluto, quædam sunt dicenda, quæ in ipsa die consecrationis suæ fecerat; quæ licet parva videantur, mysterio tamen quodam magnifice pollent. Sed quoniam historia publica scribitur, quæ animum lectoris ad novitatem rerum, quam ad figuras verborum attentionem facit, magis videtur congruere, ipsam rem integram persequi, quam mysticis rationibus aliquid promiscue commentari. In ipsa processione regis tres venerunt ante illum, cum singulis querimoniis; unus erat colonus Ecclesiæ Moguntiensis, alter pupillus fuit, et quædam vidua. Dum rex eorum causas audire cœpisset, quidam de principibus suis avertebant eum dicentes, ne consecrationis suæ aliquam moram faceret, et matura divina officia audiret; respiciens ad episcopos, ut vicarius Christi Christianissime respondebat : Si meum est regimini insistere et id viri constantis est nequaquam differre quod apte fieri valet; rectius mihi videtur facere quod debeo, quam quid faciendum sit audire ab alio. Memini vos sæpe dixisse non auditores legis, sed factores justificari. Si autem ad consecrationem, ut dicitis, festinandum est, tanto cautius in opere Dei gressus meos convenit mihi firmare : quanto me arduæ dignitati cognosco propinquare. Hæc dicens, in eadem statione moratus, ubi primum occurrerant illi calamitosi, passibus immotis legem præfecerat illis. Hinc paululum procedens, venit ante illum quidam, dicens se expulsum esse patria omnino sine culpa. Quem rex per brachium apprehendens, super omnes circumstantes attraxit usque ad solium suum, ibique causam miseri cuidam principum suorum diligenter commendavit. Felix initium regnandi cernitur esse, ubi plus festinatur ad faciendam legem, quod ad benedicendum regem. Abundantius erat in rege studium miserationis quam desiderium consecrationis : per semitam justitiæ incedebat, quando regium honorem petebat. Poterat dicere cum Psalmista : *Pes meus stetit in via recta.* Firmavit se per gratiæ bonum priusquam conscenderet judicialem thronum. Timebat præcipitari si non esset equus in altitudine regali. Satis erat laudabile inter nova gaudia, inter deliciosa regis ministeria, tot pauperum clamores audire, et eorum causas finire.

Noluit negligere, quod cito potuit regere; renuit justitiam dilatare, quoniam illud erat regnare. Distulit suam benedictionem propter regium honorem, scriptum est enim : « Honor regis judicium diligit. »

In cunctis rebus nil sic prodesse valebit,
Sicut judicium regis ad officium.

Ita rex in talibus causis, pro quibus maxime regia auctoritas interpellari solet, hoc est pro Ecclesiarum, viduarum, orphanorum defensione, ad reliqua regimina sibi ea die viam præparavit.

DE ITINERE REGIS PER REGNA.

Omnia regis itinera, et in quibus locis summas festivitates Natalis Domini et Paschæ annuatim celebraret, non nimis necessarium narrare putavi, excepto quod id dicendum est sicubi fuerat, si quid insigne et clarum acciderat. Si enim omnia observare vellem, ante me desererent vires quam materies. Ad gesta illius clarissima quanto ocius potero veniam, in quibus tantum gloriæ eminet, ut de minoribus silere nemini fiat ingratum. Collecto regali comitatu, rex Chonradus primum per regionem Ribuariorum, usque ad locum qui dicitur Aquisgrani palatium pervenit, ubi publicus thronus regalis ab antiquis regibus, et a Carolo præcipue locatus, totius regni archisolium habetur. Quo sedens excellentissime rempublicam ordinavit, ibique publice placito et generali concilio habito, divina et humana jura utiliter distribuebat : fama ejus vires de virtutibus sumpsit : hodie quam heri pro tenore pacis præstantior, pro benevolentiæ gratia charior, pro regali comitatu honoratior habitus est omnibus. Quanquam enim litteras ignoraret, tamen omnem clerum, cum amabiliter et liberaliter palam, tum convenienti disciplina secreto prudenter instituit. Militum vero animos in hoc multum attraxit, quod

antiqua beneficia parentum nemini posterorum auferri sustinuit. Præterea in donariis frequentibus, quibus eos fortia audere coegit sui similem in toto mundo non posse reperiri æstimaverunt. Suspiciosum est relatu, quam munificus fuit, quam jucundus, quam constantis animi, quantum imperterriti, bonis omnibus blandus, malis severus, in cives benignus, in hostes acerbus, in rebus agendis efficax, quam maximo usui foret regno infatigabilis erat : in brevi tantum proficiens ut nemo dubitaret, post Caroli Magni tempora, aliquem regali sede digniorem non vixisse; unde exstat proverbium : Sella Chuonradi habet ascensoria Caroli. De hoc proverbio quidam de nostris in libello quem Gallinarium vocavit, satyra quarta protulit hunc versum :

Chuonradus Caroli premit ascensoria regis
Talibus indiciis nomen seu gloria regis.

Gentium regiones transcendit, marinos fluctus transnatavit, passim divulgabatur virtus quæ in exhausto vigore semper emanabat. Reversus rex de Ribuariis ad Saxoniam venit, ibi legem crudelissimam Saxonum, secundum voluntatem eorum, constanti auctoritate roboravit. Deinde a barbaris qui Saxoniam attingunt tributa exigens, omne debitum fiscale recepit. Inde Bajoariam et orientalem Franciam pertransiens, ad Alemanniam pervenit. Quo transitu, regna pacis fœdere et regia tuitione firmissime cingebat.

QUALITER REX CUM ITALIS PLACITAVIT.

Anno primo regni sui Chuonradus rex diem sanctum Pentecostes in Constantia civitate celebravit; ibi archiepiscopus Mediolanensis Heribertus cum cæteris optimatibus Italicis regi occurrebat; et effectus est suis, fidemque sibi fecit per sacramentorum et obsidum pignus, ut quando veniret cum exercitu ad subjiciendum Italiam, ipse eum reciperet, et cum omnibus suis ad dominum et regem publice laudaret, statimque coronaret. Similiter reliqui Longobardi fecerant propter Ticinenses, qui et alio nomine Papienses vocantur, quorum legati aderant cum muneribus et amicis, molientes ut regem pro offensione civium placarent, quanquam id adipisci a rege juxta votum suum nullo modo valerent. In qua autem re offenderint, breviter absolvam. Erat in civitate Papiensi palatium a Theoderico rege quondam miro opere conditum, ac postea ab imperatore Ottone tertio nimis adornatum. Cognito autem obitu imperatoris Heinrici antecessoris Chuonradi regis, ut mos est hominum semper in novis rebus intemperanter se habere, statim Papienses inconsulto ad bellum aulam ruentes,

Ausibus illicitis fregerunt mœnia regis.

totumque palatium usque ad imum fundamenti lapidem eruebant, ne quisquam regum ulterius infra civitatem illam palatium ponere decrevisset. Ex qua audacia diu magna controversia inter regem et Papienses habita est. Dicebant Papienses : Quem offendimus? imperatori nostro fidem et honorem usque ad terminum vitæ suæ servavimus; quo defuncto, cum nullum regem haberemus, regis nostri domum destruxisse non jure accusabimur. E contrario rex : Scio, inquit, quod domum regis vestri non destruxistis, cum eo tempore nullum haberetis; sed domum regalem scidisse non valetis inficiari. Si rex periit, regnum remansit, sicut navis remanet cujus gubernator cadit; ædes publicæ fuerant, non privatæ juris erant, alieni non vestri. Alienarum autem rerum invasores regi sunt obnoxii. Ergo vos alienæ rei invasores fuistis, igitur regi obnoxii estis. Hujuscemodi verbis pluribus instanter objectis legati frustra tentatam pacem relinquentes abierunt. Reliqui vero Italici amplissimis donis a rege honorati in pace dimissi sunt. Rex vero bene ordinato regno Sueviæ ad castrum Turicum perrexit ibique quosdam Italicos, qui ad Constantiam non venerant, ad dominium suum recepit. Inde post paucos dies ad Basileam civitatem pervenit.

QUOD REX CHUONRADUS BASILEÆ EPISCOPUM CONSTITUIT.

Basilea civitas sita est in quodam triviali confinio, id est, Burgundiæ, Alemanniæ et Franciæ : ipsa vero civitas ad Burgundiam pertinet. Hanc civitatem invenit rex vacuatam episcopo, cujus provisor Adalbero ante tres menses quam rex veniret, migravit a sæculo. Ibi Simoniaca hæresi subito apparuit, et cito evanuit : nam dum rex et regina a quodam clerico nobili viro, nomine Udalrico, qui ibi tunc episcopus effectus est, immensam pecuniam pro episcopatu susciperent. Postea rex pœnitentia motus, voto se obligavit pro aliquo episcopatu vel abbatia nullam pecuniam amplius accipere, in quo voto pene bene permansit; sed filius ejus tertius, Heinricus, qui postea rex et Augustus effectus est, optime et sine scrupulo patrium votum expiavit; quia in omni vita sua pro omnibus dignitatibus ecclesiasticis unius oboli pretium non dicitur adhuc accepisse. Rex vero Chuonradus colloquio regali habito Basileæ, et terminis Burgundiæ ultra voluntatem Rudolphi ejusdem Burgundiæ regis diligenter præoccupatis, per Rhenum usque Saxoniam pervenit. Quare autem Rudolphi regis meminerim breviter dicam. Iste Rudolphus rex Burgundiæ in senectute sua regnum molliter tractaret, maximam invidiam apud principes regni sui comparans, secundum Heinricum imperatorem, filium sororis suæ in regnum invitavit, eumque post vitam suam regem Burgundiæ designavit, et principes regni jurare sibi fecit. Ad quam rem commendandam imperator Heinricus infinitam pecuniam sæpe et sæpissime consumpsit, sed defuncto imperatore Heinrico, Rudolphus rex promissa sua irrita fieri voluit. Chuonradus autem rex magis augere quam minuere regnum intentus, antecessoris sui labores metere volens, Basileam sibi subjugavit, ut animadverteret, an rex Rudolphus promissa attenderet. Quos postea Gisela regina, filia sororis ipsius regis Rudolphi, bene pacificavit.

DE BOLISLAO DUCE SCLAVORUM.

Eodem anno, quem supra notavimus, Bolislaus Sclavigena, dux Bolonorum insignia regalia et regium nomen in injuriam regis Chuonradi sibi aptavit : cujus temeritatem cito mors exinanivit. Filius autem Misico similiter rebellis fratrem suum Ottonem, quoniam regis partibus favebat, in Ruhniam provinciam pepulit. Qualiter vero ejusdem Misiconis protervitatem et cujusdam Udalrici ducis Bohemiæ perfidiam rex Chuonradus postea compesceret, in loco suo dicam.

DE INIMICITIA INTER REGEM ET ERNESTUM DUCEM.

Eodem tempore, hoste pacis diabolo suadente, Ernestus dux Alemanniæ, Chuno dux Franciæ, Fridericus dux Lotharingorum, cum aliis plerisque contra regem Chuonradum consenserunt, et multa molientes, multas munitiones incassum præparantes, nihil nisi calamitatem futuram assecuti sunt : Quos omnes rex Chuonradus parvipendens, iter suum in Italiam cum copiis destinavit. Sed dux Ernestus humiliter iter ejus prosecutus usque Augustam Vindelicam, interventu matris suæ reginæ et fratris sui Heinrici adhuc parvuli aliorumque principum, multum renuente rege, vix in gratiam ejus receptus est.

QUOD REX CUM EXERCITU IN ITALIAM REDIIT.

Anno incarnationis Christi 1026, Chuonradus rex consilio et petitione principum regni filium suum Heinricum puerum regem post se designavit, illumque Brunoni Augustensis Ecclesiæ episcopo in tutelam commendavit; et supra dictis hostibus suis insidias per filium, et cæteros fideles suos diligenter opponens, ipse cum exercitu copioso Italiam petere cœpit; in qua expeditione, supra dictus Ernestus dux Alemanniæ, aliquantulum regi militans Campidonensem abbatiam, licet contra fas et jus esset, liberam rem nisi liberaliter servire, in beneficium accepit a rege, et ad tutandam patriam honorifice remissus est.

QUOD REX PAPIENSES AFFLIXERIT.

Rex ingressus Italiam per Veronam inter Mediolanum et Papiam, Vercellas venit, ibique sanctum Pascha celebravit. In ipsis diebus paschalibus Leo ejusdem civitatis antistes, vir multum sapiens, mundum cum pace reliquit, cui Hardericus Mediolanensis canonicus successit. Rex vero jam totam pene Italiam planam suæ ditioni subjugavit : Papiensem urbem, quoniam valde populosa fuit, subito capere non potuit; ipsos Papienses in gratiam recipere noluit, quia palatium quod dexstruxerant in loco ubi prius fuerat reædificare adhuc renuebant, sed defensores eorum Adelbertum marchionem et Wilhelmum, et cæteros principes in iisdem terminis mirabiliter opprimere cœpit; castrum eorum nomine Urbam desolavit, et plura alia castella et munitiones firmissimas dissipavit. Ea tempestate grande malum factum est in Italia, propter contentiones Papiensium : multæ eorum Ecclesiæ, in circuitu cum ipsis castellis incensæ sunt, et populus, qui illuc confugerat, igne et gladio periit; agri vastati sunt, vineæ truncabantur; exitum et introitum rex prohibebat, navigium abstulit, mercimonia vetuit, et ita per biennium omnes Ticinenses afflixit, donec omnia, quæ præcepit, omni dilatione postposita compleverant.

DE SEDITIONE QUÆ RAVENNÆ FACTA EST.

Eodem tempore rex Chuonradus Ravennam intravit, et cum magna potestate ibi regnavit. Quadam die miseri Ravennates litem cum exercitu regis commovebant, et in multitudine sua confisi, exercitum de civitate expellere conati sunt, et per cujusdam portæ angustias eos qui foris erant prohibebant interioribus succurrere. Excito tumultu bellum undique cœpit ingravescere. Quidam in domibus hospites suas aggressi sunt; alii in plateis pugnabant, alii portas obsidebant, plures de muris, multi de turribus altis ignavum prælium cum saxis et sudibus commiserunt. E contra Teutonici armis et ingenio reluctantes, factis agminibus ante et retro, Ravennates circumdabant; et sævientibus gladiis viam ad invicem facientes, eos qui fuerant medii, mortuos aut sauciatos, vel fugientes reliquerunt. Quidam comes nomine Eppo, optimus miles de Bajoaria, cum Panone civitatem exiens, eos qui pontem superstabant subjugavit, et plurimi eorum per illum solum de ponte præcipitati, in aqua necati sunt. Rex vero Chuonradus, sicut erat in cubiculo, hanc seditionem intelligens, arma corripit, equum poscit, et egressus atrium uti vidit Ravennates bello victos ad Ecclesias confugere, et undique latibula quærere, misertus eorum, quoniam ex utraque parte sui erant, exercitum de persecutione civium revocavit, et ipse in palatium se recepit. Mane autem facto Ravennates qui remanserant, in cilicio et nudis pedibus atque ex rtis gladiis, ut lex eorum præcipit, victis civibus, ante regem venientes, sicut ipse præcepit, omnibus modis satisfaciebant. Ibi rex Chuonradus maximam munificentiam in quemdam sauciatum Teutonicum more solito ostendit, cui pes cum magna parte supra talum in pugna penitus abscindebatur, cujus ocreas de corio factas rex afferri præcipiens utramque nummis jussit impleri, et supra grabatum sauciati militis juxta illum poni.

REX PROPTER CALOREM IN MONTANA SECESSIT.

Eo tempore maximus calor Italiam vexabat, ita ut animalia multa et hominum multitudo indc periclitarentur. Rex vero Chuonradus nemini cedens, nisi soli Deo et caloribus æstuis, ultra Atim fluvium propter opaca loca et aeris temperiem in montana secessit, ibique ab archiepiscopo Mediolanensi per duos menses et amplius regalem victum sumptuose habuit. Hinc decedens tempore autumnali, Italiam planam iterum peragrans, habitis consiliis, et regalibus colloquiis in opportunis locis, atque rebelles in vincula mittens, regnum pacificavit, et sic pertransiens usque ad confinium Italiæ et Burgundiæ pervenit.

QUOD LEGATI RUDOLPHI REGIS AD CHUONRADUM REGEM IN ITALIAM VENERUNT.

Inchoante anno nativitatis Christi 1027, rex Chuonradus in Ipo regia civitate Natalem Domini celebravit : illuc Rudolphi regis Burgundiæ legati venerunt promittentes illum Romam venturum ad electionem et consecrationem imperatoriam regis Chuonradi : quod rex gratanter accepit, et remissis legatis cum muneribus, ipse Padum transiens ad Romam tendere cœpit. Veniens ad Lucam civitatem, invenit eam sibi adversam cum Reginhero marchione. Ibi rex paululum moratus post paucos dies civitatem et marchionem in deditionem acceperat, omnemque Tusciam sibi breviter subjugavit, sicque triumphando Romanam visitat arcem.

QUOD REX CHUONRADUS ROMÆ IMPERATOR EST EFFECTUS.

Igitur rex Chuonradus Romam ingressus eodem anno, ut supra, id est, a Nativitate Salvatoris 1027, indictione decima, a papa Joanne et universis Romanis regio honore mirifice receptus est : et in die sancto Paschæ, qui eo anno VII Kal. Aprilis terminabatur, a Romanis ad imperatorem electus, imperialem benedictionem a papa suscepit,

Cæsar et Augustus Romano nomine dictus.

Quin etiam regina Gisela imperatricis consecrationem et nomen ibidem accepit. His itaque peractis, in duorum regum præsentia Rudolphi regis Burgundiæ, et Cnutonis regis Anglorum, divino officio finito, imperator duorum regum medius ad cubiculum suum honorifice ductus est. In ipsis diebus paschalibus inter Romanos et Teutonicos pro vili causa orta est seditio magna. Contendebant duo pro corio bovis : cumque se invicem pugnis cædere cœpissent, totus exercitus imperatoris commotus est : et armati equites et pedites, ex utroque parte convenerunt, ibi interfectus est ex nostra parte quidam juvenis nomine Berrengarius, filius Lutoldi comitis de Alemannia, multum nobilis et bellicosus nimis. Romani diu resistentes ad extremum victi fugerunt, et innumerabiles ex illis perierunt. Imperator vero prædictum juvenem, quoniam sibi dilectus et familiaris fuerat, juxta tumulum Cæsaris Ottonis sepeliri præcepit. Postera die Romani, qui seditionem commoverant, ante imperatorem venientes, nudatis pedibus, liberi cum nudis gladiis, servi cum torquibus vimineis circa collum, quasi ad suspensionem præparati, ut imperator jussit, satisfaciebant.

QUOD IMPERATOR IN APULIAM VENIT.

Facta igitur pace inter Romanos et Teutonicos imperator in Apuliam processit, et Beneventanum et Capuam, ac reliquas civitates illius regionis seu vi sive voluntaria deditione sibi subjugavit ; et Normannis, qui de patria sua, nescio qua necessitate compulsi, in Apuliam confluxerant, ibi habitare licentiam dedit; et ad defendendos terminos regni adversus Græcorum versutias, eos principibus suis coadunavit. Cunctis rebus rite et prospere sibi cedentibus, imperator reversus, præteriens Romam, iterum Italiam pertransiit.

DE TYRANNO THASSELGARO.

Eo tempore erat in Italia quidam tyrannus Thasselgart dictus, qui sub tempore Heinrici imperatoris multa facinora commisit in regno : sed per marinos recessus et alias munitiones, quos habuit ultra modum tutas, Cæsaris Heinrici persecutionem evaserat. Erat enim nobilis genere, despicabilis in persona, turpis in moribus, magnus prædator ecclesiarum et viduarum. Hunc imperator Chuonradus diligentissime insequebatur, et insidias sibi ante et retro omnibus modis opposuit. Qui dum a quodam suo castro fugere vellet in aliud, a militibus Cæsaris captus est. Quod dum audiret imperator, cum magna festinantia properabat, ita ut fere centum milliaria Latina intra diem et noctem pertransiret : cogitabat enim, ut more solito, iterum evaderet. Veniente vero imperatore, præsentatus est illi ipse tyrannus. Quem cum videret, fertur dixisse imperator : Nonne es hic ille leo, qui devoravit bestias Italiæ? Per sanctam crucem Domini, talis leo non comedet amplius de pane meo : et hoc dicens, statim cunctis principibus regni adjudicantibus, præcipit illum in patibulum suspendi. Quo suspenso, per omnem illam provinciam pax et securitas, diu latentes simul emerserunt.

DE CONJURATIONE QUORUMDAM TEUTONICORUM.

Interea morante in Italia imperatore apud Teutonicos, magna invidia, multa consilia, multæ factiones adversus imperatorem incassum eruperant. Ut enim a minoribus incipiam et ad majores perveniam, quidam comes in Suevia, Wolff nominatus, dives in prædiis, potens in armis, et Bruno episcopus Augustensis, invicem confligentes multa mala in prædiis et incendiis fecerunt in regno. Ad extremum prædictus comes ipsam Augustam irrumpens, ærarium episcopi despoliavit, et totam civitatem vastavit; quod postea, cogente imperatore, totum restituit, et episcopo emendavit. Chuno dux Wormatiensis, patruelis imperatoris, nec fidus imperatori, nec tamen multum noxius illi, interim quietus manebat. Fridericus dux Lotharingorum, vitricus prædicti Chunonis imperatori inimicando morte propria præventus est. Ernestus dux Alemanniæ, privignus imperatoris Chuonradi, nuper ab eo beneficiis et muneribus sublimatus, discedens iterum, instigante diabolo, rebellionem moliebatur : et consilio quorumdam militum suorum, Alsatiam provinciam vastavit, et castella Hugonis comitis, qui erat consanguineus imperatoris, desolavit. Deinde magno exercitu juvenum collecto, Burgundiam invasit : et ultra castrum Solodurum, quamdam insulam aggere et vallo firmare cœpit; sed Rudolphus rex Burgundionum veritus hostem imperatoris recipere, ab incepto illum prohibuit. Inde reversus supra Turicum quoddam castrum munivit, et Augiensem ecclesiam nec non abbatiam S. Galli nimium distrahendo, non mediocre damnum patriæ intulit : sic

posthabita lege et justitia usque ad imperatoris reditum iniquis conatibus insistebat.

UBI DUX ERNESTUS SE DENUO REDDIDIT.

Pace per totam Italiam confirmata, imperator Chuonradus prospero reditu in Alemanniam venit; et in Augusta Vindelica colloquium familiare cum suis fidelibus tenens, de proditoribus patriæ tractare cœpit; inde ad oppidum quod Ulma vocatur veniens, colloquium publice condictum illic habuit. Huc dux Ernestus non voto supplice venit, confisus militum multitudine, quos optimos habuit, ut vel secundum libitum cum Cæsare se pacaret, vel inde per potestatem rediret; et habito colloquio cum suis, primum monuit eos fidei sacramentaliter promissæ; dehinc hortabatur eos ne illum desererent, ne honorem suum perderent, non decere eos immemores fore, in historiis patrum, semper Alemannos bonæ fidei et stabilitatis in dominos testimonium habere; et sibi fidi forent, illis præmia posteris eorum gloriam et honorem esse futurum. Talia dicenti duo comites, Fridericus et Anselmus pro cæteris respondebant hoc modo : Nolumus inficiari quin vobis firmiter promitteremus contra omnes, præter eum qui nos vobis dedit : si servi essemus regis et imperatoris nostri, et ab eo juri vestro mancipati, non nobis liceret a vobis separari. Nunc vero cum liberi simul et libertatis nostræ summum defensorem, interea regem et imperatorem nostrum habeamus, ubi illum deserimus, libertatem amittimus, quam nemo bonus, ut ait quidam, nisi cum vita simul amittit. Quod cum ita sit, quidquid honesti et justi a nobis requiritis, in hoc parere volumus vobis : si autem contra hoc vultis, illuc revertemur liberaliter, unde ad vos venimus conditionaliter. His auditis, dux, cum se intellexisset a suis dimitti, sine omni pactione imperatori sese reddit : quem Cæsar in Saxoniam exsulari fecit super quamdam rupem quæ Gibichenstein dicitur, ut ubi castigatus a rebellione ulterius desineret.

QUOD REX BURGUNDIÆ IMPERATORI OCCURREBAT BASILEÆ.

Imperator pertransiens Alemanniam, cunctos qui sibi rebelles fuerant, in deditionem recepit, et munitionem eorum dejecit; et perveniens usque ad Basileam, Rudolphum regem Burgundiæ alloquitur, qui illic sibi occurrebat, extra urbem, juxta vicum qui Mitthena dicitur : et habito familiari colloquio, imperator regem secum duxit in urbem. Confirmata inter eos pace, Gisela imperatrice hæc omnia meditante, regnoque Burgundiæ imperatori tradito, eodem pacto quemadmodum prius antecessori suo Heinrico imperatori datum fuerat; rex iterum donis ampliatus cum suis reversus est in Burgundiam : imperator vero descendens per Rhenum in Franciam venit, ibique dux Chuono, patruelis ejus, prius rebellis, se reddidit : quem imperator in liberis custodiis aliquantulum castigavit, destructisque munitionibus suis, quas optimas habuit, in gratiam illum recepit, totumque in honorem suum sibi restituit. Paulo post Adalbero dux Histrianorum, sive Carintanorum, reus majestatis, victus ab imperatore, cum filiis suis exsulatus est, et ducatum ejus iste Chuono ab imperatore suscepit : quem ducatum pater ejusdem Chuononis dudum habuisse perhibetur. Ita dux Chuono fidus et bene militans imperatori et filio suo Heinrico regi, quousque vixerit, permansit.

DE LEGATIONE EPISCOPI ARGENTINENSIS.

Eodem tempore Werinharius Argentinæ civitatis episcopus, ab imperatore legatus Constantinopolim mittitur. Qui dum causa orationis Hierosolymam pergere se fingeret, ut putavimus, judicio Domini, quem fallere nemo valebit, mirabiliter prohibitus est. Nam dum magnum comitatum hominum, majorem quoque mutorum animalium, equorum, boum, ovium, porcorum, multasque delicias sæculares ultra modum secum educeret, perveniens in Ungariam, a rege Stephano contradicta est sibi via, quod eo tempore nulli aratorum accidit. Inde reversus per Bajoariam cum omni comitatu suo pergens Italiam intravit; et multum circa fines Veronæ moratus, tandem cum maximo labore per Venetiam mare Adriaticum ingressus, navigio calamitoso Constantinopolim pervenit : cumque ab imperatore Græcorum honorifice susceptus esset, secumque satis familiariter conversaretur, desiderare cœpit ut imperatoris auxilio Hierosolymam adiret : quo desiderio, semper aliqua re interdicente, nunquam potiri invaluit. Sequenti vero tempore obiit, et sepultus est in eadem urbe, et episcopatum ejus Wilhelmus Argentinensis canonicus suscepit. Legationis tamen causam postea imperator Græcorum aureis litteris imperatori Chuonrado rescripsit.

QUOD IMPERATOR FILIUM SUUM HENRICUM REGEM CONSECRARI FECIT.

Anno Domini 1028, indictione XI, imperator Chuonradus filium suum Heinricum magni ingenii et bonæ indolis puerum ætate XI annorum, principibus regni cum tota multitudine populi id probantibus, a Peligrino archiepiscopo Coloniensi in regalem apicem apud Aquisgrani palatium sublimari fecerat. Tunc in principali Dominica Paschæ consecratus et coronatus, paschalem lætitiam triplicavit. Nam dum in superioribus annis duas coronas, id est, patris et matris suæ mundus veneraretur, nunc tertia addita,

Spes pacis, quam rex cum Cæsare fecit : præsertim cum is coronatus esset, cujus ætas via diuturna satis digna fuerat. Deinde diversa regna peragrantes, Cæsar per se rex sub tutore et actore Augustensi episcopo Brunone cunctos rebelles domabant et fœdera pacis ubique feliciter firmabant.

DE OBITU EPISCOPI AUGUSTENSIS.

Anno sequenti imperator in Bajoaria Ratisponæ Pascha celebravit : ibi Bruno episcopus Augustensis defunctus est, cujus corpus imperatrix prosecuta, cum filio Heinrico rege ad Augustam sedem suam honorifice sepeliri fecerunt. Nobilis valde fuit ipse

episcopus funo. Nam cum esset frater Heinrici imperatoris, filius erat marterteræ Giselæ imperatricis; soror vero ejusdem episcopi, nupta Stephano regi Ungarorum, causa fuit Christianitatis, primum in gente Pannonica. Episcopatum vero Augustensem Eberhardus suscepit.

QUALITER DUX ERNESTUS DUCATUM ACCEPIT ET STATIM AMISIT.

Anno Domini 1030, imperator Chuonradus apud Ingelnheym Pascha celebravit. Ibi Ernestus supra memoratus dux Alemanniæ, a custodia solutus, ducatum recepit, eo tenore, ut Wehelonem militem suum, qui multis factionibus turbaverat, quasi hostem reipublicæ cum omnibus suis persequeretur, idque se facturum cum sacramento confirmaret. Quod cum rex facere nollet, hostis publicus imperatoris dijudicatus est, et penitus ducatu amisso cum paucis inde recessit. Imperator vero ducatum Alemanniæ Hermanno juniori, fratri ejusdem Ernesti dedit, eumque Warmanno Constantiensi episcopo commendavit. Imperator vero communi consilio omnium principum regni eumdem Ernestum et cunctos justitiæ et paci reluctantes ab episcopis excommunicari fecit, eorumque res publicari jussit. Ipsa imperatrix Gisela (quod dictu est mirabile), sed actu laudabile, filium inconsultum sapienti marito postponens, publicam fidem dedit omnibus, quidquid illi accidisset, nullam ultionem, neque malum animum pro hac re se redditurum fore.

QUOD IMPERATOR SUPER UNGAROS CUM EXERCITU VENIT.

Eodem tempore multæ dissentiones inter gentem Pannonicam et Bojoarios, culpa tamen Bajoariorum factæ sunt, ita ut Stephanus rex Ungarorum multas incursiones et prædas in regno Noricorum, id est, Bajoariorum faceret; unde commotus imperator Chuonradus cum grandi exercitu super Ungaros venit. Rex autem Stephanus minime sufficiens adversus imperatorem, orationibus et jejuniis in universo regno suo indictis, præsidium Domini tantummodo flagitabat. Imperator tam munitum regnum fluviis et silvis intrare non valens, multis tamen prædationibus, incendiis circa terminos regni injuriam suam satis ulciscens, reversus est, volens tempore opportuniori cœpta sua peragere. Sed filius suus rex Heinricus adhuc puerulus Eigelberto Frisingensi episcopo creditus, legatione Stephani regis pacem rogantis accepta, juste et sapienter agens, qui regem injuste injuriatum, ultro petentem gratiam recepit in amicitiam.

QUOD DUX ERNESTUS AUXILIUM PETIIT AB ODONE COMITE.

Interea dum hæc agerentur, præfatus Ernestus ducatus dignitate privatus, multa cogitans, multa moliens, qualiter imperatori resisteret magnos labores in vanum consumpsit. Qui assumpto Vuelhone milite suo cum aliis paucis perrexit in Franciam Latinam ad Odonem comitem propinquum suum; nam mater Odonis et mater Giselæ imperatricis fuerant sorores. A quo dum consilium et auxilium peteret, sive, nollet, sive non auderet, nil solatii contra imperatorem sibi dedit.

QUALITER DUX ERNESTUS PERIIT.

Dux vero Ernestus reversus iterum in Alemanniam venit, ibique in quadam eremo, quæ Nigra Silva dicitur, in locis tutissimis moratus, præda miserabili per aliquod tempus vivebat. Ad extremum dum a militia Cæsaris undique coarctaretur, quidam, qui imperatori favebant, equos quos dux et omnes sui optimos habebant, per insidias in pascuis exceperunt. Dux vero, perditis equis in quibus confidebat, nil pensi plus habens, in tanta perturbatione quid ageret dubitabat; collectis tamen undique qualibuscunque equis quos habere poterat, cum omnibus quos tunc habuit, egressus est silva, secum deliberans melius esse honeste mori, quam turpiter vivere. Cumque pervenissent in saltus silvarum ad illam regionem Alemanniæ quæ Bara dicitur, viderunt castra deserta, quæ priori nocte hostes occupaverant: confestim perceperunt sibi insidias parari. Nam Manegoldus comes, miles imperatoris, de Augensi abbatia magnum beneficium habens ab imperatore, et Warmanno Constantiensi episcopo, qui tunc vice ducis Heremanni Alemanniam gubernabat, præsidio locatus fuerat, ne dux Ernestus prædas aut incendia faceret in regione. Statim dux Ernestus et assecutores sui nimium alacres effecti sunt, existimantes injurias suas cito ulturos fore in hostibus; arreptoque itinere, suos insecutores insequi cœperunt. Eadem intentione Manegoldus comes, et qui cum illo fuerant, huc et illuc progredientes itinera ducis diligenter observabant. Hac occasione utrinque collata, ita conjuncti sunt, ut se invicem videre et affari possent. Erant autem ex parte Manegoldi multo plures milites quam de parte ducis.

Nec mora, congressi pugnabant acriter omnes ex parte ducis, ira, ferocitate, audacia incitati; ex altera parte pro gloria, pro remuneratione adducti. Hi, qui cum duce fuerant, cum nihil de vita cogitarent, omnes ad interitum properabant. Dux vero cum nemini parceret, in hoc prælio, neminem sibi parcentem invenit, et a plurimis vulneratus, postremo interfectus, occubuit. Ibi cecidit Wecilo [*al.* Wehelo] comes, miles ducis, cujus causa hæc omnia acciderant: Adelbertus et Iwerin nobiles viri et alii multi interfecti sunt ibi. Ex altera parte ipse Manegoldus comes, auctor hujus congressionis, cecidit, et alii plures secum. Corpus Ernesti ducis in Constantiam delatum, prius accepta indulgentia a potestate episcopali, pro excommunicatione, in ecclesia S. Mariæ sepultum est. Corpus Manegoldi in Augia subterratum est.

Accidit hoc bellum semper miserabile multum, XV Kal. Septemb. Hoc cum nuntiatum esset imperatori, fertur dixisse:

Baro canes rabidi feturam multiplicabunt.

RUDOLPHUS REX BURGUNDIÆ OBIIT, ET ODO [*al.* UDO] REGNUM EJUS INVASIT.

Anno Domini 1032, Rudolphus rex Burgundiæ,

avunculus Giselæ imperatricis, obiit in pace; cujus regnum comes Odo [*al.* Udo] Francigena, filius sororis suæ invasit, et quædam castra munitissima sive civitates, seu dolo, seu bello ceperat: nec se regem ausus est facere, nec tamen regnum voluit dimittere. Referebat quidam illum dixisse sæpe, quod nunquam rex fieri, sed tamen semper magister esse regis vellet. Eo modo magnam partem Burgundiæ distraxit, licet regnum Burgundiæ Chuonrado imperatori et filio ejus Heinrico regi, a Rodulpho rege, postquam ipse superstes non esset, per jusjurandum confirmatum esset. Sed dum Odo comes hæc in Burgundia faceret, Chuonradus imperator in Sclavonia cum armis fecerat. Quid ibi ageret, vel qualiter postea Odonem repulisset de Burgundia, consequenter dicam. Supra dictus Bolislaus dux Bolanorum mortuus, reliquit duos filios, Misiconem et Ottonem. Misico dum fratrem suum Ottonem persequeretur, expulerat eum in Russiam. Dum ibi aliquantum tempus miserabiliter viveret, cœpit rogare gratiam imperatoris Chuonradi, ut ipso imperante et juvante restitueretur patriæ suæ. Quod dum imperator facere vellet, decrevit ut ipse cum copiis ex una parte ex altera frater Otto Misiconem aggrederentur. Hunc impetum Misico ferre non valens fugit in Boemiam ad Udalricum ducem, cui tunc temporis imperator iratus fuerat. Sed ille ut sic placaret imperatorem voluit sibi reddere Misiconem: quod pactum sceleratum renuit Cæsar, dicens se nolle inimicum emere ab inimico. Otto restitutus patriæ, et dux factus a Cæsare, dum post aliquod tempus minus caute ageret, a quodam familiari suo clam interfectus est. Tunc Misico omnibus modis quærebat gratiam imperatricis Giselæ et reliquorum principum, ut mereretur redire ad gratiam imperatoris. Cæsar misericordia motus dedit sibi veniam, et divisa provincia Bolanorum in tres partes, Misiconem fecit tetrarcham, reliquas duas duobus aliis commendavit; sic immiauta potestate minor facta est temeritas. Defuncto Misicone Casimirus filius ejus fideliter serviebat hoc usque imperatoribus nostris.

QUOD IMPERATOR CUM FILIO SUO HENRICO BURGUNDIAM ADIIT.

Anno Domini 1033, imperator Chuonradus cum filio suo rege Heinrico Natalem Domini in Argentina civitate celebravit, inde collecto exercitu per Solodorum Burgundiam intravit, et veniens ad Paterniacum monasterium in Purificatione sanctæ Mariæ, a majoribus et minoribus regni, ad regendam Burgundiam electus est, et in ipsa die pro rege coronatus est: deinde quædam castella quæ Odo invaserat, obsedit; sed propter nimiam asperitatem hiemis, quæ tunc fecerat, valde impediebatur. De qua nimietate frigoris quidam de nostris centenos versus fecit, quos imperatori præsentavit, in quibus tam mirandæ res dicuntur, quod equi in castris circa castellum Murat, si pedes infixissent terræ per teporem diei aliquid moliti, per noctem ita gelati constringerentur, ut nequaquam, nisi securibus et sudibus de terra in circuitu gelata evelli potuissent. Quidam vero, qui non habuit adjutorium equum proprium ita hærentem interfecit, et corium de cruribus sursum abstulit, reliquum terræ gelatæ infixum dimisit. Homines quoque multum confundebantur hoc algore: erat enim una facies juvenum et senum: omnes erant die et nocte cani et barbati propter horridum rigorem glacici, licet plures juvenes et imberbes fuissent ibi; et tamen:

Vix hæc causa fuit, quod Cæsar bella reliqui'

Imperator reversus ad Turicum castrum pervenit; ibi plures Burgundiorum, regina Burgundiæ, jam vidua, et comes Hupertus, et alii, propter insidias Odonis in Burgundia ad imperatorem venire nequiverunt, per Italiam pergentes occurrebant sibi: et effecti sui, fide promissa per sacramentum sibi et filio suo Heinrico regi, mirifice donati redierunt.

QUOD IMPERATOR SUPER ODONEM CUM EXERCITU VENIT.

Ejusdem anni æstate imperator cum exercitu suo super Odonem comitem in Gallias Francorum venit, dicens, si Odo in Burgundia res alienas injuste quæreret, de suo proprio juvante Deo, aliquid perdere deberet. Tunc in regno Heinrici regis Francorum, in prædiis tamen et beneficiis Odonis tantas devastationes et incendia fecit imperator, ut ipse Odo necessitate compulsus humiliter veniens, quæreret veniam, promittens Burgundiam dimittere; et secundum jussionem illius satisfacere. Sic imperator cum suo honore, et Odonis damno reversus est.

QUALITER IMPERATOR ODONEM EXPULIT DE BURGUNDIA.

Anno Domini 1034, imperator in Bajoaria Ratisbonæ sanctum Pascha celebravit. Hujus anni æstate dum Odo præfatus promissa non attenderet, sed adhuc quamdam partem Burgundiæ, quam injuste invaserat, obtineret, imperator Chuonradus expeditis Teutonicis et Italis Burgundiam acute adiit: Teutones ex una parte, ex altera archiepiscopus Mediolanensis Heribertus et cæteri Italici, ductu Huperti comitis de Burgundia, usque Rhodanum fluvium convenerunt. Augustus veniens ad Genevensem civitatem, Geroldum principem regionis illius, et archiepiscopum Lugdunensem atque alios quam plures subegit: et reversus castrum Murat cum fortissimis militibus, Odonis munitum obsidens, vi cepit, et quos intus invenerat, captivos duxit. Cæteri fautores Odonis hoc audientes, solo timore Cæsaris fugerunt: quos persecutus Cæsar omnino exterminavit de regno, et acceptis de principibus Burgundiæ multis obsidibus, rediit per Alsatiam ad imperatricem. Nam dum ille in Burgundiam pergeret, imperatrix secuta est eum usque Basileam. Inde reversa ad Argentinam civitatem, exspectavit reditum imperatoris. Eo tempore filia imperatoris Chuonradi et Giselæ imperatricis Mathilda nimiæ formositatis, puella Heinrico regi Francorum desponsata, obiit Wormatiæ, ibique sepulta est.

QUOD REX HEINRICUS SCLAVOS SUBJUGAVIT.

Interea dum hæc, quæ superius dicta sunt, imperator in Burgundia faceret, filius suus Heinricus rex, licet in puerilibus annis, non segnius reipublicæ consuluit in Boemia, et in cæteris regionibus Sclavorum : ubi et Udalricum ducem Boemiæ, et reliquos quam plures Cæsari adversantes, strenue subjugavit, et redeunti patri occurrens, de duplici victoria duplex gaudium populis effecerat. Deinde collectis copiis de Saxonia super eos qui Luttizi [*al.*, Lintizi] vocantur, quique olim semi-Christiani, nunc per apostaticam nequitiam omnino sunt pagani, imperator venit : ibique conflictum implacabilem mirabiliter diremit. Inter Saxones enim et paganos fiebant ea tempestate multæ dissensiones et incursiones : cumque Cæsar veniret, cœpit quærere ex qua parte pax, quæ diu inviolata inter eos fuerat, prius corrumperetur. Dicebant pagani a Saxonibus pacem primitus confundi, id per duellum, si Cæsar præciperet, probari. Econtra Saxones ad refellendos paganos similiter singulare certamen, quamvis injuste contenderent, imperatori spondebant. Imperator consulentibus principibus suis, licet non satis caute ageret, hanc rem duello dijudicari inter eos permisit. Statim duo pugiles congressi sunt, uterque a suis electus ; Christianus in sola fide, quæ sine operibus justitiæ mortua est, confidens, et non diligenter attendens quod Deus qui veritas est, omnia in vero judicio disponit, qui solem suum oriri super bonos et malos facit : qui pluit super justos et injustos, audacter pugnare cœpit. Paganus autem solam conscientiam veritatis, pro qua dimicabat, præ oculis habens, acriter resistebat. Postremo Christianus a pagano vulneratus cecidit. Ex qua re pagani in tantam elationem et audaciam venerunt, ut nisi imperator adesset, continuo irruerent super Christianos ; sed imperator ad compescendas incursiones eorum construxit castrum Wirbinam, in quo præsidia militum locabat et principes Saxoniæ, ut unanimiter resisterent paganis, sacramento et imperiali jussione constringebat, deinde reversus est in Franciam. Sequenti vero anno idem castrum a paganis dolo raptum est, et plures nostrorum, qui in eo erant, ab eis occisi sunt. Hinc commotus imperator, iterum cum copiis usque Albim fluvium venit. Sed cum pagani transitum prohiberent, imperator per aliud vadum fluvii, partem exercitus latenter transmisit : et ita fugatis hostibus, ipse per ripam liberam regionem ingrediens, immensis devastationibus et incendiis ubique, nisi in locis inexpugnabilibus sic humiliavit eos, ut censum ab antiquis imperatoribus propositum, et jam auctum Chuonrado imperatori postea persolverent. Multum enim laboravit Chuonradus imperator prius, et tum in gente Sclavorum : unde quidam de nostris, quoddam breviarium versifice fecit, quod postea imperatori præsentavit. Ibi legitur, qualiter imperator interdum in paludibus usque femora stabat, pugnans ipse, et exhortans milites ut pugnarent ; et victis paganis nimis acriter trucidabat eos pro quadam superstitione illorum nefandissima. Nam fertur, ut quodam tempore effigiem ligneam crucifixi Domini nostri Jesu Christi scelerato ludubrio habuissent pagani, et eam spuerent, atque colaphis cæderent, ad extremum oculos eruebant, manus et pedes truncabant. Hæc ulciscens imperator de captis paganis maximam multitudinem pro una effigie Christi, simili modo, truncavit, et varia morte delevit. Idcirco in eisdem versibus Cæsar ultor fidei vocatur, et Romanis principibus Tito et Vespasiano comparatur, qui in ultionem Domini triginta Judæos pro uno nummo commutaverant, cum Judæi Christum pro totidem denariis vendiderant. Reversus imperator, quidquid obstaculi in regno invenit, imperiose disjecit. Eodem anno Adalbero dux Carantanorum imperatoris gratiam perdens, ducatum amisit, et in exsilium missus est.

DE CONJURATIONE ITALORUM.

Item eodem tempore magna et modernis temporibus inaudita confusio facta est Italiæ, propter conjurationes quas fecerat populus contra principes. Conjuraverant enim omnes valvasores Italiæ, et gregarii milites adversus dominos suos, et omnes minores contra majores, ut non paterentur aliquid inultum sibi accidere a dominis suis supra voluntatem ipsorum, dicentes : si imperator eorum nollet venire, ipsi per se legem sibimet facerent. Hoc cum nuntiatum esset imperatori, fertur dixisse : Si Italia modo esurit legem, concedente Deo bene legibus hanc satiabo. Et præparans se anno sequenti, Italiam cum copiis intravit. Interea principes Italici male conceptam conjurationem periculum generare posse scientes, convenerunt simul cum minoribus, et prius exhortationibus et consiliis hoc recens malum destruere conabantur. Cum hoc non procederet, tentabant bello superare, sed inito prælio, minorum, incredibilis multitudo sola impressione catervarum vicit. Ibi episcopus Astensis indigna statione periit, cæteri fugerunt, et nimium confusi adventum imperatoris ægre exspectabant.

QUOD REX HEINRICUS FILIAM CUNITTONIS [*al.* CHUNONIS] IN CONJUGIUM DUXERIT.

Anno Domini 1036, Heinricus rex filius imperatoris, Cunittonis regis Anglorum filiam nomine Chunelindem pro regina consecratam, regalibus nuptiis in conjugium duxit. Eodem anno, ut dictum est, imperator Chuonradus cum filio Heinrico rege Italiam intravit cum exercitu, et celebravit Natalem Domini Veronæ, anno Dominicæ incarnationis 1037. Inde ad Mediolanum veniens ab Heriberto archiepiscopo magnifice receptus est in ecclesia sancti Ambrosii. In ipso die (nescimus cujus consilio) pene gravis tumultus factus est populi Mediolanensis, quærentis ab imperatore, si vellet favere conjurationi eorum. Unde commotus imperator, præcepit ut omnes in urbem Papiensem ad generale colloquium venirent. Quod dum factum esset, cunctis reclamantibus, legem fecit imperator. In ipso placito quidam Hugo comes, et alii quam plures Italici appellabant archipi-

scopum Mediolanensem pro multis causis, quibus eos offenderat. Imperator vero vocato archiepiscopo, præcepit ut satisfaceret omnibus. Quod dum archiepiscopus renueret, sensit imperator omnem illam conjurationem Italiæ ipsius consilio factam esse, et mox comprehenso illo retinuit in sua potestate. Deinde commendavit eum in custodiam Poponi patriarchæ Aquileiensi, et Chunoni duci Carentanorum, qui ab eis ductus est cum imperatorio usque Placentinam civitatem. Quadam nocte quidam de familiaribus archiepiscopi collocavit se, vice ipsius, in lecto quo ipse jacere solebat, et superducto coopertario latuit, ut ita falleret custodes. Archiepiscopus adducto sibi equo a quodam fugit, et veniens Mediolanum, a suis cum magno gaudio susceptus est. Deinde quidquid poterat moliri contra imperatorem, non prætermisit. Imperator quæque castella sibi adversa destruxit, et iniquas conjurationes Italiæ, justa lege reducta, exinanivit, et veniens Ravennam sanctum Pascha ibi celebravit. Eodem anno in Italia tres episcopi Vercellensis, Cremonensis, Placentinus apud imperatorem accusati sunt; quos imperator comprehensos exsulari fecit. Quæ res displicuit multis, sacerdotes Christi sine judicio damnari. Referebant nobis quidam piissimum nostrum Heinricum regem, filium imperatoris, salva reverentia patris, clam detestari præsumptionem Cæsaris in archiepiscopum Mediolanensem, atque in istos tres : et merito, quia sicut post judicialem sententiam depositionis nullus honor exhibendus est, sic ante judicium magna reverentia sacerdotibus debetur. Eodem anno præfatus comes Odo de Francia in regno imperatoris quædam loca invadens a Gozelone duce Lotharingorum et filio suo Godefrido, et Gerhardo comite atque a militia episcopi Metensis, pugna commissa cum illo, fugiendo interfectus est, et vexillum ejus Cæsari in Italiam allatum, hostem interemptum testabatur. Eo tempore imperator Mediolanenses nimium afflixit : et quoniam urbem antiquo opere et maxima multitudine munitam, capere non poterat, quod in circuitu fuerat, igne et gladio consumpsit.

DE MIRACULO QUOD ACCIDIT IN DIE PENTECOSTES.

Eodem tempore cum imperator quoddam castrum sancti Ambrosii, quod Curbitum dicitur, juxta Mediolanum obsideret, accidit ibi quod plures pro miraculo habuerunt. In Dominica sancta Pentecostes, ante horam tertiam, de magna serenitate cœli subito fulmina cum tonitruis eruperunt tantæ fortitudinis, ut multa pars hominum et equorum periret in castris : quidam præ tanto terrore in excessum mentis venerunt, ita ut post aliquot menses vix illis sensus redierit. Venientes autem, qui extra castra fuerant, nec vidisse, nec audisse aliquid tale dicebant. Eo tempore imperator archiepiscopatum Mediolanensem Ambrosio Mediolanensi canonico dedit, licet illi ista donatio parum profuisset. Nam cives Mediolanenses, quidquid habuit idem Ambrosius in illorum territorio, demoliebantur, et suum archiepiscopum Heribertum usque obitum ejus cum honore retinuerunt, sed tamen cum gratia Heinrici regis, filii imperatoris, quod plenius in gestis regis, si Deus voluerit, exsequar. Eodem tempore papa Cremonæ occurrebat imperatori, et honorifice receptus, et dimissus, Romam reversus est. Imperator disperso exercitu per regiones, ipse ad montuosa loca secessit, propter refrigerium, quoniam ea æstate magnus calor imminebat.

DE SEDITIONE QUÆ FACTA EST IN PARMA.

Eodem anno hiberno tempore collecto exercitu, imperator transcendens Padum ad Parmam civitatem venit; ibi Natalem Domini celebravit, inchoante anno Dominicæ incarnationis 1038. In ipsa die Nativitatis Domini inter Teutonicos et cives Parmenses magna seditio orta est, et quidam bene valens Chuonradus infertor ciborum imperatoris cum aliis interfectus est. Unde commotus exercitus gladiis et igne cives aggreditur, et imperator post incendium magnam partem murorum destrui præcepit, ut eorum præsumptionem non fuisse inultam hæc ruina aliis civitatibus indicaret. Deinde imperator transcendens Apenninum montem, in Apuliam tendebat. Imperatrix vero Romam, orandi gratia, venit, inde ad imperatorem revertitur. Imperator ad terminos imperii sui perveniens, Troiam, Beneventanum, et Capuam, aliasque civitates Apuliæ, lege et justitia stabilivit; dissentiones, quæ erant inter Nortmannos extraneos et indigenas, sola jussione sedavit : et cunctis offensionibus de regno sublatis, feliciter reversus, Viennam venit. Ibi dispositis obsidionibus et insidiis adversus Mediolanenses, qui adhuc sibi rebelles fuerant, cæterisque rebus ad voluntatem suam per regnum compositis, patriam revisere decrevit. Eo tempore propter nimium calorem nimia contagio pestilentiæ exercitum invasit : neque ætatibus, neque personis pepercit. Ibi regina Chunelindis, conjux Heinrici regis, XV Kalend. Augusti, quasi in limine vitæ, ingressu mortis, occubuit, relinquens tantummodo solam filiolam de rege, quam postea pater Christo desponsans in abbatissam consecrari fecit. Filius imperatricis Hermannus dux Alemannorum, juvenis bonæ indolis, et in rebus bellicis strenuus, eadem peste gravatus, inter manus peritissimorum medicorum V Kalend. Augusti, non sine magno imperii detrimento, obiit. Eodem mense atque sequenti, maxima multitudo exercitus, morbo contacta, periit. Corpus reginæ tenerum et delicatum, aromatibus conditum, cum rege et imperatrice ductum ad Germaniam, in præpositura Lutburg sepultum est. De duce statutum fuerat, ut in Constantiam civitatem Alemanniæ duceretur, sed calore nimio obstante in Tridentino sepelitur.

QUOD IMPERATOR FILIO SUO REGI BURGUNDIAM TRADIDIT.

Eodem anno Stephanus rex Ungarorum obiit, relinquens regnum Petro filio sororis suæ. Reversus imperator in Bajoariam, ægrotantem exercitum

medicinis et consilio reficiebat : et dum omne regnum serenitate pacis invenisset illustratum, ejusdem omni autumno Burgundiam adiit, et convocatis cunctis principibus regni, generale colloquium habuit cum eis : et diu desuetam atque pene deletam legem tunc primum Burgundiam prælibare fecerat. Transactis tribus diebus, generalis colloquii quarta die, primatibus regni cum universo populo laudantibus, atque rogantibus, imperator filio suo Heinrico regi regnum Burgundiæ tradidit, eique fidelitatem denuo jurare fecit. Quem episcopi cum cæteris principibus in ecclesiam sancti Stephani, quæ pro capella regis Soloduri habetur, deducentes, hymnis et canticis Deum laudabant, populo clamante et dicente quod pax pacem generaret, si rex cum Cæsare regnaret. Reversus imperator per Basileam descendens, Franciam orientalem et Saxoniam, atque Frisiam,

Pacem firmando, legem faciendo revisit.

DE OBITU IMPERATORIS.

Anno Dominicæ incarnationis 1039, dum imperator Chuonradus jam in filio suo rege Heinrico regni rem, imperii autem spem bene locatam confideret : cumque pene omnia per regnum ad libitum suum inclinata videret, ipso anno diem sanctum Pentecostes apud Trajectum civitatem Frisiæ celebravit, ubi cum sacratissimam venerando magnifice cum filio et imperatrice coronatus procederet ad mensam, mediocri dolore correptus est; tamen ne tantæ diei lætitiam perturbaret, dolorem dissimulavit. Sequenti die, cum morbus lethalis vehementer insisteret, imperatricem cum filio rege ad prandium exire jubet de cubiculo. Interea imperator finem sibi imminere sentiens, sicut in vita sanus, in actu semper constans et strenuus fuit, ita in extremis nihil segnioris fidei permansit : et vocatis episcopis, corpus et sanguinem Domini, et crucem sanctam cum reliquiis sanctorum apportari fecerat; et erigens se cum lacrymis valde affectuosis, in confessione pura et oratione intenta, sanctorum communionem ad peccatorum remissionem devotissime accipiens, imperatrici et filio regi Heinrico per fida monita valedicens, ex hac vita migravit XI Nonas Junii, feria II, indictione VII. Viscera imperatoris apud Trajectum condita sunt, et rex locum sepulturæ donis et prædiis ampliavit. Reliquum corpus ab imperatrice et filio rege, ut optime excogitari poterat, involutum et reconditum usque Agrippinam Coloniam vectum, per cuncta cœnobia illius civitatis atque Moguntiæ seu Wormatiæ, sive illorum quæ in medio fuerant, omni populo sequente et orante deportatum, incredibili oratione, et magnis [*al.*, multis] eleemosynis pro redemptione animæ factis, tricesima octava, qua obdormivit, die, in Spira civitate, quam ipse imperator, sicut et postea filius multum sublimavit, honorifice sepultum est. Nam gratiam Chuonrado imperatori Deus addidit, quod non vidimus, neque audivimus tantas lamentationes universorum, tot orationes, tales eleemosynas alicui imperatorum corpore insepulto factas, et sicut percepimus referente episcopo Henrico Lausanensi, cum cæteris Burgundionibus, qui illum de obitu usque sepulturam prosecuti sunt, filius Cæsaris, Heinricus rex ad omnes introitus ecclesiarum, et ad extremum ad sepulturam humeros suos corpori patris ultra modum humili devotione supposuit : et non solum quod filius patri in charitate perfecta, sed quod servus Domino in timore sancto debet, hoc totum rex patri defuncto studiosissime exhibuit. Hæc de imperatoris Chuonradi gestis breviter scripsimus, de quibus, si quidquam intactum omnino dimisimus, hoc inauditum esse a nobis credatur. Si autem aliquid strictius quam rerum magnitudo se extenderet, dictum est, illud propter commoditatem legentis factum esse veraciter attestabimur. Pro quo quidem de nostris cantilenam lamentationum fecerat, quam postea filio suo Heinrico regi in Constantia civitate præsentavit, quas lamentationes hic, quoniam ejusdem operis sunt inserere, non incongruum putavimus.

VERSUS PRO OBITU CONRADI IMPERATORIS.

1. Qui vocem habet serenam,
Hanc proferat cantilenam,
De anno lamentabili
Et damno ineffabili
Luget omnis homo,
Forinsecus et in domo
Suspirat populus Dominum,
Vigilando per somnum,
Rex Deus, vivos tuere,
Et defunctis miserere.

2. Anno quoque millesimo
Nono et trigesimo
A Christi nativitate
Nobilitas ruit late
Et Cæsar caput mundi,
Et cum illo plures summi ;
Occubuit imperator
Chuonradus legis amator.
Rex Deus, vivos tuere,
Et defunctis miserere.

3. Eodem fere [*al.* vero] tempore
Occasus fuit gloriæ,
Ruit stella matutina
Chunelinda regina.
Heu quantum crudelis annus,
Corruerat Herimannus
Filius imperatricis,
Dux timidus [*al.*, timendus] inimicis;

Ruit Chuno dux Francorum
Et pars magna seniorum,
Rex Deus, vivos tuere,
Defunctis miserere.

4. Imperatoris gloria
Sit nobis in memoria,
Et recenti mentione,
Vivat vir indolis bonæ.
Fiat dominator probus,
Frequenti carmine novus,
Præclara fama post mortem,
Vitæ præstet hunc consortem
Rex Deus, vivos tuere,
Defunctis miserere.

5. Regum sanguine genitus
Omnes præcellit penitus
Gloriosus in persona,
Pulcher sub sua [*al.*, fuit sub] corona,
Sceptrum, regnum, imperium
Nulli erat plus congruum
Rempublicam honestavit,
Hujus causa laboravit,
Rex Deus, vivos tuere,
Defunctis miserere.

6. Postquam replevit Franciam,
Per pacis abundantiam
Mitigavit Alemannos
Et omnes regni tyrannos,
Saxonibus et Noricis
Imposuit frena legis,
Vidit sua magnalia
Probabilis Italia,

A Rex Deus, vivos tuere,
Defunctis miserere.

7. Roma subjecit se primum
A summo usque ad imum
Experti sunt Ravennates
In bello suo primates,
Sentiebant Veronenses,
Invicti Cæsaris enses,
Hesperia se prostravit,
Imperanti supplicavit.
Rex Deus, vivos tuere,
Defunctis miserere.

8. Reversus Alemanniam
Invenerat calumniam,
Quam hic disparuit Cæsar
B Ut ventus pulveris instar.
Omnes simul perierunt.
Qui prædatores fuerunt
Et cives præstantissimi
Idcirco facti exsulari [*al.*, sunt exsulati].
Rex Deus, vivos tuere,
Defunctis miserere.

9. Nil moratus imperator
Pacis ubicunque dator.
Bellum intulit paganis,
Ne noceret Christianis,
Non defendit eos palus,
Nulla fuit aquis salus,
Bene coercebat Sclavos,
Barbaros, et omnes pravos.
C Rex Deus, vivos tuere,
Defunctis miserere.

PANEGYRICUS WIPPONIS

CARMINE SCRIPTUS

AD HEINRICUM IIIm IMPERATOREM, CONRADI IMPERATORIS FILIUM.

Primum ex codice ms. Augustano editus ab Henrico Canisio

(*Lectiones antiquæ*, tom. III, pag. 162.)

JACOBI BASNAGII DE WIPPONE OBSERVATIO.

Hæc de Wippone habebat Canisius in præfatione tomi secundi *Antiquarum Lectionum:* « Wipponis nomen ne fando quidem antehac exaudiveram, de quo hoc tantum ex Urstisio scio fuisse Henrici III sacellanum et de Vita Conradi II, Henrici filii, scripsisse Historiam, quæ adhuc in abdito alicujus bibliothecæ latet. »

I. Paulo notior ab eo tempore factus est Wippo. Primo enim Vitam Conradi Salici ab eo scriptam in lucem emisit Pistorius (*Hist. Germ.* l. I, p. 21), ita ut in bibliothecarum angulis non amplius lateat. Filio patris gesta repræsentabat; deinde vero quæ filius Henricus III præclare gesserat patris Historiæ inseruit.

II. Ex epistola hujus Historiæ dedicatoria discimus Wipponem non modo Henrici III fuisse sacellanum, sed et ipsius parentis Conradi : « Quoniam tum plurimum tempus infirmavi, non potui in capella senioris mei Conradi frequenter adesse. » Fuit igitur Conrado a sacris et ea ratione gestorum testis oculatus, dum infirmitatibus non detineretur. Ante ipsum scripserant Historiam Conradi plurimi, sed a difficultate non fuit deterritus; cum viderit, inquit, « verba Christi in Evangelio non per unum solum, sed per quatuor idoneos testes dilatari, » quæ, ni fallor, audacius quam decet effutivit.

III. Suspicionem ingessit ille versus :

Irradias patriam, si tu modo viseris, illam,

Wipponem fuisse e Burgundionum gente, agit enim ille de Burgundia, quæ præsentiam imperatoris postulabat. Nisi forsan dicas Burgundiam Henrico fuisse patriam, eo quod Rodulphi Burgundionum regis fuerit nepos; Giseleidam enim habuit matrem, quæ Rodulfi fuit neptis, ideo autem de Burgundia sollicitus et anxius videtur Wippo quod inde ortum duxerit. Infirma utebatur valetudine, ut ipse testatur.

IV. Scripsit Wippo illa carmina statim ab initio imperii Henrici III, utpote qui de Burgundia a brevi tempore subjecta mentionem fecerit :

Præterea tibi, rex, mandat Burgundia : Surge,
Atque veni propere, noviter subjecta vacillant
Interdum, domino per tempora multa remoto.
Quamvis nunc pacem teneat Burgundia per te,
Auctorem pacis tamen in te cernere quærit,
Et cupit in regis sua lumina pascere vultu.

Henricum regni sui hæredem scripserat Rodulfus jam ante mortem Conradi, anno scilicet 1032. Inde commota sunt bella, Odone jura materna in regnum Burgundionum vindicante; nec non lites ortæ sunt de parte regni inter Henricum primum, Galliarum regem, et Conradum, Henrici imperatoris parentem. Pax tandem confecta anno 1034, hæreditatem adivit Henricus; ita ut noviter subjecta dici potuerit Burgundia circa annum 1040 quo habenas imperii tenere cœpit Henricus. Cum autem Burgundiam adire non posset Henricus, colloquium habuit cum Burgundionibus apud Augiam Majorem an. 1048 : sic enim legendum apud Hermannum Contractum, non Burdionibus, ut habet textus.

V. Quadripartitum est opus, Tetralogus ab auctore dictum, quod quatuor personas, Musas scilicet, Legem, Gratiam et seipsum, quæ imperatoris laudes canant, inducat. Ex eo patet quanta fuerit ignorantia Germanorum tunc temporis; postulat enim ab imperatore ut legem promulgare velit, qua pueri divites humanioribus litteris instituantur.

Tunc fac edictum per terram Teutonicorum,
Quilibet ut dives sibi na os instruat omnes
Lutterulis, legemque suam persuadeat illi,
Ut cum principibus placitandi veneri usus,
Quisque suis libris exemplum proferat illis.
Solis Teutonicis vacuum vel turpe videtur
Ut doceant aliquem, nisi clericus accipiatur.

INCIPIT PROLOGUS IN EPILOGUM (2) REGIS.

Domino regi fide et verbis catholico, actibus gloriosissimo Heinrico tertio, Wippo famulorum minimus suorum, quod ros Hermon excelso monti Sion (3).

Sanctæ pietatis tuæ accessibilis celsitudo imbecillitatem meam facit, domine rex, ad gratiæ tuæ desiderabile culmen festinare : et sicut stellio, qui nititur morari in ædibus regis (4); sic ego, licet omnibus modis obscurus, claritatis tuæ gaudia tamen in scriptis meis desidero frequentare. Et quoniam, testante Salomone (5), gloria est regis investigare sermonem, feci tibi, domine mi rex, hunc brevem Tetralogum, quo et curas insomnes reipublicæ interdum levigare, A et animum ad ea quæ tibi persuasa sunt possis excitare. Est autem tetralogus quatuor personarum sermo. Ibi poeta primum hortatur Musas ut te laudent. Chorus Musarum benedicit et laudat te Dominum regem. Deinde Lex te alloquitur cum his consiliis quæ satis conveniunt tuæ dignitati. Postremo Gratia miti affatu temperabit ad quod te Lex ex jure incitavit. Ad hæc perlegenda sit tecum legis et gratiæ mediator Jesus Christus Salvator, cujus regnum et imperium non deficiet in æternum. Vale, Domine mi rex piissime.

Explicit prologus.

POETA

Doctæ Pierides memorandas edite laudes,
Dicite perpetuas Heinrico deprecor odas.
Regis et immensum diuturnent carmina sensum.
Hujus res lætas millesima proferat ætas :
Hoc decus ingenii superet duo tempora mundi :

B Dum mundus pereat, regis sapientia vivat.
Si puer et juvenis sic floruit omnibus actis,
Quos dabit hic fructus maturo tempore ductus?
Pangite; materiam rex præstat laudibus aptam;
Vos dictate mihi, dictatum scripsero vestri.

MUSÆ.

Principio Regi benedicimus omnipotenti,
Qui caput est regum, quo gloria crescit eorum;
Qui Pater in Nato pariter cum Pneumate sancto
Lege sub æterna Dominus regnabit et ultra.

Hunc pie laudemus, nam summam laudis habemus
Hoc habeat munus, qui regnat trinus et unus.
At rex noster homo ditatus perpete dono
C Tertius Heinricus, virtutum regnat amicus

(2) Legendum *Tetralogum*.
(3) Psal. CXXXII.
(4) Proverb. XXV.
(5) Proverb. XXX.

Alter post Christum regit orbem circiter istum.
Ipsum laudemus, nam causas laudis habemus.
Et Pius Heinricus per nos modo sit benedictus,
Versibus inprimis repetito nomine regis,
Ut quoties sancti surgant pro rege vocati,
Rex toties Christo placeat de nomine misto.
Rex Heinrice Deo regum charissimus esto
Rex Heinrice piæ charissimus esto Mariæ.
Rex Heinrice duci dilectus sis Michaeli.
Rex Heinrice polis splendescas fonte Joannis.
Rex Henrice tuus sit janitor æthere Petrus.
Rex Heinrice boni te firmet epistola Pauli.
Rex Heinrice tuos Andreas dirigat actus.
Rex Heinrice preces hos curet virgo Joannes.
Rex Heinrice Thomas te vertat in omne quod est fas
Rex Heinrice tuus sit ductor ad alta Philippus.
Rex Heinrice pares Jacobi sint te redimentes.
Rex Heinrice Deo placeas tribuente Matthæo.
Rex Heinrice tuam Simon corroboret aulam.
Rex Heinrice piam Taddæus det tibi vitam.
Rex Heinrice Deum teneas per Bartholomæum.
Rex Heinrice vias tibi præparet ore Mathias.
Rex pie cum Stephano sis lætus semper in alto,
Teque pares Stephani benedicant ordine cuncti.
Rex bone Silvester tibi sit per sæcula dexter,
Teque sui socii benedicant ordine cuncti
Virginibus sacris placeas ex omnibus actis,
Omnes te sancti redimant de crimine mundi :
Sit rex sanctorum fautor tuus atque tuorum
Hæc tibi, rex, Musæ cantamus voce sonora,
Atque chorus noster renovat tua carmina semper ;
Ut tibi laus crescat, dum sol et luna patescat,
Nos damus officium quo crescat gloria rerum,
Ex nostris donis manifestant verba Maronis,
Quid pius Æneas, quid Turnus posset in armis.
Fistula Musarum Flacco dictaverat odas,
Ut Mœcenatem fecisset laude perennem.
Hæc eadem docuit Lucanum dicere bella,
Cæsaris et magni quæ durant ultima sæcli.
Ex nostris monitis callebat Statius auctor
Thebanos juvenes miseris discernere flammis.
Nasonis studium totus recitaverat orbis,
Ex nostris curis ornavit scripta figuris.
Regibus antiquis laudes cantavimus olim
A Et de principibus scribendi creverat usus.
Nunquam sic libuit quemquam laudare potentem
Ut dominum regem, quem prodit nobile nomen
Heinrici, veterum de magno germine ductum.
Rex tibi cantamus, tibi laudis dona paramus.
Accipe, de nostris ut vivas mortuus actis.
Nos operam dabimus, quo possit dicere mundus,
Tertius Heinricus fuit olim pacis amicus.
Fama sui meriti superabit tempora mundi.
Sic tibi cantabit, quem mundus adhuc generabit.
(6-7) Nonne tibi merito magni debentur honores,
Atque favor populi, post omnia portio cœli ?
Nam charus populo placuit sæpissime Christo
Quem regem talis virtutum copia lustrat.
Nunquid abest aliquid quod regis gloria quærat ?
B Omnia spe vel re venerunt commoda per te.
Si petimus pacem, tu rex, præstaveris illam ;
Si cupimus bellum, tu rex commiseris illud ;
Quod si consilium, tu rex dabis utile multum :
Si volumus studium, tu rex decus es studiorum.
Omnes munificos tu rex præcellere nosti.
Inter clementes tu rex clementior exstas.
Sic castigandos tu, rex, ratione flagellas.
Quidquid in humanis consistit moribus æqui,
Hoc Deus aut totum vel partem condidit in te.
Quam prudens opifex, qui commoda materiei
Elegit primum, de qua bona tanta pararet ;
Quem de gente virum Dominus discerneret auctor,
Qui foret imperio modo post hæc aptior isto !
C Forma, genus, probitas concordant omnia regi ;
Omnia conveniunt, concurrunt cuncta per illum,
Solus habet totum, quod plures auxerat olim.
Salve, certa quies populorum tempore nostro :
Salve, pax orbis, mundi fortissima turris,
Hostes Ecclesiæ quæ sternis semper abunde ;
Unde sui capitis mundus prævidit honorem.
Tu caput es mundi, caput est tibi rector Olympi,
Cujus membra regis justo moderamine legis.
Tales vult Dominus, quibus est hæc maxima virtus,
Mens humilis multum, cum qua te novimus ortum.
Cervicem pronam decet acceptare coronam.
Rex humilis crescit, quoties oriente diescit
Et cadit elatus, semper sævire paratus.

EPILOGUS.

Carmina Musarum, rex, perlege pauca tuarum,
Sit locus hic aliis tibi reddere munia laudis.
Wippo tuus famulus si vult defendere tempus,
Ut scribat regi, quod lex dictaverit illi,
D Hic nobis istos persuasit claudere versus.
Sis Christo curæ, pie Rex Cæsarque future.
Et vivas sanus centeno tempore canus.

CARMEN LEGIS PRO LAUDE REGIS.

Ad regis laudes Lex ambas erigit aures.
Ut segetes pluviis, sic cresco laudibus istis.
Non plus mulcet apes mellitos lambere flores,
Quam me laus regis, qua constat pactio legis.
His mihi sit verbis, quod rore virentibus herbis
Quando dies verni reparabunt gaudia mundi.
Quid satius Legi, quam dicere talia regi ?
Salve, flos patriæ, quo fructum pacis habere

(6-7) In ms. hæc ad marginem erant : Suasio regis.

Non dubitat mundus, quia regnas orbe secundus.
Post Dominum cœli dignus mundana tueri :
Salve, stirps regum populis veneranda per ævum.
Radix magna fuit, quam ramus talis adauxit ;
Nobile germen erat quod mundum floribus ornat,
Una viri virtus multum præstare solebit,
Commendatque nimis probitas semel edita quoddam
Quod faciunt plures caput unum regis habentes,
Quas numerare volens seriem facit ordine longam.
Sed tamen ex cunctis sex regem magnificabunt
Virtutes aliasque satis præcedere norunt.
Mens humilis, pietatis amor, pax missa per orbem,
Nobilitas et forma decens, fiducia belli ;
Has voco præcipuas et regis honoribus aptas
His rex Heinricus Christi clarescit amicus.
Ad mea nunc venio, quæ novit mundus in illo :
Sunt mea quæ dicam, quia sum Lex, ille meus rex
Et qui me spernit, rex ejus prælia sternit.
Qui mea jura colit, rex hunc defendere novit.
Rex Christo charus; nullum vastabit avarus
Vile putat studium si quis comportat in unum
Quidquid habere potest, cum jus non quærat habendi,
Est dives multum contemptor divitiarum.
Aurisurdus amor miseris clamantibus obstat.
Vendiderit leges captura pecunia reges,
Et de principibus justos furabitur usus.
At rex Heinricus vir prudens prospicit illud,
Ut tunc curet opes, cum nullum sunt reprimentes.
Nec contra legem flectunt donaria regem.
Sic facit ut doctus quis rex est doctior illo?
Quis Cæsar melius, si quid rubrica vetavit,
Scire valet primis, quam discere cœperat annis
Felix sit genitor redivivus laude perenni
Conradus Cæsar quem maxima causa subivit,
Ut sciret natum studiis ad regna paratum,
Qui rector publicus mundum discernere posset.
Felix sit mater memorando carmine digna
Gisela de Caroli procedens sanguine Magni.
Nam si post decimam numeretur linea quarta
Post Carolum Magnum nascetur nobilis ipsa.
Hæc operam dederat, quod rex in lege studebat :
Illa sibi libros persuaserat esse legendos,
Ut varios ritus dijudicet arte peritus
Doctrinæ lumen tenebrosum dirigit orbem
Gentes infestas vicit Romana potestas
Olim consiliis, non semper vicerat armis.
Est satis expertum quantum sapientia possit,
Quæ per vim verbi flectit moderamina regni.
Rex iterum salve. Tibi laus sit cum genitrice
A Ad cujus votum tibi dat sapientia totum,
Quo decus imperii valeas per jura tueri.
Congaudete simul ; non ut discordia regnet,
Quæ dudum regni turbavit gaudia nostri.
Cum dominis rerum sit pax sine fine dierum.
O sanctos mores cum matri reddis honores.
Est tibi spes vitæ, si sit sibi gloria per te.
Si quid erat, rite Deus illud transtulit ipse.
Exin nullus homo fœdus dissolvere possit.
Quod Deus adjunxit, qui pacis dona creavit.
Perstet dulcedo materni nominis in te,
Cum valeas alios acquirere semper amicos
Mater in hac vita non plus tibi venerit ulla.
Quin aliud dicam tibi, rex, ego consiliatrix,
Lex tua, ne renuas post dictum commemorare ;
B Cum Deus omnipotens tibi tutum fregerit orbem,
Et juga præcepti non audet temnere quisquam,
Pacatusque silet firmato fœdere mundus,
Cumque per imperium tua jussa volatile verbum
Edocet Augusti de claro nomine scriptum.
Tunc fac edictum per terram Teutonicorum,
Quilibet ut dives sibi natos instruat omnes
Litterulis, legemque suam persuadeat illis,
Ut cum principibus placitandi venerit usus,
Quisque suis libris exemplum proferat illis.
Moribus his dudum vivebat Roma decenter :
His studiis tantos potuit vincire tyrannos :
Hoc servant Itali post prima crepundia cuncti ;
Et sudare scholis mandatur tota juventus :
Solis Teutonicis vacuum vel turpe videtur
C Ut doceant aliquem, nisi clericus accipiatur.
Sed, rex docte, jube cunctos per regna doceri,
Ut tecum regnet sapientia partibus istis.
Præterea tibi, rex mandat Burgundia : Surge
Atque veni, propera, noviter (8) subjecta vacillant
Interdum, domino per tempora multa remoto.
Funditus est verum veterano tempore dictum :
Quidquid abest oculis, removetur lumine cordis.
Quamvis nunc pacem teneat Burgundia per te,
Auctorem pacis tamen in te cernere quærit,
Et cupit in regis sua lumina pascere vultu.
Huc ades, et regnum fac, te veniente, serenum.
Si sol occubuit cum Cæsar regna reliquit,
Irradias patriam, si tu modo viseris, illam.
D Hæc olim magno domuisti regna labore ;
Utere nunc populis, tibi, rex, servire paratis.
Hæc via sit facilis, quam præparat orbita pacis :
Huc bene venias, hic omnia prospera cernas.

CARMEN GRATIÆ PRO REGIS HONORE.

Omnia plena bonis. Sic optat musa Wipponis
Hæc ego Lex cecini devoto carmine regi.
Audi, spes orbis, quid dicant intima cordis,
Quid velit hæc series, quas addat Gratia laudes.
Gratia te laudat, tibi grates Gratia cantat;
De vena mentis salientia carmina sentis
Post justam Legem comeretur [*leg.* comitetur] Gratia [regem,
Et post judicium veniæ mulcedo sequatur.
Sicut vulneribus medicinam ferre solemus,
Sic condemnatis succurrat mos pietatis.
Lex ad vim regi generat feriendo nocentes,

(8) Vide supra observationem præviam.

Ut si charus item rex idem gratia suadet.
Legem scripsit homo, descendit gratia cœlo :
Lex servire docet, dominari gratia monstrat ;
Lex condemnabit, sed gratia justificabit.
Hoc dicendo, bonam prorsus non denego legem ;
Sed laudans veniam, commendo regibus illam.
Non satis una valet, si non manet altera secum.
Frangitur hæc, fortis ; contemnitur altera, mollis
Est bona temperies, quam lex et gratia miscent
Hæ si conjunctæ, generabunt pacis amorem.
Non laudo pondus, quod nemo ferre valebit.
Viribus inspectis onerabit gratia lapsos.
Rex Dominus cœli, miserando, judiciales
Abscondens pœnas, conversos protegit hostes.
(9) Hunc imitare, peto, pie rex Heinrice, Tonantem,
Qui misero parcit, parcendo crimina punit,
Sic utrumque bonum doceat regnare patronum,
Per quem lex feriat, quo legem gratia sanet.
Hoc, venerande, tibi prædixerit ordo sacrandi,
Cum præsul gladium femoris vertigine cingit,
Dum rex iratus fueris miserando quiesce.
Dura foventur aquis, durescant lenia flammis ;
Alternatque vices moderatæ jus rationis.
Hinc adamas durus solvetur sanguine molli ;
Conseritur vitrum melius per vincula plumbi :
Ferrum cum limo massa candente liquescit.
Et natura jubet mutari tristia blandis :
Post acidum, dulcem præstat gustare saporem,
Post dulces, acidos iterum confundere gustus
Non hæc propterea tibi, rex, narrare paravi,
Ut te clementem dominum regnique parentem
Quis dubitet, sed eos quì tantum lege moventur
Castigare libet, quibus hæc pia dogmata trado.
Cum Deus omnipotens in mundo cuncta creavit,
Solus homo liber percepit dona creantis.
Mox libertatem primam vaga mens vitiavit.
Cœperunt miseri dono rationis abuti ;
Et potuisse malum, traxit natura, per usum.
Ecce Deus legem superaddidit hoc reprimentem,
Cujus transgressor non impunitus abiret,
Ac pœnam metuens rediret perversa voluntas
Judiciumque probet quam sit peccare malignum.
Sic Dominus clemens servos revocare volebat.
Non tulit illud homo, pœnali lege gravatus,
Ut per vindictam posset compescere culpam ;
Et mortale jugum læsa cervice dolebat.
Occidatur, ait, lex, qui semel est homicida,
Et qui mœchetur cum mœcha mox lapidetur ;
Dens pro dente cadat ; lumen pro lumine vadat ;

A Pesque pedem reddat ; manui manus altera cedat ;
Vulnera vulneribus responsum reddere certent.
Qui detestatur genitores, hic moriatur ;
Qui furtum faciet, sine pœna non remanebit ;
Quinque boves unum redimant cum fraude remotum ;
Qui furatur ovem, reddat cum quatuor unam ;
Si maledicet homo, moriatur pro maledicto
Sic lex verborum contorquens tela suorum,
Terrebat plures, et desperare coegit,
Clamabat populus sub tanto pondere pressus,
Vociferabat homo fessus religamine duro,
Hoc non posse pati, fore tempus jam miserendi.
Audivit Dominus clamantes, et miserorum
Respondit gemitus solita pietate creator.
Venit in hunc mundum carnis velatus in umbra,
B Humani generis formator et ipse redemptor.
Non repulit legem, sed justum dans moderamen,
Ne moreretur homo, veniam cum lege locavit ;
Ut cum lex mortem promittat, gratia vitam :
Erigat hæc humiles, ut dissipet illa rebelles
Conversus veniam judex non abneget ullus.
Sic Deus omnipotens per vates dixerat olim :
Nolo peccantis mortem, nec gaudeo pœna :
Convertatur, ait, vivat, mihi serviat ipse,
Conservatus homo, quem prisca in sede repono.
Nunc idem Dominus veniens in tegmine carnis
Inquit : Discipulis hoc mando, discite, cunctis :
Crimina pœniteant, et vita perpete vivant.
Peccatum pereat, peccator vivere discat.
Qui se convertit, non est hic qui fuit olim.
C Non dicam hic vitæ quid sit clementia verax :
Quod gratis dabitur clementia jure vocatur.
Qui recipit meritum, veniam quis dixerit illud ?
Si quis peccanti converso vult misereri,
Et, parcens misero, vindictam sumere nescit,
Hic veniam tribuit ; sic pœnam gratia spernit.
Propitietur homo confratri crimine lapso.
Qui cadit et surgit, spes est ut vivere possit.
Omnes peccamus, peccantibus hoc faciamus
Quod Dominus nobis qui clemens est inimicis,
Cum veniam laudo, non legem temnere quæro.
Lex bona si veniam dorso portare studebit,
Gratia tunc prodest, cum lex præcesserit illam.
Et lex obstanti, sed gratia sit redeunti :
Sic in utroque bono dabitur consistere mundo.
D Nunc tibi sit regi pax et clementia Christi :
Tu princeps orbis sis Christi munere fortis,
Tu Dominus regni vivas in pace perenni.
Sic vult Wippo tuus cum fido pectore servus.

(9) In ms. margine : Consilium Gratiæ.

VERSUS WIPPONIS AD MENSAM REGIS

IN NATALI DOMINI

Regalis cœtus sit in isto tempore lætus,
Quo lux in tenebris exoritur populis
Inter lætandum res suadet commemorandum,
Quod Deus est natus, Filius ipse datus.

Parva dedit Bethlem de magno germine panem,
Qui satiare valet quidquid ubique manet.
Panem de cœlo porrexit gratia mundo;
Panis adest vivus perpetuusque cibus.
Fons salientis aquæ, diffusæ pocula vitæ;
Hinc quicunque bibet, non iterum sitiet.
Mellis dulcedo per Christum fluxit olympo,
Ut sapiant famuli delicias Domini;
A Bos renuit fenum cum vidit nobile granum
Et præsepe Dei præcavet os asini.
Virgo Maria, vide, mirando talia ride:
Ex te per verbum cerne Deum genitum.
Rex pie cœlestis, nostris illabere festis
Da fructum pacis, sicut ubique facis,
Heinrico regi digneris propitiari
Ut cum lætitia pertrahat officia.

PROVERBIA WIPPONIS

EDITA AD HENRICUM CUONRADI IMPERATORIS FILIUM.

(Apud Marten. *Ampl. Collect.* IX, 1093, *ex manuscripto S. Matthiæ Trevirensis annorum* 500.)

Incipit inventum, referens proverbia centum.
Decet regem discere legem. Audiat rex quod præcipit lex. Legem servare hoc est regnare.
Notitia litterarum lux est animarum
Sæpius offendit qui lumen non attendit.
Qui habet scientiam, ornat sententiam.
Melior est sapientia quam sæcularis potentia.
Plus unicus sensus quam multiplex census.
Est sapiens multum qui amat Dei cultum.
Vir fidelis coronatur in cœlis.
Bene credit qui neminem lædit.
Qui fidus seniori approximat honori.
Qui confidit in Deo fortis est ut leo.
Melius est in Deo sperare quam divitias congregare.
Fortissima spes beatificat res.
Charitas non ficta odit delicta.
Qui diligit fratrem, placat Deum et patrem.
Regnum cœlorum non est invidorum.
Melius est humiliari quam exaltari.
Humilis homo triumphat in domo.
Qui per ardua vadit, sæpius cadit.
Viri mites renuunt lites.
Qui assidue rixantur, a paucis amantur.
Malos pro Deo tolerare est superare.
Pacis donum omnibus est bonum.
Qui in pace fundantur non eradicantur.
Incendium bellorum corruptio est morum.
Homo pudicus est animæ amicus.
Ubi frequens luxuria, non deerit penuria.
Voluptas mundana semper est vana.
Judicis sententiam oportet sequi clementiam.
Melius est interdum ignoscere quam vindictam poscere.
Qui misereitur, misericordiam consequetur.
Verbum veritatis subveniet judicatis.
Falsus in ore caret honore.
Qui falsitate vivit, omnia occidit.
Qui est hilaris dator, hunc amat Salvator.
Omnis avarus nulli est charus.
Bona tribuere non est munere.
B Ubi pugnat sancta oratio, ibi vincitur tribulatio.
Incessanter orare est delicta purgare.
Bene orat qui in corde plorat.
Jejunium forte liberat a secunda sorte.
Qui non potest jejunare, discat eleemosynam dare.
Bene jubilabit qui a bono non cessabit
Melius est interdum dormire quam diabolo servire.
Dormire non multum exhilarat vultum.
Qui se fatetur reum, placat Deum.
Ubi est vera pœnitentia, ibi Dei clementia.
Oportet enim parcere diu positis in carcere.
Valde decipitur qui nunquam corripitur
Amicabilis increpatio non est damnatio.
Oleum peccatoris laus est adulatoris.
C Ubi longa ebrietas, ibi brevis est pietas.
Vinum multum et forte parum distat a morte.
Per crapulam cibi et potus perit homo totus.
Per moderantiam pervenitur ad abundantiam.
Mediocriter plura gaudet natura.
Proverbium: *Ne quid nimis* laudatur in primis.
Juvenis animosus senex fit gloriosus.
Qui torpescit dum calet, frigidus nihil valet.
Qui vacat in juventute, turbatur in senectute.
Fortes viri omnibus sunt miri.
Reges et præsides non decet esse desides.
Mundi rectores æquent cum nomine mores.
Viri pontificales sanctis sunt æquales.
Medici animarum exorbitent parum.
Contra lupum vigilare est raptus vitare.
D Qui viduam defendit, ad Christum regem tendit.
Qui vindicat pupillum, Deus coronat illum.
Pauperum consolator est æternæ vitæ amator.
Oportet cavere vanitatem videre.
Cor incendit oculus ut stipulam foculus.
Voluptas non visa citius erit elisa.
Qui libenter bonum audit, corde Deum plaudit.
Melius est pauperem audire quam sonitum lyræ.
Incassum miseros audit, qui os et manus claudit.
Lingua placabilis ligno vitæ est comparabilis.
Lingua dolosa semper est odiosa.

Qui loquitur modeste liber est a peste.
Manus sine opere mendicabit propere.
Manuum labores præstant honores.
Qui bonum operatur, a Deo benedicatur.
Beati pedes qui visitant infirmorum ædes.
Cum Deo ambulare est animam salvare.
Qui migrat ad æternam sedem, non offendit pedem.
Iniquum est ob beneficium reddere supplicium.
Qui reddit malum pro bono indignus est dono.
Bono vincere mala ad cœlum est scala.
Mundi contemptus a Deo est inventus.
Qui amat mundum præsentem, sequitur rem fugientem.
Melius est supernum consilium quam hujus vitæ auxilium.
Pulchra tenet atria superna patria.
Tendit filius et frater qui vocat illos pater.
Auro cœlesti sunt semper gaudia festi.
Quid fugis ex illo, qui claudit cuncta pugillo?
O quicunque velis mentem conjungere cœlis,
Qua resident justi serto palmisque venusti,
Mundi sperne minas, et res pede subige blandas.

Superbia dicit :

In cunctis operibus tibi non æquabitur ullus.

Humilis :

Putridus es vermis, quid, homo moriture, superbis?

nanis gloria :

Fac, propter famam, quæcunque potes bona coram hominibus.

Timor Dei :

Opta celari bona quæque soles operari.

Hypocrisis :

Exteris sancto te conformare studeto.

Religio :

Væ foris albatis qui vos tumulis simulatis.

Inobedientia :

Quid faciat se, qui multum vilior est te?

Subjectio :

Quisquis vos spernit, Deus, inquit, me quoque spernit.

Invidia :

Cur quocunque modo non is sublimior illo?

Congratulatio :

Congaude fratri, fer opemque proficienti.

Odium :

Qualiter hunc quis amet, sibi qui contrarius exstat?

Charitas :

Verus amor fratris brevis est impletio legis.

Detractio :

Quis toleret sileat venialium quod perpetrat ille?

Justa correptio :

Occulte nunquam debes reprehendere quemquam.

Ira :

Cur non obsistis, cum quid fieri tibi non vis?

Patientia :

Quid non pro Christo toleres pro te crucifixo?

Protervia :

Peccanti semper sis durus et asper.

(10) Quando nimirum est involuntaria.

A

Mansuetudo :

Argue, coge, roga, Timothee, sagaciter insta.

Timor mentis :

Scit Deus ipse quid est, nullo de judice cures.

Satisfactio :

Suspiciosus eris, si non delicta fateris.

Tristitia :

Quo gaudere potes qui gratis tot mala perfers?

Gaudium spirituale :

Cur modo contristat quod non tibi gaudia præstat?

Torpor vel ignavia :

Visu privaris si continue lacrymaris.

Virtutis exercitatio :

Mors venit absque mora, tu nocte dieque labora.

Vagatio :

B Hoc discede loco, locus ille melior iste.

Stabilitas :

Cum sit ubique Deus, maneas ubique quietus.

Desperatio :

Non surges, penitus peccati mole gravatus.

Spei fiducia :

Dant tibi spem veniæ peccata remissa Mariæ.

Cupiditas :

Multiplica fenus, nec mendicabis egenus.

Mundi contemptus :

Quantumvis habeas, nil hinc moriture reportas.

Obduratio

Unde tuos pascis, tua si dispergis?

Misericordia :

Si quid habes tribuas, tua sit tibi larga voluntas.

C

Fraus, furtum :

Non est quod tribuas? Furto vel fraude requiras.

Innocentia :

Præstat nulla dari quam te fraude furari.

Fallacia et mendacium dicit :

Perfice fallendo quod non vis vera loquendo.

Veritas :

Os quod mentitur animæ mors esse probatur.

Ventris ingluvies :

A factore datis cur non epulis satiaris?

Parcimonia ciborum :

Parce quibusque cibis, pereas ne cum Sodomitis.

Inepta lætitia :

Fac socios gaudere tuos risumque movere.

D

Moderatus mœror ;

Unde tibi risus, cum sis miser hic peregrinus?

Multiloquium :

Est nil peccati perplurima, si bona, fari.

Discreta taciturnitas :

Nunquam vitabis culpam si multa loquaris.

Immunditia :

Non est culpa gravis quævis pollutio (10) carnis.

Integritas carnis :

Clauditur incestis cœlestis janua regni.

Luxuria :

Utere luxuria? nescis qua vita futura.

Castitas illibata :
Si castus fueris, vita sine fine frueris.
Spiritalis fornicatio :
Non est grande nefas animo concepta voluptas.
Munditia carnis :
Certe mœcharis cum sis cupidus mulieris.
Amor præsentis sæculi :
Quid dulci vita valet esse venustius ista ?
Amor patriæ cœlestis :
Si carcer talis, Deus, o tua mansio qualis !
Expliciunt proverbia.
In linguæ plectro tibi mors et vita servata.
Ne sis bilinguis, ne des exempla malignis.
Charus erit minime, qui quod scit ventilat omne.
Charo charus erit, qui non commissa tacebit.
Lingua susurronis est pejor felle draconis.
Verba beant justum, non centum verbera stultum.
Nulla lues servo pejor potest esse maligno.
Doctus ab indocto distat virtutibus octo.
Lapsa suam non post solidabit virgo ruinam.
Mens robusta viri levitate cadit muliebri.
Vim frangunt cordis variæ modulamina vocis.
Absque modo tractus sæpissime frangitur arcus.
Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu.
In psalmis et laude Dei torpescere noli.
Gaudia sunt populi rector pius atque benignus.
Quanto nobilius tanto magis flexile collum.
Sæpius exclusum foris obliviscimur intus.
Præmia sunt tecum, mors aufert cætera secum.
Divitiis posuisse modum non ultima laus est.
Munera quæ donat moriens, hæc munera non sunt,
Nulli ferme daret, uti si longius posset.
Virtus est pueri præcepta servare magistri.

CIRCA EUMDEM ANNUM.

HELGA DUS

FLORIACENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN HELGAUDUM.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VII, pag. 405.)

Helgaud (1) ou Helgald, qui mériterait mieux le titre de panégyriste que celui d'historien, nous apprend lui-même (*Vit. Rob.*, *Patrologiæ*, tom. CXLI). qu'il avait été moine de Fleuri sous l'abbé Gauzlin, qui réunissait en sa personne cette dignité avec celle d'archevêque de Bourges, et qui mourut en 1029. De là il est à présumer qu'Helgaud avait étudié sous Abbon, ou sous Constantin, son successeur dans la direction des écoles de Fleuri. Mais s'il y fit du progrès dans les autres connaissances littéraires, il ne sut guère profiter de leurs leçons pour apprendre à bien écrire. Son style est effectivement si peu naturel, ou, pour mieux dire, si affecté, si rude, si obscur, qu'on n'y reconnaîtrait jamais un disciple d'Abbon.

L'on ne peut d'ailleurs s'empêcher de convenir qu'Helgaud était homme de mérite et de piété. C'est ce que fait juger la part singulière qu'il avait à l'honneur des bonnes grâces du roi Robert, qui ne contractait ordinairement d'étroites liaisons qu'avec des personnes de ce caractère. Non-seulement il avait un libre accès auprès de ce prince, qu'il regardait comme son père, il ose même dire, comme son ami, *amicus de amico, dilectus de dilecto ;* mais encore Robert aimait véritablement Helgaud comme son fils, *affectu diligebat paterno.* Les preuves qu'en donne notre écrivain sont concluantes et ne permettent pas d'en douter. Helgaud avait un autre illustre ami en la personne d'Odolric, évêque d'Orléans, sur l'amitié duquel il pouvait compter, jusqu'à en obtenir tout ce qui serait conforme aux règles de l'équité.

Gauzlin avait aussi des égards particuliers pour Helgaud. Il le choisit pour prendre soin de faire construire, sur le fonds de l'abbaye de Fleuri, une chapelle sous l'invocation de saint Denis et de ses compagnons. Helgaud ne la fit d'abord que de bois. Le roi Robert, étant allé dès lors la visiter par dévotion, y fit des présents, et l'enrichit peu de temps après de quelques reliques des saints martyrs. Un embrasement inopiné l'ayant ensuite réduite en cendres, Helgaud trouva le moyen de la rebâtir en pierres. Et, afin d'apprendre à ceux qui iraient y prier que c'était son ouvrage et de les engager à se souvenir de lui dans leurs prières, il mit à droite et à gauche de l'autel deux inscriptions, en vers, dans lesquelles il a eu soin de se nommer et de réclamer les suffrages de ceux qui les liraient. On peut induire de là qu'Helgaud était prêtre, puisqu'il était chargé de desservir cette chapelle. Entre ses autres bonnes

(1) Possevin (*App.* t. I, p. 720) le nomme *Helgacius*, ou *Helgalcidus*, suivant la leçon de Vossius (*Hist. Lat.* l. II, c. 44, p. 116, 2), mais c'est par corruption.

qualités il avait la reconnaissance en grande recommandation. C'est ce qu'il montre par les prières qu'il fait pour le bonheur éternel de ses bienfaiteurs, lorsqu'il parle de leurs bontés à son égard

Il serait difficile de fixer précisément le terme de sa vie. Il est certain qu'il a vécu au delà de 1033, qui est l'époque de la mort d'Odolric évêque d'Orléans, dont il parle comme d'une personne qui n'était plus au monde. Il y a même beaucoup d'apparence qu'il n'écrivait qu'après 1042, c'est-à-dire après que le roi Henri, fils de Robert, se fut signalé contre Etienne, comte de Champagne, Galeran de Meulan et les factieux de Normandie, qui refusaient de reconnaître Guillaume le Bâtard pour leur souverain. Ce qui en fait ainsi juger est la fin de l'ouvrage d'Helgaud, où, parlant de ceux qui entreprendraient d'écrire les exploits militaires du roi Robert, il dit qu'ils y trouveraient matière à faire paraître le père et ses fils comme de grands capitaines couronnés de gloire. Plusieurs modernes (Oud., *Scrip.* t. II, p. 644; le Long, *Bib. fr.*, p. 340, 2) supposent qu'Helgaud florissait vers 1050, mais on peut légitimement douter s'il a vécu au delà de 1048. Sa mort est marquée au 29e jour d'août dans le Nécrologe de Saint-Bénigne de Dijon, et au jour précédent dans celui de Saint-Germain des Prés, qui lui donne la qualité de prêtre (Montf. *Bib. bib.*, p. 1163, 2. *Hist. de S. Germ.* app. p. 117, 2).

L'unique ouvrage qui nous reste de la façon d'Helgaud est un abrégé de la vie du roi Robert (Du Ches. t. IV, p. 59). On a ajouté à ce titre que l'écrit a été pris de l'ouvrage d'un autre moine qui aurait traité plus amplement le même sujet avant notre historien. Mais M. de Sainte-Palaye (*Hist. de l'Acad. des insc.*, t. X, p. 556) a montré par de fortes raisons que cette addition, qui réduit Helgaud à la qualité de simple abréviateur, est sans le moindre fondement, et qu'on doit la regarder comme un effet téméraire de l'ignorance des copistes. Si donc cette Vie porte le titre d'abrégé, ce n'est point qu'elle soit un extrait d'un autre écrit plus étendu, mais parce qu'elle n'est qu'une histoire abrégée du prince dont l'auteur entreprend d'écrire les actions. Helgaud en effet avertit lui-même qu'il n'a pas eu dessein de parler des guerres où Robert se signala, ni des affaires politiques, et qu'il laisse aux historiographes le soin d'en transmettre la mémoire à la postérité.

Par cette supression l'auteur a proscrit de son ouvrage ce qu'il y avait de plus intéressant pour l'histoire dans la vie du roi Robert. Il s'est borné (*Hist. de l'Acad. des insc.*, ib. p. 558) à nous donner une longue déclamation qui roule uniquement sur la piété de ce prince, sur sa dévotion envers les saints, sur ses jeûnes, ses mortifications, ses prières, sur sa charité pour les pauvres, sur l'affection qu'il portait aux moines, sur les biens dont il les combla, les grandes fondations qu'il fit dans l'ordre de Saint-Benoît, et particulièrement dans l'abbaye de Fleuri; enfin sur quelques miracles qui lui furent attribués. De sorte que c'est moins une histoire qu'un sermon ou oraison funèbre dans le goût de ce temps-là, où l'auteur a placé beaucoup de minuties et est entré dans les plus petits détails. Le tout est assorti à un style tel qu'on l'a déjà dépeint, et où les consonnances souvent affectées tiennent lieu du bon goût. Cela n'empêche pas que ces détails, qui regardent souvent l'intérieur de la maison de nos rois, ne nous offrent une peinture très-naïve et très-singulière de la simplicité des mœurs du temps.

Cet écrit est précédé d'une courte notice de la fondation de Fleuri et du testament de Leodebode, son fondateur, pièces qui sont ici visiblement hors d'œuvre à l'égard de la Vie du roi Robert, avec laquelle elles n'ont point de rapport. D'où le savant et judicieux M. de Sainte-Palaye conjecture avec beaucoup de fondement (*Hist. de l'Acad. des insc.*, ib. p. 557), que l'auteur avait un dessein plus étendu, et qu'il s'était proposé de faire l'histoire des abbayes de Saint-Agnan d'Orléans et de Fleuri. Après quoi, n'ayant pas voulu laisser ignorer à la postérité les grands biens qu'elles avaient reçus du roi Robert, il en aura pris occasion d'y ajouter par manière de supplément, ou comme une suite de cette histoire, la Vie de ce prince, dont la plus grande partie contient en effet ce qu'il fit en faveur de ces deux monastères; quiconque se donnera la peine de lire avec attention la préface qui est à la tête de cette Vie, pour la lier avec l'ouvrage précédent, conviendra que la conjecture est aussi solide qu'ingénieuse. Il sera arrivé, dans la suite des temps, que la négligence des copistes aura fait perdre ce qui nous manque du corps de l'Histoire.

L'écrit d'Helgaud, tel qu'il est venu jusqu'à nous, a été d'abord imprimé avec la Vie de saint Louis, par Guillaume de Nangis, et l'Histoire de France par Gaguin (*Bib. cath. Rot.*). Le recueil, qui est *in-folio*, parut à Francfort en 1577. Il paraît que cette édition n'a pas été connue de nos bibliographes. Pithou (*Scri. Fr.*, t. I, p. 59-79) réimprima depuis l'ouvrage de notre auteur à la suite de l'Histoire de Glaber, dans le premier volume de ses Historiens. Les Duchesne l'ont donné de nouveau, dans le quatrième volume (p. 59-79) de leur Collection, à la suite du même Glaber.

Vossius (*Hist. Lat.*, l. II, c. 44, p. 116, 2) attribue à Helgaud la Vie de saint Abbon, abbé de Fleuri. Mais cette opinion, qui est particulière à ce critique, se trouve dénuée de toute vraisemblance. L'ouvrage appartient à Aimoin, disciple d'Abbon, comme on l'a vu à son article.

HELGAUDI
VITA ROBERTI REGIS FRANCORUM.

(*Vide Patrologiæ tom. CXLI in* ROBERTO *rege.*)

ANNO DOMINI MLI, *alias* MXLVIII.

GERARDUS I

CAMERACENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN GERARDUM.

(Apud D. Leglai, *Cameracum Christianum*, pag. 22.)

Gerardus, Arnoldi seu Arnulfi, toparchæ de Florinis, cui Albericus in Chron. dat cognomentum *de Ruvigny*, filius, patria Leodiensis. In Gerberti schola Remis institutus sub Adalberonis archiepiscopi disciplina, Henrico imperatore, cujus capellanus erat, postulante, fit episcopus an. 1013, consecraturque postridie Purificationis. *Magnus* appellatur ab Alberico, qui refert eum cum fratre suo Godefrido fundasse abbatiam Florinensem, ubi duplex fecit cœnobium, unum sub nomine S. Gingulfi pro clericis, alterum in honorem S. Joannis Baptistæ, quod Richardi abbatis S. Vitoni Virdunensis subdidit disciplinæ.

Anno 1015, indict. XII, IV Idus Maii, subscripsit concilio Remensi cum Arnulfo archiep., Adalberone Laudunensi et Fulcone Ambianensi episcopis. Confirmavit donum Roberti Bethuniensis filii, subscripsitque an. 1018 fundationi cujusdam ecclesiæ collegiatæ in oppido de Rozoy. S. Andreæ abbatiam in castro Cameracesii, ditionis episcopalis oppido, fundavit et dotavit, anno 1046. Illucque delatum corpus S. Humberti aliquandiu conservavit. Hic sanctus olim Maricolense monasterium in proprio fundo exstruxerat, quod, ejectis monachis, clerici occuparunt. Sed Gerardus, cum parochiæ suæ lustraret ecclesias, veniens ad hunc locum, invenit pene destructa ædificia, et omnia dissipata quasi ab hostili exercitu monasterium fuisset expilatum. Quapropter intelligens pius episcopus hæc mala *ex insolentia* clericorum prodisse, cum frustra tentasset eos ad meliorem frugem revocare, ordinem monachorum ibidem restituere curavit. At ejecti clerici quasi latrunculi in locum irruperunt, effractisque scriniis A pretiosa quæque, inprimis corpus B. Humberti, ad sua latibula asportarunt; verum ea restituere coacti sunt ab episcopis. Paulo post S. Humberti corpus, jubente Gerardo, defertur ad ecclesiam S. Andreæ ab hoc episcopo ædificatam in castello S. Mariæ Cameracesii, ubi erat congregatio monachorum ab eodem instituta præsule; hunc enim locum tutiorem existimabat ad conservandum hoc sacrum pignus. Satius tamen postea visum est ei, pristinam ad sedem illud reportare, nimirum Maricolas. De eis agit Mabillonius ad annum 1018

Anno circiter 1022 adfuit synodo Aquisgranensi, ubi Durandi Leodiensis episcopi causam adjuvit adversus Piligrinum coloniensem archiepiscopum, quoddam monasterium de parochia Durandi sibi B vindicantem. Paulo post Henricum imperatorem in Italiam proficiscentem, unde victor cæsis Græcis et Sarracenis rediit, usque ad monasterium Santas (1) comitatus est.

Anno 1023, Gerardus et Richardus abbas Virdunensis legatione functi sunt pro Henrico imperatore ad Robertum Francorum regem. Atrebati habetur synodus an. 1025, post Epiphaniam, in qua Gerardus episcopus, vir doctus, et scholæ Remensis alumnus sub Adalberone archiepiscopo, cujus erat consanguineus, hæreticos Manichæos confutavit, et ad fidem catholicam revocavit. Synodi et disputationis Gerardi acta, quæ nuncupavit Reginaldo episcopo Leodiensi, habentur tom. XIII Spicilegii, p. 1 et sequent.

C An. 1013, cum decreto, *Treuga-Dei* (2) vulgo appellato, cautum esset inter cætera, ut qualibet feria VI jejunaretur in pane et aqua, Sabbatoque a de none, jusqu'au lundi à prime; il était en outre défendu d'assaillir jamais un clerc ou moine marchant sans armes, ni un homme allant à l'église ou en revenant avec des femmes, ni les maisons environnantes jusqu'à la distance de trente pas.

(1) Setten ou Santen, dans le duché de Clèves; on croit que c'est le *Vetera Castra* de Tacite, où Civilis fut défait par Cérialis.

(2) La trêve de Dieu, imaginée pour porter remède aux guerres privées, stipulait que personne ne pouvait attaquer son ennemi depuis le samedi à l'heure

carnibus abstineretur, quod nondum erat in usu, idque solum exsequentibus omnium peccatorum remissio promitteretur; iis obstitit Gerardus maxime doctissima quam scripsit ad Beraldum Suessionensem et Warinum Belvacensem episcopos epistola, ut referunt Sigebertus et Baldericus. Postea tamen ad patronorum Treugæ-Dei sententiam flexus est. Ejus nomen subscriptum legitur in litteris de advocatia Marcianensis abbatiæ Balduini Flandriæ marchionis an. 1008, et in diplomate Henrici imperatoris pro Nivialensi cœnobio an. 1040.

Laudatur ob restitutum ejus ope ordinem religionis monasticæ quæ pene annihilata erat in monasterio Malbodiensi, per Ansoaldem magnæ sanctitatis virginem nec minoris eruditionis, quæ prima litterarum elementa docuerat fratrem suum Theodericum postea abbatem et reformatorem S. Huberti, ut docet scriptor Vitæ Theodorici. Cum Wipodone, episcopo Leodiensi, Engrobandum abbatem a regimine Laubiensis monasterii repulit, quod sæculariter viveret ac bona dissiparet : subrogato ei Richardo Virdunensi abbate, ex Balderico, lib. III, cap. 15. Restituit rem familiarem et asceticam disciplinam in monasterio S. Gisleni, a Simone abbate, cui Verricum subrogavit, pessumdatas; ibidemque præstitit in Alto-Monte, revocatis Benedictinis institutis, ut docet Bartholomæus Fitzen e Societ. Jesu, in Florib. Leod., p. 5.

ACTA SYNODI ATREBATENSIS

IN MANICHÆOS.

(*Actes de la province ecclésiastique de Reims*, tom. II, pag. 6.)

MONITUM.

Un levain de l'hérésie manichéenne, que l'on croyait avoir détruite à Orléans en 1022, fermentait sourdement dans le diocèse d'Arras; ces doctrines pernicieuses n'échappèrent pas à la vigilance de Gérard, évêque de Cambrai et d'Arras : il fit rechercher les sectaires, les interrogea, et les fit comparaître au synode qu'il tint, en 1025, dans la cathédrale d'Arras. D'autres prélats s'étaient laissé tromper par les artifices de ces hérétiques; Gérard, pour arrêter les progrès du mal, écrivit à l'un de ces prélats, que l'on croit être Renauld, évêque de Liége, et lui adressa les actes de son synode.

GERARDI EPISTOLA.

R., nominis dignitate et prærogativa meritorum episcopo, Gerardus, nullius meriti coepiscopus, quidquid ad beatam vitam præstantius. B

Cum nobile ingenium et prudentiam vestram considero, non adeo demiror potuisse nefarios homines, erroris spiritu magicatos, in aliquam pravi dogmatis conspirasse dementiam; sed ad inquisitionem vestram qualiter dissimulare potuerint, ut vos fallerent, vehementer stupeo. Nam quosdam, ut ipse scitis, hujusmodi homines in finibus vestris cohabitasse, sicut veris indiciis comprobavimus, retulimus charitati vestræ. Quos, quia terrore supplicii speciem religionis mentiebantur, indemnatos, velut innoxios, abire permisistis. Quod quidem in illis efficacior ad subvertendos simplices causa exstitit, simplicibus autem scrupulum, ne non audiendos æstimarent, injecit, quos vero examine discussos audirent, nec causam puniendi inventam. Verum illi quoque qui, missi ab eis ad seductionem hujusmodi, ad nos devenerant, comprehensi multa dissimulatione renitebant, adeo ut nullis suppliciis possent cogi ad confessionem, donec per eos ipsos, quos jam pene eodem sui erroris maleficio imbuerant, convicti, tandem suæ sectæ disciplinam partim nobis exposuerunt. Et post aliqua, quæ se tenere ex evangelica et apostolica doctrina mentiebantur, dicebant baptismatis mysterium et Dominici corporis et sanguinis sacramentum nullum esse, et idcirco rejiciendum, nisi simulationis causa ministraretur; pœnitentiam nihil ad salutem proficere; conjugatos nequaquam ad regnum pertinere; et cætera quæ hujus libelli sequentia indicant (3). Quod ideo de vobis remandamus, ne simulatam religionem eorum aut composita verba audire debeatis. C

(3) On remarque que cette hérésie attaquait déjà les points combattus dep is par Luther et Calvin : la justification, le baptême, la pénitence, l'eucharistie, le purgatoire, l'invocation des saints, le culte des images, etc.

ACTA SYNODI.

I. Anno Dominicæ incarnationis 1035, indictione VII, domno Gerardo, Ecclesiam Cameracensis seu Atrebatensis urbis regente, quodam annuæ observationis more contigit ut, Dominici natalis et apparitionis diebus in sede Camaraci solemni cursu expletis, idem præsul, per aliquot dies, stationem in sede Atrebatensi facere deberet. Ubi, cum de ecclesiasticis functionibus satis pro opportunitate temporis tractaret, relatum est ei quosdam ab Italiæ finibus viros eo loci advenisse, qui, quamdam novæ hæreseos sectam introducentes, evangelicæ atque apostolicæ sanctionis disciplinam pervertere tentabant, et, quamdam justitiam præferentes, hac sola purificari homines asserebant nullumque in sancta Ecclesia aliud esse sacramentum, per quod ad salutem pervenire potuissent. His auditis, domnus episcopus perquiri homines jubet, et inventos sibi præsentari. Qui, audita inquisitionis causa, fugam occulte parabant, sed præventi a quæstoribus trahuntur ad præsentiam episcopi. Qui, in aliis causis definiendis tunc plurimum occupatus, pauca ad tempus de fide illorum sciscitatus est; sentiensque eos quodam pravi dogmatis errore teneri, recludi in custodia jubet usque in diem tertium, et, die sequenti, clericis et monachis indicit jejunium, ut eos divina gratia catholicæ fidei perceptione resipisci donaret.

Tertia vero die, quæ Dominica habebatur, Segmentatus episcopus cum suis archidiaconis, paratis crucibus et textis evangelicis, circumfusa totius cleri ac populi multitudine, synodum celebraturus in ecclesia Beatæ Mariæ progreditur, impositaque antiphona *Exsurgat Deus*, totum psalmi hujus cursum expleverunt. Denique, residente episcopo in consistorio suo, et utrinque abbatibus, religiosis atque archidiaconis, cæterisque secundum ordinationis suæ gradum discumbentibus, homines, e custodia educti, in medium introducuntur. Et in primo quidem episcopus super his generaliter verbum fecit ad populum. Deinde conversus ad istos : Quænam est, inquit, doctrina vestra, lex atque cultura, quisve auctor est disciplinæ vestræ ? At illi referunt se esse auditores Gundulfi, cujusdam ab Italiæ partibus viri, et ab eo evangelicis mandatis et apostolicis informatos, nullamque præter hanc scripturam se recipere, sed hanc verbo et opere tenere. Verum, quia ad notitiam episcopi pervenerat illos sacri baptismatis mysterium penitus abhorrere, Dominici corporis et sanguinis sacramentum respuere, negare lapsis pœnitentiam post professionem proficere, Ecclesiam annullare, legitima connubia exsecrari, nullum in sanctis confessoribus donum virtutis spectare, præter apostolos et martyres neminem debere venerari.

Illos episcopus super hujusmodi interrogans : Quomodo, inquit, consequens est vos evangelica et apostolica instituta tenere et contraria istis prædicare ? Narrat namque textus evangelicus quia, princeps Judæorum Nicodemus dum ex signis et miraculis Jesum a Deo venisse confiteretur, continuo Dominus respondit neminem hoc solo confessionis munere regnum cœlorum posse mereri, nisi renatus foret ex aqua et spiritu. Quod quidem regenerationis mysterium vos aut pleniter recipere, aut evangelicis verbis contraire necesse est, cum constet vere hæc Jesum dixisse.

Ad hæc illi dederunt hujusmodi responsum : Lex et disciplina nostra, quam a magistro accepimus, nec evangelicis decretis, nec apostolicis sanctionibus contraire videbitur, si quis eam diligenter velit intueri. Hæc namque hujusmodi est : mundum relinquere, carnem a concupiscentiis frenare, de laboribus manuum suarum victum parare, nulli læsionem quærere, charitatem cunctis, quos zelus hujus nostri propositi teneat, exhibere ; servata igitur hac justitia, nullum opus esse baptismi ; prævaricata vero ista, baptismum ad nullam proficere salutem. Hæc est nostræ justificationis summa, ad quam nihil est quod baptismi usus superaddere possit, cum omnis apostolica et evangelica institutio hujusmodi fine claudatur. Si quis autem in baptismate aliquod dicat latere sacramentum, hoc tribus ex causis evacuatur. Una, quia vita reproba ministrorum baptizandis nullum potest præbere salutis remedium ; altera, quia quidquid vitiorum in fonte renuntiatur, postmodum in vita reperitur ; tertia, quia, ad parvulum non volentem neque currentem, fidei nescium suæque salutis atque utilitatis ignarum, in quem nulla regenerationis petitio, nulla fidei potest inesse confessio, aliena voluntas, aliena fides, aliena confessio nequaquam pertinere videtur.

Quibus econtra episcopus ait : Si hujc justitiæ vestræ ab evangelica et apostolica institutione fidem attribuitis, hanc facile non aliunde sumptis viribus evacuamus. Natum namque ex immaculata Virgine Dei Filium nulla peccati corruptione infectum teneri evangelica et apostolica testatur auctoritas ; sed, sicut Apostolus docet, ipse justus est et justificans omnia, non quod ipse extrinsecus donum justitiæ accepisset, cujus participatione dicatur justus, sed principaliter et substantialiter justus, ut necessario in eo idem et unum dicamus esse justum quod justitiam, alioquin fallitur Apostolus in eo quod dicit : Justificans omnia. Nam si aliunde accepit, ut ipse sit justus, infirmioris justitiæ et inferioris est quam is a quo accepit ; nec erit justificans omnia, sed ille a quo accepit ut ipse et omnia justificentur. Verum ipse a seipso accipit ut sit justus et justificet omnia, sine quo nullus sanctus, nullus etiam justus, per quem omne sanctum et justum, et a quo omnis gratia et omne donum justitiæ descendit, sicut ait beatus Jacobus : « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jac.* 1). » Quod autem « a Patre luminum »

descendisse « donum » dicit, non te scandalizet, quia cum descendit a Patre, descendit et a Filio, quia ipse ait : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x). » Jure igitur ait Apostolus quod « ipse sit justus et justificans » (*Rom.* III) omnia, non comparative quidem justus, ut possit augeri vel minui, sed immutabiliter et essentialiter justus.

Verumtamen talis et tantus Dei Filius, sicut narrat evangelista, venit in Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Cui, cum ex infirmitatis propria conscientia ministerium recusaret, ait Dominus : « Sine modo; sic enim decet nos omnem justitiam implere (*Matth.* III). » Quid enim? In quo erat totius plenitudo justitiæ, et immutabiliter et incomparabiliter justus et justificans omnia erat; nunquid ei aliquid a perfecta justitia deerat, ut ad implendam justitiam materialis aquæ fluentis et baptizantis ministerio indigeret? Porro si hoc baptismatis ministerio ad supplendam justitiam indigebat, non perfecte justus, nec justificans omnia erat. Nihil enim impletur, nisi cui de summa plenitudinis aliquid desit. Plenitudo enim crementum non potest accipere. Justus igitur non perfecte erat; quod nefas est de Deo judicare. Si autem justus fuerat, nihil a baptismo, quo suam suppleret justitiam, accipere poterat, sed immutabiliter, et perfecte, et summe justus erat; igitur baptizari non indigebat. Cur ergo dicebat : « Sic decet nos omnem implere justitiam, » qui nec baptizari indigebat, nec justitia, qua plenus redundabat, quo suppleretur per baptismum habebat? Indigebat certe, non sibi, sed nobis. Justitiam quærebat implere, non suam, sed nostram. Nam semper in æterno ejus consilio mansit generis humani reparatio, et, discretis spiritualius sacramentorum observantiis, quod profuturum et necessarium ad nostræ reparationis erat effectum, hoc per manus dispensatorum visibiliter voluit administrari, sed invisibiliter, operante Spiritu sancto, impleri.

Cujus rei gratia plurima in sancta Ecclesia providus Dominus instituit sacramenta, [e] quibus primum ad regenerationis mysterium instituit baptismatis usum. Porro baptismum Græce, Latine *tinctio* interpretatur, quia ibi homo spiritu gratiæ in melius immutatur et longe aliud quam fuerat efficitur. Prius enim fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipsa tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum. Cujus mysterium non aliter, nisi sub Trinitatis designatione, id est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti cognominatione, completur. Unde Dominus ad discipulos : « Ite, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Quod quidem mysterium a secretis virtutibus, vel a sacris sacramentum dicitur; quod ideo penes Ecclesiam fructuose agitur, quia sanctus in eo descendens Spiritus eumdem sacramenti latenter operatur effectum. Unde seu per bonos, seu per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur, tamen quia Spiritus sanctus mystice illud vivificat, nec bonorum meritis amplificatur, nec malorum vitiis attenuatur : « Quia, neque qui plantat, aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (*I Cor.* III). » Unde et ipse minister super baptizatum non dicit : « Ego, sed, Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te generavit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te linivit chrismate salutis in vitam æternam. » Qua in re perspicuum est quia vita ministri nihil derogat his qui de Spiritu sancto concipiunt virtutem sanctificationis, præsertim cum inter cæteros discipulos Judam futurum Domini traditorem baptizasse legamus; et cum rebaptizatos omnes a discipulis Domini fuisse, quos Joannes Baptista in aqua baptizaverat, sciamus; nullum tamen, quem Judas baptizasset, iterato fonte ablutum reperimus. Nam si improba vita traditoris nocuisset baptizandis, nequaquam ille, qui omnes venerat salvare, pateretur in illo solo baptisma perire. Sed quia malitia hominis non potest imminuere divinæ opus virtutis, noluit repetere quod homo ministraverat, Spiritus sanctificaverat. Porro, testante divina Scriptura, audivimus reges magnos fuisse in Jerusalem, qui administrabant res quasdam pertinentes ad Babyloniam, quosdam vero cives Babyloniæ administrasse res Jerusalem. Sic itaque novimus cives bonæ civitatis administrasse res malæ civitatis, et econtra cives malæ civitatis administrasse res bonæ civitatis. Si ergo respublica bonæ civitatis per cives Babyloniæ sine sui corruptione administrari potuit, quanto magis sacramentum quod vim sanctificationis per invisibilem sancti Spiritus operationem concipit, a pravis ministris non corrumpitur, cum aliud sit quod exterius agitur, exhibente ministro, aliud quod interius vivificatur, animante Spiritu sancto. Inde est quod, cum Joannes in Evangelio diceret : « Quia audierunt Pharisæi quod Jesus baptizabat, quamvis ipse non baptizaret, sed discipuli ejus (*Joan.* IV), » in hoc quamdam operantis Dei et administratorii officii discretionem voluit intelligi; videlicet ut, in eo quod Jesum dicit baptizare, invisibilem divinæ virtutis insinuet operationem; in eo vero quod subdidit : « quamvis Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus, » non de operante virtute, sed de visibili exsequentium administratione dictum intelligatur. Igitur in baptizandis fidelibus aliud est quod invisibiliter efficitur per Spiritum operantem, aliud quod visibiliter exhibetur per ministrum obsequentem.

Quod autem per materialem aquam baptismum datur, hæc ratio est : voluit enim Dominus ut res illa invisibilis per congruentem, sed profecto tractabilem, rem et visibile impenderetur elementum; super quod Spiritus sanctus ferebatur in principio. Nam sicut per aquam purgatur exterius corpus, ita latenter ejus mysterio purificatur et animus. Invocato enim Deo, descendit Spiritus sanctus de cœlis, et, medicatis aquis, sanctificat eas de semetipso, et accipiunt vim purgationis, ut in eis caro et anima

delictis inquinata mundetur. Et sic, in morte Christi et in resurrectione ejus, potentia baptismatis novam creaturam condit ex vetere, ut in renascentibus et mors Christi operetur et vita, dicente beato Apostolo: « An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizat. sumus? consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, ut quomodo surrexit Christus per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » Unde notandum quia, in baptismatis regula, et mors intervenit interfectione peccati, et sepulturam triduanam imitatur trina demersio, et ab aquis elevatio resurgentis instar est de sepulcro. Deinde vero sacri chrismatis unctione perfunditur infans, ex cujus nomine Christus dicitur, et homo post lavacrum sanctificatur. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem Spiritus adhibetur. Quæ licet carnaliter administretur, spiritualiter tamen proficit; sicut et ipsa baptismatis gratia, visibilis actus est, quod in aqua mergitur; sed spiritualis efficitur, quod delictis mundatur. Manus impositio ideo fit ut per benedictionem advocatus invitetur Spiritus sanctus. Tunc enim Paracletus, post mundata corpora, libens a Patre descendit, et quasi super baptismi aquam velut super pristinam sedem recognoscens quiescit. Nam legitur quia: « In principio Spiritus Dei ferebatur super aquas (*Genes.* I). »

Hoc est primum nostræ reparationis sacramentum, ad quod confirmandum Dominus, nullius indigens remissione peccati nec remedio renascendi, cum non haberet quod aquis potuisset mundari, tamen ad Joannem aquis Jordanicis baptizandus, sicut evangelista docet, festinavit. Cui recusanti ait: « Sine modo, sic enim decet nos omnem implere justitiam (*Matth.* III); » ac si diceret: Exemplum præbere omnis justitiæ, ut videlicet discant omnes fideles neminem posse absque baptismo justificari, quamvis innocenter ac juste vivat. Joannes vero ait: « Et ego nesciebam eum (*Joan.* I); » ac si diceret: Ignorabam eum primum; sed videns eum sibi retinere baptismum, intellexi quia hic erat qui baptizaturus erat in Spiritu sancto, et [in] remissionem peccatorum. Sicut ipse dixit: « Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super se, ille est qui baptizat in Spiritu sancto (*Ibid.*). » Quare notandum est quia impossibile est quemquam ad perfectum justitiæ sine regenerantis aquæ mysterio aspirare, maxime cum opera justitiæ hanc gratiam Cornelio Cæsariensi dare non potuerint, donec eum cum omni familia sua salutari unda Petrus innovavit, super quos Spiritus sanctus ante baptismum inaudito præeuntis gratiæ exemplo cecidit, ut hac manifesta Dei virtute animatus Petrus regnum Dei gentibus aperiret, quem cum cæteris discipulis, ne in viam gentium abiret, Dominus ante monuerat.

Quod cum ita sit, profecto in hoc vobis repugnare convincimini quod evangelica vos et apostolica præcepta tenere dicitis, et his contraria prædicatis. Nam et evangelista refert quia « Jesus venit et discipuli ejus in Judæam, et ibi demorabatur cum eis, et baptizabat (*Joan.* III). » Qui baptismi sacramentum et regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ejus profluerunt sanguis redemptionis et aqua baptismatis. Unde Joannes apostolus: « Tres sunt, inquit, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis (*I Joan.* V). » Petrus vero, cui primatum Ecclesiæ Dominus contulerat, dum credentium numerum promissus sancti Spiritus replevit adventus, tria millia hominum sua prædicatione conversorum aqua baptismatis consecravit, sicut Lucas testatur, dicens: « His auditis compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et reliquos apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis Spiritum sanctum (*Act.* II). » Aliis etiam pluribus verbis exhortabatur eos dicens: « Salvamini a generatione ista prava (*Ibid.*). » Qui ergo receperunt sermonem ejus baptizati sunt, et appositæ sunt animæ in illa die circiter tria millia. Paulus etiam, cujus vos doctrinam tenere profitemini, divinæ injuriæ pœnis affectus, ab Anania baptizatus est; qui et ipse postmodum Crispum et Caium et Stephanæ domum se baptizasse dicit. Philippus etiam Eunuchum Candacis reginæ, ab Jerusalem redeuntem, in aqua baptizavit, sicut Liber Apostolicus indicat (*Act.* VIII). Quam ab apostolis traditionem catholica adhuc servat Ecclesia.

Unde colligitur quia, quamlibet juste et innocenter quis videatur vivere, salvari tamen absque divini fontis lavacro non possit. Verum utcunque originalis culpæ, aut propriæ actionis reatu teneatur astrictus, tamen fonte renatus, mundus, et totius peccati sorde purgatus, adeo innovatur ut, qui filius diaboli in fonte descenderat, filius Dei renatus ascendat; qui filius prævaricationis descenderat, filius reconciliationis ascendat. Et, ut cuncta colligam, qualem primum hominem ex virginea terræ massa finxit sapientia Creantis, talem etiam hunc ex purificato fontis utero produxit clementia Redemptoris. Quod contra infideles garrire solent, dicentes primum hominem, si non peccasset, immortalitatis munere donatum; istum vero, quamlibet juste et innocenter vivat, nequaquam tamen posse mortis vitare jacturam, et ideo multum repugnare a vero, ut qualis ille fuerat factus a Conditore, talis et hic regeneretur ex fonte. Quam eorum repugnantiam facile est inflecti ad consequentiam, si quis divinæ pietatis consilium considerare potuerit. Nam ex uno eodemque fonte divinæ rationis descendit, et quod illum immortalem mirabiliter creaverat, et quod istum morte obnoxium misericorditer reformaverat. Porro facile fuerat istum immortalitatis gloria donari tanquam et illum, si fuisset in consilio Creantis. Sed quia, dum illum libera voluntas et mortalitatis securitas decepit, per præ-

varicationis culpam traxit ad mortem; istum, ne spe immortalitatis deceptus, temporalibus deliciis ardentius insistat, per inevitabilem mortis eventum invitat ad veram vitam. Quia vero ille, mortis securus, Auctore contempto, aurem aperuit suasori, et superbiæ audacia una periit; hunc pietas Redemptoris voluit suspensum morte teneri, ut per humilitatis custodiam vitaret hostem, audiret Conditorem, sicque ad superna conscenderet. Nihil igitur repugnat a vero talem hunc regeneratum ex fonte, quem mors invitat ad vitam, qualem illum, si non peccasset, formatum, quem mox de immortalitate præsumptio coegit subire mortis ruinam.

Sed fortasse objicis mihi quantum ei præstitit donata immortalitas, ex qua ruinæ causam venturam Conditor non ignorabat. Multum quidem ei contulerat, ut, videlicet si sine peccato manere voluisset, et mortem non gustaret, et tam ipse quam ejus progenies, angelos semper haberet concives. Sed, dum præceptum neglexit Conditoris, ipsa sua libertate deceptus, a paradiso seclusus, in ignotis partibus suî generis posteritatem transposuit, atque pœnam, quam ipse prævaricationis reus exceperat, generando transmisit in posteros; de qua non potuisset erui nisi eum Christus suo adventu relevasset; qui, per novæ regenerationis mysterium, omne præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit et statum pristinæ libertatis reformavit. Igitur, ad vitanda improbi seductoris tentamina, cum primum parvuli sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramenta, non prius fontem vitæ adeunt quam exorcismis et sufflationibus sacerdotum ab eis spiritus immundus abigatur, ut vere appareat quomodo princeps mundi hujus ejiciatur foras, et prius alligetur fortis, et vasa ejus diripiantur translata in possessionem victoris, qui captivam ducit captivitatem, et dat dona hominibus.

Quod si refugitis credere ut qui parvulum fidei nescium, suæque salutis ignarum, nec regenerationis curam habentem, de fonte suscipiunt, eorum fides aut confessio illi puero nequaquam proficiat, consequitur ut nec paralytico offerentium fidem profuisse credatis, de quo evangelista dicit, quia « videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua (*Matth.* IX). » Sed nec illud recipiendum æstimabatur quod in Evangelio legimus de muliere Chananæa ut fides ejus ad impetrandam salutem filiæ profuerit. Porro alius evangelista dicit quod offerebant Jesu parvulos, ut manus eis imponeret; et complexans eos, et imponens manus, benedicebat eos (*Marc.* X). Qua in re datur intelligi quia non parvulorum fides, quæ adhuc nulla fuerat, sed offerentium fidelis credulitas ut parvuli benedicerentur obtinuerat, sicut Dominus dixit centurioni pro salute servi postulanti : « Vade, et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora (*Matth.* VIII). »

Denique vos, qui nihil in sancta Ecclesia corpore liter gerendum arbitramini, ut in hoc baptismatis mysterio aqua, oleum chrismale, sacerdotis officium, et cætera, quæ usque hodie catholica servat Ecclesia, vos, inquam, rogo, quid sibi vult illa materialis aquæ illuvio, quam lavandis pedibus invicem exhibere soletis? Nam si hoc ab Evangelio vos accepisse dicitis, ut quia Dominus, discipulorum pedes lavans, hoc illis exemplum reliquisse legitur, et vos quoque hujus rei gratia facere vos invicem dicatis, stultum est, imo sacrilegum, cætera et multo majora repudiare, quæ ab ipso rerum auctore Domine sunt constituta, ab Evangelio enuntiata, ab apostolis tradita, sine quibus nostræ salutis plenitudo non potest consistere; quæ quidem ipse Dominus, et ante resurrectionem, et post resurrectionem, discipulis suis servanda instituit.

II. *De corpore et sanguine Domini.*

Fuerant certe satis quæ de his dici poterant, si horæ suppeterent; sed quia dies, ad occasum declivior, ad propria quemque commonet redire, jam nunc, his omissis, transitum faciamus ad illud sacrum et immutabile Dominici corporis et sanguinis sacramentum, quod vos, ad vestram confusionem, nisi resipueritis, adversum divinam et apostolicam traditionem impugnantes, evertere tentatis. Quod quidem mysterium, quale quantumcunque in se contineat pondus virtutis, impossibile est humanæ rationis intuitu perscrutari. Quod anima ultra hominem est infra sensum hominis non potest cohiberi. Non igitur sufficit illud facundia humana comprehendere; hoc enim illud sanctum et admirabile commercium, per quod terrenis cœlestia junguntur, inferna spoliantur, paradisus aperitur, homo exsul antiquo horto relocatur; per quod etiam angeli recognoscunt hominem concivem suum, et supra se positum adorant hominem Deum. Verum nos, quia tempus commonet, quantum nostræ fragilitatis sensus percipit, illius, de quo loquimur, gratia confisi edicimus.

Sacrificium dicitur, quasi *sacrum factum*, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Unde, hoc ipso jubente, corpus Christi et sanguinem credimus, quod, dum sit ex fructibus terræ, sanctificatur, et fit sacramentum, operante invisibiliter Spiritu Dei. Quod quidem ideo sacramentum esse dixerim, quia tanquam viaticum nobis sit introducens ad contemplationem æternitatis. Cujus panis et calicis sacramentum Græci Eucharistiam dicunt, quod Latine *bona gratia* interpretatur. Quid enim melius corpore et sanguine Christi? Quod quidem sacrificium de pane, et vino cum aqua misto, ineffabili sanctificatione, cruce et verbis illius in altari consecratur, dumque passionis et resurrectionis ejus, atque in cœlum ascensionis ibidem salutifera memoria agitur, verum ac proprium corpus ipsius Domini nostri Jesu Christi, et sanguis verus ac proprius efficitur, quamvis aliud esse videatur. Videtur namque panis materialis, sed verissime efficitur corpus Christi, sicut, ipsa eadem Veritate attestante didicimus. Nam ipsa nocte qua

sponte per passionis mysterium corpus suum pro nobis in mortem traditurus erat, sicut evangelista refert, « Accepit panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Sumite, hoc est corpus meum. Similiter et calicem accipiens, benedixit, et dedit discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est calix Novi Testamenti, qui pro multis fundetur in remissionem peccatorum (*Matth.* XXVI; *Marc.* XXII; *Luc.* XXII). » Quod vero subdit: « Hoc facite in meam commemorationem. » ad hoc retulit, quod per ministerium sacerdotum quotidie a fidelibus fieri mandavit, dum passionis suæ memoria agitur, et sub sacramento communicandæ carnis et sanguinis panis sanctus et calix consecratur. Ad hanc spiritalem alimoniam, ad hoc mysticum et divinum epulum nos Dominus invitat, tantamque necessitatem sumendi hujus alimenti nobis indicat, ut aliter in nobis vitam habere non possimus, nisi carnem ejus manducaverimus et sanguinem biberimus.

Sed fortasse aliquis, nimis carnaliter hoc audiens, objiciat neminem posse vitam habere in semetipso, cum Christus carnem, quam proprio gestabat corpore, nemini edendam erogasse, sed perfecto et integro corpore cœlum penetrasse legatur; aut certe, quod nefas dictu est, Dominum in hoc verbo culpam mendacii subiisse, cum multi vitam in se habere videntur, qui carnem aut sanguinem ejus gustasse aliquando se non meminerunt. Quod nos, Deo volente, tali modo solvimus. Possunt quidem homines sine hoc cibo temporalem hanc vitam in præsenti sæculo habere; æternam vero vitam habere nequeunt, quæ solis fidelibus carnem et sanguinem Christi digne sumentibus promittitur. Unde et ipse dicit: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI), » vitam videlicet animæ, ipsum Christum, qui alibi dicit: « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV). » Filium vero hominis se dicebat, cujus corpus quotidie per sacerdotes immolatur in altari. De quo Apostolus ait: « Panis, quem frangimus, nonne corpus Domini est? Et calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? » (*I Cor.* X.) Unde cum Dominus diceret: « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, litigabant Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? » (*Joan.* VI.) Non enim hunc panem intelligebant, audientes carnem exhorrescebant; non enim erant membra Christi, idcirco scandalizabantur in carne Christi. Sed et cum discipuli, verba ejus carnaliter accipientes, dicerent: « Durus est hic sermo, quis potest eum audire? » (*Ibid.*) Respondit Dominus: « Hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius (*Ibid.*); » suspensa et quasi defectiva oratio fuit. Putabant enim discipuli Christum carnem, qua indutus erat, particulatim incisam credentibus distributurum, et quasi hoc contra naturam esset hominum (videlicet humanam carnem in cibum sumere) quasi de re difficillima et impossibili dixerunt: « Durus est hic sermo; quis potest eum audire? » Unde et Dominus: « Si, inquit, videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius: » Subaudientem: « Tunc videbitis quia non eo modo quo putatis meam carnem credentibus distribuo, sed spiritali gratia me illis dando, ipsos in meum corpus transfundo; et hæc gratia non consumitur morsibus nec dentibus teritur, sed interioris hominis palato, hoc est, ratione et intellectu mentis percipitur. » Unde et communio Dominici corporis, sicut supra diximus, Græco quidem, sed Latinis usitato sermone Eucharistia, id est, *bona gratia* appellatur. Videtur enim sanctus ille panis, quo corpus Domini consecratur et visibiliter ore percipitur; sed virtus Dei Verbi, id est divinitas, qua anima percipientis sanctificatur, videri non potest. Ascendit ergo Christus perfecto corpore suo, et reliquit nobis sacramentum corporis sui. Denique ne putarent sibi in isto cibo et potu sic promitti vitam æternam ut jam nec corpore morerentur cum dixisset: « Qui manducat meam carnem; » continuo subjunxit: « Et ego ressuscitabo eum in novissimo die (*Ibid.*). » Nam qui digne carnem Christi comedit, et sanguinem ejus bibit, licet mortuus corpore, habet interim secundum spiritum vitam æternam. Quod vero ad corpus attinet, nec ipsum vita æterna fraudabitur, quia resuscitabitur in novissimo die, ultra jam non moriturum. Hoc igitur modo Veritatis sermo sine culpa mendacii fuit, dicens neminem vitam in se habere, nisi qui communicandæ carnis ejus et sanguinis spiritalibus alimentis pasceretur.

Poterat vero illud infirmis auditoribus huic sententiæ contrarium videri quod subditur: « Caro non prodest quidquam (*Joan.* VI), » cum superius nullum vitam habere in se dixisset sine perceptione carnis suæ. Sed ita intelligendum est: « Si carnaliter verba mea intelligere vultis, ut sic carnem meam sicut alium cibum manducetis, caro nihil vobis prodest. »

Qui enim potest ita suum corpus per tot ecclesias in toto orbe diffusas distribui, per tam innumerabiles populos et longa tempora, singulis diebus, singulis hominibus sumendum distribui, et nunquam deficere?

Quo contra vobis respondemus, dum fidem evangelicam et traditionem apostolicam vos fateri audimus. Verbum quod in principio erat apud Deum, id caro factum in fine temporum, quomodo totum cum Patre fuit semper, et totum se clausit in utero Virginis? si totus in Virgine, quomodo totus cum Patre. Sed audi tantæ virtutis mysterium. Ascensurus in cœlum Dei Filius discipulis pro discessu ejus sollicitis promittit se mansurum cum eis omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, quibus paulo ante prædixerat se ire ad Patrem. Quod quidem refugeret credere

humanus intellectus, nisi virtus discretionis adhibeatur. Homo namque, corpore circumscriptus, in loco manere, et a loco discedere, nisi per successum temporis, non potest. Æterna vero Dei essentia sicut nec tempore angustatur, ita nec loco constringitur; sicut enim semper est, ita semper ubique est. Manere igitur ejus est, nulli omnino loco deesse; redire vero est, corpus in terris sumptum ab eis subtrahere. Manere ergo cum illis, et ire ad Patrem se dicebat, dum corpus quod corruptibile induerat, jam incorruptionis gloria sublimatum ad cœlos evehit, et, per majestatis præsentiam, ubique se cum illis mansurum promittit. Qui ergo ad Patrem, cum quo semper est, ivit, et cum discipulis mansit, non impossibile est corpus, quod æternum et incorruptibile est, et in cœlis servare, et in terris communicandum nobis corporis sui sacramentum præbere.

Quod vero in tot partibus, temporibus, populis, hominibus quotidie sumptum et non imminutum objicitis, nullum incredulitatis scandalum parit, si quis fidei oculis intueri velit quod ait Dominus, dum porrigeret illis panem et calicem, dicens: « Hoc facite in meam commemorationem. » Semel namque Christus passus, semel mortuus, quotidie in Ecclesia nobis patitur, quotidie nobis moritur, dum, ipso jubente, sacrosanctæ passionis ejus memoria agitur, et per sacerdotum ministerium salutaria corporis ejus et sanguinis mysteria renovantur. Quæ invisibiliter eodem Spiritu vivificantur, quo operante in utero Virginis incarnatus est Dei Filius. Quod quidem ex verbis beati Andreæ apostoli intelligi datur, cujus vos doctrinam inter cæteros apostolos imitari profitemini. Qui, cum ad sacrificium idolorum compelleretur, ait: « Omnipotenti Deo qui unus et verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum sanguinem quotidie in altari crucis sacrifico; cujus carnem postea quam omnis populus credentium manducaverit, et ejus sanguinem biberit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus. » Et cum vere sacrificatus sit, et vere carnes ejus manducatæ sint a populo, et vere sanguis ejus sit bibitus, tamen, ut dixi, integer permanet, et immaculatus et vivus. Interrogante vero Ægea quomodo fieri posset ut occisus viveret Agnus; sacrificatus vero et comestus, quomodo integer et immaculatus permaneret, Apostolus respondit: « Si discipuli formam imitatus crederet, facile ad discendum; sin autem, ad imaginem veritatis non posse attingere. » Quod et vobis quoque impossibile erit intueri, nisi, deposito incredulitatis rigore, formam fidemque discipulorum receperitis. Verum, quia hoc fidei oculis intuendum docuimus, si quem magis visibilia ædificant quam invisibilium virtus accendat, pauca de multis edicimus, quæ Dominus ad corroborandas mentes carnalium oculis carneis contuenda, de hoc ipso corporis sui et sanguinis sacramento dignatus est ostendere.

A Tempore namque quo beatus Gregorius Romanæ Ecclesiæ pastorali curæ deserviebat, quædam materfamilias, religionis studio, oblationes facere et summo pontifici ad ecclesiam familiariter offerre consueverat. Quæ cum, ex more, quadam die ad communicandum de manu episcopi ordine suo accederet, et illi pontifex Dominici portionem corporis porrigeret, dicens: « Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in remissionem peccatorum et vitam æternam; » subrisit. Quod vir Dei intuens, communionem retraxit, et separatim super altare repositam diacono servandam, dum cæteri communicarent, tradidit. Expletis vero sacris mysteriis, episcopus risus causam requirit. At illa respondit recognoscse se partiunculam illam ex oblatione quam propriis manibus
B factam episcopo obtulerat, et, quia corpus Domini eam dixerat, in risum se excitatam. Unde, facto verbo ad populum, episcopus omnes in commune orationem ad Dominum fundere hortatur ut ad corroborandam fidem multorum manifesto suæ virtutis indicio mulieris incredulitatem compesceret. Quod et factum est. Surgentibus autem cunctis ab oratione, et ad decernendum cœleste spectaculum comprimentibus, dominus episcopus corporalem pallam revelat, et universo populo et muliere contuente, partem digiti auricularis sanguine cruentatam invenit; et conversus ad mulierem dixit: Vel nunc experta divinæ virtutis miraculum, ne differas audire Veritatem dicentem: « Panis, quem ego do, caro mea est, et sanguis meus vere est potus. » Sed
C præscius Conditor infirmitatis nostræ, potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, et corpus sibi ex carne Virginis, operante Spiritu sancto, fabricavit, panem et vinum aqua mistum, propria manente specie, in carnem et sanguinem suum ad catholicam precem, ob reparationem nostram, spiritus sui sanctificatione, convertit. Denique omnes rursum in orationem prostrati, divinam potentiam exorant, ut sanctum mysterium in pristinam formam convertat, quatenus ad sumendum mulieri fiat possibile. Quod et factum est. Consecuta igitur mulier Dominici corporis participationem, postea in sancta religione et fide, et omnes qui aderant, in amore Christi et credulitate ferventes proficiebant.

D Alio quoque tempore, quidam vir nobilissimus, atque juxta sæculum potentissimus, a beato Gregorio reliquias beatorum apostolorum et martyrum petiit sibi transmitti. Erat enim episcopo familiaris, et erga Dei cultum per admonitionem ejus sufficienter imbutus. Honorifice igitur legatos suscipiens, aliquandiu secum morari fecit. Memorias igitur apostolorum et martyrum pro hujusmodi negotio agens, dum reliquias consecrando missarum solemnia expleret, particulatim pannos super quibus sancta celebraverat dividit, et singulis singulatim buxtis imposuit, quas sigillo munitas legatis tradit; et sic proficiscuntur. Qui, dum inter carperent, et quid secum ferrent ignorarent, cœperunt curiosius se ipsos reprehendere, quod quid do-

mino portabant penitus ignorarent. Quid longius moramur? Fractis sigillis et apertis buxtulis, nihil aliud nisi pannos contemplantur. Indignati igitur Romam redeunt, accusantes episcopum, quod sui domini petitionem, et suis itineris laborem tam parvi æstimasset, ut pro reliquiis pannos ei misisset, tanquam hujusmodi genus apud se non inveniri posset. Quorum stultitiam episcopus patienter ferens, eos celebrandis mysteriis jubet interesse. Ut autem ad locum sermonis ventum est, suadet populo Dei gratiam et sanctorum exorare, ut suæ virtutis potentiam in hac re dignetur ostendere, quatenus quid fides mereretur ignorantes agnoscerent. Data igitur oratione, et ab eo qui signa fregerat accepto cultello, super altare sancti Petri unum ex pannis per medium pungens secavit, ex quo, visu mirabile! sanguis defluens, omnem eamdem panni particulam cruentavit. Stupentibus legatis et cæteris qui aderant, super arcanum sacræ fidei miraculum, dixit ad eos beatus episcopus, qui sacras reliquias parvi duxerant : Scitote, fratres, quia in consecratione Dominici corporis et sanguinis, cum ob sanctificationem reliquiarum in honore apostolorum et martyrum Christi, quibus specialiter assignabantur, supra sanctum altare libamina offerebantur, semper illorum sanguis hos pannos intravit, qui effusus est pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Sic itaque ædificatos in fide legatos sanctus Gregorius ad dominum suum gaudentes remisit.

Pensate igitur : Si sanguis martyrum Christi in eorum memoria pannos intravit, quanto magis sanguis Christi et corpus in se transformat panem sanctum et vinum, quoties Dominicæ passionis memoria agitur. Superest aliud dicendum, quod quidem mirificum et ad incredulitatem malorum confutandam est proficuum.

Quidam vir virtute venerabilis, Plexis nomine, monachorum gregem cura pervigili servabat; cujus de virtutibus et miraculis esset satis ad loquendum. Sed quod ad præsens negotium attinens utiliter occurrit, unum audite. Hic dum quadam die ex more sacrosancto altari humili devotione astaret et, missarum solemnia celebrans, Dominici corporis et sanguinis veneranda mysteria consecraret, ut ventum est ad horam fractionis, vidit subito quod et fideliter credendum et creduliter sit admirandum, id est, sanctificati panis portionem in infantem transformari, et angelum Domini particulatim ipsum dividere, manifesto veritatis indicio, quia verum Christi corpus et sanguis est quod sub sacramento communicandæ carnis et sanguinis de altari sumimus. Sæpe etiam, dum hæc sacra mysteria celebrantur, visum est a pluribus angelorum choros mensam altaris, in quo sancta consecrantur, ambire, tanquam milites in obsequio sui regis astantes.

Talibus dictis domni episcopi, omnes qui circumstabant fideles, lacrymis obortis, Dei virtutem et Dei misericordiam laudabant. Et conversus ad eos qui astabant hæretica pravitate seducti : Dicite, inquit, si quid habetis quo hæc refellenda arbitremini. At illi, gravitate verborum et cœlestium virtute magnalium stupefacti, vultibusque demissis, quamdam pœnitudinis similitudinem præferentes, et ex alto suspirantes, gemitum una dederunt, dicentes nihil hic se nisi divinum audire, et quod se mutos et pene elingues faceret. Corruentesque in terra, tunsis pectoribus culpam fatentur. Elevantes autem [vocem] Dei se patientiam dicunt admirari, qui tandiu eos ad ignominiam Christiani nominis toleraverat; nullam sui erroris veniam posse sperare, qui tanto incredulitatis profundo non se solos immerserant, sed et alios quamplures ejusdem ruinæ præcipitio necaverant. Quibus episcopus ait : Qui lapsis huc usque veniæ semitam interdixistis, nec ullum in pœnitentia reconciliationis fructum sperandum judicastis, durum est id vobis spectare ab eo qui peccantes vocat in pœnitentia, et gaudet potius super uno pœnitente quam supra nonaginta novem justis, nisi melioris fidei pretio, id ab eo studueritis quærere, qui certe pœnitentibus semper suæ misericordiæ sinum paratus est aperire. Si autem perfidiæ vestræ duritiam catholicæ fidei perceptione rejicitis, et deposito incredulitatis rigore fidei Christianæ documenta suscipitis, confidenter vobis a Deo veniam promitto.

XI. *De sancta ecclesia quæ est domus Dei.*

Sed latere in vobis adhuc quasdam infidelitatis tenebras sentio, quas dum in cordibus vestris manere permiseritis, nullam supernæ lucis visitationem sperare potestis. Hæ sunt enim tenebræ, quæ vos, infidelitatis cæcitate damnatos contra sanctam Dei Ecclesiam erigere, et domum Dei vivi ignominiosis verborum ictibus impugnare faciunt, dicentes in templo Dei nihil esse, quod sit aliquo cultu religionis dignum magis quam proprii domicilii cubiculum, nihilque in eo sanctum, præter cœmenta et lapides artificum opere digestos, sed et mensam Domini, in qua corporis et sanguinis ejus libamina offeruntur, nullum in se aliud præter acervum lapidum retinere sacramentum. De quibus si ea quæ paulo ante de corpore et sanguine ejus præmisimus, fideliter tenentur, nihil est quod humana mens jure dubitare possit. Sicut enim Dominus et Redemptor noster in his sanctificandis mysteriis, quibus ex rebus confi-
cerentur specialiter, quibusve ministris consecrarentur, instituit, ita et quo in loco specialiter sacrificarentur, elegit, id est in ecclesia sancta quæ domus Dei specialiter appellatur, quia veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam non est locus. Hic enim [locus] divinis cultibus agendis est consecratus. De quo ipse Dominus ait : « Domus mea, domus orationis vocabitur (*Luc.* XIX). » In hoc enim quadragesimo suæ nativitatis die puer cum hostiis offerri voluit; in hoc eum Simeon longi desiderii compos suscepit; in hoc Anna prophetissa Redemptorem Israel cognovit, cui quidem ad insigne sancti propositi et vidualis castimoniæ constantiam, hoc singulariter ex evangelica lectione crevit in laudem, quod

non discedebat de templo. Denique Dominus duodennis puer, ignorante matre et cognatis, remansit in templo. Unde ipse requirentibus ait: « Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? » (*Luc.* II.) Appropinquante vero hora passionis suæ, Jerosolymam adiens, statim intravit in templum, formam nobis religiosæ conversationis, quam sequi debeamus, ostendens, videlicet ut, cum oppidum, aut castellum, sive aliquem locum, ubi domus orationis Deo sit consecrata, ingredimur, prius ad illam festinare debemus, ubi orationis nostræ vota solventes, nosmetipsos Deo commendemus. Ingressus igitur in templum, cœpit ejicere vendentes in eo et ementes, dicens: « Domus mea, domus orationis est (*Luc.* XIX). » Domus illa Dei ad hoc a Salomone primum, et postea a Jesu sacerdote et Zorobabel constructa fuerat, non quod Deus in manufactis templis habitet; sed ut ibi nomen ejus invocaretur, ibique devotæ plebis orationes audiret, vota susciperet, munera et orationes acceptaret. De quo paulo post evangelista dicit: « Quia accesserunt ad eum cæci et claudi, et curavit eos in templo (*Matth.* XXI). » Ejectis namque indignis et profanatoribus templi, cæcos et claudos in eo sanavit; non quod in platea, aut in civitate curationis ei gratia defuisset; sed certa causa mysterii suæ virtutis potentiam exercuit, ut profecto ostenderet præter ecclesiam nemini locum patere salutis, [et] istum esse locum, in quo uberius divina beneficia quærentibus donantur. In hoc publicanus peccator advenit, justificatus rediit. De hoc etiam dicit Liber apostolorum, quia « Quotidie perdurabant unanimiter in templo (*Act.* II). » Et paulo post: « Petrus et Joannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam (*Act.* III). » De hoc Dominus ait: « Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent (*Luc.* XVIII). » Porro infirmus, quem diuturno languore tabescentem Dominus sanaverat super probaticam piscinam, suæ salutis auctorem nequaquam agnoscere potuit in turba sedentem, donec eum Jesus invenit in templo, ibique se recognosci voluit, aperte docens, ut si gratiam Conditoris nostri cognoscere et ad ejus visionem desideramus pervenire, confugiamus devoti ad templum Dei, ubi illi de perceptis beneficiis gratias agere, et de percipiendis exorare satagamus, nosque ipsos templum Dei, in quo misericorditer venire, et mansionem facere dignetur, præparare curemus.

Hæc semper familiaris fuerat consuetudo Domini, ut in quamcunque civitatem introisset, statim diverteret in templum. Unde Joannes evangelista: « Perrexit Jesus in montem Oliveti, et diluculo iterum venit in templum (*Joan.* VIII). » Et Lucas evangelista: « Intravit Jesus secundum consuetudinem in synagogam, et surrexit legere (*Luc.* IV). » Ubi audis synagogam, templum intellige, ubi conventus Judæorum erat. Hæc semper Domino gratissima sedes fuerat, adeo ut in eam semper ingrediens, A sermonem faceret ad populum, ac divinitatis suæ sacramenta pandere dignaretur. Unde licet nullum locum vacare a præsentia majestatis ejus sciamus, in hac tamen præsentius atque uberius suæ gratiæ beneficia petentibus tribuit, ubi corporis ejus et sanguinis sacrosancta mysteria celebrantur et laudes divinæ et vota solvuntur. In templo Dominus Salomoni in nube gloriæ suæ apparuit, dicens se ibi petentibus daturum cuicunque tribulationis et angustiæ remedium, et contra tempestates et mortalitatem, adversus gladium et famem, siccitatem et omnem intemperiem aeris, quidquid ibi a petentibus quæreretur, effectum Dei gratia præstaret. Quotidie certe Dominus sanctam spiritualiter intrat ecclesiam, non quod ibi altitudine murorum, aut varietate pavimentorum delectetur; sed quia ibi fit B conventus fidelium; ibi grates pro largitis beneficiis a fidelibus accipit; hymnos et cantica spiritualia, et devotæ laudis sacrificia suscipit, et sancta corporis sui et sanguinis sui commercia tribuit. Postremo Lucas ad Theophilum scribens, ait quia Dominus Jesus « post passionem suam, discipulis seipsum vivum præbuit in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei (*Act.* XIII). » Quid est loqui de regno Dei, nisi de statu Ecclesiæ, quæ regnum dicitur Dei, ordinare?

Igitur quod congestis lapidibus domum Dei, quam nos ecclesiam nominamus, fabricatam, nihilque sanctum ex ea lapidea materia trahere in se contenditis, et ideo nihil differre; quin in domiciliis et C privatis mansionibus vestris orationes factæ tantum valeant quantum et in templo sancto Dei; adversus hæc considerare oportet cur Dominus tanto cultu tabernaculum fœderis sibi per Moysen jussit fieri, in quo, posthabitis cæteris omnibus locis, specialius gloria ejus apparuerat, ibique singulariter in rebus dubiis consultus, judicia et legem filiis Israel exposuerat. Unde et Apostolus ad Corinthios ait: « Nunquid non habetis domos ad manducandum et bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis? » (*I Cor.* XI.) Et paulo post: « Itaque, fratres mei, inquit, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate; si quis autem esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis (*Ibid.*). » Monstrante itaque Paulo, propterea convenimus ad ecclesiam ut ore- D mus et manducemus cœnam Domini. Duo audistis cur conveniat populus ad ecclesiam; unum ex antiqua traditione, ut judicia rerum et cognitiones accipiat; alterum ex Novo Testamento, ut manducet corpus Christi. Utraque enim quærimus ad ecclesiam, scilicet: ut in ea audiamus judicia nostra mala, sive bona, et cognitionem Dei, et ut manducemus corpus Christi. Quia vero quidam viri comam nutriebant, et mulieres nudato capite procedebant in ecclesiam, gloriantes in crinibus, quod non solum inhonestum erat, sed etiam concupiscentiæ fomenta præstabat, ab hac consuetudine Apostolus eos compescens, dicebat: « Decet mulierem non velatam in ecclesia orare Deum; nec ipsa natura docet vos,

quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi : mulier vero si comam nutriat, gloria est illi (*Ibid.*). » Denique beatum Urbanum martyrem (si vere martyres creditis debere imitari) audire vos oportet, qui domum sanctæ Cæciliæ sanctæ ecclesiæ nomini dicavit. Unde doctor egregius Augustinus, in psalmo LXXX : « Hæc quæ exstruuntur ad tempus ad recipienda corpora vel vivorum vel mortuorum necessaria sunt, sed tempore prætereunt. Nunquid post judicium Dei istas fabricas in cœlum levabimus? Sine his tamen hoc tempore, quæ ad possidendum cœlum pertinent, agere non poterimus. » Porro ipsa domus ideirco vocabulum habet ecclesiæ, quia continet Ecclesiam, id est populum convocatum ab eo, qui facit unanimes habitare in domo. Quæ ideo sanctificatur ab episcopo, ut in ea velit esse adventus angelorum, et homines in eam introeuntes ab omni turpiloquio, et scurrilitate, et inutili cogitatione norint se continere. Audiant qui intrant ecclesiam quod audivit Moyses, quando voluit visere rubum ardentem; et Dominus : Ne appropies, inquit, huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est (*Exod.* III). » Et angelus ad Josue : « Solve, inquit, calceamentum de pedibus; locus enim in quo stas terra sancta est (*Jos.* V). » Et Apostolus ait : « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III). » Intrantes igitur domum Dei, ecclesiam, ubi Dominus et angeli ejus sunt, oportet nos exuere mortuæ actionis calceamentis, et cogitare de conversatione angelorum, et de præsentia majestatis Dei, et assiduis hymnis et psalmis spiritualibus invocare nomen Domini, ut illud compleatur in nobis quod ait Psalmista : « Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem (*Psal.* LXVII). »

IV. *De sacro altari.*

Quod autem de mensa Domini et de materiali structura ejus fabulas fingitis, quod nihil aliud sit, nisi acervus lapidum, et ideo inani religionis officio illam venerari; non est vox ista hominis, sed diaboli, cum nullus sit locus in orbe alius, ubi legitime veneranda corporis ejus et sanguinis libamina queant sanctificari; nescit enim crucis pretium, qui non credit manere in altari cœleste mysterium. Altare de terra Dominus per Moysen sibi fieri instituit, super quod holocausta et sacrificia offerri debuissent; de quo liber Leviticus testatur quia præceperat eidem Moysi Dominus, ut poneret sacerdos, qui unctus erat, de sanguine hostiæ super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod erat in tabernaculo testimonii. Quod quidem altare in tabernaculo novo, id est in sancta ecclesia, imaginem corporis Christi et sepulcri tenet in quo sanguis veri Agni et immaculati Christi quotidie a fidelibus immolatur, qui seipsum pro nobis obtulit hostiam Deo Patri. Hoc quidem primo a patriarchis, postea, sicut diximus, a Domino per Moysen consecratum est. Nam legimus quia Noe post diluvium « ædificavit altare Domino, et tollens de pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super eum, odoratusque est Dominus odorem suavitatis (*Genes.* VIII). » Similiter et Abraham, Isaac et Jacob. Qui Jacob egressus de Bersabee, vidit scalam a terra cœlos usque eminentem, per quam angelos Dei ascendentes et descendentes, ipsum etiam Dominum loquentem sibi, vidit. Qui mane exsurgens : « Vere, inquit, Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque, Quam terribilis est, inquit, locus iste! non hic est aliud nisi domus Dei et porta cœli. Surgens ergo mane tulit lapidem, quem supposuerat lapidi suo, et erexit in titulum, fundensque oleum desuper vovit Domino (*Ibid.*, XXVIII). » Ibique decimas et hostias obtulit; ad cujus instar adhuc in sancta ecclesia oleo sacro altaria perunguntur. De hoc Dominus in Evangelio dicit : « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum (*Matth.* V). » Et alibi : « Quid, inquit, majus est donum, an altare quod sanctificat donum? » (*Ibid.*, XXIII.) De hoc Lucas ait : « Quia dum Zacharias sacerdotio fungeretur in templo, angelus Domini apparuit ei, stans a dextris altaris incensi (*Luc.* I). » Et Joannes in Apocalypsi : « Vidi, inquit, sub altare Dei animas interfectorum (*Apoc.* VI). » Et iterum : « Alius angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum, et data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum super altare quod erat ante thronum (*Ibid.*, VIII). » Et paulo post : « Accepit, inquit, angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris (*Ibid.*). »

De thymiamate.

Quoniam de sacro altari verbum facientes thymiamatis quoque et incensi mentionem fecimus, quorum usum et in cœlis angelico ministerio, et in terris per antiquos et novos Patres observari legimus, talem ex hoc divinæ institutionis auctoritatem habemus. Porro inter cætera, quæ ad cultum tabernaculi facienda Dominus constituerat, hæc quoque jussit Moysi, dicens : « Facies mihi altare ad adolendum thymiama de lignis setim (*Exod.* XXX). » Et iterum : « Pones altare contra velum quod ante arcam pendet coram propitiatorio, ubi loquar tibi, et adolebit incensum super eo Aaron, suave flagrans mane. Quando componet lucernas, incendet illud, et quando collocat eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum Domino (*Ibid.*). » Dehinc in sequentibus ait : « Sume tibi aromata, et stacten et onycha, galbanum quoque boni odoris, et thus lucidissimum, faciesque thymiama compositum opere unguentarii mistum diligenter, et purum et sanctificatione in remissionem (*Ibid.*). » « Prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis (*Luc.* IV). » Et paulo post intendentibus in eum dicit : « Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris (*Ibid.*). » Sed et Paulus, qui semper a veteribus nos docet transire ad nova, multa de Moyse et prophetis et psalmis, suis scriptis inserit, ut est illud in Genesi :

« Factus est primus homo Adam in animam viventem (*I Cor.* xv). » Quid igitur? Nunquid Vetus Testamentum reprobasse dicendus est, qui in Epistola ad Hebræos ita scribit : « Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quod dicitur sancta ; post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam omni ex parte auro (*Hebr.* 9), » et cætera, quæ in eadem Epistola de Veteri Testamento prosequitur.

Igitur nos sanctorum patrum exempla servantes, plurima ab illo veteris observantiæ cultu in ministerium Novi Testamenti per ministros Ecclesiæ tractanda, apostoli et eorum successores transtulerunt, ut est hæc ipsa, de qua loqui incœpimus, sacri chrismatis atque olei unctio, de qua olim sacerdotes et reges, jubente Domino, ungebantur. Nam in Exodo scriptum est ut populi offerant oleum, dicente Domino : « Præcipe filiis Israel ut offerant [afferant] tibi oleum de arboribus olivarum purissimum (*Exod.* xxvii). » Nam, ut Isidorus ait, Olea ipsa arbor est, fructus oliva, succus oleum. Est autem olea arbor pacis insignis, et habet pinguedinem, qua lassi atque infirmi artus recreantur, et gratia præstatur luminis ; cujus succus, dum offertur a populo, simplex liquor est, per benedictionem vero sacerdotum transfertur in sacramentum, sicut de aqua baptismatis ante docuimus. Animales autem hæc non possunt percipere, sed fides sapiat quod carnei oculi non possunt contemplari, ut fiat illud quod ait Apostolus : « Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas (*Rom.* i). » Unde beatus Augustinus, in psalmo xliv, explanat : Oleum visibile in signo est, oleum invisibile in sacramento est. Oleum spirituale invisibile est. Potest Deus per se oleum spirituale tribuere sine corporali, sed propter animales aguntur visibilia, ut invisibilia facilius capiantur. Apostoli denique hac arte olei utebantur in redintegratione infirmorum, et apostolici viri in consignatione neophytorum. Sic enim scriptum est in Evangelio : « Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, et dæmonia ejiciebant, et ungebant oleo multos infirmos, et sanabant (*Marc.* vi). » Unde, ait apostolus Jacobus : « Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ; et si in peccatis fuerit, dimittentur ei (*Jac.* v). » Unde patet et ab ipsis apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem traditum, ut energumeni et alii quilibet ægroti ungantur oleo pontificali benedictione consecrato. Consignantur etiam, ut diximus, neophyti de eo, ad cujus exorcismum jubetur diabolus recedere a catechumeno, qui adhuc pro mortuo deputatur, quia nondum est baptizatus. Chrismalis autem unctio sanctificat viventem ex mortuis, et Spiritus sancti gratiam in filium adoptionis invitat.

A Porro in veteri testamento Aaron a Moyse unctus est, et filii ejus, qui in tabernaculo Dei ministraturi fuerant, sicut Dominus locutus est ad Moysen, dicens : « Accipe Aaron et filios ejus, et applicabis ad ostium tabernaculi testimonii ; cumque laveris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis, et oleum unctionis fundes super caput ejus (*Exod.* xix). » Et iterum : « Pontifex, id est sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, et cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non disco operiet, vestimenta non scindet, et ad omnem mortuum non ingredietur omnino. Sub patre quoque suo et matre non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat B sanctuarium Dei, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est (*Levit.* xxi). » Unde Psalmista ait : « Unxit te Dominus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* xliv). » Quando consortes nominavit, quos alios intuebatur nisi episcopos, quos, Christi, vicarios spiritu prophetico ad regendam sanctam Ecclesiam prævidebat, qui hanc unctionis gratiam ab eo accepturi erant, qui est verus sacerdos secundum ordinem Melchisedech? Porro caput nostrum Christus est, ideo pontifex in capite ungitur, qui Christi vicarius efficitur. Imitando enim illum, qui est totius caput Ecclesiæ, per hoc unctionis mysterium fit et ipse caput Ecclesiæ sibi commissæ. Et sicut Christus pro universa interpellat Ecclesia, ita episcopus pro sibi commissa. In eo C autem quod ait propheta unctum Christum præ consortibus suis, spiritualis gratiæ donum, quo Christus præ consortibus, id est cæteris sanctis, unctus est, insinuat, cujus unctio illo expleta est tempore, quando baptizatus est in Jordane, et Spiritus sanctus in specie columbæ descendit super eum, et mansit in illo ; in eo vero quod Christi consortes unctos oleo dixit, materialis unctionis gratiam, qua vicarii Christi, id est pontifices, perfunduntur, insinuat. Nam si sacerdotalis gratiæ unctionem singularem solus sibi Christus retinuisset, nequaquam Apostolus hanc cæteris gratiam inesse doceret, cum ait : « Plures facti sunt sacerdotes secundum legem, idcirco quod morte prohiberentur D permanere (*Hebr.* xvii). »

Igitur hunc unctionis morem in ordinandis episcopis sancta adhuc servat Ecclesia ; ipsi etiam episcopi in consecrandis presbyteris, manus eorum ungunt de oleo, ut mundi sint ad offerendum Deo hostias, et largi ad cætera officia pietatis. Utrumque enim designatur per oleum, et gratia curationis, et charitas dilectionis, de qua Apostolus ait quia « charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* v). »

Si quis autem objiciat : Cum Deus sine oleo possit sanare infirmos, effugare dæmones, sanctificare suos, quare tanto studio observatur cultus consecrationis olei? respondemus : Nonne antiqui justi potuerunt Deo placere sine circumcisione?

Potuerunt utique ; sed postquam eis præceptum fuit ut circumciderentur, nisi ita agerent, peccati vinculis tenebantur. Unde beatus Augustinus ait : « Antiqui justi, si non circumciderentur, non erat eis peccatum ; postea vero quam jussit Deus circumcidi Abraham ejusque posteritatem, jam nisi fieret, grave peccatum fuit. »

V. *De signis.*

Signorum quoque usus a Veteri Testamento sumptus est. In quo per Moysen Dominus jussit fieri tubas argenteas ductiles, quas dum Levitæ tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus commonitus, ad tabernaculum fœderis ad adorandum festinaret, quarum etiam clangore hortatus ad bellum tela prosterneret adversantium, et fortitudo inimicorum eo sono exterrita in se deficeret. Nam legimus quia, ante arcam fœderis, per clangorem tubarum muri Jericho, quibus adversantium cingebatur exercitus, corruerunt. Ad hunc modum in sancta ecclesia hodie tintinnabula fiunt, ut per illorum tactum fideles ad gremium matris ecclesiæ invitentur, ut, depositis curæ sæcularis occupationibus, discant se armare adversus spirituales incursus. Et sicut fit ut audita bellica tuba milites ad prælium animosius accendantur, hostilis impetus formidine fusus dispergatur : ita, exterritis turbis nocentibus, confortetur ad Dominica bella per signum populus evocatus; et, procul pulsis aereis potestatibus, conventus Ecclesiæ manu angelica servetur.

VI. *De sacris ordinibus.*

Veniendum est autem ad sacratissimos ordines, quos vesanæ mentis pertinacia vos rejicere audimus. De quibus primo notandum est quia eos qui magis sunt in Ecclesia necessarii, Apostolus denominat, et eorum mores depingit sine quibus non potest rite immolatio altaris celebrari, id est levitas et sacerdotes. Ut enim sine retractatione sacerdos circa hostias vigilat, necessarius est diaconus ad ministrandum ea quæ necessaria sunt sacerdoti. Cæteri ordines his subjecti sunt; crescente namque Ecclesia, crevit officium ecclesiasticum ; ut enim multitudini Ecclesiæ subveniri possit, adjiciuntur inferiores in adjutorio præpositorum. De quibus sunt ostiarii, id est, janitores, qui pervigili cura sanctæ ecclesiæ januam servant, et thesauros domus Dei custodiunt, per quos accessum habemus in templum Domini, qui ait : « Ego sum ostium (*Joan.* x). » Hi suscipiunt eos quos prærogativa fidei invitat, et excludunt illos qui ab unitate disjuncti sunt, quibus dicturus est Dominus : « Nescio vos. » Post instituuntur lectores, id est, Dominici verbi relatores, de quibus Apostolus ait : « Alii datur sermo sapientiæ secundum eumdem Spiritum (*I Cor.* xii). » Hi sunt qui distincte atque ordinate modulantes in ecclesia, sanctis moribus fideles instruunt. Deinde sunt exorcistæ, qui per impositionem manuum et benedictionem sacerdotalem sumunt potestatem abjiciendi spiritus immundos, et gratiam curationum; de quibus Dominus in Evangelio : « In nomine meo dæmonia ejicient (*Matth.* vii). » Quam effugandorum dæmonum potestatem, nulla manuum impositione aut sacerdotalis benedictionis prærogativa donati, olim quidam usurpare volentes, ab obsessis corporibus dæmones per exorcismum tentabant ejicere, sicut de filiis Scevæ Judæi Liber apostolorum commemorat. Qui cum in nomine Jesu, quem Paulus prædicabat, spiritus immundos exorcizarent, concito indignantis spiritus furore vexati, temeritatisque ausum ultore spiritu luentes, audierunt increpantis responsum hoc modo : « Jesum novi, et Paulum scio : vos autem qui estis? et continuo insiluit in eos spiritus immundus (*Act.* xix). » Quibus illa sui pœna furoris sane dedit indicium quia non erant ex eorum numero quibus hoc donum gratiæ auctoritate sacerdotali præstitum fuerat. Hos sequuntur acolythi, id est, ceroferarii, qui ignem verbi cœlestis, quo illuminentur fratres ad agnoscendum, et inflammentur ad diligendum Deum, prædicando ministrant. Subdiaconi vero hi sunt, qui oblationes a populis in templo Domini suscipiunt, et officiis deserviunt Levitarum, in offerendis vasis corporis et sanguinis Domini, et in administrandis his quæ aguntur circa altaris officia.

Cui vero otium fuerit Vetus Testamentum revolvere, inveniet ab eo hos sumpsisse exordium, nec minus etiam eos qui supersunt, id est, Levitas et sacerdotes, quorum gradus quia altior est, paulo plus in eis nobis est immorandum. Nam, sicut liber Numerorum refert : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : « Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei, et excubent, et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus. » De his scriptum est, in Actibus apostolorum, quia « convocantes duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus; nos vero orationi et ministerio verbi erimus instantes. Et placuit sermo coram multitudine, et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum et cæteros, quos statuerunt ante conspectum apostolorum; et orantes imposuerunt eis manus (*Act.* vi). » Ex hinc jam decreverunt apostoli, vel successores apostolorum, per omnes ecclesias septem diacones, qui sublimiori gradu cæteris circa aram Christi quasi columnæ altaris assisterent. De his Paulus, cujus vos doctrinam tenere dicitis, scripsit ad Timotheum. Nam cum præmisisset episcopum debere irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, moribus ornatum, continuo intulit : « Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura; et hi probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes (*I Tim.* iii). »

Presbyterorum ordo quoque exordium sumpsit a

filiis Aaron, qui tunc sacerdotes vocabantur in Veteri Testamento, nunc autem presbyteri vocantur. Porro hi præsunt Ecclesiæ Christi, et in confectione corporis et sanguinis Domini consortes cum episcopis sunt, similiter et in doctrina populorum et in officio prædicandi. De his Paulus apostolus scribit ad Titum : « Hujus, inquiens, rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, quemadmodum ego tibi disposui, si quis sine crimine est (*Tit.* I). » Et in prima ad Timotheum Epistola : « Noli, inquit, negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii (*I Tim.* IV). » Igitur cum presbyteri ordinantur, per impositionem manuum sacerdotalis gratiæ donum suscipiunt. De quibus in libro Numerorum scriptum est : « Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel; quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri, et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam et loquar tibi, et auferam de spiritu tuo, tradamque eis (*Num.* XI). » Et paulo post : « Descendit Dominus per nubem, et locutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris (*Ibid.*). » De his etiam, in Actibus apostolorum, scriptum est quod, cum venisset Paulus apostolus Miletum, miserit Ephesum, et vocaverit presbyteros ejusdem Ecclesiæ, quibus inter cætera ait : « Attendite vobis et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit pascere Ecclesiam Domini, quam acquisivit per sanguinem suum (*Act.* XX). » Sed et Petrus in prima Epistola : « Presbyteros, inquit, qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum, et ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator; pascite, qui est in vobis, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee, secundum Deum; non turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in clerum, sed forma facti gregis ex animo; et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam (*I Petr.* V). »

Denique pontificalis sacerdotii ordo initium sumpsit ab Aaron, sicut dicit Isidorus, quanquam et Melchisedech prior obtulerit sacrificium, et post hunc Abraham, Isaac et Jacob; sed isti spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate ista fecerunt. Cæterum Aaron primus in lege sacerdotale nomen accepit, primusque pontificali stola indutus victimas obtulit, dicente Domino ad Moysen : « Accipe, inquit, Aaron et filios ejus, et applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est, tunica, et superhumerale et rationale, quod constringes balteo; et pones tiaram in capite ejus, et laminam sanctam super tiaram, et oleum unctionis fundes super caput ejus (*Exod.* XXIX). » In Novo autem Testamento post Christum pontificalis ordo a Petro cœpit; ipsi enim primum datus est pontificatus in Ecclesia Christi, sicut dicit Dominus : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI). » Hic ergo ligandi solvendique potestatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute prædicationis adduxit. Siquidem et cæteri apostoli cum Petro pari consortio honoris et potestatis acceperunt, et ipsis apostolis ordinantibus successerunt episcopi, qui sunt constituti per mundum in sedibus apostolorum, qui non jam ex gente carnis et sanguinis eliguntur sicut primum, sed pro uniuscujusque merito, quod in eum divina gratia contulit.

Quod autem per manus impositionem a præcessoribus Dei sacerdotibus episcopi ordinantur, antiqua institutio est. Sic enim patriarcha Isaac, manum super caput Jacob imponens, benedixit ei; similiter et Jacob filiis suis; Moyses, super caput Josue manum imponens, dedit ei spiritum virtutis et ducatus in populo Israel. Sic et suppletor legis et prophetarum, Dominus noster Jesus Christus, apostolos benedixit. Et in Actibus apostolorum ex præcepto sancti Spiritus Paulo et Barnabæ apostolis manus imposita est in episcopatum, et sic missi sunt ad evangelizandum. Caput enim principale mentis designat; et sicut mente corpus regitur, ita per episcopos Ecclesia, quæ est corpus Christi, regitur. De his Paulus apostolus ad Titum : « Oportet, inquit, episcopum irreprehensibilem esse, sicut Dei dispensatorem (*Tit.* I). » Et ad Timotheum ait : « Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem (*I Tim.* III). » Et item : « Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ in te est per impositionem manuum mearum (*II Tim.* I). » Jam vero, quod sæculares viri nequaquam ad ministerium Ecclesiæ assumantur, eadem apostolica auctoritas docet et dicit : « Manus nemini cito imposueris (*I Tim.* V). » Et iterum : « Non neophytum, ne in superbia elatus (*I Tim.* III), » putet se non tam ministerium humilitatis quam administrationem sæcularis potestatis adeptum, et in condemnationem superbiæ sicut diabolus per jactantiam dejiciatur. Non enim valebit sæcularis homo sacerdotii magisterium implere, cujus nec officium tenuit, nec disciplinam cognovit, sed neque docere potest quod non didicit.

Quod cum ita sit, stultum et cunctis catholicis abominabile fit quod putatis vos posse dare quod non accepistis; nec quibus in locis, nec quibus ministris detur aliquod gratiæ donum, differentiam facitis; sed in lucis, aut in breviis, aut etiam intra pudenda septa latrinarum vestras phantasias atque sacrilegas incantationes, quasi quoddam sanctificationis mysterium, super eos agitis quos erroris vestri consortio admiscere potestis. Qua in re Paulum apostolum, quem vestrum doctorem mentimini, vestrum potius sentietis accusatorem, qui ad Timotheum scribens, ait : « Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem (*II Tim.* VI). »

VII. *De sepultura.*

De sepultura etiam, quam præter ullum salutis compendium avaritiæ sacerdotum ascribitis, sermocinabimur. Asseritis quidem nihil differre utrum mortui in atriis domus Domini, an aliis in quibuslibet locis sepeliantur, fingentes nullum prætendi mysterium sanctitatis, præter quod de ipso pretio sacerdotes sibi coacervant pecuniam. Sed si sanctæ matris Ecclesiæ sinum fidelibus vivis derogare præsumitis, nec mirum si vultis derogare et defunctis. Verum, quia de Ecclesia superius certissime tractavimus, de sepultura etiam aliquid disseramus. Porro cum fideles Christiani temporalem vitam in unitate Spiritus sancti sub mysterio catholicæ fidei in hac temporali Ecclesia communiter exigunt, ut per hanc ad cœlestem perveniant, ubi, rogo, debent corpora eorum post resolutionem rectius quam in sinu matris Ecclesiæ tumulari? Sicut enim temporali ecclesiæ temporaliter vivendo per fidem adhærent, ita et temporaliter moriendo in sinu ipsius requiescunt, diem videlicet resurrectionis et intemporalis Ecclesiæ gloriam exspectantes. Hæc est enim mater credentium, quæ natos ad mortem regenerat ad immortalitatem, quæ filiorum corpora servat sane ad tempus sopita, in generali tamen resurrectione ad immarcessibilem gloriam suscitanda. Si ergo in tanto lumine veritatis caliginem erroris non deponitis, dicite unde spiritus vitæ æternæ vobis promittitis. In sancta quippe Ecclesia Deo renati offerimus, et per ipsam juxta piæ conversationis qualitatem ad æternitatem tendimus. Cæterum cum resolvimur, in ipsa sepulti quiescimus, et juxta speciem mortis imitamur futuræ beatudinem resurrectionis.

Qui ergo hoc Christianæ fidei unicum pignus non amplectitur, a compage corporis Christi procul dubio divellitur. Ad hujus vero fidei unitatem pater Abraham se noverat colligendum, cum ab Ephron duplicem sepulturam emeret; quam etsi sine pretio posset habere, tamen, ne cum improbis videretur participari, æstimavit potius comparare. Ibi nimirum Saram uxorem sepelivit, et ipse postea sepultus est, necnon Isaac cum Rebecca. Illuc etiam Jacob, cum in Ægypto mori debuisset, filios suos sepeliendum se reportari commonuit. Josephus vero, filius suus, antequam moreretur, quodam prophetico contuitu dixit ad fratres suos : « Post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac et Jacob patribus nostris. Cumque ascenderitis, asportate ossa mea vobiscum de loco isto (*Gen.* L), » ad patriam videlicet sepulturam. Quod et isti fecerunt. Tobias vero, vir plenus Spiritu sancto, filium suum monuit ut, cum ipse moreretur, funus suum curaret, et juxta eum sepeliret uxorem suam. Notandum enim quod sancti patres non solum in vita, sed post mortem ab alienigenis dissociari volebant; quippe unitatem futuræ Ecclesiæ prætendentes, quæ seorsum fidelibus aggregatis profanos cultus abhorret.

Quod si Abraham sepulcrum sibi pretio coemisset, cum gratis posset habere, cur non potius et nos in sepulturis nostris sanctam Ecclesiam quolibet munere donabimus, quod et ad remedium vivis, et ad veniam prosit defunctis? Si autem objicitis quia hoc magis avaritia sacerdotum exigit, nec quidem nos negamus quin aliqui hoc faciant; faciunt enim aliqui. Nec mirum, cum ex duodecim apostolis unus avaritiæ inhiasset. Sciendum vero quod vitio malorum boni depravari non debent, aut divina mysteria infamari. Quidquid enim fiet in nomine Domini, præmio vacabit. O vos cæci et errantes, Dominicis verbis vos increpo! Nescientes legem, quare non scrutamini Scripturas? Hoc habet plane liber Regum, quod reges israeliticæ plebis in uno loco omnes sepelirentur, exceptis pravis et impœnitentibus. Quod si pœnitentes admissa correxerint, cum cæteris sepulturam sortirentur. Unde datur intelligi quod, cum Salomon cum cæteris tumuletur, veniam criminum meruisset, licet sua pœnitentia non legatur. Ad hoc autem et alia multa quæ de sepultura occurrunt mysteria, ipsius Salvatoris eo etiam affuit providentia, quod crux sancta in qua pependit, super tumulum protoparentis Adam, ut tradunt doctores, figeretur. Nec vacat quod pretio ejus sanguinis ager Haceldama emitur, ubi peregrinorum corpora tumulantur : revera enim ejus sanguine Ecclesia comparatur, in cujus sinu pauperes Christi quiescunt.

VIII. *De pœnitentia.*

Quoniam quidem superius regenerationis mysterium nihil esse dixistis, ob hanc scilicet causam, quia quidquid ex operibus Satanæ baptizandus abdicare se profitetur, postmodum in vita repetere non timet : ex qua sententia pœnitentiæ derogare videmini et cæteris quæ Deus ad peccantium reconciliationem remedia contulit; restat nobis adhuc super hujusmodi insudare. Necdum enim incredulitatis vulnus ad vivum usque attigimus, quod quidem nos medicantis verbi ferramento opus est recludere, unde latentis putredinis sanies in apertum erumpat. Sciens certe divina providentia neminem, baptismatis gratia renovatum, ad superandas diaboli insidias et vincendas carnis concupiscentias esse idoneum, ne quis post lapsum in desperationis foveam corruat, adversus singula vitiorum vulnera reservavit convenientia reparandæ salutis medicamenta, parans superbis humilitatem, invidis charitatem, luxuriosis continentiam, gulosis parcimoniam, lapsis pœnitentiam, et cæteris quibusque vitiis congrua medicamenta, per quæ peccator quasi quadam baptismi regeneratione Deo reconcilietur. Sed ut de reliquis sileam, quoniam pœnitentiam abjicitis, cum tamen Evangelii auditores vos esse dicitis, interrogo vos quid Dominus in Evangelio esse voluerit quod ait : « Gaudeo super uno peccatore pœnitente, quam supra nonaginta novem justos qui non indigent pœnitentia (*Luc.* XV) » Et alibi : « Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam (*Matth.* IX). » Satis certe superque abundant exempla pœnitentiæ,

per quæ, revelante Scriptura, multos de tumulo vitiorum et morte animæ resuscitatos cognovimus, de quibus multos, ante electionem in malitia sua perdurantes, per pœnitentiam resipisci cognovimus; plurimos vero post electionem lapsos, sed postea pœnitentiæ remedio in pristinam gratiam relocatos. De quibus beatum Petrum primum in medium introducimus, qui, dum pœnitendo fleret culpam negationis, non solum priorem gratiam reimpetravit, sed inter omnes totius Ecclesiæ, quæ in terris et in cœlis est, primatum accepit. Quin etiam prodigum filium, a gratia paterna privatum, in Evangelio audivimus pœnitendo non solum in gratiam patris redisse, sed et stolam primam, quam amiserat, recepisse. Primam cum audis, non novam intelligas, sed antiquam, quia prioris innocentiæ vestem, qua se peccando exspoliaverat, pœnitendo reparavit.

Denique qui doctrinam apostolicam suscipitis, oportet audire qualiter Paulus fornicantem fratrem compellat ad pœnitentiam : « Omnino, inquit, auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris quis habuerit. Et vos inflati estis et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi (*I Cor.* v). » Et alibi : « Timeo ne, cum venero, humiliet me Deus apud vos; et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditiam, et fornicationem, et impudentiam quam gesserunt (*II Cor.* xii). » Quid enim tradere hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, aliud est, nisi hunc quod per incontinentiam carnis deliquerat, per tribulationem carnis pœnitendo diluere, ut carnis titillantis rubigine pœnitentiæ camino excocta, spiritus purior in diem Domini salvus fiat? Unde ipse, postmodum dicit se timere ne lugeat de eorum interitu qui non egerunt pœnitentiam super immunditiam et fornicationem suam.

Denique in ecclesiastica Historia quemdam juvenem apud Ephesum audivimus a beato Joanne apostolo in monasterio reclusum; qui, catholicis disciplinis instructus, et baptismatis gratiam adeptus, post mula religiosæ conversationis exempla, diabolicæ suasionis spiritu agitatus monasterium deseruit, et inter sylvas et lustra ferarum homicidiis, furtis et omnigenis flagitiis depravatus est. Quem cum apostolus requisitum ad Ecclesiam revocaret, et miser ille ob magnitudinem criminum nullam reparandæ salutis spem se habere diceret, beatus Joannes jurisjurandi sacramento ei spem veniæ promittit. Dehinc jejuniis et orationibus eum intra paucum tempus ita reddidit emendatum, ut cæteros anteiret sanctitate, et ipsius Ecclesiæ regimen illi Apostolus commendaret, præbens per hoc magna exempla veræ pœnitentiæ et documentum ingens regenerationis, atque insignia quædam et tropæa visibilis in eo resurrectionis ostendens. Verum qualiter idem Joannes apostolus angelo Ecclesiæ Ephesi scribat, animadvertite : « Memento, inquit, unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac; alioquin veniam tibi, et movebo candelabrum tuum de loco ejus (*Apoc.* ii). » Exstat unum, quod ad commendandam pœnitentiæ vim sufficiat, exemplum. Senatoris cujusdam filiam Deo consecratam vir quidam, concupiscentiæ furiis agitatus, quondam eo usque adamavit ut per maleficos immundum spiritum consuleret. Cui cum spiritus malignus desiderii effectum promitteret, si Christo abrenuntiare vellet, ille non solum acquievit, verum abrenuntiationis chartam manu propria scriptam illi donavit; sicque sponsoris sui arte virginis amplexum adeptus, non post multo amare deflebat stupri mercede auctorem suum negasse. Tandem beato Basilio Cappadociæ civitatis episcopo omnem rei ordinem confessus, in quodam conclavi per tres dies sub pœnitentiæ satisfactione recluditur, ubi infestantis spiritus convicia multa patitur. At vir beatus, convocata in ecclesiam cleri ac populi multitudine, non destitit orare ad Dominum, donec validissimo orationis certamine scriptum de manu diaboli extorsit, et cunctis intuentibus demissam per aerem chartam recepit.

Absit igitur a fidelium mentibus hanc vestram exsecrabilem audire doctrinam, ut lapsis, post electionem, pœnitentiam nequaquam proficere credant! cum luce clarius est post perpetrata scelera homines per eam redire ad innocentiam. Quam quidem adeo efficacem, adeo potentem ad abolenda peccata experti sumus ut, etiamsi in ultimo vitæ spiritu quis admissorum pœniteat, et publica lamentatione commissa prodantur, fructum tamen et spem veniæ salutaris non perdat, quia propositum, quod decrevit salvare quod perierat, non potest immutari; et ideo quia voluntas ejus non mutatur, etiamsi tempus emendationis non conceditur, si tamen in supplici confessione vita exceditur, fideli proposito venia non negatur ab illo qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur a perditione pœnitendo, et salvatus miseratione Domini vivat. Quod autem objici poterat de peccato ad mortem, cui nulla patet ad veniam consolatio, id quidem eorum est qui, in desperationis foveam corruentes, nihil prorsus, quo inde eximi valeant, sibi reliquerunt.

IX. *Quod pœnitentia post mortem prosit.*

Verum, ne quis pœnitentiam solis vivis et non defunctis proficere credat, multos qui a sæculo transierant, suorum pietate viventium a pœnis relevatos, Scriptura teste, comperimus, dum pro eis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ fiunt, vel quis vicariam pœnitentiæ solutionem defuncto amico persolvit, dum quod æger præventus morte non potuit, vivus supplet amicus. Quod quia cæci lumine fidei non solum refugitis credere, sed penitus des

struere tentatis, non vere, ut asseritis, Evangelii auditores estis. Nam ipsa Veritas dicit quia : « Si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro (*Matth.* XII). » In qua sententia, in Dialogo suo beatus ait Gregorius, datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse relaxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet quod de quibusdam conceditur ; sed hoc de parvis minimisque peccatis credendum est, sicut est continuus otiosus sermo, immoderatus risus, vel ali. . . . . curæ familiaris, et cætera, sine quibus vita humana non agitur, quæ etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minime fuerint laxata; quæ per ignem purgatorium post mortem ipse paulo post dicit purgari, si in hac vita positus hoc bonis actibus, ut illic obtineat, aliquis promereatur. Unde jure a sanctis doctoribus purgatorius ignis esse dicitur, quod per eum peccata aliqua purgantur, prout viventes, aut eleemosynis, aut sacrificiis, aut certe, sicut ante diximus, vicaria pœnitentiæ solutione obtinere possunt. Unde et Paulus ait quia : « Vir fortissimus Judas, collatione facta, misit Jerosolymam duodecim millia drachmas argenti, offerre eas pro peccatis mortuorum, juste et religiose cogitans de resurrectione; nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis. » Deinde dicit : « Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccato solvantur (*II Mach.* XII). »

Constat igitur, ut diximus, talium operum pretio defunctos posse a peccatis absolvi, alioqui Paulus apostolus, cujus vos auditores esse mentimini, nequaquam audiendus esset, qui dicit lignum, fenum, stipulam, id est, peccata minima atque levissima igne purgatorio facile consumi; quibus nimirum non purgatoria, sed æterna supplicia inferrentur, nisi talibus hostiis promeruissent igne purgatorio resolvi.

X. *De connubiis.*

De connubiis vero, quæ vos contra evangelica et apostolica decreta sacrilega mente abominanda judicatis, dicentes conjugatos in sortem fidelium nequaquam computandos, multa sanctorum Patrum occurrunt exempla quæ ad infidelitatis hujus blasphemiam confutandam satis sufficiant. De quibus nos responsuros quodam discretionis gubernaculo nostri sermonis carinam subigere oportet, ne, quasi inter duos scopulos naufragium incurrentes, occasionem demus in alterutrum, scilicet aut omnes indiscrete a conjugiis exterrendo, aut omnes indiscrete ad connubia commonendo. Porro sicut inter sæculares et ecclesiasticos viros quædam ordinis discretio est, ita et conversatio eorum quadam discretionis ratione servanda est. Nam vir ecclesiasticus, postquam relicta sæculi militia in sortem Domini computatur, non potest, salvo professionis suæ cingulo, conjugali toro se iterum mancipare. At viris sæcularibus, qui nulli ecclesiastici regiminis jugo sunt obnoxii, nec evangelica, nec apostolica decreta legitima præjudicant connubia, si tamen sciunt omni tempore sibi debere esse subjectam conjugii voluptatem, et si discernunt certa concubitus tempora, quando coeundum, et quando ab uxoribus sit abstinendum. Non enim talia connubia beneplacita sunt Deo, quibus homines ad luxuriam et delicias, instar animalium, provocantur, qui Deum a sua mente excludunt, et suæ libidini vacant, sicut equus et mulus. Qui autem ita conjugio utitur, ut cum timore Dei in amorem filiorum potius intendat, quam ut petulantis carnis appetentiam expleat, hunc culpa conjugii de sorte fidelium non privabit.

Falluntur igitur qui conjugatos a regno Dei exterminandos affirmant, præsertim cum in Evangelio hujusmodi testimonium habeamus, et apostolica traditio talem humanæ consuetudinis legem multis in locis confirmet. De qua re hoc unum ex ore Veritatis testimonium proferimus.

Nam, Pharisæis tentantibus si liceret homini uxorem suam dimittere quacunque ex causa, ille respondens ait : « Non legistis quia qui fecit, masculum et feminam ab initio fecit eos, et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet (*Matth.* XIX). » Requirentibus autem illis, ut quid Moyses mandasset dari libellum repudii et dimittere, ait illis : « Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis quia quicunque uxorem, nisi ob fornicationem, dimiserit, et aliam duxerit, mœchatur (*Ibid.*). » Petrus autem in Epistola sua ait : « Mulieres subditæ sint viris suis, ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant (*II Petr.* III). » Et paulo post : « Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans (*Ibid.*). » Et iterum : « Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem (*Ibid.*). » Unde et beatus Paulus ad Corinthios ait : « Bonum est homini non tangere mulierem; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro (*I Cor.* VII). » Et paulo post : « His autem qui in matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat. Si quis frater uxorem habeat infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; et si quæ mulier habet virum infidelem, et consentit habitare cum illa, non dimittat virum ; sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem (*Ibid.*). » Et rursus cum de virginibus præceptum Domini se non habere diceret, conversus ad conjugatos ait : « Existimo hoc bonum esse propter in-

stantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem; si autem acceperis uxorem, non peccasti (*I Cor.* VII).» Scribit autem ad Ephesios ita: «Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ (*Ephes.* V). » Et iterum : « Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam (*Ibid.*). » Et iterum : « Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit (*Ibid.*). » Scribit autem et ad Titum hoc modo: « Adolescentulas doce ut viros suos ament, filios diligant, prudentes, sobriæ, domus habentes curam, subditæ suis viris (*Tit.* II). » Et ad Timotheum : « Adolescentulas, inquit, viduas devita; cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare maledicti gratia ; jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam (*I Tim.* V). » Et ad Colossenses : « Viri, inquit, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas (*Coloss.* III). »

Cum igitur hæc humanæ consuetudinis lex tantis divinæ auctoritatis fulciatur institutis, nimirum abjicienda est vestræ hæreseos ac penitus conculcanda doctrina. Nam si conjugalis societas homini causa esset perditionis, qui venit perditos reparare nullum daret hujus copulæ documentum, nullum præceptum. Paulus denique, qui tanto charitatis igne flagrabat ut etiam pro fratribus anathema fieri optaret, nullum super hujusmodi daret consultum, si hoc ad detrimentum animæ spectare intellexisset. Sed de his satis ad præsens dictum.

XI. *De confessoribus.*

Jam vero quis non videat vos in hoc divini judicii et Christianæ communionis reos esse, quod adversum beatissimos Christi confessores pravi dogmatis seditionem sacrilego ausu movetis, dicentes, præter apostolos et martyres, neminem jure venerari, in confessoribus nullum donum virtutis esse, nec ab eis aliquam salutis gratiam posse spectari, quorum corpora, in cineres resoluta, nihil a mortuis animalibus differre videntur. Petrus certe apostolus datam sibi a Domino ligandi atque solvendi potestatem; hanc quoque beato Clementi, Lino etiam et Anacleto ipse tradidit; cæteri quoque apostoli eamdem gratiam successoribus suis, id est, sanctis doctoribus atque confessoribus reliquerunt; quorum quidam gladio occubuerunt, alii in pace Ecclesiæ quieverunt.

Sed non idcirco ab hominibus injuste venerantur, quia percussoris gladium non senserunt. Verum si ratio temporum non potuit præstare martyrium, gloria tamen martyrum non carent, quia et voto et virtute et potuerunt esse martyres et voluerunt. Nam et illi pro spe æternitatis multas humanorum dolorum pertulere passiones, famem, vigilias, nuditates, jejunia, opprobria invidorum, insectationes malorum, curam pro infirmantibus, sollicitudinem pro periclitantibus, gemitum pro pereuntibus, cum flentibus flentes, cum scandalizantibus urentes. Quinetiam adversum humanæ spiritualisque nequitiæ diversa certamina semper in eis emicuit fortitudo vincendi, patientia exspectandi, æquanimitas sustinendi. Quibus etsi percussor deesset, ipsi sibi percussoris ministerium suppleverunt. Nam quid in eis carnifex aliud feriret quam corpus? Et certe quod ad momentum percussor faceret, ipsi sibi longo cruciatu intulerunt, dum carnis concupiscentias in se occiderunt, et quod suave, quod dulce, quod voluptuosum fuerat, ademerunt.

Porro pœnalis carcer eis non defuit, qui se inter angustam aridioris vitæ custodiam a mundi illecebris concluserunt, quorum mens lucidissima, manus plenæ munditiæ, eo quod in mensa altaris sacrosancta corporis et sanguinis mysteria celebrantes, et in sui cordis penetralibus hostiam vivam Deoque placentem, id est, semetipsos sine macula atque admistione pravi operis offerre non desistunt. Et, sicut diximus, licet percussoris non sensissent gladium, tamen, per vitæ meritum Deo digni, martyrio non privantur, quia martyrium non solum effusione sanguinis, sed abstinentia peccatorum perficitur; alioquin longe a vero differre videbitur quod ex ore Veritatis ad duos fratres filios Zebedæi dictum est : « Calicem quidem meum bibetis (*Matth.* XX). » Cum unum quidem gladio occubuisse, alterum in pace Ecclesiæ quievisse legamus.

Sed neque ullo auctorum exemplari ostendunt beatam Dei genitricem Mariam gladio vitam finisse, et si per Spiritum sanctum Simeon propheta passuram illam dixerat : « Et tuam, inquiens, animam pertransibit gladius (*Luc.* II). » Unde beatus Hieronymus in hoc animam ejus gladium pertransisse dicit quod, in mortem Christi, compassionis atque doloris, gladium sensit, dum per eximiæ dilectionis vim mortem Christi suam fecit. Philippum etiam apostolum et Lucam evangelistam non per passionis certamen, sed per pacem a sæculo migrasse legimus. Postremum vero quis tam lapidei cordis est ut, ad quorum tumulum ægros venientes citatam salutem vident reportare, eorum merita apud æternum judicem vivere non credat? sed quis post apostolos Martino, quis Benedicto in miraculis potentior?

Sed fortasse objicitis quia multi in nomine Christi mira operati sunt, et tamen post a Domino reprobati sunt. De quibus in Evangelio Dominus : « Multi, inquit, venient dicentes : Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus? (*Matth.* VII.) » Quibus dicturus est Dominus : « Amen dico vobis : Nescio vos; discedite a me omnes, operarii iniquitatis (*Ibid.*). » Quorum vita quidem, quia non concordabat verbis, idcirco a Domino reprobatur. Quod autem videntur operari, non suis meritis, sed Christi nomini imputatur. Ejecti namque dæmones, non eos, sed Christi nomen fugerant, quod quondam in filiis Scevæ cujusdam Judæi patuit, qui, sicut superius diximus, per exor

cismum dæmones in nomine Jesu, quem Paulus prædicabat, ab obsessis corporibus tentabant ejicere, qui, concito indignantis spiritus furore vexati, audiunt : « Jesum novi, et Paulum scio; vos autem qui estis? Et continuo insiluit in eos spiritus immundus (*Act.* XIX). » Quibus illa sui pœna furoris sane dedit indicium quia non erant ex eorum numero quorum vita sanctitatis concordabat sanctæ prædicationi. Eorum vero corpora terræ mandata declarant quales utrique in vita exstiterant, cum illi quotidie miraculis vivere, isti nulla virtutis indicia ex se posse dare videantur.

Nam in sancta Ecclesia plena redundant miraculis volumina, quæ ad sanctorum confessorum tumbam fieri conspiciuntur, cum reprobi post clausas in inferno animas et sepulcris recondita corpora, nulla sancti meriti relinquunt indicia, propter quod aliquando diabolus ad decipiendos homines phantasticæ lucis signa ad eorum ossa demonstrat, ut ex hoc ad usum venerationis deceptas mentes invitet, sicut tempore beati Martini legimus approbatum; qui vulgi errore dicatum monasterium, tanquam in honore martyris, super latronem inveniens, verbi sui imperio jussit sepultum confiteri quia nihil sibi cum sanctis fuerat commune, sed suorum scelerum culpis cum diabolis se in inferno torqueri. In talibus igitur locis si quid huic simile evenerit, de quo majorum memoria nihil certum ferat, interdicunt sanctificationes ne ritu gentilium fana idolorum antiquitus constructa pro sacris venerentur, neve sepultis temere divina solvantur, nisi per provincialem episcopum vita sepulti examinetur, si secundum Evangelium Christi fuit.

XII. *De psallendi officio.*

Quis autem dubitet vos immundo spiritu agitari, dum hoc quod per Spiritum sanctum prolatum atque institutum est, id est usum psallendi in sancta ecclesia, abjicitis, et quasi superstitiosum errori cultum imputatis. Sumpsit ergo hanc modulandi formam ordo ecclesiasticus, non ex ludicris aut jocularibus insectationibus, sed ex Veteris et Novi Testamenti patribus, sicut de David in libro Regum legimus quia, cum arcam Domini de terra Philistinorum reduceret, ipse, depositis regalibus insigniis et sumpta cithara, coram ea psallere cœpit, quod ille nullum supernæ gratiæ tunc aptius sacrificium intellexerat. Qui etiam per hanc modulandi dulcedinem Saulem regem a dæmone liberaverat, quem medicorum ars victa desperaverat. Certe et apud supernos cives legimus hujus modulationis insignia celebrari, ut in Apocalypsi Joannis apostoli: « Habentes singuli citharas, et cantabant canticum novum (*Apoc.* V). » Et iterum: « Et vocem quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis (*Apoc.* XIV). »

Hinc ergo colligendum est quam gratum sit Deo officium psallendi, si intenta mente peragatur, quando in hoc angelorum choros imitari videmur, quos constat laudes Domini sine intermissione personare. Unde psalmista sæpe nos admonet, dicens : « Cantate Domino canticum novum, et, bene psallite ei in vociferatione (*Psal.* XXXII). » Et iterum: « Psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus (*Psal.* LXV). » Et in Evangelio Matthæi : « Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum (*Matth.* XXVI). » Tale namque sacrificium super taurorum pinguedinem aut hircorum sanguinem Deo placere per Spiritum sanctum Psalmista viderat, cum dixit: « Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis (*Psal.* XLIX). » Et iterum: « Sacrificium laudis honorificabit me (*Ibid.*). »

Denique non solum irrationabilem creaturam, sed cuncta quæ sunt condita, suum Conditorem continuo psallendi tenore laudare jubet, cum dicit: « Laudate Dominum de cœlis (*Psal.* CXLVIII), » et cætera, usque in finem psalmi quem ita concludit: « Omnis spiritus laudet Dominum (*Psal.* CL). » Ne ergo Psalmista irrationabilem aut inanimatam creaturam frustra in laudem Creatoris commonere dicatur, tunc vere, quod ore non potest, se in laudem Dei videtur erigere, cum suæ naturæ motibus se ad voluntatem et imperium Creantis conformat, vel potius rationales animos in hoc commonere videtur, ut de beneficiis divinis laudem Conditori dare meminerint, cujus munere ipsa usibus hominum famulari videtur. Sed et Paulus, cujus vos imitatores esse dicitis, in concentum psalmodiæ nos hortatur dicens : « Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes Deo (*Ephes.* V). » Et ipse alibi dicit: « Psallam ore, psallam spiritu et mente (*I Cor.* XIV). » Quin etiam in transitu sanctorum virorum psalmodiæ cantum cecinisse angelos multa divinæ Scripturæ exemplaria docent.

Unde constat eos de gremio sanctæ Ecclesiæ exterminandos, qui hoc psallendi officium judicant nequaquam ad cultum divinum pertinere. Quod autem arbitrantur, nobis ipsis psallendo multa adversa imprecari, ubi videlicet Psalmista mentis oculum in malelicos intorsit, ut est illud: « Quid gloriaris in malitia? (*Psal.* LI,) » et: « Obscurentur oculi eorum ne videant (*Psal.* LXVIII), » et cætera talia; falluntur nescientes eum prophetico spiritu intueri ea quæ superventura fuerant his quos, in mortem Christi et sanctorum martyrum tumentes, gloriari inspexerat, quique a malitiæ suæ pravitate nequaquam declinantes exsultant in rebus pessimis, et lætantur cum male fecerint. Patet igitur tales a capite suo, id est, diabolo, non dissentire, qui est caput omnium iniquorum, qui etiam Scripturam sanctam intelligens, sinistra eam interpretatione prævertere molitur.

XIII. *De veneratione Dominicæ crucis.*

Quoniam vero adversum crucem Dominicam et vivificum lignum viperei dogmatis venena funditis, dicentes hoc ex errore hominum venisse quod venerantur eam, cum nullam magis in se virtutem

contineat, quam cætera ligna silvarum, præter quod opere manuum hominum est efformata, pro quo nulla veneratione digna est: pauca e multis, quæ ad hanc causam utilia videntur, edicimus.

Scimus namque quia omnis substantia, quæ Deus non est, creatura est, et quæ creatura est, Deus non est. Ligno igitur nihil divinum damus ut illud adorandum judicemus, quia inter cæteras creaturas, quæ Deus non sunt, suæ naturæ substantiam sumit: sed si rationem mysterii diligenter investigetis, non solum ab hominibus, sed etiam ab angelis Dominicæ cruxis vexillum honorandum videbitis, quæ quidem aperuit sacramentum quod nesciebant. Primus namque Adam inobedientiæ mucrone interfectus est a ligno scientiæ boni et mali, et nos secum traxit in mortem; secundus Adam per palmam obedientiæ a cruce transivit in vitam æternam, et nos secum duxit. Verumtamen lignum scientiæ boni et mali non dicimus secundum suam naturam in se mortem habuisse, sed fuit in causa ut in eo probaretur obedientia parentis nostri, sive vindicaretur inobedientia: quo contra, lignum vitæ in causa sempiternæ vitæ est. Hoc lignum attulit vobis Dominus noster Jesus Christus, per lignum crucis in Ecclesia nostra, ut, qui morti debitores eramus per lignum scientiæ boni et mali, faceret nos vitæ capaces per lignum sanctæ crucis. Et sicut illud ex sua natura non habuit mortem, ita lignum, unde nobis vita conceditur, non in se habuit hanc virtutem, sed ex illius virtute, qui infirmus fuit ex nobis, vivit autem ex virtute Dei. Regnavit etiam mors et diabolus ab inobedientia ligni scientiæ boni et mali, superata est eadem mors et diabolus per obedientiam ligni sanctæ crucis. Quis ergo negare audeat jure ab hominibus venerari, per quam diabolus victus, et mundus Deo operante salvatus est? Quis autem, nisi insaniæ furiis agitatus, neget vexillum atque virtutem Dominicæ crucis esse colendam, qui beatum Andream, quem vos imitari inter cæteros apostolos mentientes dicitis, tanto eam passionis amore expetere, atque sedula veneratione audiat prædicare. Cum vero, inquit Scriptura, pervenisset ad locum ubi crux parata erat, videns eam a longe, exclamavit voce magna dicens: « Salve, crux, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus noster, timorem terrenum habuisti; modo vero amorem cœlestem obtinens pro voto susciperis. Sciens enim quanta intra te gaudia habeas, securus et gaudens venis ad te, ita ut et tu exaltans suscipias me discipulum ejus qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, et desideravi te amplecti. O bona crux, quæ decorem et pulchritudinem de membris Domini suscepisti: diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando concupiscenti animo præparata! Accipe me ab hominibus, et redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. » Et Paulus apostolus: « Mihi, inquit, absit gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi (*Gal.* VI)! »

Glorificantes igitur crucem Dominicam, Christum, quasi pendentem in ea, mente invocamus. Quem vero invocamus, ipsum adoramus. Prosternimur corpore ante crucem, mente [ante] Deum; veneramur crucem per quam redempti sumus, sed illum deprecamur qui nos redemit.

XIV. *De imagine Salvatoris in cruce.*

De imaginibus quoque quæ in ecclesiis fiunt, ratio citius perpenditur, si ex Veteri Testamento aliqua similitudo trahatur. Gradiens namque populus Israel per desertum aliquando ignitorum serpentium morsibus ad mortem vulnerabantur, super quod consultus Dominus jussit fieri serpentem æneum et alto stipite levari, quem percussi respicientes cito sanabantur. Et nos, de Ægypto carnalis conversationis per desertum mundani exsilii ad terram supernæ promissionis tendentes, per respectum Mediatoris in cruce pendentis, antiqui hostis venenum a cordibus nostris evacuamus. Qui enim Christum per imaginem filii Dei ac passionem conspexerit, ipse antiqui hostis venena evadere poterit. Hoc certe indicant verba ipsius Domini dicentis: « Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis (*Joann.* III). » Apte autem æneus serpens ligno suspensus est, ut Dominus, et in serpente mortuus, et in ære significaretur æternus, mortuus videlicet per humilitatem; æternus per divinitatem. Est vero alia hujus ratio: simpliciores quippe in ecclesia et illiterati, quod per Scripturas non possunt intueri, hoc per quædam picturæ liniamenta contemplantur, id est, Christum in ea humilitate, qua pro nobis pati et mori voluit. Dum hanc speciem venerantur, Christum in cruce ascendentem, Christum in cruce passum, in cruce morientem, Christum solum, non opus manuum hominum adorant. Non enim truncus ligneus adoratur, sed per illam visibilem imaginem mens interior hominis excitatur, in qua Christi passio et mors pro nobis suscepta tanquam in membrana cordis inscribitur, ut in se unusquisque recognoscat quanta suo Redemptori debeat; dum videlicet juxta Salvatoris sententiam, quæ postulat imago Cæsaris, reddantur Cæsari, et quæ Dei, Deo.

Similiter de imaginibus sanctorum ratiocinari licet, quæ ideo in sancta ecclesia fiunt, non ut ab hominibus adorari debeant, sed ut per eas interius excitemur ad contemplandam gratiæ divinæ operationem, atque ex eorum actibus aliquid in usum nostræ conversationis trahamus. Verbi gratia, cum imaginem beatæ Dei genitricis Mariæ intuemur, profecto divinæ dignationis per eam beneficia recolimus, qui de massa perditionis recreavit massam reconciliationis. Quæ nimirum studio obedientiæ et humilitatis exemplo suadet nos supernam patriam quærere, quam primæ virginis superbia atque inobedientia clauserat. Sic itaque angelos in ministerio Conditori assistentes, dum per exteriores imagines contemplamur, per eam quam a Deo claritatis gloriam accipiunt, ad eorum numerum studio conver-

sationis incitamur. Apostolorum atque sanctorum martyrum imaginatas effigies intuentes, quid aliud per eas jubemur, nisi ut calcatis curis sæculi, spretisque corporibus, eorum doctrinis imbuti, et glorioso certamine roborati, inter mundi triumphatores coronari mereamur? Simili modo confessorum ac virginum imagines speculantes, monemur ex eorum imitatione mundi concupiscentias declinare, lenocinia carnis calcare, immaculatam hostiam Deo nosmetipsos offerre. Sic igitur aliorum sanctorum ordines inspecti, ad æmulationem virtutum nos instruunt, sicut quondam fortia facta virorum ipsis suis laudibus ad quæque audendum alios accendunt.

XV. *De ordinibus ecclesiastici regiminis.*

Sed neque rebellionis vestræ tumorem grassari adversum divinam ordinationem diutius patior, qua ecclesiasticæ administrationis ordinem in nihilum redigere laboratis. Sancta quippe Ecclesia, quam beatus Paulus apostolus supernam Jerusalem, ac matrem nostram, et manentem civitatem, et ad ædificationem ex Deo domum non manufactam appellat, ex angelis et hominibus constat. Quæ, partim ex hominibus societate angelica in ordinibus distinctis perfruens, jam cum Deo regnat in cœlo; partim vero in ordinibus distinctis adhuc peregrinatur in terra, et ad supernam societatem suspirat, ubi, secundum Apostolum, tabernaculum est non manufactum, neque hujus creationis, ad cujus instar per Moysen factum est tabernaculum, de quo dixit ad eum Dominus: « Omnia fac juxta quod tibi in monte ostensum est (*Exod.* xxv). » In quo superno et vero tabernaculo, quod finxit Deus, et non homo, in interiora velaminis, id est, in ipsum cœlum, confessionis nostræ summus Pontifex « sempiternum habens sacerdotium, per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa (*Hebr.* vii, ix). » Sedensque ad dexteram Patris, id est, in gloria paternæ majestatis, interpellat, non voce, sed miseratione pro nobis. Denique « Rex regum et Dominus dominantium (*I Tim.* vi), » per quem reges regnant, et conditores legum justa decernunt, cœlestem ac terrenum principatum, cunctam videlicet rempublicam regens, et universam militiam, tam cœlestem et spiritualem quam terrenam et temporalem, distinctis ordinibus disponens ac moderans, et supernæ atque mundanæ curiæ præsidens, miro ordine angelorum hominumque ministeria pro temporum varietate et opportunitate dispensat; et quæ singulis quibusque temporibus, vel personis congruunt, sua occulta inspiratione, vel evidenti illustratione, vel patefacta præceptione decernit.

Itaque legimus sacros ordines in cœlo et in terra, et in Testamento Veteri et in Novo dispositos a Deo, ex quo, juxta Apostolum, omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur. Unde beatus Dionysius Areopagites, antistes videlicet et venerabilis pater, sicut didicit a Paulo apostolo, qui raptus est usque ad tertium cœlum, vidit cœlestia secreta, duos libros de angelico et ecclesiastico principatu scripsit. Unde et beatus Gregorius dixit quia ad hoc divinæ dispositionis provisio gradus et diversos constituit ordines esse distinctos, ut, dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret et diversitate contextio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum, neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia vero creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non potest, cœlestium militiarum exemplar nos instruit quia, dum angeli sint, archangeli sint, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate et ordine differt alter ab altero. Quod per hoc datur aperte intelligi quia, ad explendum de supernis ministerium, alii spiritus alios mittunt, Zacharia scilicet propheta testante, qui ait: « Ecce angelus qui loquebatur in me, gradiebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum: Curre et loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Jerusalem (*Zach.* ii). » Dum enim angelus ad angelum dicit: « Curre et loquere, » dubium non est quia alius alium mittit. Minora vero sunt quæ mittuntur, et majora quæ mittunt. Huic autem sensui et illud creditur non inconvenienter opitulari, quod per Danielem dicitur: « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei (*Dan.* vii). » Aliud namque est ministrare, aliud assistere.

Si ergo inter hos qui sine peccato sunt ista est distinctio, quanto magis inter eos quos constat non posse esse sine peccato hæc gerendi principatus ratio est servanda? Liquet, inquit beatus Gregorius, quod omnes homines natura æquales genuit; sed variante meritorum ordine alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas quæ accessit ex vitio, divino judicio dispensatur, ut, quia omnis homo æque stare non valet, alter regatur ab altero. Unde beatus Paulus: « Omnis, inquit, anima sublimiori potestati subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, cui qui resistit, Dei ordinationi resistit (*Rom.* xiii). » Item apostolus Petrus: « Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis (*I Petr.* ii). » Igitur ordines in Ecclesia veteris populi, quæ usitato nomine Synagoga vocatur, fuisse legimus per Moysen a Deo dispositos, qui et quales et qualiter ac quando ordinare cæteros vel ordinari a cæteris, vel regere cæteros, vel regi a cæteris deberent, et quantum in singulis officiis ministrare deberent. Sed et nunc in Ecclesia, quæ regnum cœlorum appellatur, ad instar cœlestium ordinum, ministros Domini institutione et apostolica traditione legimus et cognoscimus distincte esse compositos, quibus inter cæteros quædam dignitas major, et in similitudinem honoris fuit quædam discretio potestatis, quorum sollicitudine inferiores tanquam ex quadam diversitate in unum Ecclesiæ corpus coeant, ne occasione libertatis subintret causa prævaricationis. Hujus rei gratia statuta ab apostolis et apostolorum successo-

ribus regula est usque in hodiernum diem, per episcopos atque archidiaconos, decanos etiam atque præpositos totius ecclesiastici regiminis causam dispensari. Quod cum ita sit, nihil est quod jure contra hæc repugnare debeatis.

XVI. *De eorum falsa justitia.*

Verum, quoniam falsæ justitiæ doctrinam introducere tentatis, quam divinæ gratiæ adeo præponitis ut omnia propriis meritis ascribatis, hunc nefariæ præsumptionis errorem divinæ auctoritatis ictibus labefactamus; nam nulla justitia, nullum boni constat meritum, quod non de fonte supernæ gratiæ id quod est acceperit. Unde ipse, quo, perhibente Domino, nemo inter natos mulierum major est, de se Joannes dicit: « Non potest homo accipere quidquam, nisi ei fuerit datum de cœlo (*Joan.* III). » Et apostolus dicit: « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum (*Jac.* I). » Et Paulus ait: « Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* VII). » Et iterum: « Gratia Dei sum id quod sum. » Et iterum: « Sed plus illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* XV). » Ad hanc nos professionem ipse instituit, cum ait quia nullum tempus intervenit quo ejus non egeamus auxilio. In prævaricatione namque primi hominis naturalem possibilitatem et innocentiam amisimus, et nemo de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium potest consurgere, nisi eum gratia miserantis erexerit.

Quæcunque igitur in cordibus nostris aut in nostro arbitrio sancta cogitatio est, aut pium consilium, aut quilibet motus bonæ voluntatis, ex suæ gratiæ dono descendit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus, sicut ipse discipulis ait: « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV). » Nam omnia hominum merita ab ipsius gratia præveniuntur, per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. Denique quibus justitiæ operibus Maria peccatrix, a peccatis dimissa, Zachæus justificatus, latro ad paradisi gaudia receptus est, nisi sola divinæ pietatis gratia? de qua Apostolus ad Romanos: « Ubi abundavit, inquit, delictum, superabundavit gratia (*Rom.* V). » Et alibi: « Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius (*Rom.* III). » Et iterum: « Fuimus, inquit, et nos natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II). »

Certissime itaque tenemus omnes homines per semetipsos non solum perfectionem, sed nec initium justitiæ posse contingere, sed universos qui fiunt boni, divina gratia præveniri. Bonam namque in hominibus voluntatem ipse gratis præparat, gratis donat, ipse adjuvat, ipse consummat. Ut enim « abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo (*Tit.* II), » ait: « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* VII), » cujus hæc est inexhausta pietatis munificentia, ut ex insipientibus sapientes efficiat, infidelibus fidem tribuat, errantes non solum vocet, sed etiam revocet, desideriis terrenis expulsis, desiderium regni cœlestis inspiret, inserta bonitate malitiam exstirpet, benignitatis dono invidiam expellat, odibilibus quoque et odientibus invicem donum dilectionis infundat. Ut ergo ex malis boni simus, ut sanctæ charitatis igne flagremus, gratiæ spiritalis opere in nobis inchoatur, ejusque in nobis operatione perficitur.

Proinde nosse debet unusquisque Christianus, neque in viribus naturæ, neque in legalibus præceptis, sed in illuminatione cordis et voluntario divinæ voluntatis munere constare gratiæ salutaris exordium, qua fit ut quod divinitus præcipitur, non solum a nobis agnosci, sed etiam diligi possit ac fieri. Jure igitur gratuito beneficio divinæ bonitatis ascribitur, qui nos ideo ad bona opera misericorditer excitat, ut habeat quod in nos juste coronare debeat. Quibus sicut per misericordiam præparavit gratuitum justificationis donum, ita per justitiam præparavit æternæ justificationis præmium. Opus itaque gratiæ in omnibus prædestinatis gratuita misericordia inchoatur, et justa retributione perficitur. Quod vero econtra de injustis occurrere poterat, illis quidem non injusto judicio ignem æternum præparat, quos prævideratdignos ad luenda supplicia, nec tamen prædestinavit ad facienda peccata. Prædestinavit Deus quod divina æquitas redderet, non quod humana iniquitas amisisset; præparavit igitur homini reo non culpam quam odit, sed judicium quod diligit; scriptum est enim: « Quia misericordiam et judicium diligit Deus (*Psal.* LXXXIII). » Proinde bona opera quæ Deus misericorditer donat, juste coronat, opera vero quæ non ipse tribuit, juste punit. In istis ergo coronatur divina largitio, in illis transgressio humana damnatur. Nihil igitur iste habet, quod propriis meritis ascribere, nec ille, quod divino judicio jure possit derogare. Igitur juxta Apostolum, non est quod dicat « figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? Quia habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam (*Rom.* IX). » Ostendit igitur divitias bonitatis suæ in vasis misericordiæ; potentiam vero atque judicium in vasis iræ, dum hos præparat ad gloriam, illos sustinet ire in interitum.

Quænam igitur est ista vestra justitia, quæ cuncta solis meritis, nihil tamen gratiæ debet? Porro Paulus jam testimonium vobis perhibet quod æmulationem Dei habetis, sed non secundum scientiam: « Ignorantes enim Dei justitiam, et vestram quærentes statuere, justitiæ Dei non estis subjecti. Moyses vero scripsit quoniam justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea (*Rom.* X). » Quanto magis autem justitia quæ ex Evangelio Christi et auctoritate apostolica est, vitam donabit? Quid enim apostoli aliud docuerunt, nisi quod ex ore Veritatis acceperunt? Quid autem aliud sancta Ecclesia tenet, nisi quod a beato Petro et cæteris apostolis accepit? Quis autem nesciat, aut non advertat quod a principe apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ tra-

ditum est, ac nunc usque custoditur ab omnibus, debere servari, nec superduci aut introduci aliquid quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus aut ejus successores constituerunt sacerdotes. Aut legant si in his provinciis alius apostolorum invenitur aut legitur docuisse; qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionem videantur amittere.

XVII. *Conclusio.*

Jam dies ad occasum declivior erat, et domnus episcopus his qui audiendi gratia convenerant, circumstantibus ait: Fuerant satis, fratres, quæ de his nos oportuerat ad confirmandam fidem vestram enuntiare, sed ne vos plus onere verborum gravemus, sufficiant ista. Hoc tantum servate fidei vestræ intemeratum signaculum, recolentes hoc quod Paulus apostolus prædixerat, quia « in novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium, et cauteriatam habentium conscientiam suam; prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus (*I Tim.* IV). »

Verum talibus dictis domni episcopi, hi qui paulo ante sibi videbantur insuperabiles verbo, nec ullo verbi genere posse constringi, verborum gravitate et manifesta Dei virtute ita obstupefacti steterunt, ac si nunquam ullum sermonem didicissent contradicendi : mutique ad omnia hoc solum potuerunt respondere ita sibi videri, nec alio Christianæ salutis summa posse consistere quam in his quæ in præsentia episcopus enarrasset. Ad quos episcopus: Si hæc, inquit, ita esse creditis, deponentes tantæ perfidiam incredulitatis, nobiscum hanc hæresim cum suis auctoribus, nisi resipuerint, damnantes excommunicate. Tunc episcopus et omnes qui aderant abbates atque archidiaconi, clerusque omnis simul, favente populo, ita incipiunt :

Hanc hæresim, quæ hodie contra veram et catholicam Ecclesiam conspirasse inventa est, quæ videlicet baptismum ad abluendam originalis culpæ maculam et actualia delicta, nihil profuturum contendit, et per pœnitentiam peccata nequaquam posse relaxari profitetur, et quæ sanctam Dei ecclesiam, et sacrosanctum altare atque Dominici corporis et sanguinis sacramentum nihil esse aliud nisi quod corporeis oculis intuetur, et hoc tanquam vile negotium respicit, et quæ legitima connubia devitat, hanc et omnes qui eam affirmant, damnamus et anathematizamus. Profitemur enim, secundum fidem evangelicam et traditionem apostolicam, nullum posse salvari, nisi per aquam regenerationis, ut ipse Dominus ait : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III). » Peccata vero quæ post baptismum, suadente diabolo et propria voluntate, contrahunt homines, confitemur per pœnitentiam non solum relaxari, verum ipsam divinam gratiam posse promereri, cum per eam videamus peccatricem Mariam mundatam, Zachæum justificatum, Petrum post lapsum relevatum, latronem intra paradisum receptum.

Credimus autem sanctam Ecclesiam communem omnium fidelium matrem, nullumque ad eam quæ in cœlis est, posse pervenire, nisi per hanc quæ in terris est, acquisitus fuerit. Sacramentum autem Dominici corporis et sanguinis hoc a Deo confitemur esse pignus nostræ redemptionis et salutis, de quo Dominus ait : « Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI). » Et iterum : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Ibid.*). » Quod corpus et sanguinem, secundum quod ipse ait : « Accipite et manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum (*Matth.* XXVI); » et « Bibite ex hoc omnes, hic est enim calix sanguinis mei (*Ibid.*). » Indubitanter profitemur eamdem esse carnem quæ, ex Virgine nata, in cruce passa, de sepulcro levata, super cœlos exaltata, sedet in paternæ majestatis gloria. Hoc qui audit incredulus, huic nec Christus natus, nec passus, nec sepultus est, nec cum Christo partem beatæ resurrectionis obtinebit. Quod mysterium non alias potest sanctificari, nisi super sacrosanctum altare, quod de terra sibi Dominus per Moysen instituit fieri.

Connubia autem quibus concessa sunt, Dominus et discipuli ejus, doctorque gentium et licentiam dedit, et legitima servare instituit, etc...

Si quis autem contra hanc catholicam institutionem senserit, sortem inter fideles habere non poterit. Verum quia illi qui paulo [ante] hæretica infidelitate tenebantur, hæc quæ Latina oratione dicebantur, non satis intelligere poterant, audita per interpretem vulgarem excommunicationis [sententia], expositaque sacræ fidei professione, pari voto se, et quod damnatum fuerat [abjurare], et quod a fidelibus creditum fuerat credere se professi sunt. Sed ad confirmandum suæ fidei testamentum, unusquisque eorum in modum crucis hujusmodi † quemdam characterem conscripsit, ut hoc illis signum in extremo judicio, si fidem hanc servarent, repræsentaretur ad salutem; si autem prævaricarentur eam, fieret eis in confusionem. Sic itaque omnes, Deo gratias in commune reddentes, et a domno episcopo benedictionis munere donati redierunt feliciter in sua (4).

(4) Les actes du synode d'Arras n'ont pas été insérés dans les grandes collections, parce qu'ils n'avaient pas encore été publiés. Le P. Hardouin, dont l'édition est postérieure à celle de Labbe, se contente de les indiquer à la table du tome VI. Ces actes ont été donnés au public par D. L. d'Achery dans son *Spicilége*, tom. XIII, in-4°, et tom. I, in-fol.

GERARDI I

CAMERACENSIS ECCLESIÆ EPISCOPI

EPISTOLÆ.

(*Actes de la province ecclésiastique de Reims*, tom. II, pag. 49.)

EPISTOLA PRIMA.

AD ARCHIDIACONOS LEODIENSES

(Anno 1030.)

De agendi ratione erga excommunicatos.

GERARDUS, gratia Dei, licet immeritus, episcopus, sanctæ Leodiensis Ecclesiæ archidiaconis, illud supplere moribus inoffensis, quod exivit prærogativa nominis.

Quoniam quidem semper de charitatis vestræ actibus fraterna affectione sollicitor, salvo charitatis proposito vos monere cupio, ne aliquam irrationabilem novitatem usurpare velitis, per quam ab ecclesiasticæ et apostolicæ institutionis consuetudine discrepare videamini, in eo specialiter quod prophetica et evangelica auctoritate, necnon apostolica et sanctorum patrum traditione firmiter et irrefragabiliter confirmatum est; videlicet ne eos qui, ab ipsis cunabulis totum vitæ suæ spatium in pravis actibus consummantes, et adversum sanctam Dei Ecclesiam vesano furore intumescentes, nequaquam a suæ malitiæ proposito mansuescere potuerunt, sed nec ulla rerum conversione, etiam in ipso suæ vitæ exitu, ullam pœnitudinis correctionem prætendentes, indurati et excommunicati, cum ipsa pravæ voluntatis intentione finem vitæ acceperunt, et justo judicio a sanctæ matris gremio exclusi, et fidelibus debito privati sunt sepulcro, eos, inquam, absolutionis gratia donandos, et inter fideles indivisa communitate sepeliendos judicetis. Quod quidem non temere a vobis fieri confido, si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius vestræ observantiæ sumere velitis, et beati Petri apostoli sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, ecclesiasticæ vobis sit magistra rationis. Ad quam vos promovere pro exiguitatis meæ sollicitudine, præsentis occasione temporis, si quidem sustinetis, moneor, præmissis paucis quidem, sed non vitandis sententiis, ex propheticis evangelicis decretis. Nam quid apertius contra hujusmodi aut quid efficacius occurrere poterit, quam illud quod per Ezechielem prophetam Dominus increpando denuntiat: « Si averterit justus, inquiens, se a justitia sua, et fecerit iniquitatem, secundum abominationes quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur; in prævaricatione sua, qua prævaricatus est, et in peccato quo peccavit, in ipsis morietur. » Et paulo post: « In injustitia sua, inquit, quam operatus est, morietur (*Ezech.* XVIII). » Unde vobis æstimandum propono, si illi præteritæ justitiæ, quæ fortasse aliquæ fuerant, nihil proficiunt ad evacuandam sequentium malorum maculam, quanto minus, imo nihil, huic illæ, quæ nullæ quidem fuerant in omni vita, cui certe nullum tempus præteriit a malitiæ studiis alienum! Sed ipse Dominus prophetarum, et Mediator Dei et hominum, a beato Petro interrogatus de peccante fratre, modum correctionis sub hoc fine conclusit ut [illegible] lum moneri non posset, unum aut duos adhibendos putaret, quibus minime proficientibus, continuo Ecclesiæ commonendum deputaret; quam si minus audiret, fore sicut ethnicum et publicanum. Cui sententiæ continuo subjunxit: « Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; » Et iterum: « Dico vobis quia, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo (*Matth.* XVIII). »

Quod igitur ex sententia Veritatis in cœlo ligatum est per eos qui, auctore Deo, principatum superni judicii sortiuntur, ut vice Dei ligandi auctoritatem accipiant; quis tam præcipitatæ mentis atque exorbitatæ intelligentiæ est, ut ligationis hujus censuram irritam, non dicam facere, sed confiteri præsumat. Verum, quia sæpe accidere solet ut erga quemlibet proximum odio aut gratia moveatur pastor, inde recte per prophetam dicitur: « Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt (*Ezech.* XIII). » Unde beatus Gregorius in homiliis suis (*hom.* 26, *in Evang.*): « Non morientem, inquit, mortificat, qui justum damnat, et non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur. » Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum itaque quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia subsecuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet monstrat quia prius mortuum Dominus vocavit et vivificavit, dicens: « Lazare, veni foras: » et postmodum qui vivens egressus fuerat, a disci-

pulis est solutus. Illum porro discipuli viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, Factorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per resuscitantem gratiam vivificare. Quo contra considerandum est nostro non posse arbitrio solvi, quos internus arbiter nullo spiritu satisfactionis animavit. Quid autem ipse dilectus Domini Joannes de talibus dicat audiamus, ipse inquam, qui ait : « Omnis qui odit fratrem suum homicida est (*I Joan.* III). Hæc est, inquit, fiducia quam habemus ad Deum, quia, quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Scimus etiam quia petitiones habemus quas postulamus ab eo. Qui scit peccare fratrem suum peccatum non ad mortem, petit, et dabit ei vitam peccanti non ad mortem. » Et continuo subjungit : « Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis (*I Joan.* V). » Ac si aperte dicat : quia orare quidem pro peccato non ad mortem, voluntatis ejus est qui non vult mortem peccatoris. Et hoc consequenter approbat, cum dicit : « quia audit nos. » Quod autem contra intulit : « Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis, » profecto vult intelligi quia pro hujusmodi orare, divino est potius judicio repugnare, sicut ait beatus Augustinus : « Pro aperte impiis orare, quid aliud est quam Deum ad iracundiam provocare? » Nam et ipse per prophetam Dominus dicit : « Unumquemque in viis suis judicabo (*Ezech.* XXXIII). » Et alibi : « Qualem te invenero, talem te judicabo. » Et beatus Gregorius in Dialogo suo dicit (lib. IV, c. 39) quia qualis hinc quisque egreditur, talis in judicio præsentatur : licet, paulo post, quasdam leviores pas, ut est otiosus sermo immoderatus risus, posse relaxari dicat. Et Scriptura dicit : « Lignum si ceciderit ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit (*Eccle.* XI). » Quale igitur sit pro hujusmodi orare, Psalmista per spiritum terribiliter insonuit, dicens : « Oratio ejus fiat in peccatum (*Psal.* CVIII). » Et Dominus sub specie plebis Judaicæ, *pro* talibus prophetam ab oratione compescit, *dicens* : « Ne assumas laudem pro eis et orationem (*Jer.* VII). » Cæterum quid Apostolus in prima Epistola ad Corinthios scribat, sane notum vobis esse non dubium est : « Scripsi, inquit, vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis; non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus; alioquin debueratis de hoc mundo exisse. » Deinde subinfert : « Si is qui frater nominatur, est fornicator aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere (*I Cor.* V). » Qua in re pensandum est, si Apostolus tam districta animadversione horum consortia devitanda moneat, quanam nostri arbitrii spe illum communioni fidelium restituendum æstimemus, qui, usque ad ipsum vitæ exitum, nullo unquam malitiæ genere caruit, qui nunquam a seditionibus, ab effusione sanguinis, ab incendiis, nunquam a sacrilegiis, A nunquam etiam manus a rapinis continuit; quin potius in ipso vitæ extremo, pleno ventre rapinis, spiritum vacuum justitiæ alimentis emisit, qui manifesto Dei judicio percussus, nec confessionis venialem gratiam meruit, nec viaticum salutis percepit; quem nos quidem, culpis exigentibus, frequenti monitione ad satisfactionem vocatum, sed obstinatius repugnantem, apostolicæ auctoritatis virga percusseramus; unde nec in extremo mortis positus, veniæ mentionem aut signum ostendit? Unde, ne diutius vos moremur, animadvertat charitas vestra quid de iisdem excommunicatis et ita defunctis Leo papa in decretalibus suis dicat (*epist.* 92, c. 6, *ad Rustic.*) : « Horum, inquit, judicio Dei causa reservanda est, in cujus manu fuit ut talium obitus usque B ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus. »

Sed fortasse cuilibet subripi potest ut absolutionis mercedem et sepulturæ aut pecunia aut prædiis in usibus ecclesiæ contraditis quærendam arbitretur, asserens ex hujusmodi rebus palatia stare, ecclesias instaurari. Sed hanc ejus sententiam qualiter Ambrosius Autbertus refellat, paucis audite. « His, inquit, qui talia dicunt nos veraciter respondemus quia inde magis palatia ruunt, ecclesiæ subvertuntur, unde secundum vestram sententiam stare videntur. Inde gens super gentem venit, inde regnum in regnum consurgit; inde clades, inde fames, inde excidia, inde oriuntur discrimina; et unde terrenus C dominus placatur, inde Dominus cœlestis ad iracundiam provocatur. » Verum quoniam non latet notitiam vestram, quosdam sub obtentu æqui et recti, prætendere tale aliquid factum a modernis senioribus; idcirco vos, fratres mei, et inter vos domnum Joannem charissimum nostrum singulariter convenio, ne hanc malæ consuetudinis normam tanquam ab auctoribus sibi servandam ascribat. Non enim auctores dicendi sunt qui non ea quæ a Domino et sanctis patribus tradita sancta Ecclesia retinet, sed, libitu suo, quæcunque voluntati occurrunt, servanda instituunt. Consideret potius quid Dominus Scribis et Pharisæis jurgantibus, quod discipuli ejus transgrederentur præcepta seniorum, responderit : « Quare, inquiens, et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? » Et paulo post : « Sine D causa, inquit, colunt me, docentes doctrinas et præcepta hominum (*Matth.* XV). » Sed si fortasse objicitis, vestrum parochianum fuisse, et ea gratia liberam absolvendi potestatem vobis vindicatis; de hoc in Meldensi concilio quid sancitum sit in medium proferatur, quod est hujusmodi. « De his qui infra parochiam beneficium aut hæreditatem habent, et alterius episcopi parochiani sunt, et dum de loco ad locum iter faciunt, rapinas et deprædationes peragunt, placuit nobis ut excommunicentur, nec ante ex parochia exeant, quam quæ perpetrarunt digne emendent; quorum excommunicatio seniori eorum, et proprio episcopo significanda est, ne eos recipiant

antequam illuc redeant ubi rapinam fecerunt, et omnia pleniter emendent (5). »

Verum de hoc satis ad præsens dictum. Jam vos fraternæ charitatis amore hortamur et petimus ut, quia huc usque a vobis et a loco isto bonus usus et cuncta quæ ad generalem ecclesiasticæ dignitatis observantiam pertinent, servata sunt, quod residuum temporis est, summa curetis vigilantia ne antiquæ religionis nobilitas aliqua adinventionis novitate imposturetur (6); sed ne seniori vestro, fratri autem et gratia Dei coepiscopo nostro, aliquid præter æquum et bonum, quod fortasse ille adhuc minus providit, suaderi delectet, quod nos quidem jure incusamusa vobis non adeo curatum, pro Erleboldo scilicet, quem, ut ipsi nos tis, nos, a seniore vestro et fratre nostro commoniti, excommunicavimus, ob incestum quod cum sanctimoniale commiserat, atque pro aliis malis quæ in nostro episcopio multa perpetraverat, quem nunc frater noster absolutum ad communionem sine nostro consilio et monitu suscepit (7). Sed parochiani nostri, quos pro ecclesiis quas incenderant, et rapinis quas exercuerant, a communione sequestraveramus, de nostra parochia in vestram, id est in Niviellam, nobis reclamantibus, sublati, ad sepulturam admissi sunt. Vestri etiam, de quibus apud vos planctum habuimus, pro incendiis quoque et aliis culpis similiter a nobis excommunicati, tamen, nec satisfactione purgati, nec absolutione donati, in eodem loco adhuc jacent sepulti (8).

EPISTOLA II.

AD ADALBERONEM LAUDUNENSEM EPISCOPUM. (9)

(Anno 1031.)

De Adalberonis in Laudunensem sedem successoris delectu.

Domino ADALBERONI, sanctæ Laudunensis Ecclesiæ episcopo, GERARDUS, gratia Dei coepiscopus.

Et si hucusque vario de vobis plebis rumore nihil movebamur, dum quidem et ecclesiasticæ disciplinæ cultibus, et publicæ administrationis actibus, haud mediocriter sapere videbamus; nunc tamen stupor quidam mentem nostram perturbat et, ut ita dicam, pene exanimat, cum a vobis tam mirandum atque insuitatum nefas in sancta Ecclesia esse audimus, ut videlicet unius regimen Ecclesiæ duobus cedat pastoribus, et vos eligendæ successionis vobis arbitrium ascribatis. Quod quidem nec in omni Veteris Testamenti canone, aut apostolica Ecclesia, ipsi bene scitis nulli donatum fuisse. Verum et si aliquem ex sanctis per spiritum de successore prænuntiasse audivimus, non nostrum est in exemplum trahere, quia, ut ait beatus Gregorius (*Moral.* lib. VI) : « Miracula Dei non sunt in exemplum trahenda, sed admiranda. » Precamur igitur charitatem vestram, ne tanto dispendium honoris, mutando propositum æstimetis, quanto divinæ ordinationi contraire formidetis; neve Scripturam vobis, sed vos Scripturæ submittatis : ne, nimis amando sententiam vestram, posteris relinquatis occasionem usurpandi sacerdotii, cui revera succedet materia seditionis. Nihil enim defuturum arbitramus, si hujusmodi usus increverit, ut sedes Ecclesiæ venales existant, et summa sacerdotii mercaturæ compendiis venundetur, sicque pecuniosus quisque ad culmen pastoralis regiminis aspiret. Quod autem charitatis fraternæ affectu vobis dicimus, precamur ne indignari debeatis (10).

EPISTOLA III.

AD EBALUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1031.)

De eadem re.

EBALO archiepiscopo GERARDUS, nullius meriti coepiscopus.

Quoniam quamdam exsecrandæ usurpationis novitatem infra diœcesim vestram coalescere audivimus, videlicet ut una Ecclesia duos habeat episcopos, et alter alterum ad instituendum sibi successorem liberum habeat arbitrium, quod sane nullius auctoritatis constat pondus habuisse, videmur jam intueri quoddam quasi barathrum patens, de quo fumus temerariæ usurpationis erumpens portendit quoddam schismatis incendium futurum, per quod, subeuntibus dissidiis, Ecclesia a suæ pacis unitate solvatur. Nos vero quoniam nullum vos huic sententiæ præbuisse assensum audivimus, gratias agimus Deo, de cujus hoc vobis munere venit ne vos in hoc hæresis præcipitium pertrahere quis potuerit. Quare paternitatem vestram præmonemus, obtestantes per eum qui nos pastores in Ecclesia sua, licet indignos, esse voluit, ne unquam vos huic adinventioni, quæ quidem contra Spiritus sancti ordinationem et totius est Ecclesiæ catholicæ institutionem, consensum præbeatis. Quod autem nuper nos convenire velle vos ad colloquendum mandastis, illud vestræ voluntati reservavimus, et maturius agendum censemus, quia inde tanta sanctæ Dei Ecclesiæ discrimina oriuntur, unde negligentius ejus commodis in commune consulimus (10*).

EPISTOLA IV.

AD BEROLDUM SUESSIONENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1031.)

De eadem re.

BEROLDO, nomine et merito episcopo, GERARDUS, nullius meriti coepiscopus, quidquid ad beate vivendum præstantius

Quoniam quamcam exsecrandæ consuetudinis novitatem infra sanctam Ecclesiam coalescere audivi-

(5) Concile de Meaux, de l'an 845, can. 2.
(6) *Imposturetur*, pour *adulteretur*.
(7) Les canons défendent à un évêque d'absoudre une personne excommuniée par un autre évêque. Can. Apost. c. 33. Voyez le concile de Reims de l'an 1148, can. 1.
(8) Balderic, *Chronic. Camerac.*, lib. III, cap. 28.

(9) Adalbéron avait fait une sorte de traité simoniaque avec Gui, neveu de l'évêque de Soissons, pour lui assurer sa succession à l'évêché de Laon. Gérard sut empêcher ce projet par les lettres qu'il écrivit à Adalbéron, à Ebale et à Bérold.
(10) Balderic, *Chronic. Camerac.* lib. III, cap. 29.
(10*) Balderic, *Chronic. Camerac.*, lib. III, cap. 30.

mus, videlicet ut una Ecclesia duos habeat episcopos, et unus alterum ad instituendum sibi successorem liberum habeat arbitrium, quod sane nullius auctoritatis constat pondus habuisse, videmur jam intueri quoddam barathrum patens, de quo fumus temerariæ usurpationis erumpens portendit quoddam schismatis incendium futurum, per quod, subeuntibus dissidiis, Ecclesia a suæ pacis unitate solvatur. Verum, quoniam, si in hanc rem assensum adhuc præbuistis, nondum auditur a nobis, fraternitatem vestram prænonemus, obtestantes per eum qui nos Ecclesiæ suæ ministros et pastores esse voluit, ut, si hoc vestro constat esse consilio, divinæ ordinationi cedendum potius æstimetis, quam proprio arbitrio impendatis; ne tam vos carnalis amor in sinistrum rapiat, quam spiritualis fervor in zelum rectitudinis accendat. Sin autem, nunquam vos in hoc hæresis præcipitium quis pertrahat, ut huic adinventioni, quæ quidem contra Spiritus sancti ordinationem et totius est Ecclesiæ catholicæ institutionem, consensum præstetis (11).

EPISTOLA V.

AD LEDUINUM ABBATEM SANCTI VEDASTI.

(Anno 1031.)

De incendio ecclesiæ cathedralis Atrebatensis.

GERARDUS, nomine non merito episcopus, LEDUINO abbati et omni congregationi sancti Patris nostri Vedasti, sub eo degenti, et omnibus hanc paginam devote legentibus, et vita et pax a Deo multiplicetur, qui est vita et gloria cunctis in se credentibus.

Quoniam sanctæ matris Ecclesiæ cognovimus vos esse filium, imitando patrem vestrum, misericordem Deum, qui ad suæ bonitatis similitudinem vos sibi in adoptionem procreavit filium, Deo et charitati vestræ gratulamur multum. Præ cæteris enim filiis eidem Ecclesiæ matri ad præsens, Dei judicio, afflictæ, per compassionem animi honorem exhibuistis debitum. Legimus enim, in libris Regum, David regem et prophetam benedixisse viros Jabes Galaad, qui Saul regem sepelierunt, quamvis dejectum et a Deo reprobatum, dicentem: « Benedicti vos a Domino, quia fecistis misericordiam cum domino vestro Saul et sepelistis eum (*II Reg.* II). » Si enim illi benedictionem a rege et propheta David promeruerunt, qui quamvis dejecto et a Deo reprobato Sauli misericordiam fecerunt, multo magis vos qui fecistis misericordiam cum domina vestra omnium matre, sancta videlicet Ecclesia. Si enim Dei Patris charitas ostenditur in Filio, qui per mortem carnis animam suam posuit pro genere humano, ejusdem Filii imago monstratur et in illo qui necessitatem patienti suo miseretur proximo. Si vero hoc charitatis commercium ei conceditur qui consolatur proximum, quanto magis illi qui honoravit misericorditer Ecclesiam, generalem matrem fidelium, et insuper Mariam genitricem Dei Redemptoris omnium? Sed, ne diu meæ mentis vobis celetur affectus, non longis vobis patefaciam sermonibus. Subrepit nam-

(11) Balderic, *Chronic. Camerac.*, lib. III, cap. 31.

que mihi plus solito timor et dolor, qui, licet sit mihi per usum vetus, fit tamen semper per augmentum novus. Nam si aliquando meipsum secundum qualitatem vitæ aspicio, in amaritudine versor, quia in bonis deficio, in malis perduro. Si quando vero ad ea quæ in mundo sunt perspicienda mentis oculum attollo, cuncta quia in maligno sunt posita video. Quanto mundus feriatur gladio, quibus populus intereat percussionibus manifeste considero, ac per hoc adhuc majora venire timeo, quia nostro sacerdotali peccato fieri confiteor, sicut scriptum est, testante beato Petro apostolo: « Quoniam tempus est ut incipiat judicium de domo Dei (*I Petr.* IV). » Et in Ezechiele: « A sanctuario meo incipite (*Ezech.* IX). » Verbi gratia, veluti in præsenti Sanctæ Mariæ Atrebatensium manifestum est ecclesia, quam, III Kal. Augusti, ignis adveniens de cœlo totam combussit, videntibus cunctis. Unde timeo nimium divinæ animadversionis hoc fuisse judicium venientis super filios hominum, ut, sicut olim ante adventum Domini, ob signum misericordiæ, eo in loco alba vellera duo leguntur cecidisse: ita, ob significationem ultionis divinæ, quæ ventura est super diffidentiæ filios, ignis veniret cum sulphure; qui terrendo moneret electos, ut possent a facie arcus fugere, et exureret impios et peccatores, qui Christo semper detrahunt filiis Ecclesiæ. Solent enim de nobis dicere, ministris Ecclesiæ: Hi sunt pastores populi, qui non vere pastores sunt, sed lupi, comedunt enim peccata populi, quia fructus ecclesiæ in stipendio quotidiano percipiunt; sed nec orationis studio, nec prædicationis verbo, nihil penitus insudant, ac per hoc, quidquid adversitatis sit in sæculo, videlicet mortalitatis, pestilentiæ, famis, dicunt promereri, et incipere a sanctuario. Et vere a sanctuario, quia, secundum illud vaticinium Jeremiæ: « Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum (*I Thren.* IV). » Sed sive sit hæreticus sive falsus Christianus qui hæc opponit fidelibus, ei respondeatur quod ait in Epistola sua beatus Petrus: « Si hæc primum a nobis, quis eorum finis qui non credunt Evangelio Dei? Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? (*I Petr.* IV). » Et iterum, quod ait Dominus Galilæis in Evangelio, qui ei nuntiaverant quia sanguinem suorum miscuerat Pilatus cum sacrificiis idolorum. Quibus respondens dixit: « Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerunt, qui talia passi sunt? Non, dico vobis; sed, nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. » Et iterum, quod ait de decem et octo supra quos turris in Siloa cecidit, et eos occidit: « Putatis quod ipsi debitores fuerunt præter omnes habitantes in Hierusalem? Non dico vobis; sed, si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis (*Luc.* XIII). » Quid plura? Hæc namque, fratres charissimi, secundum Evangelium Dei, et apostolum Petrum eorum respondenda sunt stultitiæ, propter fidelia-

tem et honorem Ecclesiæ, et tamen non possumus negare quia vera sunt multa quæ de nobis quotidie insultando student diffamare. Sicut enim ait beatus Gregorius (*Homil.* 17 *in Evang.*): « Mundus est plenus sacerdotibus, sed tamen in messe Dei rarus invenitur. » Et iterum: « Qualis populus, talis sacerdos. » Unde necessarium duximus ut, quia per vitæ nostræ exemplum grex Christi prorui ad interitum, per vitæ nostræ meritum revocetur ad Christum, prædicando illud evangelicum, ut faciant omnes pœnitentiam qui ceciderunt per culpam. Vos ergo, fratres charissimi, qui jam sæculo renuntiastis, stantes in portu Domini, subvenite nobis laborantibus in mari, orantes Deum orationibus et jejuniis ne veniat super nos judicium iræ Dei (12).

EPISTOLA VI.

AD FULCONEM AMBIANENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1031.)

De episcopo Tarvanensi inique expulso.

Domino Ambianensium episcopo Fulconi, Gerardus, gratia Dei Cameracensium episcopus, et hujus vitæ innocentiam et cœlestis cum angelis gloriam.

A Quod confrater noster Tarvanensium episcopus Drogo a comite Balduino tantis injuriis impulsatur, plorandum est non solum nobis confratribus suis, verum etiam cunctis fidelibus Christianis. Quod certe, ut audivimus, non aliter quam ille qui patitur, fraternæ intuitu charitatis ægre portamus. Quis enim tam sævus aut duricors, qui sedem ecclesiasticam vivo pastore non defleat viduatam? Ergo monemus vos, in Dei nomine, atque precamur, ut fratri dejecto, quocunque modo potestis, succurrere satagatis. Nullus enim, Deo gratias, melius potest, et certe debetis, quia olim vester fuit clericus, ac vestro suffragio ad tantæ dignitatis gratiam sublimatus; decet enim vos meminisse, quam obnoxius sit et canonicis et apostolicis sanctionibus quicunque
B episcopum quemlibet naufragantem distulerit adjuvare, si possit. Vestram itaque charitatem humiliter imploramus ut, domno archiepiscopo, una cum fratribus cæteris coepiscopis convocatis, ad suffragium fratris regem fortiter excitetis; quippe hoc ei intimantes quia, si sanctam Ecclesiam mutilari permittet, cœlestis ira regnum suum discindet (13).

(12) Balderic. *Chronic. Camerac.*, lib. III, c. 32.

(13) Balderic. *Chronic. Camerac.*, lib. III, c. 34.

ANNO DOMINI MLI.

HUGO

LINGONENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex *Gallia Christiana* tom. IV, 554.)

Hugo de Breteuil, Gilduini Britoglii, seu Britolii in finibus Bellovacorum comitis filius, frater Valeriani, qui in prælio apud Barrum commisso vulneratus in geniculo postea monasticam vitam professus est in cœnobio S. Vitoni, et ibidem post Richardum constitutus abbas, ut refert Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, fuit canonicus Carnotensis, deinde Lingonensis antistes. Ejus ad hoc munus evectionem sic refert Chronicon S. Benigni: « Morte Richardi rex, consiliis reginæ ad iram animatus, iterum dedit episcopatum cuidam clerico Carnotensis Ecclesiæ. Hugo hic erat dictus, fuissetque utile vas in domo Domini, si juvenilia desideria evitare et superbiam calcare curasset. Sed is, adjecta crudelitate, eundo per fas et nefas ad ultimum, postquam octodecim per annos Lingonicum tribulavit clerum et populum, pulsus fuit a sede. » Consonat Besuensis chronographus: « Cum cepisset episcopatum, non
C fuit ut decuisset, circa Dei ecclesias sollicitus augmentator, sed e contrario negligens et distractor. » Et suum cœnobium speciatim queritur multis vexationibus attritum fuisse, repugnantem Ulgerium abbatem, male habitum, depositum, et cum pluribus e suis monachis captivum ductum Divionem, apud Sanctum Benignum. Ei, sedem Lingonensem petenti, ne qua vis, ut decessori, inferretur, Henrico principi coætaneo placuit adesse præsentia, et Richardi sortem reformidantem in cathedra collocare, inquit Lingonense Chronicon post Besuense. Interim efflavit animam Robertus rex, unde præcipiti cursu rediit Henricus; nihil tamen huic Hugoni derogatum, qui, et defuncti et novi regis patrocinio fultus, pacifice rexit.

D De illo quid sentiendum sit difficile est definire. Non ita malum initium fuisse, vel ipsi chronographi, jam relati, innuunt. Multa multis religiosis be-

neficia contulit, Divionensibus potissimum, et Sanctorum Geminorum canonicis, Polongiacensibus sanctimonialibus, ac etiam Besuensibus monachis, quibus attribuit Lingonensem Sancti Genulfi capellam in prioratum. Effecit ut B. Marcello Cabilonensi, in cœtu publico procerum Burgundiæ apud Paluellum, bona in pago Floriaci ad Oscaram fluvium sita restituerentur. Dedit et eidem ecclesiam Sancti Georgii ejusdem Floriaci, Alvisio priore. Nescio cur Besuense cœnobium ejusque abbatem Ulgerium male habuerit; verum scio socium et cooperatorem habuisse Halinardum tunc Sancti Benigni moderatorem, postea Lugdunensem archiepiscopum, virum ubique spectatum ut sanctissimum. Ad tribulationem cleri et populi Lingonensis quod spectat, dici posset id meritos fuisse, idque illi a regibus jussum, ut infaustam et non meritam Richardi sortem et necem ulciscerentur. Addi etiam posset in ejus apologiam eum, a quibus tantopere vituperatus est, impense nonnunquam laudatum : sic enim de eo loquitur Besuensis chronographus : « Hugone, pontificali in cathedra feliciter præsidente Ecclesiamque Lingonicæ sedis pie regente, verum calamum cohibet ejus depositio, et horrendorum criminum accusatio. »

Sub ejus episcopatus initio, cum Robertus Burgundiæ dux, sibi fundum, nomine Vivarium, super Oscaram fluvium vindicasset, ac Benignioni monachi illud repeterent, ut sibi a Willermo comite pro Henrici ducis animæ salute collatum, eis restituit, et restitutionis chartam edidit ab Hugone nostro subscriptam, in qua sic loquitur : « Ego Hugo subjectam subtexui per quam.... excommunicans anathematizo, anathematizansque excommunico, ut nullius..... persona regis, ducis, præsulis, abbatis, comitis, etc. ulla occasione in prædicto Vivario quidquam possessionis aut consuetudinis audeat accipere. Largitione famosi Hugonis præsulis Lingonensis Ecclesiæ, Besuensi attributa est Ecclesia Sancti Genulfi ; » sed et « villa, quæ vocatur Bannus, jure perpetuo concessa, » inquit Harduinus in charta anni 1059. Refert Perardus chartam, in qua sic loquitur Hugo : « Dum quodam tempore de stabilienda Ecclesiæ (Lingon.) republica diligenter tractaremus (ut) Christi suffragio, ad sublimiora meliorando proveheremur, venit ante nostræ magnitudinis præsentiam noster fidelis Wido, postulans ut sibi liceret per nostræ auctoritatis ministerium, in quadam Ecclesia in honore B. Stephani dedicata tales clericos mittere qui ibi communiter vivendo canonicæ regulæ se devote submitterent..... Cujus desiderio satisfecimus (et) tradidimus suprascriptis canonicis altare ejusdem ecclesiæ, cum omnibus quæ nobis antea solitum erat persolvere, præter subjectionem et trium solidorum censum, quos quibusque annis sedi nostræ reddi constituimus.....

« Actum Lingonis publice, anno incarnationis Dominicæ 1032, indict. XX, an. I Henrici Francorum regis, et pontificatus Hugonis. »

Anno sequenti, indict. I, quamdam ecclesiam Sancti Florentini, quam miles, Aymo nomine, de se beneficiali jure tenebat, ipso milite postulante, dat Warnerio Sancti Stephani præposito, cum servis, mercato, teloneo, etc., ad usum clericorum illic residentium, ea tamen conditione, ut subjectionem abbatiæ Sancti Stephani prælatis exhibere non negligant; deprecante Aymone, comite fideli suo, reddit ecclesiam Sancti Petri sitam in villa Mora, monasterio, cognomento Pulchrada, vel Saxonis Fontanæ, sancto Benigno ejusque abbati Halinardo.

Actum Lingonis publice, regnante Henrico rege, anno VIII.

Si initium Henrici summamus a prima ejus coronatione, datum est hoc diploma an. 1034; si a morte patris, an. 1038. Ad annum 1042 refert Mabillon. præceptum quo Rotbertus Burgundiæ dux onerosas consuetudines in villa Gilliaco Sancto Germano Pratensi remittit, cuique subscribit Hugo noster. Verum in temporis adnotatione non mediocris est difficultas. Sic eam refert Duchesne : Regnante Henrico Francorum rege, anno X, Hugone Lingonensi præsule episcopali cathedræ præsidente, anno quinto. Idem est initium regni et episcopatus eorum, cum patris mortem acceperit Henricus, Lingonis positus et Hugonem in sedis possessionem immittens. Atque adeo amborum decimus annus simul currat necesse est, si Henrici initium a morte patris sumatur; si vero ab anno 1027, quo in vivis agente patre coronatus est, ut probat Mabillon., ejus decimus annus non erit 1042, sed 1036, qui fuit etiam quintus pontificatus Hugonis. Scio hic nos supponere Robertum regem e vivis ereptum fuisse anno 1032, quod quidem asserit Holgandus, sed negant viri doctissimi, ejus mortem consignantes, alii anno 1031, alii 1033; sed hic a nostratibus monumentis recedere non possumus. Obiit Guillelmus (abbas S. Benigni) anno 1031 ipso circumcisionis festo, hoc est prima die anni 1032 pro nostro anni computandi modo. Eodem porro anno 1031, mense Augusto, obierat Lambertus, cui a Roberto substitutus est Richardus, qui aliquot diebus supra quinque menses sedit. Ergo jam in choato (prout numeramus) mense Februario anni 1032, veneno sublatus est. Cum ergo nonnisi postea, ab eodem rege designatus fuerit episcopus Hugo, ex hac profecto vita nonnisi anno 1032 migravit. Memoratur eodem anno 1036, indict. IV, in instrumento, quo Richardus miles dat « mansum unum » in loco qui vocatur Fontanellas.

Anno 1037, subscribit chartæ, qua Reginaldus comes dat Flaviniacensi cœnobio, apud Salinum villam, arcam unam cum caldaria. Rainaldus Castellionensis comes, monasticum habitum in cœnobio Benigniano induens, ei nonnulla concedit et concessionis testis est Hugo, anno 1038, indict. VI, mense Septembri, die secunda mensis, feria VII, regnante Henrico Francorum rege fratre Rotberti ducis Burgundiæ, anno XI regni ejus. Hoc ipso anno, chartam edit qua significat se, cum sæpe visitaret Divionense cœnobium, cœtui

monachorum interesset, Deique servitium assidue ab eis fieri cerneret, pietate motum dedisse S. Benigno « ecclesiam in villa, vocabulo Itzium, constitutam, » etc. Hanc porro chartam habemus. Appositum est illius signum diplomati, quo Robertus Burgundiæ dux salvamenta trium villarum Sancto Benigno remittit anno ab incarnatione 1043, indict. XI, secunda hebdomada Quadragesimæ, feria tertia, prima die mensis Martii, regnante Henrico Francorum rege, anno XIII ipsius monarchiæ. Charta, qua Gibuinus clericus dat Sancto Petro Besuensi hæreditatem suam in villa, Blaniaco nuncupata, sic explicit : Actum anno ab incarnat. Dom. 1044, indict. XII, III Idus Junii, die festivitatis sancti Barnabæ apostoli, Henrico regnum Franciæ tenente; et Hugone, qui postea repulsam meruit in præsulatu sanctæ Lingonensis Ecclesiæ, nunc vero pastoris nomine præsidente. Quo eodem anno subscripsit diplomati institutionis canonicæ Sancti Pauli, quod ejus testamentum vocat Chiffletius. Scripsit « Tractatum de corpore et sanguine Christi contra Berengarium, » quem ex duplici ms. Bibl. Regiæ et Corbeiensi edidit noster D. Lucas d'Acherius ad calcem operum Lanfranci, qui sic incipit : Hugo Lingonensis, episcoporum minimus, BERENGARIO, in quibusdam reverentissimo sacerdoti Deum sapere. Unde discimus sacerdotem fuisse Berengarium. Acta quoque sancti Victoris stricta oratione descripsit.

Demum, anno 1049, Remis celebratum est a Leone IX papa concilium 20 antistitum cum 50 fere abbatibus, et aliis ecclesiastici ordinis quamplurimis. Adfuit Hugo noster, qui in prima sessione plurium criminum accusavit Pultariensem abbatem, de quibus, cum se purgare non potuisset, depositus est. In secunda sessione ex accusatore reus proclamatus est, a Petro Romanæ Ecclesiæ diacono accusatus de episcopatu Simoniace comparato, de Simoniaca sacrorum ordinum collatione, de telorum gestatione, de homicidiis, adulteriis, de tyrannide in clericos, de populi oppressione, aliisque criminibus; quibus verbis, inquit Historia concilii, fidem præbebant plurimi delatores qui aderant. Plurimum commotus episcopus postulat ut aliquot adhibere liceat in consilium, et Lugdunensem ac Vesontiensem archiepiscopos elegit ; rogatque secundum ut pro se causam dicere velit. Quod ille aggressus sese statim divina virtute elinguem expertus est, unde coactus est Lugdunensis antistes; Hugonem a se venditos ordines, extortam a presbytero pecuniam confessum, cætera crimina penitus denegare asserit. Judicio in crastinum dilato, ipsa nocte se subducit episcopus, unde ab universo cœtu excommunicatus et sacerdotio depositus est. Verum postea pœnitens rediit ad Leonem, et cum ingentibus lacrymis publice crimina confessus spontaneam suscepit pœnitentiam. Deinde pontificem Romam reversus secutus est nudis pedibus iter faciens, synodum, quæ tum habebatur nudus et excalceatus ingressus est, lacrymis ora perfusus, manu deferens virgas, quibus cæderetur, veniam et misericordiam lamentabili voce implorans. Ad tale spectaculum flere omnes, suspiria emittere et veniam precari; commotus pontifex indulgentiam supplici concedit, atque pius pater pœnitenti filio stolam primam et annulum amissi episcopatus cum sandaliis restituit, atque adeo et ipsum pontificatum, dummodo Lingonensis Ecclesia, vel quælibet alia eum in episcopum vellet accipere. In patriam rediens in morbum incidit, et habitum monachi, sub nomine cœnobii Sancti Vitoni, cui Valerannus ipsius frater præerat, a quibusdam Cluniacensibus monachis viæ comitibus petiit et accepit pieque decessit apud Biternam, inquit auctor Vitæ Garnerii Sancti Stephani Divionensis præpositi, ac catalogo fratrum Sancti Vitoni ascriptus est, ut testatur Laurentius, de Leodio illius loci alumnus. Videtur ergo obiisse non Virduni, ut plerisque placet; non Biterris, ut domno Fiot visum fuisse ex ejus verbis in notis ad Vitam Garnerii inferri potest; non hic quidem, quia ex hac vita decessit redeundo in patriam, ad quam sane per urbem Biterras non erat Roma redeunti; non Virduni, nec enim ibi vestem monachicam a Cluniacensibus, sed ab abbate Sancti Vitoni aut a monachis ejusdem cœnobii accepisset. Obiit ergo in itinere in quadam villa, Biterna nomine. Narrat Wibertus, in Vita Leonis, eum in redeundo, nimis attritum jejuniis aliisque pœnitentiæ operibus exhaustum in bona perseverantia vitam reliquisse præsentem. Ejus anniversarium celebratur VII Idus Februar.

HUGONIS

TRACTATUS

DE CORPORE ET SANGUINE CHRISTI

CONTRA BERENGARIUM.

(Opp. B. Lanfranci, edit. domni Lucæ d'Achery, Append. pag. 68, ex Corbeiensi duplici ms.)

Hugo, Lingonensis episcoporum minimus, BERENGARIO, in quibusdam reverentissimo sacerdoti, Deum sapere.

Rerum existentium, virorum acutissime, naturam, si bene perspiceres, si Patrum sententias, non tam exili quam pravo studio, scrutareris, sacramentum

corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi non ita crederes celebratum ut corpus esse diceres, et incorporeum prædicares. Perinde, si perpenderes quod amplitudo divinæ potentiæ sensuum excedat circos, nec possit sensualiter ambiri quod in vos informet sensus, os nimis extensum contraheres, contractum corrigeres, correctum denique contineres. Dicis enim, nimis extense loquens, in hujusmodi sacramento, corpus Christi sic esse ut panis et vini natura et essentia non mutetur; corpusque, quod dixeras crucifixum, intellectuale constituis. In quo evidentissime patet quod incorporeum confiteris. Qua in re, universalem Ecclesiam scandalizas, ipsumque tuum offendis auctorem, qui palpabile obtulit quod incorporeum affirmas. Namque si panis et vini natura et essentia reali principalitate, post consecrationem, persistunt, translatum nihil potest intelligi, et si quod adjunctum est sola fit intellectus potentia, revera non capitur quomodo, vel unde, vel idem sit quod adhuc non subsistit. Est enim intellectus essentiarum discussor, non opifex; judex, non institutor. Et quamvis rerum vel monstret vel figuret imagines, nullum corpus materiali producit exordio. At si panis et vini sacramentum, ob solam salutis potentiam, cum nato et passo unum atque idem est; similiter auctori nihil refert hoc sacramentum eodem judicio, eadem intelligentia baptismum vel esse, vel dicere, vel quidquid in sacramentis salubriter celebratur, sicut patet in plurimis; velut, si procul justitiæ aliquem dixeris eumdem cum regibus, hoc ipsum ad patricium referas, hoc ad Cæsarem, si velis. Quod si hoc modo Christi corpus applicas ad sacramentum, inde quod hæc communis virtus, hæc publica fortitudo, commune et publicum malum sit. Porro autem, si ex sua essentia vel natura non habent salutis potentiam, habent ejus contrarium, sicque, dum in sua natura permanserit, erit impotens sacramentum. Per quod evidenter consequitur corpus Christi sic esse imbecille, si panem, qui in sua natura permanserit, dixerit corpus esse. Quapropter necesse est ut aut panem omnino a sua natura dejicias, aut ipsum Christi corpus dicere non præsumas. Quod si forte dixeris et suam naturam retinere, et tamen non esse impotens sacramentum, contra rationem loqueris; si cui naturam conferes, inhærentiam [*al.*, inhærentia] tollis. Omnes enim res, dum in sua natura consistunt, ab inhærentibus naturæ non recedunt. Quid ergo de aqua in vinum conversa dicis? Dices in sua natura mansisse, et tamen vinum esse, aut dices non esse vinum; sicut nec panis [*al.*, panem] corpus nisi saporis potentiam. Quodcunque horum dicas mirabiliter furis, profundissime fundis, solitarius hauris. Attritum dicit quod incorruptibilis *al.*, incorruptibile] est, facisque consequentiam, quam quædam destruunt elementa. Putas enim, non bene intelligens, attrita quæque consequenter corrumpi. Sed vide quia ignis plagatus non corrumpitur, et aer non doluit a sagitta. Quod si ipsum dixeris augmentari eo quod in dies immolatur, iechythum non dices non minui, cum ex eo quotidie caperetur. Si vero non imminutum protuleris, et sumptum et integrum confiteris. Ergo si hoc potuit Elias, quare hoc non potuit et Deus? Frumentum mulieris Sarephtenæ hujusmodi azymis præsignavit; hoc ipsi præsignaverunt panes, millibus satiatis, totitas [*al.*, deitas] non solum servata est. Verum etiam bissenos redundavit in cophinos. Quos qualiter gratuitos [*al.*, gustatos], vel unde augmentatos, si dixeris, per eamdem hoc esse potentiam respondemus; tuaque de ipsis confessio fides est sacramenti certissima. Natura etenim stabilis, per longævos obtentus, libertatem constantiæ pactumque virtutis, quo dominatur, in rebus plerumque per quem obtinet, solvit [*al.*, perobtinet solum]. Alioquin, nisi ita concederes, videatur [*al.*, videretur] invicto obstare Deo. Quod sibi auferre non potest qui ibi [*al.*, tibi] concesserit quæ de Christi corporis sacramento præsumptuose suades. Qua in re alios quidem vincis, sed ipsorum furorem armas, qui divinæ potentiæ detrahentes naturam rerum factione [*al.*, factricem] dicunt. Proinde, o in cunctis aliis reverentissime vir, assume tibi fidem, quia *justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17), et fide mundantur corda, sicut scriptum est: Mundans fide corda eorum. Et quæ in mysteriis ideo tenenda maxime est, quia, sicut alibi scribitur, ipsa mentis dubietas licet bonæ vitæ sit, qui accipit, excludit, ne ad ejus sacramenti intelligentiam pertingat. Quod tecum sæpius revolvendo, ne ultra, quæso, argumenteris de omnipotentia divina. Sicut enim non capis quomodo Verbum caro factum sit, sic non potes capere quomodo panis iste mutetur in carnem, et vinum in sanguinem transformetur, nisi te docuerit omnipotentiæ fides. Alioquin luctaris cum Deo; sed non in brachiis patriarchæ; sed neque cum aurora imo etiam tota tua hæc luctatio nocturna est, magis quam videtur esse insidiose luctantis quam amicabiliter amplexantis. Quæ nimirum luctatio non solum non meretur, sed perdit; et non a merito erroris immunis est, quasi durare nolueris [*al.*, volueris] currendo incurret mortem. Propter quod philosophiæ tuæ suadeo tenere quod scriptum est: Tolle, inquit, luctatori coronam, lentus jacebit in studio. Desiste ergo fore erroris miles, desiste impugnare cœleste mysterium, perpende quod Dei voluntas, et verbum omni naturæ supereminet, et, qui in facturis potens est, potentem transformare credas, sicut scriptum est: ***Mutabis ea, et mutabuntur*** (*Psal.* CI). Dei enim velle pro facto est. Exue igitur erroris involucrum, et casto fidei velamine in mentem para. Memorare quod in Ambrosio legitur de sacramentis (lib. *De initiandis*, cap. 9), *quia corpus quod conficimus ex Virgine est;* cum dicit quia ex virgine est, partum dicit, et non alicui simile, sicut tu per potentiam judicas. Hoc certe intellexi, cum ad te de mysteriis sermonem adorsus, fidem tuam curiosus [*al.*, curiosius] investigarem, quam

longe sis a testibus tuis Ambrosio scilicet et Augustino, a te quidem appellatis, sed ipsis non ita testantibus, probare paratus sum, cum eos per eosdem tuis assertionibus videam refragari, eisque maxime quibus te per eos auctorizas. Ipsi enim vere liberi, ab errore non quasi velamen habentes malitiæ in suis significantibus sonis, hoc cœleste convivium nulli comparant, nulli simile dicunt; sed sicut alter eorum dicit Deum suis vocibus, et non alienis assertionibus æstimandum, per cujus distribuendum verbum, ex edibili sacramento carnis et sanguinis efficientiam de spirituali secreto procedere, nec ipsam carnem aliam, nec ipsum alium sanguinem, quam unde incarnatus apparuit plane, et simpliciter crediderim, sicut semel accipiens formam servi, sicut pro nobis quotidie hanc in se suscipiens creaturam, faciens suum corpus occulta quadam recreando potentia; sicut dicit beatus Augustinus in libro quarto [*al.*, tertio] de Trinitate (lib. III *de Trinit.*, c. 4, t. III); ubi Paulum apostolum Christum significando prædicasse commemorat. « Corpus, inquit, Christi et sanguinem dicimus, sed illud tantum quod fructibus terræ acceptum et prece mystica consecratum, rite sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis, operante invisibiliter Spiritu Dei; » sicut scriptum est in libro Sapientiæ. *Creatura*, inquit, *Factori deserviens extenditur in tormentum adversus injustos, et lenior fit ad benefaciendum his qui in te confidunt. Propter quod et tunc in omnia se transfigurans omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat ad voluntatem horum qui te desiderabant* (*Sap.* XVI). Quod exemplum, licet ab alienis assumptionibus vel conversionibus, aptum sit, sicut cum formæ visibiles ab incorporeis assumuntur, vel cum rerum conversiones fiunt, sicut aquæ veræ in vinum verum. Huic maxime [*al.*, tamen maxime] convenit sacramento, in quo panis et vini creatura Deo sic deservire probatur ut perseverantiam quam exhibuerat naturæ, invisibili celeritate permutet, et se in omnia transfigurans, hoc est in eum, in quo omnia sunt, aut qui omnium est homo Christus. Corpus ejus ipso Recreatore [*al.*, Creatore] fiat, quod extendatur in tormentum judicii adversus injustos, hoc est in eos qui indigne suscipiunt, et lene ad ipsos sit, qui in virtute et veritate mysterii sibi vitam invenire confidunt.

Per hoc autem quod dicit ad voluntatem horum qui te desiderabant, doceri oportet eos qui vitæ sacramenta desidiose et ignoranter accipiunt. Ac per hoc non ei corporantur, in quem ipsa transeunt sacramenta. *Sedens quidem*, sicut in Salomone legimus *ad mensam potentis, scito quoniam talia oportet te præparare.* Quod exponens sanctus Augustinus dicit (tract. 84 *in Evang. Joan.*) : « Quæ est mensa magna, nisi unde accipimus corpus Christi et sanguinem? Quid est scito quoniam talia te oportet præparare, nisi quod beatus Joannes exponit? » *Sicut Christus pro nobis animam posuit, sic et nos debemus pro fratribus animas ponere* (*1 Joan.* III). Ad hoc salutare convivium cum desiderio currendum est, quia Christus hoc ipsum cum desiderio celebravit, sicut ipse in Evangelio ad discipulos suos dixit : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar* (*Luc.* XXII). Ad hanc mensam Judæos Augustinus invitans in libro contra genera hostium (lib. *contra quinque genera hostium seu de quinque hæresibus*, c. 7), sic dicit : « Sævistis, o Judæi, occidistis, sanguinem Christi fudistis. Quid facere nunc habetis, nisi ut credentes baptizemini; et bibatis sanguinem quem effudistis? Non est quod horreatis, fusus est sanguis medici, et factum est medicamentum phrenetici. » Sicut Augustinus de Paulo phreneticum patienter toleravit, sustinuit me ferientem se, donavit mihi feriri per se. Quid tibi, quæso, vile est in ipsa quæ in Christi corpus transit creatura? Nam et corpus quod Christus sumpsit ex virgine per naturam quidem corruptibili, et si non corrupta per coitum, ex eodem exstitit elemento, ex quo fructus sacramentorum processit. Licet enim Virgo peperisset, non sicut genuit nata est, nec a virginibus descendit parentibus, sed ea conditione nascendi quæ cunctis mortalibus perseverat. Aliter paritura defluxit, et Verbum incarnatum non ex alia quam ex terrena substantia generavit, sicut Augustinus dicit in libro De verbis Domini : « Adveniens, inquit, divinitas in uterum virginis Mariæ auctoritate illa qua Adam in paradiso de limo terræ formavit, carnem sibi ex substantia ipsius Mariæ fabricavit. » Ex hac ipsa materia ipsos quoque sacramentorum fructus novimus procreari, quos catholice oblatos, secreta deitatis potentia, per sanctum et invisibilem Spiritum carnem Christi, et sanguinem fieri confitemur. Unde iterato apud Augustinum habetur : « Quis, inquit, ea facit, nisi qui dixit ut hæc terra produceret, et in eodem verbo suo, quæ creavit, et regit, atque agit. » Dei namque incommutabile Verbum, humiliter concarnatum, mortalibus, sicut nos inhabiles, et minus idoneos per sacramentorum fidem in novam transtulit creaturam, quod nemo videre potest, nisi [*al.*, qui non nisi] qui non distinctiones membrorum in nobis considerat; sic ipsam mysteriorum materiam summa sibi corporavit [*al.*, concorporavit] virtute; quod ideo invisibiliter est credendum quia invisibiliter est factum. Sicut enim Verbum Dei in carne invisibile fuit, quod tamen factum erat, sic ista ipsa caro quia jam in verbo consistit, quodammodo invisibilis facta, quodam iterum necessario pioque consilio ad gustus suffragium panis et vini quibusdam qualitatibus, occultatur. Sed spiritualibus oculis ipsa carnis veritas non negatur. Alioquin fides tanti mysterii deperisset, si cruor in calice fieret manifestus, et si in macello Christo [*al.*, Christi] ruberet sua caro, rarus in terris ille qui hoc non abhorreret. Sed cum vita æterna non nisi edenti promittatur, perpetuarent morti, qui Christum non cœnassent. Sicut enim medicus fastidienti ægro austeram potionem per alienas

dulcedines temperando saporat, tantoque intentius, quanto eam amplius novit profuturam; sic noster Procurator, et providus conviva prandium suæ carnis coaptavit horrentibus, ut, prioris creaturæ vultibus reservatis, ex formæ visione animosius caperentur. Similiter cum tantum Deus esset in sua immortali essentia providens humanum genus non posse reparari, si non moreretur per carnem, qui mori per divinitatem non poterat, occultavit se nostræ carnis amictu, et per assumpta membra passus est sine visione sermonis; quem, nemo licet viderit, ut reor, non dicet defuisse.

Qua in re sicut haberet immortalem et invisibilem per corpus disposuisse mori, sic ipsum ejus corpus ingustabile per naturam, per formam, per speciem manducabile contulit, ne abhorrendo cruentum ipsa jejunitas condemnaret, quos liberates morte refectio sacrosancta satiaret. Quid enim tam optabile devenit in habitum quam ipso pasci, ipso refici pane, qui tanta virtute nos saginat, ut Christo corporati [*al.*, concorporati] medullitus adipemur, et homo interior spiritualiter pinguescat? Ad istum capiendum, comedendum, nutrimur. Per istum lactamur fide, pascimur specie [*forte* spe]. Per ipsum jam filii Dei sumus, sicut scriptum est : Filii Dei sumus per gratiam, per fidem, per sacramentum, per sanguinem Christi, per redemptionem Salvatoris. Cibus immortalis, et sanctus, per quem nos vegetemur [*al.*, vegetamur] et ille non minuitur. Panis iste, sicut lux plurium oculos pascens, et tamen tanta est quanta erat. Sacramentum fidelium, quod soli agnoscunt fideles, tunc unicuique vita est; si quod in sacramentum visibiliter sumitur in ipsa veritate spiritualiter bibatur; aliter non satiaretur mens; aliter non recrearetur anima, sicut Augustinus dicit : « Omnino non satiaret me Deus, nisi promitteret se ipsum Deum. » Ergo ubi est ista promissio, *Panis*, inquit, *quem ego dabo caro mea est pro mundi vita?* (*Joan.* VI, 52.) Sed dices panis hic, sed non Deus promittitur. Audi iterum : *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Ibid.*, 51). Vivus est, et vivos facit. Nam iterato sic habes : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* (*Ibid.*, 52). Audisti quia vita est. Sed quæ vita? vita distinguibilis, discretibilis, distans. Quare? quia perpes, quia æterna, quia salubris, quia corruptionis nescia, quia felicitatis plena. Per quod æterne, per quod salubriter, per quod sine corruptione, per quod feliciter vivitur. Nonne hoc optabiliter amandum, amando, colendo credendum est? In his etiam a nostra differt. Activa enim nec perpes, nec colenda; exterminabilis est enim, sicut Augustinus dicit : Vita, inquit, ista vapor est ad modicum apparens, deinceps exterminabitur; et alibi : Vita hominis, et si longa, quasi gutta una ad universum mare. Item ipse, ipsi dies non stant, tu quare cum illis vis stare? quid tibi ulterius si contra, si aliter, si secus, si ex adverso credideris? Nunquid enim vera non sunt, quæ a veritate procedunt; aut ipsa nos fefellit? Absit! Imo tu perturbas veritatem; et quasi mentitam redarguis; nec vereris Scripturam dicentem quod ea, quæ Veritas repromisit, sine aspectu credenda sint : ipsa enim dicit : *hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26). Concedis dixisse, sed repugnare non cessas. Dicis enim corpus, et non corpus, suum, et non suum. Quomodo enim dicas, vel non dicas, superius dixisse me puto. Idcirco dictum puta (Augustin. *serm.* 2, *de verb. Apost.*, c. 1, 10) : « Sacramentum fidelium agnoscunt fideles, audientes autem quid aliud quam quod audiunt? Erit homini illi mors, non vita, qui mendaces putaverit vitam? » verba namque vitæ sunt; quia Vita hæc dixit : et vita ipsa sunt, et Veritas hæc dixit : et vera ipsa sunt, et quibus loquitur, quia ipse est Verbum Patris. Cur enim scandalizat te species quæ remansit, ut reor, si te cruentasset occisus, scandalum majus esset, sicut dicit Joannes Chrysostomus (*Homil. de proditione Judæ*, sub finem) : « Erubesces, » inquit, « oblationis arcana, occisus propositus est Christus. » Ita quidem nunc mysterium tecum est, nunc operta mysterio. Si enim per fidem non ambulas in quo erit mysterium? *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (*II Cor.* V, 7). Aliter enim non venitur ad aram, quæ et sacerdos et sacrificium est. In Christo enim hæc omnia. Ipse enim est sublime altare Patris (*Hebr.* XIII, 10), sicut scriptum est : Putasne aliud esse altare ubi Christus pontifex astitit, quam corpus suum per quod, et in quod Deo Patri vota fidelium, et fides offeruntur? Unde et Psalmista : *Introibo ad altare Dei* mei (*Psal.* XLII, 4). Sed et de quo diceret, adjunxit : *ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Hoc et apud Ambrosium (libro IV *de Sacramentis*, cap. 2) : « forma, inquit, corporis altare est, et corpus Christi est in altari. » Ipse enim est sacerdos sicut Scriptura dicit : Terribile est, inquit, immundum accedere ad ea. Ubi sacerdos est, *qui potestatem habet corpus, et animam perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28); et illud Psalmistæ : *Tu es sacerdos in æternum* (*Psal.* CIX, 4); et Paulus, hic autem eo quod maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium. Unde et idem : *Talem*, inquit, *habemus sacerdotem, qui consedit ad dexteram magnitudinis in excelsis* (*Hebr.* VII, 1). Ut enim ostenderet se esse sacrificium : *ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi : tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam* (*Hebr.* X, 5-7). In ipsa voluntate sicut Apostolus dicit : *Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi Jesu* (*Ibid.*, 10). Sed ut nihil deficeret omnino venienti ad Christum, ipse est tabernaculum, huic soli servatum mysterio, ut omnia essent sub gratia per plenitudinem pietatis. Necesse de cætero qui laniaret aliud pro [*al.*, per] se quam ipsum in quo finis sacrificiorum est; per quem non solum nos reservamur ad vitam, verum etiam omnia illa quæ in sacrificium dabantur. Nullis enim jam synagoga, nullis fumant idola carnibus.

plebs [*al.*, ista] ipsarum victimarum, cum plebe salva est : In quo enim cessavit unctio, cessavit et victima. Caliga igitur, et quodammodo cæcus sis, ut videas quem non videbas, et sicut per bonum pudorem visus tibi exterior premitur, ut quæ videt, non videat; sic per Dei timorem acumen tuæ sublimitatis occultes ab occurrente errore, ne forensis aspectus per exteriora mysterii fallat mentem, et castos intellectus pravæ intentionis adulatio [*al.*, adulterio] corrumpat : nec præsumas singulariter sentire, quod universitas non assentit, quia, sicut in Ambrosio legimus, non solum singulorum [*al.*, angelorum], verum et universitatis ista mysteria sunt, et ob hoc commune debent habere judicium secundum catholicos et canonicos sensus, quos extra ipse sentis ideoque forensem duxi, eo quod extra communes oculos, de hujusmodi videas, sicut mecum in tuo discubio contulisti. Expertus loquor, audisse contigit, nam non crederem. Abjecta unitate, de parte extolleris.

ANNO DOMINI MXII.

HALINARDUS

LUGDUNENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN HALINARDUM.

(*Gallia Christ.*, tom. IV, pag. 84.)

Halinardus, qui et Helmardus et Almardus, nobili Burgundionum genere ortus est, patre Lingonensi, matre Æduensi, litteris apprime eruditus fuit, curante in primis Walterio Æduensi episcopo, cujus e sacro fonte filius erat. Factus adolescens, Brunoni Lingonensium episcopo a patre traditus, in canonicorum cœtum cooptatur : ibique philosophos ac ecclesiasticos viros sacris studiis præpositos audivit, mirumque sub eorum disciplina profectum fecit. Præcipua tamen de moribus ei cura fuit, adeo ut jam tum monachi specimen exhiberet, sollicitus integrum se ac sincerum ab illis vitiis servare quibus illa ætas contaminari solet, bonorum contubernium ambire, malorum vitare. Tot ac tantis dotibus instructum Lambertus episcopus Brunonis successor, ad ecclesiasticas dignitates voluit promovere; at longe alia mens pii adolescentis, mundum fugiens, monasticum habitum in S. Benigni Divion. cœnobio induit, suaque perseverantia parentes et episcopum pio suo proposito consentire coegit. In eo instituto, sub abbate Willelmo exsultavit ut gigas ad currendam perfectionis viam, unde paulo post a piissimo patre sub se monasterii præpositus renuntiatus est; ac tandem post ipsius obitum abbas instituitur.

In ea dignitate tantum splendorem virtute ac scientia emisit, ut famam suam longe lateque proferret. Hinc Francorum regibus Roberto et Henrico acceptissimus fuit. Hinc Henrico III, cognomento Nigro, episcopatu Lugdunensi dignus visus est jam anno 1041, quem ut in Odolrico ibi vidimus, mira humilitate effugit. Sed eo defuncto, una cleri et populi voce postulatur, mittuntur ad imperatorem oratores, qui ejus assensum flagitent; annuit Cæsar, diploma concedit, imo et præceptum emittit, sed frustra, invicto animo tantum onus sibi imponi detrectat. Tandem ad summum pontificem perfugiunt Lugdunenses, eorum votis obsecundans Gregorius VI misit ad eum, præcipiens auctoritate pontificali ut obediret precibus cleri et populi. Ad tale mandatum tremens cessit vir piissimus, datoque consensu ad curiam Henrici profectus est, comitantibus episcoporum suffraganeorum legatis archidiaconis ac Lugdunensis ecclesiæ clericis, ut ab eo regalia acciperet. Non renuit Cæsar, sed jussit ut prius fidei sibi debitæ sacramentum præstaret. Id se facturum negavit Halinardus dicens : « Si Regis æterni, et regulæ, quam jurejurando promisi, præcepta postposuero, quæ mihi fides erit, ut imperatoris juramentum custodire debeam? Dominus enim dicit in Evangelio *non jurare omnino* (*Matth.* III, 34); et regula Patris Benedicti præcipit *monacho* non jurare, et a sæculi actibus se facere alienum. » Quæ res Teutonicos præsules non parum commovit quod id præstare recusaret, quod ipsi ultro præstiterant, in hoc enim, si Menestrerii fides, si se pium in aula exhibuit, certe nec doctum theologum, nec juris canonici peritum, sacramentum præstare negans quod legi Dei nihil habet adversum, utpote quod non exigitur quantum ad ecclesiastica munia, sed quoad civilia quibus cohonestabantur antistites. Rex tamen ejus constantiam et pietatem admiratus, et nonnullorum præsulum precibus commotus, dixit : « Suadete illum, si non vult sacramentum facere, ita se agat, ut videatur fecisse, ne mos patriæ nostræ annuletur. » Respondit vir sincerus : *Tantumdem si simulavero, ac si fecerim; absit hoc a me.* Unde rex tandem ei

juramentum remisit, verbo et promissis ejus contentus, ac in sua præsentia fecit illum ordinari, dans ei quæcunque fuerunt sacerdotali benedictioni necessaria. Ordinatus porro est ab Hugone Vesuntionensi episcopo apud Herbestein, anno ab incarnatione Domini 1046.

Factus apostolici compos et compar honoris duxit apostolicam factis et nomine vitam, inquit San-Benignianum Chronicon. Eadem virtus mansit humilitatis, opere multiplicato charitatis, omnibusque quoad vixit verbo præluxit et exemplo quanquam Divionensis monasterii regimen, pro more illorum temporum, ad obitum usque retinuit; et in episcopatu suo vix commoratus fuerit, alio pro variis Ecclesiæ negotiis vocatus. Primo suæ ordinationis anno imperatorem Romam proficiscentem, cum Hugone ordinatore suo secutus, Gregorii VI depositioni, et Clementis II promotioni interfuit. Hoc defuncto, Romani petierunt eum (Halinardum), ab imperatore in Romanum pontificem, inquit Chronic. San-Benign. « Anno 1048, inquit Albericus, cum de summi pontificis electione inter imperatorem et Romanos ageretur, postulatus est ab una parte in papatu Halinardus Lugdun. archiepiscop. Diligebant enim eum valde Romani propter facundiam oris sui et affabilitatem sermonis; ita enim proferebat vernaculum sonum loquelæ uniuscujusque gentis, quousque Latina penetrat lingua, ac si eadem patria esset primogenitus. Sed cognita voluntate principis et populi, vi humillimus dissimulavit ire ad curiam, donec tardante eo electus est Bruno Tullensis episcopus, Leo IX appellatus anno 1049. » Ab eo Roman evocatus Halinardus adfuit concilio contra Simoniacos. Hoc eodem anno papam Remos comitatus est, ac interfuit concilio in basilica S. Remigii habito, in quo a simonia alienus, tanti criminis reos suo suffragio damnavit. De Leonis Romam revertentis comitatu iterum fuit, ac ejus diploma in gratiam Milonis Dervensis abbatis sua subscriptione firmavit. Memoratur et in ejusdem privilegio monasterio S. Mauricii Agaunensis concesso eodem anno. Romano concilio anno 1050 interfuit, in quo S. Geraldus in sanctorum numerum cooptatus est, et Berengariana hæresis damnata. Sub autumno proficiscentem in Gallias pontificem prosecutus est; ac Tulli Leucorum elevationi S. Geraldi adfuit; et Lingonas veniens, D. Arduinum episcopum in præsentia papæ ordinavit.

Anno 1051, egressum urbe Leonem comitatus, cum illo Beneventum, Capuam, Salernum invisit, ad hoc assumptus, ut, quia præpotens erat in verbis, et ad suadendum quodlibet lingua sufficiebat, legatus et mediator pacis inter Normannos illorum partibus dominos, et ipsum existeret. Anno sequenti Roma discedens Leo in Hungariam profecturus, illic Halinardum reliquit in monasterio S. Gregorii ad clivum Scauri, quod ei pontifex ad monendum assignaverat. Dum vero illic moraretur S. antistes, die quadam discumbenti, a falso amico piscis oblatus est veneno infectus, ex quo ipse et duo monachi illius loci, cæterique qui comederunt, intra octo dies interiere. Obiit S. præsul IV Kalendas Augusti anno 1052, pontificatus anno VII, regiminis monasterii Beniguiani XX. Suam in prædicto S. Gregorii monasterio sepulturam elegerat; ut nobiles Romani ejus corpus ad S. Pauli basilicam deferri curarunt, ubi ad lævam ecclesiæ partem, sub arcu super ejus tumulum erecto honorifice conditum est. Sacram omnem suppellectilem, quæ ad divina ministeria utebatur, cum vasis argenteis, et auri summa non modica transmisit Divionem ad suum monasterium, quod vivens multis ornamentis, libris et ædificiis decoraverat.

Habetur in chartulario Athanacensi Halinardi instrumentum, quod ejus testamentum censeri posset. Datum est dominis Lugdunensibus canonicis. In eo rogat primo ut indulgeant quidquid in ipsis negligentiæ contraxit. Obtestatus est se, si Deus vitam produxerit, omne studium ipsorum profectui daturum. 2° De substituendo sibi pastore dat consilium, atque in primis suadet, ne, sicut hactenus fecerunt, hac de causa diversa et cætera loca perlustrent, sed præmissis precibus atque jejuniis Deum obsecrent, ut ex ipsis se dignum præficiant antistitem. Huic porro officio secundum hujus temporis qualitatem idoneum sibi videri Um. præpositum. 3° Pontium Senescallum obsecrat ut bonorum suorum partem Athanacensi monasterio tribuat. *Sum enim*, inquit, *illis multum debitor.* Locum in fastis sacris nondum invenit, sed *Venerabilis* titulo donatur in Menologio Benedictino die 29 Julii. Eum inter prætermissos memorant Bollandiani ad diem 26 April. In Necrologio Sancti Benigni Divion. hæc habentur: « IV. Kal. Augusti depositio. D. Altinardi archiepiscopi Lugd., et hujus loci abbatis. »

VITA V. HALINARDI

EX DIVIONENSI ABBATE ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS

Auctore anonymo ejus discipulo.

(Apud Mabill., *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæculi VI, parte II, pag. 34.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Restaurata per beatum Willelmum in Divionensi Sancti Benigni monasterio regulari disciplina, isthuc ex vicinis longinquisque regionibus viri, nobilitate et doctrina illustres, convolarunt, ut sub tam sancti Patris regimine vitam monasticam amplecterentur. Ex his fuit noster Alinardus, seu Halinardus, qui, primo sub eodem beato Patre prioris officio functus, postmodum ei in abbatis dignitate successit, ac tandem archiepiscopus Lugdunensis factus, toti Ecclesiæ ob vitæ sanctitatem et doctrinæ celebritatem præluxit. Res ejus gestas accurate descripsit anonymus auctor Chronici Sancti Benigni Divionensis qui; cum se fateatur ab eo in monasterium susceptum fuisse, atque in regularis disciplinæ exercitiis eruditum, fidem omnimodam meretur, utpote qui ea scripsit quæ aut ipse viderat, aut ab iis qui rebus gestis fuerant præsentes acceperat. De hoc auctore jam egimus sæculo IV, parte II, ad annum 878, ubi de Bertilione abbate Divionensi, cujus corporis inventionem, sub nostro Halinardo factam et ibidem relatam, descripsit.

2. Aliquot item Halinardi gesta colligere licet ex variis donationibus, quas Benigniano monasterio ejus tempore factas recenset Perardus in Collectione chartarum Burgundicarum. Nonnullæ ex his memorantur infra a Chronographo, num. 10 et seqq. In charta Gerardi ducis pro Wulfereicurte, anno 1030, cœnobium sancti Benigni religiosæ monasticæ statu nostris temporibus famosissimum sub Halinardo abbate dicitur. In charta Hugonis episcopi Lingonensis ecclesia Sancti Petri in villa Mora monasterio cognomento Pulchrada vel Saxonis Fontanæ, redditur, ut isdem locus monachili dignatione reformandus meliorandusve Halinardo tradatur. Bruno Tullensis episcopus, postea Leo IX, Bertiniacicurti duo altaria dedit in ecclesiæ dedicatione, quam Halinardo et Widrico abbate Sancti Apri præsentibus fecit. Idem Halinardus Joanni Romano pontifici scripsit et sacri Palatii vestrario contra canonicos Divionenses, qui jus cœmeterii e Sancti Benigni burgo in castellum Divionense transferre conabantur. Has litteras et alias videsis apud Perardum.

3. Halinardi nomen in fastis sacris locum nondum invenit, ideoque venerabilem appellasse satisfuit; nec alio titulo a Bucelino donatur in Menologio Benedictino, die 29 Julii. Eum vero inter præmissos memorant Bollandiani, ad diem 26 Aprilis, quod ea die a Ferrario laudetur. Obiit tamen quarto Kalendas Augusti, ut ex chronographo nostro certum est. Et quidem ea die in libro obituum Ecclesiæ Lugdunensis notatum esse testem habemus Severtium, in Historia archiepiscoporum Lugdunensium, cui vetus nostri monasterii sancti Germani a Pratis necrologium consentit. Severtii aliorumque, qui res Lugdunenses scripserunt, errata in assignando Halinardi regiminis tempore refellere non vacat, cum ad hoc sufficiat hujus vitæ scriptoris textum, quem non viderant, proferre. Meminit Halinardi Hugo Flaviniacensis abbas in Caronico Virdunensi, ubi ordinationem ipsius anno 1026 consignat. De eodem agit auctor Chronici Besuensis, quem tamen non laudat, eo quod propagata ex Benigniano monasterio ad Besuense regulari disciplina, istud sibi Halinardus tum Divionensis abbas, sibi subjicere tentasset. Sed jam auctorem nostrum audiamus ex tomo I Spicilegii Acheriani, ubi Chronicum integrum ex codice ms. descriptum habetur.

INCIPIT VITA.

1. Domnus Halinardus in hoc loco prioris agebat officium; qui, sequenti tempore, etiam abbatis ac pastoris assecutus est nomen et meritum. Cujus memoriam dignum est nos assignare litteris, qui nos dulcibus ac paternis monuit institutis. Hic fuit oriundus Burgundia, nobilium virorum exortus prosapia. Nam pater ejus Lingonum, mater vero Heduorum civis exstitit. Ab ipsis infantiæ rudimentis studiis litterarum traditus, superna providentia gemina scientia efficacissime claruit. Amabatur paterno affectu a venerabili præsule Heduæ civitatis, Valterio nomine, cujus filius erat in baptismate; ac ideo educabatur ab eo majori diligentia, ut post aptaretur in domo Dei lucerna. Processu vero temporis, decursa pueritia, cum eum jam sibi vindicare adolescentia, a patre suo est traditus domno Brunoni Lingonum præsuli. Qui, cum liberali cernens ingenio valere, canonicorum studuit collegio copulare. In ea itaque urbe cum philosophos virosque audiret ecclesiasticos, divina inspirante gratia, nulli sodalium erat inferior in sapientia. Fecunditas eloquentiæ gravitate componebatur sapientiæ. Ex materia hujusce compositionis vas esse cœpit electionis, cumque foret animi ad cuncta capacis, nihil intentatum, nihil denique liquit inhaustum. Cum jam vestiri cœpisset vernantibus juventutis floribus, ita suam adolescentiam bonis instruxit moribus ut, eo tempore, am videretur monachus; integrum se et sincerum

omni custodia ab his observabat vitiis quibus contaminari solent homines hujus ætatis. Is enim imbui timebat, ne tenera in ætate his infectus esset quibus, cum vellet, carere non posset, juxta illud quod scriptum est : *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (*Prov.* XXII, 6). Bonorum virorum et maxime prudentium contubernio potitus, turpitudinis sectatores exosus.

2. Igitur cum pro sua omnibus chara benevolentia diligeretur a domno Lamberto Lingonum præsule, cuperetque eum idem pontifex collatis ecclesiasticis gradibus exaltare, ille, respuens labilem et caducam mundi gloriam, hoc studuit opere adimplere quod Dominus præcepit sermone : *Qui vult*, inquit, *post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI, 24 ; *Luc.* IX, 23). Spretis itaque omnibus terrenæ possessionis stipendiis ob spem futuræ repromissionis, habitum sanctæ conversationis sumpsit. Sed non ibi defuit probatio tribulationis. Parentes namque ejus, insequentes eum atque ab hoc monasterio per consensum episcopi vi abstrahentes, nudatum habitu monachi per publicum ita deduxerunt ut, pro hac verecundia, odiret quod tantopere amplectebatur. Sed nihil proficit callida ars maligni contra doctrinam sancti Spiritus ; nullo modo quippe valuerunt eum revocare a sua intentione. Verum, parvo transacto tempore fugam iniit, ut vel extra patriam posset perficere quod in patrio solo non permittebatur adimplere. Sed iterum insecutus et captus, ad episcopum est reductus, qui eum multis promissionibus et blanditiis demulcebat, si quo modo posset animum ipsius ab hac intentione revocare. At ubi vidit eum in sua persistere sententia, vix tandem permisit ei quod vellet agere. Sic itaque quod cupierat assecutus, deinceps alieno vixit imperio, et in nullo, quantum potuit, deviaret a sanctæ institutionis proposito. Is enim procul a se remotis hebetudine et murmure, singularis præ cæteris obedientiæ præeminebat virtute, implens illud in fratribus quod dicit sanctus Benedictus (*Regul.*, c. 71) : « Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est, sed etiam sibi invicem obediant fratres. » Enimvero beati Benedicti, cujus subjacebat discipulatui, imitator existens, sapientem Dei stultitiam est adorsus, juxta quod præcipit Apostolus : *Si quis vult inter vos sapiens esse in hoc mundo, stultus fiat ut sit sapiens* (*I Cor.* III, 18). Haud secus enim ac philosophi ad syllogismorum argumenta tota se conferunt mentis instantia, ita se contulit ad ea discenda quæ quotidianum per usum in monasterio sunt explenda. Quibus omnibus solerter sibi cura cognitis et experimento memoriæ commissis, videri jam cœpit doctior cunctis.

3. Hunc ergo ut in monachico ordine ita prudentem jam dictus pater Willelmus intellexit, congregationi fratrum præficiens, animarum curam eidem commisit. Quod ministerium tanta auctoritate tantaque adimplevit sollicitudine ut omnibus secum conversantibus et exemplo fuerit et terrori. Regulari quidem contentus conversatione, sic studebat parcimoniæ ut differre nullatenus videretur a societate communis mensæ. Aliquorum vitia dum conspiceret reprehendenda, prius in unoquoque laudanda canebat ; dehinc velut gnarus carpebat. Cunctos tamen sæpius admonebat, ut tales se Deo exhiberent interius quales humana opinio pro religionis habitu ferebat exterius. Per cuncta ergo monasterii probatus officia, omniumque ministeriorum obsequiis non segniter adimpletis, primum præpositi, sub ipsius abbatis imperio, quatuor annis administravit officium ; ad ultimum, post præfati patris obitum, pastoralem suscipere curam, doctrina id exigente justitiæ, ab omni coactus est fratrum congregatione. Quod, licet invitus et reluctans, acceptum ministerium, eum cultui vineæ manciparetur divinæ, ut hujus se assignaret colonum, commune utile multorum magis quærebat quam proprium. Cunctis benignus, omnibus æquus ; nemini nocebat, quibus poterat prodesse studebat. Sana quippe doctrina ei inerat, quia suæ conditioni quod competebat, illud solerter agebat, propter illud Apostoli : *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum ; sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros* (*II Cor.* VI, 4). Sanctis etiam et modestis sermonibus inditus, obscenis et turpibus omnino intercludebatur auditus, propter illud quod scriptum est : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Eccli.* XXVIII, 28). Adeo lectioni erat deditus ut in itinere positus libellum sæpius gestaret in manibus ; itaque in equitando reficiebatur animus legendo. Philosophos vero sæcularisque sapientiæ libros cum legebat, illud sagaci sectabatur industria quod per legislatorem divina vox præcipit de captiva. Hæc quippe quæ in philosophorum libris reperiebantur utilia, hæc sua dignabatur memoria ; quæ vero superflua, de amore scilicet rerumque sæcularium cura, hæc quasi venenata radebat et mortifera. Hic calvitium inducebat, hæc, unguinum more, ferro acutissimo desecabat. Ex lectionis ergo assiduitate Scripturarum informabatur auctoritate. Ita in canonicis ac monasticis valebat institutis ut nulli videretur secundus in legum decretis ac philosophicis argumentis. Tum virtute et sapientia compositus, fandi quoque honestissime copia ditatus, ita se coaptabat singulis ut omnibus esset diligendus, implens illud Apostoli : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (*I Cor.* XI, 22). Quidquid loquebatur, sapientiæ gravitate componebatur. Sermo ejus, sale conditus, quo virtutis pondere brevis et rarus, ea prudenti suavitate habebatur pretiosus. Ideoque quotiescunque ad ædificationem moralem faciebat sermonem, ut disertissimus, ita habebatur gratissimus. Gregem sibi commissum provida regens pietate, adversus pessimum sanctis omnibus inimicum concordi sanctoque certamine admonebat pugnare, et, eorum quisque quod possit operari, bonum non desistere, ne tunc vellet, quando non liceret. Illis etiam beati Joannis [*f.*, Pauli] sæpius inferebat monita, qui in sua ait Epistola : *Pacem sequimini cum*

omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum (*Hebr.*, XII, 14).

4. Diligebatur quam plurimum a regibus Francorum Roberto et Henrico. Sed et Conradus imperator et ejus filius Henricus Cæsar illum nimio venerabantur affectu; unde factum est ut, Lugdunensis sedis vacante antistite, ab ipso Henrico imperatore, eo quod olim sibi cognitus et pro religiosa conversatione ac fama sanctitatis erat valde dilectus, oblatus est ei illius episcopatus honor. Ipse vero grave pondus procellosi culminis per custodiam refugit humilitatis, obtendens se monachum ad tantum onus nequaquam fore idoneum. Erat tunc in clero Lingonensi quidam clericus, nomine Odalricus, ætate pariter ac sancta conversatione provectus litteris apprime eruditus, qui tunc in palatio regis aderat, sed tamen principi non plene cognitus. Huc domnus pater noster Halinardus suasit expetendum; quem et sapientiæ ubertas, et senectutis commendabat dignitas. Iis renuntiatis regi verbis, miratus vel quod oblatum honorem sacerdotii tam vilipenderet, vel quod in se denegabat, pro alio tam sollicite expetebat, assensit; et episcopatus dignitatem memorato domno Odalrico concessit. Quem ipse pater usque ad sedem deduxit; et quæque in obsequio illius competebant, ac si unus ex familia ipsius, procuravit. Qui rexit Lugdunensem Ecclesiam per annos quinque, verbo et exemplo bonorum operum instruens animos subditorum. Postmodum a quibusdam malevolis et invidis perpessus insidias, quem ferro non potuerunt veneno perimere non detrectaverunt. Sicque occisus, cæteris sanctis pontificibus ibidem quiescentibus est aggregatus.

5. Tum demum vox totius cleri, cum consensu populi, ut ad hoc culmen suscipiendum colla submittat hortatur, utque pastoris curam in iis gereret deprecatur. Ad imperatorem legationem mittunt, ut domnus Halinardus pontifex eis detur exposcunt. Imperatoris præceptum mittitur, ut domnus Halinardus intronizetur præcipitur. Sed ejus animus, robore firmatus divino, nequaquam ad hæc flectitur, quousque apostolici papæ conventus est litteris. Joannes, cognomento Gratianus (1), tunc residebat in sede apostolica. Hic ut comperit eum nolle acquiscere deprecantium votis, misit ad eum, præcipiens auctoritate pontificali, ut obediret precibus cleri et populi. Factus igitur apostolici compos et compar honoris, duxit apostolicam factis et nomine vitam. Eadem virtus mansit humilitatis, opere multiplicato charitatis. Omnia quæ agebat virtutum sapore condiebat; ut speculi fieri solet inspectione, ita se interius divina considerabat lectione et ex hac mentis ornatus componebatur; deformitatis vero si quid deprehendebatur, justitiæ moderamine corrigebatur. Disertis viris quoties jungebatur et de Scripturis, fieri ut assolet, aliquid proponebatur, libenter audiebat, prudenter, et verecunde respondebat. Prava vero si qua proponebantur, non acriter, sed ingenio pudore confutabat, non callida argumentatione contra se disputantem superando, sed per venerabilium doctorum exempla benigne docendo. Tunc dicta orthodoxorum tradebat ad medium, cum evangelicis auctoritatibus: atque in hunc modum et eruditissimus declarabatur, et elationis vel eruditionis jactantiam fugere videbatur. Jurare omnino cavebat, ne forte perjuraret; unde quid in palatio imperatoris egerit silendum non est.

6. Henricus tertius imperator Burgundiæ regnum gubernabat, Rodulfus enim Burgundiæ rex sine liberis existens, Henricum secundum Cæsarem hæredem regni fecit. Post quem ad Conradum pervenit imperium; hic sororem prædicti regis, nomine Gislam, habuit conjugem, de qua genuit tertium Henricum, cui ex successione paterna jure provenit regnum Burgundiæ. In cujus regni termino sita est Lugdunum civitas, quam Lotharius Francorum rex dedit in dotem sorori suæ Mathildæ reginæ, quam despondit Conrado Burgundiæ regi, patri supradicti regis Rodulfi. Igitur propter donum episcopatus domnus Halinardus, ad hoc electus, Henrici Cæsaris curiam adiit, et cum eo episcoporum, qui erant suffraganei, legati archidiaconi atque ipsum pastorem quærentes Lugdunenses clerici. Imperator, ut moris est, propter datum honorem episcopii, requisivit ab eo fidei sibi debitæ sacramentum. Horum verborum domnus Hugo archiepiscopus Chrysopolitanus erat sequester ac mediator. Ille his auditis verbis, respondit: Si Regis æterni, et regulæ, quam jurejurando promisi, præcepta postposuero, quæ mihi fides erit, ut imperatoris juramentum custodire debeam? Dominus enim dicit in Evangelio: *Non jurare omnino* (*Matth.* v, 34). Et regula (cap. 4) Patris Benedicti præcipit monacho « non jurare, et a sæculi actibus se facere alienum. » Hæc renuntiata regi; miratus et amplectens animo ejus constantiam, volens tamen probare perseverantiam, dixit nequaquam se illi dare pontificatum, si non obediret suis præceptis. At ille ait: Melius est mihi nunquam accipere sacerdotium quam transgredi Dei mandatum. At hæc episcopi illarum partium, et maxime Sigebaudus episcopus Spiræ, ubi hæc gerebantur, insistebant, dicentes: Quis est hic qui præsumpsit in palatio principis mandatis ejus non obedire, quod nostrum nemo unquam facere ausus fuit? Aut juret fidem regi, aut abjiciatur. Verum Theodericus episcopus Metensis, et Brunо Leucorum episcopus, ac Richardus episcopus Verdunensium, ipsius amici existentes, suadebant principi non debere pro hoc molestiam inferre religioso viro, cujus animum in fide et cæteris virtutibus constantem scirent. Ad hæc imperator ait: Suadete illum, si non vult sacramentum facere, vel ad hoc se proferat ut videatur fecisse, ne mos patriæ no-

(1) Hic Gregorii VI nomen accepit, qui anno 1046, cum Benedicto IX et Silvestro III de Romana sede pulsus fuit, iisque substitutus est Suidgerus Bambergensis episcopus sub Clementis II nomine, ut infra dicetur.

atræ annuletur. Respondit ille: Tantumdem est si simulavero ac si fecerim. Absit hoc a me! Imperator videns eum sic firmum, noluit amplius inquietare illum, solummodo verbo et promissis ipsius fidem assentiens, dedit ei quod petebatur; ac in sua præsentia fecit illum ordinari, dans ei quæcunque fuerunt sacerdotali benedictioni necessaria. Et non solum ipsi, vel cæteris episcopis, sed etiam levitis ac ministris altaris ita præparabat omnia, scilicet vestimenta, libros, linteamina, ac quæque necessaria ac si esset non princeps, sed famulus. Erat enim idem religiosus rex valde ecclesiasticus, et circa divinum cultum devotissimus.

7. Ordinatus est autem venerandus pater Halinardus per manus domni Hugonis archiepiscopi Chrysopolitani, in loco, qui vocatur Herbrestine, lingua Teutonica, quod in nostra *bonas mansiones* signat, anno ab incarnatione Domini millesimo quadragesimo sexto. Eodem anno perrexit memoratus princeps Romam, ibique tunc suscepit coronam imperii, die Natalis Domini per manus Clementis papæ, quem ipse imperator ordinari jussit, et fecit deponi Joannem, qui tunc cathedræ præsidebat, et Benedictum atque Silvestrum, qui in concilio tunc habito, examinata eorum culpa, inventi sunt non solum Simoniaci, sed etiam pervasores Ecclesiæ Christi. Huic concilio interfuit ipse domnus Lugdunensium archiepræsul atque memoratus Hugo archiepiscopus, aliique plures ex diversis partibus coadunati episcopi. Fuerat ei consuetudo Romam orationis gratia frequenter pergere, ut sanctorum apostolorum ac martyrum, qui urbem illam protegunt, patrocinia imploraret. Erat namque ejus voluntas, ut si fieri posset, ibidem Deo animam redderet. Quapropter non est fraudatus a desiderio suo, sed ut voluit, ita Dominus ei concessit. Defuncto memorato papa Clemente, Romani petierunt eum ab imperatore. Hoc namque a Romanis imperator, data pecunia non parva exegerat, ut sine ejus permissu papa non eligeretur. Ille cognita voluntate principis ac populi, dissimulavit ire ad curiam, donec tardante eo alter eligeretur. Diligebant enim eum valde Romani propter facundiam oris sui et affabilitatem sermonis; ita enim proferebat vernaculum sonum loquelæ uniuscujusque gentis, quousque Latina penetrat lingua, ac si eadem patria esset progenitus.

8. Domno igitur Leucorum episcopo Brunone, qui appellatus est Leo papa, ordinato (2), evocatus est ab ipso Romæ ad concilium domnus archiepiscopus Halinardus, simulque omnes episcopi Galliæ, ad pertractandum inibi de statu et correctione sanctæ Ecclesiæ. In ipso anno ipse domnus papa perrexit Franciam, et Remis habuit concilium episcoporum, ibique fuit cum eo prædictus pater noster; tuncque fuit translatum corpus sancti Remigii ab ipso domno apostolico et episcopis, qui ibi adfuerunt; et ipsa ecclesia sacrata. Tertio prædictus papa habuit concilium in urbe Roma, quo adfuit præfatus præsul, indeque iterum in Galliam properanti comes individuus exstitit. Veniens vero ad civitatem Lingonas, ordinavit ibi in præsentia papæ domnum Arduinum episcopum, pro illo qui fuerat ejectus. Rursum, sequenti anno, Romam pergens, cum ipso domno apostolico properavit Beneventum et Capuam, montem Cassinum, atque montem Garganum ad Sanctum Michaelem archangelum. Ideo namque prædictus papa perrexit illas in partes ut habitatores terræ illius, si posset, aliquo modo relevaret ab oppressione, qua nimirum erant gravati a Nortmannis. At quia domnus præsul Halinardus præpotens erat in verbis, et ad suadendum quodlibet lingua sufficiebat, propter hoc, ut mediator et legatus pacis inter prædictos Nortmannos et ipsum esset, domnus apostolicus secum duxit eum. Inde regressus, quoniam ad colloquium imperatoris, qui tum forte erat in finibus Hungariæ, properabat, jussit eum prædictus papa Romæ residere, donec ipse rediret. Erat in ejus comitatu dictus Lingonensis episcopus Hugo. Is pœnitens eorum quæ haud secus [*al.*, cæcus] egerat, domnum expetiit papam, ut de commissis modum pœnitentiæ et absolutionem delictorum imploraret. Ipse vero apostolicus, sicuti erat misericors et benignus animo, ut vidit eum vere pœnitentem et afflictum, condolens ei statim indulsit, dicens sufficere ad pœnitentiam ea quæ passus fuerat; abeuntem quoque, post absolutionem delictorum, muneravit amplissime, dans insuper licentiam recipiendi episcopatus.

9. Venientes ergo Romam, domnus Halinardus valefacturus ipsi et cæteris sociis, discubuit cum eis ad mensam, ubi oblatus est ei piscis a quodam falso amico, veneno infectus. Ex quo omnes qui perceperunt, tam ipse quam cæteri, vel infra octo dies mortui sunt, vel post longam ægritudinem consumpti obierunt. Duo monachi ex hoc loco, qui cum eo erant, hoc cibo interfecti sunt. Obiit quarto Kalendas Augusti, anno ab incarnatione Domini millesimo quinquagesimo secundo, peractis in pontificio annis septem, in regimine hujus loci annis viginti. Præcepit se poni ad sanctum Gregorium ad Clivum Scauri. Illum enim locum domnus papa concesserat ei ad manendum. Sed nobiles Romani, qui ad visitandum eum venerant, dum viveret, ad Sanctum Paulum jusserunt deferri corpus, ibique honorifice traditus est sepulturæ, ad lævam partem ecclesiæ, et arcus super tumulum ejus ædificatus (3). Omne ornamentum, quo utebatur ad sacrum ministerium, transmisit sancto protectori suo Benigno, cum non parva auri quantitate et vasis argenteis quæ erant in ejus officio. Auxit ornatum hujus ecclesiæ maxima ex parte, inter quæ crucem auream gemmis ornatam fabricari fecit. Libros etiam plures conscribi

(2) Leo sedem iniit anno 1049; quo item anno Remense concilium habitum fuit.

(3) Ejus epitaphium laudat Bucelinus in Menologio, duobus his versibus expressum:

Factus apostolici consors et compar honoris,
Duxit apostolica in factis et nomine vitam.

jussit, officinas hujus monasterii renovavit, et quanquam omnibus eruditus esset artibus, tamen in geometria et physica plurimum studebat. Quæ vero in hoc loco augmentata sunt in terris et possessionibus in diebus ejus, non est silendum.

10. Hugo Chrysopolitanæ sedis archiepiscopus, ipsius valde familiaris amicus, dedit ecclesiam sitam in burgo Salinis dicto, quam sui genitores a fundamentis exstruxerant; et est sacrata in honore sanctorum Symphoriani et Agathæ martyrum; sanctusque Anatolius confessor inibi quiescit. Cujus loci donationem posuit super altare sancti Benigni, die Natalis ipsius martyris ibidem missas celebraturus, atque coram omni populo qui convenerat, obligavit excommunicationis vinculo, qui illum locum subtraheret a dominio abbatis et monachorum Divionensium. Hæc donatio facta est anno ab incarnatione Domini millesimo trigesimo septimo, indictione quinta, episcopatus sui anno sexto. Concessit per episcopale privilegium alteram ecclesiam, in eodem burgo sitam, sanctæ Mariæ honori dicatam, quam ecclesiam Rainaldus comes dedit sancto Benigno, pro requie animæ patris sui Ottonis, vocati Willelmi (4), proque ejus largitione accepit a domno Halinardo pecuniam non parvam, dum adhuc prioris gereret officium.

11. Dedit prædictus comes Rainaldus in supradicto burgo locum ad ecclesiam construendam, in quo exstructa fuit capella in honorem sancti Andreæ apostoli; quæ, ex materia lignorum facta, per incuriam ad nihilum postea fuit redacta. Dedit in Evoregio terram, quæ fuit Theudeberti; quæ a monachis aliquandiu possessa est, sed propter contrarietates, quas Odilo quidem faciebat eis, intermissa ab his, usque dum possidentibus ipsis locum sancti Anatolii, iterum jam dictus comes restituit illis. Actum est hoc ab incarnatione Domini millesimo vigesimo sexto, post mortem Willelmi comitis qui ipso anno obiit. De habitatoribus vero ipsius oppidi, aliquanti clerici vel laici venientes ad conversionem monachicam in hoc monasterio, dederunt facultates suas sancto protectori nostro Benigno. Aliquanti, offerentes filios suos, similiter contulerunt de rebus suis; inter quos pater meus me offerens, exceptis aliis rebus, dedit secus A puteum domum et sedem unius caldariæ, quæ super solutione census data est postea ea conventione ut qui eam teneret quadraginta sex solidos omni anno persolveret.

12. Aliquanto post, transacto tempore, idem memoratus comes Rainaldus juxta castellum, Vesullum dictum, dedit ecclesiam in honore sancti Georgii sacratam, ut ibi construeretur monasterium, et quatuor monachi ibidem constituerentur qui, omni tempore Deo servientes, exorarent pro requie animarum patris sui, ac matris, fratrisque, ac pro semetipso omnique parentela. Dedit ad eorum stipendia vineas et terras, vel quodcunque fuit necessarium; piscationem insuper cum hominibus, qui de hoc ministerio sibi serviebant. Huic donationi præsens fuit memoratus archiepiscopus Hugo; deditque per baculum, quem ferre manu solebat, altare prædictæ ecclesiæ abbati Halinardo, et ob memoriam hujus rei commutaverunt virgas suas. Burchardus quoque comes dedit locum, Offonisvilla dictum, quondam nobilem abbatiam, et in honore sancti Leodegarii consecratam, atque monasticus ordo ibidem repararetur, deprecatus est enixius memoratum abbatem Halinardum.

13. Sed et Rotgerius dominus castri, quod vocatur Wangionumrivus, ecclesiam a patre suo Widone, in honorem sancti Stephani constructam, ea intentione largitus est, ut, expulsis canonicis, monachi ibi collocarentur ad serviendum Deo die noctuque. Rainaldus etiam possessor castri, quod Castellion dicitur, ad obitum veniens ac sumens habitum monachicum, dedit potestatem Sancti Juliani cum omnibus ad eam pertinentibus terris et mancipiis, atque ecclesia ipsius sancti nomini dicata, ubi petiit monachos constitui, qui pro ejus anima ac cæterorum fidelium exorarent Deum (5). Simili modo Albertus comes Metensis dedit villam, quam dicunt Wlfereicurtem, cum mancipiis utrinsque sexus. Ipse quidem in vita sua dare disposuit, sed eo mortuo Girardus dux filius ejus adimplevit (6). Necnon et matrona quædam, Letgardis nomine, soror Lamberti episcopi, dedit ecclesiam, sitam in villa dicta Islo, super Mosam fluvium in comitatu Bassiniacensi.

(4) Plura de hoc Ottone habentur in Vita beati Guillelmi Divionensis, quæ data est in priori hujus sæculi parte.

(5) Id factum est anno 1038, ut ex charta ea de re data patet, quam Perardus, cum aliis donationum hic memoratarum exhibet in sua Collectione.

6) Anno 1033, ex charta apud Perardum.

HALINARDI EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA

AD JOANNEM XIX PAPAM.

[*Vide in* JOANNE XIX, *ad an.* 1038, *Patrologiæ tom.* CXLI.]

EPISTOLA II.

AD EIQUDEM SACRI PALATII VESTARARIUM.

[Mabill. *Annal. ord. S. Bened.* IV. 729.]

Domno illo sacri palatii vestrario, primo sena-

tori, necnon unico Romanorum duci Eiquoco, suus nominetenus abbas continuæ fidelitatis servitium.

Quos veræ charitatis connexio ligat, longinqua locorum spatia nequaquam separant : quapropter celsitudini vestræ notescat me, licet longinquum corpore, mente tamen et spiritu vobis semper adesse; et non solum meipsum, sed et confratres meos sancto Benigno sedulo servientes, imo etiam ipsum seniorem nostrum salutem vestram in omni prosperitate sanctis orationibus fovere præsentialiter, quo me non immemorem beneficiorum vestrorum vita comite in proximo habebitis in servitium vestrum. Cæterum quoniam in vobis multum confidimus, quidquid nobis acciderit, fiducialiter manifestantes deposcimus ut, si aliquis noster vicinus æmulus aliquid machinari contra locum nostrum apud dominum papam voluerit, vos, sicut bene potestis, hos fieri prohibeatis. Nos enim nihil injustum petimus, sed antiquam legem loci nostri salvam insepultam, quam innixe conantur transferre, volumus. Sic vobis quondam notus, modo notior exstet, quem bene si cures, nos facies memores.

EPISTOLA III.

AD CANONICOS LUGDUNENSES.

(Circa an. 1051.)

Gal. Christ., tom. IV. append., pag. 8.]

Halinardus indignus episcopus dominis Lugdunensibus canonicis orationum suffragium.

Vestræ fraternitati notum fiat me carnis ergastulo exnendum in proximo, quapropter absentialiter præsens solotenus supplico communiter miserando indulgeatis quidquid negligentiæ in vobis contraxi. Namque si Dominus, quod facere potens est, præsentem mihi vitam concesserit, omne mei studium vestro profectui assidue invigilabit. Ad hæc de substituendo mihi pastore fidele do vobis consilium; nolite deinceps sicut hactenus hac de causa diversa et extera perlustrare loca; sed præmissis precibus atque jejuniis Omnipotentis clementiam deposcite, ut qui potens est suscitare filios Abrahæ ex vobis se dignum præficiat prælatum. Huic autem officio secundum hujus temporis qualitatem idoneus esse videtur Vin. præpositus : quem si ad id prælaturæ, ut spero, non potueritis flectere, sum enim testis suæ conscientiæ... hortor mihi succedere. Tandem omnia vere... velle et disponere. Ad hæc tibi, chari sime Ponci Senescalle, omnigena supplico prece quatenus bonorum meorum partem B. Stephano, partem vero Athanacensi monasterio pro meæ animæ salute tribuas, sum enim illis multum debitor. Porro ecclesiam de Veisa omnibus interdico ut nemo ibi habitet, vel laboret, aut divinum opus faciat præter Athanacensis, donec eamdem ecclesiam et terras quiete possideant sicut Rotbertus illis convenit. Deinde ipsi R. per fidem quam mihi spopondit mando quatenus octo unciarum auri medietatem, quarum mihi obnoxius est B. Stephano et alteram Athanacensibus pro mea redemptione seu gratia offerat. Interdico etiam et anathematizo auctoritate Dei Patris omnipotentis, et B. Petri omniumque sanctorum necnon mea, ut nemo contrarius existat Athanacensibus propter pecuniam Judæorum ibidem dudum interfectorum. Valete.

ANNO DOMINI MLII.

JORDANUS

LEMOVICENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex *Gallia Christiana*, tom. IV, pag. 514.)

Jordanus de Loron (*al.*, de Laron, uti legitur, et quidem melius, in Gestis pontificum Bernardo Guidonis auctore), S. Leonardi præpositus, vir nobilis, cum pagi Lemovicini optimates de Lemovicæ urbis episcopatu non sine simonia obtinendo decertarent, electus est episcopus in conventu habito apud S. Junianum a prudentissimo Aquitaniæ duce Guillermo, in fine Januarii. Electum dux, assumptis quibusdam episcopis et proceribus, in urbem Lemovicas deduxit, et in majorem S. Stephani ecclesiam, ubi eum pontificali honore gratis cum baculo pastorali investivit. Postea Jordanus apud Angeriacum Sabbato mediæ Quadragesimæ diaconus et presbyter ordinatus est, et Dominica sequenti consecratur ab Islone Santonensi episcopo, coadjutore archiepiscopi Burdegalensis, tribusque aliis, Bosone, Arnaldo et Isemberto episcopis. Deinde Guillermus ducis Willelmi filius, et Arnaldus Petracoricensis præsul, sedi

S. Martialis imposuerunt. Interim Gauslinus Bituricensis archiepiscopus, indigne ferens quod fuisset a Jordano contemptus (ab ipso enim suo videlicet metropolitano debuerat ordinari), collecta synodo coram Roberto rege, cui septem archiepiscopi cum suffraganeis episcopis adfuerunt, *totum Lemovicinum excommunicavit... ipsumque Jordanum ab officio episcopali prohibuit.*

Causabatur Jordanus vitandæ simoniæ causa, impositionem manuum, pro qua Gauslinus pecuniam requirebat ab alio petitam et acceptam. Nihilominus tamen, ut satisfaceret, nudis pedibus sedem Bituricensem adiit, cum centum clericis et monachis, omnibus similiter discalceatis pedibus. Cui archiepiscopus cum clero obviam venit, et quos prius ligaverat, eos honorifice adducens absolvit.

An. 1024, pridie Nonas Martias, indict. VII, approbavit fundationem cellæ de Liziniaco, auctore Hugone de Liziniaco viro nobilissimo. Ante profectionem Jerosolymitanam dedicavit monasterium de Arnaco in quo quiescit corpus S. Pardulfi, Idibus Julii, anno Dominicæ incarnationis 1028. Adfuit Guido de Turribus nobilis Lemoviæ, cum venerabili conjuge Engalsia [*al.*, Emallia], et Ademaro de Loron [Learum], Geraro, Ebolo Combornensi fratre Archambaldi, cognomine *Chamba putrida*, cum Adenaro filio Guidonis vicecomitis, auctore Gaufrido Vosiensi in Chron. cap. 9.

Eodem anno consecrata est basilica regalis Salvatoris Lemovicæ XV Kal. Decembris ab undecim præsulibus : Gothofredo archiepiscopo Burdegalensi, Jordano Lemovicensi, Isemberto Pictaviensi, Robone Engolismensi, Arnaldo Petraroniensi, Petro Gerundensi, Deusdedit Cadurcensi, etc. Anno 1031 adfuit concilio Bituricensis provinciæ, Lemovicis habito, in quo actum est de S. Martialis apostolatu, quem in Patrum cœtu propugnavit; tametsi prius epistolam scripserat ad Benedictum papam VIII de non accensendo apostolis hoc sancto. Ex his vero quæ Jordanus in præfato concilio peroravit, discimus anno 1029, vel potius 1028 habitam fuisse aliam synodum apud Lemovicas, in qua eadem causa disceptata et judicata jam fuerat, cui ipse aderat. De hoc S. Martialis apostolatu Joannes XVIII [*al.*, XIX, *vel* XX] scripsit ad Jordanum, docens eos insanire, qui hunc sanctum apostolum negarent.

In concilio anni 1031 Jordanus palam declamavit in milites qui res sanctuarii deprædabantur, et pauperes opprimebant; contra quos hæc anathemata protulerunt Patres : « Excommunicamus illos milites... maledicti ipsi et adjutores eorum in malum : maledicta arma eorum et caballi illorum. Erunt cum Cain fratricida, et cum Juda traditore... et sicut hæ lucernæ exstinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum exstinguetur in conspectu sanctorum angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem atque emendationem sive pœnitentiam dignam venerint in judicium episcopi sui. »

Anno sequenti Jordanus convenit adhuc ad synodum Pictaviensem commemoratam in Chronico Malliacensi. Anno 1047 facta est dedicatio S. Mariæ Santonensis a plurimis episcopis, inter quos Jordanus recensetur. Anno 1048 adfuit consecrationi ecclesiæ Userciensis cum Geraldo Petragoricens', et Guillelmo Engolismensi episcopis; tuncque testis fuit donationis factæ huic cœnobio ab Aalberga vocata Bonasia sanctimoniali, et filio ejus Bosone.

Ex chartario ecclesiæ Lemovicensis descripsimus ejusdem episcopi litteras quibus multa confert S. Stephano *ad Communiam* ; inviis autem leguntur ejus parentum nomina. Ex eodem chartario habuimus *concordiam* initam inter eum et Willelmum Pictavorum comitem. Jordani mors anno 1052 tribuitur. Sepultus est in divi Augustini templo.

Ademarus Cabonensis ei et multis tum episcopis tum abbatibus epistolam dedicavit apologeticam pro apostolatu S. Martialis, anno 1029, quem Mabillonius edidit tom. IV Annal., in appendice ; ex ea autem discimus non solum annum quo scripta est, sed etiam quo habita est prior synodus Lemovicensis pro asserendo hoc apostolatu, scilicet 1028.

JORDANI EPISTOLA

Ad Benedictum VIII Romanum pontificem, cui, defuncto Benedicto, responsum dedit Joannes XIX.

(*Vide in* JOANNE XIX, *ad an.* 1033, *Patrologiæ tom. CXLI.*)

JORDANI DIPLOMATA DUO.

(*Gall. Christ.* tom. II, Append., pag. 171, 172, ex chartario Ecclesiæ Lemovicensis.)

I.

Litteræ Jordani Lemovicensis episcopi, quibus multa confert capitulo Lemovicensi.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Jordanus, Dei gratia Lemovicæ sedis episcopus, humanæ fragilitatis considerans casum, de meo alodio quod hæreditario mihi successit, pro remedio animæ meæ parentumque meorum Marbodi et Odolgardæ uxoris ejus, et patri meo Geraldo et uxore Odolgardæ dono atque concedo S. Stephano ad sedem Lemovicæ civitatis, et ad canonicos ejusdem sedis in alodum in communia ad canonicos, sine omnium hominum contradictione, scilicet castello novo turrem superiorem et [*quod* domnioho *vulgo dicitur* doujon] ubi sedet, et domos, et illas pleiduras quæ ad meam pertinent divisionem, pratum superiore ad fontem, silvam quæ dicitur Serra, quartam partem capellæ S. Michaelis et S. Quintini cum omni terra quæ ad capellam pertinent, curtæ de Cursatea sicut est de fevum comitis Pictaviensis. Ipse Willelmus comes totum illum fevum dedit mihi in alodum extra episcopatum. Si quis vero hanc supradictam donationem contradixerit, aut calumniare voluerit, anathema sit, et cum Dathan et Abiron in infernum demergatur.

Signum Jordani episcopi, qui hanc chartam firmavit et scribere jussit. Hæc charta facta est mense Februario, regnante Henrico rege Francorum, et Guillelmo duce Aquitanorum.

II.

Concordia inita inter Jordanum episcopum Lemovicensem, et Willelmum comitem Pictaviensem.

Credimus non latere peritos priscæ constitutionis, quod summus opifex totius creationis ea conditione legis fabricam efficiavit hominis, quatenus cunctis præesset animantibus quæ moventur in terris. Omnes homines natura æquales genuit, sed amplifica Dei dispositione, cum quæque suo juri subjecta tenere quivisset, non natura accommodante, sed variante meritorum ordine, alios aliis culpa postposuit. Imo reges, comites, præsules aliis hominibus dominando præesse cœperunt, sicut dicit Psalmista : *Imposuisti homines super capita nostra* (*Psal.* LXV, 12); et beatus papa Gregorius : *Gratia Dei supra homines sumus.* His testimoniis Willelmus comes Pictaviensis confirmatus, causa pacis Lemovicam venit civitatem, et firmata pace in præsentia nobilium clericorum vel laicorum, tale cum episcopo Jordano, habuit conventum. Si comes Pictaviensis in episcopatum Lemovicæ sedis mitteret episcopum, nullo A modo esset factum [*f.*, facturus] sine electione et sine consilio S. Stephani canonicorum, et sine consilio Aimirici de Niolio, cum uno filio suo, si vivus erit, vel mortuus fuerit, cum duobus suis filiis, similiter cum duobus filiis Alduini de Nobiliaco si vivi erunt; si mortui sunt cum consilio illorum qui tenent istas turres de Niolio et de Nobiliacó. Propter commendamentum episcopi, hæc electio non sit facta propter lucrum terrenum, neque propter alicujus amicitiam, sed ad salutem S. Stephani Lemovicæ sedis, illis scientibus; et ille episcopus qui venerit post Jordanum episcopum, faciat talem securitatem et firmitatem qualem fecit Jordanus episcopus, et sui antecessores, ad canonicos S. Stephani de episcopatu et de communia illorum; aut talem securi- B tatem qualem ipsi inter se elegerint, et sine forcia. Comes Willelmus cum Jordano episcopo et cum canonicis S. Stephani tale habuit conventum cum juramento, ut de episcopatu nihil daret nec minoraret, nec suus successor qui post eum veniret; et si de hoc conventu congregatione Sancti Stephani male minasset, et in adjutorium infra XI dies contra illos homines non fuisset qui male fecissent, ac congregatione Sancti Stephani ut essent absoluti quod in sua fidelitate non starent, hujus rei propter adjutorium, comes Willelmus dedit obsides Aimiricum de Roncum, Albertum de Cambo; et si isti mortui fuerint, alios in locum illorum restaurent tantum valentes; et propter conventum et electionem episcopatus isti sunt obsides : Willelmus de C Roca, Guillelmus de Kartes, Ugo de Lacella, Geraldus de Volvent, filius Raimundi, Vivian de Brederio, Petrus de Niort; et si aliquis illorum mortuus fuerit, infra quindecim dies, si comes Pictaviensis submonitus fuerit, restauretur; et ille qui eos submonuerit, damnum non habet; et si ita non attendit infra XV dies postquam submoniti fuerint, in Castellum S. Stephani se mittant intus [*forte* quod] clausum est muro et fossato sine malo ingenio, et inde non exeant sine absolutione quinque clericorum qui sunt obsides... comitem Pictaviensem si vivi sunt, et si mortui sunt, propter absolutionem eorum qui honorem illum tenent, cum consilio aliorum quinque clericorum qui sunt in loco, et ad salutem S. Stephani, illis scientibus et de submonitione D non vetant.

Facta est ista charta tertio Nonas Aug., regnante Hinrico rege Francorum Willelmo duce Aquitanorum, Jordano episcopo Lemovicæ sedis; qui istam chartam scribere et firmare jusserunt.

ACTA CONCILII LEMOVICENSIS II [1].

Anno 1031, *die* 18 *Novemb. sub Jordano habiti.*

In quo agitur de apostolatu S. Martialis et multis ad disciplinam spectantibus. Intermiscentur ejusdem Jordani allocutiones ad Patres synodi, scilicet : 1° Narratio brevis de rebus gestis in synodo Lemovicensi anni 1028; 2° Homilia in hæc verba Lucæ : *Filius hominis venit quærere et salvare quod perierat;* 3° elogium monasteriorum diœcesis Lemovicensis.

(Apud Labb. *Concil.* tom IX, col. 869.)

SESSIO I.

Celebrata XIV *Kalendas Decembris.*

Factum est illo tempore ut Dei nutu in festivitate dedicationis templi Domini Salvatoris, quod est XIV Kalendas Decembris, congregaretur concilium apud urbem Lemovicam. Ipsa itaque dedicationis die, summo mane convenerunt omnes simul episcopi cum presbyteris et diaconibus, in ecclesiam beati protomartyris Stephani. Erat autem eadem basilica propter coadunatum concilium solemni more pridie ornata, sicut et ecclesia Salvatoris Domini, in qua anniversaria dedicationis festivitas ab omni Lemovicensi populo rite celebrabatur. Fuerunt itaque dispositæ in modum coronæ sedes episcoporum in eadem sancta Lemovicensi ecclesia, quæ est prima omnium ecclesiarum Galliæ. At ubi oratum est, et sederunt episcopi, data ab archidiacono lectione, Jordanus pontifex ait : *Gratia divina inspirante, vocatione nostra episcopi præsentes ad nostrum suffragium, de quibuscunque opus fuerit, dignati sunt venire, qua de re omnium vestrum, dilectissimi clerici, admonemus ut in hoc sancto concilio veritatem nullus scienter occultet, nullus timore aut favore, sive munere, sive odio, rectam perturbare præsumat justitiam. De ordine siquidem nostro in primis loquendum est, ut quæ corrigenda sunt, Deo opitulante, corrigantur, et superflua resecentur, probata vero ab omnibus corroborentur, quatenus inter nos unitas pacis firma permaneat. Scimus enim quia in scissuris mentium Deus non est, et Deus unitate gaudet; et illi gratiam ejus merentur habere, qui se ab invicem per sectarum scandala non dividunt. Si quis vero de aliquo sibi dubius esse videtur, aut forte de quacunque re cæteros putat reprehensibiles, exeat in medium, et libere dicat, ut aut doceat aut doceatur, et derogatio confundatur de fraternitate Ecclesiæ. Ideoque hic in nomine Jesu congregati esse videmur, qualiter justitia sibi inter nos locum inveniat, et injusta explodantur.*

Cumque de divinis strictim esset disputatum, iterum pontifex ait : *Dolorem cordis mei vobis patefacio, o venerabiles episcopi, et reliqui ministri Domini, et clamorem facio de sæcularibus potestatibus parochianis meis, qui Ecclesiam Dei quietam esse non sinunt, res sanctuarii pervadunt, pauperes mihi commissos et Ecclesiæ ministros affligunt, et me, qui eorum pastor sum, de pace audire nolunt.* Omnes episcopi uno ore dixerunt : « Qui conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille; dignum est enim ut tales, qui vobis contraire præsumunt, ab Ecclesiæ communione abscidantur. Nam quicunque vobis subditos conturbant, vos conturbant; qui autem vos conturbant, Christum conturbant, cujus vice episcopi legatione funguntur. Ideoque divinæ et apostolicæ severitate districtionis digni sunt; et a nostro concilio justo anathemate plectendi, quousque fructuose pœnitendo resipiscant. »

Tunc Odolricus, monasterii reverentissimus pater, sacris, ut juxta pontificem residebat, vestibus ornatus, in corona episcoporum exsurgens, facto silentio, dixit pontifici : « Rogamus, optime pontifex, reverentiam ordinis vestri, ut priusquam de quibuspiam conferatur, quæstio Ecclesiæ vestræ de apostolatu beati Martialis prudenter ventilata, hic secundum regulam veritatis pacem inveniat : hac enim præcipue de re ego et vos concilium hoc aggregare curavimus. Ecce vobiscum sancti præsentes episcopi in nomine Spiritus sancti adsunt, ecce in divinis et sæcularibus scripturis eruditi præsto sunt plures. Ecce quicunque nobis contradicere vult de hac re, qua beatum Martialem profitemur esse apostolum, et memoriam ei ubique in divinis apostolicam exhibemus, cum fiducia exeat coram vobis, et aut mendaces nos per rationem ostendat, et nos libenter ei acquiescamus; aut, quod Deo opem ferente credimus, veraces nos inveniat, et veritatem cum pace suscipiat. Toties vos rogavimus ut firmiter in omnibus ecclesiis et monasteriis per Lemovicinum statueretis hanc regulam, toties excusastis id vos minime agere velle, quousque post epistolam papæ Joannis in concilio apud hanc sedem causa a comprovincialibus episcopis audiretur, et dignum et justum atque rationabile fieri per antiquorum auctoritatem judicaretur, ne videlicet vos sine consultu vicinorum agere videremini episcoporum, ne elatus aut præsumptor diceremini a malevolis. »

Et pontifex ait : *Sicut primum a Romano papa, et*

(1) Fragmenta ediderat Binius post Baronium; nunc integrum in lucem prodit ex codice ms. bibliothecæ Thuanæ. — Anno 1031, non 1031, habitum esse invictissime probat dies ipse quo inchoatum est, nempe 1 Kal. Decemb., incidens, ut testantur hæc acta col. 1362, in fer. v.

iterum a consilio Bituricensi, in quo mea vos vice fuistis in capite hujus Novembris, absque præsentia mea probatum est et collaudatum atque confirmatum, sic volo ut modo præsente me in hac sancta sede beati Martialis dijudicetur juste et canonice, ut per tertiam istam auctoritatem totum schisma de omni Lemovicino deinceps tollatur edicto nostræ auctoritatis. In conspectu ergo episcoporum fiat examinatio de apostolatu beati Martialis, utrum vere sit apostolus an non.

Ad hæc apprime eruditus quidam Aniciensis ecclesiæ canonicus et presbyter Engelricus coram exsurgens, ait : « Ideo infinita indoctorum hominum multitudo contradicit eum esse apostolum, quia non est unus de duodecim; et dum crebro duodecim discipulos, vel duodecim sedentes super duodecim sedes audiunt, putant multi nullum esse apostolum, exceptis duodecim; nec alios septuaginta duos putant fuisse apostolos, sed tantum simpliciter discipulos. Sed contra hæc deferatur in concilium vestrum illius auctoritas viri qui Vetus et Novum Testamentum de Hebræo et Græco in Latinum fideliter transtulit, qui sacrorum voluminum expositor fuit, de cujus auctoritate dubitare quempiam nefas est, cum inter omnes doctores, post apostolos, fortior columna Ecclesiæ sit. »

Tunc delato et perscrutato codice, commentum Hieronymi super Epistola ad Galatas legere episcopi fecerunt coram se, ubi Hieronymus scribit, dicens (HIERON. *in caput* I *ad Galat.*) : « Quod autem, exceptis duodecim, quidam vocentur apostoli, illud in causa est, omnes qui Dominum in carne viderant, et eum postea prædicabant, fuisse apostolos appellatos, ut illud Pauli : *Visus est illis undecim, deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus* (*I Cor.* XV), id est septuaginta duobus, qui bini a Domino ad prædicandum missi sunt. Nam et alii ab his quos Dominus elegit ordinati sunt apostoli, sicut ad Philippenses ait : *Necessarium existimavi Epaphroditum commilitonem meum, vestrum autem apostolum mittere ad vos* (*Philip.* II). Et ad Corinthios de talibus scribitur : *Sive apostoli ecclesiarum in gloriam Dei* (*II Cor.* VIII). Silas quoque et Judas ab apostolis apostoli nominati sunt. »

Et subjunxit ad hæc Engelricus, dicens : « Si illi qui in carne Dominum videntes, eum postea prædicantes, apostoli sunt, quanto magis Martialis apostolus est, qui Domini in carne discipulus fuit, et in prædicatione maximus laborator exstitit et fructificator, ita ut Gallia signum sit apostolatus ejus? Scit omnis Aquitania Martialem esse primum illuminatorem Galliæ, cui contradicere nullus potest. Cum ergo discipulus Domini sit sicut et Cleophas, et hanc partem occiduam signum apostolatus habeat, indubitanter apostolus est eodem ordine quo et Paulus et Barnabas. Si tamen hæc melior inchoata institutio quibusdam dura esse videtur, propter usitatum sibi morem, quo ejus memoriam de confessore facere solent, tamen confidenter dico, hoc nemo contradicere aliqua ratione potest illis qui ejus memoriam potius de apostolo eligunt agere. »

Ad hæc quidam litterarum peritus, monasterii Masciacensis Pater Azenerius, exsurgens in conspectu episcoporum, testimonium perhibuit, dicens : « Quia inter grammaticos detritus ego, et postea in palatio, nunquam in nostris monasteriis per Franciam, Martialem, qui hanc primam ecclesiam ante omnes Galliæ ecclesias dedicavit, audivi recitare nisi cum aliis apostolis; et merito, quia ipse populos Galliæ primus in Christo Jesu per Evangelium genuit. At postquam, jubente rege Roberto, in solo Bituricensi monasterii ejus prælationem suscepi, ibi primum aliam de hac re indebitam consuetudinem reperi, quam mox amputavi. Quia mox in eo proprio quo Deus eum gradu posuit, hoc est inter apostolos, nomen et memoriam ejus ascripsi. Nam olim, antequam monachi habitum susciperem, dum, Hierosolymam proficiscens, apud Constantinopolim in basilica Sanctæ Sophiæ, Sabbato Pentecostes, solemni interessem officio, memini me audisse in litaniis Græcis Martialem inter alios apostolos post duodecim fuisse a Græcis pronuntiatum. »

Ad hæc Odolricus explicare cœpit, dicens : « Audiant me pontifices et seniores qui coram astant. Quod Martialis semper ab antiquitate in pluribus doctissimorum locis pronuntiatus sit apostolus, mihi necesse non est testificari, ne forte adulatorius judicer testis pro ejus Ecclesiæ regimine. Adsunt ab externis locis, qui ex hoc verum dent coram vobis testimonium. Non tamen est mihi tacendum quod, quando jam longe olim apud monasterium Sancti Benedicti in Francia per plures annos artibus imbuerer liberabibus, annosam monasterii legem reperi, Martialem in litaniis cum aliis pronuntiari apostolis. Pater illius loci Abbo florentissimus philosophia, quem multi vestrum noverunt, et omni divina et sæculari auctoritate totius Franciæ magister famosissimus, et postmodum gladio persecutoris martyrio coronatus apud Vasconiam, quid de Martiale scripserit, quod de eo testimonium perhibuerit, hujus urbis clero notum est. Exstitit post eum ipsius monasterii pater tum grandævitate, tum genere, cum eloquentia et disciplinis liberalibus clarus, ac demum levatus Bituricæ sedi archiepiscopus (2). Quod testimonium sancto Dei perhibuit ille, multi ex nostris noverunt. Adhuc enim vivente rege Roberto, cum antecessor meus Hugo in palatio ei apud Parisios assisteret cum multitudine nobilium et doctorum, altercatio inter Francos et Lemovicenses de re hujusmodi coram rege fieri cœpit : et ego ibi tunc præsens interfui. Dicebant isti : « Vos Franci non recte facitis, quia Martialem cum apostolis « pronuntiatis, nos recte agimus, quia eum inter « confessores recitamus. Vos ultimum apostolorum « dicitis, nos primum confessorum in litaniis dici- « mus. » Quorum litigium archiepiscopus supradictus Gauzlenus compescuit, dicens : « Ambæ hujus

(2) Gauzlenus abbas Floriacensis et archiepiscopus Bituricensi.

« rei partes nisi uniformes fuerint, altera pars altera
« parte justior est, et necesse est ut semper justior
« rationabilior [que] prævaleat pars. Nam omnes
« qui Martialem inter confessores pronuntiant, non
« bene juste, non bene perspicaciter agere mihi
« videntur; ille enim magis est sortis apostolicæ
« unus quam sortis confessorum. Idcirco non bene
« recte agunt qui nomen ejus auferunt de eo in quo
« Deus eum posuit gradu, et ponunt ubi Deus non
« posuit. Potius est apostolico de agmine quam de
« confessorum, qui post martyres sunt, serie. Uti-
« que si regis qui adest nomen non inter regum,
« sed comitum subjectorum vocabula diceret quis,
« aut rusticus diceretur, aut malevolus regis con-
« temptor. Et si simplicitate rustica id fieret, nil
« moveretur rex animo, sed rusticitati facile igno-
« sceret; si vero non simpliciter, sed contemptive
« diceretur, non dubium quin regis animus ad ira-
« cundiam pro contemptu suo accenderetur. Quod
« si in tali intentione contemptor persisteret, sen-
« tentiam contra se pro malevolo contemptu sentiret,
« nec tantum rex, quantum subditi comites ejus et
« principes et amici in contemptorem irati fierent.
« Revera scit omnis hæc regio quia ille prædicator
« Aquitaniæ de gradu non confessorum, qui post
« martyres sunt, sed apostolorum, qui ante mar-
« tyres sunt, existit. Ego autem, si nomen ejus de
« apostolico ordine auferrem, timerem ut apostoli
« Petri et aliorum indignationem hac in re incur-
« rerem, qui olim in mundo, et nunc in cœlo, col-
« legam et sodalem suum Martialem præclarum con-
« socium per sedilia apostolica habent. Et si nomen
« ejus permutarem in eum catalogum quo sanctum
« Benedictum, et Hilarium, et Martinum pronuntio,
« metuerem quidem iram S. Benedicti, et Hilarii, et
« Martini et aliorum incurrere, qui cum in cœlo
« gaudent ordine apostolico radiare. Illic nulla invi-
« dia, nullum litigium inter sanctos esse potest,
« quia regnat in omnibus unitas charitatis, et quod
« singuli per se non habent, per charitatem in om-
« nibus habent, ubi est Deus omnia in omnibus.
« Nimirum si alii apostoli sunt, exceptis duodecim,
« sicut et absque dubio sunt : ille utique apostolus
« est, qui omne donum gratiarum a Domino cum
« aliis duodecim accepit apostolis. Certe Martialis
« non est nunc, nec erit alius, quam olim quis fuit,
« et qui fuit, ipse est nunc, et ipse semper erit.
« Amicus Dei fuit, amicus Dei est, amicus Dei erit.
« Apostolus fuit, apostolatum habet (nam signacu-
« lum apostolatus ejus Gallia est), apostoli honorem
« in cœlo in æternum habebit. Apostolus officio
« fuit, apostolus est remuneratione, apostolus erit
« in æternum gloria et honore. Est carnaliter de
« genere Abrahæ, est discipulus Domini, est a Pe-
« tro baptizatus, Christo jubente, est eidem Petro
« regni clavicolario et protomartyri Stephano con-
« sanguinitate carnis junctus, est a Domino missus,
« est per insufflationem Domini Spiritu sancto conse-
« cratus, et potestate ligandi et solvendi sublimatus,
« est a Domino die ascensionis suæ benedictione
« episcopali sanctificatus, est in Sion in die Pente-
« costes Spiritu sancto repletus, omnium gentium
« loquelas novit, gentibus istis occiduis testimonium
« Dei vivi attulit primus, resurrectionis Christi invi-
« ctus exstitit testis. Ideoque ipsum crucifixum et
« resurrectionem in resuscitandis exstinctis semper
« testem barbaris præferebat, dicens : *In nomine*
« *Domini, quem Judæi crucifixerunt, et tertia die re-*
« *surrexit a mortuis, surgite qui mortui jacetis.* Ipsam
« testificationem Dei, ejus nomen resonare videtur :
« Martialis quippe interpretatur Græco nomine *te-*
« *stimonium*, sive *testis vitæ*, vel, sicut alii volunt,
« *virtus immortalis*, quia discipulum virtute resurre-
« ctionis de morte post sex dies Petri bacterio ta-
« ctum resurgere fecit; sive *virtus immortalitatis*,
« hoc est *prædicator*, vel testis illius qui rex sæcu-
« lorum immortalis solus habet immortalitatem,
« ideoque testificator resurrectionis Christi exstitit
« invincibilis. Plane si apostolus nullus est, exceptis
« duodecim, sicut Ebionitæ hæretici prædicant, et
« nefas est cogitare (ipsi enim nullum apostolum
« recipiunt præter duodecim, et Paulum repudiant,
« quia non est de duodecim, sicut Beda in Com-
« mentario super Marcum dicit), ergo Paulus et
« Barnabas non sunt apostoli, quod putare demen-
« tiæ est. Nos Franci morem quem patres nostri,
« qui primi monasterium S. Benedicti suo magiste-
« rio innormarunt, plena nobis ratione subnixum
« tradiderunt de hac re, ratum conservamus. Quis-
« quis nos hac in re imitari voluerit, rectam verita-
« tis lineam tenebit. » Quo perorato, archiepiscopus tacuit, et rex cum omni dignitate clericorum et principum qui sibi assistebant, dicta archiepiscopi collaudavit. Nos autem ubi regressi sumus ad hanc urbem, hac de re codices antiquos loci nostri perquirere confestim curavimus, et innumeros tam penes nos quam per diversas Aquitaniæ ecclesias invenimus, Martialem habentes scriptum apostolum. In antiquis etiam Martyrologii voluminibus duos ejus discipulos, Alpinianum et Austriclinianum, scriptos esse adhuc reperimus apostolos. Sic quippe legitur in vetustissimis quibusdam : *Pridie Kalendas Julii, natalis sancti Martialis Aquitaniæ doctoris et apostoli, cum duobus apostolis Austricliniano et Alpiniano, quorum vita signis et miraculis admodum effulsit.* Ne miremini autem quod in vestro concilio testimonium hoc protuli, reverentissimi præsules, quasi ipsos discipulos ejus recitari velimus apostolos : hoc enim nolumus, ne vilescat, ut aiunt quidam, nomen apostolicum, si tot apostolos Ecclesia proferat, cum hoc de ipso Martiale nonnullis ingratum esse sciamus. Verum hæc idcirco diximus, ut qui præsentes in concilio sunt, facile perpendant quia, si ante nos longe olim antiqui patres discipulos Martialis non dubitaverant fateri apostolos, multo magis eorum magistrum sciebant procul dubio et credebant esse apostolum. Interrogentur de ipsa an-

tiquitate majores monasteriorum per Lemovicense solum, ut impleamus illud propheticum : *State super vias, interrogate de semitis Domini antiquis, quærite quæ sit via recta, et ambulate in ea* (*Jer.* VI). Testificatur nobis Pater monasterii Tutelensis, quia, postquam ipse locus fundatus est temporibus Caroli Augusti, consuetum semper retinet morem memorandi Martialis apostoli. »

Interea Pater monasterii Solemniacensis Geraldus solemniter in concilio residens, sacris indumentis ornatus, ait coram omnibus : « Antiquissimos codices scio penes nos, antiquissimum habentes testimonium, Martialem esse apostolum ab antiquis prædicatum. Verum, crescente paulatim negligentia ecclesiasticorum virorum, cum alia quoque recta cœpissent depravari, hoc etiam depravatum est a junioribus, ut jam non vocaretur apostolus, quia non erat unus de duodecin (nam multi hodieque non advertentes, Paulum et Barnabam putant esse de duodecim), ideoque permutarunt ejus nomen per litanias de ordine apostolico in confessorum seriem, zelumque bonum habentes, sed non secundum scientiam, putarunt patronum suum melius honorari, si non ultimum apostolorum, sed primum confessorum dicerent, ideoque per ejus gesta in aliquibus locis confessorem eum scripserunt. Nam in vetustissimis codicibus probatum est hoc minime per ejus gesta scriptum. Hac de re consultius est eum per omnia scribi apostolum, quam pontificem sive confessorem, quia sancti apostoli qui episcopi fuerunt, sive occisi sive non occisi gladio, omnes et pontifices et confessores vocantur, dum apostoli vocantur, pontifices autem et confessores innumeri sunt, qui apostoli non sunt. Si autem in consecratione episcopali episcopus vocatur apostolus, ubi dicitur : *Urbanus es, apostolus Christi es, sit Ecclesia mater tua, sint apostoli fratres tui, apostolatus tui gradum custodiant angeli*, quanto magis ille apostolus est qui ab ipso Domino missus et consecratus, et potestate apostolica, id est ligandi et solvendi, est sublimatus? Sed in concilium vestrum, o præsules, veniat Ambrosius Mediolanensis, fortis columna Ecclesiæ; audiamus ejus super hac re auctoritatem. Tunc delato codice lectum est in commentario super Epistola ad Timotheum, ubi Ambrosius dicit (3) : « Primo itaque « nascentis Ecclesiæ tempore omnes presbyteri vocabantur episcopi sive presbyteri, et omnes episcopi « vocabantur confuse et presbyteri sive episcopi ; « item omnes episcopi vocabantur apostoli. Cur ergo « nunc discreta sunt hæc vocabula, ut jam episcopi non vocentur apostoli, non presbyteri, sed « tantummodo episcopi, et presbyteri ante ordinationem episcopalem non vocentur episcopi, nisi « solum presbyteri? Episcopi qui post decessum « apostolorum Ecclesias regebant, cum viderent se « non eamdem habere quam apostoli habuerant « gratiam in potestate signorum, in virtute miraculorum, in resuscitatione mortuorum, grave sibi « existimaverunt vindicare apostolicum nomen, « ideoque hæc duo nomina ita inter se diviserunt, « ut majores sacerdotes vocarentur episcopi tantum, « minores vero sacerdotes presbyteri duntaxat appellarentur. Si igitur illi episcopi quondam post « apostolos virtute signorum apostolis qui Dominum « viderant inferiores vocabantur apostoli, quanto « magis ille apostolus est, et jure apostolus vocabatur, qui a Domino omne donum gratiarum cum « consortibus suis accepit, et in virtute signorum, « tanquam vere apostolus, præpotens fuit? »

Cumque sileret, dixit Petrus quidam presbyter : « Hoc idem testificatum est ante hos plures annos a Regembaldo patre monasterii Milbecensis. Nam cum vos, o venerande pontifex, in hac basilica per hebdomadam Pentecostes in vestra synodo, astante multitudine sacerdotum, resideretis, allocutus estis synodum, dicens : *Nobis nescio quæ novitas de patrono nostro Martiale orta est, mihi satis dura et gravis. Alii memoriam ejus de apostolo, alii de confessore agunt; alii testantur eum esse apostolum, alii coapostolum; quid ergo, fratres, in hoc sentitis?* At ille memoratus veneranda canitie, doctrina et moribus egregius, confestim admirando signare se cœpit signo crucis, et sic primus respondit : « Tale nunquam audivi quale nunc. Certe auribus meis, o pontifex, « majorem inducitis novitatem. In nostro siquidem « monasterio, et in cæteris in quibus a pueritia mea « usque modo per Bituricensem et Turonensem « provincias conversatus fui, nunquam audivi Martialem recitari nisi cum aliis apostolis. » Interea in concilio illo, cum quidam ex clericis Petracoricæ urbis cum patre monasterii Solemniacensis altercaretur, et diceret : « Eodem modo sanctum Frontum « possumus dicere apostolum ; » ille coram omnibus sic ei respondit : « Tace, inquam, frater; melius « est ut sileas : quia quando nos in scholis magistrorum mel et lac bibebamus, tu solam ruminabas fabam. Scripturam de sancto Fronto novam, « cujus tu auctoritate niteris, Gauzbertus noster « edidit lucri causa, qui sub hujus Lemovicæ sedis « episcopo Hildegario chrorepiscopus nobis exstitit. « Qua autem ratione ille potest esse apostolus qui « indigena Petracoricensis fuit? Profecto si ibi a « puero psalterium didicit, sicut in ejus gestis legitur, et ibi clericus est factus; jam ibi sacerdotium « et Christianitas erat, ubi scholæ Scripturarum divinarum, ubi clericatus ordo erat. Legitur eum « potius eremitam vixisse quam episcopum. Dicere « nescis quæ signa ille operatus est, ut Petracoricenses converteret. Potius ille eos Deo acquisivit, « qui omnem Aquitaniam cum Stephano principe « Galliarum ad fidem traxit. Neque Frontus, neque « Saturninus, neque Dionysius leguntur mortuos suscitasse. Et utique sine suscitatione mortuorum, sine « ostensione signorum primi gentiles non potuerunt « credere, dicente Domino : *Nisi signa et prodigia « videritis, non creditis* (*Act.* II). Item alibi dicitur

(3) Locus falso citatus.

« *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino* « *cooperante, et sermonem confirmante sequentibus* « *signis* (*Marc.* XVI). Apostolus nullus fuit, nisi qui « a Jerusalem profectus est, dicente Isaia : *De Sion* « *exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Isa.* II). « Itemque Dominus ait : *Oportebat Christum pati, et* « *prædicare in nomine ejus pœnitentiam et remissionem* « *peccatorum in omnes gentes, incipientes ab Hierosolyma* (*Luc.* XXIV). Et alibi dicit : *Eritis mihi testes in* « *Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad* « *ultimum terræ* (*Act.* I). Ubi autem est locus ubi « Frontus Georgium legitur suscitasse? Porro apud « Else monstratur semper locus ubi Martialis Austri- « clinianum suscitavit. Martinus Turonensis tantam « post apostolos gratiam a Deo legitur habuisse, ut « trium mortuorum suscitator fieret. Discipuli ejus « orbem lustrasse dicuntur, si quem forte tunc juve- « nem invenire potuissent in suscitatione trium mor- « tuorum Martino similem, nec invenire potuerunt. « Dic nobis, frater, quos martyres, quos confesso- « res, quas virgines legisti post apostolos ultra tres « mortuos suscitasse? Nimirum hac in re etiam « Martialis ostenditur vere apostolus esse, eo quod, « ut multam Deo gentilitatem acquireret, ut fructum « plurimum afferret, sex mortuos tanquam vere « apostolus suscitavit. Sex ipsos mortuos in testi- « monium veritatis possumus ostendere in quibus « jacent monumentis. Austriclinianum quippe, et « filium Nervæ, duosque idolorum pontifices, atque « armigerum Stephani, et filium Arcadii novimus « ubi quiescentes exspectent resurrectionem mor- « tuorum. Præter hos suscitavit puellam, quæ quasi « mortua facta erat dilaniata a dæmonio. Item pe- « nes Mauritaniam oppidum maritimum, qui ante « pedes ejus quasi mortui jacebant, ut cunctus po- « pulus mortuos eos crederet, novem simul viros « suscitavit. Veritatem dico, non mentior; nisi Mar- « tialis ab eo qui discipulis suis potestatem mortuos « suscitandi tradidit, tantam signorum gratiam ha- « beret, non tantam cœlo gentilitatem acquireret. « Talibus signis barbari facile potuere fidem et Chri- « sti nomen suscipere. Nos autem ita, Deo opem « ferente, in Ecclesia catholica constantes sumus et « solidi, ut, quamvis omnia hæc apostoli officio Mar- « tialis egerit, nullo tamen pacto eum fateremur « apostolum, hoc est legatum Dei, nisi hoc etiam « ab antiquis patribus nostris esset præoccupatum. « Nisi enim vere legatus Christi esset, hoc est a « Christo missus ad prædicandum, nunquam antiqui « olim eum faterentur esse apostolum, nunquam « nomen ejus cum nominibus aliorum apostolorum « nobis scriberent pronuntiandum. Hanc rem an- « tiqui codices a Francia, ab Hispania, a gente An- « glorum advecti demonstrant; hoc priorum tracta- « tus doctorum, qui in ejus laude quædam probe « ediderunt, indicat. Scimus quia Deus mendacio « non oblectatur, sancti ejus adulatione non gaudent. « Veritatem requirit Dominus, propter veritatem « sancti pervenerunt ad regnum. » Et, ne verbo meo A longiores faciam vos, o venerabiles Patres qui in hoc interestis concilio, hoc tantum breviter perstringam, quia nunquam usque ad hunc hodiernum diem, qui est quinta Sabbati (XIV *Kal. Decembr.*, *feria* V), factus est liber in toto orbe terrarum, qui in ordine apostolorum per litanias habeat scripta nomina Fronti, Saturnini, Dionysii, Juliani, Austremonii, Ursini, neque aliorum, qui post Martialem in Galliam venerunt, Patrum; Martialis vero nomen, ut jam dixi, et in vetustissimis Aquitaniæ et Franciæ, nec non et Hispaniæ, sive aliarum gentium libris, per innumeras litanias cum aliis apostolis inscriptum comperitur. Denique qui eum in duodecim apostolorum serie per Canonem missæ et per alia loca scripserunt, sicut Paulum, et Barnabam, B Lucam, et Marcum, et Cleopham, non utique id agerent, nisi eum vere apostolum scirent esse, de illo scilicet ordine quo dicuntur esse apostoli Paulus atque Barnabas. »

Ad hæc ex clericis Engolismensibus, qui tamen minus eruditus erat, quidam se opposuit, dicens : « Si nomen Martialis inveniretur in Actibus apostolorum, sufficeret nobis. »

Cui mox quidam eruditus ex ipsis Engolismensibus clericis, qui tunc ab Engolisma cum episcopo Rohone ad concilium venerat, obviavit, respondens : « Adjurare episcopos in concilio isto audivimus ne quis scienter hic taceat veritatem; ideoque de hac re non audeo quin tibi coram omnibus respondeam. C Nomina septuaginta duorum nec in Evangeliis nec in Actibus apostolorum inveniuntur, et Martialis procul dubio unus est de illis septuaginta duobus. Quando autem discipulus Pauli Lucas Actus apostolorum scripsit, jam ante triginta annos Martialis apud Aquitaniam erat. Tacuit Lucas de adventu Petri in Antiochiam, tacuit de adventu Petri ad urbem Romam. Si hæc duo tangeret plene, et Martialem non exprimeret nominatim, juste mirareris. Verum quia Petrus in Antiochiam, dehinc ad urbem Romam cum Martiale venit, et primum Antiochiæ, dehinc Romæ episcopus sedit, et quatuordecim annis ante Paulum venerunt Romam Petrus et condiscipulus ejus Martialis, et Lucas de his nihil dixit, nihil est quod mireris vel dubites. Si enim propter hoc D dubitas, quasi Martialis de tempore prædicationis Domini non fuerit, gesta ejus non credis; et idcirco merito brutum animal reputaris, si tot ac tantos et tales, Patres doctissimos, et priscos, et modernos, qui ejus gesta summa reverentia et susceperunt et suscipiunt, nutasse hac in re arbitraris. Quod autem a quibusdam dudum audivi, necesse est mihi in hoc concilio proferre. Nonnulli enim, nescio utrum vero an falso, opinantur Martialem esse illum adolescentem qui, secundum Marcum, in passione Dominum post omnes discipulos est secutus. Et hoc propterea opinantur eo quod tunc Martialis adolescens erat, et in Cœna nocte ipsa Domino ministraverat. Ætatis enim quindecim annorum erat, quando eum Dominus vocavit et baptizari a Petro

jussit. Alii autem illum adolescentem suspicantur esse Joannem evangelistam. Sic autem Marcus ait : *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, et tenuerunt eum. At ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis* (*Marc.* XIV). De qua re in commentario super Marcum Beda dicit (4) : « Hic adolescens, « sive Joannes, sive alius quilibet nobis ignotus « proprio nomine fuerit, certum est quia magnum « amoris ardorem in Dominum habuerit. » Item alii opinantur Martialem fuisse illum discipulum qui, secundum Joannem, notus erat pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum ; quod hac de re opinantur, quia de nobili fuisse legitur genere, ac per hoc cognitus pontifici. Alii autem hoc negant, et asserunt ipsum discipulum fuisse Joannem. Augustinus vero in commentario super hac re sic ait (5) : « Nescimus quis iste discipulus fuerit notus pontifici. Non enim possumus affirmare illum fuisse « Joannem, quia Joannes, ubicunque se commemorat, hoc adjicit, *quem diligebat Jesus* (*Joan.* XIII); « hic vero prætermittit. » Alios quoque vidi qui opinabantur Martialem ipsum esse Matthiam et similitudine nominis a lingua Aquitanorum ita facile cœpisse vocari, sive propterea quod non facile invenitur ubi corpus jacet Matthiæ. Ego autem pro certo teneo quod si non alius esset Matthias, et alius Martialis, uterque tam in nostris quam in Anglorum gentis libris minime in ordine apostolorum esset scriptus. Per litanias siquidem vetustorum voluminum Angligenæ gentis, quæ fidei rudimentum et ecclesiasticas institutiones a Gregorio papa percepit, Matthias et Martialis, uterque cum aliis apostolis inscriptus habetur. Proinde non ignorabat Gregorius non eumdem esse Matthiam qui et Martialem. Ego autem quemdam Græcum peritum interrogans, didici ab eo Matthiam Armeniæ Minori prædicasse, et ibi in pace migrasse. Sed libenter me audiat sacer Patrum conventus. Ante hos plures annos quidam ex fratribus de monte Sinai in hanc partem advenerunt occiduam Dei disponente nutu, moribus graves, doctrina catholicæ fidei profluentes, vita per omnia honesti, utriusque linguæ periti; qui, cum diu nobiscum Engolismæ fuissent exspectantes principem civitatis, et litteris Græcis et Latinis eos videremus ad unguem imbutos, super hac re interrogare curavimus eos. Eo tempore hæc regula de apostoli memoria in hac urbe frequentabatur, recuperata potius quam primo inchoata, viventibus rege Roberto et Gauzleno Bituricensi archiepiscopo. Ego autem Engolismæ positus, ubi etiam ab ineunte ætate educatus sum, dum inter alios quasi sciolus viderer, ante omnes et super omnes huic sane regulæ repugnabam, putans esse vanum et falsum, sive ex elatione descendisse, quia Martialem audiebam in hac urbe Lemovicensi prædicari esse apostolum : et incautus rusticorum opinioni meam accommodabam intelligentiam, putans neminem esse apostolum præter duodecim. Itaque illos conveni Græcos, sciscitans utrum Orientales Martialem nossent. Qui, alter Simeon, alter nomine Cosmas, consono ore responderunt, dicentes : « Utique Martialem novimus apostolum, unum de septuaginta duobus. » Quibus cum diceremus : « Nescimus præter duodecim apostolos; » interrogaverunt nos : « Habetisne, inquiunt, per istas « occidentales Ecclesias evangelistam Lucam, qui « scribit alios septuaginta duos esse electos a Domino « post duodecim apostolos? » Et cum diceremus utique haberi, sed illos septuaginta duos a nobis non credi fuisse apostolos, sed tantum discipulos, illi protinus nos fugientes, et signo crucis se munientes, cœperunt detestari vocem nostram, dicentes : « Discedite procul a nobis, miseri, quia hæretici estis, « cum non creditis verbis Domini, dicentis ad illos : « *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* (*Luc.* I). « Non creditis esse apostolos illos quos ipse incarnatus Dominus ad prædicandum misit? Duodecim « misit binos, et postea nihilominus binos misit alios « septuaginta duos. Græci semper Latinis sapientiores fuerunt, et Scripturæ Latinorum ex Græcorum fonte derivatæ sunt. Martialem proinde, « quem nos dicimus, ὁ ἅγιος Μαρτιάλιος, vere scimus « esse unum de illis septuaginta duobus qui cum « Petro Occidentem petiit ad prædicandum, cujus « gesta, et omnium septuaginta duorum, in monte « Sinai in eloquio nostro habemus. » Hoc ego testimonio a Græcis accepto cœpi mecum multa volvere, et, curiose antiquorum voluminum arcana rimatus, frequentius Martialem comperiebam ab antiquis pronuntiatum esse apostolum. Animadverti quoque Paulum et Barnabam, Silam et Timotheum, esse apostolos, non de duodecim, non de septuaginta duobus. Perspexi quia Timotheus discipulus Pauli a Hieronymo dicitur apostolus. Marcus etiam et Lucas, Silas atque Onesimus, et alii quidam per veteres scripturas dicuntur apostoli, et memoria illis apostolica exhibetur. Sic, Deo revelante, patenter intelligere cœpi vere illum esse apostolum, qui, genere Hebræus, Domini discipulus, Domini in cœna minister, Domini insufflatione Spiritu sancto repletus, a Domino potestate ligandi atque solvendi sublimatus, a Domino ad prædicandum missus, fructificator maximus in officio apostolatus existere meruit; et hanc regulam rationabilem, et auctoritatis antiquorum plenam, et Dei voluntate inspiratam, deinceps judicavi, et ex eo defendere totis viribus cœpi, quod totis viribus ante ignorans persequebar. Nam et episcopus noster Engolismensis Hugo, vir undequaque doctissimus, qui ante hos quadraginta annos migravit, cujus successor ante hos quatuordecim annos est defunctus, in quadam sua editione de Martiale hæc locutus est : « Illis, inquit, tempo- « ribus civitas Lemovica ante omnes et super omnes « Galliarum urbes eminebat, arcem regni Aquitanici « tenens : et pervenit ad eam beatus Martialis, qui a « Domino per legationem B. Petri gentibus Aquita-

(4) Bedæ sensus, non verba.

(5) Item et Augustini.

« nicis est destinatus apostolus. Qui, dum ad Burdi- A
« galam urbem ad prædicandum Vasconibus profi-
« ciscereturt, transitum per civitatem Engolismam
« habuit. Et diu illic demoratus, Engolismensem
« populum ad Deum vivum convertit, ejusque pri-
« mum episcopum nomine Ausonium, ex ipsa patria
« oriundum, quem ipse baptizaverat, ordinavit. »

Et cum quidam ex concilio dicerent : « Cur Dio-
nysius, qui longe post Martialem in Galliam venit,
in libro Actuum apostolorum nominatur, cum Mar-
tialis nominatim non ibi exprimitur? » Ille respondit :
« Quia Dionysius gentilis discipulus Pauli fuit, et
Lucas comes Pauli erat, qui in illo libro plus gesta
Pauli, quæ vidit, enarrat. Sed de nominibus eorum
qui tunc in prædicatione floruerunt, quid nobis vel
controversiæ vel utilitatis attingat non video, cum B
plures nominentur ibi, vel in Epistolis Pauli, quorum
memoriam in festivitatibus minime novimus. De Ja-
sone illo antiquo discipulo, de Philippo evangelista,
de Apollo, de Epaphra, sive de aliis ibi nominatim
expressis, nos quidem eorum mentionem per sin-
gula, quamvis speciatim, sive nesciamus sive omit-
tamus, illi tamen populi, quibus patroni dati sunt,
certum est memoriam eorum non seguiter venerari.
Nam, etsi Martialis memoria apud quasdam gentes
annua speciatim non agatur, nobis tamen Occiden-
talibus, qui ejus adventu illuminati sumus cœlesti
claritate, qui eum in cœlo et terra patronum occiduis
gentibus esse scimus, non ignobili recordatione sem-
per pro opportunitatibus habenda est gaudiorum. C
Porro autem de Dionysio Areopagita, qui in Actibus
apostolorum memoratur, putare solebam ipsum esse
qui in Galliam cum Rustico et Eleutherio post decessum
apostolorum Petri et Pauli et Martialis venit,
donec nuper contigit mihi fortuito legere commen-
tarium Bedæ super libro Actuum apostolorum, ubi
ita scriptum est (Beda *in Act.* xvii) : Dionysius iste
Areopagita ipse est qui postea Corinthiorum episco-
pus factus, gloriosissime Ecclesiam rexit, et eloquio
clarus multos libros ad utilitatem Ecclesiæ scripsit.
— Hujus Dionysii Hieronymus in Chronico suo men-
tionem faciens dixit (6) : « Dionysius Corinthiorum
« episcopus, eloquio clarus, sub Antonino floruit im-
« peratore, quo tempore Polycarpus discipulus Joan-
« nis evangelistæ passus est : sub Trajano vero, qui D
« quintus post Vespasianum imperavit, Joannes apo-
« stolus in pace quievit, et Clemens papa, in mare
« mersus, martyrio coronatus est. » Hujus Diony-
sii Gregorius in quadam homilia meminit, dicens
(Gregor. *homil.* xiv *in Evang.*) : « Fertur Diony-
« sius ille antiquus venerabilis Pater Areopagita
« dicere, quod ex minoribus angelorum agminibus
« foris ad explenda ministeria vel visibiliter vel invi-
« sibiliter mittuntur. » Hic autem de Francia Diony-
sius, unde fuerit oriundus, in passione sancti Mar-
celli fideliter memorari mihi videtur : sic enim ibi
habetur : « Puer quidam Marcellus sub doctrina
« beati Sixti erudiebatur, cumque suppliciis Sixtum
« episcopum videret puer macerari, cœpit timere.
« Tunc sanctus Laurentius corroborans ætatis ejus
« infantiam, ait ad eum : Marcelle, genitor tuus
« Ægeas noluit Christum credere, nam mater tua
« Marcellina, et fratres tui Saturninus et Dionysius,
« jubente sancto Clemente papa urbis Romæ, parti-
« bus Galliarum, ut ad fidem Christianam gentes in-
« struerent, directi sunt. Vade ad eos, ut non pereas
« in manu Decii. » Et infra dicitur : « Profectus
« Marcellus cum Anastasio commilitone Christiano,
« ut iret ubi erat frater suus Saturninus episcopus,
« pervenit usque ad Argentomagum, ubi, a præside
« comprehensus, inquisitus est unde esset, aut de
« qua provincia vel civitate huc venisset, puer re-
« spondit : Christianus sum, ab urbe Roma exivi, et
« propero ad civitatem Tolosam, ubi fratres mei
« Saturninus et Dionysius commorantur. Cui He-
« raclius præses ait : Dic mihi vocabulum patris vel
« matris tuæ. Puer respondit : Pater meus Ægeas,
« et mater mea Marcellina nuncupati sunt. » — Sed
si velint episcopi, ipsa passio in concilium eorum
potest sine mora deferri. Hæc mihi non discrepare
videntur a scriptura quæ penes nos Engolismæ de
Dionysii gestis habetur. Ibi enim legitur quod Cle-
mens quemdam Philippum ordinaverit episcopum, et
Hispaniæ destinaverit ad prædicandum ; Dionysio
vero verbi divini semina gentibus tradidit erroganda ;
quem in Galliam misit, sociosque ei Saturninum,
Marcellinum et Lucianum, atque Rusticum et
Eleutherium adhibuit. Qui cum simul pervenissent
ad portum Arelatensium civitatis, Marcellinus in
Hispaniam abiit, Saturninus autem Tolosam profectus
est, et Dionysius cum Rustico et Eleutherio Parisios
adierunt. Lucianus vero presbyter ad Belvacensem
profectus est urbem. Julianus quoque Cenomanen-
sis, ut in gestis ejus reperimus, genere Romanus
fuit. Saturninus autem, ut passio ejus docet tempore
Diocletiani et Maximiani, Decio Germanico et Grato
consulibus, passus est. Verum nonnullos audio in-
terdum movere quomodo non discrepet illud quod
apud Tolosam gesta ejus de tempore narrant, videli-
cet si in tempore Diocletiani et Maximiani, consu-
latu vero Decii Germanici et Grati, primo Tolosam
advenit, vel, quod verius esse mihi videtur, tempore
Decii, secundum passionem supradicti Marcelli, et
sub ipsorum principium tempore passus est, quo-
modo a Petro apostolo episcopus ordinatus et Tolo-
sam missus est? namque a passione B. Petri, quæ,
secundum puram veritatem Hieronymi, tricesimo
septimo a resurrectione Domini, hoc est decimo
tertio Neronis anno, exstitit, usque in primum an-
num Decii, fuerunt anni numero 182, et a primo
Decii anno usque in primum Diocletiani annum,
fuerunt anni 32. Fuerunt a resurrectione Domini
usque in ultimum annum Diocletiani anni nume-
ro 265.

Ad hanc vocem cum in concilio a quibusdam de
Chronicæ concordia, propter adventum Martialis in

(6) Hieronymus falso citatus.

Aquitaniam, subtilis inquisitio a clericis fieret, ille Engolismensis clericus adjunxit, dicens : « Hieronymi Chronica quæ mentiri non potest, si placet, in concilium deferatur, et super hac quæstione diligenter perspiciatur. » Itaque perscrutato libro locutus est : « Licet, inquiens, Beda in commentario super Actus apostolorum dicat Petrum quarto Claudii anno Romam venisse, et tricesimo nono anno post resurrectionem Domini passum esse, tamen, secundum Hieronymi Chronicam subtiliter supputatam, ita invenitur quod decimo octavo anno Tiberii Dominus passus est ; post Tiberium vero regnavit Caius, et post eum Claudius, cujus imperii secundo anno venerunt Romam princeps apostolorum Petrus, et condiscipulus ejus Martialis ; ipsius autem Claudii quarto anno Marcus in Ægypto, Martialis in Gallia, Dominum prædicare cœperunt. Post Claudium, qui imperavit annis 13, mensibus 7, diebus 28, suscepit jura principalia Nero, nihilominus annis 13, mensibus 7, diebus 28 ; nam 13 plenis annis regnavit, et quarto decimo plusquam medio mortuus est. Hujus imperii primo, rex Galliarum Stephanus Romam cum legionibus Gallorum ad eum perrexit, quemadmodum litteris per veredarios ei fuerat jussum. Ipsius quoque Neronis anno secundo, Paulus apostolus primitus venit Romam, hoc est quarto decimo anno post adventum B. Petri : necdum enim fuerat Paulus Romæ, quando Stephanus ad Neronem profectus est. Missus est autem vinctus Romam Paulus a Festo præside Judææ, quia Cæsarem appellaverat. Item anno primo Tiberii, Herodes tetrarcha apud Judæos cœpit regnare, qui regnavit per annos 24, id est usque ad primum annum Caii Caligulæ, qui fuit successor Tiberii, sub quo Herode Dominus passus est, fuitque frater Archelai, id est filius illius Herodis sub quo Christus natus est. Post Herodem vero tetrarcham regnavit Agrippa annis septem. Ipse est Herodes qui Jacobum occidit, et Petrum comprehendit ; et ab angelo percussus est. Cujus Herodis anno quinto, hoc est Claudii Cæsaris secundo, Petrus et Martialis, ut jam diximus, primo venerunt Romam. Post Agrippam Herodem, regnavit filius ejus alter Agrippa annis 26, hoc est usque in secundum annum Vespasiani, quando Judæorum regnum defecit. Post Neronem quippe imperavit Vespasianus, cujus tertio anno imperii Martialis apud Lemovicam quievit. Supervixit Petro quatuor annis. Anno enim 37 a resurrectione Domini, ut jam diximus, hoc est decimo tertio anno Neronis imperii, Petrus passus est ; et anno quadragesimo post resurrectionem Domini, hoc est tertio anno Vespasiani, Martialis assumptus est. Hæc omnia ita diligenter supputantur, ut, si secundum quosdam tricesimo nono anno post resurrectionem Domini Petrus passus est, ergo Martialis Petro supervixit uno integro anno, et crastina die, hoc est prima alterius incipientis anni die, cœlos cum Christo ascendit. Atque ipso anno quo basilicam, in qua ipse membris quiescit, in honore Petri apostoli dedicavit, post duos menses dierum temporalem mortem suscepit. Si autem juxta Hieronymum Petrus tricesimo septimo a resurrectione Domini, hoc est decimo tertio Neronis passus est anno, igitur Martialis Petro quatuor annis supervixit. »

Hæc et his similia de convenientia annorum cum satisfactum esset, et ille Engolismensis clericus iterum diceret quia nihil mirum si Martialem Lucas nomine proprio non exprimit, cum illorum septuaginta duorum nomina non ostendat, atque Petri adventum in Antiochiam et Romam nullo modo scribat, iterum Odolricus Pater allocutus est concilium, dicens : « Ne quis forte nos dicat nunc novum fateri apostolum, et hactenus non auditum : de apostolatus ejus antiquitate, eo quod jam olim præoccupatus ab antiquis et testificatus fuerit, iterum perhibebo testimonium verum, o venerabiles episcopi. Ecce duo sacerdotes ex fratribus nostris coram adsunt, quos olim hac ipsa de causa in Britanniam misi, ut Anglorum a Gregorio, ut reor, præfixam legem annosam diligentius perscrutarentur, et omni submoto mendacio ad nos referrent. Qui cum ad Anglos pervenissent, tam in Martyrologiis eorum quam in litaniis Martialem ab antiquitate reperiebant apostolum scriptum. Ad quoddam autem magnum devenientes monasterium, in quo primus Anglorum episcopus requiescit corpore Augustinus (compererunt enim ibi non haberi librum de actibus beati Martialis), per litanias tamen atque Martyrologia in eodem loco invenerunt eumdem patronum nomine apostolico decoratum. At cum a patre monasterii perquirerent, dicentes : « Ut quid Martialem in vestris « litaniis prædicatis apostolum, cum ejus gesta di- « catis non haberi penes vos? » ille respondit : « Quia ab illo, inquit, tempore, quo primo in hac « provinca Christi nomen auditum est, a patribus « hoc nostris observatum est, quorum nullatenus « immutare possumus traditionem. Scimus quippe « doctores nostros priores de Gregorii profluxisse « magisterio ; attamen sæpius inter nos conferre « indagando solemus quis iste est apostolus cujus « vocabulum in Evangeliis et in Actibus apostolicis « minime intuemur. Et quoniam, gestorum ejus « auctoritatem non habentes, de eo non parum « hæsitabamus, ideo nomen ejus crebro a memoria « apostolica eradere putabamus. Sed econtra cum « animadverteremus quia antiqui patres nostri non « incassum hunc nobis scripserunt apostolum, id- « circo nullo ausu ejus vocabulum a serie aposto- « lorum abolere audebamus. Vos autem peregrini « Galli, qui de ejus estis apostolatu, qui nobis ejus « actus enuntiatis, a nostris cordibus de eo omnem « omnimodis dubitationem abjecistis, et hac de re « dudum creberrime Deo supplicabamus certos nos « reddi. Nec in adventu vestro derelicti spe nostra « videmur ; imo exsultandum nobis est de tam « egregiæ virtutis Domini nostri Jesu Christi disci- « pulo. » Multa alia testimonia penes eamdem gentem Anglorum de hujus auctoritatis vetustate testes veraces narraverunt nobis esse comperisse.

Illud quoque mihi memorandum est quod ante hos A septem annos (7) rex Anglorum duci Aquitaniæ (8) regalia munera misit, simulque codicem litteris aureis scriptum, in quo nomina sanctorum distincta cum imaginibus continebantur. Quod volumen jam olim in concilio Pictavensi, dum hac eadem de re quæstio esset, idem dux Willelmus, litteris edoctus, in testimonium antiquitatis pontificibus ostendit. Erat enim ibi Martialis in aliorum apostolorum catalogo positus. Qui peritissimus princeps dicebat archiepiscopo Burdigalensi, et aliis qui ibidem aderant episcopis : « Conjicere, inquiens, possumus « quàm egregiæ auctoritatis sit beatus Aquitanorum « patronus, de quo Gregorius in illa sui laboris « gente hanc legem tradidit observandam. Nimirum « imperitorum est dubitare de quo sanctus papa B « Gregorius non dubitavit. Videtis ecce, o episcopi, « in hoc codice, qui apud Anglos scriptus est, præ- « termissum esse Timotheum, et Cleopham, et Silam, « et alios, quorum nomina in Evangeliis, et in Actibus « apostolicis sive in epistolis Pauli leguntur, quos « apostolos dicitis præter duodecim esse; non tamen « prætermissum esse illum nostrum patronum, qui « primus Galliarum fuit episcopus, cujus nomen in « Evangeliis reticetur, ut scilicet vere illum Dei « fuisse sciamus discipulum in carne, et cum duo- « decim prioribus electis discipulis maximam a « Deo accepisse apostolatus gratiam, hanc gentem « occiduam possidendi signum apostolatus in æter- « num. Hoc autem in Martiale fieri videmus, quod C « etiam in Barnaba, Luca et Marco et antiqui fa- « ciebant, et moderni hactenus faciunt. Nam eorum « alii memoriam de confessoribus, non de apostolo- « lis, agunt, ea tantum causa quia non sunt de « duodecim, alii autem rectius arbitrantes, non de « confessoribus, sed de apostolis eorum agunt re- « cordationem, eosque apostolos prædicant; ideo « quia, de Israel genere secundum carnem pro- « creati, ad prædicandum ab aliis apostolis missi « sunt. Ita et qui Martialis mentionem de confes- « sore agunt, idcirco agere videntur, quia non fuerit « unus de duodecim. Qui vero ejus de apostolo recor- « dantur, rectius autumant, quia, quanquam unus non « sit de duodecim, ex genere tamen Abrahæ, hoc est « de tribu Benjamin, ortus, Dominum in carne vi- D « dens, ejus fuit discipulus. Omne etiam donum « gratiarum cum duodecim a Domino accipere « promeruit. De cætero a Domino per beatum Petrum « ad prædicandum Galliis missus est, ubi clara habet « apostolatus signa: prædicationis quippe fructifica- « tio maxima illi inter alios apostolos exstitisse pro- « batur; siquidem, præter Paulum et illos duodecim, « nescimus tanta copia fructificasse alium apostolo- « rum, quanta Martialis prædicando fructificavit.

« Hæc et his similia cum super his dux perora- « sset, ejusque verbo nullus contraire quivisset, qui- « dam clericorum de eruditis ait ad eos qui sedebant « in concilio : « Non ignoramus quia Matthias de « septuaginta duobus dudum fuerit, et post per « constituentem Petrum unus de duodecim exstiterit. « Verum alter, quem sors in duodenario non acce- « pit, nihilominus tamen de eorum ordine qui ex- « ceptis duodecim erant, apostolus permansit. Ipse « est enim postea dictus Judas apostolus, qui tunc « Joseph Justus sive Barsabas dicebatur. Ipse deni- « que est qui cum Sila apostolo ab aliis apostolis « missus est : unde Hieronymus divinæ legis inter- « pres scribit, dicens : Silas quoque et Judas ab « apostolis apostoli appellati sunt. Si ab apostolis « illi appellati apostoli sunt, ergo vere apostoli erant; « priores enim apostoli eos quos apostolos vocabant, « non incassum apostolos existimabant; nec appel- « lassent, nisi essent. Præterea Paulus apostolus, in « quo Christus loquebatur, exceptis undecim, non « appellaret apostolos, nisi vere apostoli exceptis « undecim essent. Non in vanum quippe, neque « mendaciter aliquod verbum locutus est Paulus : « *Apparuit*, inquit, *undecim, deinde apostolis omnibus* « (*I Cor.* xv). Hæc propter quosdam protuli, qui in « concilio verbum ventilant, dicentes : Quid enim, « si Martialis apostolus tunc erat, utquid minime in « locum Judæ ponebatur, quando Matthias eligeba- « tur? Sciant itaque non solum Matthiam, sed cum « eo et Barsabam ab apostolis electos et statutos, et « occulta sorte Matthiam, ut in locum Judæ esset, « assumptum; quatenus non jam undecim, sed « duodecim primi testes resurrectionis Domini « essent : Barsabam vero apostolico nomine minime « caruisse, quia alii præter duodecim jampridem « ad apostolatus officium destinati fuerant, di- « cente Domino : *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos* « *inter lupos* (*Luc.* x). Sane quis dixerit Martialem « non fuisse resurrectionis Domini testem? Nunquid « non Barsabas, quia unus erat de septuaginta duo- « bus, sicut et Matthias, sicut apostolus tunc erat, « ita deinceps apostolus fuit? Nonne ipse est, ut jam « dixi, qui nunc dicitur Judas apostolus cum Sila « apostolo? Etenim, quemadmodum Matthias prius « erat apostolus de septuaginta duobus, dehinc au- « tem unus de duodecim fuit, ita et Barsabas, ut apo- « stolus erat, apostolus permansit, licet non de duo- « decim. Eodem modo et Martialis, si unus de se- « ptuaginta duobus fuit, ergo tunc et apostolus erat, « et demum apostolus permansit, translato Matthia « in duodecimum. Ut autem quidam ait, apostolus « non numeri sed officii nomen est. Re autem vera « illi statuti sunt duo ad supplendum duodenarium « ordinem, qui a baptismate Joannis usque in diem « ascensionis opera Domini viderant, perfectæ ætа- « tis existentes. Si enim ipse Dominus non ante trice- « simum ætatis est exorsus prædicare annum, quan- « to magis discipulos duodecim oportebat non ante « ætatem perfectam testes Domini publicos Judæis « esse? Porro si Martialis, quando Dominus ascendit « in cœlum, necdum vicesimum ætatis annum attige- « gerat, quid in eo præjudicare possumus, quod mi-

(7) Cnuto hic erat cognomento Magnus.

(8) Willelmo.

« nime in locum Judæ substitutus fuerit, præsertim A
« cum anteriores duodecim testes vel grandævi vel
« perfectæ essent ætatis, hic autem nondum imple-
« tam corporis ætatem haberet? Si autem David,
« cum adhuc esset adolescens, a Domino electus in
« regnum, et eo jubente consecratione regia unctus
« est, tamen non ante regnare cœpit quam tri-
« ginta ætatis compleret annos, quid mirum si
« Martialis ætate adhuc adolescens unctionem san-
« cti Spiritus in potestate ligandi atque solvendi,
« et cætera gratiarum charismata ad officium apo-
« stolicum pertinentia, cum aliis a Domino accepit
« apostolis? Ubi jam enim pervenit ut integræ esset
« ætatis, hoc est annorum triginta, per beati Petri
« legationem Aquitanicæ gentilitatis apostolatum
« efficacissimo opere a Domino suscepit. Quod au- B
« tem Dominus jussit Petro ut dirigeret Martialem
« ad prædicandum provinciis Galliarum, idem est
« simillimum illi quo doctoribus Antiochiæ degen-
« tibus ait Spiritus sanctus : *Segregate mihi Paulum*
« *et Barnabam in opus quo assumpsi eos. At illi oran-*
« *tes et jejunantes imposuerunt eis manus, et dimi-*
« *serunt eos* (*Act.* II). Et sicut illi missi fuerunt a
« Spiritu sancto, quamvis per ministerium discipu-
« lorum, sic Martialis missus est a Domino in Gal-
« liam, licet per legationem et consultum beati Petri.
« Qui, vocante et eligente se Domino, ætatis quin-
« decim annos impleverat tantummodo, tribusque
« cum eo permansit, id est usque ad passionem et
« ascensionem, post adventum denique sancti Spi- C
« ritus super apostolos in Sion, annos quinque
« apud Judæam fecit, et post cum Petro Antiochiæ
« septem permansit : at vero dehinc sequenti
« anno, imperante Domino, Aquitaniam introivit,
« in qua per viginti octo annos prædicationi insti-
« tisse cognoscitur : siquidem tertio Vespasiani
« anno migravit. » His igitur verbis æmulorum
pertinacia cum pullulans esset facile exstincta,
omnesque peritorum acclamassent satis fuisse con-
veniens ætatis perfectionem, in illis qui duodecim
apostoli priores electi sunt, exstitisse : interim in illo
concilio Pictavensi super hoc capitulo cessatum est.

Subjunxit etiam idem venerandus senior qui hæc perorabat, dicens : « Quid multa necesse, dilectis-
simi? Nil profecto hic obesse conspicitis, quam D
illam minus congruam multorum consuetudi-
nem, non ratione perspicacem, sed incuria, ut
assolet, torpente, penes plures inveteratam. Quo
autem modo hæc quæ in multis invalnit traditio,
ex quo videamus fonte, descendit. Nostrorum equi-
dem patrum non incerta didicimus relatione quia
longe olim, imo ab ipsius discipuli Domini tempore,
quo, imperante Vespasiano, in pace occubuit, usque
in tempora nepotum Caroli Augusti, quando in mo-
nasticum canonicalis ordo, facientibus Pippino et
Carolo fratribus, filiis Ludovici, in quo ego rector
sum loco, permutatus est, eumdem, Christi disci-
pulum passim per Aquitaniam priores nostri cum
aliis recitabant apostolis, ejusque de apostolo men-
tionem recolebant, donec juniores, quasi melius ze-
lando, imo deterius sapiendo, cœperunt novitatem
inferre, dicentes: « Licet nobis patronum Aquita-
« næ de loco apostolorum, in quo nunc ultimus
« est, transmutare, ut sit nobis honorabilior, si
« primum in confessorum serie eum dicamus; sit
« nobis principium confessorum, non extremitas
« apostolorum: eligimus ut sit primus ante omnes
« confessores, quam ultimus in apostolis. » Hoc
itaque arbitrio humano nulla ratione fulto, paula-
tim usque ad hæc tempora nostra talis increvit mos,
non tamen in omnibus locis. Nonnullæ quippe Ec-
clesiæ hodieque hac in re antiquiorem retinere
videntur observantiam, quam licet alii permutassent
in terris, nullatenus tamen potuere ejus imminuere
neque obscurare gloriam in cœlis, ubi ingens apo-
stolicum decus, in glorioso rutilans apostolorum
choro, ante conspectum majestatis gloriæ Dei pe-
renniter possidet. Si ergo priora et antiquiora pa-
trum, secundum veritatem et rationabilem auctori-
tatem, Deo inspirante, recuperamus instituta, olim
humanis adinventionibus ablata atque depravata,
idque agimus renovando magis quam novitatem
præsumptivam tradendo, utquid culpamur velut
transgressores paternorum terminorum, de quibus
scriptum est: *Ne transgrediaris terminos antiquos*
quos posuerunt patres tui? (*Prov.* XXII.) Cur, inquam,
durum id aliquibus videbitur, si rectam veritatis li-
neam sequimur, si perspicaciores patres antiquos
hac in re imitemur, si minus acutos non sectari
dignum ducamus? Nonne hic pater Azenerius, at-
que Benedictus rector monasterii Clusæ Sancti Mi-
chaelis, pluresque alii doctissimi et reverentissimi
abbates et episcopi, tam præsentes quam absentes,
una cum Romana apostolica sede, huic sententiæ
testificantur nobiscum, bonumque id ac justum
Deoque beneplacitum ducunt? Cur autem multorum
opinioni incaute aurem præbendo obscurare, imo,
quod absit! infalsare tanti gesta patroni videbimur?
Qua enim ratione possumus eum negare fuisse di-
scipulum Domini, eumque in carne secutum? Sed
quisnam temere inficiari audeat eum a Domino ad
prædicandum missum, nec non et ligandi solvendi-
que cum aliis apostolis potestate promotum; par-
temque gentilitatis enormem in occiduo climate
specialem in sorte apostolatus, Christo jubente ac
donante, beatoque Petro consultum præbente, su-
scepisse? Omnia hæc de illo abnuunt, qui eum aut
non credunt esse apostolum, aut, si credunt, non
libenter suscipiunt. Illi, inquam, hæc denegare vi-
dentur, qui eum non quemadmodum Joannem
evangelistam, sed velut Silvestrum papam, aut
unum de his qui Dominum in carne non secuti sunt, vel
non viderunt, simpliciter confessorem autumant. »

Tunc quidam, moribus et ætate grandævus, ex
episcopis qui sedebant in concilio, Albiensis videli-
cet Ecclesiæ pastor Æmilius, facto silentio, dixit :
« Hunc Aquitanicæ patriæ coruscum illuminatorem,
qui ad hanc plagam patres nostros venit primus

salvare, quem Christus Dominus et beatus Petrus, alter imperans ut magister et Dominus discipulum et servum, alter exhortans ut condiscipulus et compropinquus condiscipulum et compropinquum, ad salutem et lumen gentium Galliarum, in tenebris et umbra mortis sedentium, direxerunt, justissimum et dignissimum esse omnimodis censemus ut, quo magis possumus, excellentiori habeamus honore, secundum tamen rectam veritatis normam. Hæc, inquam, in eo teneamus quæ non sint ultra veritatem : et quod verum et clarissimum illic est nec prætermittentes nec excedentes, quo eum mage valemus honoremus. Si enim vere a Domino ad prædicandum missus est, si discipulus ejus in carne fuit, si unus de illis est quibus dictum est : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* (*Luc.* x); qui eum negat apostolum, profecto constat quia veritatem prætermittit, imo impugnat. Si autem ita diceretur apostolus, ut de origine Israel discipulus Domini non esset, nec a Domino potestatem ligandi ac solvendi accepisset, ultra veritatem fieret transcensio. Ut si quis eum unum de duodecim dicat fuisse, ultra veritatem pertransit; qui vero ita eum dicit apostolum, tanquam a Domino missum, non de duodecim, sed de septuaginta duobus unum, sive tanquam Paulum et Barnabam, qui post Domini ascensionem electi apostoli exstiterunt : hic veritatem neque contemnit, neque transcendit, verum, nec ad lævam nec ad sinistram devians, per viam rectam justitiæ graditur. Igitur si pars aliqua probabilis antiquissimorum Patrum comperitur eum dixisse apostolum, et nomen ejus cum aliis pronuntiasse apostolis, bonum mihi videtur nos eorum indubitanter tramitem tenere, ut posteri nostri callem directum deinceps assuescere ipsum non cunctentur. »

Hæc et his similia eo dicente, alius ex episcopis, videlicet Isembertus Pictavensis Ecclesiæ rector, cœpit explanare, dicens : « Qui de hoc verbo controversiam parit, nodum in scirpo quærit. Nos non sumus Ebionitæ, qui non recipiunt præter duodecim apostolos, et Paulum quasi transgressorem legis repudiant. Sufficit ad confodiendos adversarios hoc telum acutissimum, hoc est sola beati Hieronymi sententia. Item mucrone validissimo Pauli apostoli, nulla arte aut vi unquam retundendo, omnis pars contentiosa perimenda est. Ait Paulus quia *apparuit Dominus undecim, deinde apostolis omnibus* (*1 Cor.* xv), ut sciamus apostolos fuisse omnes quos Dominus in carne adhuc degens misit ad prædicandum. Ait Hieronymus, ut in præsenti recitatum est lectione : Omnes qui Dominum in carne viderunt, eumque postea prædicaverunt, fuerunt apostoli, » et cætera. Liquido constat quia Martialis Dominum in carne vidit, et eum postea prædicavit. Bonum est eum dici apostolum, quamvis non malum sit dici confessorem. Nam et apostolus Petrus si dicatur confessor, malum non est, cum confessio veritatis semper sit communis per os omnium sanctorum, tam in Veteri quam Novo Instrumento. Cum hunc autem patronum bonum sit confessorem dici, melius tamen est eum prædicari et apostolum, ne latere videatur sub modio claritas ejus, qua Domini discipulus et sortis apostolicæ unus esse prædicatur. Qui autem contentiose eum dicit confessorem, ideo non bonum esse mihi videtur, quia quasi negare videtur ejus proprium, et inimicitias in Ecclesia parit. Ne igitur scissura in Ecclesia Dei hac fieri possit occasione, summopere est providendum ut omnes consono corde et ore unum id quod melius est pronuntient. Sola quæ obesse videtur auribus consuetudo, in melius accipiatur, et schisma ac murmuratio atque dubietas prorsus a nostro communi cœtu aboleatur. Quod si quis contraire præsumpserit huic pacificæ concordiæ, de contentiosis et schismaticis unus judicetur. »

Ad hæc venerandus ait Jordanus : *Multa, charissimi, ante hos annos hac de re facta est inquisitio, quousque hæc altercatio ad aures apostolicæ sanctæ Romanæ sedis perveniret, Super quo Dominus Joannes papa exemplar epistolæ nobis est dignatus destinare, magnopere testificans apostolatus ejus gloriam, et redarguens omnes qui eum contradicunt esse apostolum. Quæ epistola sacra conservata in promptu habetur, in qua facile claret testimonium verum Romanæ sedis.*

Cui Bituricensis archiepiscopus Aimo respondens, dixit : « Textum epistolæ papæ Joannis omnibus Galliarum episcopis directæ, ante hos quindecim dies in concilio Bituricensi, ubi plures episcopi congregati eramus, coram nobis recitare fecimus; ubi multa doctorum turba interfuit, qui, hanc disceptationem sub magna discretione examinantes, invenerunt sanum esse quod Joannes papa in Romana sede, et vos in hac quæ prima omnium Ecclesiarum Galliæ est, sancto Spiritu afflante, de hac justissima re institutistis. Nemo denegat eum fuisse unum de septuaginta duobus. Illis autem Dominus dixit : *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* (*Luc.* x). Constat ergo quos Dominus dixit apostolos, quia vere apostoli sunt. Et hunc protoducem Galliæ semper plures antiquorum non cum confessoribus, sed cum apostolis pronuntiasse visi sunt. Itaque, plurimo doctorum choro persuadente, coram omni populo, in majori ecclesia Bituricensi, testimonium perhibuimus beato Martiali quia apostolus veritatis est. Curavimus enim ne Romanæ apostolicæ sedis decreto et imperio repugnaremus. In testimonium vero veritatis, in eodem concilio tomum scribere rogavimus, quem manibus corroboravimus nostris, quatenus omnibus sit notum nos de hac re a Romana sede minime velle desciscere, quia non oportet. Porro verbum idem dum in Ecclesiæ totius conspectu concionaretur, illicio omnis populus quasi vir unus una voce Dominum benedixit, pro sui gloria patroni. Sicut igitur Romana testificatur Ecclesia, cui contradicere nefas est, et quemadmodum in prædicto Bituricensi testificati sumus concilio, ita in præsenti concione generali hanc sen-

tentiam justam et necessariam sanctæ Ecclesiæ testificamur esse. »

Tunc Deo amabilis Jordanus respondit (9) : *Hoc equidem verbum, qualiter ante hos annos, hoc est in primo anno dedicationis hujus Lemovicensis basilicæ Redemptoris nostri, quam hodie exsultanter hæc civitas nobiscum recolit, viventibus tunc doctissimo rege Francorum Roberto, et Gauzleno metropolitano prædecessore vestro, hæc sedes Lemovica non sine enormi auctoritate divina receperit, paucis memorare libet. Post multas enim hujus capituli altercationes, aliis assentientibus, aliis vero repugnantibus, cum super hac re factæ multæ essent litaniæ, ut hoc verbum, nisi Dei esset bona voluntas, in concordia hujus sedis minime resideret, advenit synodalis ad hanc ecclesiam conventus, ubi tertia die synodi omnis sacerdotum generalitas, ac cæterorum clericorum numerositas, una nobiscum nobilium virorum et legis doctorum adjuncta multitudine, credo Deo gubernante, unum cor et unam voluntatem hora diei tertia suscepit ; taliterque omnibus inspiratum est, ut pacifice, et libenter, atque voluntarie, bona obedientia, hæc susciperetur ab omnibus sententia, deincepsque immutabiliter per nostram diœcesin observaretur. Et bene placuit omnibus qualiter hanc Deo beneplacitam voluntatem acciperemus, ut, quemadmodum multitudini novitas videbatur, ita contra hanc altera quidem res nova, sed magnifica et gloriosa, adversus omnes æmulos confirmaretur. Aggregato itaque maximo populorum conventu, sacratissimum corpus patroni a suo levavimus tumulo, et piissimo obsequio transtulimus super hoc sanctum altare, quod in honorem protomartyris Stephani ipse consecravit. Facta sunt hæc Dominica Resurrectionis die* (10), *in ipsa solemnitate inventionis corporis beati Stephani, atque hujus sancti templi consecrationis, quod idem patronus primum in omni Gallia Deo dedicavit, dirutis, quæ in hoc loco pridem gentilitas coluerat, simulacris. Quæ res ita nobis convenire visa est, ut, sicut ille vivens hanc suam sedem totius Aquitanicæ gentis fontem baptismi et illuminationis evangelicæ fecerat, ita corpore suo eamdem visitando perlustrans, isthic nobis hujus daret initium observationis, hocque institutum membra in reliquum conservandum non cunctarentur, quod exordium in capite suo sumebat. Super hoc itaque altare eodem die mysteria in gloria apostolatus ejus solemniter celebravimus. Quod semper in reliquum celebrare tam hic quam per omnes nostræ diœcesis ecclesias et monasteria mandavimus, ut videlicet ulterius non in confessoris, sed in apostoli recordatione memoria patroni ab omnibus concorditer fieret. Hanc etiam diem statuimus habendam in recordatione omnibus annis, qua ad suam sedem egregius pastor translatus est, qua etiam die cathedra ejus, hoc est ordinatio, sive initium episcopatus ejus est. Non quod eadem die consecratus sit in episcopum (nam die ascensionis Domini consecrationem episcopalem cum aliis episcopis a Domino accepit, quando elevatis manibus benedixit discipulis Dominus, et ferebatur in cœlum), sed sicut est cathedra beati Petri Antiochiæ, itemque cathedra Romæ, non quod tunc consecratus sit episcopus, qui a Domino jam olim consecrationem susceperat pontificalem, sed quia tunc primum in illa die apud easdem ecclesias sedit, ad suscipiendum super populum Dei regimen pastorale: ita in hac die, quæ est tertia mensis Augusti dies, hanc domum de fano dæmonum fecit Christi templum, et in ipsa Ecclesia hac primum sedit, suscipiens in populo curam et regimen pastoris : quem duo sacerdotes Dei, Austriclinianus et Alpinianus, discipuli ejus, inthronizasse creduntur in hujus ecclesiæ cathedra, in testamento veritatis, ut ubi duo vel tres congregati essent in nomine Salvatoris, in medio eorum ibi Dominus esset. Nam et beatum Petrum Linus et Cletus discipuli ejus sacerdotes, imo cum eis idem beatus Martialis condiscipulus ejusdem beati Petri, apud primam Romanam Ecclesiam inthronizasse creduntur : quæ ecclesia prima, ut quidam dicunt, est apud titulum qui vocatur Ad primum, et est in honore levitæ Stephani primi martyris; ut alii autem ferunt, est apud Lateranis , quia ibi patriarchium est. Altera ergo die, quæ est post dedicationem hujus sacrosanctæ basilicæ, sive inventionem reliquiarum protomartyris Stephani , translatio patroni ad suam sedem, sive festivitas cathedræ ejus, ex eo tempore celebrari solita est in hac eadem sancta Lemovicensi ecclesia. Eodem vero die, consummatis cum tripudio mysteriis, et de apostolica commemoratione instituta fœderato cum pace inter se universo clero et populo, sacratissimum patroni corpus ad proprium retulimus monumentum. Posuimus autem sub anathemate eos qui in nostra diœcesi ulterius hanc inquietare præsumerent sententiam* (11). *Post multum vero temporis, cum in nonnullis per Galliam ecclesiis de hoc verbo murmur fieret, et quidam dicerent . « Quomodo potest apostolus esse qui in Evangeliis non dicitur, sed nec in Actibus apostolorum manifestatur ? » alii vero putarent nunquam hactenus dictum id esse, sed noviter a nobis primum, quod absit ! usurpatum esse, iterumque gravis altercatio pullularet, Deo dispensante, directa est nobis super hac re epistola ab apostolicæ Romanæ sedis papa Joanne. Tunc unanimi consulto decretum fecimus, ut propter hoc verbum iterum aut suscipiendum aut non suscipiendum, congregatio episcoporum atque peritorum virorum ad hanc urbem colligeretur. Si ergo decernitis hanc non suscipi debere sententiam , nec a me ultra suscipienda est, sed magis impugnanda. Si autem suscipitis, et ego ita suscipio, sicut ante susceperam, ut quicunque nostræ diœcesis in eo scandalum generare ulterius præsumpserit, tam vestra quam nostra coercentur animadversione.*

Tunc archiepiscopus ait : « Sicut jam dixi, et iterum nunc palam omnibus dico, quemadmodum Dominica.

(9) Acta concilii Lemovic. 1 an. 1029.

(10) Anno 1029, quo anno dies 3 Augusti erat dies

(11) Hactenus concil. Lemovic. 1.

Romana Ecclesia suscipit, et suscipi per textum epistolæ mandat, et hanc ipsam rem Bituricense concilium nuperrime collaudavit, sic laudo hoc bonum esse, et in pace suscipio, et hujus sancti concilii fraternitatem absque schismate suscipere id obsecro et exhortor. Si quis autem exhortationi nostræ non acquieverit, habeat judicem Deum, uniuscujusque conscientiæ testem. Verumtamen comprovinciales nostros necesse est, nisi susceperint, admoniti [*for.* admoneri ut] obediant Romanæ sedi capiti suo, severa auctoritate nostra compulsi. »

Ad hæc Jordanus venerabilis ait : *Ut video, quia hoc verbum in bona voluntate Dei a nobis cum pace suscipitur, gratias agimus Jesu Christo Domino Salvatori nostro; et benedictus Deus, qui hanc sanctam Lemovicensem Ecclesiam sacerdotio beati Martialis nobilitavit, et hanc gentem occiduam ejus fructifera prædicatione ab idolorum servitute ad veram libertatem retraxit. Ipsi Patri Domini nostri gratiarum actiones offerimus, qui noluit lucernam ardentem sub modio occultari, nec civitatem supra montem positam abscondi; sed quod ab antiquitate patres nostri priores probantur præoccupasse, nunc eventilatum prudenter in diebus nostris, largiri nobis dignatur luce clarius apparere. Vere cœlum et terra transibunt, sed verba et promissa Dei non præteribunt. Et si beatus Martialis lux mundi a Domino vocatus est, eadem promissio Domini impossibile est quin compleatur in eo, qui officio apostolatus et prædicationis claruit lumine magno. Ideoque in nomine ipso, jure rutilat fulgore apostolico.*

Iterum conversus ad archiepiscopum, locutus est, dicens : *Jam, si placet, venerabilis pater, absolvatur hodiernum concilium, ne populus festivus tædio moræ nostræ graretur. Crastina enim et tertia die de aliis disputaturi Deo erimus auxiliante. Nunc ergo simul omnes ad ecclesiam Salvatoris nostri procedamus, ubi nos multus exspectat populus, stationem ibi festam agamus et sacrificium pro solemnitate unus ex nobis Deo offerat. Nos quoque reliqui illic circumstabimus, et populum de præsenti concilio admonebimus, et pacificis benedictionem, bella volentibus maledictionem, secundum legem Domini proponemus.*

Ad hunc sermonem de sedibus suis surrexerunt episcopi, et cum timore Dei processerunt, ascendentes ad locum templi, ad audienda solemnia sacrosanctæ basilicæ. Rogante vero venerabili Jordano, metropolita Bituricensis sacro usus pallio ad celebranda sancta accedit. Inter laudes autem, quæ τρόποι Græco nomine dicuntur a conversione vulgaris modulationis, dum versus sanctæ Trinitatis a canonibus exclamaretur, illico omnes episcopi, cum archiepiscopo et diaconibus cæterisque ministris, ad maximum altare pariter accedentes oraverunt, mutuamque tam sibi quam ministris altaris pacem, ut mos est, dederunt; deinde per circuitum altaris in sedibus præparatis resederunt. Angelico interea hymno cum tropis, id est festivis laudibus, ornatissime expleto, primam orationem de solemnitate ecclesiæ dedit archiepiscopus; secundam, audiente omni ecclesia, de beati Martialis commemoratione annexuit. Quæ oratio in hunc modum continetur :

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Martialem apostolum ecclesiæ tuæ sanctæ præesse voluisti, quæsumus, nobis, ejus suffragantibus meritis, pietatis tuæ gratiam largiaris.

Quam orationem idcirco præsertim palam omnibus voluit protulisse, ut testimonii apostolatus beati patroni clarus assertor liquido patesceret. Quæ oratio, cum Secreta, et Præfatione, et ea quæ dicitur ad complendum, idcirco Gregoriana esse dicitur, quia a Joanne papa Romano ad Lemovicenses directa jamdudum fuerat.

Post Evangelium denique lectum, facto in plebe silentio, Jordanus pontifex, conversa facie ad plebem, astans coram altari in eminentiori loco, sic alloqui cœpit populum, dicens : *Audivimus, dilectissimi, verba sancti Evangelii : « Quia venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat (Luc. XIX). » Ideo enim Salvator dicitur esse Dominus noster Jesus Christus, quia omnes peccantes vult ad salutem revocare, dicente Apostolo : « Fidelis sermo, quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum (I Tim. I). »* Cumque de fide Zacchæi, qui defraudata reddidit in quadruplum, paucis dixisset, atque ad milites, deprædantes, sive per calumniam vel potentiam res sanctuarii et pauperum turbam opprimentes, ut fidelem Zacchæum imitantes ea juste restituerent quibus rapuerant, retraxisset sermonem, ad ultimum adjecit, dicens : *Ecce propter vestram pacem, dilectissimi, hic adsunt pastores Ecclesiarum, sancti fratres nostri episcopi, qui ad sublevandum onus mei ponderis, et vos salvandos atque pacificandos, dignati sunt ad hanc urbem convenisse, sequentes Domini nostri Jesu Christi exemplum, qui venit « quærere et salvum facere quod perierat. » Qua de una re cum illis moneo vos, obtestans in Domino Jesu, quatenus nemo vestrum illis inobtemperans existere præsumat, nemo sese a concilio isto excusando subducat, sed omnes principes et capita populorum ex Lemovicensi provincia in crastinum et tertium diem ad nos cum pace conveniant, et nullus a nostro cœtu communi secedat, nisi a nobis voluntario animo jussus. Convenientibus autem ad concilium, nemo alteri propter aliquas inimicitias nocere præsumat, sive in facultatibus, sive in domo ejus, neque dum hic steterit, neque dum ad propria redierit, neque ante septem dies postquam regressus fuerit. Nemo in hac congregatione seditionem generet, neque extra urbem : nullus aliquid per vim rapiat; nullus, ut assolet, quasi propter justas querelas, pugnam inire constituat; nullus hic expeditionem neque equitatum ineat aliquando agendum. Sed nihil aliud hic quam pacem quispiam inquirat, si forte pax nobis a Domino tribuatur quieta, quia hic conventus proprie conventus Domini est, ad inquirendum pacem, ad consolandam sanctam Dei Ecclesiam.*

Hæc qui observaverit, tanquam filio pacis, imo Dei

a Domino nostro Jesu Christo, et sanctis apostolis ejus, absolutionem conferimus peccatorum, et benedictionem æternam, ut sicut Dominus beato Petro, et huic beato Martiali, ad cujus sacratissimum corpus assistimus, cæterisque apostolis virtutem atque potestatem ligandi atque solvendi tribuere dignatus est, ita a peccatorum nexibus absolvere dignetur eos qui de pace et justitia Deo et nobis, qui ejus vice, licet indigni, fungimur, obedire festinaverint. Qui autem pacem nostram non susceperint, tanquam non Deum, sed diabolum sequentes, huic damnationi, quam modo coram recitare jubebimus, subjacebunt. Pax autem nostra ad nos revertetur, sicut Dominus in Evangelio ait : « *Si fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra ; sin autem, ad vos revertetur* (*Luc.* x). » Tunc jubentibus episcopis, idem qui evangelium pronuntiaverat diaconus, sic in tomo chartæ excelsa voce maledictionem coram populo in tribunali ante altare legere cœpit, dicens :

« *Excommunicatio in seditiosos.* Ex auctoritate Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti, et sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Petri apostolorum principis, et beati Martialis, et aliorum apostolorum, atque omnium sanctorum Dei. Nos episcopi, in nomine Dei specialiter congregati, Aymo archiepiscopus Bituricensis, Jordanus antistes Lemovicensis, Stephanus Aniciensis, Renco Arvernensis, Ragamundus Mimatensis, Æmilius Albiensis, Deusdedit Caturcensis, Isembertus Pictavensis, Arnaldus Petracoricensis, Rotho Engolismensis : excommunicamus illos milites de isto episcopatu Lemovicensi, qui pacem et justitiam episcopo suo firmare, sicut ipse exigit, nolunt aut noluerunt. Maledicti ipsi et adjutores eorum in malum : maledicta arma eorum, et caballi illorum : erunt cum Cain fratricida, et cum Juda traditore, et cum Dathan et Abiron, qui vivi introierunt in infernum. Et sicut hæ lucernæ exstinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum exstinguetur in conspectu sanctorum angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem atque emendationem sive pœnitentiam dignam venerint in judicium episcopi sui. »

Omnes episcopi et presbyteri candelas ardentes in manibus tenentes, mox eas in terram projicientes exstinxerunt. Ad quod verbum cor populi valde expavit, et omnes clamaverunt, dicentes : « Sic exstinguat Deus lætitiam eorum qui pacem et justitiam suscipere nolunt. »

His dictis, dominus Jordanus ait ad populum : *Hæc verba maledictionis eodem dicta sunt tenore nuperrime in sancto concilio Bituricensi in adversarios pacis. Quemadmodum autem inter Bituricenses, Deo donante, pax firmata est, ita inter Lemovicenses pacem fieri optamus.* Post hæc singuli episcoporum, et ultimus archiepiscopus, de pace populum monuere, dicentes : « Sicut pastor vester ecce prædixit vobis de pace, ita nos ejus dicta firmamus uno corde, et uno consensu, ex auctoritate Salvatoris Jesu Christi Domini nostri, et beati Petri, atque beati Martialis, sanctorumque aliorum apostolorum, quibus proprie a Domino collata est potestas ligandi atque solvendi. Quidquid hic pastor vobis a Deo datus confirmat, confirmamus, et quidquid destruit, destruimus ; ligamus quos ipse ligat, benedicimus quibus benedicit. »

His et hujusmodi peroratis, facto silentio, cum ad horam confractionis Dominici corporis ventum esset, atque ex more archiepiscopus benedictionem populo funderet, super beati Martialis nomine mentionem interseruit, ita dicens : « Benedicat et custodiat vos omnipotens Deus, domumque hanc sui muneris [numinis] præsentia illustrare, atque suæ pietatis oculos super eam die ac nocte dignetur aperire. Amen. Concedatque propitius ut omnes qui ad solemnitatem anniversariam dedicationis hujus basilicæ hodierna die convenistis, intercedente beato Martiale apostolo, et cæteris sanctis suis, quorum reliquiæ hic pio venerantur amore, vobiscum hinc veniam peccatorum vestrorum reportare valeatis. Amen. Quatinus eorum interventu ipsi templum sancti Spiritus, in quo sancta Deus Trinitas jugiter habitare dignetur, effici, et post hujus vitæ labentis excursum ad gaudia æterna feliciter pervenire mereamini, » *et cætera quæ in episcopali benedictione proferri solitum est.* Secundus tamen benedictionis ille versus in eo codice, sicut et in nonnullis aliis, nomen beati Joannis evangelistæ inscriptum continebat ; verum, ut dixi, ob loci festivitatis opportunitatem, convenienter et consulto hæc circumstantium peritorum assensu ab archiepiscopo in beati Martialis proprietate et gloria dicta sunt. Quod valde placuit omni Ecclesiæ summo amore et tripudio. Certissimum quippe tenemus ea placere Spiritui sancto, quæ plurimorum fidelium consensu in unam voluntatem conveniunt, juxta quod scriptum est : *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una* (*Act.* IV).

Claudente luce diem, finitis vespertinis solemniis, Æmilius pontifex, veneranda canitie angelicus, in eadem basilica, hanc, propter patrocinium beati Martialis, benedictionem dedit populo, dicens : « Omnis qui vos in apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vos dignetur, beati Martialis apostoli sui intervenientibus meritis, » *etc. quæ sequuntur.* Consilio autem inito, episcopi semetipsos altrinsecus monuerunt ut, tarditate remota, crastino valde mane, quod illuxit sexta feria, ad concilium iterato cogerentur in unum. Quod qualiter actum sit, sequenti lectione paucis perstringendo reservabimus, postulantes Dominum ut utilia quæ oculis ipsi vidimus, et auribus præsentes audivimus, memoriæ nostræ suggerere ad litteris mandandum dignetur Deus et Dominus noster Jesus Christus, cum quo est gloria Patri una cum Spiritu sancto, per immortalia sæcula sempiterna. Amen.

SESSIO II.

Celebrata XIII *Kalendas Decembris. — Inserta est enarratio rerum in concilio Lemovicensi* I *anno* 1019 *gestarum.*

Secundo interea concilii die, post anniversariam Dominicæ basilicæ solemnitatem excursam, surgentes episcopi ad psallendum ante lucem, atque cum aurora lucis daret primum initium ipsi diei, altaris mysterium Domino persolventes, valde mane, antequam clarius illucesceret, ad basilicam sanctæ sedis aggregati, congruenti et disposito ordine intraverunt ad concilium. Litaniam imposuit illis tribus diebus jam dictus domnus Azenerius, venerabilis pater monasteriorum sancti Martini Masciacensis, Sanctique Benedicti Floriacensis, qui una cum antistite Bituricensi ad concilium Lemovicense advenerat. In quibus litaniis beatum Martialem inter aliorum apostolorum nomina enuntiavit per singulos dies. Nam hæc illi et suis antiqua inerat consuetudo, sicut ipse cunctis in concilio publice prædicabat. Erat autem apprime liberalium artium peritus, qui dicebat valde fieri inconveniens, eum qui potestatem ligandi et solvendi a Redemptore cum aliis apostolis acceperat, inter eos sanctos qui non acceperant prædicari. Licet enim omnes episcopi potestatem habeant ligandi et solvendi, non tamen eam a Christo privatim alii acceperunt, nisi tantummodo illi qui eum in carne beatis oculis viderunt et secuti sunt, et ab eo ad prædicandum missi sunt; dicente Domino : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX). Porro cum orassent omnes in unum, et ab archidiacono data esset congrua lectio, et deinde consequenti ordine ab eo qui verbum declamatorie jubentibus episcopis fecit, doctrina ex Scripturis divinis et de fide catholica promulgata esset : iterum inter episcopos sermo habitus est de veritate requirenda, et usque ad mortem observanda, de fallacia notanda et ad nihilum redigenda, de justitia, de pace, de Patrum statutis inviolabiliter tenendis.

In primis itaque, antequam de aliquibus inter episcopos confabulatio fieret, exstitit ex majoribus quidam qui archiepiscopo diceret : « Quosdam, charissime Pater, ex clericorum ordine in hac sede et in hac urbe modo esse deprehendimus, qui non ratione, sed levitate vestris non obsequi parant verbis, quibus hesterno concilio agitatum est de beato Martiale Aquitaniæ doctore, ut potius inter apostolos quam inter confessores pronuntiari ab omnibus recte debeatur. Super qua re quidam adhuc, velut novitatis nacti occasionem, murmurant in angulis. »

Cui archiepiscopus ita respondit : « Nullus nostrum ignorat, hesterno [die] coram omnibus rationabiliter esse definitum, quod beati Martialis legationis testimonium ab antiquis præoccupatum et testificatum sit; et quia, sicut caput nostrum Romana sancta apostolica sedes comprobat, ita nos ejus membra hoc idem debemus suscipere, et omni veneratione amplecti; et quia qui potestatem ligandi atque solvendi proprie a Christo, in terris in carne adhuc degente, acceperunt, absque dubio apostoli sunt; et quia nemo contradicere vero potest, beatum Martialem a Christo in terris in carne adhuc degente potestatem ligandi et solvendi cum reliquis apostolis accepisse. Sancti etiam doctores et patres nostri antiqui, columnæ Ecclesiæ fortiores, proclamant omnes qui Dominum in carne viderunt, eumque postea prædicaverunt, fuisse apostolos appellatos. Et quis negaverit beatum patronum istum vidisse Dominum in carne, et eum postea prædicasse? Paulus quoque doctor gentium alios, exceptis undecim, scribit esse apostolos, dicens : *Apparuit Dominus undecim; deinde apostolis omnibus* (*I Cor.* XV), hoc est septuaginta duobus, de quibus indubitanter unum esse credimus beatum Martialem. Nam et cum Dominus diceret : *Nonne vos duodecim elegi?* (*Joan.* VI.) nunquid dixit : Nonne vos duodecim apostolos elegi? Potius subauditur, *discipulos*, teste Joanne evangelista, qui ait : *Multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant* (*Ibid.*). Dixit ergo Jesus ad duodecim, subauditur, *discipulos*. *Nonne vos duodecim*, subintelligitur, *discipulos*, *elegi?* Et profecto constat multitudinem fuisse discipulorum Domini, illosque specialiter fuisse apostolos, quos ipse Dominus elegit, et misit ad prædicandum. Nonne electi ad prædicandum fuerunt illi de quibus Lucas ait evangelista : *Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos, dicens : Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* (*Luc.* X). Sed quia contendunt de beato Dionysio et aliis Patribus antiquis Galliarum, nunquid Dionysius et Saturninus, genere gentiles, ab ipso Jesu, antequam in cœlos ascenderet, acceperunt potestatem ligandi et solvendi cum his qui Dominum in carne viderunt et secuti sunt? Nunquid usque hodie inveniuntur, quia de novitate causantur, nomina Dionysii et Saturnini scripta uspiam per litanias inter apostolorum nomina? Liquido constat vero quia per antiquissimos codices, penes innumeros locos et gentes longinquas, beatus Martialis una cum aliis apostolis scriptus est. Apostolus ergo sit nobis, quia et erat antiquis. Quod denique de beatis Dionysio et Saturnino dixi, eodem modo dictum puta de Ursino, de Austremonio, de Fronto genere Petracorico, de Juliano Cenomanensi, genere Romano, et de aliis qui apostolos viderunt in carne vel videre potuerunt, qui tam a beato Petro quam a beato Clemente, sive successoribus ejus, in Galliam post beatum Martialem prædicare missi sunt. Illi non specialiter a Christo, sed ab eis qui illos in episcopatus ordine consecrarunt, potestatem ligandi solvendique acceperunt, quemadmodum et ego ipsam potestatem non meo merito, sed gratia Dei, ab eo qui mihi gratiam tribuit episcopatus, consecratore meo, præsente videlicet domno Jordano, hujus sanctæ sedis Lemovicensis pastore, accepi. Sed quid adhuc plura recapitu-

lari opus sit, de quibus jam et ab antiquis Patribus, et a sancta Romana et apostolica sede, et nuper a concilio Bituricensi, et hic hesterna peritorum disputatione plenius ad ordinem perfectum definitum est? Nihil itaque jam aliud restat quam ut a nobis hic in conspectu concilii publica damnentur excommunicatione, quicunque clerici de omnibus comprovincialibus nostris ulterius post hoc concilium repugnanti animo beatum Martialem, doctorem primum Aquitaniæ, in alio quam in apostolorum ordine et memoria enuntiaverint. »

Et cum austero vultu metropolitanus ligamentum damnationis vellet ab ore proferre, sic domnus Jordanus locutus est ei, dicens : *Petimus auctoritatem vestram, venerabilis pater, ut hodie hoc judicium suspendatis a clericis hujus sanctæ sedis. Adhuc enim, secundum Dominicam vocem, corripiam eos hodie inter me et ipsos solos. Si me audierint, lucratus ero fratres meos; si autem non me audierint, adhibebo mecum adhuc unum vel duos ex præsentibus coepiscopis fratribus nostris, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si eos non audierint, dicam ecclesiæ, publico præsenti concilio, ut omnes audiant in testimonium. Si autem Ecclesiam, hoc est sanctum præsens concilium, non audierint, erunt mihi sicut ethnicus et publicanus, et tunc verbo vestræ auctoritatis ligate eos, tanquam non hominibus, sed Spiritui sancto inobedientes. Namque, ut ait Augustinus, Spiritus sanctus, qui quondam per apostolos loquebatur, nunc etiam per nos loqui dignatur, quoties de divinis disserentes veritatem loquimur.*

His verbis primatis credens archiepiscopus : « Ergo, inquit, cætera quæ ad concilium pertinent, Domino opem ferente, discutiantur. »

Cumque de regulis ecclesiasticis diutius explicassent, ait domnus Jordanus : *Bene placet ut Bituricensis concilii capitula in promptu afferantur, si forte Lemovicensibus hæc ipsa tantummodo cooptentur, an aliter clero nostro placeant, sive alia opportune superadjiciantur. Non enim una eademque lex omnibus Ecclesiis sive populis, sive civitatibus, sive gentibus, semper potest congruere, sed quædam pro qualitate locorum, et gentis, et animorum, quamvis diverso tamen congruenti ordine, in consuetudinem deducuntur. Nihil quippe obest diversa locorum consuetudo, si tamen ratione sive auctoritate fulciatur. Plus tamen ratio quam auctoritas prævalere debet, nam gentiles pro majorum suorum auctoritate, nulla tamen subnixi ratione, idola colunt. Quia quædam auctoritas sine ratione videtur esse, ratio vero per semetipsam auctoritatis dignitatem accommodat. Atque ideo multorum majorum auctoritas sæpe in melius communtata, sive penitus neglecta est, quia minus ratione fulcitur. Gravis autem culpa est, si quis pro arbitrio auctoritatem, quæ rationis plena est, contemnere præsumit. Rationabilis itaque auctoritas, sive ratio cum auctoritate, et auctoritas cum ratione, semper ut sese dignam præbeat et excellat necesse est. Diversarum igitur consuetudinum usus et observantia per populos, per loca, nisi fidei, spei, et charitati contraria sint, nihil officere Christianæ dignitati videntur; imo illa consuetudo semper ad religionem prodesse creditur, quæ tum pro loco, tum pro tempore, pro necessitate, pro dignitate, pro ratione, pro auctoritate, unanimi voluntate fratribus in unum habitantibus bene complacere videtur. Quid enim? Nunquid canonici monachos pro duodecim lectionibus, vel monachi canonicos pro novem numero reprehendere possunt? Utraque enim ratione et auctoritate firma sunt; ter quatuor pro quatuor mundi partibus sanctæ Trinitati subjectis, ter autem ternis pro novem angelorum ordinibus sanctæ Trinitati gloriam dantibus. Duodecim comprobavit ille vir spiritu omnium justorum plenus sanctusque papa Gregorius, prius monachus, postea apostolicus. Novem traditæ sunt a discipulo beati Petri Ignatio martyre, qui per novenarium numerum lectiones et psalmos ab angelorum choris prola a audivit in cœlo, deinde a Nicæno concilio, deinde ab ipso sancto Gregorio hic numerus in psalmis et lectionibus atque responsoriis observatus est. Quid etiam Orientalibus vel Occidentalibus clericis usus barbam radendi vel non radendi officere ad religionem videtur? Isti enim Petrum apostolum auctorem hujus consuetudinis habent; et cum auctoritate hanc tenent rationem, rationabile esse dicentes clericos a laicis, sic t in vita, ita in corporis habitu differre. Quocirca hic mos ad religionem nobis potius prodesse quam obesse perspicitur. Illi autem barbam non radendi morem eligunt, Paulum sive Jacobum fratrem Domini apostolos in auctoritatem sibi assumentes. Qui cum auctoribus rationem adjungunt (fieri quippe oportet rationabile obsequium nostrum), rationabile dicentes clericos sicut et laicos decorem in facie servare virilem, juxta dignitatem humanæ conditionis a Deo creatam, quæ solum virum barbam propter decorem habere voluit, et in vertice solummodo capitis clericatus signum prædemonstrare; aliam adjungunt sibi rationem, quia Dominus noster Nazaræus et intonsus esse voluit, ferrum super caput ejus non ascendit, coronam spineam duntaxat in vertice dignatus est pati. Ad cujus instar clericorum corona in vertice, ferro incidente figuratur, ut regnum et sacerdotium Christi etiam in clericorum capitibus rasura ipsa prædemonstretur. Ita sicut super hac re nostra consuetudo auctoritatem, simulque rationem et religionis habet augmentum : sic etiam penes Græcos, illorum talis a nostra dissidens consuetudine consuetudo, auctoritatem una cum ratione et religionis continet fructum. Et hac in re neque illi nos, neque nos possumus reprehendere illos : sicut de fidelibus qui carnibus vescebantur, ait apostolus : « Qui non manducat, manducantem non spernat; et qui manducat non manducantem non judicet. Qui enim manducat, Domino manducat; et qui non manducat, Domino non manducat (Rom. XIV). » Qui porro auctoritatem observant cum ratione, recte possunt reprehendere illos qui sine ratione custodiunt auctoritatem : hi autem istos nullo modo. Qua de re qui beatum doctorem Aquitaniæ*

inter confessores proponunt, auctoritatem habentes majorum sine ratione, dicentes sic proposuerunt. Qui ante nos fuerunt illi et illi, merito reprehenduntur ab his qui cum auctoritate rationem ostendunt; proponentes eum una cum aliis apostolis, et dicentes : « *Illi et illi antiqui patres apud illa authentica loca, et Romana apostolica sedes, illique peritissimi viri, eum proposuerunt in apostolorum ordine.* » *Rationabile autem est ut ille qui inter alios a Domino accepit virtutem prædicandi Evangelium, potestatem ligandi et solvendi, scientiam omnium linguarum, et signaculum apostolatus habet Galliam, ideoque apostolus est, merito cum ipsis apostolis proponatur, et memoria ejus de gloria apostolatus semper confirmetur. Isti ergo illos, non illi istos, super hac re arguere juste poterunt. Hæc idcirco dixi ne diversorum diversæ consuetudines et leges, si rationem habent, scandala generent. Observandum equidem nobis magnopere est ante omnia et super omnia, uti mandatum Dei, et non nostras traditiones, populo observandas tradamus : et nihil nisi Scripturarum divinarum auctoritate fultum agendum statuamus; nihilque de cordibus, nihil extra præceptum Domini, et sanctorum Patrum, quod absit, constituere, docere, vel jubere præsumamus. Quæ vero aliis trademus, primi nos ea ipsi faciamus, ne simus de illis super cathedram Moysi sedentibus, super quibus Salvator ad turbas et ad discipulos suos, ait :* « *Dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII); » *et iterum :* « *Digito autem suo nolunt ea movere* (*ibid.*). »

Iis dictis, conversus archiepiscopus ad eum qui ad dexteram suam super aliam cathedram sedebat, sacris vestibus ornatum Azenerium abbatem, dixit ad eum : « Rogamus, charissime, ut, sicut domnus Jordanus pontifex jubet, capitula Bituricensis concilii, velut vos ipsi, qui interfuistis, audistis, huic sancto concilio coram exponatis. »

Tunc ipse enuntiare cœpit, dicens :

Hæc sunt capitula, super quibus hoc tempore depravata erat S. Bituricensis mater ecclesia. Itaque Patrum sequentes vestigia, statuerunt, qui præsentes ibi fuerunt episcopi, Aymo Bituricensis, Stephanus Aniciensis, Renco Arvernensis, Ragamundus Mimatensis, Æmilius Albiensis, Deusdedit Cadurcensis, hæc servanda ab ecclesiis sibi commissis.

« In primis, ut per omnes, » etc. (*Vide concil. Bituric. an.* 1031.

Talia senior cum perorasset, ait domnus Jordanus : *Omnia nobis hæc bene placent; tantum de corpore Domini mutando, propter presbyteros qui omnibus Dominicis diebus ad ecclesias suas nequeunt adesse, placet ita temperanter institui, ut ab omnibus valeat inexcusabiliter observari. Quæ enim in Ecclesia instituuntur, sic debent fieri moderata, ut absque importabili fasce ab omnibus portentur, et qualiter animæ salventur, et quod facit Ecclesia, absque murmuratione faciat, et ne inobedientia locum inveniat. Itaque placet ut corpus Domini in anno per duodecim terminos renovetur in omnibus illis ecclesiis ubi incessanter custodiri solet, hoc est, in pascha, in pentecoste, in Nativitate sancti Joannis, ad Vincula sancti Petri, in Assumptione sanctæ Mariæ, in festivitate sancti Michaelis, in omnium sanctorum, in sancti Andreæ, in Natali Domini, in Hypapante, in Quadragesima, in media Quadragesima. His enim distinctionibus anni omnes presbyteri ad proprias possunt recurrere ecclesias, et ipsum corpus Domini, quod mutatur, non nisi a mundis Ecclesiæ ministris sumatur. Monasteria vero monachorum regularia, quia diligentius et nitidius omnia ad cultum altaris procurant, in abbatum suorum arbitrio de his, sicut de aliis regulis, permittimus. Illi enim nostris legibus constringi non debent, qui ultra nos per arctam et angustam portam vitæ ingredi appetunt, qui voluntatem propriam franguntque, qui jugum ab adolescentia portant, qui episcoporum jussis summopere in omnibus obediunt. Tales, inquam, legibus non oportet subjici conciliorum, nisi forte reprehensioni vel contemptui patuerint. Sic Apostolus ait :* « *Justo lex non est posita, sed injustis, et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, patricidis et matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei quod creditum est mihi* (*I Tim.* I) » *Nam et abbates regulares non ideo ad synodum venire cogo hujus sedis, ut arguantur, sed ut mihi de rebus ecclesiasticis moderandis consultum præbeant, quatenus ipsi spirituales viri, dum mihi per diversas multorum curas disperso opem ferunt ad sublevandum onus, in retributione coronæ mecum participentur. De cultu enim ecclesiastico et reverentia corporis Domini, probavi ipse oculis meis regulares per Lemovicinum monachos altaria et codices, vestimenta, calices, linteamina, et cuncta quæ ad altare pertinent, mundissima quotidie et cum reverentia servare.*

Cumque de his et aliis hujuscemodi, plura dicerentur, et archiepiscopo omnibusque placerent, accusatores justi exstiterunt ex senioribus, qui dicerent in concilio : « In loco Sancti Petri Bellocensis [*corr.* Bellilocensis] monasterii, sancta Ecclesia Lemovicensis vim patitur. Hic siquidem locus in ordine regulari quondam fuit illustris, nunc autem ita a sæcularibus conculcatus est, ut super monachos ipsius monasterii dominetur abbas sæcularis et absque monachi habitu. »

Clamaverunt omnes qui erant in concilio : « Hoc magna destructio est, ut cæcus videntes ducat, stultus sapientes doceat. Hac enim in re disciplina moritur, locus hypocrisis monachis datur, occasio propria possidendi monachis subripitur, per quæ decepti perire possunt. Capite morbido totum corpus inutile est, et pro tali destructione locorum Dei, ira super populos a facie Dei egreditur. »

Tunc requisiti monachi supradicti monasterii, astantes in conspectu episcoporum, dixerunt : « Ordinetur nobis abbas idoneus secundum regulam, et in pace erimus : lugentibus enim nobis iste super

nos tyrannidem arripuit. Ut autem præsentibus episcopis sit notum, Rodulphus, archiepiscopus quondam Bituricensis, monasterium ipsum tempore Caroli regis in fundo suo construxit, et prædiis suis multisque donis satis superque nobilitavit. Post cujus transitum ad cœlos longo excurso tempore, occasione reperta, comes Tolosanus cœnobium ipsum suæ potestati addixit, et comiti Petracoricensi in beneficio largitus est. Ille quoque vicecomiti Combornensi concessit, qui nunc nobis laicalem personam imposuit, ea de causa quia Bernardus monachus Solemniacensis, et postea episcopus Cadurcensis, nobis vero abbas, antecessor ejus, avunculus ejus exstitit. »

Dixerunt episcopi : « Ecclesiastica officia non secundum carnis originem, sed secundum meritorum virtutem, distribui oportet. »

Cumque ille clericus, non monachus, abbas, sæculari nobilitate ac generositate magnus, mox vocatus in concilium ante episcopos reus astaret, genibus positis, et super hac re judicaretur secundum canones, ita respondit : « O reverentissimi Patres, hanc, rogo, justo judicio corrigite rem, et libenter consentio. »

Dixerunt Patres : « Idoneum ex regularibus monachis aliquem adducito ante domnum Jordanum, ut ipse cum regulariter ordinet abbatem ad regendum ipsum locum ; et tu extrinsecus non dissipator, sed defensor et provisor loci adesse memento. » Itaque episcopi, postquam de his diu locuti essent, primati Lemovicensi sub testimonio concilii et Willelmi ducis Aquitanorum hoc taliter commiserunt negotium, ut usque ad Natalis Domini festivitatem, quæ in sexta hebdomada exspectabatur, ordinaret in eo loco dignum pastorem secundum regulam. Quod si contradicentes reperiret qui id fieri non permitterent, et ipsos et ipsum locum excommunicatione canonica ligaret, donec idem locus ad pristinam revocaretur dignitatem.

Quibusdam vero sciscitantibus si qui monachorum forte de eodem sæculari loco ad alium regularem transmigrare vellent, utrum eis liceret, eruditi qui aderant, recte sapere tales judicabant. « Tales, inquiunt, Deo placere student. Nam si perfectus est qui inter malos bonus est, tamen bonorum consortium adipisci laudabile et perutile est. Quia sicut Spiritus sanctus per Psalmistam ait : *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, cum perverso autem perverteris* (*Psal.* XVII). Et rursum Apostolus : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* XV). Rursus Scriptura ait : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea ; et qui communicaverit superbo, induet superbiam* (*Eccli.* XIII). Nam si lilium inter spinas lucet, tamen gravatur a spinis et gloriosius crescit inter amœna quam inter spineta. Nam et ipse regularis abbas si contigerit ut super sæculares ordinetur monachos, nec eos ab illicitis potuerit deflectere, nec habuerit bonos qui eum adjuvent ut patienter toleret malos, satius est eos derelinquere, et secum solum habitare, quam eorum incorrigibili mordacitate, cordis tranquillitatem amittere. Et juxta Dominicam vocem, melius est ei luscum vel claudum in vitam intrare, quam duos oculos, vel duos pedes habentem, mitti in gehennam, hoc est, melius est se solum lucrari quam cum pravis, quos inutiliter amat, detrimentum pati. De talibus loquitur Spiritus sanctus per prophetam, dicens : *Fili hominis, increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas* (*Ezech.* II). Et item Job : *Frater fui draconum et socius struthionum* (*Job* XXX). Et David : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam ?* (*Psal.* LIV.) Certe beatus Benedictus sæculares vel agrestes monachos, qui eum veneno necare conati sunt, ideo deseruit, ne mentis suæ tranquillum oculum eorum pessima fœditate turbidaret. Ut enim sancti Patres dixerunt, quidquid pacem vel tranquillitatem cordis, qua Deum assidue cogitare debemus, perturbare potest, quamvis utile, quamvis necessarium sit, abjici oportet ; quolibet quippe vitio cor perturbatum Deum cogitare non potest. Hæc dicentes, non eos damnamus qui inter pseudomonachos boni aliquoties vel cum pravis majoribus necessario degunt, si tamen illud adimplent quod scriptum est : *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite* (*Matth.* XXIII) ; et item : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant.* II). Et periculis in falsis fratribus Apostolus exercitatus est, et præcepta pastoris in omnibus adimplere, etiamsi ipse, quod absit, aliter agat. Et in talium exemplo beatus Petrus Lot in testimonium assumit, dicens : *Et justum Lot a nefandorum conversatione eruit, habitantem inter eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant* (*II Petr.* II). Nec de solis monachis, verum etiam generaliter de omnibus Christianis, qui boni inter malos conversantur, hæc dicta sunt. De talibus item Paulus ad discipulos ait : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (*Philip.* II). Hinc Joannes Pergami Ecclesiæ : *Scio*, inquit, *ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam* (*Apoc.* II). Ergo, sicut Gregorius ait, bonus non est qui malos tolerare recusat. Et tanto magis mali tolerandi sunt, quanto et amplius abundant. Regulares autem monachos dicimus, qui illicita nolentes, non suo sed alieno imperio vivunt ; quibus omnia in medium conferuntur communia, nec aliquid habent quod abbas non dederit aut permiserit. Potest autem, quamlibet difficile contingere possit, regularis unus inter plures agrestes conversari, si tamen ab illicitis sese continet ; si his quæ sibi ad hujus vitæ usus congruunt, permittente aut dante eo qui sibi præest, contentus fuerit : juxta quod Apostolus loquitur, dicens : *Habentes victum, et tegumentum, his contenti sumus* (*I Tim.* VI). Sæculares autem monachos illos dicimus quos regulares monachi in die judicii judicabunt, sicut Ninivitæ, vel regina Austri, dicente Domino, Judæos incredulos damnabunt ; vel apostoli duodecim tribus Israel duodecim judicabunt, quia illis credentibus illi credere noluerunt. Sic isti illos

judicabunt quia istis regulariter viventibus, illi regulariter vivere noluerunt. In capitibus ergo justis monasteria eriguntur et vigent, in vitiosis ruunt et languent. Episcopus itaque, ad cujus diœcesin pertinent monasteria, et abbates, atque Christiani vicini, nisi prohibuerint indignos in pastoralem curam ingredi, malum in illos respicit, sicut bona merces a Deo illos exspectat, si familiæ Dei dignos constituant dispensatores. »

Hæc et his similia cum mystico et utili audientibus sermone de sublimiori proposito edissertata essent, ait domnus Jordanus : *Ago Deo gratias quia in diœcesi Lemovicensi plura monasteria recto tramite incedunt, et boni odoris de se exempla latius diffundunt, sicut Apostolus ait :* « *Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt* (II *Cor.* II). » *Hos quippe, qui præsentes huic sancto concilio intersunt, abbates Lemovicenses laudo, et testificor in Domino Jesu quia cum sibi subditis regulariter agentes lucrandis animabus potius invigilant quam de caducis rebus et transitoriis curent. Dignum est enim ut quicunque suscipiunt animas regendas, præparent se ad rationem reddendam. In primis denique familiam beati Martialis in hac urbe, et Cambonense monasterium beatæ Valeriæ possessionem beati Martialis, et alia quæ ei jure possessionis perpetuæ ab antiquis subjacent temporibus monasteria, non ignoro regulariter vivere. Nihilominus Solemniacum atque Usercam cœnobia nobilissima, monasteria quoque in hac urbe Sancti Martini et Augustini, necnon et congregationem virginum in basilica beatæ Dei genitricis, et alias servorum Dei per Lemovicinum congregationes, gaudeo sancti ordinis reverentiam regulariter observare. Quantum denique in oculis omnipotentis Domini ad intercedendum pro salute populorum congregationes valeant servorum Dei, beatus Gregorius de congregatione sanctimonialium locutus, ostendit, inquiens :* « *Inter tot Longobardorum gladios his nostris temporibus Roma nequaquam subsistere posset, nisi virginum sanctimonialium in hac urbe Romana congregationes suis orationibus tantæ hostilitati resisterent.* » *Et item :* « *Ideo, inquit, providendum nobis monasteriis ancillarum Dei, quatenus eis abundanter subsidia ministremus : ne qua forte penuria gravatæ, a suo proposito vel aliquantulum succumbant.* » *Nam monasteria monachorum idem Gregorius per universum mundum libera et quieta esse volebat, ut si quem episcoporum comperisset aliqua ratione ea excommunicare vel inquietare, graviter in eos vindicaret, quod in epistolis suis facile perspici poterit. Nos quoque monasteria servorum Dei defensa, quieta et tuta esse desideramus, tanti Patris vestigia sequendo. Verumtamen si culpa superbiæ vel inobedientiæ in abbatibus inventa fuerit, eam canonice insequi oportet. Hoc dixi propter abbatem monasterii Usercensis, quem dicunt hoc anno instituta sancti concilii contempsisse. Quidam enim narraverunt nobis quia excommunicatum vicecomitem Albuciensem interfectum in præda ipse apud suum monasterium sevelierit, super qua re, si vera est, cor meum contristatur. Omnes enim noverunt in sanctis conciliis sic institutum ut si quis ab episcopo suo excommunicatus, interfectus aut obitu proprio mortuus absque reconciliatione fuerit, nullatenus Christianorum sepultura sepeliatur, nisi episcopus, satisfacientibus pro eo amicis vel parentibus, absolutionem et licentiam ex hoc concesserit. Sed neque pro eo oretur, nec facultas ejus in eleemosynam suscipiatur, quousque ab episcopo absolvatur. Simili modo si vulneratus ad mortem quilibet de excommunicatis fuerit, vel infirmitate ad exitum correptus, pœnitentiam ex corde petierit, vel esse monachus quæsierit, pœnitentia ejus suscipiatur quidem, et viaticum ei pro misericordia tribuatur; nullatenus tamen sepeliatur, neque post mortem pro eo oretur, donec ab episcopo suo absolvatur. Dicente enim beato Gregorio in Dialogorum libro secundo :* « *Tantam Ecclesiæ suæ Christus largitus est virtutem, ut etiam qui in hac carne adhuc vivunt, jam carne solutos absolvere valeant, quos vivos ligaverant. Dicente Domino ad Petrum : Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (Matth. XVI). » *Nam sanctus Benedictus duas sanctimoniales, et unum ex fratribus, qui ligati obierant, post mortem absolvit. Idemque papa Gregorius medicum fratrem in ipso exitu vitæ ligavit, nec eum consolari in fine, nec pro eo orare permisit, sed nec eum in cœmeterio ecclesiæ sepeliri sivit; quem tamen longe post mortem pro misericordia absolvit, et pro eo orare instituit. Verumtamen valde horrendum est, ut beatus papa scribit, cum quis irreconciliatus a sæculo exit. Præterea si quem episcopus ligat, alius absolvere se putat, et ipse decipitur qui eum suscipit, et qui suscipitur perit, et hac occasione falsæ pietatis concilia Patrum destruuntur, et Deus contemnitur, et pax de Ecclesia expellitur. Siquidem ille qui excommunicatum suscipit, idcirco simul cum eo perit, quia similem sortitur excommunicationis vindictam : et, ut beatus Petrus in scriptura beati Clementis ait, quicunque excommunicato consentit, vel in colloquio participatur, unus et ipse est de illis qui Ecclesiam Dei destruunt.*

Cumque in concilio a quibusdam interrogaretur utrum observanda est excommunicatio ei, quem aliquando forte injuste et absque culpa pontifex ligat, Odolricus Pater sic ait : « Quemadmodum beatus Gregorius attestatur, cujus auctoritas minime sperni potest, si pastor ligat aliquem aut juste aut injuste, aut ob culpam aut sine culpa, observanda est excommunicatio, ne is qui injuste forsitan ligatur, ipsam excommunicationem ex alia culpa mereatur. Neque ovis pastorem suum temere reprehendat, ne ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia culpa quæ non erat fiat. Dicit autem de episcopis quia ipsi se hac potestate privant qui vel odio vel gratia, et non secundum meritum causæ, ligant vel solvunt. »

Ad hæc pontifex adjecit, dicens : *Presbyter qui excommunicatum scienter suscipit, ideo ab ordine deponitur, quia semetipsum excommunicat qui excommunicato consentit.*

Tunc episcopi dixerunt : « Statuimus canonice ut qui amplius excommunicatum nesciens susceperit, et postea probaverit, ad pœnitentiam mox recurrat in conspectu et judicio episcopi sui. Qui autem scienter id egerit, sive in vita, sive in morte, sive aliquid de facultate damnati in eleemosynam probatus fuerit suscepisse, ab ordine presbyter cesset, nec gradum recipiat, nisi satisfactus, ab episcopo suo sacris vestimentis reinduatur. Si presbyter non est, communione eucharistiæ et audientia missæ privetur usque ad reconciliationem episcopi. Quando autem episcopus presbyterum deposuerit, sic agat : Jubeat eum prius indui omnibus sacerdotalibus indumentis, deinde manu sua auferat ei manipulum, deinde casulam, deinde mediam stolam de collo reflectat ei inter scapulas sub latere dextro, et depositus est a presbyteratu in diaconatum. Quando quemlibet excommunicaverit, eat publice ad ostium ecclesiæ et ostium pro eo claudat. Dum absolverit, ambulet cum eo usque ad portas ecclesiæ, et aperiat ei ut ingrediatur. Aliter autem nullus excommunicatus ecclesiam ingrediatur, quia nefarium et illicitum est. Presbyteri autem, de ignotis causis; episcopi, de notis excommunicare est, ne episcopi vilescat potestas. »

His dictis, cum accusatum abbatem inquirerent quid responderet, ille respondit domino primati : « Domine, inquit, Pater, de hac re, qua accusor, veritas vobis nuntiata non est. Absit a me ut absque vestra licentia aliquando suscipiam excommunicatum. Ordo enim noster quanto sublimior est, tanto subjectior et promptior ad obediendum episcopis ut sit, necesse est. In episcopis enim ipsum Deum honoramus, vel contemnimus, sicut ipse ait : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x). Ecce idoneos testes adhibeo, quia ille vicecomes excommunicatus, postquam prædando interfectus est (comites enim prædantes, excommunicati palam in omnibus conciliis sunt) me ignorante a militibus suis ad monasterium nostrum deportatus est, cujus corpus neque suscepimus, neque sepelivimus, sed sine officio sacro retro ultra aquam revehi jussimus, ubi milites ipsi, nullo clericorum astante, sepelierunt illud. »

Quo audito, episcopi judicaverunt, dicentes : « Si ita est, nec ille excommunicatus sepultus est, nec abbas monasterii culpabilis judicari potest. »

Tunc episcopus Cadurcensis cœpit enarrare, dicens : « Nuperrime, post concilium Bituricense, quidam de excommunicatis eques in nostra diœcesi interfectus est, quem ego, rogantibus amicis et propinquis ejus, nullatenus solvere volui, ut cæteri metum haberent; gravem enim culpam prædantis habuerat. Itaque sine sacerdotis obsequio a militibus apud quamdam ecclesiam Sancti Petri, non me jubente, sepultus est. Mane autem facto, corpus ejus longe extra cœmeterium projectum, et nudum super faciem terræ inventum est; tumulus autem, ubi sepulturam habuerat, intactus ita ut dimissus pridem fuerat repertus est. Quem iterum milites apeA ruere, et nihil in eo aliud nisi vestes quibus involutum fuerat, invenerunt. Rursus cadaver ibidem sepeliunt, et diligenter tumulum sub enormi pondere terræ et lapidum claudunt, sed die altero projectum cadaver et tumulum intactum ut supra aspiciunt. Quinquies sepeliunt, toties eodem dejectum tenore contuentur. Tanto demum victi stupore, corpus longe a cœmeterio ecclesiæ terra obruunt. Quo terrore perculsi principes militiæ, pacem nobis, velut optabamus, firmare nequaquam distulerunt. »

Ad hæc respondit concilium : « Quid hoc aliud est nisi quia sub oculis hominum arbiter omnium affirmat Ecclesiæ suæ auctoritatem, quia excommunicati sepultura Christianorum juste ab episcopis segregantur? Tales enim negant fidem, dum latrocinia B potius quam pacem sectantur. Non enim Christiani dicendi sunt, de quibus ait Apostolus : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I). Item Jacobus : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Certe Dathan et Abiron pro pastorum suorum contemptu perierunt de medio multitudinis. Ita in episcopo suo Deum contemnens, juste insepultus ab Ecclesia disjungitur, si in excommunicationis vinculo eum contingat oppetere mortem. »

Odolricus interea venerabilis Pater familiæ beati Martialis, sedens in cathedra juxta primatem Lemovicensem, sacris ut erat indutus ornamentis, dare cœpit consilium episcopis, dicens : « Hic vos, charissimi, decernere oportet medicinam quam contra generalem morbum adhibeatis. Si enim de pace tenenda, sicut est vestra voluntas, principes militiæ C Lemovicensis vobis obstiterint, quid contra ista sit agendum? » Dixerunt episcopi : Hac in re petimus, charissime, ipse date consultum. Quibus ille : « Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publica excommunicatione, eo videlicet modo ut nemo nisi clericus aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans a bimatu, et infra, in toto Lemovicino sepeliatur, nec in alium episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes ecclesias latenter agatur, et baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in ecclesiis omnibus, et omnes proni in faciem preces pro tribulatione et pace fundant. Pœni- D tentia et viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes ecclesias sicut in Parasceve nudentur, et cruces et ornamenta abscondantur, quia signum luctus et tristitiæ omnibus est. Ad missas tantum, quas unusquisque sacerdotum januis ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur, et iterum post missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat. Nemo alteri osculum det. Nemo clericorum aut laicorum, vel habitantium, vel transeuntium, in toto Lemovicino carnem comedat, neque alios cibos quam illos quibus in Quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum aut clericorum tondeatur neque radatur, quousque districti principes, capita populorum, per omnia sancto obediant concilio. Si quis vero probatus fuerit aliquo modo

hujus vinculi violator, non recipiatur, nisi cum digna pœnitentia. Magnopere enim episcoporum excommunicatio est observanda, ne forte plus irascatur furor Domini super nos et super populum. »

Tunc interrogatum est in concilio utrum uni aut duobus primoribus, si obedierint, debeat ab episcopo ignosci, sine omnibus aliis, an non? Quod Æmilius pontifex et Azenerius abbas hoc modo enodaverunt, respondentes : « Si de centum impiis præter unum nequimus revocare, ipsum solum cum gaudio debemus suscipere. »

Odolricus autem Pater sic respondit : « Si una de centum perditis ad salutem lucratur, gaudium est coram angelis Dei. Si quis denique post mortem inobediendi ad obediendum episcopo festinat, jam a Deo interius vivificatur, ideoque eum absolvi necesse est. Nam de his qui ad pœnitentiam compunctos non suscipiunt, obduratos vero aut terrore aut amore sæculari absolvunt, sic Spiritus sanctus per prophetam dicit : *Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt* (*Ezech.* XIII). Et rursum : *Væ his qui dicunt bonum malum, et malum bonum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem* (*Isa.* V). Si ergo vel unus ex primoribus principibus vobis obedierit, cæteri vero omnes attrita fronte rebelles exstiterint, pacificum suscipite in pace Christi eique in omnibus opem ferte, et terram honoremque ejus in absolutione gaudentem et liberum esse permittite; cæteræ autem partes Lemovicensis terræ quæ rebelles principes habent, in supradicto relinquantur anathemate usque ad dignam correctionem, ut sit inter bonum et malum differentia, ac si inter lucem et tenebras. Quod si omnes majores potestates Lemovicenses pacem consenserint, ut omnia sint absoluta, et aliqui de privatis militibus sive minoribus principibus, inventi fuerint concilio inobedientes, hi tales ita privatim excommunicentur, ut sint segregati a communione corporis et sanguinis Domini; in ecclesiam intrandi nullam habeant licentiam : cum Christianis non comedant, neque bibant, neque ambulent; linum non induant, carnem non comedant, vinum non bibant; non tondeantur neque radantur : ad nullas orationes proficisci præsumant; si infirmi fuerint, non visitentur a clerico : morientes in ipsa excommunicatione, non sint de loco levati in quo mortui fuerint, nec cooperiantur ligno, neque petra, neque aliqua munitione : substantiam eorum nullus pro animabus eorum in eleemosynam accipiat. »

Dictum in concilio est : « Si quis de episcopis aliquoties timore, vel amore, vel pecunia se inflexerit, ut secundum concilium non distringat per justitiam illum quem distringere debet, et potest, sive absolverit vivum vel mortuum, quem absolvere non debet, aut in aliquo probatus fuerit violare concilium, quod ipse cum aliis episcopis instituit, ab ipsis episcopis deponatur usque ad spatium temporis, quod ipsi episcopi concorditer judicabunt. » Dixerunt episcopi omnes : « Placet nobis hæc propositio, et sic fiat. Similiter fiat de illo episcopo, qui excommunicatum alterius episcopi susceperit vivum, sive mortuum, vel in episcopatu suscipi a quoquam permiserit vel consenserit. »

Interea cum talia episcopi sermocinarentur, querimonia in concilio commota est a dicentibus : « In monasterio Beati Martialis sursum in Pascha et Pentecoste baptismus agitur, et ibi servi a dominis suis libertate donantur. Hæc volunt clerici hujus sedis non amplius alibi quam in hac sede administrari. »

His opposita sunt ista a sanum sapientibus, qui sic responderunt : « In oratorio Sancti Joannis Baptistæ, quod est ad meridiem, sursum secus Salvatoris basilicam, fontes ab antiquis temporibus præparati sunt, et tantummodo in Pascha et Pentecoste ibi semper solet agi baptismus; aliis vero temporibus per totum annum in ecclesia Sancti Michaelis, de illa superiori parochia baptizantur infantes; nec ullo modo pro his hæc sancta sedes hactenus querelas commovit. Parochiani siquidem Sancti Petri ecclesiæ Cairogensis, et quicunque ex principibus ex omni Lemovicino volunt, filios suos ad scrutinium in Quadragesima, et baptizandos in Pascha, sive in Pentecoste, ad hanc deferunt sedem. Parochiam vero ecclesiæ Sancti Michaelis, et ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Arenis, et aliarum ecclesiarum, quæ basilicæ Beati Martialis subjectæ sunt, et quicunque de principibus ex toto Lemovicino, sive de externis Aquitaniæ civitatibus voluerint, filios suos baptizandos sursum ad Redemptoris aulam dirigunt. Denique semper fuit consuetudo ut quicunque voluerunt, sursum aut ante altare Redemptoris, aut ante corpus beati Martialis, servos suos libertati darent. Quod ergo usque ad nos semper licitum, nec amplius prohibitum, quo pacto nunc amodo illicitum erit? Verum justo judicio judicent præsentes episcopi quid hac in re æquum sit. »

Dixerunt episcopi : « Beato Martiali privilegium suum ab antiquis statutum auferre nefarium est. Hæc autem sedes beati Martialis caput et mater omnium Galliæ ecclesiarum est, quia prima ante omnes alias in Gallia exstitit Deo consecrata; ideoque Lemovicenses omnes ecclesiæ præsertim huic tanquam capiti proprio, in omnibus honorem exhibeant. Ipsa autem sedes et mater, nullatenus a filiabus suis cæteris ecclesiis justa antiquitus concessa tollat instituta, nec eis impendi honorem debitum prohibeat. Gaudere enim pontifex et assensum præbere debet, ut Ecclesiæ sibi subjectæ in honore antiquo perseverent. Itaque in Beati Martialis monasterio, sicut antiquitus solitum erat, propter ordinem paschalem non negligendum, qui mentes carnalium ad altiora trahit, et propter trinas litanias, et propter stationem ad fontes, recte opportunum est celebrari baptismum, de tribus non minus infantibus, in Pascha solummodo et Pentecoste. Simili ratione fieri congruum est in aliis monasteriis et

ecclesiis, ubi ab antiquis diebus exerceri id solitum est, ita tamen ut major numerus baptizandorum sit apud hanc matrem ecclesiam. Et hi qui in aliis ecclesiis apud hanc civitatem baptizantur, ipso die coram episcopo ad confirmationem in hac sede cum luminaribus exhibeantur. Ubi enim cereus paschalis consecratur et baptismus agitur, ibi honestius paschalis ordo perficitur, et tres litaniæ, quæ in Sabbatis Paschæ et Pentecostes nulla ratione prætermitti possunt, ne, quod absit, auctoritas Spiritus sancti vilescat, aptius persolvuntur. Post sex enim lectiones, septena fit in choro a pluribus simul cantoribus solemniter indutis. Deinde cum terna ipsi cantores et sacerdotes ac cæteri ministri procedunt ad fontes. Facto vero baptismo de tribus tantum infantibus (nam cæteri, si plus fuerint, ab alio presbytero qui ibi remanserit baptizantur) cum terna a fontibus regrediuntur, qui ad chorum, ad chorum; et qui ad altare, ad altare, cum cereis nondum luminatis, sonantibus interim omnibus signis. Finita enim ipsa terna, et cessantibus metallinis clangoribus, mox hymnus angelorum a sacerdote excelsa voce profertur, illuminata jam omni ecclesia, ex quo cantores clamaverint: *Accendite.*

« Hæc de baptismo satis sint. Nunc de servorum libertate dicendum, quia hanc agere licitum est vel apud hanc sedem, vel ante corpus beati Martialis, vel ad quamcunque ecclesiam Domini elegerint coram testibus, vel ante corpus defuncti proximi, sicut sæpe per plures civitates fieri videmus; ita sane ut hujus sedis nominativus cancellarius libertatem scribat. Nam et apud regale palatium, vel in quocunque loco rex fuerit, coram rege libertates legitimas fieri cernimus: imo lex Salica continet ut ubicunque servi dominus voluerit, potest servum relaxare. »

His dictis, cum quidam de prædicatione ad populum, et de indicendis jejuniis et litaniis pro opportunitate temporum dicerent, quod hæc apud sedem duntaxat debeant institui et edici, dixerunt episcopi: « Prædicatio non solum apud sedem, sed etiam per omnes ecclesias assiduanda est, ubi hanc dare strenuum doctorem Domini voluntas inspirat; etenim adeo gemendum est, quia valde rari sunt in messe Dei operarii. Et si multi sunt qui bona audiant, sed rari sunt qui dicant. Nam omnes sacerdotes quibus parochia commissa est, omnibus Dominicis et festivis diebus admonere prædicando populum debent, secundum illud: *Argue, obsecra, increpa* (*II Tim.* IV). Quia sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit, interminatione divina mortis reus est; episcopus autem quos doctos ad officium videritet idoneos, non tantum jussu sed etiam rogatu ad tam sublime opus incitare debet. Quod officium sive monachus sive clericus suscipere nequaquam potest, nisi in gradum lectoris fuerit ab episcopo ordinatus. Porro de litaniis indicendis, sive jejuniis, sic in libro Capitulorum Caroli insertum est: « Quando tribulatio super populum venerit, sive mortalitatis, sive hostilitatis, sive famis, aut intemperantiæ aeris, vel si quid hujusmodi, et non fuerimus præsentes, nullus nostrum exspectet edictum, sed mutuo se exhortantes clerici, sive monachi, una cum populo fe- stinent in litaniis vel jejuniis misericordiam Domini super regnum nostrum inclinare. » Igitur si talia sine sedis consultu, necessitate, non temeritate, vel, quod absit, typho superbiæ, ab alia ecclesia instituta fuerint, nihil est quod indignentur clerici sedis. Tamen ita cuncta concordantia moderentur in invicem inter omnes vicinas congregationes, ut pax et unitas inter sedem et alias ecclesias permaneat inconvulsa. »

Episcopus autem Petracoricensis de quodam canonico suo tantum clerico, qui uxorem duxerat, inquirendo proposuit, dicens ut judicarent quid de eo ageretur. Ad hoc verbum in concilio responsum est: « Canones judicent. Quomodo enim nostro possumus arbitrio judicare quidquam, cum omnia a prioribus judicata sint? nihil quippe dicendum quod non prius dictum sit. »

Tunc lecti sunt Canones apostolorum, ubi in capitulo 27 ita dicitur: « *Qui clerici debeant conjugibus copulari.* — Innuptis qui ad clerum provecti sunt, præcipimus ut, si voluerint, uxores accipiant, sed lectores cantoresque tantummodo. » Et iterum dictum est: « Canones Toletani et hoc judicant ut in monasteriis nutriti cum venerint ad annos adolescentiæ, detur eis optio libera utrum velint vovere propositum an inter laicos esse. Qui voluerint, uxores ducant; qui autem propositum in sua potestate relicti voverint, non ultra eis ad sæculum licet respicere. Nam concilium Bituricense, sicut audivimus, judicavit ut qui clericaturam suam dimittit, ab aliis clericis separetur. »

Item de abbatibus quibusdam proposita quæstio est, qui majoribus festis capellanum et plures diaconos ad celebrandam missam, sicut episcopi, habent; et consulte tractatum est hoc non pro usurpatione, sed honore solemnitatis fieri; nec solum abbatibus, sed etiam aliis sacerdotibus apud plures ecclesias, ubi magni numeri congregationes monachorum aut canonicorum sunt, propter solemnitatis reverentiam exhiberi licitum videtur. Non tamen plus quam tres diaconi abbatibus vel reliquis sacerdotibus in solemnitatibus adhibentur. Episcopis autem aliquando tres, aliquoties quinque, nonnunquam septem diaconi pro opportunitate festivitatum et ad omnes publicas missas præsto sint. Nam in monasterio Beati Martialis, notum est semper antiquum morem servatum hodieque servari, et nunquam debere prætermitti, scilicet in Pascha et eminentioribus per annum festis tres diaconos et capellanum ministrare abbati in publica missa, aliis autem diebus sive minoribus festis capellanum tantummodo et unum diaconem.

Tunc accusabantur quidam qui propter presbyterii gradum pecuniam dederant, et alii qui duas uxores ante diaconatum habuerant; alii autem qui in clericatu sibi virilia amputaverant; alii vero qui

in laicali ordine homicidium fecerant, et postea monachi facti, gradum diaconii susceperant. Dictum de his in concilio est: « Nulla his misericordia potest tribui, quin omnes deponantur. Si enim quos sancti Patres damnant, absolvimus, falsam eis misericordiam et æternam mortem impendimus. »

Tunc Canones apostolorum prolati sunt, ubi capitulo 30 legitur: « Si quis episcopus, presbyter aut diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur et ipse et ordinator ejus, et a communione modis omnibus abscindatur, sicut ego Petrus Simonem Magum dejeci. » Item capitulo 31: « Si quis episcopus, sæcularibus potestatibus usus, episcopatum vel ecclesiam per illos obtinuerit, deponatur et segregetur, et omnes qui illi communicant. » Item capitulo 17: « Si quis post baptisma secundis nuptiis fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse episcopus, non diaconus, aut prorsus ex numero eorum qui ministerio sacro deserviunt. » Item capitulo 18: « Si quis viduam vel ejectam acceperit, aut ancillam, vel aliquam de his quæ publicis mancipantur spectaculis, non potest esse episcopus, non presbyter, non diaconus, nec ex numero eorum qui ad altare deserviunt. » Item capitulo 21: « Eunuchus si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione sunt ejus amputata virilia, vel si ita natus est, et est dignus, efficiatur episcopus. » Item capitulo 22: « Si quis abscidit semetipsum, id est si quis amputavit sibi virilia, non fiat clericus, quia suus [sui ipsius] homicida est, et Dei conditionis inimicus. » (*cap.* 23.) « Si quis, cum clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnetur, quia suus homicida est. » (*cap.* 24.) « Laicus semetipsum abscindens, annis tribus communione privetur, quia suæ vitæ insidiator exstitit. » De homicidis vero dictum est: « Ut si quis voluntarius, et non per necessitatem, fecerit homicidium, et postea monachus fuerit factus, ad gradus altaris promoveri non potest. Monachi enim qui ad gradus provehuntur ecclesiasticos, summopere providendum est abbati illos episcopo offerenti, ut idonei et prolati sint, juxta quod sanctus Benedictus ait: « Si quis abbas sibi presbyterum vel diaconum ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi. » Nam ille qui adhuc vivens est, qui Stephanum episcopum dolo occidit, cum non inveniret pro tanto crimine pœnitentiam Cluniacum cœnobium petiit, monachus ibi effectus est. Qui legere et cantare tanquam peritus clericus sciens, ab Odilone abbate cogitabatur offerri episcopo ad gradus altaris. At prudenter tractans venerandus abbas, litteris directis ad papam Romanum consultum expostulat, et crimen monachi intimat, cui apostolicus talia remandat: « Impossibile est talem ad aliquem « gradum provehi, nec etiam offerre potest oblationem ad manus sacerdotis, ne forte pro eo uno in « plures furor Domini descendat; sed nec communionem sanctam accipere potest: in exitu autem « vitæ pro misericordia ei viaticum detur. Nihil hic « aliud quam luctum agat, si forte illic misericordiam inveniat. Ita hactenus ille vivat, permanens « in pœnitentiæ luctu, non offerens, non communicans. »

Item inquisitum est de temporibus ordinum quia nonnulli ex episcopis per totum annum ordinationes nunc faciunt, quod priores episcopi non faciebant. Revoluta sunt ergo Patrum statuta; et inventum quia graduum ordinationes recte fiunt per mensem Martium et Junium, Septembrem quoque atque Decembrem Sabbato videlicet in duodecim Lectionibus, quando jejunia Quatuor Temporum aguntur. Ubi si tanta multitudo fuerit ordinandorum, ut Sabbato non possit omnes episcopus consecrare, in crastina Dominica usque ad horam sextam a mane qui superfuerint debent ordinari. Alias autem nullo modo, nisi causa grandis necessitatis, de diaconatu tantum vel presbyteratu oportet ordinationes agi. Et hoc in nulla festivitate, nisi Dominica die, quam tamen jejunium generale in Sabbato præcesserit. Nam et ipse episcopus ordinari non potest, nisi in Dominica die, circa horam diei tertiam. De sancto autem Gregorio constat quia nunquam nisi in mense Martio ordinationes egit. Beatus vero Petrus apostolus in mense Decembrio, et non aliubi; in Junio autem tantummodo beatus..... porro in Septembri et non alio beatus.....

Rursum in concilio conquisitum [*for.*, conquestum], est de excommunicatis Aquitanigenis, qui ignorantibus episcopis suis a Romano papa pœnitentiam et absolutionem accipiunt, et hac de causa pax et concilium in Aquitania destruitur, dum quos isti juste ligant, ille injuste absolvit. Ad hæc venerandus Engelricus canonicus Sanctæ Mariæ Aniciensis ecclesiæ, cœpit explicare, dicens: « Stephanus Arvernensis præsul ante hos annos Pontium comitem Arvernensem excommunicatione obstrinxit, pro uxore legitima, quam dimiserat, et aliam duxerat. Quem cum nulla ratione vellet absolvere, nisi emendatum, comes Romæ a domno papa absolutionem accepit, ignorante papa eum excommunicatum. Quod graviter episcopus ferens, conquisitorias [*corr.*, conquestorias] litteras Romam apostolico misit; cui ille in hunc modum remisit epistolam. « Quod nescienter egi, frater charissime, non mea, « sed tua est culpa. Scis enim quia quicunque de « universa Dei Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum, ad me causa remedii recurrit, impossibile « est mihi ejus curam negligere, dicente Domino « ad beatum specialiter Petrum: *Petre, pasce oves « meas* (*Joan.* XXI). Quo ergo modo sedes apostolica poterit ejicere aliquem de medela, nisi rationabili causa? Debueras certe mihi, antequam « illa mortua [morbida] ovis Romam veniret, ejus « causam tuis innotescere apicibus; et ego eam « omnimodo abjicerem, tuamque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu reperciterem. Profiteor quippe omnibus consacerdotibus meis ubi-

« que terrarum, adjutorem me et consolatorem « potius esse quam contradictorem. Absit enim « schisma a me et a coepiscopis meis. Itaque illam « pœnitentiam et absolutionem, quam tuo excom- « municato ignoranter dederam, et ille fraudulenter « accepit, irritam facio et cassam, ut de illa nihil « aliud speret quam maledictionem quoad satisfa- « etum tu juste absolvas. »

Dicebant ergo episcopi ad invicem : « Frustra hæc querela adversus caput nostrum mutire audet : apostolicus enim absque culpa est, et potius nos culpabiles sumus, nisi litteris nostris ei notum faciamus, de quibus nolumus ut absolvantur. Cum ergo tales deceperint apostolicum, ut fraudulenter absolvantur ab eo, irrita est eis illa absolutio, ideoque nec ab eo nec a nobis confirmanda. » Quidam autem in concilio dixit : « Vidi nuper de episcopo Engolismensi, qui præsens est, quod dico. Quidam ex suis parochianis excommunicatus ab eo, dum satisfacere nollet, non poterat impetrare ab eo pœnitentiam. Qui sine licentia episcopi sui papæ Romano subripuit pœnitentiæ legem, et litteras ex nomine ejus episcopo detulit in Cœna Domini, quibus episcopum rogabat apostolicus quatenus illi pœnitentiam, quam imposuerat affirmaret. Episcopus vero, intelligens fraudem, ait homini : « Versa « vice, quod ego postulare debueram ab apostolico, « apostolicus postulat a me. Non credere possum « hoc mandatum ab eo exortum, hoc tibi nihil « utile est, et donec aut a me vel ab hujus sedis ar- « chidiacono, me jubente, accipias pœnitentiam, « permane in excommunicatione. Et ejecit eum « foras de ecclesia. »

Et dixerunt episcopi : « Hoc ab ipsis apostolicis Romanis et cæteris Patribus cautum tenemus, ut parochiano suo episcopus si pœnitentiam imponit, eumque papæ dirigit, ut judicet utrum sit an non pœnitentia digna pro tali reatu, potest eam confirmare auctoritas papæ, aut levigare, aut superadjicere. Judicium enim totius Ecclesiæ maxime in apostolica Romana sede constat. Item si episcopus parochianum suum cum testibus vel litteris apostolico ad pœnitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro gravissimis fieri solet reatibus, in quibus episcopi ad dignam hæsitant pœnitentiam imponendam, hic talis licenter a papa remedium sumere potest. Nam inconsulto episcopo suo, ab apostolico pœnitentiam et absolutionem nemini accipere licet. Sane, ut exempli causa aliquid dicatur, beatus Martialis Aquitaniæ apostolus Stephano regi Galliarum, qui sub Nerone Galliam usque ad montes Pyrenæos regendi habebat potestatem, pro virginis Valeriæ interfectione cæterisque reatibus jam pœnitentiam indixerat, jam fonte baptismatis, quo cuncta delentur admissa, ipsum purificaverat. A Attamen quia necesse principi fuit ut Romam cum legionibus Galligenis, jubente Nerone, properaret, prænonente, ut credimus, beato Martiale, beatum Petrum apostolum adiit et pro virginis interfectione ab eo se absolvi postulavit. Illa profecto principis absolutio a beato Petro, confirmatio illius fuit absolutionis et pœnitentiæ, quam ei beatus Martialis indixerat. Certe beatus Petrus si sciret illum esse a beato Martiale excommunicatione obligatum, potius eum damnaret quam absolveret. Sic apostolici Romani episcoporum omnium sententiam confirmare, non dissolvere debent, quia sicut membra caput suum sequi, ita caput membra sua necesse est non contristari. Referam vero ad ædificationem quod dudum de illo milite contigit Vascone qui, B jubente duce Vasconum Sancio, seniorem suum decollavit, invitus tamen, et errore ducis perterritus id egit, interminante irato duce, et dicente : « Nisi istum occideris, occidam te. » Uno ergo ictu seniorem proprium decollavit, et gravissimo dolore repletus, ad episcopum suum pœnitentiæ causa recucurrit. Cui ille compassus dixit : « Debueras « pro seniore tuo mortem suscipere, antequam illi « manus aliquo modo inferres, et martyr Dei pro « tali fide fieres, sed gravissimum reatum egisti, « et nobis inauditum. Nescio tibi consilium ferre « pœnitentiæ, sed vade quantocitius ad papam « Romanum. Si tibi ille pœnitentiam concedit, et « ego gaudeo, et confirmo; si te ille abjecerit, nun- C « quam nec a me nec ab aliquo invenies pœniten- « tiam. » Quod ille concitus implevit, et cum testibus detulit secum litteras episcopi sui. Et cum apostolicus secunda paschali feria apud Sanctum Petrum sacra agens post evangelium resedisset, cœpit ille reus ante eum in conspectu totius Ecclesiæ gravissime plorans et suspirans exclamare, dicens : « Pœnitentiam volo, domine; pœnitentiam « volo, domine. » Et apostolicus, qui dextra lævaque ei assistebant ait : « Requirite pro qua culpa. » Ille inquisitus nihil aliud dicebat : « Creatorem « meum offendi, Creatorem meum offendi. » Cui apostolicus : « Cur, inquit, episcopum tuum non « expetebas ? » Et ille : « Episcopus meus me misit « ad te. » Tunc testes apostolico suggesserunt cul- D pam eique litteras episcopi protulerunt. Sic apostolicus episcopo qui a dextris ejus stabat locutus est, dicens; « Recogita auctoritatem divinam, « quali pœnitentia hic mortuus possit vivificari. » Et episcopus ait : « Dominus dicit in Evangelio : « *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel soro-* « *res, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut fi-* « *lios, aut agros, propter nomen meum, centuplum* « *accipiet* (*Matth.* XIX)..... »

Cætera desiderantur.

GUIDO DE CASTELLIONE

REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN GUIDONEM DE CASTELLIONE.

(*Gall. Christ.*, tom. IX p. 65.)

Anno 1033, mense Julio, archiepiscopalem iniit dignitatem Guido de Castellione, cujus prosapiam accurate prosecutus est Andreas Quercetanus in gentis Castellionæ genealogica Historia. Hic duos fratres habuit, Gervasium de Castellione, Remensis Ecclesiæ vice dominum (dignitas illa tunc temporis penes laicos erat), et Miletium de Castellione. Scholæ Remensi traditus a pueritia, per aliquot annos in vita canonicali et ritibus ecclesiasticis sedulo se exercuit. Anno episcopatus sui secundo, altare S. Stephani dedit monialibus Sancti Petri Remensis; anno vero 1040 altare Crusciniaci monachis Remigianis. Hoc eodem anno cum lis exorta esset inter Ecclesiam Remensem et Richardum, S. Vitoni Virdunensis abbatem, pro moneta Mosomagensi, quam Ebalus archiepiscopus monetæ Remensi conjunxerat, adeptam prius possessionem iterum asseruit ecclesiæ suæ fœdere inito cum abbate, cui, ut damnum compensaret, parochiam de vineis liberaliter concessit. Anno 1043 dedit monasterio Mosomagensi ecclesiam Germerecii. Anno 1047 subscripsit placito regis Henrici pro cœnobio S. Medardi adversus Robertum Codiciacensem. Anno 1048 adfuit concilio Silvanectensi. Anno 1049 Leonem IX pontificem maximum, comitantibus Trevirensi, Lugdunensi ac Vesuntiensi archiepiscopis, magna pompa excepit in urbe sua metropolitana, ubi sanctissimus pontifex, dedicata VI Non. Octobr. Remigiana basilica, eodem in templo postridie ejusdem diei concilium celebravit viginti episcoporum et quinquaginta abbatum, ubi controversia inter Remensem et Trevirensem exorta de primatia sedis et prærogativa sessionis præsente Leone agitata est, nec dirempta; qua de causa, ut tolleretur omnis contentionis occasio, sedilia prælatorum in modum coronæ disposita sunt.

Quid vero in ea synodo statutum fuerit docent canones sanciti de Simoniaca hæresi ac quibusdam aliis vitiis quibus infecti plures, tam episcopi quam comites, anathemate perculsi sunt. Sed cum acta integra concilii ex Remensis Ecclesiæ tabulario, nec non historiam longiorem retulerit Baronius ad hunc eumdem annum, sufficit obiter tangere ex Sammarthanis, quæ ad Guidonem propius spectant.

A « Die quinto Nonas Octobris, inquiunt illi, congregati sunt in memorata basilica episcopi numero viginti, cum quadraginta abbatibus, et aliis ecclesiastici ordinis quam plurimis. Ubi statim vetus querela inter Remensis et Trevirensis archiepiscoporum clericos est renovata, illis astruentibus quia Remensis primas esset in Gallia, ideoque illi dispositio competeret synodica; e contra vero illi archiepiscopo Trevirensi eamdem dignitatem conabantur ascribere, primamque sedem post Romanæ Ecclesiæ præsulem in celebrando concilio acquirere, etc. Post hæc consederunt omnes ordine quo Remensis archipræsul disposuit; dominus quidem papa in medio chori, verso vultu ad sepulcrum B. Remigii Remensis in dextra; Treverensis in parte resedit sinistra. Post Remensem deinde resederunt Beroldus Suessionensis, Drogo Morinensis, Frollandus Silvanectensis, Adelbero Metensis; ad meridianam autem plagam Haimardus archiepiscopus Lugdunensis, Hugo Lingonensis, Joffridus Constantiensis, Ivo Sagiensis, Herbertus Lisoiensis, Hugo Bajocensis, Hugo Abrincensis, Theodoricus Virdunensis; ad septentrionalem vero plagam Hugo archiepiscopus Vesuntinensis, Hugo Nivernensis, Eusebius Andegavensis, Pudicus Nannetensis, episcopus Anglorum, et Joannes Portuensis. Post quorum terga in modum coronæ similiter resederunt abbates hoc ordine, scilicet abbas S. Remigii Herimarus, Hugo Cluniacensis, Sigefridus Gorziensis, Fulco Corbeiensis, C Rotbertus Prumeiensis, Rainoldus S. Medardi, Girvinius S. Richarii, Gotfridus Vezeliacensis, Arnoldus Pultariensis, Rodolfus Mosomensis, Oylardus Catalaunensis, Milo Dervensis, Norgaudus Altivillarensis, Albertus S. Theoderici, Stephanus S. Urbani, Wlricus S. Augustini Cantuariensis, Alwinus S. Benedicti de terra Anglorum. Quibus ita resedentibus, ex præcepto papæ surrexit Petrus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus, expedito sermone proponens de quibus in eadem synodo sermo esset habendus, de multis videlicet illicitis, quæ contra canonum instituta in Gallicis finibus exercebantur, id est de Simoniaca hæresi, de ministeriis ecclesiasticis, et altaribus quæ a laicis tenebantur, de pravis consuetudinibus quæ ab

eis in atriis ecclesiarum accipiebantur, de incestis conjugiis, et eis qui, legitimas relinquentes uxores, adulterinis iterum nuptiis implicabantur, de monachis et clericis a sancto proposito et habitu recedentibus, item de clericis mundanæ militiæ studentibus, de Sodomitico vitio, et quibusdam hæresibus quæ in eisdem pullulaverant partibus. Quibus propositis, admonuit omnes qui aderant, ut inde secum prudenti deliberatione tractarent, consiliumque cum opportuno adjutorio papæ præberent, quomodo hæc zizania, pravæ segetis semen, suffocantia exstirpari valerent. Post hæc ad episcopos sermone converso, commonuit illos, sub anathemate apostolicæ auctoritatis, ut si quis eorum per Simoniam pervenisset vel præmio quemlibet ad eamdem dignitatem promovisset, publica confessione patefaceret. Primus ergo Trevirensis archiepiscopus ad hæc verba surrexit, seque nec aliquid dedisse vel promisisse pro adepto episcopatu neque alicui sacros ordines vendidisse respondit. Deinde Lugdunensis et Vesontiensis surgentes, ab hujusmodi culpa professi sunt esse immunes. Tunc præfatus diaconus ad Remensem archiepiscopum se convertit, et quid de his ex quibus a cæteris facta fuerat purgatio ediceret requisivit. At ille surgens inducias petiit usque in crastinum diem; dicens se velle privatim loqui ad domnum apostolicum. Cumque datæ essent, cæteri omnes surrexerunt in ordine secundum verba priorum, purgantes se ab hujusmodi suspicione, quatuor tantummodo exceptis, Lingonensi videlicet, Nivernensi, Constantiensi et Nannetensi; quorum causa eo die ad discutiendum relicta, diaconus sermonis cursum ad abbates qui aderant vertit, eosque ne forte ipsi in ovile Dominicum aliunde, non per ostium introissent, confiteri admonuit. Primus S. Remigii abbas Herimarus surrexit, seque ab hujusmodi culpa congrua responsione purgavit. Deinde Hugo Cluniacensis subsecutus hanc purgationis suæ rationem subintulit, dicens : Pro adipiscendo abbatiæ honore, Deo teste, nihil dedi vel promisi; quod quidem caro voluit, sed mens et ratio repugnavit. Post hunc se quidam congrue excusare studuerunt; alii vero nihil respondentes, reatum suum occulere quam patefacere maluerunt. Tunc Lingonensis episcopus surgens, super abbate Pultariensi, diœcesano suo, plurimum est conquestus, quod videlicet in fetore luxuriæ vivens, pluribus flagitiis inserviebat, beato quoque Petro, ejusque vicario, Romanæ scilicet Ecclesiæ pontifici, cujus abbatia illa erat, debitum censum quotannis persolvere detrectaverat; et inde excommunicatus missarum sacramenta celebrare præsumpserat, excommunicationique adhuc subjacens eidem synodo intererat; qui discussus, nec ab objectis se valens purgare criminibus, ab honoris sui est dignitate depositus, etc. Sequenti die ad memoratam basilicam convenientibus episcopis, papa cum quibusdam eorum secessit in oratorium S. Trinitatis, ubi dum cum eo confessionis suæ privatum colloquium Remensis habuisset episcopus, et de ecclesiasticæ religionis profectu tractatum esset diutius, eo ordine quo et transacta die, apostolicus inde processit. Deinde suo loco residentibus, Remensem archiepiscopum ut de Simoniaca hæresi, de qua hesternas obtinuerat inducias, rationem redderet, præfatus annuit cancellarius, impetens eum etiam de multis quæ se, fama vulgante, comperisse asserebat criminibus. Ad hæc archiepiscopus surgens, ut sibi consiliandi facultas concederetur expetiit. Qua impetrata, Vesuntionensem, Suessionensem, Andegavensem, Nivernensem, Silvanectensem ac Morinensem episcopos convocans, cum eis mysterium habuit consilii sui, indeque reversus causam suam ut Silvanectensis peroraret a papa obtinuit. Surgens autem episcopus Silvanectensis, eumdem archiepiscopum respondit non esse reum Simoniacæ hæresis; his auditis, apostolicus præcepit ut hæc ita esse sacramento comprobaret archiepiscopus; at ille canonicas inducias inde postulavit, seque post earum expletionem quod ratio purgationis posceret peracturum spopondit. Quibus ei concessis, statutum est ut medio Aprili concilio quod Romæ celebrandum erat interesset. Cætera vero quæ ei objecta sunt, quia legitimi accusatoris videbantur delatione carere, decretum est ad præsens indiscussa re manere. » Narrant ista totidem verbis acta concilii. De reliquis rebus gestis consulat Baronium qui plura voluerit.

Ab hac synodo reversus Guido celebravit, anno 1051, in ecclesia sua metropolitana nuptias Henrici I, Francorum regis, et Annæ, sanctumque Lietbertum consecravit episcopum Cameracensem. Anno 1052, VI Non. Maii, episcopatus sui, ut aiunt, XXIX, seu potius XIX, celebravit elevationem corporis B. Berthini in monasterio Sithiensi, astantibus Drogone Morinensi, abbatibusque Herimaro S. Remigii, Alfredo S. Wilmari, Gervino S. Richarii, Fulberto S. Bavonis, Rumoldo S. Vinoci, præsente item Adela Roberti Francorum regis filia et Balduini Insulani conjuge, quæ brandeum liberaliter suppeditavit quo reliquiæ involutæ sunt. Eodem anno subscripsit litteris Henrici I regis in gratiam novi cœnobii Casæ-Dei datis. Anno 1053 altare basilicæ curtis impertiit monasterio S. Remigii, ubi sepulturam elegerat. Eodem anno donum quod in loco dicto Urillo eidem monasterio contulerat Manasses fratris sui filius confirmavit; adfuitque detectioni sacrorum corporum in æde Dionysiana prope Lutetiam. Denique, post assensum datum restaurationi monasterii Sparnacensis, diem clausit extremum, Kal. Septembr. anno 1053, sepultusque est apud P. Remigium.

GUIDONIS DIPLOMATA.

I.

Guidonis privilegium Odilæ abbatissæ Parthenonis S. Petri concessum.

(Anno 1035.)

[Dom. Marlot, *Metropolis Remensis*, II, 84.]

In nomine Dei. Amen.

Ego Vido, Remorum archiepiscopus, notum fieri volo omnibus Christianis fidei cultoribus, futuris atque præsentibus, nostræ conventionis commune statutum quod de altari Sancti Stephani fecimus cum Sancti Petri abbatissa Odila, et sanctimonialibus. Defuncto Dodone, venit in nostra manu et potestate supradictum altare; abbatissa vero, audita morte Dodonis, quam citius potuit, adiit præsentiam nostræ..... familiaritatis et ut sæpe dictum altare sancto Petro concederem impersonaliter (1), requisivit. Tali tenore præbuimus assensum petitioni abbatissæ et sanctimonialium ut, quandiu in hoc sæculo vita comite fuerimus, memoria nostri fieret unaquaque hora in orationibus earum.

Postquam suprema dies, subtracto lumine, nostros clauserit oculos, annuatim, sicut conventio fuit, anniversarium nostrum recoletur ab illis, ita ut in illo die pro animæ nostræ remedio celebretur vigilia et defunctorum fiat commendatio, convocatis duodecim presbyteris, totidem missæ eodem die canantur, et pro anima nostra in refectorio satientur pauperes triginta, ob memoriam nostri in unum congregentur, et, ut dictum est, pro supradicto altari in nomine Christi reficiantur, quia scriptum est: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et ut hoc nostræ auctoritatis scriptum quod fecimus inconcussum maneat cunctis diebus nostra auctoritate omnino corroboramus. Insuper et sancti Petri, regni cœlorum clavigeri, cui prædictum altare contulimus, hoc scriptum nos ipsi firmavimus, manuque fidelium nostrorum roborari fecimus.

Actum Remis, regnante rege Henrico an. VIII, episcopatus domni Guidonis an. II (2).

Sig. Harduini archidiaconi.
Sig. Richardi archidiaconi.
Sig. Conranni decani.
Sig. Alberti camerarii.
Sig Alberici.
Sig. Harduini hujus loci præpositi.

A Oldaricus ad vicem Harduini cancellani scripsit et subscripsit.

II.

Charta Widonis archiepiscopi, qua Remigianis confert altare de Crusciniano.

(Anno 1040.)

[D. Marlot, *Metropolis Remensis*, II, 85.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Wido, Dei gratia Remorum archiepiscopus, notificare cupio Ecclesiæ nostræ, tam præsentibus quam futuris fidelibus, qualiter a domino abbate Theodorico cæterisque oratus et exoratus altare de villa quæ Crusciniacus dicitur pro animæ meæ remedio S. Remigii tradiderim cœnobio, ad Dei gloriam, B beati quoque Patris et antecessoris nostri Remigii amorem, evidenter considerans par esse justis petitionibus acquiescere, Dominumque honorari in sancti sui confessoris veneratione. Non enim dignum judicavi rem petitam denegando Francorum apostolo atque patrono, relragari, cujus patrocinio nos speramus semper et ubique protegi. Ne autem inconsulta in altari tradito putetur temeritas (3), consensu atque consilio Beroldi Suessionensis episcopi, clericorum etiam ac laicorum nostrorum instinctu, prædictum altare Sancto Remigio tradidi possidendum jure perenni, tali permissione habita ut, una persona defuncta, a loci abbate præsentetur altera, cui altare reddatur absque omni pecunia, C talisque sit personarum substitutio per sæcula. Ita tamen ut pro respectu denarios octodecim, sicut reliqua altaria, tam mihi quam successoribus meis, solvat in synodo annua. Hujus conventionem traditionis volens permanere inviolabilem scripto studio destinavi posteris ad conservationem. Quinimo auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nec non beatæ Mariæ virginis, sancti quoque Remigii omniumque sanctorum suffragantibus meritis, excommunicamus præfatæ conventionis violatorem, testibus his præsentibus.

Widone archiepiscopo.
Albrico præposito.
Constantino decano.
D Beroldo episcopo.
Guntranno chorepiscopo.

(1) Impersonaliter *tenendum concedit, hoc est sine persona quæ vere titularis succedat, et sic forsan altare cum onere datur.*

(2) *An. 2 regni Henrici, numerando a die coronationis ejusdem.*

(3) Altaria monasteriis primum sub vicaria personarum constitutione tribuebantur, ut Wido hic Remigianis dat Crusciniacum: postea vero ab episcopis libera ab omni personatu data sunt in gratiam religiosorum, ut patet ex charta Elinandi Laudun. episcopi in Historia Dionysii fol. 463. Item ex altari de S. Thoma per Manassem archiep. ann. 1096 concessa. « Altare, inquit, beati Thomæ S. Remigio contradidi, et ut ibidem fratres Deo militantes aggregentur, absque persona tenendum concessi. »

Richardo, Odalrico, etc.

Actum est Remis, anno Dominicæ incarnationis 1040, indict. VIII, regnante Henrico rege ann. XII, episcopatus domini Widonis VII. Testes Gerardus, Erlebaldus, Henricus, Bernaerus, Boso, Rainaldus, Varinus. Vauterannus cancellarius scripsit † et subscripsit (4).

III.

Concordia Widonis archiepiscopi Remensis cum Ricardo abbate S. Vitonis Virdunensis.

(Anno 1040.)

[VARIN, *Archives administratives de la ville de Reims*, p. 206, ex chartulario S. Vitonis Virdun.]

Ego Wido, Dei munere Remorum archiepiscopus, innotescere volo cunctis præsentibus et futuris Ecclesiæ nostræ fidelibus quod altare de Wivariis tradiderim cœnobio B. Petri, sanctique Vitonis in suburbio Virdunensi, in dando annexa occasione hujusmodi : Richardus abbas et fratres ejusdem cœnobii questi sunt apud me quod antecessor meus dominus Æbalus injuste abstulerit monetam Mosomensem de cœnobio supradicto, quam legaliter tenebant ex dono imperatoris Henrici, interventu quoque Herimanni comitis cujus beneficium exstiterat. Hanc enim suæ monetæ Remensi conjunxerat. De qua re sæpius conventus a domno abbate Richardo ac fratribus ejus, cum renuissem reddere quam repetebant monetam, ne viderer mutilare nostræ utilitatis commodum, et monetam Remensem imminuendo viliorem facere, habito consilio cum clericis fidelibus et laicis nostris pro restauratione monetæ Mosomensis, et quia Deus honoratur in servitiis, personæ ab eis præsentatæ altare supradictum tradidi, dato tenore hujusce privilegii, ut, persona defuncta, alteri personæ ad opus monachorum altare reddatur absque omni pecunia, talisque sit personarum successio per sæcula. Hoc decretum auctoritatis nostræ præcepti conscriptione studuimus confirmare, ne quis amodo præsumat violare; sed et si quis tentaverit, videat ne sibi januas cœli clauserit, quod janitoris injuriam, res ejus auferens, inciderit.

Datum anno incarnationis Domini 1040, indict. VIII. Actum Remis, regnante Henrico rege anno secundo, episcopatus domni Widonis anno VII. Odalricus cancellarius scripsit et subscripsit.

IV.

Widonis archiepiscopi Remensis charta de altari Germereii pro cœnobio Mosomensi.

(Anno 1043.)

[MABILL. *De re diplom.* II, 603, ex autographo.]

† In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Notum sit omnibus tam præsentibus quam etiam futuris fidelibus, quod ego Wido Remorum archiepiscopus, favente Odone archidiacono, pariterque canonicorum conventu, precatu quoque domni Rodulfi abbatis cæterorumque fratrum, concesserim quoddam altare in villa quæ dicitur Germereium abbatiæ sanctæ Mariæ Mosomensis, ob remedium animæ meæ, eo vero tenore, ut, defuncta ipsius altaris persona, alia ab abbate, quamcunque voluerit, præsentata absque aliquo munere canonice restituatur. Et ut hoc firmum et stabile in perpetuum maneat, violatorem et infractorem hujus rei jaculo anathematis percutimus, et vinculo excommunicationis alligamus.

† Signum Widonis Remorum præsulis.

Signum Odonis archidiaconi. S. Albrici præpositi. S. Warini archidiaconi. S. Constantii decani. S. Richardi cantoris. S. Richeri presbyteri. S. Alberti. S. Rotgeri. S. Gerardi. S. Erlebardi. S. Hugonis. S. Widrici. S. Odonis. S. Sigeberti. S. Herimanni. S. Leuvini. S. Hugonis. S. Manasse. S. Roderici. S. Rotberti.

Actum Remis anno incarnationis Dominicæ 1043, indict. XI, regnante Henrico rege Francorum anno XVII, episcopatus vero domni Widonis archiepiscopi anno XI. Odalricus cancellarius scripsit.

V.

Guido archiepiscopus Remensis confirmat donum Manassis nepotis sui Herimaro abbati Sancti Remigii de quibusdam terris, in confinio castri beati Remigii sitis, præsenti charta, a nobilibus vicinis subscripta.

(Anno 1053.)

[D. MARLOT, *Metropol. Rem.*, II, 110.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Est in confinio castri sancti Remigii terra adjacens vicinitati terrarum adjacentium in villa sancti Remigii ex parte quæ a Viridate dicitur (*Vrilly*), de possessione cujusdam vicedomini Remensis qui dicebatur Manasses Calvus, nepos Widonis archiepiscopi. Volens ergo dominus abbas Herimarus quoddam mansionile ibi prope memoratam villam construere, nomine Tollensviam, pro eo quod viam abstulerit quæ perinde solita erat fieri, quia contigua et immista erat ipsa terra reliquis terris Sancti Remigii, ne aliquando paterentur aliquod scandalum homines easdem colentes a domino possessore ipsius terræ, de qua supra retulimus, petivit in præsentia domni archiprælusis Widonis ab ipso Manasse Calvo dari Sancto Remigio eam pro remedio animæ suæ et animarum filiorum suorum. Ipse autem noluit hoc facere nisi ea conditione ut darentur sibi centum solidi quotannis vitæ suæ, et post mortem suo hæredi. Herimarus autem, consilio habito cum Manasse comite qui tunc præsens aderat, et cum reliquis casatis ex præcepto ejusdem archiprælusis memorati, noluit assentire ut daret ei memoratum pretium, scilicet centum solidos, nisi quandiu viveret. Denique hortatu omnium qui aderant, imo prece et imperio

(4) In sigillo præstat effigies archiepiscopi media parte corporis cum hac inscriptione : SIGILLUM WIDONIS ARCHIEPISCOPI REMENSIS.

avunculi sui supra taxati archipræsulis, ad ultimum A consentit ut haberet centum solidos quoad viveret, post mortem vero suam et terram et denarios sanctus Remigius jure quieto possideret. Hanc igitur conventionem in præsentia sua litteris commendare præcepit domnus Wido archipræsul, et ut per succedentia temporum curricula inconvulsa maneret, archiepiscopalis auctoritatis sigillo cum clericorum et laicorum qui adfuerunt testimonio corroboravit.

Signum domni Widonis archipræsulis.

Signum Odonis archidiacon.

Signum Herimari abbatis, etc.

Laicorum vero signum Manassæ comitis. Signum Rogeri comitis. Signum Rainoldi Suessionici comitis. Signum Widonis militis.

Acta est hæc Remis, in ecclesia Sanctæ Mariæ, anno incarnationis Domini 1033, indict. VI, regnante Henrico rege Francorum anno XXIV, archiepiscopatus autem Widonis an. XX. Odalricus cancellarius scripsit.

EPITAPHIUM GUIDONIS.

(D. Marlot, *Metropol. Rem.* II, 111.)

Fluxus honor mundi, proceres! cur debet amari?
Dum manet, excruciat, et post quid cernite fiat.
Iste bis undenos geminos cum mense per annos,
Archiepiscopium possedit Wido Remorum;
Stat pius ac humilis in culmine nobilitatis.
Heu miseram sortem! facit hunc caro putrida vermem,
Ast animam Jesus foveat vi nominis ejus,
Terrea Kalendis linquentem claustra Septembris.

CIRCA ANNUM DOMINI MLIV-LVII.

ANSELMUS

MONACHUS S. REMIGII REMENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VII, pag. 477.)

Anselme a cela de commun avec plusieurs autres B écrivains, qu'il ne nous est presque connu que par les productions de sa plume. S'il faut s'en rapporter à Trithème (*Chr. Hir.* t. I, p. 202; *Script.*, c. 333), c'était un homme versé dans toutes sortes de belles connaissances, principalement dans l'intelligence des saintes Écritures. Ce qu'il y a de vrai, c'est qu'il était homme de mérite et qu'il avait le talent d'assez bien écrire pour son siècle.

Il avait avec lui à Saint-Remi de Reims, dont il était moine, plusieurs confrères, gens de savoir et de vertu, dont quelques-uns furent élevés aux premières dignités du cloître (Mab. *An.* 1, p. 63 n. 88). Il fut cependant celui qu'Hérimar, leur abbé, choisit par préférence, pour faire la relation de ce qui s'était passé à Saint-Remi à la dédicace de l'église, faite en 1049 par le pape Léon IX (*Act.* t. VIII, p. 713, n. 1).

Anselme en ayant été témoin oculaire, et possédant les qualités qu'on vient de voir, était propre à réussir dans ce dessein. Il ne l'exécuta toutefois qu'au bout de quelques années, et tout au plus tôt en 1056, lorsque Gervais était déjà devenu d'évêque du Mans archevêque de Reims, ce qui arriva l'année précédente. Quoique son écrit porte simplement le titre d'Histoire de la dédicace de l'église de Saint-Remi de Reims, Anselme n'a pas laissé d'y faire entrer, avec un détail aussi agréable qu'instructif, plusieurs célèbres événements qui précédèrent et suivirent cette cérémonie.

On peut distinguer cinq ou six parties dans le corps de sa relation, qui sont presque toutes an-

noncées dans la préface, adressée aux moines de A Saint-Remi. D'abord l'auteur y décrit la construction de la nouvelle église qui fut dédiée, et fait connaître celle qui subsistait auparavant. Il fait ensuite la relation du voyage que le Pape Léon IX entreprit de Rome à Reims pour venir faire cette dédicace, marquant avec soin tout ce qui se passa de mémorable sur sa route. C'est la raison pour laquelle Sigebert (*Script.* c. 152) a donné à l'écrit entier d'Anselme le titre d'Itinéraire du Pape Léon IX de Rome dans les Gaules, et Trithème (*Script.* c. 333), celui d'Histoire de ce que fit ce Pape en France, dans la tenue des conciles et autres assemblées. De là Anselme passe à la description de la dédicace et la translation du corps de saint Remi, qui se firent le second jour d'octobre de l'année déjà marquée 1049. B Ce morceau d'histoire, comme tout le reste, est écrit avec une noble simplicité, un ordre et un détail qui charment le lecteur. Après quoi vient la relation du grand concile qui se tint les deux jours suivants, troisième et quatrième d'octobre. C'est la partie de l'écrit la mieux circonstanciée comme la plus intéressante. Sigebert et Trithème ne l'avaient pas lue avec attention, en ce que, parlant des événements de cette assemblée, ils mettent sur le compte de l'évêque de Frisingue ce que la relation dit être arrivé à Hugues, archevêque de Besançon. Enfin Anselme termine son écrit par quelques miracles qui s'étaient opérés depuis la dédicace, à quoi il a joint la lettre du Pape aux Français, pour les engager à célébrer C la fête de la translation de saint Remi au premier d'octobre.

Baronius est le premier qui ait imprimé l'écrit d'Anselme (Bar., *An.* t. XI, App., p. 1055-1070); mais sans le nom de son auteur, et après en avoir retranché la première partie. Dom Marlot l'a donné dans la suite en entier, à la préface près et quelques lignes qui précèdent immédiatement la lettre du Pape Léon IX (Marl. t. II, p. 88-104). Les continuateurs de Bollandus en ont aussi fait entrer plusieurs morceaux dans leurs savantes observations sur la Vie du même Pape (Boll. 19 Apr., p. 642-644). On a encore, dans la Collection générale des conciles, tout ce que Baronius avait déjà publié du même ouvrage (Conc. t. IX, p. 1028-1045). La meilleure édition qu'on en ait est celle qu'en a donnée dom Mabillon sur les manuscrits de Saint-Remi de Reims, avec des observations historiques et critiques (Mab., ib., p. 711-727). C'est sur cette édition que le célèbre M. l'abbé Fleury a fait un ample extrait de l'ouvrage, qui est un des plus beaux morceaux du XII^e^ volume de son Histoire ecclésiastique (Fleury, *H. E.*, l. lix, n. 59-63).

A la tête du texte d'Anselme, dans un manuscrit de Saint-Martin de Tournai (Sand. *Bib. Belg.* ms., part. I, p. 126, 127), se trouve la lettre prétendue du grand saint Benoît à saint Remi, évêque de Reims, et à la suite une autre lettre des moines de Saint-Remi à ceux du Mont-Cassin, pour assurer ceux-ci que la lettre précédente est sincère, et leur rendre compte de son envoi d'Italie en France. Il n'y a pas, ce semble, lieu de douter que cette seconde lettre ne soit aussi un écrit d'Anselme.

HISTORIA DEDICATIONIS ECCLESIÆ S. REMIGII APUD REMOS

AUCTORE ANSELMO EJUSDEM LOCI MONACHO ET ÆQUALI.

(*Mabill. Acta Bened.*, tom. VIII, pag. 711.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1 Non semel jam his in Actis de percelebri ar- D chimonasterio Sancti Remigii apud Remos sermonem fecimus; verum nulla hactenus occasio occurrit quæ ejus dignitatem adeo commendarit quam ejus basilicæ dedicatio, a beato Leone IX summo pontifice facta. Nihil omnino prætermisit sanctissimus papa ut eam redderet celeberrimam, eo præcipue animo in Gallias accedens ut summam animi religionem, qua erga beatum Remigium tenebatur, palam coram universo orbe testatam faceret. Unde indicta synodo, quam in eadem basilica habuit, episcopos aliosque utriusque ordinis primores invitavit ut ad hanc celebritatem convenirent. Et licet quorumdam malevolorum invidia, rex Francorum rebellibus comprimendis intentus, huic solemnitati præsens non adfuerit, tanta tamen ad eam convenit omnium ordinum multitudo, ut vix eam plateæ urbis amplissimæ et basilicæ frequentes capere potuerint. Huc ex omnibus fere Europæ nationibus homines convenisse, præter alios auctores, Wibertus archidiaconus, qui beati pontificis comes individuus fuit, disertis verbis affirmat. Nam præter Italos o-

Germanos, qui ibi frequentes adfuerunt, sic de aliis populis loquitur libro II, cap. 4, Vitæ sancti Leonis: « Invitatur, » Leo papa, « ab Herimaro abbate venerandi cœnobii sancti Remorum pontificis, ad consecrandam ecclesiam in ejus honore constructam; ubi non est dictu facile quanta multitudo a finibus terræ, Hispanorum, Britannorum, Francorum, Anglorum, advenerit ejus invisere præsentiam. In qua præsentia adfuit etiam non modicus cœtus pontificum. »

2. Hanc solemnitatem data opera descripsit Anselmus, monachus ejusdem cœnobii Sancti Remigii, jussu Herimari abbatis, in libello singulari ea de re edito sub titulo Itinerarii papæ Leonis, in quo omnia quæ præsens viderat et audierat singillatim exponit. Hujus auctoris meminit Trithemius libro De scriptoribus ecclesiasticis, quem in Scripturis divinis exercitatissimum fuisse, et alia opuscula præter Itinerarium edidisse, scribit. De itinerario autem sic habet: « Congessit in unum volumen gesta Leonis papæ IX per Galliam in conciliis et conventibus facta, ut notificaret quanta auctoritate Remis vel in aliis urbibus synodum celebraverit, quanta industria et subtilitate examinaverit causas ecclesiasticas, quave districtione peccantes correxerit, quomodoque ei virtus divina cooperata sit, » etc. Hæc mutuatus est Trithemius ex Sigeberto, qui eadem omnino verba habet in libro De scriptoribus ecclesiasticis. Ejusdem quoque, post alios auctores vulgatos, meminit Marlotus, tom. II Historiæ Remensis, inter viros illustres qui Remis sub Gervasio archiepiscopo claruerunt. Porro id opusculum jam per partes ferme editum, hic, et quidem integrum ex Remensibus manuscriptis edere visum est, ne tantæ celebritatis, et fortasse omnium majoris quæ in ecclesiarum dedicationibus unquam facta fuerit, descriptio in his Actis desideraretur.

3. Præter Anselmum alii quoque scriptores basilicæ Remigianæ dedicationem et concilium ibidem habitum scriptis suis celebrarunt. Willelmus Gemmeticensis libro VII Historiæ Normannorum integrum caput 15 ea de re habet, ubi quædam de Ivone Sagiensi episcopo narrat, quæ in Anselmi opusculo relata non sunt, quæ ideo hic visum est proferre: « In illo tempore sanctus Leo papa Gallias expetiit, ecclesiam Sancti Remigii Remensis episcopi consecravit, ejusque corpus in ecclesiam nuper dedicatam transtulit. Tunc Remis idem papa grande concilium tenuit, et desides episcopos vel abbates acriter redarguit, inter quos, ut dicunt, propter combustionem ecclesiæ Ivoni dixit: *Quid fecisti, perfide? qua lege damnari debes, qui matrem tuam cremare ausus es?* Eloquens Ivo palam confessus est se quidem malum fecisse, sed ad hoc scelus agendum se graviter coactum fuisse, ne deteriora fierent a scelerosis super filios Ecclesiæ. Deinde pœnitentiam secundum sagacis papæ jussum accepit, ac de restituenda Sancti Gervasii ecclesia operam adhibuit. Igitur Apuliam et inde Constantinopolim perrexit..... Reversus autem Sagium, ecclesiam tam magnam cœpit ædificare, » etc. Non tamen malitiose ecclesiam suam incenderat Ivo, ut ex cap. 13 ejusdem libri patet; sed cum ea a seditiosis occupata fuisset, incensæ sunt vicinæ domus, et flante vento incendium adeo exarsit, ut ecclesia quoque simul cum illis cremata fuerit. Meminit ejusdem dedicationis et concilii ea occasione habiti Ordericus Vitalis, libro V Historiæ ecclesiasticæ, ubi observat presbyteros ex eo tempore consuetudinem arma deferendi sensim abjecisse. « Tunc, inquit, ibidem generale concilium tenuit, et, inter reliqua Ecclesiæ commoda quæ instituit, presbyteris arma ferre et conjuges habere prohibuit. Exinde consuetudo lethalis paulatim exinaniri cœpit. Arma quidem ferre presbyteri jam gratanter desiere, sed a pellicibus adhuc nolunt abstinere, nec pudicitiæ inhærere. » Mirum autem est nihil de presbyteris concubinariis haberi inter canones concilii quos Anselmus retulit, nisi forte de iis intelligatur canon adversus incestuosas conjunctiones prolatus. Certum est tamen eo in concilio presbyterorum conjugia proscripta fuisse, quod alii etiam auctores præter Ordericum observarunt. Nam Albericus in Chronico observat sancti Hugonis Cluniacensis abbatis consilio papam Leonem in concilio Remensi presbyterorum conjugia prohibuisse. Et quidem Raynaldus abbas Vezeliacensis in Vita ejusdem sancti Hugonis scribit beatum Leonem, « ob hæreses Simoniacorum et Nicolaitarum a Galliis exstirpandas Remis synodum celebrasse. » Et in altera ejusdem sancti Vita, quam Hildebertus episcopus Cenomanensis Pontio abbati Cluniacensi nuncupavit, refertur Leonem nonum Remis *synodum* celebrasse *generalem*, ac, eo jubente, ibi Hugonem habuisse « sanctam et plenam gratiæ orationem, qua et Simoniaci e male comparatis expulsi sunt dignitatibus, et de sacrario Domini fornicatores inhibiti sunt sacerdotes. » De hac autem Hugonis oratione in Remensi concilio habita loquuntur etiam alii ejus Vitæ scriptores, sed nihil quidquam ex ea superest. Cæterum ante hos auctores Hermannus Contractus in Chronico suo jam notaverat « papam Leonem autumnali tempore synodum magnam Remis cum Galliarum episcopis habuisse. »

4. Sed illustrius est fragmentum libri fundationis monasterii Ramesiensis in Anglia quam ut a nobis prætermittatur; ex eo quippe discimus papam Leonem non solum Galliæ, sed etiam aliarum gentium episcopos ad concilium Remense convocasse. Unde non mirum est si passim a vetustis auctoribus *concilium generale* nuncupetur. Fragmentum istud edidit Spelmannus tome I Conciliorum Anglicanorum, ad annum 1049, ubi sic habetur: « Acta sunt hæc postquam supradictus abbas Ramesiensis Alfwinus repatriavit, revertens de magno concilio quod Remis a Leone papa, anno Verbi incarnati 1049, celebratum est, quo missi fuerant honorabiliter a rege

Edwardo Duduc episcopus (Wellensis), et ipse Alfwinus Ramesiæ, et Wlfricus de Sancto Augustino abbates, decreta Christianitatis quæ ibi a sanctis Patribus statuebantur relaturi. Nec silentio prætereundum quod memoratus abbas Alfwinus in memorato concilio Remensi tantam in oculis domini papæ Leonis gratiam invenit, ut, ad preces ipsius et instantiam, Ramesensem ecclesiam liberali protectionis apostolicæ dono privilegiatam, et jura ejus et possessiones, tam habitas tunc quam in posterum justæ acquisitionis titulo habendas, auctoritate suarum litterarum, contra malignantium infestationem communiret. » Ex hoc autem fragmento discimus nomen Duduci seu Duduconis, qui concilio Remensi cum duobus abbatibus Anglis mittente Edwardo rege adfuit. Hic Duduco inter Wellenses antistites decimus quartus numeratur, quam sedem amplius viginti septem annis tenuit. Porro etsi Rogerius Hovedenus in parte priori Annalium referat ab Edwardo Anglorum rege abbates duos ad synodum Remensem missos fuisse, nihil tamen habet de episcopo cum iis misso; observat autem præfectum Romæ aliosque Urbis primores Leonem in hoc itinere comitatos fuisse. Hæc sunt ejus verba. « Eodem anno, » inquit, id est 1049, « Leo papa, rogatu eximiæ religionis abbatis Herimari, in Franciam venit, habens in comitatu suo præfectum et dignio-res quosque Romuleæ urbis; et sancti Remigii Francorum apostoli monasterium Remis constitutum maximo cum honore dedicavit; et postmodum in ipsa urbe magnam synodum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, sex diebus celebravit; in qua synodo fuit Aldwinus Ramesigensis, et abbas monasterii Sancti Augustini, a rege Anglorum Edwardo illo missus. Hac in synodo « divinam religionem nimium tepefactam studiose reparatam fuisse » testatur, qui ei interfuerat Odalricus, præpositus ecclesiæ Remensis, in suo testamento, quod penes nos ex codice Remensis ecclesiæ ms. habemus.

5. Alii denique auctores dedicationem ecclesiæ Sancti Remigii passim scriptis suis celebrarunt, quos singillatim recensere nimis esset operosum. At hic omittere non licet ea occasione festum sancti Remigii, quod jam antea Kalendis Octobris celebrabatur, solemnius exinde evasisse, ex præscripto beati Leonis; qua in re sanctissimus pontifex antiquam ecclesiæ Francicæ in suum apostolum religionem, quæ fortassis ob bellorum tumultus nonnihil imminuta fuerat, in pristinum vigorem revocavit, data ea de re bulla quam Anselmus noster in opusculi sui fine inseruit. Verum cum in plerisque Galliarum locis iterum tepuisset erga sanctissimum antistitem hæc prisca veneratio, rursus excitata est decreto comitiorum generalium cleri Gallicani, quod agente piissimo antistite Felice Vialardo Catalaunensium episcopo, Remensis provinciæ legato, die 17 mensis Martii, anno 1657, editum est. Atque inde datæ sunt, nomine cleri Gallicani, litteræ ad universos episcopos, quibus innotesceret statutum fuisse ut in universo Galliarum regno beati Remigii festivitas sub duplici ritu celebris haberetur. Has litteras, simul cum privilegio altaris Remigiani, inferius integras exhibebimus.

6. Cæterum non modo beati Remigii festivitas ex Leonis decreto inde solemnis fuit, verum etiam et ipsum festum Dedicationis scilicet anniversarium. Quod præter Martyrologia Remensia, alia etiam externa commemorant. Hoc Ferrarius in Catalogo generali omnium sanctorum ad diem secundam Octobris inseruit, sicut et Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano, Hugo Menardus in Benedictino, Bucelinus in Menologio, etc.

PROLOGUS

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ BEATI REMIGII REMENSIS.

1. Dilectis in Christo fratribus sub beati Remigii tutela Deo militantibus, subsequentis auctor opusculi magnam incircumscriptæ dulcedinis multitudinem, quam timentibus se repromisit Deus. Cum vita nostra super terram tentatio sit, quia vetustatis deprimitur pondere, ad novitatis gaudium suspendi debemus in charitatis celsitudine, quam Deus commendavit in nobis, in unigeniti Filii sui humilitate. Quapropter ex imperio domini abbatis Herimari seriem dedicationis hujus sanctissimi Patris ecclesiæ silentio non patiar oblitterari. Sed quoniam a beatæ recordationis papa nono Leone, Deo auctore, facta est, eo magis dignam litteris tradam pro modulo ingenioli mei. Unde in primis paucis prælibabo quorum industria constructa fuerit anterior ecclesia, et ex cujus causa jam præ vetustate ruinam minitantis, hæc quæ nunc, Deo propitiante, subsistit, sumpsitque exordia. Additur etiam ut quia ex hujus dedicationis occasione a ministris diaboli multa excitata sunt scandala, et postea ex synodo ab eodem papa ibidem celebrata, multa provenerunt utilia. Deinde in fine hujus opusculi subjungam quæ per pretiosum Francorum patronum Remigium, aut visu aut auditu didici post ipsam dedicationem facta miracula. Vos autem, fratres, quos sinceræ devotionis fervor unanimiter in domo habitare facit divina..... hoc quantulumcunque obsequium fraterna excipite benevolentia, nec in eis tantum venusti cultique sermonis gratiam considerabitis. Unde non vos pigeat hoc aliquando legere, quia licet aurea et argentea vasa in domo Dei vestri habeatis plurima, ex quibus hauritis grandiloquia et dulciflua sancti Spiritus pocula, tamen interdum hæc, quamvis de fictili vase, vos recreare poterit aqua.

INCIPIT NARRATIO.

2. Basilica igitur gloriosi confessoris Christi Remigii corpore insignita, quæ usque ad hæc moderna perduravit tempora, Remensium quondam archiepiscoporum studio inchoata, et a venerabilis memoriæ Hincmaro eorum successore consummata, anno incarnati Verbi octingentesimo quinquagesimo secundo ab ipso est dedicata. Quæ quidem non adeo operosi ædificii solidata est munitione, quoniam barbaræ nationes, per id temporis hanc infestantes provinciam, frequenti incursione præfatos præsules ab hujusmodi præpediebant intentione; unde intra centum quinquaginta et duos annos tanta est attrita vetustate, ut jam ad casum propinquans reparationem sui videretur exigere. Anno vero Dominicæ incarnationis millesimo quinto, post reparationem autem monasticæ religionis per Hugonem pseudoepiscopum inibi factam sexagesimo secundo, ab Arnulfo archipræsule eidem loco ordinatus est Airardus abbas, post Hincmarum (1), præcipuæ bonitatis virum et in cœnobiali strenuum, ordine sextus. Qui Airardus cum sagaci intenderet animo plures Dominici gregis pastores sua ætate per Gallias enituisse, qui ecclesias suas ex vetustate in potiorem statum studuerant reformare, deliberavit et ipse operam adhibere in ejus quæ sibi commissa erat renovatione. Quapropter viris qui architecturæ periti ferebantur ascitis, futuri templi fabricam ex quadris lapidibus erigere cœpit a fundamentis, multo quidem operosiorem illis quam prænotatum est in Gallico regno renovatas et ambitiosiorem, ideoque sibi et illius ævi hominibus inconsummabilem. Nam ubi per viginti et octo fere annos pastorale officium administravit, senio confectus cœptoque operi finem non imponens, vita decessit.

3. Hujus ergo tempore ad beati Remigii tumulum divina virtus se plurimis declaravit miraculis, quorum duo quædam, quæ ego puer conspexi, huic narrationi inserere operæ pretium duxi. Debet enim dilectio vestra veniam dare, si præter ea quæ promisit prologus aliqua interseram, quæ tamen si sciatis non sit inutile. In villa sancti Dionysii martyris quæ dicitur Curtis Superior (*Conservreu*), erat quidam mendicus occulto Dei judicio tantæ calamitatis infortunio pressus, ut pedes illi ambulandi subsidium denegarent, et calcanei ejus retro inflexi A natibus quasi naturaliter inhærerent. Unde sicut aliis contractis mos est, non valens sese per terram scabellis ad mendicandum trahere, vehiculo quodam per sancta loca tam petendæ stipis, quam recuperandæ salutis gratia, a suo circumducebatur fratre. Qua de re factum est ut etiam ad sæpe memorandi protectoris nostri Remigii basilicam deduceretur, et in hora qua sacra missarum solemnia celebrabantur, ante sanctum altare ab eodem germano suo deportaretur. Cumque jam a ministris illud incorruptum perciperetur epulum, ab illo miserationum indeficienti fonte salutis emanavit donum. Calcanei a posterioribus, quibus impacti erant, in momento cœperunt avelli, eisque ad congruum divino nutu redeuntibus ordinem, ad indicium miraculi inde B effluxerunt sanguinum rivi. Quæ Dei magnalia fratres qui aderant considerantes, signis pulsatis, operatrici majestati devotas concinunt laudes.

4. Accrescit devotioni devotio, et omnipotentis virtus dilecti sui Remigii merita reciproco declarat miraculo. Postquam enim super pedes paulatim firmatos idem constitit pauper, ecce scabellulis trahens sese contractus adveniebat alter, qui, comperta Dominici operis novitate super invalido, ingressus est properanter, ut et ipse mereretur perfrui recuperatæ sanitatis emolumento. Nec diutius cassa spes properantis exstitit; sed antequam ad sancti perveniat sepulcrum, optata salus adfuit: nervi sub genibus, qui jamdudum retracti diriguerant, extenC duntur, officio pedum diu insueto qui acclinis advenerat, se superna gratia erigente nititur, et ante sacros illius artus per cujus interventum sibi salus proveniebat gratias acturus ingreditur. Hæc videns fratrum conventus divinas ingeminat laudes, et qui in vicino positi ea audiunt, ad tam jucundum spectaculum confluunt alacres. Duos inopes paulo ante corruptionis humanæ miseria licet dispari compeditos, illic expeditos aspiciunt, indeque Deum in sanctis suis mirabilem collaudantes ad sua læti redeunt. Eorum autem unus, qui majori exemptus erat infortunio, intercessoris sui amore agglutinatus præcipuo, usque ad mortem in monasterii obsequiis perseveravit: alter vero pistoribus solatium aliquanto tempore exhibens, tandem discessit.

D

5. His igitur omissis, ut ad propositæ narrationis seriem redeamus, abbati (2) Airardo, ut præfatum

(1) Is est primus abbas regularis anno 954 electus, cum antea Remenses pontifices, simul archiepiscopi essent et abbates; quod tamen a prima institutione alienum erat. Nam Epiphanius abbas Sancti Remigii tempore Ægidii archiepiscopi memoratur a S. Gregorio Turon. lib. x Historiæ Franc., cap. 19.

(2) Airardus obiit anno 1031, ex Marloto; Theodericus ejus successor 1048, cui successit Herimarus. Horum epitaphia etiam nunc visuntur in monasterio Remigiano, quæ videsis edita apud Marlotum tomo I Metrop. Rem., lib. III, cap. 14.

est, vita exempto successit Theodericus, a Widone Remensi archiepiscopo ibidem ordinatus. Qui cum plurima ecclesiasticæ utilitati profutura decerneret disponere, deliberavit reparationi ecclesiæ suæ, quam suus prædecessor incœperat, manum perfectionis imponere. Verum quia grave nimis et inexplebile sibi illud erat incœptum, deliberatio quoque sua, si id intenderet implere, videbatur non habitura effectum. Quocirca eorum qui inter sibi commissos prudentiores habebantur, et seniorum Remensis provinciæ consilio usus, difficulter aggressus est inchoatum diruere opus : quo pene diruto, et fundamentis quibusdam relictis, quæ architectis visa sunt necessaria fore futuris ædificiis, divinam nomum cœpit faciliori quidem structura, sed non indecentiore construere, ut aspectum adhibentibus facile est cernere. Qua incœpta feliciter anno quinto suæ ordinationis, accensi sunt plures catholici viri fervore divinæ religionis, ut pro facinorum suorum abolitione parentumque suorum, quorum corpora ibi humata erant, requie, pro posse ad id opus condigna subsidia studerent suppeditare. Nonnulli etiam de ecclesiastica familia suum auxilium prompta impenderunt benevolentia, suisque plaustris et bobus, tantis incœptis competentia advexerunt onera; sicque fundamentis in quibus locis non erant locatis, et columnis ex diruto priori ædificio competenter dispositis, arcus super eas diligenter voluti consurgere, et basilicæ fabrica inter manus artificum cœpit clarescere. Tunc jam vestibulorum parietibus undique erectis, et interioris templi fastigiis altius elevatis, vetusta ecclesia ab Hincmaro archiepiscopo, ut dictum est, antiquitus dedicata, est eversa funditus; et vilis interim tecti coopertoriolum fabricatum super chorum fratrum, ubi absque inquietudine ventorum et pluviarum divinis possent vacare laudibus. Supra sepulcrum vero beati Remigii crypta constructa est, licet parva, ideoque toto corpori suo incongrua, pulchre tamen columnis et arcubus fulta. Præfatus namque abbas assiduus hortator assistens, conabatur summopere quatenus idem opus ad summam perfectionis consurgeret suæ vitæ tempore, maximoque æstuabat desiderio ut papa Romano, si quomodo valeret, in Gallias evocato, illud consecrari faceret apostolica benedictione. Quod licet ex affectu piæ voluntatis processerit, divina tamen dispositio hoc differens, ejus successori peragendum reservavit. Nam morte immatura præventus diem clausit extremum, mœroris maximi se diligentibus relinquens infortunium, expletis in regimine monasterii annis undecim et mensibus octo. Qui cum deducta a proavis polleret generositate, morum etiam vigebat eximia nobilitate; sibi reverentiam exhibentibus se præcipua humilians lenitate; subditos suos et maxime sanctæ religionis amatores devota excolens devotione, quibusque magnis et minimis affabilis; ideoque quam plurimis Francorum proceribus amabilis, honorem Ecclesiæ sibi creditæ pro posse exaltavit et exaltare voluit. Sed quoniam occasio mortis interveniens effectum piæ voluntatis abstulit, ejusdem loci præpositum, Herimarum nomine, adhuc vivens [*Marl.*, juvenem] sibi successorem delegit; ipsum quippe quod habuerat in desiderio credidit adimpleturum strenue qui sibi adjutor et cooperator exstiterat ante omnes in præfati operis exsecutione, maximaque suppeditarat subsidia ex redditu villarum suæ commissarum providentiæ.

6. Hic ergo loco defuncti Patris subrogatus, fratrum pene omnium unanimi sententia, ordinatu memorati Widonis Remorum archipræsulis, non diu passus est interruptum pendere memorabile cœptum sui antecessoris, sed primo quidem dexteram basilicæ crucem, maxima ex parte jam inchoatam, et sinistram nihil adhuc præter fundamenta habentem, cum cocleis, quibus ad superiora esset ascensus, fecit ædificari. Crypta autem quæ super beati Remigii sepulcrum constructa fuerat, quia, ut superius relatum est, præ parvitate sui alterius operis incongrua videbatur, dirui et aliam eminentiorem fecit restitui. Deinde trabibus de saltu juxta Orbacis monasterium sito advectis, fastigia ejusdem consequuntur templi, sicque decentissima (3) domus tota apparuit in partibus suis.

7. Quapropter idem abbas Herimarus cum quibusque sapientibus Remensis provinciæ prudenti cœpit tractare consilio quatenus eamdem apostolica faciens consecrari benedictione, ut scilicet prædecessoris sui devoto satisfaceret desiderio, cui ut facultas non deesset optata peragendi, opportunitatem temporis obtulit dignatio divinæ dispositionis (4). Defuncto siquidem papa Damaso, qui in civitate Brixenorum, quæ est in provincia Histriæ, fuerat episcopus, et in apostolica sede inthronizatus, triginta solummodo ibi vixerat diebus; Romani, legatione de ejus obitu ad imperatorem Henricum directa, petierunt ut Ecclesiæ pastore viduatæ ab eo subrogaretur alius. Qui super hoc negotio episcoporum et optimatum imperii sui quærens consilium, invenit inter cæteros domnum Brunonem Tullensem præsulem ad idem officium subeundum esse idoneum, utpote qui ætatis maturitate, morumque et scientiæ claritudine videbatur conspicuus, sibique sanguinis affinitate proximus. Unde apostolicæ dignitatis ei adjudicata sunt insignia, jussusque ab Augusto ut ad hæc secundum ecclesiasticas sanctiones suscipienda Romana inviseret mœnia; sed quia solemnia imminebant nativitatis Dominicæ, hæc cum clero, cujus fuerat pastor.

(3) Hanc ecclesiam iterum auxit Petrus abbas, Cellensis vulgo dictus, qui postea Joanni Sarisberiensi Carnutensi episcopo suffectus est. Id a se susceptum testatur in epistola ad fratres de Monte Dei. Cardinalis Lenuncurtius nonnulla item adjecit, sicque ecclesiæ moles ex variis additamentis in amplissimam basilicam, qualis nunc cernitur coaluit.

(4) Hæc fusius referuntur in Vita S. Leonis, infra ad annum 1054.

disposuit celebrare, eisque celebratis quo erat præceptum abire. Hujus itaque pontificis notitiam in colloquio a præfato imperatore et Francorum rege, de pacis et amicitiæ confirmandæ gratia, ante non multum tempus habito, memoratus abbas Herimarus fuerat consecutus, a quo etiam promissum acceperat quod in proximo quadragesimali jejunio beati Remigii sepulcrum absque equi solatio foret expetiturus, quia cum eorumdem regum aliquando familiaria ab invicem perferens mandata, per contiguam regionem transierit, ipsius sancti locum orationis gratia invisere neglexerit. Quod idem abbas, sagaciter recolens animo, sua dirigens scripta illi suggerit ut, quoniam pro delegato sibi apostolici primatus officio Romam ire disponit, si quando ad cognatos fines certo Ecclesiæ revocetur emolumento, non fiat irrita Francorum apostolo ab eo facta promissio. Mittit vero ei in munere vas ad bibendum idoneum, intus et exterius auro decentissime decoratum, insinuans ei de ipsius sancti ecclesia dedicanda suum cum petitione desiderium. Ad hæc idem episcopus benigne refert quia etsi alia nulla se revocet Ecclesiæ utilitas vel pro solo amore sancti Remigii reversurum ad Gallias, et ejus basilicam dedicaturum, si divina annuerit benignitas. Celebratis ergo in sede civitatis Leuchorum duobus Dominicæ nativitatis diebus, in tertio clero suo valefaciens, iter capere Romam ducens aggreditur. Quo perveniens, cum favore totius populi honorabiliter excipitur apostolicæque dignitatis infulis insignitur, in hypapanti Domini in cathedra beati Petri inthronizatur, et Leo papa, Romano more, nuncupatur. Hic digne administrans quæ sui sunt officii, instanterque disponens quæque videntur accommoda divinæ religioni, quadragesimalis temporis explet jejunia, succedentiaque Dominicæ resurrectionis ibi celebrat solemnia; quibus elapsis synodum convocat episcoporum Italiæ, et ibi quælibet perversa in eorum episcopiis pullulantia aut corrigit, aut hortatur corrigere.

8. Aliquanto autem temporis interlabente curriculo, Gallicum revisere solum, tam beato Remigio facta promissio quam orthodoxæ fidei, in illis partibus adeo tepefactæ, persuadet intentio. Unde a Romanis expetita licentia, per quasdam Latii urbes iter agens, in eis multa disponit ecclesiasticæ honestati congrua, tandemque adit imperatorem Henricum, in regione commorantem Saxonica. Interea memoratus abbas, desiderii sui compotem se futurum ex ipsius papæ certus pollicitatione, regi Francorum Laudunum venienti occurrit in Pentecostes solemnitate, ejusque consilium et favorem expetit de præfato templo apostolica consecrando benedictione, monens et postulans ut his agendis suam præsentiam exhibeat et episcopos regnique sui principes secum interesse faciat. Cui idem rex ad præsens [*al.*, preces] mente benigna annuit, seque, nisi alicujus impedimenti intercesserit casus, tantæ festivitati adfuturum asserit. Ex quo promisso abbas lætificatus revertitur, indeque papæ Coloniam-Agrippinam cum imperatore advenienti, in apostolorum Petri et Pauli natalitio fit obvius, a quo adventus sui ad Remense solum, gerendarumque ibi rerum tempus et ordinem investigat diligentius. Ille vero sibi notificans pandit quomodo prius deliberasset, ut octava die ab ipsius sancti festivitate, quæ in Kalendis Octobris habetur celeberrima, illo veniret, et ipsius monasterium dedicans, postea ibidem ex episcopis Galliæ congregatam synodum celebraret. Qua sententia mutata, ad eumdem locum in solemnitate sancti Michaelis archangeli se venturum et in ecclesia Beatæ Mariæ Remis missarum sacra in eadem die memorat celebraturum; festum vero gloriosi Patris Remigii, pretiosi corporis ejus elevationi, et subsequentem basilicæ consecrationi, cæteros deinde tres synodi deputat celebrationi. Quibus auditis, ad suum cœnobium rediit abbas, suaque scripta per Franciam eique contiguas direxit provincias, invitans sanctæ Ecclesiæ fideles ut ad tanti gaudii participationem concurrant mente promptissima, tam pro amore et veneratione ejusdem patroni sui quam ut benedictione muniri mererentur apostolica. Cæterum papa, Colonia digressus, Tullum in exaltatione Dominicæ crucis venit, indeque circumjacentium regionum episcopis et abbatibus litteris suæ auctoritatis mandari præcepit, ut in præfixa die sibi occurrerent, ad synodum celebrandam in basilica præfati Francorum apostoli, ut per quem orthodoxæ fidei initiati sunt rudimentis, in ejus præsentia consequerentur reparationem tepefactæ in se divinæ religionis. Hujusmodi mandatis gratulatur pia fidelium devotio, præparans se studiose ad implendum quod ex apostolicæ dignitatis sibi promulgatur edicto.

9. Venenatus autem serpens, qui ab exordio mundi ad humani generis inhiat præcipitium, tam salutari proposito commenti sui nititur opponere obstaculum. Ad complendam enim perfidiæ suæ voluntatem, quosdam potentes laicos excitat qui incestis conjugiis operam dando et aliorum criminum nefariis usibus se implicando violatores erant honestatis ecclesiasticæ; ideoque verebantur reatuum suorum latebras in lucem prodere. Sed et nonnullos episcopos et abbates illis adjungit, qui in ovile Dominicum aliunde, non per ostium irruperant, et in Ecclesiis suis catholicorum Patrum sanctionibus contraria quædam pullulare permiserant, quæ condictæ synodi examinatione resecanda manifestari metuebant, ut enim scriptum est : *Omnis qui male agit, odit lucem* (*Joan.* III, 20), et ideo peccatis suis magis magisque occultationis adhibet obnubilationem. Tantæ itaque perversitatis viri incentoris sui callida suggestione instructi, regi Francorum suggerunt regni sui decus adnihilari, si in eo Romani pontificis auctoritatem dominari permitteret; vel si eidem, ut decreverat, occurrens præsentiæ suæ favorem, ad cogendum concilium exhiberet. Addunt etiam quod nullus antecessorum ejus id reperiatur aliquando concessisse ut ob similem causam in

Franciæ urbes ingressus pateret alicui papæ; his vero agendis pacis et tranquillitatis congrua sunt tempora, regni autem ejus status sit in perturbatione non modica, quibusdam viris potentibus dominationis ejus jugum detrectantibus, terrasque et castella quælibet ab ipsius ditione abalienantibus. Quapropter regiæ dignitati ferunt congruere, utilitati reipublicæ sua sapientia consulere (5), potius quam synodis intendere; principes suos et totius exercitus sui potentiam commovere in rebelles, ipsos etiam episcopos et abbates, penes quos maxima pars facultatum regni est, censent immunes hujus expeditionis esse non debere. Ante alios abbatem Sancti Remigii, quem quasi de rerum suarum abundantia præsumentem, pro vanæ gloriæ amore, ad monasterium suum consecrandum calumniabantur Romanæ urbis pontificem evocasse. Hac igitur versipelli persuasione rex emollitus, et ab honesto proposito ad seductionis devia flexus, papæ per Silvanectensem mandat episcopum, se suosque pontifices cum abbatibus cogi ad comprimendam pervicaciam sibi resistentium, ideoque non posse occurrere ei in præfixo termino ad peragendum concilium. Unde adventum suum in Franciam in aliud tempus differat, quo, absolutus hujusmodi negotiis, eum debito cum honore suscipiat. Ad hæc papa remandat promissionem beato factam Remigio nequire se irritam facere, sed ad basilicam ejus dedicandam procul dubio venturum, ubi si qui divinæ religionis amatores convenerint, cum eis synodi rationem se fatetur habiturum. Cujus mandati ad regem relatione perlata, ipse tamen iter in rebelles aggreditur, coacta in unum ingenti exercitus sui militia. Sed et episcopis et plerisque abbatibus contra voluntatem suam illo euntibus, illis etiam perversis Ecclesiarum rectoribus ad id negotium ultro se ingerentibus, qui ut summi Pastoris vicarium actus eorum examinare venientem possent effugere, eamdem expeditionem exitiali techna elaboraverant struere. Adducitur cum eis et memoratus abbas Sancti Remigii, mœstus admodum et gemens, quasi non esset visurus effectum desiderii sui. Sed divinæ consolationis ejus mœrori non defuit potentia. Vix enim unius diei et dimidii itinere confecto, indulta est ei redeundi licentia; qui reversus celerrime Romanum antistitem adhuc Tullo remorantem expetit, eumque pro regiis mandatis, jam diu conceptum propositum non permutasse cognoscens, gratulabundus ad monasterium rediit, instanter præparare satagens quæ tanti Patris confluentiumque filiorum sanctæ Ecclesiæ forent necessaria conventui. Jam quippe dierum prope erat terminus, qui supradictæ dispositionis completioni fuerat attributus

(5) *Edit.* reipublicæ suæ sapienter consulere.

(6) Vicus est vulgo dictus *Courmeloy*.

(7) Tunc quippe monasterium S. Remigii extra urbis mœnia erat, nunc a trecentis circiter annis, dilatato urbis pomerio, in eo inclusum.

10. Denique domnus papa, a Leuchorum urbe digressus, iter ad Remensem ducens urbem arripuit, et in opportunis locis, singulis quibusque noctibus mansione accepta, in vigilia festivitatis sancti Michaelis ad Curmolensem (6) villam venit, cui præfatus abbas, ibidem obvius factus, quæcunque necessarius expetiit usus illi omnique comitatui ejus affluenter suppeditavit. Die vero sequenti ad Sanctum pervenit Remigium archiepiscopis tribus comitatus, Trevirensi videlicet, Lugdunensi, Vesontionensi, aliisque viris honorabilibus, inter quos erat Joannes episcopus Portuensis, et Petrus Ecclesiæ Romanæ diaconus, et ipsius urbis præfectus. Hic protinus conglobatur in unum tota fratrum congregatio, et cum eis [*al.*, e cunctis] abbatum, monachorum, clericorum, qui jam ex multis confluxerant partibus, innumerosa [*al.*, numerosa] concio. Ex quibus omnibus in atrio basilicæ disponitur decentissima processio, episcopis tribus, Silvanectensi videlicet, Andegavensi, Nivernensi, longe digestos ordines antecedentibus, textumque Evangelii cum aqua benedicta et aromatum odore ferentibus. Sic ergo dispositi papam advenientem suscipiunt, cui ecclesiam introeunti, responsorium *Lætentur cœli*, cum digna modulatione concinunt; et dum ante altare Sanctæ Crucis orat, aliud responsorium, *Summæ Trinitati* videlicet, concinentes finiunt. Progresso autem eo usque ad altare sancti Christophori, et ante venerandi Francorum apostoli sepulcrum orationem explente, iterum Hymnum *Te Deum laudamus*, consona vocum jubilant vociferatione. Qui tamen in sede sibi decenter apparata paululum residens, astantes lætificavit benedictione apostolica: et exinde egressus, ab eisdem psallentium choris cum divinis laudibus deducitur usque ad civitatis (7) mœnia. Cui Remensis clerus cum archiepiscopo suo, aliisque quibusdam obviam procedens episcopis, perspicuæ processionis numerosos disponit ordines in atrio (8). Sancti Dionysii martyris, ubi ad tanti pontificis susceptionem competentia concinens cantica, usque ad ecclesiam Sanctæ Mariæ illum comitatur cum maximæ jubilationis gloria. Illic vero ante Sanctæ crucis, et ejusdem Dei Genitricis altaria, completa oratione, in archiepiscopali aliquantulum resedit sede, archipræsule Remensi ad ejus dexteram, Trevirensi autem residente ad sinistram. Deinde ministris altaris præparatis, quibusque pro officiorum congruentia, et ipse sacerdotalibus redimitus insignibus, processit ad missarum celebranda solemnia. Quibus expletis, et astante populo apostolica benedictione munito, prædicto Remorum archiepiscopo, sibi suisque necessarios sumptus suppeditante, refectionem percepit in majori palatio juxta ecclesiam sito.

(8) Ibi fuisse canonicorum Remensium sepulturam refert Frodoardus lib. II Hist. Remensis, cap. 15, verum anno 1067. Gervasius hanc basilicam, positis in ea canonicis regularibus Sancti Augustini, in abbatiam erexit, quæ hactenus perseverat.

11. Die autem subsequenti, metuens ne præpediretur frequentia circumfluentium populorum, duobus tantum comitatus capellanis, dum nocturnæ a fratribus explerentur vigiliæ, ad sanctum remeavit Remigium; factoque sibi balneo, lotus est et tonsus, utpote qui imminentem tanti Patris solemnitatem in crastino celebraturus, transferre disponebat tam pretiosæ gemmæ venerabile pignus, et præparata sibi quadam domo contigua ecclesiæ, illic secretum remorandi expetiit, quia metuebat ad publicum procedere. Ad sepulcrum enim sancti, quasi ex toto orbe excita tanta hominum confluebat numerositas, ut introeuntibus spatiosi templi vix sufficeret capacitas. Advolabant enim tam ex vicinis quam ex longinquis regionibus promiscui sexus innumerabiles, effundebat aspera Francia ad honorem gloriosi apostoli sui villanos opidanos et cives : sed et Gallia pene ex omnibus suis partibus huc transmittebat populorum millia. Inter quos accelerabant episcoporum, abbatum, monachorum, clericorum generosa agmina. Ignobilis nobili, aut inops cedere nesciebat diviti, sed omnes una conglobatim concurrebant intentione devota, bustoque cœlestem margaritam continenti dulcia imprimentes oscula, oblationum suarum quisque pro posse offerebant donaria. Qui vero constipatorum violentia repulsi propius accedere non valebant, heu! quantum gementes se desiderii sui effectu privari, de longe projectis muneribus quæ attulerant, quasi lapidibus, sancti sepulcrum pia devotione obruebant. Est autem ante fores ipsius basilicæ quoddam spatiosum atrium, in quo quoties densitatem sui perpeti non poterat, frequentia tantorum se explicabat cœtuum, eo ducta aviditate cernendi ipsum beati Petri vicarium; post beati enim Remigii captatum suffragium ad hujus summopere inhiabat aspectum, qui ut magnanimo desiderantium satisfaceret affectui, eminentius solarium domus in qua remorabatur petens, unde et astantes contueri, et ab eisdem conspici, et loquens possit audiri, apostolica benedictione eos lætificavit; hisque recedentibus, et aliis subinde atque aliis illud [*al.*, aliud] atrium catervatim replentibus, ter in eadem die, suæ exhortationis monita impertiens salubria, liquido patefecit quæ vitanda, quæque ad salutem animarum suarum sibi forent expetibilia. In eadem denique domo sacra mysteria sibi fecit celebrari, quia non dabatur uspiam locus opportunus ecclesiam introeundi, nec ipsi fratres, præ importunitate plebium, solitum illic pensum divini valebant persolvere officii. Adveniente interea nocte, nec tamen confluentium rarescente, sed magis magisque crebrescente copia, domnus papa metuens ne in sacris vigiliis Deo famulantes importunitate plebis præpedirentur exsequi divinæ servitutis solemnia, tum etiam ne sibi pretiosi corporis sancti ipsius transA terendi ecclesiæque dedicandæ inhiberetur copia, delegatis clericis suis, ejusdem loci memorato abbati spatiositatem templi præcepit penitus evacuari, obseratisque diligenter foribus, omnibus intercludi facultatem introeundi; præcepit etiam ex sua parte hoc populis annuntiari, ut ad horam secederent, et absque ulla sui impetus inquietudine solemnes illius noctis excubias, cum digna devotione, a Deo militantibus celebrari sinerent; se procul dubio die subsequenti eorum desideriis promittit satisfacturum, et thesaurum desiderabilem, quem quærebant, illorum conspectibus expositurum; si vero mandatis detrectarent annuere, infecto negotio propter quod advenisset, recessurum fore. Quod cum tandem maxima difficultate fuisset obtentum, pleraque
B tamen numerositas populorum cum copiosis luminaribus deforis excubans, ejusdem pollicitationis præstolaretur effectum, cereorum ubertate quasi multiplici siderum splendore interius irradiata ecclesia, Deo servientium chori in canticis spiritualibus decentissime illius noctis exegerunt spatia.

12. Mane autem facto, susceptus est a domno papa intra ecclesiam sanctus martyr Cornelius, quem cum aliis sanctorum pignoribus Compendienses clerici illo detulerant, pro multis violentiis quas ecclesia sua patiebatur a quibusdam malefactoribus. Circa horam deinde tertiam, redimitus idem apostolicus infulis sacerdotalibus, ad gloriosi Patris Remigii sepulcrum procedit cum thymiamateriis et crucibus, sociatis sibi archiepiscopis quaC tuor, Remensi videlicet, Treverensi, Lugdunensi, Vesontionensi, cum quibusdam aliis, sed et ipsius loci abbate, domnoque Hugone venerabili Patre cœnobii Cluniacensis, et illius ordinis plurimis, cum quibus litania facta, et super sanctum corpus non modica thimiamatum accensa fragrantia, cecinit responsorium *Dirigatur oratio mea*, quo cum versu expleto, feretrum sancti, ut præparatis instrumentis aptatum ad ferendum redderetur habile, a suo loco paululum removit, et antiphonam *Confessor Domini, Remigi*, decantavit. At ubi competenter, prout res exigebat, dispositum fuit, ipse ante alios cum præfatis archiepiscopis et abbatibus suppositis humeris illud devote lacrymans extulit, et responsorium *Iste*
D *est de sublimibus* inchoavit; cujus vocem subsequentes chori psallentium, ovantes erumpunt in jubilationis tripudium, præque alacritate cordis, o quantorum ora manantium rigavit redundantia fletuum! quantorumve mentes ad tanti Patris captanda suffragia sunt compunctæ in suspiria beatorum gemituum! Tradens autem domnus papa eumdem pretiosum thesaurum se ultro ingerentium votis, ab inquietudine turbarum secessit in oratorium sanctæ Trinitatis, quod ad meridianam plagam infra ambitum ipsius ecclesiæ decenter constructum erat, Harduini (9) cujusdam loci illius cœnobitæ

(9) Hic sub Ludovico Pio imperatore floruit, de quo vide Frodoardum lib. II Historiæ Rem., cap. 19 et Marlotum tomo I, Metropol. Rem. lib. III, cap. 2.

studio, continens Dominicum sepulcrum eleganter imaginatum, instar illius Jerosolymitani, in quo nostra requievit salvatio. Hoc igitur Trevirensem archiepiscopum in sui præsentia eadem die consecrare fecit, ex consensu præfati Remorum archipræsulis, multorum sibi sanctorum collocatis reliquiis. Denique monasterii foribus patefactis, ubi illa cœlestis gemma desiderantium populorum est exposita obtutibus. Tum vero cerneres promiscuum vulgus præ nimia exsultatione manibus plaudere, innumeros in divinas laudes gratulabunda vociferatione erumpere, potentes, impotentes, nobiles, ignobiles, quemque pro suis viribus summopere niti, ut tam optata gaudia propius mereretur contingere. Magna fides, magno procul dubio remuneranda præmio, quæ ne tanti reddatur expers emolumenti, nec imminentis mortis revocatur periculo. Quidam enim præ nimia sui desiderii festinatione præcipites, dum inter constipatos cuneos corruunt, non valentes resurgere, suffocati et conculcati intereunt. Rapitur et jactatur potius quam portatur pretiosi corporis theca, tot millium undique propellente frequentia, velut navis æquoreorum fluctuum hac et illac agitata violentia : nunc hi, nunc illi extorquendo sibi felicia vindicant dona ; et ut paucis multa concludantur, nec longis ambagibus legentium deficiat intentio, toto interstitio quod civitatem et castellum ipsius sancti interjacet, tam jucunda agitatur contentio. Adest Remensis clerus cum civium multitudine, apostolum suum ad propriæ urbis mœnia elaborat devehere, quem vix ab hujuscemodi impetus densitate avulsum, sanctæ Dei Genitricis infert ecclesiæ (10), ut cui vivens in corpore dignis laboribus vitæ præsentis multa comparaverat commoda, catholicæque religionis competentia addiderat insignia, huic vel unius noctis morula exsultationem simul et sanctificationem suorum ossium exhiberet præsentia. Collocato ergo eo super sanctæ crucis altare, archiepiscopus Vesontionensis ad altare beatæ Mariæ procedens, missarum solemnia cum eodem clero de ipsius gloriosi Patris celebravit festivitate. His autem expletis, dum concurrentium devotio magis et magis agglomeratur, diei interea elapso curriculo, nox subsequitur ; cujus tamen caligine basilicæ illius adyta nullo modo fiunt obscura. Tot gratulabundi conventus, suum quodammodo diem præferentia, undique micant luminaria. Monachi ibidem circa patronum suum lætis invigilant excubiis, et matutinalem explent cursum cum duodecim lectionibus et responsoriis suis. Post quos easdem vigilias solemniter peragendas canonici suscipiunt, et cum novem lectionibus matutinorum officia consummantes, usque ad lucem protrahunt. Qui facto mane primam, tertiam, missamque cum sexta hora, ante solita decantantes tempora, venerabile corpus cum divinis laudibus efferunt a beatæ Dei Genitricis ecclesia. Quod in circuitu civitatis cum jucunditate deportantes, congruas stationes per præfixa faciunt spatia. Cumque ad eum locum ventum esset ubi quondam fuerat porta, antiquo Patens nuncupata vocabulo, per quam idem sanctus hostem humani generis in eadem urbe visibilibus ignium debacchantem exterminiis, adhuc in carne vivens orationibus expulit ; illic eosdem pretiosos artus deponunt, et ipsius miraculi memoriam digna devotione, et canticis spiritualibus agunt. Ad cujus facti memoriale ibidem basilica moderno est constructa tempore, quam quidam servus Dei (11), Constantius nomine, suis impensis eleganter composuit, et Dei famulos ad ejus obsequium, quot potuit dum viveret aggregavit, et in honore sanctæ Mariæ Magdalenæ sanctique Remigii consecrari fecit.

13. Cum itaque agitur illa circuitio extra civitatis mœnia, domnus papa, convocatis episcopis intra dedicandi monasterii abdita, singulis singula ad consecrandum delegavit altaria. Remensem vero archiepiscopum ternam circuitionem, cum crucibus et sanctorum reliquiis, secundum ecclesiasticum ordinem, exterius constituit agere, ibique consecrationis officium adimplere ; ipse vero cum sibi necessariis remanens interius, divini tabernaculi sanctificationem strenue diligenterque exsequitur. Postquam igitur eo deventum est ubi, secundum orthodoxorum Patrum decreta, pignora sanctorum et sacra quæque debent intra dedicatam ecclesiam recipi, præfati canonici, ut dictum est, deportato corpore beati Remigii per gyrum urbis et castelli, eique adjacentis municipii, pervenerunt eum eo usque ad portas monasterii, ubi tot millium excreverat frequentia, ut præ eorum densitate eidem glorisso Patri domum sibi præparatam introeundi intercluderetur licentia. Ipse namque papa easdem januas vetuerat reserari, ne impetus cum eodem sancto irruentium, et sibi discrimini, et impedimento cœptæ dedicationis foret consummationi. Quocirca aliquod diverticulum quo valeat intromitti perquiritur, tandemque vix a turbarum inquietudine abstractus, per fenestram quæ est super Sanctæ Trinitatis oratorium demittitur : quem domnus apostolicus, cum maxima devotione et canticis spiritualibus receptum, non ad præsens in proprio loco reposuit, sed super principale altare, quod in honore apostolorum Petri et Pauli, Clementisque et Christophori martyrum, et beati Remigii consecrarat, collocavit. Et cujus rei gratia hoc facere decreverit, dignam memoria rationis sententiam subintulit, videlicet ut evidens et conspicuus

(10) Ea est metropolitana Beatæ Mariæ ecclesia, quam compluribus prædiis ditaverat sanctus antistes.

(11) De hoc Constantio canonico vide Chronicon Virdunense Hugonis abbatis Flaviniacensis, ubi multis laudibus effertur. Ejus hortatu S. Hugo in ipso concilio orationem habuit contra Simoniacos et presbyteros fornicarios, ut in ejusdem S. Hugonis Vita habetur. Cæterum ecclesia quam ædificavit, hodie obtinent milites Melitenses. In cujus porta majori superest vetus inscriptio tempore fundationis posita.

omnibus appareret oculis in celebranda synodo, in qua, si quis erroneus aliquid frivolum, vel ecclesiasticæ religioni adversum asserere præsumeret, erga hunc vir Dei illius virtutis potentiam per sui corporis præsentiam exhiberet, quam adhuc in mundo vivens erga Arianum hæreticum exhibuit, cui in conventu episcoporum catholicæ fidei lucem nebulosi dogmatis umbra obnubilare molienti, ad adventum suum, divina virtute officium vocis extorsit; sed paulo post cum humili satisfactione reatum suum agnoscentem, animæ corporisque eumdem sanitate donatum, ad filios adoptionis transtulit. Quæ perorantis papæ intentio ex superno instinctu procedens, effectu nullo modo caruit, velut hoc opusculum loco suo declarabit. Hac ergo de causa sic locato beati Remigii corpore, universis [*al.*, numerosis] agminibus episcoporum, abbatum, monachorum, clericorum, per choros decentissime dispositis, missarum solemnia idem pontifex ex dedicationis celebravit festivitate; lectoque Evangelio, pulpitum conscendens exhortationis sermonem fecit ad circumstantem populum, qui plurimus monasterii, ut dictum est, foribus obseratis, per fenestras irrumpendo sibi fecerat aditum. Ad quem multa ex ipsius templi sanctificatione concionatus utilia, diem illam celebrem esse præcepit per Remensis episcopii confinia, anathematis pœna damnans illos omnes qui ad eumdem locum hujus solemnitatis gratia per singulos annos confluentibus, vel inde redeuntibus, alicujus impedimenti irrogarent incommoda. Constituit etiam ut ad altare quod, ut præfatum est, in honore apostolorum Petri et Pauli, Clementis et Christophori martyrum, gloriosique confessoris Remigii consecraverat, non indiscrete a quibusque, sicut hactenus, sacrosancta mysteria agerentur, sed secundum morem Romanæ Ecclesiæ, septem tantummodo sacerdotes, qui in illa congregatione digniores haberentur, ad hoc officium deputarentur, soli Remensi archiepiscopo ipsiusque cœnobii abbati, ibidem missas agendi potestate collata, et cui idem abbas daret licentiam, certe interdum rationis exigente gratia; nec non clero Remensi bis in anno, feria scilicet secunda paschalis festi, et vigilia Ascensionis Dominicæ, quando solemnes illic stationes ex antiqua faciunt traditione. Hæc decreta ne aliquando irrita fierent antiquitate temporis, litteris mandari (12), easque signari sigillo suæ præcepit auctoritatis. Deinde memoratum populum, secundum institutionis ejus verba publicam de peccatis suis confessionem agentem, absolvit; explicitisque divinis officiis apostolica benedictione sanctificans illum dimisit. Pontifices autem, cœnobiorumque rectores, et ceteros sacri ordinis ministros, qui ibi aderant, ad eumdem locum crastino jussit reverti, ut cum illis haberet rationem, quam condixerat, synodi.

PRIMA DIES SYNODI.

14. Die vero altera, quæ est quinto Nonas Octobris, congregati sunt in memorata basilica episcopi videlicet numero viginti, cum quinquaginta fere abbatibus, et aliis ecclesiastici ordinis complurimis. Ubi statim vetus querela inter Remensis et Treverensis archiepiscopi clericos est renovata; his astruentibus quia Remensis primas (13) esset in Gallia, ideoque illi dispositio competeret synodica; e contra vero illi archiepiscopo Trevirensi eamdem dignitatem conabantur ascribere, primamque sedem post Romanæ Ecclesiæ præsulem in celebrando concilio acquirere. Domnus autem papa non arbitratus oportunum tempus quo his rationibus imponi valeret congruus finis, sed potius metuens hujusmodi controversiam prorumpere ad scandalum contentionis, in modum coronæ sedilia episcoporum disponi, et in medio eorum suæ sedis suggestum præcepit locari, cujus ordinationis modum ex arbitrio Remensis archipræsulis sanxit administrari; qui convocatis archidiaconis, et quibusque cleri sui præcipuis, cum eorum consilio, in modum, ut dictum est, coronæ, pontificum sedilia, et in medio ejus apostolicæ sedis apparari fecit insignia. His ita dispositis, domnus papa sacerdotalibus quasi ad celebrandam missam infulis redimitus, processit ex oratorio sanctæ Trinitatis cum cruce et Evangelii libro, antecedentibus eum sacri ordinis ministris, sexque alii coram eo procedentes, ante sanctum altare ex integro cantaverunt antiphonam *Exaudi nos, Domine;* qua expleta cum psalmo et *Gloria*, archiepiscopus Trevirensis litaniam fecit: eaque finita, conventum diaconus, ut ad Deum preces effunderet, admonuit, et sic tempori congruentem domno apostolico orationem dicente, lectum est Evangelium *Dixit Simoni Petro Jesus: Si peccaverit in te frater tuus.* Post hæc consederunt omnes, ordine quo Remensis archipræsul disposuit, domnus quidem papa in medio, ut dictum est, chori, verso vultu ad sepulcrum beati Remigii, ante ocu-

(12) Hanc bullam habes infra. Porro idem pontifex simile privilegium concessit altari majoris ecclesiæ Coloniensis, ubi septem illi presbyteri appellantur *cardinales*, quod et a Remigianis nostris observatur. Hæc autem rerum dispositio a pontifice ordinata hodieque in basilica Remigiana servatur religiose.

(13) Remensem ecclesiam *omnium regni ecclesiarum caput* appellat Gerbertus. Earum *matrem* appellat Carolus rex. Alii aliis verbis insignes sedis beati Remigii, regum et gentis nostræ apostoli et patroni, prærogativas expresserunt. Remensis archiepiscopi esse totius Galliæ episcopos ad concilium convocare scribit Manasses in epistola ad Gregorium VII papam, quem *diadema regni*, etc., possidere fatetur Yvo Carnotensis. Unde ex S. Bernardo, coronam regis capiti, quod singulis festis tunc fieri solebat, ubique Galliarum in ecclesiis quibuscunque imponebat ex sedis suæ privilegio. Duæ cruces eum semper præcedebant, ex veteri Remensis ecclesiæ Rituali. Primatum Remensi ecclesiæ in universas Galliasa beato Petro collatum fuisse scribit Fulco Hincmari successor, quam dignitatem alii ad S. Remigii vicariatum apostolicum malunt referre. Hodie Remensis antistes S. sedis apostolicæ legatus natus et Galliarum Belgicarum primas nuncupatur, et inter regni proceres primi Franciæ ducis ac paris titulo ac prærogativis gaudet.

los autem ejus, ad orientalem plagam, (Widolo) Remensis in dextera, (Eberhardus) Trevirensis vero in parte resedit sinistra. Post Remensem deinde secundum subnotatum ordinem resederunt Beroldus Suessionensis, Drogo Morinensis, Rollandus [*al.*, Frollandus] Silvanectensis, Adalbero Metensis; ad meridianam plagam, Aylenardus archiepiscopus Lugdunensis, Hugo Lingonensis, Joffridus Constantiensis, Ivo Sagensis, Herbertus Lisoiensis, Hugo Bajogacensis, Hugo Avringensis, Theodericus Virdunensis; ad septentrionalem vero plagam, Hugo archiepiscopus Vesontionensis, Hugo Nivernensis, Eusebius Andegavensis, Pudicus (14) Nannetensis, episcopus Anglorum (15), et Joannes Portuensis. Post quorum terga in modum similiter coronæ resederunt abbates hoc ordine: domnus scilicet abbas sancti Remigii Herimarus, domnus Hugo Cluniacensis, Sigefridus Gorziensis, Folco Corbiensis, Robertus Prumiensis, Rainoldus Sancti Medardi, Girvinus Sancti Richarii, Godfridus Verzelliacensis, Arnoldus Pultariensis, Rodulfus Mosomensis, Oylardus Catalaunensis, Milo Dervensis, Norgaudus Altvillarensis, Albertus Sancti Theoderici, Stephanus Sancti Urbani, Wlfricus Sancti Augustini Cantuariensis, Alwinus (16) Sancti Benedicti de terra Anglorum; deinde cæteri qui, ut superius relatum est, simul fuerunt numero fere quinquaginta. Quibus ita residentibus, imperato silentio, ex præcepto domni papæ surrexit Petrus sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus, expedito sermone proponens de quibus in eadem synodo sermo esset habendus. De multis videlicet illicitis quæ contra canonum instituta in Gallicis finibus exercebantur, id est, de Simoniaca hæresi, de ministeriis ecclesiasticis et altaribus quæ a laicis tenebantur, de pravis consuetudinibus quæ ab eis in atriis ecclesiarum accipiebantur, de incestis conjugiis, et eis qui, legitimas relinquentes uxores, adulterinis iterum nuptiis implicabantur, de monachis et clericis a sancto proposito et habitu recedentibus, item de clericis mundiali militiæ studentibus, de rapinis pauperumque injustis captionibus, de Sodomitico vitio, et quibusdam hæresibus quæ in eisdem pullulaverant partibus. Quibus propositis, admonuit omnes qui aderant ut inde secum prudenti deliberatione tractarent consilium quæ cum opportuno adjutorio domno papæ præberent, quomodo hæc zizania divinæ segetis semen suffocantia exstirpari valerent. Post hæc ad episcopos converso sermone, commonuit illos sub anathemate apostolicæ auctoritatis ut si quis eorum per Simoniacam hæresim ad sacros ordines pervenisset, vel præmio quemlibet ad eamdem dignitatem promovisset, publica confessione patefaceret. Primus ergo Trevirensis archiepiscopus ad hæc verba surrexit, seque nec aliquid dedisse vel promisisse pro adepto episcopatu, neque alicui sacros ordines vendidisse, respondit. Deinde Lugdunensis et Vesontionensis surgentes, ab hujuscemodi culpa professi sunt se esse immunes. Tunc præfatus diaconus ad Remensem archiepiscopum se convertit, et quid de his ex quibus a cæteris facta fuerat purgatio ediceret requisivit. At ille surgens inducias petiit usque in crastinum, dicens se privatim velle loqui ad domnum apostolicum; cumque datæ fuissent, cæteri omnes surrexerunt in ordine, secundum verba priorum purgantes se ab hujuscemodi suspicione, quatuor tantummodo exceptis, Lingonensi scilicet, Nivernensi, Constantiensi, Nannetensi; quorum causa eo die ad discutiendum relicta, diaconus sermonis cursum ad abbates qui aderant vertit, eosque ne forte et ipsi in ovile Dominicum aliunde, non per ostium, introissent, confiteri admonuit. Primus sancti Remigii abbas Herimarus surrexit, seque ab hujuscemodi culpa congrua responsione purgavit; deinde domnus Hugo Cluniacensis subsecutus hanc purgationis suæ rationem subintulit, dicens: Pro adipiscendo abbatiæ honore, Deo teste, nihil dedi, vel promisi, quod quidem caro voluit, sed mens et ratio repugnavit. Post hunc se quidam congrue excusare studuerunt..... Alii vero nihil respondentes, reatum suum occulere quam patefacere maluerunt. Tunc Lingonensis episcopus surgens, super abbate Pultariensi diœcesano suo plurimum est conquestus, quod videlicet in fetore luxuriæ vivens, pluribus flagitiis inserviebat; beato quoque Petro, ejusque vicario, Romanæ scilicet Ecclesiæ pontifici, cujus abbatia illa erat, debitum censum quotannis persolvere detrectaverat; et inde excommunicatus missarum sacramenta celebrare præsumpserat, excommunicationique adhuc subjacens eidem synodo intererat. Qui discussus, nec ab objectis se valens expugnare criminibus, ab honoris sui est dignitate depositus. His ita diffinitis, edictum est sub anathemate auctoritatis apostolicæ ut si quis assidentium quempiam universalis Ecclesiæ primatem præter Romanæ sedis antistitem esse assereret, ibidem publica satisfactione patefaceret. Cumque ad hæc universi reticerent, lectis sententiis super hac re olim promulgatis ab orthodoxis Patribus, declaratum est quod solus Romanæ sedis pontifex universalis Ecclesiæ primas esset et apostolicus. Post hæc domus papa sub excommunicatione prohibuit ne quis absque sui licentia recederet antequam tertia lux consummaretur in celebratione concilii; sicque jam nocte propinquante conventum dimisit.

(14) Mirum est Sammarthanos hunc Pudicum in episcoporum Nannetensium catalogo omisisse, de quo tamen præter Anselmum nostrum alii quoque scripserunt. Vide quæ de illo ex Chronico ecclesiæ Nannetensis refert Petrus Lebaud in Historia Britanniæ, cap. 22, ubi eum Gualterii episcopi filium dicit. Idem habetur infra, num. 16.

(15) Dudueo scilicet episcopus Wellensis, ut in observationibus prævis adnotavimus.

(16) Alwinus abbas Ramesiensis in agro Huntidonensi, cujus cœnobii ecclesiam in honorem B. Mariæ, omnium SS. Virginum et S. Benedicti consecrarunt S. Dunstanus archiepiscopus Cantuariensis et S. Oswaldus Eboracensis, anno 974

SECUNDA DIES SYNODI.

15. Sequenti autem die ad memoratam basilicam cum abbatibus et clero convenientibus episcopis, domnus papa cum quibusdam eorum secessit in oratorium sanctæ Trinitatis, ubi dum cum eo confessionis suæ privatum colloquium Remensis habuisset archiepiscopus, et de ecclesiasticæ religionis profectu tractatum esset diutius, eo ordine quo et transacta die apostolicus inde processit, dictaque antiphona, et litania facta a Trevirense archipræsule, evangelium *Omnis arbor bona* Diaconus legit. Universis deinde suo loco residentibus, Remensem archiepiscopum ut de Simoniaca hæresi, de qua hesternas obtinuerat inducias, rationem redderet, præfatus admonuit cancellarius, impetens etiam eum de multis quæ se, fama vulgante, comperisse asserebat criminibus. Ad hæc archiepiscopus surgens, ut sibi consiliandi facultas concederetur expetiit. Qua impetrata, Vesontionensem, Suessionensem, Andegavensem, Nivernensem, Silvanectensem, Morinensem episcopos convocans, cum eis mysterium habuit consilii sui; indeque reversus, ut causam suam Silvanectensis peroraret, a domno papa obtinuit. Surgens autem episcopus Silvanectensis, eumdem archiepiscopum respondit non esse reum Simoniacæ hæresis. His auditis, apostolicus præcepit ut hæc ita esse sacramento probaret archiepiscopus, mandans etiam recitari sententiam qua Maximum Salonitanum episcopum, ex simili culpa notatum, pari modo se inde purgare beatus papa sanxit Gregorius. At ille canonicas inducias inde postulavit, seque post earum expletionem quod ratio purgationis posceret peracturum spopondit, quibus ei concessis, statutum est ut medio Aprili mense concilio (17) quod Romæ celebrandum erat interesset. Cætera vero quæ ei objecta sunt, quia legitimi accusatoris videbantur delatione carere, decretum est ad præsens indiscussa remanere. Sic igitur hujusmodi diffinito negotio, super abbatia Dervensi domnus papa conquestus est, quia Tullensi subtracta fuerat episcopio, et hanc ad ipsius ecclesiæ pertinere possessionem per privilegiorum quæ inde habebat demonstravit recitationem : e contra Remensis archiepiscopus abbatiam illam respondit sui juris potius esse, et hoc antiquioribus privilegiis ecclesiæ suæ se testificari valere. Papa vero, quia in præsenti non erant eadem scripta ex quorum lectione valeret hæc controversia finiri, jussit ea interim in archivis Remensis ecclesiæ perquisita in crastino in medium afferri. Tunc Turonenses clerici per Lugdunensem archiepiscopum querelam intulerunt super (18) Dolensi episcopo Britanniæ, qui se cum septem suffraganeis a Turonensi archiepicopio subtraxerat, sibique archipræsulis nomen contra fas vindicaverat.

A Qui statim ex auctoritate apostolica vocatus est ad concilium, quod, ut præfatum est, medio mense Aprili Romæ erat celebrandum, ut ibi rationis hujus agitaretur judicium. Post hæc memoratus diaconus in episcopum Lingonensem invehitur, eumque episcopalem dignitatem per Simoniacam hæresim obtinuisse, sacros ordines vendidisse, bellica arma contra fas ferendo homicidia perpetrasse, alieni matrimonii jura violasse, in clericos suos tyrannidem exercuisse, Sodomitico etiam flagitio pollutum esse criminatur. Quibus verbis fidem præbebant plurimi delatores qui aderant, inter quos quidam clericus asseruit quod sibi adhuc laico conjugem suam violenter abstulerat, et post perpetratum cum ea adulterium monachum fecerat. Adfuit et presbyter quidam se ab eodem episcopo conquerens captum, et
B satellitum ejus fuisse potestati traditum, qui, eum multis suppliciis excruciantes, quod scelestius est, clavis acutissimis genitalia ejus confixerant, talique violentia ab eo decem libras denariorum extorserant. His auditis, episcopus consiliandi licentiam petit. Qua impetrata, archiepiscopos Vesontionensem et Lugdunensem accersit, eisque credens arcanum consilii sui, petit ut sibi sint causidici : sed qui, cum tantis flagitiis foret implicitus in oculis alterius magis quam in suis trabem videns fratrem quamvis culpabilem in hesterna synodo criminatus fuerat, ejusque ad damnationem et ipse merito damnandus aspiraverat, non solum se ab objectis nequit excusare
C criminibus, sed etiam ejus causidico, ne ad sui defensionem quidquam proferre valeat, linguæ munus [*al.*, motus] adimitur divinitus. Vesontionensis quippe episcopus, dum susceptum ejus negotium perorare, et ad excusationem criminosi incongrua quædam decerneret proponere, insperato sibi suffragium vocis divino sensit denegari numine. Procul dubio Magnus pater Remigius ob hoc ipsum, ut prædictum est, ante conspectum synodi expositus, a beatæ fidei papa etiam hic ejusdem virtutis enituit potentia, quam olim, dum adhuc peregrinaretur in terris, Ariani illius exinanivit molimina. Tunc enim hæreticum adversus catholicam fidem blasphemias deliberantem garrire, ne conata perageret, sed potius resipiscendo fidelis fieret, silentio condemnavit·
D nunc autem virum, licet fidelem, ne sceleratum defendendo delinqueret, usu loquendi privavit. Et revera divinæ sublimitatis incomprehensibilis virtus in utroque hoc facto mirabiliter enituit, quæ et ibi gloriosæ animæ, licet corporeis adhuc involucris septæ, tantum potestatis contulit, et quanta eam jam beatificaverit gloria, nunc circa ejus exanime corpus patenter ostendit. Postquam ergo præfatus Vesontionensis episcopus a suo conatu tali miraculo se prohiberi cognovit, Lugdunensi ut sui vice fratris

(17) Wido sedem suam usque ad mortem retinuit, quæ contigit anno 1055 sepultusque est in ecclesia S. Remigii.

(18) Hanc controversiam, quæ tot sæculis agitata fuerat, finivit tandem Innocentius III papa, celebri decreto, quo Dolensis et alii Britanniæ minoris episcopi Turonensi metropolitano asserti sunt. Hujus controversiæ acta a nostro Edmundo Martene recens typis edita sunt in nova Collectione veterum scriptorum.

causam peroraret innuit. Qui surgens ait eumdem Lingonensem episcopum confiteri quod sacros ordines vendiderit, et memoratam pecuniam ab illo presbytero extorserit, sed suppliciis quibus asserebat eum excruciari non fecerit; cætera vero quæ sibi fuerant objecta hunc penitus denegare asseruit. His dictis, domnus papa videns eadem die non posse ad plenum hujusmodi negotium ventilari, jam enim nox instabat, quod in canonibus de sacrorum ordinum venditoribus sit decretum jussit tantummodo recitari; lectaque sententia ad præceptum ejus ex concilio Chalcedonensi, capitulo videlicet secundo, soluta est synodus, dilato usque in crastinum hujus rationis judicio.

TERTIA DIES SYNODI.

16. Mane autem facto, iterum ad eumdem locum episcopi convenere cum abbatibus et cæteris Ecclesiæ ordinibus, ad quos domno papa procedente non est cantata antiphona *Exaudi nos, Domine*, sicut heri et nudiustertius, sed ad ejus adventum clerus decentissime cecinit hymnum *Veni, creator Spiritus*. Quo completo cum antiphona de sancto Remigio, litania facta est a Vesontionensi archiepiscopo, postquam de Spiritu sancto Collectam dixit domnus apostolicus; sicque lectum est Evangelium *Ego sum pastor bonus*. Cumque universi consueto resedissent ordine, supradictus Romanæ Ecclesiæ diaconus ait consequens esse ut ubi hesterna synodus fuerat terminata, ibi rationis suæ iteraret initia, a Lingonensis videlicet episcopi causa. Qui requisitus et a synodica examinatione se subduxisse repertus, ex parte Dei et beati Petri apostolorum principis, ejusque vicarii qui præsens aderat, ab eodem diacono tertio est vocatus. Directi sunt etiam episcopi Silvanectensis et Andegavensis ad illius hospitium, ut si forte eum ibi reperirent, revocarent ad concilium. Qui dum imperata accelerant peragere, ipsius referendarii allocutio fit ad illos qui nondum se a simoniaca hæresi debita purgaverant responsione. At Nivernensis episcopus surgens, pro suo episcopio plurimum pecuniæ confessus est a parentibus datum fuisse, se tamen ignorante; eoque adepto, nonnulla ecclesiasticæ religioni contraria commisisse; unde asserebat divinæ ultionis vindictam pertimescere. Ideoque, si domno papæ et præsenti conventui dignum videretur, idem officium velle dimittere potius quam in ejus retentione animam suam pessumdare. Quæ ubi dixit, pastorale pedum ante pedes ipsius apostolici posuit. Ille vero tanti viri flexus devotione, favente synodo, eumdem, quod absque consensu suo eadem pecunia data fuerit, sacramento comprobare fecit, sicque illi per aliud pedum ministerium episcopale reddidit. Interea allatum est coram privilegium Remensis Ecclesiæ de abbatia Pervensi, ex cujus lectione comprobatum est eam pertinere ad jus Remensis archiepiscopi. Redeuntes denique qui missi fuerant ad revocandum Lingonensem episcopum, nuntiaverunt eum facinorum suorum metuentem discussionem, fugæ arripuisse præsidium. Tunc ex præcepto ipsius papæ, lectæ sunt sententiæ super hujuscemodi re promulgatæ ab orthodoxis Patribus, sicque universi concilii judicio, excommunicationis est pœna damnatus (19). Quod audiens archiepiscopus Vesontionensis surrexit, et quomodo pridie eumdem reum excusare nitens, ex divina virtute per beati Remigii merita silentio condemnatus sit, patefecit coram eodem conventu, satis devote veniam petens, quod ejusdem miraculi novitatem eo usque negligenter celarit. Hic ex pia devotione, et alacritate cordis, domnus papa in lacrymas compunctus, sic ait: ADHUC VIVIT BEATUS REMIGIUS. Tunc ex præcepto ejus omnes surrexerunt et cum eo ante ejusdem sancti sepulcrum prostrati, antiphonam *Sancte Remigi*, ex integro devotissime cecinerunt. Post hæc surgens Constantiensis episcopus confessus est se ignorante a quodam fratre suo emptum sibi episcopium fuisse. Quod cum rescisset, ne contra fas ordinationem illam susciperet, voluisse aufugere; sed ab eodem violenter captum, episcopali contra voluntatem suam dignitate esse donatum. Quod sacramento comprobare jussus, nec renuens, sic judicatus est simoniacæ hæresis non incurrisse facinus. Accedens denique Namnetensis, confessus est genitorem suum episcopum fuisse suæ civitatis, et in ejus vita donum episcopii se percepisse, mortuoque illi subrogatum per largitionem pecuniæ. Quapropter judicio synodi, sublato annulo et pastorali pedo, privatus est pontificali ministerio, condonato ei, intervenientibus episcopis, tantummodo presbyteratus officio. Eorum igitur causa tali modo determinata, commonuit domnus papa archiepiscopos qui erant in præsentia, ut si quem suffraganeorum suorum simoniacæ pestis esse reum scirent coram, omnibus notificare non renuerent. Quibus id omnino se scire denegantibus, habitus est sermo de episcopis qui invitati ad eamdem synodum venire noluerant, nec aliquod inde suæ excusationis scriptum illo transmiserant. Unde competentibus ad hæc Patrum recitatis sententiis, pœna damnati sunt excommunicationis cum omnibus illis qui, ipsius papæ formidantes adventum, hac de re profecti erant in expeditionem regis. Nominatim vero Senonensis archiepiscopus, Belvacensis et Ambianensis episcopus; sed et abbas sancti Medardi, quia absque licentia recesserat a conventu concilii. Excommunicatus est etiam sancti Jacobi archiepiscopus Galliciensis, quia contra fas sibi vindicaret culmen apostolici nominis. Post hæc petentibus iis qui sanctæ religionis amatores ibi aderant, plurima sanctorum Patrum decreta, quæ jam per incuriam pro nihilo habebantur, præcepto suæ auctoritatis renovavit; et multa quæ in Gallicana Ecclesia exercebantur illicita, ne fierent ulterius, sub anathemate prohibuit, videlicet

(19) De ejus pœnitentia et morte vide vitam S. Leonis lib. II, cap. 4, ad annum 1054

Ne quis sine electione cleri et populi ad regimen ecclesiasticum proveheretur.

Ne (20) quis sacros ordines aut ministeria ecclesiastica, vel altaria emeret aut venderet: et si quis clericorum quidlibet eorum emisset, id cum digna satisfactione suo episcopo redderet.

Ne quis laicorum ecclesiasticum ministerium vel altaria teneret, nec episcoporum quilibet consentiret (21).

Ne quis in atriis ecclesiarum, præter episcopum et ejus ministrum, quaslibet consuetudines exigere præsumeret.

Ne quis pro sepultura vel baptismo, sive pro eucharistia, aut infirmorum visitatione quidquam exigeret.

Ne quis clericorum arma militaria gestaret, aut mundanæ militiæ deserviret.

Ne quis clericus vel laicus usuras exerceret.

Ne quis monachus vel clericus a suo gradu apostataret.

Ne quis cum aliquibus sacri ordinis iter agentibus violentiam ullam inferre auderet.

Ne quis pauperes homines rapinis vel captionibus vexaret.

Ne quis incestuosæ conjunctioni se copularet.

Ne quis legitima uxore derelicta, aliam duceret.

Et quia novi hæretici in Gallicanis partibus emerserant, eos excommunicavit, illis additis, qui ab eis aliquod munus vel servitium acciperent, aut quodlibet defensionis patrocinium illis impenderent.

Pari modo damnavit et sodomitas. Excommunicavit etiam comites Angelrai [Engelrai], et Eustacium propter incestum, et Hugonem de Braina, quia legitimam uxorem dimiserat, et aliam sibi in matrimonio sociaverat. Interdixit et Balduino comiti Flandrensi ne filiam suam Wilhelmo Nortmanno nuptui daret, et ei ne eam acciperet. Vocavit etiam comitem Tetbaldum, quoniam suam dimiserat uxorem; vocavit et Gozfridum Andegavensem usque ad synodum futuram Moguntiæ, ibi excommunicandum, nisi relaxaret quem captum tenebat domnum Gervasium, qui tunc erat præsul sedis Cenomannicæ; postea vero ab ejusdem tyranni potestate exemptus, Widone archiepiscopo defuncto, a rege Francorum Henrico subrogatus est (22) ad regimen Remensis Ecclesiæ. Excommunicavit denique illos de quibus proclamationem fecerant Compendienses clerici, propter quorum injustitiam illuc detulerant corpus sancti martyris Cornelii; eos quoque, qui ab eadem synodo redeuntibus aliquid inferrent impedimenti. Privilegium autem quod fecerat sancto hemigio, ibidem in conspectu omnium recitatum confirmavit, et constituit omni tempore, sicut scriptum continebatur, inviolabiliter conservari, sicque data benedictione concilium solvit.

17. Hujusmodi ergo ordine beati Patris Remigii devotus Romanæ sedis pontifex quartam celebravit translationem, et feliciter sexto Nonas Octobris consummavit divinæ domus sanctificationem: quam etiam, ut declaratum est, trium dierum continuatione insignivit celebratione synodi, millesimo et quadragesimo nono anno felicissimæ Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. Quapropter, ut deliberaverat, ex divina dispositione compos effectus desiderii sui, die subsequenti post expletionem synodicam, venit in capitulum [*ms.*, capitolium] fratrum seque eis innotuit suum velle accelerare reditum. Unde spiritualibus illos demulcens colloquiis, societatem eorum et devote petiit et accepit, suamque eis humiliter petentibus ipse largitus est, et prostratos ad publicam confessionem absolvit, et ex ordine omnes deosculatos apostolica benedictione sanctificavit. Post hæc egressus, episcopos et abbates cæterosque ecclesiastici ordinis qui nondum recesserant convocavit, et cum eis ecclesiam ingressus, missarum solemnia celebrari fecit. Quibus expletis, ad sancti sepulcrum quod, ut dictum est, super altare sancti Christophori, post basilicæ dedicationem collocaverat, cum humili devotione accessit, ibique oratione completa, illud suppositis humeris devote inde extulit, et in statione sibi decenter apparata cum divinis laudibus reposuit: ubi iterum atque iterum cum lacrymis se prosternens, tandem in viam suam exiit, et usque ad castelli aditum comitatus cum canticis spiritualibus a fratribus et innumeroso [*al.*, numeroso] conventu populi, omnibus valedicens, recessit. Recedens autem inde ad sui laboris recompensationem retulit fructum magnæ mercedis, in arcano scilicet devoti pectoris ignem præcipuæ dilectionis, quo ab illo tempore erga eumdem gloriosum Patrem Remigium magnopere dinoscitur flagrasse, ut idem ipse fatetur in quadam epistola directa postmodum episcopis Franciæ, quam suo loco in subsequentibus curabimus ponere. Ex qua gratia etiam alterius gratiæ adeptus est emolumentum, cum ei divina virtus de quibusdam qui ei impedimentum advenienti in Gallias conati erant inferre ultionem præstitit, per ipsius sancti cui fuerat famulatus meritum. Nam, ut multos prætermittamus qui ei fuere contrarii, Gibuinus Laudunensis episcopus et Hugo de Braina-castello, qui inter ejus derogatores quasi signiferi exstiterunt, eodem anno ignominiosa morte vitam finierunt. Ille enim, quia exitialem technam, ut apostolicam devitaret præsentiam regi suggessit, et hanc maxima parte cleri sui devote expetente, ipse a sua sede longe aufugit, nec Dominici corporis viatico, a malitia sua santificatus, nec ab eodem clero suo consolatione visitationis in extremis refocillatus, divino judicio extra fines episcopii sui solus obiit quasi peregrinus. Alter vero, quia caput ministri Christi se abscissu

(20) Hunc canonem nonnulli in duos partiuntur ad hæc verba: *Et si quis clericorum*, etc.

(21) Ms. Remig., *consentirent*. Baron., *episcoporum quibus consentirent*, vel *quis iis consentiret*.

(22) Ecclesiam Remensem egregie administravit ab anno 1033 ad 1067.

rum fuerat minitatus, ore sacrilego quo impia verba protulerat hostilis gladii abscisione est mutilatus.

18. Dignum est ad posterorum memoriam aliud miraculum supradictis addere, quod divina potentia in manibus hujus pontificis operata est, ex ea qua erga Patronum nostrum flagrabat devotione. Anno enim secundo post expletionem eorum quæ præmissa sunt, cum Romæ moraretur, casu accidente per pincernæ incuriam, vas illud fractum est quod sibi datum esse a præfato abbate Herimaro in primordiis hujus opusculi memoratum est. Quod ubi pro certo agnovit, aliquantum graviter tulit. Licet enim multa haberet pluris pretii, præ cæteris tamen illud diligebat, quia in initio apostolatus sui ex parte sancti Remigii sibi missum asserebat; ideoque ad bibendum supra cætera quæ erant in obsequio ejus illi delectabilius esse solebat. Dum ergo cum spiritualibus quibusdam viris qui ei præsentes erant, placido, ut semper erat, vultu, de eodem damno conquereretur, et aurifex peritus reficiendi hujusmodi fracturam ab eo perquiri præciperetur, quidam eorum alludentes, seria et alacri responsione dixerunt quod sanctus hic, in cujus illud tant pere amplectebatur devotione, tanti esset apud Deum meriti, ut ei idem vas integrum sua reformaret intercessione. At ille nihil se inde diffidere cum spirituali jucunditate respondens, ejusque virtutes multiplici sermone exaggerans, vas fractum sibi deferri præcepit. Quo delato, avulsam inde particulam suo loco reposuit, et, quasi aurifici ad reficiendum reservaretur, signum tamen crucis, ut fertur, ei caute imprimens, recondi jussit. Quod in crastino velut causa reficiendi coram delatum, ita operatione divina integrum est inventum, ut nullum in eo fracturæ posset reperiri vestigium. Hoc itaque videns venerabilis papa, Dei omnipotentiam collaudavit, et hujus miraculi novitatem meritis beati Remigii ascripsit, per cujus interventum fidei ejus efficacia id obtinere meruit. Ne autem ex hac relatione arguamur mendacii, ideoque frivolum habeatur hujus scripti memoriale, proferimus tres idoneos testes, quorum judicio [*al.*, indicio] id nobis postmodum contigit agnoscere: Hugonem videlicet Nivernensem episcopum, et Hugonem Remensis ecclesiæ diaconum, et quemdam clericum, Aylenardi quondam Lugdunensis archiepiscopi capellanum, nomine Benedictum: quorum duo primi concilio ab eodem papa, ut moris illi erat, quinto decimo die post Dominicam Resurrectionem Romæ habito interfuerunt, et quod retulimus ab his qui præsentes viderunt id vere factum esse didicerunt; tertius vero cum domino suo præsens interfuit, et quod videndo comperit nobis post aliquot annos sciscitantibus indicavit (23). Vir denique venerabilis sæpe dictum apostolum nostrum eo magis ferventi excolens dilectione, eumque summopere desiderans honorare, et illius monasterium sua auctoritate nobilitare, epistolam ejus laude refertam direxit sanctæ Ecclesiæ filiis in Francia constitutis, qua decrevit apud eos haberi celebrem ipsius sancti festivitatem, quæ recolitur Kalendas Octobris. Plurima etiam ad ecclesiasticam utilitatem pertinentia, quæ in præfata synodo in ejus basilica habita tractaverat, jussit apud eos capitulatim digeri, et inter orthodoxos canones numerari: cujus epistolæ textum, quia ordo narrationis videtur exigere, huic operi dignum judicavimus inserere. Hujus vero exemplar hujusmodi est.

Epistola beati Leonis papæ.

Leo episcopus, etc.

(*Vide in* S. Leone IX, *Patrologiæ tom CXLIII.*)

Privilegium altaris majoris ecclesiæ Sancti Remigii Remensis.

Leo episcopus, etc.

(*Vide ubi supra.*)

23) His adde Victorem III, lib. III Dialog.: Brunonem Signiensem, Wibertum, etc.

EPISTOLA CLERI GALLICANI

PRO RENOVANDA SANCTI REMIGII FESTIVITATE.

Universis per Gallias episcopis, cœtus Ecclesiæ Gallicanæ salutem in Domino. Cum sancti Remigii archiepiscopi Remensis festiva celebritas tum Ecclesiæ Gallicanæ conciliis, tum summorum pontificum decretis, regumque nostrorum capitularibus luculenter per tot sæcula sancita sit, attamen illud lugendum accidit ut, quæ magis vetustate commendanda fuerat, frigescente populorum pietate obliterata vel fere sileatur, aut saltem tanti Francorum apostoli et doctoris non condignis honoribus celebrata memoria vilescat. Ille enim, sicut optime novit charitas vestra, quasi secundus Silvester, subdita Christo regi mortali purpura, Chlodoveum nostrum, tanquam novum Constantinum, abjectis inanibus diis docuit adorare quod incenderat, et incendere quod adoraverat; ac demum miraculis atque doctrina ad fidei communionem adductis cum principe populis, et idololatriæ lepræ nempe veteris, salutari lavacro abluta Francorum labe, hujusce Christiani regni sub Christianissimis regibus dedicavit Christo primitias, et Ecclesiæ suæ primogenitos peperit atque defensores. Cumque gauderet Græcia, quod

sola haberet principem legis nostræ, non deesse et reliquo orbi claritatem suam ostendit, effulgurante siquidem Occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumine. Certe si quando ante oculos positæ victmarum gentium in fide ruinæ patronis cœlitibus fecere supplices, quod obsequii genus erga sanctum Remigium apostolum suum non præstabit adunatis enixius precibus Francorum pietas, cum, proh dolor! a finitimis regionibus dilatato hæreticæ pravitatis incendio, ulciscente peccata numine, propulsata recedat religio? Quapropter hortamur charitatem vestram ut ad honorem sancto Remigio die prima Octobris solemniori ritu exhibendum, excitata subditorum vestrorum devotione, collaboremus una-

A nimes et nos tanti præsulis exemplo, qui, teste Hormisda, agebat summi documenta Pontificis, dum et prædicanda faceret, et ea insinuare non differret: sedulo in id incumbamus; et, operantes justitiam quæ vincit regna, et nos omnes salvos faciamus et eos qui nos audiunt. Parisiis, die 22 Maii 1657. Vobis addictissimi servi et confratres archiepiscopi, episcopi et ecclesiastici viri in generalibus cleri Gallicani comitiis congregati. Claudius archiepiscopus Narbonensis præses. De mandato reverendissimorum ac illustrissimorum archiepiscoporum totiusque cœtus ecclesiastici cleri Galliæ nomine congregati, Henricus de Villars a secretis. Joannes de Montpezat de Carbon a secretis.

INDEX
AD S. BRUNONIS COMMENTARIUM IN PSALMOS

Hujus voluminis init.

(*Bibliotheca Patrum XVIII*, 68 ex editione Joannis Cochlæi.,

JOANNES COCHLÆUS LECTORI.

Quanquam commentarius in 150 Psalmos per sese brevis est, pie lector, et compendiosus, non videtur tamen inutile superadd disse indicem pro iis qui vel occupationes sunt quam ut omnia perlegere queant, vel psalterii locos memoriter non tenent, ut habeant juxta ordinem alphabeticum brevissimum quoddam promptuarium insigniorum et locorum et sententiarum, id que in multiplicem usum et fructum. Sive enim locus sit alibi lectus, citatus aut objectus, cujus germanam expositionem sensumque rectum et pium, ex sacris potius doctoribus addiscere quam temere ex propri ingenii confidentia conjectare velis, ad hunc recurre indicem, qui brevissime diriget te quo tendis. Sive inter orandum aut psallendum obscurior occurrat locus, cujus sanum intellectum cito capere desideres, hic in promptu indicabitur tibi ubi requiras. Sive docendi aut scribendi muneri additus, argumentum de quo tractas extendere ac locupletare cupias, promus iste statim tibi multiplicem suggeret materiam, ex cujus requisitione et planius intellecturus sis et copiosius declaraturus argumenti tui propositum. Quod si meæ simplicitatis consilium voluerint audire simplices et in Scripturis non usquequaque exercitati, indicem istum non solum lecturi sunt ut indicem, verum etiam perlecturi sunt velut compendiolum, a principio usque ad finem, ea sane intentione ut brevissime ex eo addiscant quomodo de rebus sacris pie et apte loquendum atque scribendum sit. Multas enim sententias hic invenient, de quibus antea dubitabant forsitan aut nesciebant quomodo vel apte exprimi vel sane intelligi deberent. Habes jam, lector, causas superadditi hujus laboris nostri, quo simplicioribus consultum volumus. Tu boni consule ac vale

A

Abominari quid est, psal. v, vers. 7.

Abyssus quid est, psal. xxxv, vers. 6. Abyssi duæ sunt duo Testam. psal. xli, vers. 9.

Accedere ad Deum fide et opere non loco, psal. xxxiii, vers. 5.

Adeps frumenti quid significet, psal. lxxx, vers. 15.

Adhærere Deo quid est, psal. lxxii, vers. 27.

Ægyptus et Æthiopia mundum significant, psal. lxvii, vers. 34. Ægyptus regio cunctis humilior, psal. cxi, vers. 8.

Æthiopes, id est peccatores, psal. lxxi, vers. 9

Alæ Dei sunt misericordia et charitas, psal. xvi, vers. 10, et psal. lvi, vers. 2. Alæ Domini, præcepta Novi et Veteris Testamenti, psal. xxxv, vers. 8.

Alleluia ubi primo ponitur, psal. cix *in tit.*

Altare circumdare, psal. xxv, vers 6. Altare Dei in quo quis offert seipsum, psal. xlii, vers. 4.

Amici et proximi differunt, psal. xxxvii, vers. 11. Amici, noti, et proximi, psal. lxxxvii, vers. 19.

Angelus minister divinæ voluntatis, psal. xxxiii, vers. 7. Angeli sedes Dei sunt, psal. xlvi, vers. 8.

Anima sicut passer nidum quærit sibi, psal. lxxxiii, vers. 3. Anima in vitiis desertum dicitur, psal. xxvii, vers. 7. Animam in me effudi, psal. xli, vers 4.

Annuere oculis, psal. xxxiv, vers. 22.

Antichristus exarcerbabit Dominum, psal. ix, vers. 25. Antichristi malitia, psal. li per totum. Antichristi radices, *ibid*, vers. 5.

Aper singularis, diabolus est, psal. lxxix, vers 14.

Apostoli sagittæ sunt Domini, psal. vii, vers. 14. Apostoli arietes et eorum successores filii arietum dicuntur, psal. xxviii, vers. 1, et psal. lxiv, vers. 14. Apostoli nubes dicuntur, psal. xxxv, vers. 5. Apostoli montes dicuntur, psal. xlv, vers. 2, et psal. lxiv, vers. 7. Apostoli diviserunt spolia, psal. lxvii, vers. 13. Apostoli principes Juda dicuntur, *ibid.*, vers. 30 Apostoli columnæ dicuntur, psal. lxxiv, vers. 3.

Aqua tenebrosa dicitur Scriptura prophetarum et apostolorum, psal. xvii, vers. 13. Aquæ populi motus dicuntur, psal. lxviii, vers. 1. Aquæ multæ, turbæ gentilium, psal. lxxvi, vers. 19. Aqua, fluenta Spiritus sancti, psal. lxxvii, vers. 23. Aquæ contradictionis dicuntur aquæ baptismi, psal. cv, vers. 32. Aqua intolerabilis, psal. cxxiii, vers. 4.

Aquilæ comparatur anima, psal. ci, vers. 3. Aquilo dicitur diabolus et Antichristus, psal. lxxxviii, vers. 12.

Arcus Domini, Novum et Vetus Testamentum dicitur, psal. vii, vers. 13, et psal. lix, vers. 4. Arcus Judæorum in Christum, psal. lxiii, vers. 3. Arcus pravus, psal. lxxvii, vers. 65.

Artemi et Apolliniaristæ detrahunt Christo, psal. cviii, vers. 19.
Arma ab arcendo dicta, psal. xxxiv, vers 2.
Asaph *synagoga* interpretatur, lxxii *in tit.*, et psal. lxxiv *in tit.*
Ascendere super occasum, psal. lxvii, vers. 4. Ascendere super cœlum, *ibid.*, vers. 36.
Ascensiones in corde, psal. lxxxiii, vers. 6.
Aspicere Dei duplex est, psal. cxviii, vers. 132.
Aspides incantari non possunt, psal. lvii, vers. 5.
Atrium sanctum conscientia munda, psal. xxviii, vers. 2.
Attendere ad intellectum, *inclinare* ad affectum spectat, psal. lxxviii, vers. 1.
Auris Dei est ejus clementia, quæ exaudit, psal. cxvi, vers. 2
Aurum Arabiæ optimum, psal. lxxi, vers. 15.
Aurora, figura locutionis, psal. cv, vers. 36.
Avertere et convertere manum Deus dicitur psal. lxxiii, vers. 12.

B

Baptismus diluvio comparatur, psal. xxviii, vers. 9.
Bella David figuræ sunt bellorum spiritualium Christi, psal. lix *in tit.*
Benedicere Deum, psal. lxvii, vers. 38. Benedicit Deus hominem aliter quam homo Deum, psal. cxviii, vers. 12.
Benedictio dulce linis, psal. xx, vers. 3.
Benedictus Dominus : vox est gratiarum actionis, psal. xxvii, vers. 8.
Bonitas Dei in afflictione nostri, psal. cxviii, vers. 65.
Bonum proprie nihil est nisi quod æternum est, psal. xci, vers. 8. Bonum nostrum est ex misericordia Dei, psal. cvi, vers. 43. Bona opera nostra cui prosunt, psal. cvii, vers. 1.
Bonus est Dominus, psal. cv, vers. 1, et psal. cxvii, vers. 1.
Brachia Christi : Apostoli et prophetæ, sunt ut arcus æreus, psal xvii, vers. 37.

C

Caligo, Scripturarum profunditas, psal. xvii, vers. 11.
Calix inebrians, psal. xxii, vers. 7. Calix vini meri, psal. lxxiv, vers. 7.
Calor, a quo nemo absconditur, Spiritus sanctus est, psal. xviii, vers. 7.
Calumniator, diabolus est, psal. lxxi, vers. 4, et psal. cxviii, vers. 122.
Campi repleti ubertate, psal. lxiv, vers. 12. Campi, viri mansueti, psal. xcv, vers. 11.
Canes ex inimicis, psal. lxvii, vers. 23.
Cantare et psallere, psal. lxvii, vers. 4.
Canticum novum de Christo, psal. xxxix, vers. 4, et psal. xcvii, vers. 1. Cantica graduum, psal. cxix, *in tit.*
Caput libri de Christo, psal. xxxix, vers. 11. Capita inimicorum Christi Judæi sunt et hæretici, psal. lxvii, vers. 23. Capita draconum in aquis, psal. lxxiii, vers. 14.
Carbones succensi, psal. xvii, vers. 10. Carbones desolatorii, psal. cxix, vers. 4.
Carnales habitant in sepulcris, psal. lxvii, vers. 7.
Carnem configere, psal. cxviii, vers. 120.
Cataractæ, prophetæ et apostoli, psal. xli, vers. 9.
Cathedra doctorum, psal. i, vers. 1. Cathedra seniorum, psal. cvi, vers. 32.
Causa a casu dicta, psal. lxxii, vers. 13.
Cedar, id est *tenebræ*, hic mundus dicitur, psal. cxix, vers. 5.
Cedri Libani, reges, psal. xxviii, vers. 5. Cedri apostoli et angeli, psal. xxxvi, vers. 38. Cedri martyres, psal. lxxix, vers. 11.
Cervi, prædicatores, psal. xxii, vers. 8.
Charitas cunctis tormentis fortior, psal. cxviii, vers. 167.
Christiani cur comparantur cervis, psal. li, vers. 1. Christiani incipientes sunt ut stillicidia, psal. lxiv, vers. 11. Christianorum commutatio, psal. lxviii, *in tit.* Christianorum nomen honorabile, psal. lxxi, vers. 14. Christiani hic sunt velut oves in deserto, psal. lxxvii, vers. 57.
Christus, beatus vir dicitur, psal. i, vers. 1. Christus in lege, non sub lege fuit, *ibid.*, vers. 2. Christus sapientia et lignum vitæ, *ibid.*, vers. 3. Christus via recte ambulantium, psal. ii, vers. 12. Christus, finis psalmorum et legis, psal. iv, *in tit.* Christus minoratus ab angelis, psal. viii, vers. 6. Christus supplantavit, psal. xvii, vers. 47. Christus caput gentium, *ibid.*, vers. 47. Christus ut gigas fuit, psal. xviii, vers. 6. Christus est dextra Patris, psal. xx, vers. 8. Christus quomodo derelictus fuit, psal. xxi, vers. 1. Christus ut vermis, *ibid.*, vers. 6. Christus, salutaris noster, et salutare nostrum, psal. xxiii, vers. 5, et psal. lxi, vers. 1 et 2. Christi caro floruit et refloruit, psal. xxvii, vers. 10. Christus virtulus dicitur et filius unicornium, psal. xxviii, vers. 6. Christi aurii, in gemitibus, psal. xxx, vers 12. Christus tanquam mortuus a corde, *ibid.*, vers. 13. Christus indutus cilicio, psal. xxxiv, vers. 13. Christus ut homo, servus Dei dicitur, *ibid.*, vers. 31, et psal. cviii, vers. 27.
Christus maledictum et peccatorem se dicit pro nobis, psal. xxxvii, vers. 19, et psal. xxxix, vers. 16. Christus cornu nostrum est, psal. xlii, vers. 7. Christus, scriba velox, psal. xliv, vers. 2. Christus speciosus forma, *ibid.*, vers. 3. Christus præ consortibus suis unctus, *ibid.*, vers. 9. Christus abstulit bella, psal. xlv, vers. 8. Christus mortem timere non potuit, psal. xlviii, vers. 5. Christus veniet manifeste, psal xlix, vers 3. Christus est Deus salutis, psal. l, vers. 15. Christus misericordia et veritas, psal. lvi, vers. 5. Christus psalterium et cithara, *ibid.*, vers. 11. Christus, petra et turris fortitudinis, psal. lx, vers. 2 et 3. Christus patientia nostra est, psal. lxi, vers. 3. Christus verus et unus cum Patre Deus, *ibid.*, vers. 12. Christus vere immaculatus est solus, psal. lxiii, vers. 3. Christus est Deus noster per gratiam, Deus omnium per naturam, psal. lxvi, vers. 6. Christus est mons Dei, mons pinguis, psal. lxvii, vers. 15 et 16. Christus exsolvit quæ non rapuit, psal. lxviii, vers. 6. Christo ascribuntur delicta ratione membrorum, *ibid.*, vers. 7. Christus cur puer dicitur, *ibid.*, vers. 21. Christus singulariter pauper et dolens, *ibid.*, vers. 24. Christus vitulus novellus, *ibid.*, vers. 36. Christus pax et justitia, psal. lxxi, vers. 3. Christus sol. Ecclesia luna dicitur, *ibid.*, vers. 5 Christus via Patris dicitur, psal. lxxvi, vers. 13. Christus panis cœli et angelorum, psal. lxxvii, vers. 28. Christus Deus Jacob et Deus virtutum, psal. lxxxiii, vers. 8. Christus egenus et pauper fuit, psal. lxxxv, vers. 1. Christus puer et filius ancillæ, *ibid.*, vers. 15. Christus fundamentum Ecclesiæ, psal. lxxxvi, vers. 1. Christus inter mortuos liber, psal. lxxxvii, vers. 4. Christus multipliciter primogenitus est, psal. lxxxviii, vers. 27. Christus dextra et brachium Dei dicitur, psal. xcvii, vers. 2. Christus lapis angularis, psal. cxvii, vers. 21. Christus finis est omnis consummationis, psal. cxviii, vers. 96. Christus dies et diluculum, *ibid.*, vers. 148. Christus pax super Israel, psal. cxxv, vers. 5.
Cibus nobis a Deo paratus corpus Christi est, psal. lxiv, vers. 10.
Cicatrices occulta peccata sunt, psal. xxxvi, vers. 5.
Civitas munita cœlum, psal. lix, vers. 10. Civitas munita, infernus, psal. cvii, vers. 11.
Clamare ad Deum, psal. lxxvi, vers. 1, et psal. cxviii, vers. 145.
Clibanus peccatores sunt, psal. xx, vers. 9.
Collaudatio non decet hæreticos, psal. xxxii, vers 1.
Columba avis innocens, psal. liv, vers. 6. Columba d argentata Ecclesia est, psal. lxvii, vers. 14.
Confessio duplex : una peccatorum, altera laudis, psal. vii, vers. 18, et psal. lxvi, vers. 3. Confessio triplex : peccati, filiei et laudis, psal. xliv, vers. 20. Confessio parturit salutem, psal. lxxiv, vers. 1.
Confiteri in cithara, psal. xli, vers. 5. Confiteri ex toto corde, psal. lxxxv, vers. 11, et psal. cxxxvii, vers. 1.
Confundi quid est, psal. xxxiv, vers. 4. Confundi et revereri differunt, psal lxix, vers. 2.
Confusio martyrum gloriosa, psal. xxxiv, vers. 11. Confusio duplex, una in pœnitentia, altera in judicio, psal. lxx, vers. 26. Confusio ad pœnitentiam, psal. cvm, vers. 28.
Consilium Ecclesiæ, psal. xix, vers. 4.
Conturbari frustra, psal. xxxviii, vers. ix.
Converti ad cor, psal. lxxxiv, vers. 9.
Cor redire retro, psal. xlii, vers. 20. Cor effundere coram Deo, psal. lxi, vers. 8. Cor altum cœlestia cogitat, psal. lxiii, vers. 7. Cor superborum sicut lac coagulatum, psal. cxviii, vers. 70. Core interpretatur *Calvaria*, psal. xli, *in tit.* Core filii, Christiani cruce signati, *ibid.*
Cornua peccatorum et cornua justi, psal. lxxiv, vers. 10. Cornu Christi et Ecclesiæ, psal. lxxxviii, vers. 24. Cornu pro regno ponitur, psal. cxi, vers. 8.
Corona in capite Christi, psal. xx, vers. 3.
Corpora sanctorum sunt sicut uter in pruina, psal. cxviii, vers. 83.
Crucis pœna ad gloriam translata, psal. xxxvi, vers. 18.
Currus et equi, instabiles et superbi dicuntur, psal. xix, vers. 8. Currus Dei, sanctorum unanimitas est, psal. lxvii, vers. 18.
Custodire sermones Dei, psal. cxviii, vers.
Cynomya, musca canina, psal. civ, vers. 30

D

Dæmonium meridianum, psal. xc, vers. 6.
Dæmonum scientia stultitia est, psal. xcv, vers. 5.

Damnati sunt in inferno sicut oves, psal. XLVIII, vers. 14.
David significat Christum, psal. XXXIV, *in tit.* et psal LXXVII, vers. 76. David absconditus, Christus, psal. LIII, *in tit.*
David et puer et servus Christi, psal. LIV, *in tit.*
Decor domus Dei : sacerdotes, psal. XXV, vers. 8
Dedicatio domus David, psal. XXIX, *in tit.*
Delicere quid est, psal. XXX, vers. 12, et psal. CXVIII, vers. 81 et 82.
Delictum et injustitia differunt, psal. XXXI, vers. 5.
Deprecatio frequens oratio, psal. VI, vers. 9. Deprecatio et oratio differunt, psal. XVI, vers. 1, et psal. LX, vers. 1.
Descendere in infernum viventes, psal. LIV, vers. 16.
Desiderio proprio relinqui a Deo, gravis pœna est, psal. LXXX, vers. 11.
Destructio gentium bona, psal. LIX, vers. 1.
Deus est ignis consumens, psal. V, vers. 5. Deus judex justus, fortis et patiens, psal. VII, vers. 12. Deus quomodo benedicitur et exaltatur, psal. XVII, vers. 50. Deus quando declinat in ira, psal. XXVI, vers. 14. Deus veritatis, psal. XXX, vers. 6. Deus quomodo requirit qui omnia novit, psal. XLIII, vers. 23. Deus refugium, virtus et adjutor, psal. XLV, vers. 1. Deus Jacob, Deus Christianorum, *ibid.*, vers. 11. Deus deorum, id est credentium, psal. XLIX, vers. 1. Deus varie cognoscitur, psal. LV, vers. 10. Deus virtutum, Deus Israel, psal. LVIII, vers. 5. Deus judicat in æquitate, id est, sine acceptione personarum, psal. LXVI, vers. 6. Deus tempora mutat, non consilia, psal. LXVII, vers. 5. Deus facit mirabilia solus, psal. LXXI, vers. 19. Deus in medio deos dijudicat, psal. LXXXI, vers. 1. Deus suavis et mitis, psal. LXXXV, vers. 4. Deus ultionum Dominus, psal. XCIII, vers. 1. Deus totus est oculus ; totus est manus, *ibid.*, vers. 9. Deus glorificatur per bona opera sanctorum, psal. XCV, vers. 7. Deus quomodo pœnitet, psal. CV, vers. 43. Deus plorum portio est, psal CXVII, vers. 57. Deus cui dormitare dicitur, psal. CXX, vers. 3 et 4. Deus solus est idipsum, psal. CXXI, vers. 3.
Devorare hominem, psal. XXXIV, vers. 28.
Dextera repleta muneribus, psal. XXV, vers. 10. Dextera Domini fecit virtutem, psal. CXVII, vers. 16.
Diabolus et leo et draco dicitur, psal. IX, vers. 31, et psal. CIII, vers. 28. Diabolus cur feris comparatur, psal. XXI, vers. 22. Diabolus maxime iniquus et dolosus, psal. XLIII, vers. 1. Diabolus aspis, basilicus, leo et draco dicitur, psal. XC, vers. 13.
Dicere in corde ; Non est Deus, psal. LII, vers. 1.
Dies diei eructat verbum, psal. LXXXI, vers. 2. Dies Dominica dicitur prima Sabbati, psal. XCIII, *in tit.* Dies famis, dies hujus sæculi, psal. XXXVI, vers. 20. Dies immensurabilis dies unus, psal. XXXVIII, vers. 7. Dies prosperitatis, nox adversitatis est, psal. XLI, vers. 11. Dies generationis et generationis, psal. LX, vers. 6. Dies antiqui, dies prævaricationis, psal. LXXVI, vers. 5. Dies æternus melior super millia, psal. LXXXIII, vers. 10. Dies mali, præsens mundus, psal. XCIII, vers. 13 De die in diem annuntiare, psal. XCV, vers. 2. Dies in singulari dies æternus, psal. CXVIII, vers. 91.
Diligere iniquitatem quid est, psal. X, vers. 6.
Diluvium aquarum multarum, psal. XXXI, vers. 8.
Dirigere gressus : non respicere retro, psal. XCIII, vers. 5.
Disponere sermones in judicio, psal. CXI, vers. 5.
Dissipare legem, psal. CXVIII, vers. 126.
Dives quasi divus, psal. XLVIII, vers. 16. Dives quid portat secum moriens, *ibid.*, vers. 18. Dives sæculi et pauper Dei differunt, psal. LXXIII, vers. 22.
Dolose agere, psal. XIV, vers. 3.
Dolosi duplici corde sunt, psal. XI, vers. 2.
Dolosus in ore quando est, psal. XXXI, vers. 2. Dolosus sicut novacula acuta, psal. LI, vers. 2.
Domus iniquitatum sunt malæ conscientiæ, psal. XXXVII, vers. 21. Domus Domini justos recipit, psal. CXXI, vers. 1. Domus Salomonis, Ecclesiæ typus, psal. CXXVI, *in tit.* Domus ædificanda Christiani, *ibid.*, vers. 1.
Donec, nunc finitum, nunc infinitum tempus designat, psal. CIX, vers. 2. *Donec* pro *semper* aliquando ponitur, psal. CXXII, vers. 3.
Dorsum Judæorum incurvatum, psal. LXVIII, vers. 28.
Dulcedo Dei multa, psal. XXX, vers. 23.

E

Ecclesia in tribulationibus dilatatur, psal. IV, vers. 1, et psal. XVII, vers. 20 ; item, psal. CXXVII, vers. 2. Ecclesia cur torcular dicitur, psal. VII, *in tit.* Ecclesia caro Christi dicitur, psal. XV, vers. 9. Ecclesia de aquis multis assumpta, psal. XVII, vers. 19. Ecclesia quomodo vindicatur, *ibid.*, vers. 51. Ecclesia dicitur magna, psal. II, vers. 27. Ecclesiæ persecutores qui sunt, psal. XXX, vers. 19. Ecclesia comparatur uteri, psal. XXXII, vers. 7. Ecclesia circumdata varietate, psal. XLIV, vers. 11. Ecclesia civitas Dei, psal. XLVII, vers. 1 et 7. Ecclesia ut turtur, psal. LXXXIII, vers. 3. Ecclesia thronus Christi, psal. LXXXVII, vers. 5. Ecclesia lunæ comparatur, psal. CIII, vers. 20. Ecclesia et ancilla et sponsa dicitur, psal. CXV, vers. 6. Ecclesiæ vox est : Erravi sicut ovis perdita, psal. CXVIII, vers. 176. Ecclesia vidua Christi dicitur, psal. CXXXI, vers. 16.
Edom diabolum significat, psal. CXXXVI, vers. .
Egenus et pauper differunt, psal. XXXIV, vers. 23. Egenus, qui semper gratiam Dei desiderat acquirere, psal. LXIX, vers. 6.
Eleemosyna præmittitur in cœlum, psal. CXXV vers. 7.
Elephas animal castum, psal. XLIV, vers. 10.
Eloquia Dei, igne examinata, psal. XVII, vers. 33. Eloquia Dei dulciora super mel, psal. CXVIII, vers. 103. Eloquia Dei iguita, *ibid.*, vers. 140.
Equus fallax, felicitas humana dicitur, psa. XLVII, vers. 17.
Erubescere quid est, psal. XXIV, vers. 1.
Esca panis semper est desiderabilis, psal. LII, vers. 5. Esca animæ lex Dei, psal. CVI, vers. 18.
Esse in pœnis est non esse, psal. XXVIII, vers 18.
Eudoxia uxor Theodosii, 2, muros Hierusalem amplavit, psal. L, vers. 19.
Euge, Euge, qualis vox est, psal. LXIX, vers. 4.
Evangelistæ sagittæ Domini dicuntur, psal. XVII, vers. 16.
Exaltari in Christo, non in seipso, psal. LXV, vers 6.
Exaltare Deum sub lingua, *ibid.*, vers. 16.
Exsulta e plus est quam lætari, psal. IX, vers. 2, et psal. XXX, vers 8.
Extendere cœlum sicut pellem, psal. CIII, vers. 3.

F

Fama de Christo, ventis velocior fuit, psal. XVII, vers. 12.
Fides præcepta loquitur ore quod corde creditur, psal. CXV, vers. 1.
Fieri sicut equus et mulus, qui id est, psal. XXXI, vers. 11.
Filiæ regum sunt animæ seu Ecclesiæ apostolorum prædicatione conversæ, psal. XLV, vers. 10. Filia prophetarum Ecclesia dicitur, *ibid.*, vers. 12. Filiæ Judæ sunt animæ confessorum, psal XLVII, vers. 10.
Filii Core, id est, filii gramis : Christiani, psal. XLI, vers. 6, et psal. LXXXIII, *in tit.* Filii mortificatorum qui sunt, psal. LXXVIII, vers. 12. Filii excussorum, id est prophetarum, psal. CXXVI, vers. 5. Filii alienati, diaboli sunt, psal. CXLIII, vers. 8.
Finis Christus dicitur, in quo non deficitur, sed crescitur, psal. IX, *in tit.* Finis noster Christus est, ad quem pervenisse vita est, psal. XXXVII, vers. 5. Finis noster Christus est, ad quem bona cuncta referenda sunt, psal. LIV, *in tit.*
Firmamentum apostoli et prophetæ sunt, psal. XVIII, vers. 1.
Fluminis potentes sæculi dicuntur, psal. XXIII, vers. 2. Flumen Dei Christiani sunt, psal. LXIV, vers. 10. Flumen aliud baptismi, aliud persecutionis, psal. LXV, vers. 5.
Fodere foveam et incidere in eam, psal. LVI, vers. 9.
Fons a fovendo vel a fodendo dicitur, psal. LXVII, vers. 28.
Fornicari a Deo, psal. LXXII, vers. 28.
Framea, gladius bis acutus, psal. XVI, vers. 14.
Frumentum a frumine dictum est, psal. IV, vers. 8.
Fugere a facie arcus, psal. LX, vers. 4.
Funes peccatorum in carne corrupta, psal. CXVIII, vers. 61
Furor et ira Dei, dicitur retributio peccatorum, non motus animi, psal. II, vers. 5. Furor et ira translative de Deo dicuntur, psal. VI, vers. 1. Furor brevis est, ira longa, psal. VI, vers. 1, et psal XXXVI, vers. 8.

G

Galaad, id est *acervus testimonii*, psal. LIX, vers. 7.
Gebal ... valles una, psal LXXXII, vers. 6.
Gemitus, quasi geminatus luctus est, psal. VI, vers. 6. Gemitus alius est corporis, alius cordis, psal. XXXVII, vers. 8.
Generationes duæ sunt, una ab Adam ad Christum, altera usque in finem sæculi, psal. LXXXIV, vers. 8. Generatio et generatio, duo populi sunt, Judæi et gentes, psal. LXXXVIII, vers. 2.
Gentes in fine mundi adhærebunt Antichristo, Judæi Christo, psal. LVIII, vers. 8. Gentes velut desertum erant, psal. LXVII, vers. 8. Gentes ut animalia erant, *ibid.*, vers. 11.
Gladius et arcus peccatoris, psal. XXXVI, vers. 14.
Gloriari non decet nisi in Domino, psal. LI, vers. 1.
Gradus tres, tum malorum tum bonorum psal. CXVII, vers. 3.

Gratia in labiis Christi diffusa, psal. XLIV, vers. 3.
Gratis Deum amant boni, oderunt mali, psal. CVIII, vers. 2.
Gravis populus Christianus cur dicitur, psal. XXXIV, vers. 21.
Gustare Deum quam suavis est, psal. XXXII, vers. 8.

H

Habitatores orbis qui sunt, psal. XLVIII, vers. 1.
Hæreditare terram quid est, psal. XXIV, vers. 14. Hæreditas Christi Ecclesia est, psal. XXVII, vers. 12; item, psal. XCIII, vers. 14. Hæreditas nostra est futuri sæculi regnum, psal. LX, vers. 5. Hæreditas Dei olim populum Judæorum fuit, psal. LXXIII, vers 3.
Hæretici adversantur sine causa, psal. III, vers. 7. Hæretici loquuntur mendacium, psal. V, vers. 6. Hæreticorum ora sepulcra sunt patentia, psal. V, vers. 11. Hæretici per superbiam montes, per instabilitatem passeres dicuntur, psal. X, vers. 1. Hæretici legem Dei destruunt, *ibid.*, vers. 3. Hæretici plebem Christi devorant sicut escam panis, psal. XIII, vers. 8. Hæretici umbræ mortis dicuntur, psal XXII, vers. 4. Hæretici cogitant mala, psal. XXXIV, vers. 5. Hæretici meditantur iniquitatem, psal. XXXV, vers. 4. Hæretici omnes corrupti sunt, psal. LII, vers. 2. Hæretici calcaneum nostrum observant, psal. LV, vers. 6. Hæretici errant ab utero matris Ecclesiæ, psal. LVIII, vers. 3. Hæretici et Judæi repellunt Christum, psal. LXI, vers. 4. Hæretici verticem capilli perambulant, psal. LXVII, vers. 23. Hæretici tauri, plebis animæ vaccæ dicuntur, *ibid.*, vers. 33. Hæreticorum contradictiones sunt velut venti flantes, psal. LXXX, vers. 7.
Hæretici detrahunt, ideo persequendi sunt, psal. C, vers. 5. Hæretici ad Ecclesiam collati, pauci sunt, psal. CVI, vers. 39. Hæreticorum oratio vertitur in peccatum, psal. CVIII, vers. 6. Hæretici scrutantur Scripturas ad falsitatis ambitum, psal. CXVII, vers. 2. Hæreticorum distorta versutia, directionem cordis non habet, *ibid.*, vers 7. Hæreticorum pravæ suasiones dicuntur via mala, *ibid.*, vers. 101. Hæretici deglutiunt vivos, psal. CXVIII, vers. 2. Hæretici sicut fenum tectorum sunt, psal. CXXVIII, vers. 5. Hæreticorum nequitia, psal. CXXXIX, vers. 2. Hæretici laqueos absconduut, *ibid*, vers. 5. Hæretici reproborum electi sunt, psal. CXL, vers. 5. Hæreticorum plantationes novellæ sunt, psal, CXLIV, vers. 13. Hæreticis est similitudo templi, non verum templum, *ibid.*, vers. 14. Hæreticorum promptuaria plena, *ibid.*, vers. 13.
Hermon mons parvus juxta Jordanem, psal. XLI, vers. 8. Hermon, id est *anathema*, pro diabolo ponitur, psal. LXXXVIII, vers. 13.
Herodius, avis est maxima, aquilam vincens, psal. CIII, vers. 19.
Hirci quasi hirsuti sunt peccatores, psal. LXV, vers. 14.
Holocausta Christianorum qualia sunt, psal. XLIX, vers. 9. Holocausta medullata quæ sunt, psal. LXV, vers. 14.
Homicidæ sunt sicut paries inclinatus, psal. LXI, vers, 3.
Homo inops, egenus et pauper, psal. XXXIV, vers. 12. Homo non habens scientiam Dei comparatur jumentis, psal. XLVIII, vers. 12. Homo ut fenum est, psal. CI, vers. 5. Homo ex se mendax, ex Deo verax, psal. CXV, vers. 2.
Hostes Ecclesiæ, adulator et blasphemus, psal. XXXIX, vers. 21.
Humiliter sentire, psal. CXXX, vers. 3.
Hymnus, canticum laudis Dei est, psal. VI, *circa fin.* Hymnus, psalmus, et psalmus cantici differunt, psal. LXVI, *in fin.*
Hyssopo sanguis Christi significatur, psal. L, vers. 8.

I

Idithum seu potius Iduthum, id est, transilitor, psal. XXXVIII, *in fit.*, et psal. LXI.
Idola dicuntur vanitas et mendacium, psal. IV, vers. 3. Idola infirmitates dicuntur, psal. XV, vers, 3. Idolum quasi dolo repertum, psal. XCVI, vers. 7.
Ignis Spiritus sancti consumit peccata, psal. XXXVIII, vers. 4. Ignis illuminat justos et exurit peccatores, psal. XL, vers. 4.
Immaculatus per se nemo est nisi solus Deus, psal. CXVIII, vers. 1.
Immolatio corporis et sanguinis Christi, psal. XV, vers. 4.
Impii ut rota sunt, psal. LXXXII, vers. 12. Impios in circuitu ambulare, psal. XI, vers. 9. Impii, qui Scripturas depravant, psal. XXV, vers. 4. Impii sicut fenum cito pereunt, psal. XXXVI, vers. 2. Impius crescit ad ruinam, *ib.* vers. 37.
Impugnatores nostri sunt spiritus immundi, psal. XXXIV, vers. 1.
Incensum arietum, traditio Apostolorum est, psal. LXV, vers. 14.
Incola quis dicitur, psal. CXIX, vers. 5.
Increpare quid est, psal. CXVIII, vers. 21.
Infernus dicitur quia filii animæ jugiter inferuntur, psal. IX, vers. 18. Infernus duplex, superior, et inferior, psal. LXXXV, vers. 13.
In finem, significat Christi æternale principium, psal LXVII, *in fit.*
In idipsum laudare, psal. XXXIII, vers. 3. *In idipsum* signat æternitatem, psal. CXVI, vers. 3.
Ingredi sine macula, psal. XIV, vers. 2.
Inimici nostri sunt, diaboli et peccata, psal. VI, vers. 7, et psal. IX, vers. 3. Inimici duplices, corporales et spirituales, psal. VII, vers. 1. Inimici nostri sunt affectus carnales, psal. XVII, vers. 41.
Iniquitates et peccata quomodo differunt, psal. XXXI, vers. 1. Iniquitates superge essæ caput, id est, rationem, psal. XXXVII, vers. 4.
Insipiens Judæus, insipiens et Gentilis, psal. XIII, vers. 1. Insipiens et stultus simul peribunt, psal. XLVIII, vers. 9. Item psal. XCI, vers. 6.
Intellectus quo intelliguntur peccata, psal. XXXI, *in fit.*, et vers. 10. Intellectus mandatorum Dei in Adam purus erat, psal. CXVIII, vers. 73.
Intelligere super egenum quid est, psal. XL, vers. 1
Interficere innocentem quid est, psal. IX, vers. 30.
Invocare in veritate, psal. CXLIV, vers. 19.
Ipsi David, quid significat, psal. CXXVII, *in fit.*
Ira pro vindicta ponitur, psal. LIV, vers. 23.
Ira ut festuca, odium ut trabs est, psal. LIV, vers. 3.
Irasci peccatis in cubilibus, psal. IV, vers. 5
Ire de virtute in virtutem, psal. LXXXIII, vers. 7.
Israel dicitur, qui facit quod lubet, psal. LXXXII, vers. 5. Israel, id est *videns Deum*, psal. XXIV, vers. 23.
Iter, cursus vitæ est, psal. LXVII, vers. 21.

J

Jacob et Israel populus Christianus recte dicitur, psal. LII, vers. 8.
Janua cur a Jano dicta est, psal. LXXIII, vers. 7.
Jejunium quasi inedium dicitur, psal. XXXIV, vers. 16.
Jonadab sacerdos præcepit filiis suis sobrie servire Deo, psal. LXX, *in fit.*
Jubilus seu Jubilatio quid est, psal. XXXII, vers. 3, et psal. XLVI, vers. 1. Item psal. LXV, vers. 1. Item psal. LXXXVIII, vers. 15.
Judæus inimicus et ultor dicitur, psal. VII, vers. 3. Judæi sunt sensu corrupti, psal. XIII, vers. 2. Judæi filii alieni dicuntur, psal. XVII, vers. 49. Judæi claudicant in fide, *ibid.* Judæi unicornes dicuntur, psal. XXVIII, vers. 6. Judæi commorantur in circuitu, id est cortice litteræ, psal. XXX, vers. 16. Judæi sunt extra numerum, scilicet justorum, psal. XXXIX, vers. 8. Judæorum iniquitas super muros Hierusalem, psal. LIV, vers. 10. Judæi Testamentum Dei contaminant, *ibid.* 23. Judæi falso loquuntur justitiam legis, psal. LVII, vers. 1. Judæi obstinati sicut aspis, *ibid.*, vers. 4. Judæi operarii iniquitatis, psal. LVIII, vers. 2. Judæi in fine mundi convertentur ad Christum, *ibid.* vers. 7. Judæi traditi in manus gladii, psal. LXII, vers. 9. Judæorum machinationes contra Christum, psal. LXIII, vers. 8. Judæi Deo mentiti sunt, psal. LXV, vers. 2. Judæi apposuerunt iniquitatem super iniquitatem, psal. LXVIII, vers. 32 Judæi dicuntur contra legem agentes : pagani vero iniqui, psal. LXX, vers. 5. Judæi et Israel nunc solo nomine sunt, psal. LXXV, vers. 1. Judæi sunt generatio prava et exasperans, psal. LXXVII, vers. 10. Judæi non vere timebant Deum, psal. LXXXIV, vers 10. Judæorum sedes est collisa, psal. LXXXVIII, vers. 43. Judæorum instabilitas et mendicitas, psal. CVIII, vers. 9. Judæi, ut apes, non sibi, sed aliis mellificaverunt psal. CXVII, vers. 12.
Judas traditor, filius iniquitatis dicitur, psal. LXXXVIII, vers. 22. Judas uxorem habuit et filios, psal. CVIII, vers. 8.
Judicantur in æquitate sancti, in justitia peccatores, psal. IX, vers. 8, et psal. XCVII, vers. 10. Judicari a Deo quomodo petit Christianus, psal. XLII, vers. 1.
Judicium Christo datum secundum humanam naturam, psal. LXXI, vers. 1.
Judicium extremum simile dicitur tempestati, psal. LXXXII, vers. 14.
Jurare in dolo quid est, psal. XXIII, vers. 4. Jurare Deo convenit, homini prohibetur, psal. LXXXVIII, vers. 4. Jurare dupliciter accipitur, psal. CVIII, vers. 106.
Justitiam Dei a se repellere quid est, psal. XVII

vers. 25. Justitiæ rectæ quæ dicuntur, psal. XVIII, vers. 9. Justitia Dei est parcere pœnitenti, psal. LXX, vers. 1.
Justus est sicut palma et sicut cedrus, psal. XCI, vers. 12.
Juvenculæ tympanistriæ virgines sacræ sunt, psal. LXVII, vers. 27.
Juventus novitas vitæ dicitur, psal. XLII, vers. 4. Juventus dicitur quo tempore pugnatur contra vitia, psal. LXVII, vers. 27.

L

Labia Christi duo testamenta sunt, psal. XV, vers. 4. Labia Christi sancti prædicatores sunt, psal. XXXIX, vers 12.
Labor labiorum mendacium est, psal. CXXXIX, vers. 10.
Lacus quid, psal. VII, vers. 16. Lacus hoc sæculum aut infernum significat, psal. XXVII, vers. 1. Lacus miseriæ et lutum fecis quid est, psal. XXXIX, vers. 2. Lacus varie accipitur, psal. LXXXVII, vers. 6.
Lætari in Domino, non in seipso, psal. XXXI, vers. 14.
Lætitia vera est recte credere, psal. IV, vers. 7.
Lamenta in funere fiunt, psal. LXXVII, vers. 69.
Laqueus mortis est reatus peccati originalis, psal. XVII, vers. 6. Laqueus juxta viam est, non in via, psal. CXVIII, vers. 110.
Latum mandatum Dei charitas est, psal. CXVIII, vers. 96.
Laus Dei quomodo semper est in ore nostro, psal. XXXIII, vers. 1, et psal. XXXIV, vers. 32. Laus Dei non est nisi in sanctis, psal. XLVII, vers. 9.
Lavare manus in sanguine peccatoris, psal. LVII, vers. 10.
Lectus ab electis et mollibus herbis dictus est, psal. VI, vers. 6.
Legislator Antichristus dicitur, sed falso, psal. IX, vers. 21.
Leoni et Christus et diabolus comparatur, psal. VII, vers. 2.
Lex Domini immaculata, Christus est, psal. XVIII, vers. 8. Legis mysteria sicut cera liquescens, psal. XXI, vers. 15. Lex oris tui super millia auri et argenti, psal. CXVIII, vers. 71. Lex non est bonis scandalum, *ibid.*, vers. 165.
Liberari de sanguinibus est absolvi a peccatis, psal. L, vers. 15. Liberari pedes de lapsu, non hic, sed in futuro sæculo præstatur, psal. LV, vers. 13.
Locupletata per Christum terra, psal. LXIV, vers. 9.
Locus pascuæ quid est, psal. XXII, vers. 1.
Loqui ore non corde, psal. XXI, vers. 7. Loqui adversus Deum iniquitatem, quid est, psal. LXXIV, vers. 5.
Lumen vultus Dei, signum crucis et gratia Dei est, psal. IV, vers. 7. Lumen semitis nostri sancta Scriptura est, psal. CXVIII, vers. 105.

M

Magnificare Dominum quid est, psal. LXIX, vers. 5.
Malum a quo custodit Dominus, quale est, psal. CXX, vers. 7.
Mandare salutes Jacob, quid est, psal. XLIII, vers. 6. Mandare testamentum in æternum, psal. CX, vers. 8.
Mandata Dei intelligere est secundum ea operari, psal. CXVIII, vers. 95.
Mane precari est in lucida conversatione degere, psal. V, vers. 3. Mane lætitiam, vespera tristitiam designat, psal. LXIV, vers. 8. Mane tempus veniæ est, psal. CXLII, vers. 9.
Mansueti et mites qui sunt, psal. XXIV, vers. 10, et psal. XXXVI, vers. 11.
Mare gentes dicuntur, psal. LXXXVIII, vers. 25, et psal. XCIV, vers. 5.
Martyres quomodo exauditi sunt, psal. XXXIII, vers 17. Martyres facit non pœna, sed causa, psal. XXXIV, vers. 26. Martyres velut oves escarum fuere, psal. XLIII, vers. 13 et 24. Martyres in passione hilares fuere, psal. CXVIII, vers. 159.
Matutina susceptio est tempus resurrectionis, psal. XXI, *in tit.*
Media nocte surgendum ad laudem Dei, psal. CXVIII, vers. 62.
Meditari legem Dei tota die, *ibid.*, vers. 97.
Meditatio legis potius in opere quam in lectione consistit, psal. CXVIII, vers. 77.
Memor Dei super stratum in prosperis, psal. LXII, vers. 7. Memor mandatorum Dei quis est, psal. CII, vers. 18. Memor judiciorum Dei non peccat, psal. CXVIII, vers. 52.
Mendaces filii hominum in stateris, psal. LXI, vers. 9.
Mensa, Scriptura sacra dicitur, psal. XXII, vers. 6. Mensa Judæis facta in laqueum, psal. LXVIII, vers. 27.
Metabole quædam locutionis figura est, psal. V, vers. 1.
Mirabilia legis sunt mysteria spiritualia, psal. CXVIII, vers. 18 et 129.
Misericordia cordis, miseratio operis est, psal. XXIV, vers. 6. Misericordiam a Deo petere, optima est reorum defensio, psal. L, vers. 1. Misericordia Dei melior super vitas, psal. LXII, vers. 4. Misericordia et judicium seu veritas, in omnibus operibus Dei, psal. CX, vers. 1. Misericordia Dei magna est super cœlos, psal. CVII, vers. 4.
Monachus, id est *solitarius*, ab omni peccato divisus, psal. LXVII, vers. 6.
Montes æterni prophetæ et apostoli dicuntur, psal. LXXV, vers. 4. Montes sancti itidem prophetæ et apostoli dicuntur, psal. LXXXVI, vers. 1. Montes fumigantes, psal. CXLIII, vers. 6.
Mors peccatorum pessima, psal. XXXIII, vers. 21. Mors martyrum, non mors, sed umbra mortis est, psal. XLIII, vers. 21. Mors martyrum pretiosa et vitalis, psal. CXV, vers. 5. Mors Christi sessio dicitur, psal. CXXVIII, vers. 1.
Mortuus dicitur qui mandata Dei non servat, psal. CXVIII, vers. 17. Mortuus sæculi quis dicitur, psal. CXLII, vers. 4.
Moyses et Aaron quomodo interpretantur, psal. LXXVI, vers. 20.
Mundus iste cur mare dicitur, psal. LXIV, vers. 6. Mundus iste locus peregrinationis est, psal. CXVIII, vers. 54. Mundus iste nox dicitur, psal. XIX, vers. 53. Mundus iste desertum dicitur, psal. CXXXV, vers. 16. Mundus iste spelunca dicitur, psal. CXLI, *in tit.*

N

Necessitates dicuntur adversitates seu venialia peccata, psal. XXIV, vers. 18. Necessitas, in nece posita, id est in peccato, psal. XXXIX, vers. 9.
Nemo Dei judicium sine misericordia sustinere potest, psal. CXLII, vers 2.
Nequitia, voluntaria malitia, psal. XXXVI, vers. 8.
Nescit Deus id quod perit, scit quod manet, psal. I, vers. 7.
Nimis dupliciter exponitur, psal. CVII, vers. 29.
Nimium in divina militia virtus est, psal. CXVIII, vers. 4.
Nomen Dei, Dominus, vel Est, psal. IX, vers. 10. Nomen Christi ante solem permanet, psal. LXXI, vers. 17.
Novus gradus mysterium Trinitatis est, psal. CXXVII, *in tit.*
Nubes præfulguræ, eloquia divina vel apostoli sunt, psal. XVII, vers. 14. Nubes prophetæ intelliguntur, psal. LVI, vers. 15. Nubes prædicatores dicuntur, psal. LXXVI, vers. 66, et psal. LXXXVIII, vers. 7.

O

Obdormire in morte quid est, psal. XI, vers. 4.
Oblivisci Deum quid est, psal. IX, vers. 18, et psal. XLIX, vers. 23.
Observat peccator justum insidiose, psal. XXXVI, vers. 12.
Occidere peccatores, psal. CXXXVIII, vers. 18.
Oculos in terram declinare quid est, psal. XVI, vers. 12.
Oculus quasi ocior lux, psal. VI, vers. 7.
Odisse disciplinam, psal. XLIX, vers. 18. Odisse inimicos Dei, psal. CXXXVIII, vers. 20 et 21.
Offerre munera in circuitu, psal. LXXV, vers. 11.
Og, id est *conclusio*, diabolus est, psal. CXXXIV, vers. 11, et psal. CXXXV, vers. 20.
Oleum peccatoris, adulatio, psal. CXL, vers. 6.
Olla spei nostræ, tribulatio sanctorum, psal. LIX, vers. 8.
Onagri dicuntur Judæi, psal. CIII, vers. 12.
Opera sancta solum in Ecclesia sunt, psal. CXXXIII, vers. 3. Opera sua Deus in nobis coronat, psal. CXLIV, vers. 9.
Opprobrium malis boni sunt, psal. LXVIII, vers. 13.
Orandum pro inimicis, psal. VI, vers. 10.
Orare expansis manibus, psal. CXLIV, vers. 6.
Oratio et deprecatio differunt, psal. XXXVII, vers. 16.
Ordinare testamentum Christi super sacrificia, psal. XLIX, vers. 6.
Os abundare malitia, quid est, psal. LXIX, vers. 20.
Ossa mentis fortitudinem designant, psal. VI, vers. 2, psal. XXXIV, vers. 11. Item psal. L, vers. 9.

P

Panes animæ sunt lacrymæ, psal. XLI, vers. 5. Panis doloris itidem lacrymæ sunt, psal. CXXVI, vers. 3.
Parabola et propositiones differunt, psal. LXXVII, vers. 2. Parabola quid est, psal. LXVIII, vers. 14.
Paradisus, terra viventium, psal. XIV, vers. 7.
Paratus ad mandata Dei quis est, psal. CXVIII, vers. 60.
Passeribus monachi comparantur, psal. CII, vers. 18.
Patres nostri, prophetæ et apostoli sunt, psal. XLIII, vers. 1

Patriarchæ Christi dicuntur, psal. CIV, vers. 15.
Paulus apostolus dicitur Benjamin adolescentulus, psal. LXVII, vers. 29.
Pauper et inops differunt, psal. XXXVI, vers. 15. Pauperes sunt Christiani qui mundi opes despiciunt, psal. LXVIII, vers. 38. Pauperes Dei qui sunt, psal. LXXI, vers. 2.
Pax cœlestis in idipsum, id est, immutabilis est, psal. IV, vers. 9. Pacem habere cum Domino, quid est, psal. LXV, vers. 2.
Peccant qui sacerdotibus non obediunt, psal. LXXVII, vers. 36. Peccatur tribus modis, cogitatione, dicto, et facto, psal. I, vers. 1.
Peccatores differunt a justis et ab impiis, psal. I, vers. 6. Peccatores pecora dicuntur, psal. VIII, vers. 9. Peccatores ut lutum delebuntur, psal. XVII, vers. 46. Peccatores sicut pulvis projiciuntur, psal. XXXIV, vers. 6. Peccatores ut fumus deficiunt, psal. LXVII, vers. 2. Peccatores pacem in conscientia non habent, psal. LXXII, vers. 3. Peccatores exaltare cornu, psal. LXXIV, vers. 4.
Peccatum occultum et alienum differunt, psal. XVIII, vers. 13. Peccata nostra multa sunt, psal. XXIV, vers. 12. Peccatum non imputari quid est, psal. XXXI, vers. 2. Peccatum originale ex Adam trahitur, psal. L, vers. 6.
Peregrinationes Abrahæ, psal. CIV, vers. 13.
Peregrini sumus hic omnes, psal. XXXVIII, vers. 17.
Pes animæ amor est, psal. IX, vers. 16. Pes affectus mentis dicitur, psal. XXXV, vers. 12.
Petendum a Deo assidue, psal. CXVIII, vers. 124.
Petitio cordis quid est, psal. XXXVI, vers. 4.
Pharao diabolum significat, psal. CXXXIV, vers. 9.
Philosophi cur pisces maris dicuntur, psal. VIII, vers. 8.
Philosophorum scripta ad sacram Scripturam nihil sunt, psal. CXL, vers. 7.
Pinguedo animæ quid est, psal. LXII, vers. 6.
Pingues terræ qui sunt, psal. XXI, vers. 32.
Plaudere manibus allegorice est bona opera facere, psal. XLVI, vers. 1.
Pœnitens cur assimilatur pelicano, psal. CI, vers. 7.
Ponere scandalum fratri, psal. XLIX, vers. 21. Ponere os in cœlum, psal. LXXII, vers. 9.
Portæ mortis diaboli et hæretici sunt, psal. IX, vers. 14. Portæ æternales sunt fides et charitas, psal. XXIII, vers. 7. Porta Christus. Portæ apostoli sunt et prophetæ, psal. CXVII, vers. 19.
Prædicatores in Ecclesia sunt sicut turres, psal. XLVII, vers. 11.
Prævaricatores qui sunt, psal. CXVIII, vers. 158.
Principes mali sunt persecutores et diaboli, *ibid.*, vers. 161.
Prodigium sunt in hoc mundo peccatoribus fideles, psal. LXX, vers. 8. Prodigia quasi porro dicentia, psal. LXXVII, vers. 48, et psal. CIV, vers. 26.
Prophetæ sæpe præteritum pro futuro ponunt, psal. XLIII, vers. 9. Prophetæ cur *videntes* dicti sunt, psal. LXXIVIII, vers. 19.
Proximi nostri omnes sunt homines, psal. XIV, vers. 4.
Psallere et cantare differunt, psal. XX, vers. 13, et psal. XXVI, vers. 11. Psallere sapienter quid est, psal. XLVI, vers. 7. Psallere Domino in cithara quid est, psal. XCVII, vers. 7.
Psalmodia quid est, psal. CXXXVI, vers. 7.
Psalmus cantici quid est, psal. LXXIV, *circa fit.* Psalmus differt a cantico, psal. IV, *circa fit.* Psalmo Deus magis opere quam vocibus laudatur, psal. XVII, vers. 53.
Psalterium et cithara quomodo differunt, psal. XXXII, vers. 2, et psal. XVII, vers. 24. Psalterium similitudo est corporis Domini, psal. XLVIII, vers. 4. Psalterio comparantur actus nostri, psal. CVII, vers. 1.
Pueri dicuntur Christiani a simplicitate et puritate mentis, psal. CXII, vers 1. Puer ab innocentiæ puritate Christus, psal. LXVIII, vers. 21.
Pulvis dicitur homo terrenus et impius, psal. I, vers. 5.
Pupilla oculi quasi pusilla dicitur, psal. XVI, vers. 9.
Pusillum tempus est quod usque ad diem judicii restat, psal. XXXVI, vers. 10.
Puteus interitus, gehennæ profunditas, psal. LIV, vers. 26. Puteus in bonam et malam partem accipitur, psal. LXVIII, vers. 9.

Q

Quærere mendacium, psal. IV, vers. 3. Quærere faciem Dei, psal. XXIII, vers. 6. Quærere mala, psal. LXX, vers. 14. Quærere sibi escam a Deo, psal. CIII, vers. 22.
Quis sæpe pro raritate ponitur, psal. XXIII, vers. 3.

R

Rana hæreticorum loquacitatem significat, psal. LXXVII, vers. 30.
Recti corde qui sunt, psal. LXIII, vers 11, et psal CXXIV, vers. 4.
Reges dicuntur quilibet Christiani boni, psal. CI, vers. 16.
Regnum omnium sæculorum, psal. CXLIV, vers. 13.
Reliquiæ Judæorum convertendæ ad Christum, psal. XX, vers. 12. Reliquiæ justorum manent, impiorum pereunt, psal. XXXVI, vers. 39 et 40.
Reminisci est ad Dominum per pœnitentiam reverti, psal. XXI, vers. 29.
Renum increpatio, psal. XV, vers. 7.
Reptilia maris, id est hujus mundi, dæmones sunt, psal. CIII, vers. 26.
Requies animæ bona conscientia est, psal. CXIV, vers. 7.
Respicit Deus aliter peccata, aliter hominem, psal. XXXII, vers. 13.
Resurrectio duplex, una a vitiis, altera in vitam æternam, psal. XIX, vers. 9.
Retributio quadruplex, psal. XXVII, vers. 6.
Rex et gigas per similitudinem quis dicitur, psal. XXXII, vers. 16. Rex peccat soli Deo, plebeius autem Deo et regi, psal. L, vers. 5.
Rhamnus est genus spinarum, aculeis asperum, floro gratum, psal. LVII, vers. 9.
Ridebunt justi super peccatores, psal. LI, vers. 6.
Rivi apostoli dicuntur, psal. LXIV, vers. 11.
Rogare pro interrogare, psal. CXXI, vers. 6.
Ros Hermon divina Scriptura dicitur, psal. CXXXII, vers. 3.
Ruina ex disputatione hæreticorum, psal. CXLIII, vers. 17.

S

Sacrificare voluntarie quid est, psal. LII, vers. 6.
Sacrificium Ecclesiæ est corporis et sanguinis Christi immolatio, psal. XIX, vers. 3. Sacrificia taurorum prosunt si in pauperes erogentur, psal. XLIX, vers. 14. Sacrificium laudis est, mori mundo, offerri Christo, *ibid.*, vers. 15. Sacrificium nostrum, non sanguine, sed lacrymis perfundi debet, psal. L, vers. 18. Sacrificium justitiæ passio Christi est, psal. L, vers. 18. Sacrificium vespertinum, psal. CXL, vers. 2.
Sagittæ Christi acutæ, quia corda penetrant ut sanent, psal. XLIV, vers 7.
Salix lignum infructuosum, psal. CXXXVI, vers. 2.
Salomon typus Christi, psal. LXXI, *in fit.*
Salvat Dominus homines et jumenta, psal. XXXV, vers. 7. Salvari pro nihilo quid est, psal. LV, vers. 7.
Sancti dicuntur cœli, in quibus Deus habitat, psal. II, vers. 4. Sancti vota distinguunt, psal. LXXV, vers. 12. Sancti ut cervi sunt, psal. CXL, vers. 10.
Sanguis Christi purificat, non cruentat, psal. CXXIX, vers. 7.
Sapienter petere quid est, psal. XXI, vers. 2.
Sapientia in divinis mysteriis : prudentia in moribus, psal. XLVIII, vers. 3.
Scandalum Græce *sinistrum* significat, psal. CV, vers. 34.
Scrutari legem Dei inter malignos non licet, psal. CXVIII, vers. 113.
Scutum quasi sculptum dicitur, psal. XXXIV, vers. 2. Scuto coronat Deus, psal. CII, vers. 4.
Secunda Sabbati Ecclesia catholica est, psal. XLVII, *in fit.*
Sedes Dei dicuntur sancti, psal. CXXI, vers. 5.
Semen Jacob et semen Israel, psal. XXI, vers. 24 et 25.
Semen opera hominis dicuntur, psal. XXXVI, vers. 26, et psal. CXI, vers. 1.
Semitæ justitiæ sunt dilectio Dei et proximi, psal. XXII, vers. 3. Semita dicitur quasi semivia, psal. XXIV, vers. 4, et psal. CXVIII, vers. 35.
Senecta et senium differunt, psal. LXX, vers. 19.
Septem psalmi pœnitentiales, et septem modi remittendi peccata, psal. VI, vers. 1. Septem dona Spiritus sancti, psal. XI, vers 7.
Septies in die laudem dicere, psal. CXVIII, vers. 164.
Septuplum significat perfectionem psal. LXXVIII, vers. 13.
Sepulcrum dicuntur mentes infidelium, psal. XCVII, vers. 12.
Servus a servando dictus est, psal. CXVIII, vers. 122. Servi Domini qui sunt, psal. CXIII, vers. 1.
Silo significat sacerdotium Aaron a Deo rejectum, psal. LXXVII, vers. 66.
Singularis quis dicitur, psal. CXL, vers. 11.

Sion Ecclesiam designat, psal. II, vers. 6, et psal. IX, vers. 11. Sion : speculatio divinitatis, psal. XIX, vers. 2. Sion parvus colliculus prope templum Hierusalem, psal. LXVIII, vers. 40.
Sitiens Deum anima quid facit, psal. LXII, vers. 2.
Sortes nostræ in manu Dei, psal. XXX, vers. 18.
Species Jacob dilecta quid est, psal. XLVI, vers. 4.
Spes Ecclesiæ dicitur singularis, psal. IV, vers. 10. Spes omnium finium terræ Deus, psal. LXIV, vers. 6.
Spinam configit, quid est, psal. XXXI, vers. 4.
Spiritus rectus innovatur in nobis per Christum, psal. L, vers. 11. Spiritus principalis quis est in nobis, *ibid.*, vers. 13.
Subditus Deo quis est, psal. LXI, vers. 1.
Substantia apud Christum bonæ conscientiæ possessio est, psal. XXXVIII, vers. 11.
Sum est verbum Dei proprium, indicans Trinitatem, psal. XLII, vers. 8.
Superbi comparantur cedris, psal. XXVIII, vers. 5. Superbi sunt qui peccant et satisfacere nolunt, psal. CXVIII, vers. 118.
Superbia, delictum maximum, psal. XVIII, vers. 14.
Supplantare quid est, psal. XXXVI, vers. 33.
Surgere ante lucem, psal. CXXVI, vers. 3.
Sustinere Dominum tota die, psal. XXIV, vers. 5.
Synagoga, collectio reproborum, psal. VII, vers. 7.

T

Tabernaculum a taberna et cœnaculo dicitur, psal. XIV, vers. 1. Tabernaculum Dei, Ecclesia vel cœlestis mansio est, psal. XLII, vers. 3. Tabernacula peccatorum vita præsens est, psal. LXXXIII, vers. 11.
Tacere peccata malum est, psal. XXXI, vers. 3.
Tauri pingues : feroces Judæorum principes, psal. XXI, vers. 12.
Tempestas valida erit dies judicii, psal. XLIX, vers. 4.
Templum mirabile in æquitate Christus est vel Ecclesia, psal. LXIV, vers. 5.
Tempus beneplaciti est tempus incarnationis vel passionis Christi, psal. LXVIII, vers. 16. Tempus malum, dies judicii est, psal. XXXVI, vers. 20.
Tentare quid est, psal. LXXVI, vers. 21.
Tentatio duplex, una Dei, altera diaboli, psal. XXV, vers. 2.
Terra interfecta tropice dicitur, psal. CV, vers. 37. Terra deserta invia et inaquosa est iste mundus, psal. LXII, vers. 3.
Terribilis Deus regibus terræ, psal. LXXV, vers. 12.
Terrigenæ dicuntur peccatores terrena sectantes, psal. XLVIII, vers. 2.
Testamentum in Scripturis pro omni pacto accipitur, psal. LXXXII, vers. 5. Testamenta duo per Christum copulata, psal. LXXXIV, vers. 11. Testamentum æternum proprie lex nova dicitur, psal. CIV, vers. 10.
Thesaurizare quomodo debemus, psal. XXXVIII, vers. 19.
Timor Domini, charitas seu reverentia mixta cum pavore, psal. XVIII, vers. 10. Timor Dei utilis et efficax, psal. XXI, vers. 24. Timor Dei dulcedinem, timor humanus amaritudinem habet, psal. XXXIII, vers. 11. Timor Dei duplex, servilis et castus, psal. CXVIII, vers. 63.
Titulorum utilitas in psalmis, psal. II, circa fit.
Torrens dicitur sapientia Christi, psal. XXXV, vers. 9. Torrentes iniquitatis sunt turba iniquorum Ecclesiam conturbantium, psal. XVII, vers. 5.
Tribulari ex corde est deflere peccata, psal. XXXIII, vers. 18.
Tribus Domini testimonium Israel, psal. CXXI, vers. 4.
Trinitas personarum indicatur, psal. V, vers. 2.
Tristitia duplex : mala de adversis hujus mundi, bona de peccatis, psal. XLII, vers. 5.
Tropus et tropologia in Scripturis psal. III, vers. 6.
Tuba canere quando solebant Judæi, psal. LXXX, vers. 3.
Tubæ ductiles et tubæ corneæ quid significant, psal. XCVII, vers. 7.
Tunica indivisa Christi Ecclesiæ unitatem designat, psal. XXI vers. 19.

U

Umbra mortis quid est, psal. CVI, vers. 14.
Unicornis significat unicam Christi Ecclesiam, psal. LXXVII, vers. 75. Unicornes superbi dicuntur, psal. XXI, vers. 22.
Unicus et pauper dicitur populus Christianus, psal. XXIV, vers 17. Unica dicitur anima Christi vel Ecclesia, psal. XXXIV, vers. 20.
Usque ad cornu altaris, id est usque ad communionem, psal. CXVII, vers. 26.
Usura prohibita, psal. XIV, vers. 6, et psal. LIV, vers. 11 Usura spiritualis in peccatoribus, psal. LXXI, vers. 14.

V

Vani qui sunt, psal. XXV, vers. 4, et psal. LI, vers. 7.
Vanitas vacua et supervacua, psal. XXX, vers. 7. Vanitas mutabilitas mentis, psal. XXXVIII, vers. 8. Vanitatis mundanæ opera sunt sicut tela araneæ, *ibid.*, vers. 13. Vanitates et insaniæ falsæ quæ sunt, psal. XXXIX, vers. 6.
Velata Judæis lex Moysi, psal. CXVIII, vers. 135.
Verbum asperum quid est, psal. XC, vers. 3. Verbum Dei permanet in cœlo, id est in sanctis et angelis, psal. CXVIII, vers. 89.
Versus in exitu vitæ dicendus, psal. CXV, vers. 7.
Vertex quid est, psal. VII, vers. 17.
Vesperum, præsens vita, psal. XXIX, vers. 6.
Vestigia Christi sunt ejus apostoli, psal. XVI, vers. 6.
Viæ duræ, virtutum : iter vitiorum leve est, psal. XVI, vers. 5. Viæ Domini sunt dilectio Dei et proximi, psal. XVII, vers. 24. Via Dei dura, sed tuta; via terræ mollis, sed plena latronibus, psal. XXXVI, vers. 24. Viæ Domini sunt apostoli et prophetæ, psal. CXXVII, vers. 1.
Vibrare quid est, psal. VII, vers. 13.
Videre voluntatem Domini quid est, psal. XXVI, vers. 8.
Vigilare ad Deum diluculo, psal. LXII, vers. 1.
Vindictæ divinæ ordo et processus, psal. LXXVII, vers. 34. Vindicta quam Christianus petit bona est, psal. LXXVIII, vers. 11.
Vinea præfigurat Ecclesiam, quæ sola persecutionibus crescit, psal. LXXIX, vers. 9. Vinea Judaica in Christianam commutata, *ibid.*, vers. 10.
Vinum compunctionis virtus pœnitentiæ, psal. LIX, vers. 5.
Virga directionis, regula æquitatis in judicio Christi, psal. XLIV, vers. 8. Virga peccatorum potestas tyrannorum dicitur, psal. CXXIV, vers. 3.
Virgo centesimum, vidua sexagesimum fert fructum, *ibid.*, vers. 16.
Viri sanguinum qui sunt, psal. V, vers. 7, et psal. XXV, vers. 9. Item, psal. LIV, vers. 27.
Viriliter agere quid est, psal. XXX, vers. 31.
Visitare in virga quid est, psal. LXXXVIII, vers. 33.
Vita vera quæ est, psal. CXVIII, vers. 77.
Volucres cœli dicuntur homines superbi, psal. VIII, vers. 8.
Voluntaria sacrificia quæ sunt, psal. CXVIII, vers. 108.
Voluntas Dei bona ut scutum est, psal. V, vers 13. Voluntas labiorum Christi fraudata non fuit, psal. XV, vers. 2.
Vultus Domini super malos : psal. XXXIII, vers. 16.

Z

Zelus duplex, bonus et malus, psal. CXVIII, vers. 139.
Ziphæi designant peccatores in hoc mundo florentes, psal. LIII, *in tit.*

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

SANCTUS BRUNO HERBIPOLENSIS EPISCOPUS.

Prolegomena. 9
De S. Brunonis Vita et rebus gestis. 9
De Brunonis sanctitate et cultu. 19
De Brunonis scriptis. 23

Præsidia critica. — Quid in hac editione præstitum fuerit. 27
Appendix documentorum. 31
EXPOSITIO PSALMORUM, CANTICORUM, ORATIONIS DOMINICÆ ET SYMBOLORUM. 39
Sancti Brunonis Prolegomena. 39
EXPOSITIO PSALMORUM. 59

COMMENTARIUS IN CANTICA. 530
Canticum Isaiæ prophetæ. 530
Canticum Ezechiæ regis. 531
Canticum Annæ. 535
Canticum Moysi. 538
Oratio Habacuc prophetæ pro ignorantiis. 542
Canticum Moysi. 545
Canticum Zachariæ. 554
Canticum sanctæ Mariæ ad vesperam. 555
Canticum Simeonis. 558
COMMENTARIUS IN ORATIONEM DOMINICAM, SYMBOLUM APOSTOLORUM ET FIDEM ATHANASII. 558
Oratio Dominica. 558
Symbolum apostolorum. 559
Laudes post nocturnum. 562
Fides catholica sancti Athanasii episcopi. 562

GREGORIUS VI PAPA.

Notitia historica. 570
GREGORII VI EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA. 574

CLEMENS '' PAPA.

Notitia historica. 578

OLIVA AUSONENSIS SIVE VICENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 590
OLIVÆ SERMO IN NATALI S. NARCISSI EPISCOPI. 591
DE CONVERSIONE BEATÆ AFRÆ. 594
OLIVÆ EPISTOLÆ. 599
Vicensis ecclesiæ consecratio. 603
Concilii Narbonensis synodica. 607

RODULFUS GLABER CLUNIACENSIS MONACHUS.

Notitia historica. 610
RODULFI GLABRI HISTORIARUM SUI TEMPORIS LIBRI QUINQUE. 611
Rodulfi Glabri Præfatio. 611
LIBRI PRIMUS. 613
Caput primum. — De divina quaternitate. 614
Cap. II. — De Rodulfo rege. 618
Cap. III. — De Lothario rege. 618
Cap. IV. — Qui post modum Romæ imperatores exstiterint. 618
Cap. V. — De paganorum plagis. 623
LIBER SECUNDUS. 627
Caput primum. — De electione Hugonis in regem. 627
Cap. II. — De cetu maris, et occidentalium bellis. 630
Cap. III. — De Conano duce Brittonum, et Fulcone Andegavorum. 631
Cap. IV. — De monasterio Lucacense. 631
Cap. V. — De portento Aurelianæ urbis mirabili. 634
Cap. VI. — De prælationibus turpis lucri arreptis. 635
Cap. VII. — De incendiis et mortibus nobilium. 638
Cap. VIII. — De Henrici ducis morte, et vastatione Burgundiæ. 638
Cap. IX. — De fame valida et infestatione Sarracenorum. 639
Cap. X. — De inundantia lapidum. 642
Cap. XI. — De Leutardo insaniente hæretico. 643
Cap. XII. — De hærese in Italia reperta. 643
LIBER TERTIUS. 643
Præfatio. 643
Cap. primum. — De Stephano rege Hungrorum, et bellis Beneventanorum. 646
Caput II. — De Roberto rege Francorum. 647
Cap. III. — De stella cometa, quæ apparens plurima portendit. 650
Cap. IV. — De innovatione ecclesiarum in toto orbe. 651
Cap. V. — De monasteriis reædificatis bene a Willermo abbate, vel institutis.
Cap. VI. — De sanctorum pignoribus ubique revelatis. 655
Cap. VII. — De eversione templi Hierosolymorum, et cæde Judæorum. 658
Cap. VIII. — De hæresi apud Aurelianos reperta. 659
Cap. IX. — De filiis regis ejusdem. 663
LIBER QUARTUS. 669
Præfatio. 670
Caput primum. — De universalitate Ecclesiæ a Constantinopolitanis injuste requisita. 670
Cap. II. — De hæresi in Italia inventa. 671
Cap. III. — Quod peccatis hominum exigentibus, Domino permittente, a nequam spiritibus aliquando fiant miracula. 674
Cap. IV. — De fame validissima quæ contigit in orbe terrarum. 675
Cap. V. — De pace et abundantia anni millesimi a passione Domini. 678
Cap. VI. — De confluentia populi totius orbis, quæ ad sepulcrum Domini Hierosolymis facta est. 679
Cap. VII. — De præliis Sarracenorum adversus Christianos in Africæ partibus. 682
Cap. VIII. — De Leuticorum prælio adversus Christianos in partibus Aquilonis. 683
Cap. IX. — De signo quod in sole apparuit. 683
LIBER QUINTUS. 685
Caput primum. — Variæ quæstiones. 686
Cap. II. — De bello mire gesto. 694
Cap. III. — De tertia eclipsi solis. 695
Cap. IV. — De dissensione Lugdunensis præsulatus. 695
Cap. V. — De exstirpatione Simoniaca. 698

SEIFRIDUS ABBAS TEGERNSEENSIS.

VITA S. GUILLELMI ABBATIS DIVIONENSIS. 698
SEIFRIDI EPISTOLÆ. 719
Epitaphium Seifri. 723

VASO LEODIENSIS EPISCOPUS.

Vita Vasonis. 726
VASONIS EPISTOLÆ. 763
CHARTA VASONIS. 765

ODORANNUS MONACHUS S. PERTI VIVI.

Notitia historica. 766
ODORANNI CHRONICON. 770
HISTORIA TRANSLATIONIS SS. SAVINIANI, POTENTIANI SOCIORUMQUE MARTYRUM. 777
ODORANNI OPUSCULA. 799
Prologus. 799
Opusculum primum. 802
Opusc. II. 803
Opusc. III. 803
Opusc. IV. 806
Opusc. V. 807
Opusc. VI. 810
Opusc. VII. 814
Opusc. VIII. 818
Opusc. IX et X. 819
Opusc. XI. 822
Opusc. XII. 823
Opusc. XIII. 826
HYMNUS IN S. SAVINIANUM SOCIOSQUE EJUS. 826
EPITAPHIA SENONENSIA. 830

S. ODILO ABBAS CLUNIACENSIS V.

S. Odilonis elogium historicum. 831
Vita S. Odilonis, auctore Jotsaldo monacho. 898
S. ODILONIS EPISTOLÆ. 939
VITA BEATI MAIOLI ABBATIS. 943
HYMNI QUATUOR IN VIGILIA B. MAIOLI. 962
VITA ADALHEIDÆ IMPERATRICIS. 963
MIRACULA ADALHEIDIS REGINÆ. 985
S. ODILONIS SERMONES. 991
Sermo primus. — De Nativitate Domini Salvatoris. 991
Sermo II. — De Epiphania Domini. 995
Sermo III. — De Purificatione sanctæ Dei genitricis Mariæ. 999
Sermo IV. — De Incarnatione Dominica. 1001
Sermo V. — De resurrectione Domini. 1004
Sermo VI. — De eadem resurrectione Domini. 1005
Sermo VII. — De eadem resurrectione. 1009
Sermo VIII. — De ascensione Domini Salvatoris. 1011
Sermo IX. — In die Pentecostes. 1014
Sermo X. — De admirabili præcursoris Christi Joannis Baptistæ nativitate. 1019
Sermo XI. — In vigilia apostolorum Petri et Pauli. 1020
Sermo XII. — De assumptione Dei genitricis Mariæ. 1023
Sermo XIII. — De Nativitate beatæ Mariæ virginis. 1028
Sermo XIV. — De Nativitate beatæ Mariæ. 1029
Sermo XV. — De sancta Cruce. 1031
S. ODILONIS CREDULITAS. 1033
S. ODILONIS CARMINA SACRA ET PRECES. 1035
Hymnus in Assumptione S. Mariæ. 1035
Ad crucem adorandam oratio. 1037
APPENDIX AD S. ODILONEM. 1039
I. — Præceptum Ottonis imp. de S. Maiolo de Papia. 1039
II. — Præceptum Rodulfi regis de Chaviniis, Blenosco; sancto Victore et aliis capellis. 1039
III. — Charta ejusdem regis de S. Blasio in Vinculis, cum omnibus pertinentiis suis. 1041

IV. — Charta Amedei comitis de ecclesia S. Mauritii in pago Multacens. 1042
V. — Hymnus de S. Odilone. 1041
Missa B. Odilonis. 1043
Jotsaldi monachi planctus de transitu domini Odilonis abbatis Cluniacensis. 1043
Translatio corporis S. Odilonis. 1047

BERNO ABBAS AUGIÆ DIVITIS.

Notitia historica. 1047
Notitia litteraria. 1049
Notitia litteraria altera. 1051
LIBELLUS DE QUIBUSDAM REBUS AD MISSÆ OFFICIUM PERTINENTIBUS. 1055
CAPUT PRIMUM. — Qualiter priscis apostolorum temporibus missarum celebritas ageretur. 1055
CAP. II. — De Gloria in excelsis. 1058
CAP. III. — De octava Pentecostes. 1061
CAP. IV. — De Adventu Domini. 1063
CAP. V. — De missa Deprecationem nostram, et concordia officiorum Dominicalium. 1066
CAP. VI. — Sequentia præcedentis. 1072
CAP. VII. — De jejunio quatuor temporum. 1073
LIBER DE CELEBRATIONE ADVENTUS DOMINI. 1079
CAPUT PRIMUM. — Proponitur argumentum præsentis quæstionis, et afferuntur diversæ sententiæ, statuiturque non nisi quatuor hebdomadas adventui celebrando dandas. 1079
CAP. II. — Idem confirmatur ex Amalario, Fortunato et Beda. 1081
CAP. III. — Objectio contra dicta dissolvitur. 1083
CAP. IV. — Implorat Berno Aribonis auctoritatem, ut nec plures quam quatuor Adventus Dominicus celebrari permittat. 1085
Ratio generalis de initio Adventus Domini secundum auctoritatem Hilarii episcopi. 1085
DIALOGUS DE JEJUNIO QUATUOR TEMPORUM. 1087
PROLOGUS BERNONIS. 1087
INCIPIT DIALOGUS. 1087
CAPUT PRIMUM. — De diversitate jejunia quatuor temporum celebrantium. 1087
CAP. II. — In rebus incertis ac dubiis majorum tenenda sunt instituta. 1089
CAP. III. — Qua ratione quatuor temporum jejunia sint constituta, et cur potissimum tribus septimanæ diebus; quæ denique ratio plurium vel pauciorum lectionum. 1090
CAP. IV. — Utrum statim in primo sabbato Martii sit jejunandum etiamsi idem mensis quinta, sexta, aut septima feria incipiat, aut in aliud sabbatum propter quartam feriam sit differendum? 1092
CAP. V. — Prædicta amplius illustrantur et roborantur. 1093
CAP VI. — Quandonam tredecim vel quatuordecim hebdomadæ eveniant. 1095
CAP. VII. — Num jejunio in aliud sabbatum dilato, vel in ipsam hebdomadum sanctam Pentecostes incidente, Gradalia an Alleluia sint canenda? 1096
CAP. VIII. — Compendium doctrinæ hactenus expositæ, ac præscriptus modus in jejunando servandus. 1096
BERNONIS OPUSCULA DE MUSICA. 1097
Musica Bernonis seu prologus in Tonarium. 1097
Tonarius Bernonis. 1113
De varia psalmorum atque cantuum modulatione. 1131
De consona tonorum diversitate. 1135
BERNONIS EPISTOLÆ. 1136
EPISTOLA PRIMA. — Ad Vo. Abbatem.—Ab illo nunquam divelli vellet. 1137
EPIST. II. — Ad Geronem seu Jeronem archiepiscopum Magdeburdensem. — Gratulatur ei pacem imperii, commendatque monasterii sui res, ac regulas episcopatum sancte administrandi exponit. 1139
EPIST. III. — Ad Heinricum II imperatorem. — Celebrat ejus virtutes, gratiasque et pro collata sibi Augiæ præfectura agit, ac læta omnia precatur. 1141
EPIST. IV. — Ad H. abbatem S. Salvatoris. — Profecturus illi valedicit, suorumque ei Fratrum necessitates commendat. 1142
EPIST. V. — Ad Augienses. — Statuit quid a suis pro defuncti Heinrici monachi anima amplius persolvendum sit. 1143
EPIST. VI. — Ad Burchardum abbatem. — Illi obitum Heinrici monachi Augiensis nuntiat. 1144
EPIST. VII. — Ad H. episcopum. — Queritur ejus sibi copiam in loco et die constituto fuisse subtractam, rogatque ut se amari patiatur 1144
EPIST. VIII. — Ad A. episcopum. — Monet ne in deligendo Heinrici imperatoris successore præceps sit, sed omnia communicato cum aliis consilio agat. 1145
EPIST. IX. — Ad H. episcopum. — Petit ab eo reliquias S. Ursi martyris, cujus corpus transferendum esse inaudierat. 1146
EPIST. X. — Ad Cuononem. — Ab illo ejusdem sancti martyris Ursi reliquias expetit. 1147
EPIST. XI, ad Fredericum. — Cur Cassianus collator a tam multis reprehendatur, etc 1147
BERNONIS EPISTOLARUM FRAGMENTA. 1175
VITA SANCTI MEGINRADI EREMITÆ ET MARTYRIS APUD HELVETIOS. 1176
VITA SANCTI UDALRICI EPISCOPI AUGUSTENSIS. 1183
BERNONIS VERSUS libro sacramentorum Saxonico, qui habetur in bibliotheca Boheriana præfixi. 1203
CARMEN DE BELLO TROJANO. 1205
APPENDIX AD BERNONEM. 1209
Annales Augienses. 1209
Annales Augienses brevissimi. 1213

WIPPO PRESBYTER, CONRADI SALICI ET HENRICI III IMPP. SACELLANUS.

Notitia historica et bibliographica. 1213
VITA CHUNRADI SALICI IMPERATORIS. 1217
Wipponis epistola ad regem Henricum Chunradi imperatoris filium. 1217
Incipit vita. — Prologus 1219
De conventu principum. 1221
De electione regis. 1223
De consecratione regis. 1227
De dispositione curiali et de regina. 1228
De primis gestis Chuonradi regis. 1229
De itinere regis per regna. 1230
Qualiter rex cum Italis placitavit. 1231
De Bolislao duce Sclavorum. 1233
De inimicitia inter regem et Ernestum ducem. 1233
Quod rex cum exercitu in Italiam rediit. 1233
Quod rex Papienses afflixerit. 1233
De seditione quæ Ravennæ facta est. 1234
Rex propter calorem in montana secessit. 1234
Quod legati Rudolphi regis ad Chuonradum regem in Italiam venerunt. 1235
Quod rex Chuonradus Romæ imperator est effectus. 1235
Quod imperator in Apuliam venit. 1235
De tyranno Thasselgaro. 1236
De conjuratione quorumdam Teutonicorum. 1236
Ubi dux Ernestus se denuo reddidit. 1237
Quod rex Burgundiæ imperatori incurrebat Basileæ. 1237
De legatione episcopi Argentinensis. 1238
Quod imperator filium suum Henricum regem conserari fecit. 1238
De obitu episcopi Augustensis. 1238
Qualiter dux Ernestus ducatum accepit et statim amisit. 1239
Quod imperator super Ungaros cum exercitu venit. 1239
Quod dux Ernestus auxilium petiit ab Odone comite 1239
Qualiter dux Ernestus perlit. 1240
Rodolphus rex Burgundiæ obiit, et Odo regnum ejus invasit. 1240
Quod imperator cum filio suo Henrico Burgundiam adiit. 1241
Quod imperator super Odonem cum exercitu venit. 1242
Qualiter imperator Odonem expulit in Burgundia. 1242
Quod rex Heinricus Sclavos subjugavit. 1243
De conjuratione Italorum. 1244
Quod rex Heinricus filiam Conittonis (*al.*, Chunonis) in conjugium duxerit. 1244
De miraculo quod accidit in die Pentecostes. 1245
De seditione quæ facta est in Parma. 1246
Quod imperator filio suo regi Burgundiam tradidit. 1246
De obitu imperatoris. 1247
Versus pro obitu Conradi imperatoris. 1247
PANEGYRICUS CARMINE SCRIPTUS AD HEINRICUM III IMPERATOREM, CONRADI IMPERATORIS FILIUM. 1249
Incipit prologus in epilogum regis 1251
Epilogus. 1251
Carmen legis pro laude regis. 1251
Carmen gratiæ pro regis honore. 1255

Versus Wiponis ad mensam regis in Natali Domini. 1257
PROVERBIA WIPONIS AD HEINRICUM CUONRADI IMPERATORIS FILIUM. 1259

HELGAUDUS FLORIACENSIS MONACHUS.

Notitia historica. 1265
VITA ROBERTI REGIS FRANCORUM. 1267

GERARDUS I CAMERACENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 1267
ACTA SYNODI ATREBATENSIS IN MANICHÆOS. 1269
Gerardi epistola. 1269
I. — Acta synodi. 1271
II. — De corpore et sanguine Domini. 1278
III. — De sancta Ecclesia, quæ est domus Dei. 1284
IV. — De sacro altari. 1287
De thymiamate. 1288
V. — De signis. 1291
VI. — De sacris ordinibus. 1291
VII. — De sepultura. 1295
VIII. — De pœnitentia. 1296
IX. — Quod pœnitentia post mortem prosit.] 1298
X. — De connubiis. 1299
XI. — De confessoribus. 1301
XII. — De psallendi officio. 1303
XIII. — De veneratione Dominicæ crucis. 1304
XIV. — De imagine Salvatoris in cruce. 1306
XV. — De ordinibus ecclesiastici regiminis. 1307
XVI. — De eorum falsa justitia. 1309
XVII. — Conclusio. 1311
GERARDI EPISTOLÆ. 1313
Epistola prima. — Ad archidiaconos Leodienses. 1313
Epist. II. — Ad Adalberonem Laudunensem episcopum. — De Adalberonis in Laudunensem sedem successoris delectu. 1317
Epist. III. — Ad Ebalum Remensem archiepiscopum. — De eadem re. 1318
Epist. IV. — Ad Beroldum Suessionensem episcopum. — De eadem re. 1318
Epist. V. — Ad Lebedinum abbatem Sancti Vedasti. — De incendio ecclesiæ cathedralis Atrebatensis. 1319
Epist. VI. — Ad Fulconem Ambianensem episcopum. — De episcopo Turvanensi inique expulso. 1321

HUGO LINGONENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 1321
TRACTATUS DE CORPORE ET SANGUINE CHRISTI CONTRA BERENGARIUM. 1325

HALINARDUS LUGDUNENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 1333
Vita Halinardi. 1337
HALINARDI EPISTOLÆ. 1343
Epistola prima. — Ad Joannem XIX papam. 1343
Epist. II. — Ad Eiqqocum sacri palatii vestiarium. 1346
Epist. III. — Ad canonicos Lugdunenses. 1347

JORDANUS LEMOVICENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 1347
JORDANI EPISTOLA AD BENEDICTUM VIII ROMANUM PONTIFICEM, cui, defuncto Benedicto, responsum dedit Joannes XIX. 1349
JORDANI DIPLOMATA DUO. 1351
I. — Litteræ Jordani Lemovicensis episcopi, quibus multa confert capitulo Lemovicensi. 1351
II. — Concordia inita inter Jordanum episcopum Lemovicensem, et Willelmum comitem Pictaviensem. 1351
ACTA CONCILII LEMOVICENSIS II, in quo agitur de apostolatu S. Martialis et multis ad disciplinam spectantibus. 1353

GUIDO DE CASTELLIONE REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Notitia historica. 1399
GUIDONIS DIPLOMATA. 1403
I. — Guidonis privilegium Odike abbatissæ Parthenonis S. Petri concessum. 1403
II. — Charta Widonis archiepiscopi, qua Remigianis confert altare de Cruscinisno. 1406
III. — Concordia Widonis archiepiscopi Remensis cum Ricardo abbate S. Vitonis Virdunensis. 1407
IV. — Widonis archiepiscopi Remensis charta de altari Germereii pro cœnobio Mosomensi. 1407
V. — Guido archiepiscopus Remensis confirmat donum Manassis nepotis sui Herimaro abbati Sancti Remigii de quibusdam terris, in confinio castri beati Remigii sitis, præsenti charta, a nobilibus vicinis subscripta. 1408
Epitaphium Guidonis. 1409

ANSELMUS MONACHUS S. REMIGII REMENSIS.

Notitia. 1409
HISTORIA DEDICATIONIS ECCLESIÆ S. REMIGII. 1411
Observationes præviæ. 1411
Prologus in Dedicatione ecclesiæ B. Remigii Remensis. 1413
Incipit narratio. 1417
Prima dies synodi. 1430
Secunda dies synodi. 1433
Tertia dies synodi. 1433
Epistola cleri Gallicani pro renovanda S. Remigii festivitate. 1439
Index ad S. Brunonis commentarium in psalmos. 1441

FINIS TOMI CENTESIMI QUADRAGESIMI SECUNDI.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.